READING
ROOM

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/patrologiaecursu169mign

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANNO 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS; AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE [PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CLXIX.

R. D. D. RUPERTUS ABBAS MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208.

1894

Clichy. — Ex typis PAUL DUPONT, 12, viâ dictâ Bac-d'Asnieres. 126.8.93.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

DEC -7 1931

2169

SÆCULUM XII

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS

MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS

VIRI LONGE DOCTISSIMI SUMMIQUE INTER VETERES THEOLOGI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM VENETAM ANNI 1748 PRÆVIA DILIGENTISSIMA EMENDATIONE AD PRELUM REVOCATA, VARIISQUE MONUMENTIS AUCTA

ACCURANTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri Universæ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS TERTIUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208.

1894

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXIX CONTINENTUR

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS.

(OPERUM CONTINUATIO.)

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

AD SEDIS APOSTOLICÆ PRÆSULEM ROMANUM PONTIFICEM

EPISTOLA

1-3 Ante faciem tuam, o princeps, beatissime Petre testis Christi ac præcentor Christianæ fidei, simul, que ante faciem vicarii tui papæ, viam latam invenire et spatium habere nostra parvitas deposcit : dicis autem quidam de principibus sapientissimis : *Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ejus facit* (*Prov.* XVIII). Ne igitur vacuus venirem, donum præsentavi, quale manus mea reperire potuit, et utinam *donum perfectum*, sive *datum optimum*, ut dicas : *Hoc de sursum est*, *descendens a Patre luminum !* (*Jacob.* I.) Est enim hoc donum non ex corruptibilibus auro et argento, quibus maxime delectantur principes sæculi, sed est opus ex gratia Dei, qua sola delectati sunt et delectantur principes sancti; quibus ipse Rex regum et Dominus dominantium principatum dedit æternum in regno suo cœlesti (*Apoc.* V), habetque amabilem hunc in fronte titulum : De glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti. Forte dicit aliquis : Sufficiunt jam principibus nostris dona sine donaria hujusmodi. Meminisse debes quia, cum fieret tabernaculum Domini et instanter quotidie mane vota populus offerret, *artifices venire compulsi, dixerunt Moysi : Plus offert populus quam necessarium est. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari : Nec vir nec mulier quidquam offerat in opere sanctuarii. Sicque cessatum est a muneribus offerendis, eo quod oblata sufficerent et superabundarent* (*Exod.* XXXVI). Ad hæc inquam : Equidem memini, sed quorsum istud? Hoccine intendis, ut, quoniam tabernaculum illud manufactum secundum exemplar fiebat tabernaculi non manufacti sive cœlestis, quod in monte monstratum est Moysi (*Exod.* XXV), nos quoque secundum exemplum illius prohibitonis debeamus prohiberi et cessare a muneribus offerendis in opere sanctuarii cœlestis, cessare ab exercitio gratiarum sive charismatum, quæ Spiritus sanctus prout vult distribuit singulis, scilicet a sermone sapientiæ, a sermone scientiæ, a generibus linguarum, ab interpretatione sermonum, quoniam ante nos alii satis sapienter, satisque scienter locuti sunt et abundanter sermones Dei interpretati sunt? (*I Cor.* XII.) Nunquid quia illic voce præconis cantatum est, ut *nec vir nec mulier quidquam offerre in opere sanctuarii*, nos quoque quasi per allegoriam includere vis, ut jam in opere sanctuarii cœlestis nullum offeramus donum de divitiis salutis, de thesauro sermonis Domini? Noli, quæso, noli esse allegoricus nimis. Meminisse debes et tu quid sancti Patres ante nos senserint de illa stropha simplicis Jacob: *Tollens*, ait Scriptura. *Jacob virgas populeas virides et amygdalinas et ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit; illa vero quæ integra erant viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius* (*Genes.* XXX). Denique juxta mysticum illud exemplum, non passim ubique, sed in plerisque locis corticem litteræ detrahimus et candorem allegoriæ tenemus, in nonnullis allegoriam non quærentes, moralem sensum in viriditate litteræ retinemus. Exempli gratia : *Ignis*, ait Dominus, *in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens mane ligna per singulos dies*, *et*, *imposito desuper holocausto, adolebit adipes pacificorum. Ignis iste est perpetuus, qui nunquam deficiet de altari* (*Levit.* VI. Quid valeret in isto præcepto litteræ cortex? Corticem ergo detrahimus et allegoricæ intelligentiæ spiritum tenemus, dum altare Dei cor nostrum, et in hoc ignem qui semper debet ardere, charitatis flammam intelligimus. Fateor tibi, magne sacerdos, quia præsens opus, et **4** quæcunque hactenus simili studio peregi, sic affero, sic æstimo vel æstimari cupio, tanquam ligna, quibus nutriri possit ignis charitatis sive amoris in altare Domini, in corde cujuspiam legentis sive audientis, et legendo sive audiendo cupientis proficere in dilectione nominis Domini. Neque enim donum hoc quo, ut præscripsi, viam sive spatium ante principes mihi cupio parari, tanti æstimo quanti est aurum, et argentum et pretiosi lapides, quanti hyacinthus et purpura, coccusque bis tinctus et byssus, quæ spiritualiter in constructione spiritualis tabernaculi offeruntur. Bene nobiscum agitur, si hæc scripta nostra saltem pretium lignorum habere judicentur, quibus jam dictus ignis in altari Domini in corde cujuspiam pusilli efficaciter nutriatur. Porro in eo quod jussit Moyses præconis voce cantari : *Nec vir nec mulier quidquam ultra offerat in opere sanctuarii*, sicut et in multis aliis permaneat sensus litteralis ; quomodo partibus virga-

rum, cortex viridis, quia non sicut illic cessatum est a spiritualibus offerendis. Non bene videntium imo invidentium est, tali similitudine uti, ut dicant: Sicut tunc offerebat populus plusquam necesarium fuit, ita nunc plures scribuntur libri quam necessarium sit, semper licuit semperque licebit unicuique dicere, salva fide, quod sentit : nolentem autem nostra, nemo compellit. Vellem, quoniam lex præcipit Domini, tibi summo sacerdoti probata vel accepta esse hæc fidelis animæ oblata, ut vere primitias digne in opus Domini suscipiendas. Ubinam hoc præcepit mystica lex Domini? In constructione tabernaculi supra memorati, in verbis istis: *Loquere filiis Israel ut tollant mihi primitias, ab omni homine qui offert ultroneus accipietis eas* (*Exod.* XXV). Et quis est ille omnis homo primitias offerens ultroneus, nisi is in quo fides, quæ prima virtus est, per dilectionem operatur? (*Galat* V.) Nimirum recte dicitur ille ultroneus. Est enim hilaris dator quem diligit Deus (*II Cor.* IX), et proinde sive parum offerat sive multum, digne oblationes ejus primitiæ dicuntur et sunt. Quapropter et istud est notandum quia oblationes, quæ secundum pretium sui viliores sunt, non ultimo loco ex ore Domini nominatæ sunt, pili scilicet caprarum et rubricatæ pelles arietum, sed loco fere medio cunctarum oblationum; ita ut prima posita videas *aurum, argentum et æs, hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, byssum; novissima autem aromata in unguentum et thymiamata boni odoris lapides onychinos, gemmas ad ornandum ephod ac rationale; et medio*, sicut jam dictum est, *loco pelles caprarum et pelles arietum rubricata* (*Exod.* XXV). Nonne per hunc quoque ordinem utiliter commonemur quia quæ parva hominibus videntur interdum pro bona voluntate offerentis Deo magis accepta habentur, et inter primitias ab eo computantur? Accipias ergo a me homine ultroneo primitias istas quas obtuli, in primis præsens opus IX distinctum libellis, De glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti. Sunt alia quæ nunc usque præsentare non potui, opus quoddam XII librorum De victoria Verbi Dei. Itemque opus De gloria et honore Filii hominis, in totidem libellis. In XII Prophetas XXX libri. In Apocalypsim libri XII. In Evangelium Joannis libri XIV. De Sancta Trinitate et operibus ejus libri XLII. In Samuelem et David libri XV. In honorem B. Mariæ Virginis super Cantica libri XII. Scripseram et ante hæc omnia opusculum De sacramentis sive officiis divinis per circulum anni, distinctum libellis sive tomis XII. Hoc donum, sicut initio memini ex Salomone dicente: *Donum hominis dilatat viam ejus et ante principes spatium ei facit* (*Prov.* XVIII). Hoc, inquam, donum quis prohibere debet ne hujus hominis viam dilatet et ante principes spatium ejus faciat, præsertim clamante desuper auctoritate divina: *Ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis primitias!* (*Exod.* XXV) Hominem quippe me esse ultroneum veraci sententia profiteor, quia non conductus mercede hominis, sed sola delectatus dulcedine Verbi divini, circa hoc donum laboravi, offerendum in opus tabernaculi Domini, et ea causa *hæc recordatus sum et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei in voce exsultationis et confessionis* (*Psal.* XLI).

PROLOGUS RUPERTI AD CUNONEM.

5 Quid faciam, o Philochristi omnes auditores benevoli, quia animus meus materiam qualemcunque sibi objectam, quamvis supra vires sit, interpretatam sive inoperatam abire non sinit? Ecce cuidam amicorum sponsæ vel sponsi, qualium in Canticis est illa vox: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* (*Cant.* I), multum roganti, opusculum tribus edideram libellis secundum materiam quam ille mihi objecit, scilicet De sacramentis fidei sub dialogo Christiani et Judæi, quod videlicet opusculum, pro re vel qualitate sui met *Annulum* placuit appellari, atque hoc facto, putabam me satisfecisse illius voluntati bonæ et laudabili. At ille, juxta quod Sapientiam dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV), ubi hoc tantillum comedit et bibit, amplius esuriens et sitiens, et quasi irritato mentis palato ex gustu boni saporis, hoc rogare, hoc instanter petere addidit: ut apponerem loqui adhuc contra perfidiam Judaicam, primum e tribus personis unius summæ Divinitatis, et demonstrare illi, quamvis invito, Trinitatis gloriam testificatam esse ex lege et prophetis; quas nimirum Scripturas ipse legit et recepit. Deinde cur vel quomodo magis ad personam Filii pertinuerit susceptio carnis. Deinde hoc demonstrare quod tempus illud quo natus est hic Jesus Christus, quem confitemur et scimus Messiam ipsum esse quem exspectabant Patres sancti, promissum sibi a veritate non discrepet, imo valde concrepat Prophetiæ, quam patriarcha Jacob prælocutus est: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Genes.* XLIX) Hæc tria proponens, num parvam aut facilem mihi materiam objecisse visus est? Imo rem magnam, rem difficilem imposuit, et quanto propinquius huc animus accedit, et postulata facere cupit, tanto pondus esse gravius sentit, et pene refugit, nisi quod majora suis viribus jamdudum

cum auxilio Dei versare consuevit. Quid igitur faciam? nimirum hoc expedit et optimum est, ut habens amicum, eam ad illum media nocte, et dicam: *Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit ad me de via, et non habeo quod ponam ante illum* (*Luc.* XI), animus meus, amicus meus, qui tamen sæpe elongatur a me, ita ut recto clamem, *et cor meum dereliquit me* (*Psal.* XXXIX). Ergo verum dicere licet, et amicus et desertor ipse est. Amicus nimirum, in eodum intus se continet; amicus dum vocat et ad aliquem sanctorum convertitur; amicus, dum cogitat altius quod Dei Filius propter nos Virginis filius factus est; amicus, dum adhuc altius intuetur mysterium crucis, quod per illam idem Dei Filius omnia traxit ad se (*Joan.* XII); amicus dum adhuc certissime gloriam B. Trinitatis cupit B videre, quasi per speculum et in ænigmate. Hunc denique suimet processum, et olim in quadam vidit imagine, et nunc rebus aliquantisper experitur. Dum post multa quæ scrutatus est in Scripturis ejusdem Christi Fili Dei testimonia, nunc tandem aliquid dulce vel jucundum de gloria S. Trinitatis et processione Spiritus sancti effari desiderat. In quo autem desertor idem est? Nimirum desertor in crebra resolutione, desertor in propositi oblivione, desertor in fenestris per quas non deberet exire, desertor in visu, desertor in auditu, desertor in gustu, desertor in odoratu, desertor in tactu, hic talis ecce nunc ut sæpe fecit, de via rediit ad me. Sed quid dicam? *Non habeo*, ut jam dixi, *quod ponam ante illum*, non habeo ex me sermonem bonum C sive rectum et bene sonantem, quod digne valeam exsequi opus propositum. Restat igitur ut, sicut jam dixi, eam ad illum verum amicum, ad illum singularem amicum, qui, cum Deus esset, propter nos homo factus est, amicus et frater, dicamque ei: *Amice, commoda mihi tres panes* (*Luc.* XI); amice, da sermonem qui et cor meum reficiat atque delectet, et cultores Trinitatis, quicunque legerint vel audierint, ædificet. Olim dum tu, amantissime mi

A Cuno, Ratisponensis Ecclesiæ præsul venerabilis, legato sedis apostolicæ, D. Wilhelmo, Prænestino episcopo, quædam ex operibus nostris demonstrasses, et ille, ut vir studiosus et apprime eruditus, intente legeret atque amplecteretur: inter cætera libuit eum sciscitari, si aliquid operis edidissem de processione Spiritus sancti. Quod quia satis desideranter sciscitatus est, tu nimirum pro bona voluntate pene indoluisti, quod non haberem, quod per illum deportari posset ad vestigia sanctæ apostolicæ sedis de materia hujuscemodi, ut essent quasi margarita super opus illud, quod, ut tu putabas, velut aurum ille exoptavit et secum tulit videlicet explanationem in sex priores ex XII Prophetis. Exemplar illud, te agente et illo expetente amisi, sicut et cætera multa nostrorum operum exemplaria, quæ tu profectus in episcopatum abstulisti. Cum ergo postulatum ingredi vellem de gloria sanctæ Trinitatis memoria simul illius diei mentem tetigit, visumque est augmentum fore qualiscunque utilitatis, si simul in procursu ejusdem operis dulcedinem sermonis permiscerem secundum hanc materiam de processione Spiritus sancti. Fateor quia mox ut occurrit mentio sive suggestio hæc (quæ utinam ipsius sit Paracleti!) de quo Dominus: *Ille vos*, inquit, *docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis* (*Joan.* XIV), valde complacuit, faciemque mentis ad occurrendum sibi delivit, et hilarem effecit. Sed quomodo Judæo competeret hic stare in dialogo, ut ille amicus postulavit, ante faciem Christiani revelata facie contemplantis *sanctæ Trinitatis, et quæstiones proponere, quarum solutione magis ac magis reveletur vultus Moysi: cum ille a prima revelatione statim fugere consueverit? Amoto itaque illo, sola cum quieto et tranquillo otio sacras perageret paginas Christiana fides, quatenus et ille non interturbet, et tu, Christiane, nihilo minus habeas quod cupis, quantum per nos, Deo juvante, fieri potest.

R. D. D. RUPERTI
ABBATIS TUITIENSIS
DE GLORIFICATIONE TRINITATIS
ET
PROCESSIONE SANCTI SPIRITUS
LIBER PRIMUS

6-7 CAPUT PRIMUM.

Quod mysterium sanctæ Trinitatis thesaurus sit desiderabilis, et quod thesaurus in agro absconditus sit.

Thesaurus desiderabilis tu nobis es, o admirabile D mysterium Trinitatis, et thesaurus absconditus quidem, sed taliter ut inveniri possis ab homine attento qui te quærit, illuminatos per fidem habens suæ mentis oculos. Ubi enim thesaurus ille absconditus est? in agro. Sic etenim Dominus dicit in

BQ 310 .M35

Evangelio : » Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro (*Matth.* XIII). » Mira res! Non in sacculo, non in diversorio, non in cubiculo intra cubiculum, ubi solent homines abscondere thesaurum suum, quia de furibus solliciti sunt, sed « in agro, » id est in propatulo. Qualis, rogo, hæc est absconsio, absconditum esse in publico ? Attamen ita est, et omnino verum est. Hoc opus nunc suscepimus, et hæc præsentis operis nostri est intentio, demonstrare qualiter vel quo thesaurus iste sit absconditus in agro dicamus ergo quoniam thesaurum istum solis cæcis absconditum invenimus nos, et hunc oculos habentibus, qui tamen forte nondum satis viderunt et videre volunt, quasi prætento demonstremus digito.

CAPUT II.

Quod sancta veteris instrumenti Scriptura ille ager sit, et quam ob causam convenienter agri nomine significata sit.

Ager iste, de quo proposuimus, sancta veteris instrumenti Scriptura est. Et recte dicitur ager, quia profecto res publica est ; res in aperto posita, et cunctis hominibus, imo populis omnibus legere vel audire cupientibus, proposita est. Hinc est illud in Psalmo veraciter dictum : « Dominus narrabit in Scripturis populorum (*Psal.* LXXXVI). » Quid namque est quod dicit « in Scripturis populorum, » nisi ac si diceret, in Scripturis quæ populis expositæ sunt, vel quæ a populis omnibus legi possunt ? Quod ut diceret non fuisset necessarium, nisi essent quædam Scripturæ sive quædam scripta, quæ non sunt populorum, verbi gratia, scripta Platonicorum, scripta Aristotelicorum. Nimirum ad distantiam eorum quæ illi scripserunt, Scripturæ sacræ recte dicuntur Scripturæ populorum, quia videlicet populos, id est simplices, a sui et lectione non repellunt, quin et si mysteria non cito percipiunt, at saltem litteralem sensum et moralem quoque facile capiunt intellectum. At illorum scripta vel dicta lubricis anfractibus effugiendo, simplices a se repellunt. Exempli gratia : Si dixeris, mortuus est homo, dicunt mortuus non est homo. Et ex parte verum dicunt, quia si homo est, vivit ; si autem mortuus est, et homo et anima et animatum corpus esse desiit Quod non attendentes populi, id est simplices, stant attoniti. Sed nihilominus verum est dicere, mortuus est homo, eo videlicet sensu, quo solemus a parte significare totum. Et recte appellamus hominem corpus humanum vita defunctum, et hujusmodi locutionem sicut populi, ita et Scripturæ nostræ recipiunt, suntque ob hujusmodi simplicitatem Scripturæ populorum. Similiter quod hic de thesauro proposuimus, dicentes, absconditum in agro, id est in publico, illi dicerent vel scriberent, oppositum esse in adjecto, ea cætera hujusmodi qualia populi non intelligunt. Attamen verum est, et non ita, ut sicut in eo quod anterius dictum est, sic et in isto, a parte significetur totum, imo de toto sentias totum, videlicet quia totum apertum vel publicum est videntibus, totum absconditum vel clausum est invidentibus.

CAPUT III.

Quomodo vel qualibus thesaurus ejusmodi in tali agro absconditus sit, et a qualibus cito possit inveniri.

Diximus quo in agro thesaurus iste absconditus sit, scilicet, gloriosa distinctio personarum S. Trinitatis : jam dicendum quomodo illic absconditus sit. Utrumque etenim demonstrare supra propositum est, et quo in agro, et qualiter absconditus sit. Non longe pro hac demonstratione exemplum petatur. Præsens enim adest idoneum, si respicias unde dixerit : « Dominus narrabit in Scripturis populorum (*Psal.* LXXXVI). » Utique dices mihi quod hoc dixerit de illo quod sub interrogatione præmiserat, dicens hoc modo : « Nunquid Sion dicet homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus ? » (*ibid.*) Quo modo, vel in quantum hæc portio magna thesauri absconditi, hoc talentum magni ponderis, hoc sacramentum Incarnationis ad solam pertinens personam Filii, absconditum est in agro sæpe dicto, sic vel in tantum et non occultius ibidem mysterium totius Trinitatis absconditum est. Solis enim indignis, invidere et non videre volentibus, sic fuit absconditum, ut inveniri non posset dum quæreretur, et porcis bona margarita non conculcanda non objiceretur. Proinde dicit : « O Sion, nunquid dicit homo iste, et homo natus est in ea, » subauditur civitate sua, de qua præmisit : » Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*ibid.*). » — « et ipse fundavit eam Altissimus. » Nunquid, inquam, dicet hoc homo, scilicet quispiam totus terrenus, qualis est judæus vel hereticus ? Subauditur non, hoc namque dicere deorum est, si omnium filiorum Excelsi (*Psal.* LXXXI), quod hic homo qui natus est in sancta Sion, quæ una civitas est omnium sanctorum atque electorum angelorum et hominum, priusquam in ea nasceretur, « ipse fundavit eam Altissimus. » Non hoc dicet homo, non intelligeret quis, deditus sensui terreno. Ergo thesaurus absconditus. Similiter de omnibus sacramentis et distinctione personarum sanctæ Trinitatis, qui thesaurus magnus est; sciendum quia modus absconsionis talis est, ut homo infidelis non inveniat : deorum autem vel filiorum Excelsi multitudo fidelis cito apprehendat.

CAPUT IV.

Quod non in una parte agri, sed per totum agrum sacræ Scripturæ thesaurus iste, et indignis absconditus, et a dignis sit inventus, vel cito inveniatur.

Qua tandem in parte, vel quibus in partibus agri thesaurus iste absconditus debet inveniri ? Nam fortassis hoc quispiam putet, quod in parte seu in partibus, et non in toto agro thesaurus iste absconditus vel demonstrandus sit. Ad hæc inquam : Non in partibus, sive per partes, sed in toto, vel per totum, per omnes terminos agri hujus, thesaurus iste absconditus jamdudum inventus et adhuc inveniendus

est. Quid illud totum est? Nimirum omne quod ab initio creaturæ usque nunc Deus operatus est. Breviter hic percurrere libet terminos agri, distinctiones operum utilium, de quibus omnis Scriptura sancta consistit, jamque promittere quod nusquam in omnibus his desit, per ipsam designata litteram, cooperatio Trinitatis. Primum est creatio cœli et terræ, sequens conditio creaturæ angelicæ, post hæc plasmatio hominis cum benedictione plasmatoris sive Creatoris; deinde post diluvium benedictio reparandi generis humani de hominibus paucis, post hæc facta ad Abraham promissio beati seminis, quod est Christus, deinde descensus Dei in Ægyptum ad liberandum populum suum, post hæc modus benedictionis, quo peracto tabernaculo Moyses filii Israel benedicere jussus est, deinde sermo qui de ædificanda B domo Domini ad David factus est, simulque sacramenta psalmorum et præconia prophetarum, post hæc consolatio sive reversio captivitatis de Babylone. Deinde Machabæorum victrices pugnæ. Per hos omnes terminos extenditur ille ager, et in his omnibus iste thesaurus absconditus est, et ut manifestius dicam, ex istis operibus Dei sancta vetus Scriptura conscripta est, et in singulis horum sanctæ Trinitatis comparationem non defuisse certum est et hoc præsenti opere demonstrandum est. Quod cum demonstratum fuerit, subsequetur opus clarissimum Dominicæ Incarnationis, Passionis, Resurrectionis atque Ascensionis, et adventus Paracleti Spiritus sancti, quod videlicet opus nostra quantulacunque declamatione tanto liberius tantoque vehementius personare poterit in gloria sanctæ Trini- C tatis, quæ ab hinc prædicatione publica per totum mundum cœpit annuntiari, quanto pluribus corroborata fuerit testimoniis ex dictis seu rebus gestis præcedentium ætatum sæculi. Igitur ab initio creaturæ jam nunc exordiamur cursum suscepti operis.

CAPUT V.

De capite libri: « In principio creavit Deus cœlum et terram, » qualis ibi sit absconsio hujus thesauri, et quod filius principium sit, sicut ipse dixit: « Ego principium qui et loquor vobis. »

« In principio creavit Deus cœlum et terram: Terra autem erat inanis et vacua et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* I). » Ecce qualis absconsio thesauri. D Non nos pigeat, neque fastidium cuiquam pariat frequentatio hæc nominum istorum thesauri, et absconsionis ejus. In inventione gaudium est, et gaudium circa inventum, discurrens libenter eadem repetit; facit enim loqui ex abundantia cordis (*Matth.* XII). Ecce ergo qualis absconsio. Cum sanctæ Scripturæ spiritus in isto capite libri sanctam Trinitatem velit intelligi, unam tantummodo personam parvo subtegens velamine, faciem ejusdem Trinitatis sapientibus et prudentibus abscondit, revelaturus eam parvulis. Quo sub velamine, quam personam abscondit? Nimirum personam Filii, sub velamine

A nominis principii. Sapientes quippe et prudentes id est superbi, qualium quidam dicebant eidem incarnato Filio Dei, « Tu quis es (*Joan.* VIII), » in hoc dicto: « In principio creavit, » nihil aliud invenerunt aut invenire voluerunt, quam ac si diceretur, primo vel primitus creavit, quo sensu et poeta et bucicus, licet insignis dicere potuit:

Principio cœlum, terram, camposque liquentes.
Lucentemque globum lunæ, titaniaque astra,
Spiritus intus alit.

(VIRG., VI *Æneid.*)

At ille parvulos attendens, qui eum erant audituri, interrogantibus, ut jam dictum est, « Tu quis es? Principium, » ait, « qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). » Hoc dicens, nimirum locum istum, caput istud sanctæ Scripturæ retexit, ita ut non dubites eum te velle simul agnoscere illud quoque quod in Psalmo dicit ipse: « In capite libri scriptum est de me (*Psal.* XXXIX) » Quod est enim caput libri, nisi hoc initium omnium Scripturarum veritatis? Omnis quippe Scriptura sacra, Scriptura canonica, unus liber est, qui ad unum tendit, et ab uno Deo profecta, uno eodemque spiritu conscripta est. Econtra scripta omnia quæcunque non veniunt ex eodem spiritu veritatis, plures sunt libri Propterea sapiens Ecclesiastes dicit: « Faciendi plures libros nullus est finis (*Eccle.* XII). » Igitur « in principio creavit Deus cœlum et terram, et Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* I): » splendidum caput libri gloriam prædicat sanctæ Trinitatis. Fugiant qui oderunt eum a facie ista, sicut fugiebat tunc et accedere timebat Israel carnalis, quando ex collocutione Dei splendida facta est facies Moysi (*Exod.* XXIV).

9 CAPUT VI.

Quam ob causam Filium sive Verbum Dei principium decuerit nuncupari.

Quam autem ob causam Filium sive Verbum Dei, principium decuit nuncupari? Nimirum quia omnia per ipsum facta sunt. Verumtamen adhuc pro causa præsenti parum dictum est. Nam non solum per ipsum, verum etiam propter ipsum omnia facta sunt. Sic enim Apostolus dicit: « Decebat enim eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare (*Hebr.* II). » Hæc est causa vera, causa digna tanti hujus nominis, scilicet principii, quia ipse est « propter quem omnia et per quem omnia: » ipse, inquam, est omnis creaturæ principalis et efficiens causa Dicit aliquis: Et Deus Pater, nonne principium est? Plane principium Pater, principium Filius, principium Spiritus sanctus. Verumtamen non tria principia, sed unum principium, sicut non tres dii, sed unus est Deus. Cur ergo in isto capite libri, solum Filii personam, inspirator sanctæ Scripturæ, Spiritus Dei, principium nuncupare voluit? Ad hæc inquam: Omnis iste liber, omnis sancta Scriptura, cujus caput hoc est: « In principio creavit Deus cœlum et terram, » cui creaturæ vel propter quam scriptus est creatu

ram? Nimirum propter creaturam humanam, ad A instructionem creaturæ humanæ sancta Scriptura condita est. Huic creaturæ sine dubio una hæc persona, Filius Dei, triplici modo principium est. Duobus modis tam angelicæ quam humanæ creaturæ principium est, videlicet quia et propter ipsum et per ipsum omnia, sicut jam superius dictum est; tertio modo, solius creaturæ humanæ, quia per passionem salutis nostræ auctor consummatus est; salutis, inquam, nostræ princeps et principium est. Quod futurum non latebat Moysen, cum istam Scripturam digito Dei prædoctus scribere inciperet. Bene igitur et venerabiliter secundum rei veritatem pro Ben, id est pro filio, Bresith, id est principium, posuit, principuim nuncupans Filium Dei. Propter quem et per quem nos condidit, vidit, et salvandos B fore prævidit? Proinde considerandum quia, licet Pater quoque principium sit, licet Pater et Filius et Spiritus sanctus, sicut jam supradictum est, unum principium sit, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* XI), nusquam tamen vel Pater, vel Spiritus sanctus legitur ita manifeste principium se nominasse, sicut Filius se nominavit, dicendo Judæis: « Ego sum principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII).

CAPUT VII.

De eo quod in Psalmo dicit Pater Filio: « Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. »

Et quidem in Psalmo Dominus Domino, Pater Filio dicit: « Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum C genui te (*Psal.* CIX), » et hoc ita intelligitur, ut dicat filio David, Domino David: Pater Deus, ego principium tecum sum, tecum operor in die virtutis tuæ, in processu victoriæ vel resurrectionis tuæ, quo videlicet die sancti splenduerunt depulsis tenebris, et accepta remissione peccatorum: ego inquam, « principium, » id est Pater, qui « ex utero ante luciferum, » id est, ante omnem creaturam, « genui te. » Nam Lucifer qui cecidit, quia principium esse voluit, fuerit quidem principium viarum Dei, sed junior te exstitit (*Job* XL). Verumtamen expositio hæc, qua Pater principium in hoc versiculo intelligitur, scrupulosa est infirmis intellectibus, quod experimento didicimus. Putant enim ex hoc libere posse dici quod Pater sit principium Filii, et D ad eumdem sensum pertrahere nisi sunt illud quod dicit Apostolus: « Caput autem Christi Deus (I *Cor.* XI). » Ut ergo scrupulum omnem amoveat, et illæso calle fides procedat, sciendum quia littera præscripti versiculi nullam nobis necessitatem imponit, ut Pater intelligatur nomine principii. Cum enim dicit (*Psal.* CIX): « Dixit Dominus Domino meo, » id est Pater Filio, Deus Christo, « tecum principium, » hoc recte intelligitur ac si dicat: Idcirco « sede a dextris meis, » idcirco « dominare in medio inimicorum tuorum, » quia Deus es, et non homo tantum Verbum et non caro tantum. Denique hoc idem sonat: « Tecum principium. » Cum natura humana, secundum quam visus vel reputatus es novissimus virorum, divina natura est in unitate, antiquum et increatum principium (*Isa.* XXXV). Quid aliud loquitur Petrus in Actibus apostolorum, dicens de hoc eodem Domino: « Qui pertransivit benefaciendo omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum eo? » (*Act.* X.) Nimirum non sicut dici poterat, fuit Dominus cum Moyse, et sicut ad Josue Dominus dicit: « Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum (*Josue* I); » non, inquam, ita dictum accipimus, « quoniam Deus erat cum illo, » scilicet Christo; sed ita ac si diceret, quoniam ille non tantum homo, sed et Deus erat et homo. Similiter cum hic audis dicentem Patrem Deum ad mediatorem Dei et hominum Jesum Christum: « Tecum principium, » ne occasionem sibi porrectam arbitretur Arius, ut dicat, quoniam principium se hic appellat Pater, ergo ille principium Filii est, et hinc dicit Apostolus: « Caput autem Christi Deus (*Ephes.* V), » compendio fac litis finem: sentiens et principium, id est Deum sive Verbum, et hominem assumptum unam esse personam, Jesum Christum, cujus humanæ naturæ ipsa, quæ illi insita est, verbi Divinitas, et principium, et caput, et Deus est. Amplius autem et Pater, et Filius et Spiritus sanctus, indivisa Trinitas, unum principium, unus Deus, unum caput est.

CAPUT VIII.

Item de causa nominis principii, et de eo quod Apostolus ait: « Propter quem omnia, et per quem omnia.

Multa hinc jam dici poterant collectis de thesauro Scripturarum testimoniis fidelibus, sed quoniam secundum ordinem Scripturarum procedere nobis propositum est, succingi oportet, jamque per aliud simile demonstrare, quamobrem scriptori Moysi, imo ipsi, qui per Moysen locutus est et scripsit digito Dei, Filium seu Verbum Patris, principium in isto capite libri nuncupare placuerit. Jam quidem supradictum est, quia « propter ipsum et per ipsum omnia, » et ob hanc causam recte illum hoc nomine præscribi, sed adhibita similitudine melius eadem causa complacebit. Virum esse caput mulieris Apostolus dicit, idcirco quia non « propter mulierem vir, sed propter virum mulier (*I Cor.* XI) » facta est. Dixit enim Deus: « Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sui (*Gen.* II). » Illud isti simile est. Quod enim aliud habuit exemplar, ut taliter prius virum, et deinde propter virum ac de viro mulierem faceret, nisi Verbum suum, Filium suum, « propter quem et per quem omnia » facta sunt? Denique quod fuit uni viro mulier una, hoc est, et hoc futura **10** erat uni Filio Dei, una omnium sanctorum angelorum atque electorum hominum Ecclesia. Differt tamen in facturis, sicut præpositiones grammaticæ, ita et veritas intelligentiæ. Nam et propter virum et de viro mulier facta est, Ecclesia vero propter Filium, sed non de Filio; non, inquam, de ipsa divina substantia crea-

tura ulla creata est. Unde Apostolus recte dixit : « Propter quem omnia, et per quem omnia (*Hebr.* II). » Et evangelista : « Per ipsum, inquit, facta sunt omnia (*Joan.* I). » Per hoc ergo simile valet aliquatenus mente percipi, quam recte Filius Dei principium in initio creaturæ nominatus sit, quia, si vir caput, id est principium mulieris recte dicitur, idcirco quia propter eum mulier facta est, multo magis sine dubio Filium Dei recte principium Scriptura nuncupat, idcirco quia propter ipsum et per ipsum omnia.

CAPUT IX.

Quod altius sonet hoc nomen principium dictum Judæis, quam si dixisset : Filius Dei sum, vel Christus ego sum.

Cum igitur ab hoc testimonio capitis libri principium se esse asserit, hoc modo respondens Judæis : « Principium sum, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII), » sanctum ac venerabile est perpendere quomodo et malignam illorum intentionem eludit, et veritatem essentiæ suæ non solum non abscondit, imo altius depromit. Altius quippe sonat hoc nomen principium quam si dixisset : Filius Dei sum, vel Christus ego sum. Cui enim angelorum vel hominum licet aut congruit ut vocetur principium ? Incommunicabile est ulli creaturæ hoc vocabulum. Qui dicere ausus fuit : « Ego feci memetipsum (*Ezech.* XXIX). » hoc enim apud Ezechielem dixisse redarguitur per Spiritum propheticum, quod idem est ac si diceret : Ego sum principium, propter hoc ipsum cecidit angelus, et factus est diabolus. Porro nomen hoc quod est Filius, communicabile est, et ipse pueris suis communicavit sive participavit, quia communicaverunt carni ejus et sanguini, quemadmodum et in Psalmo Spiritus sanctus longe ante protestatus est : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Nec vero illud repugnat quod Apostolus dicit : « Cui enim angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu (*Hebr.* I), » subjungit enim : « Ego hodie genui te, » quod totum nulli unquam alii dictum, aut dicendum est. Christus quoque communicabile nomen est, verbi gratia cum ipse Deus in Psalmo loquens de patribus Abraham, Isaac et Jacob : « Nolite, inquit, tangere christos meos (*Psal.* CIV) ; » igitur et altius, ut jam dictum est, veritatem essentiæ suæ deprompsit, dicendo principium tanquam si diceret : Filius Dei vel Christus ego sum, et malignam intentionem illorum sic elusit, ut non possent eum accusare apud Romanum imperium, quasi de assumptione regii nominis. Sic et in loco alio, dum circumdantes illum dicerent : « Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* X), » non statim ascendit contra eos dicendo, Christus ego sum, sed quasi gyrando post eos, et aliqua locutus de se Pastore et ovibus suis, quam videlicet professionem, si de illa accusaretur, non multum curarent Romani, tandem dixit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X), » quod nimirum
A longe est altius quam si dixisset. Ego sum Christus, quia sicut jam dictum est, multi dicti sunt christi, in tantum, ut Saulem quoque reprobum David nominare non dubitaverit Christum Domini (*I Reg.* XXIV).

CAPUT X.

Quomodo Pater, et Filius et Spiritus sanctus unum sit principium, et quam ob causam magis de persona Filii scire oportuerit, visum esse principium.

De persona Filii pro posse hactenus dictum est, quam ob causam recte et rationabiliter principium debuerit nominari ; nunc de persona Patris, quod et ipse principium sit, non necesse est artis similiter demonstrare Scripturarum testimoniis. Omnis enim concertatio pravitatis hæreticæ seu perfidiæ
B Judaicæ, non tam circa Patris quam circa Filii personam oberrare consuevit : qualium acerrimi fuerunt Ariani, qui non solum verbis refragati sunt huic veritati, quam tenet Ecclesia Dei de coæternitate Patris et Filii, verum etiam gladiis eamdem veritatem persecuti sunt, volentes quidem Patrem increatum, Filium autem creaturam dici vel haberi. Quod si quis in initio Evangelii secundum Joannem, dum dicit : « In principio erat Verbum, » Patrem velit intelligi per principium, ut sit sensus, in Patre erat Verbum, vim facit litteræ, nec locum relinquit sequenti sententiæ, quæ præmisso : « In principio erat Verbum, » statim subjungitur, « et Verbum erat apud Deum. » Quid enim operabitur, « et Verbum erat apud Deum, » si idem intelligis in
C hoc dicto : « In principio erat Verbum ? » Melius ergo atque expeditius, « In principio erat Verbum, » sic intelligimus, ac si dicat : Ante sæcula erat Verbum Dominus Christus, qui homo apparuit in fine sæculorum. Hæc enim intentio est illius sancti Evangelii defendere vel protestari antiquitatem Christi Filii Dei, quod non ex Maria initium habuerit existendi, sicut tunc aiebant, et concertare cœperant quidam hæretici, interim dum in Pathmos insula exsulavit ille dilectus discipulus Domini, qui et propter eamdem causam novissimus hoc Evangelium scripsit ; sic ergo, ut jam dictum est, intelligi congruit : « In principio erat Verbum, » Christus nec ex Maria sumpsit existendi initium, sed Deus erat ante sæcula, qui homo factus est in fine sæculorum.
D Hæc idcirco dixerim, non quod Pater et principium non sit, nam et hoc superius dixi, quod et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus beata Trinitas unum principium est, sed quod propter vel contra hæreticos magis personam Filii, quod personam Patris opus erat defendi testimonio Scripturarum, per hoc nomen quod est principium, quod non ipse factus vel creatus sit, imo propter ipsum, et per ipsum omnia facta sunt, et in hoc fuerit intentio Moysi, sive ejus in quo ille scripsit digiti Dei, dum in capite libri talem præmitteret sententiam ; « In principio creavit Deus cœlum et terram. »

CAPUT XI.

De Spiritu sancto vel processione Spiritus sancti, quod tribus modis facta sit. Primo ad creandum omnia, quod dictum est : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas ; » secundo, ut spiritualibus donis exornaretur creatura ; tertio, ut in remissionem peccatorum daretur, quod ante Christi adventum non fiebat.

Invenisti igitur, o homo, thesaurum hic, et thesaurus totus expressa est sancta Trinitas subsequente protinus hoc dicto : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. » Nam qui creavit Deus, ipse Pater est ; et principium in quo creavit, Filius est, et « qui ferebatur super aquas Spiritus Dei, » ipse Spiritus sanctus est. De istius sanctæ **11** Trinitatis persona tertia non ab re illud quæritur, imo quæsitu et scitu dignum est, cur et hic, et per omnes fere veteris instrumenti paginas vocetur Spiritus Dei sive Spiritus Domini ; in Evangelio autem, et ab ipso exordio Evangelii secundum Lucam nominetur Spiritus sanctus absque relatione Dei vel Domini. Sic enim esse advertere poteris, si mente vel sedula intentione percurras Scripturas utriusque Testamenti Veteris et Novi. Hoc ergo si quæras, utilem cito solutionem invenis, quia spiritus ejusdem processio, quem procedentem sancta Christi Ecclesia nuncupat, auctoritate ipsius dicentis : « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (*Joan.* xv) ; » ejus, inquam, processio tribus effecta est modis secundum Scripturas veritatis. Primo, ut in principio, de quo jam dictum est, crearentur omnia, secundo, ut spiritualibus donis humana exornaretur creatura, inter quæ maximum est illud quod locutus est per prophetas ; tertio, ut in pœnitentiam et remissionem peccatorum daretur quod ante Christi adventum non fiebat. His ante perspectis, patenter intelligis quia ubi primo processit ad creandum omnia, sicut hic habes : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* I). » recte dictus est Spiritus Dei, quo nomine intelligitur, sicut ait Pater Augustinus, quod sit ipse bonitas Dei, « etenim quia bonus est, ait, Deus, idcirco omnia creavit. Et ubi dona sua distribuit, ibi scribitur Spiritus Domini : » exempli gratia, ut illic : « Et recessit Spiritus Domini a Saul, et ferebatur in David (*I Reg.* XVI). » Et ubi remissionem peccatorum cœpit operari, scilicet ab adventu Christi Filii Dei, glorioso vocabulo Spiritus sanctus cœpit nuncupari. Denique ante adventum ejusdem Filii Dei, dabatur quidem in divisionem gratiarum, sed non etiam in remissionem peccatorum. Unde est illud : « Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus (*Joan.* VII). » Quia ergo ipse est omnium peccatorum remissio, nostra est sanctificatio, pulchre ex ore nostro tali honoratur vocabulo Spiritus sanctus, non quod sanctificatus, imo quod sanctificans sit, sive sanctificator, et ipsa sanctificatio. Verum de hujusmodi suo loco plenius dicendum erit nunc ordinem servaturi redeamus ad caput.

CAPUT XII.

Cum et Pater sit Spiritus, et Filius Spiritus, quam ob causam hoc ipsum substantiale nomen, scilicet Spiritus, huic uni personæ sæpius in Scripturis sanctis assignatur.

Quamvis hic solam hanc personam Spiritum nuncupaverit Scriptura, dicendo : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas, » nihilominus tamen et ipse Deus, cujus hic Spiritus prædicatur, et ipsum principium, id est Filius, in quo « Deus creavit cœlum et terram, » Spiritus est, et non tres spiritus sed unus, sicut non tres dii sed unus Deus. Unde in Evangelio, cum dixisset Dei Filius : « Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, nam et Pater tales quærit qui adorent eum, » protinus subjunxit : « Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (*Joan.* IV). » Quibus in verbis non illud intenditur, ut spiritus subjectum, et Deus prædicatum sit, et iste sensus sit, Spiritus sanctus est Deus, licet et hoc suis in locis recte prædicetur, sed hoc nimirum ut Deus subjectum, et Spiritus sit prædicatum, sitque sensus, Deus est Spiritus. Quia videlicet sancta Trinitas, quæ hic, ut jam dictum est, intelligitur : « In principio creavit Deus cœlum et terram, et Spiritus Dei ferebatur super aquas, » sicut unus Deus, ita veraciter unus prædicatur et intelligitur Spiritus. Quam igitur ob causam hoc ipsum substantiale nomen, scilicet Spiritus, sæpius in Scripturis sanctis huic uni personæ assignatur ? Nunquid eo quod subtilior sit natura, cum sit una summæ Trinitatis natura vel substantia? Non utique subtilior est, neque enim ulla est substantiæ dissimilitudo, sed est hujus personæ propria quædam valde subtilis operatio. Sic enim Spiritus iste intelligitur in Deo, quomodo in anima conscientia sua sive intentio. Denique et Apostolus cum dixisset : « Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. » Continuo subjunxit : « Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei (*I Cor.* II). » Virtus Altissimi est hic Spiritus Patris, et Filii, utramque enim et personam, hic recte intelligimus in nomine unius Dei, cum dicitur spiritus Dei, et in isto capite libri et in toto libro, id est Scriptura sacra, ubi passim prædicatur Spiritus Dei, vel Spiritus Domini. Quod si distinctio personarum in hac ipsa relatione desideratur, exemplum in promptu est, cum in Evangelio Dominus dicit : « Non enim vos estis qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* x). » Et Apostolus ad Galatas : « Quoniam, inquit, estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra (*Gal.* IV), » et alibi loquitur : « Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus (*Rom.* III). » Virtus, inquam, Altissimi est, sicut et Filius fortitudo vel brachium Domini, hoc in sua operatione proprium habens, quod per brachium quidem Domini, id est per Filium, facta omnis natura, vel formata est omnis creatura sive substantia, per hunc autem vivificata est, et vivit

Deo omnis electa rationalis creatura, tam angelica A quam humana.

De processione Spiritus sancti, cujus videlicet processionis illud erat initium, quod ferebatur super aquas, et quousque in opere suo processerit hic Spiritus Dei.

Jam supra mentio incidit de eo quod hunc Spiritum Dei sancta Ecclesia procedentem appellari consuevit apellatione solemni, auctore ipso Filio Dei, qui primus hoc verbo usus est, ubi dixit : « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (*Joan.* xv) » Unde sumptam putas verbi sive vocabuli hujus auctoritatem, nisi ex hoc eodem capite libri, quia sic dictum est : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas ? » B Quidnam ferri super aquas, nisi jam procedere erat ? Cuncta quæ locutus est homo factus, et inter homines ambulans, et docens Filius Dei, nimirum auctoritatem habent de sanctis Scripturis, et in suas aspiciebat etiam cum nova putaretur loqui, juxta quod de semetipso dilecta in Canticis jamdudum dicebat : « Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum quæ lacte sunt lotæ et resident juxta fluenta plenissima (*Cant.* v.) » Itaque sicut certum habemus, quia dicendo : « Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* VIII), respiciebat, sicut superius memoratum est, ad istud caput libri, quo dictum est : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » ita et ubi Spiritum sanctum procedentem dixit, non dubitemus eum respexisse istud quoque, C quia scriptum erat : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. » Magna res et processio Spiritus sancti, cujus videlicet processionis illud initium erat quod ferebatur super aquas. Levemus oculos nostros, oculos hominis interioris, oculos fidei diligentis et intellectu quærentis, et videamus quousque in opere suo processerit hic Spiritus Dei, et tunc aliquantisper
12 perpendere poterimus dignitatem, sive pondus dicti hujuscemodi spiritus « veritatis, qui a Patre procedit. » Certe cum procedere inciperet, quando ferebatur super aquas, terra de nihilo facta « inanis erat et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi (*Gen.* I). » Nunc autem qualis est terra et quid in ea factum est ex Omnipotentia procedentis ? Parum est attendere quod in primis facta est lux intellectualis. Deinde firmamentum in medio aquarum D dividens aquas ab aquis, deinde ex arida, quam appellavit terram, productio omnis herbæ virentis, et omnis ligni fructum facientis, et semen suum in semetipso habentis. Deinde omnis ornatus firmamenti sive cœli, sole et luna ac stellis miro ordine dispositis. Deinde omnis creatura quæ in aquis natat, quæ super terram in aere volitat, quæ per terram sive quadrupes, sive bipes ambulat, aut sine pedibus reptat, ad summum quæcunque Deo dicente facta, Deo mandante sunt creata, quorum novissimum atque pulcherrimum est creatura humana, et de quibus omnibus scriptum, et quia « vidit Deus omnia quæ fecerat, et erant valde bona. » Parum, inquam est attendere hæc in processione hujus Spiritus Dei, nisi levatis, ut jam dictum est, oculis videas quousque processerit, et adhuc in opere suo processurus sit, videlicet donec sedeat Filius hominis in sede majestatis suæ, potestatem habens faciendi judicium a dextris et a sinitris ; Filius, inquam, hominis principium creaturæ et summa creationis sive processionis hujus Spiritus Dei, quia propter ipsum et per ipsum omnia facta sunt, sicut supra memoratum est cum testimonio sermonis apostolici, quo dixit : Decebat enim eum, propter quem omnia et per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari (*Hebr.* II). »

CAPUT XIV.

Item de processione Spiritus sancti, quid differat a processione Filii, quoniam dixit Filius : « Ego enim ex Deo processi et veni. »

Sequamur attentius cum glorificatione Trinitatis majestatem hujus processionis, et hoc nobis sit formare vel jure sacerdotali edere panes propositionis de mensa sanctuarii cœlestis, quam Domini in conspectu nostro paravit (*Psal.* XXII), quod Scripturas veritatis fideliter tractando, dignas Deo, quoad possumus, facere possumus hostias pulchræ laudationis. Dicendum in primis, ipsa processio vel ipsum procedere quid sit, deinde quid distet inter processionem Spiritus sancti et processionem Filii, quoniam et ipse de semetipso loquens, hoc verbo usus est, dicendo Judæis : « Si Deus Pater vester esset, diligeretis utrumque. Ego enim ex Deo processi et veni. Neque enim a meipso veni, sed ille me misit (*Joan.* VIII). » Duo verba dixit, » processi et veni, » et nimis augustum est, si in his duobus verbi unum idemque intelligere velis, scilicet nihil aliud quam quod in hunc mundum veniens, qui invisibilis erat apud Deum, visibilis per assumptam carnem apparuit. Latior sensus et amplioris intelligentiæ lumen est, si duas nativitates ejus suscipias in his duobus verbis, « processi et veni ; » nativitatem humanitatis, qua ex substantia Patris ante sæcula genitus est ; et nativitatis, ipsius humanitatis, qua ex substantia matris in sæculo natus est. Quamvis et hoc quod venit prodiens ex Virginis utero, procedere fuerit, sicut scriptum est : « Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Item, in alio Psalmo dicitur ei : «Intende prospere, procede et regna (*Psal.* XLIV). » Quod recte intelligitur de præsenti humanitatis ejus vita, juxta quam veraciter dictum est : « Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia (*Luc.* II), videlicet, eo usque proficiens, ut appareret dictis et factis, quod ipse esset ipsa Sapientia ; et sicut dictum ita et factum est, quia prospere processit per annos paulo plusquam triginta et tam brevi exacto tempore, ecce nunc regnat in potestate magna quemadmodum dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Verum nos hic agimus de illo antiquiore processu

ejus de quo non sine magno pondere dixerit : « Ego enim ex Deo processi (*Joan.* VIII). » Quisnam ille processus, sive illa processio quæ fuit, nisi illa mirabilis atque ineffabilis dilectio dicentis : « Fiat lux, fiat firmamentum (*Gen.* I), » fiant luminaria et cætera omnia, de quibus Psalmista, contemplator illius dicti sive verbi : « Statuit, inquit, ea in sæculum et in sæculum sæculi, præceptum posuit et non præteribit (*Psal.* CXLVIII). » Igitur ut supra propositum est, in primis dicendum nobis, ipsa processio, vel ipsum procedere quasi sit et deinde processio Filii qui dixit : « Ego enim ex Deo processi, » in quo differat a processione Spiritus sancti, de quo idem dixit : « Quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (*Joan.* XV). »

CAPUT XV.

Quid sit processio, sive procedere, et cur de semetipso loquens, præterito tempore dixit, « processi ; » de sancto autem Spiritu dixit præsenti tempore, « procedit. »

Processio est solemnis egressio personarum maxime spectabilium, non sine quadam gravitatis festivitate suam præsentiam exhibentium, taliter ut venerationem quoque digne mereantur a conspectu plebium, magna, ut sæpe fit cum jucunditate occurrentium, magno cum gaudio deducentium. Et nostrum quidem procedere, qui locales sumus, est proficisci de loco ad locum : Divinitatis vero localis non est, licet interdum locus illi ascribatur, exempli gratia, cum dicit quispiam : « Vere etenim Dominus est in loco isto, et ego nesciebam (*Gen.* XXVIII). » Est autem processio divinitatis effectus mirandi operis, unde sic perpenditur, sic mente conspicitur, majestas tantæ dominationis, sicut ex facie cognoscitur dignitas hominis reverendi, de loco ad locum venerabiliter procedentis. Igitur effectus operis, si dociles, si attenti, si benevoli sumus ad contemplandam pulchritudinem tantæ processionis, docere nos potest, ut cognoscamus Dominum majestatis : Dominum, inquam, majestatis, Filium qui jamdudum processit, Dominum majestatis nihilominus Spiritum sanctum qui adhuc procedit. Hæc denique discretio in temporibus verbi hujus prudenter audienda est, quia de semetipso loquens Filius Dei, secundum præteritum tempus dixit : « Ego enim ex Deo processi (*Joan.* VIII), » de sancto autem Spiritu loquens præsenti tempore dixit : « Qui a Patre procedit (*ibid.* XV). » Proinde nimis incongruum esset, ambos, scilicet Filium et Spritum sanctum dicere procedentes, cum procedens participium sit temporis præsentis, sicut et Verbum procedit, quod de solo Spiritu sancto dictum est, Filius autem jamdudum, sicut dictum est, processerit, cujus processio fuit ille effectus operis, a quo Deus, qui per illum omnia creavit, jamdudum cessavit, sicut manifeste Scriptura dicit : « Et requievit Deus die septimo ab universo opere quod patrarat, et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret (*Gen.* II). » Nullam quippe novam creaturæ speciem deinceps creavit, quam ante illam requiem suam in genere suo non creavit.

13 CAPUT XVI.

Quod neque Filius ad creandum omnia processerit absque cooperatione Spiritus sancti, neque Spiritus sanctus ad sanctificandum procedat absque cooperatione Filii.

Nunquid vero processionem Spiritus sancti qua nunc usque procedit ad sanctificationem creaturæ rationalis, secernimus aut secerni patimur processione Filii, quæ, sicut jam dictum est, dudum processit et procedere, id est, novas creaturæ species condere vel patrare cessavit ? Nunquid hoc dicimus, aut dici vel æstimari patimur, quod Filius ad creandum processerit absque cooperatione Spiritus sancti, aut Spiritus sanctus ad sanctificandum procedat absque cooperatione Filii ? Absit hoc ! Inseparabilis enim est totius operatio Trinitatis, unius Dei, unius et inseparabilis imperii, et tunc, quando processit Filius ex ore Patris dicentis, fiat hoc vel illud, ductor totius operis erat Spiritus sanctus, et nunc, quandiu ad sanctificandum procedit Spiritus sanctus, ferturque super aquas baptismi, et idem ipse « qui ferebatur super aquas » in initio, sicut Scriptura dicit. Filius arbiter et efficiens causa est ejusdem sanctificationis. Et illic : ubi Deus Pater cum Spiritu sancto per Filium cuncta creavit (omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil), et hic ubi Deus Pater cum Filio sanctificat electionem creaturæ rationalis, deliciæ parantur, vel perficiuntur cooperatione totius Trinitatis, illæ nimirum deliciæ charitatis, quarum ita meminit Sapientia Dei, Filius Dei memor ejus, quam dicimus suæ processionis : « Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, et delectabat per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII). » Quidnam est hoc, nisi ac si diceret, quando dixit Deus « Fiat lux, » quando dicebat, « Fiat firmamentum in medio aquarum, congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, » quando, inquam, hæc et cætera dicebat et per singulos dies videbat « quod esset bonum (*Gen.* I), » ego procedebam ex ore ejus, ego enim sum illa dictio, sive Verbum ejus. Igitur processio Filii tempore vel loco a processione Spiritus sancti non secernitur, quia videlicet, tunc ista facta sunt, quando Spiritus Dei « super aquas ferebatur ; » et sicut Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus unus Deus, ubique est, et nullo loco concluditur. Tantum in effectum operis distantia agnoscenda est processionis utriusque, scilicet Filii et Spiritus sancti, quia videlicet a conditione creaturarum sive substantiarum, quæ utique per Filium factæ sunt, omnia enim per ipsum facta sunt, « septimo die

Deus requievit. » A sanctificatione vero creaturæ rationalis (quod opus per Spiritum sanctum fit) nondum Pater aut Filius requievit, nondum cessavit, unde dixit et Judæis idem Filius Dei: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* v). » De illis deliciis Sapientiæ dicentis : « Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* viii), » suo loco in illo speciali opere Trinitatis, scilicet in factura vel plasmatione hominis, erit plenius dicendum

CAPUT XVII.

Contra illos qui dixerunt Spiritum sanctum a solo Patre, et non etiam a Filio procedere, dictum a Sapientia : « En proferam vobis Spiritum meum, et ostendam verba mea. «

Eadem ipsa Sapientia dicit parvulis: « En proferam vobis Spiritum meum, et ostendam verba mea (*Prov.* i) » Quid hoc est, nisi quod facturam se prævidebat, jamque fecit ipsa incarnata Sapientia ? Cum enim resurrexisset a mortuis, stans in medio discipulorum suorum, insufflavit et dixit eis: « Pax vobis, accipite Spiritum sanctum (*Joan.* xx), » et sicut alius evangelista dicit : « Tunc aperuit sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* xxiv). » Nonne hoc erat Sapientiæ, id est de Filio [Filii] Dei, procedentem de semetipso dare vel proferre Spiritum suum, Spiritum sanctum, et ostendere verba sua ? Item in eodem libro scriptum est : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* ix). » Quid hoc est dicere, nisi quia Verbum Dei, Filius Dei naturam assumpsit, sive corpus humanum, et eidem assumpto homini sanctum infudit septiformem Spiritum ? Hæc idcirco dicimus, quia fuere nonnulli maxime Græcorum, qui dicerent a solo Patre et non etiam a Filio procedere hunc Spiritum sanctum, quos tamen sancta Romana Ecclesia, Latinæ Ecclesiæ columna, jamdudum per multa concilia, luce coruscans evangelica et super petram fidei firmiter stans fundata, sic reverberavit, concentorem ex ipis Græcis habens Athanasium catholicum atque orthodoxum, ut jam non sit nobis necesse quidquam addere, nisi quia spontaneum in sermonibus nostris huic processioni offerimus obsequium, et in scribendo de hujusmodi quoddam dulce in palato cordis ruminamus delectamentum. Tunc autem delectamentum hoc duplicatur, et spectatorem tantæ processionis lætificat abundantius, si cum auctoritate Scripturarum ratio quoque suppeditat, ut non dubitet intima fides, quod non minus a Filio, quam a Patre, hic amborum Spiritus procedat, Deus ex Deo, non differens in substantia, par ambobus in majestate, non par in gloria. Igitur ut de ipsa processione utiliter delectemur, et delectabiliter utilia loquamur, dicendum in primis quot sint et qui sint modi processionis ejusdem sancti Spiritus.

CAPUT XVIII.

Ad eamdem veritatis rationem multum illud valere quod ait Filius nocte illa qua tradebatur : « Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam ; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos. »

Jam quidem longe superius prælibatum est, sed nunc repeti, et latius explanari causa postulat, quia processio sancti Spiritus tribus effecta est modis secundum Scripturas veritatis. Primo, ut in principio, id est in Filio, sive per Filium crearentur omnia, inter quæ ubi dictum est : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas, » maxima atque pulcherrima narratur facta esse creatura, lux intellectualis, scilicet creatura angelica. Secundo, ut spiritualibus donis humana exornaretur creatura, inter quæ maximum est illud quod locutus est per prophetas. Tertio, ut in pœnitentiam et remissionem peccatorum daretur, quod ante Christi adventum non fiebat. De isto effectu processionis, quod est in remissionem peccatorum dari, quis dubitet hoc **14** dicere, quia secundum hunc modum Spiritus sanctus a Filio quoque procedit ? Nam de illo quoque dato, quo Spiritus idem divisiones gratiarum distribuit, postmodum dicendum erit, quia nihilominus hoc etiam modo a Filio procedit. De isto nunc dicere præstat quod est in remissionem peccatorum dari, quo sine dato nullus unquam hominum salvari potuit aut poterit. Hoc ergo in primis libenter, ut spero, et efficaciter accipiet auditor fidelis. « Vado, » inquit ipse Filius Dei, « ad eum qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* xvi) » Scio quidem et miror locum hunc a quibusdam magnis et sanctis Patribus sic esse tractatum, ut dicerent apostolos Christi circa ipsum Dominum non potuisse habere dilectionem spiritualem, nisi præsentia sui subtraheret corporalem, atque hoc esse quod dicit : « Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos. » Denique talis hujus præsentis capituli expositio, verticem rei sive majestatem sacramenti de quo tunc agebatur in illa sacratissima cœna, non attingit ; ut dicere non dubitem, quia pro rei magnitudine seu pondere, sensus iste bonus quidem, sed nimium videtur exilis. Amplius autem et hoc dicere licet, quod non idcirco factum est, quod hic prædixerat. « Tristitia implevit cor vestrum, » quia corporalem sui præsentiam ascendens in cœlum, abstulit ab oculis eorum, imo et proinde magis gavisi sunt, sicut Lucas manifestus narrat : « Et factum est, inquiens, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum, et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno (*Luc.* xxiv). » Unde ergo contristari habebant, aut unde tristitia implevit cor vestrum ? Nimirum de morte ejus, de qua tandiu contristati sunt, donec venit Maria Magdalene, resurrexisse illum nuntians his, inquit Marcus, qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus (*Marc.* xvi). Hoccine, inquit, fuit ire ad Patrem, scilicet mori, quoniam dixit : « Et nunc vado ad eum qui misit me. » Plane hoc ad Patrem ire fuit, a quo et coronandus erit gloria et honore propter eamdem pas-

sionem mortis (*Hebr.* II). Annon et hoc evangelista dicit in initio ejusdem sermonis ? « Sciens, inquit, Jesus, quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIII). » Itemque : « Sciens, ait, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit (*ibid.*). »

CAPUT XIX.

Item de eodem dicto, et quod Spiritus sanctus tunc primum appellatus fuerit Paracletus, id est consolator, eo quod sit ipse peccatorum remissio, quam videlicet remissionem peccatorum non dabat prius, nondum glorificato Jesu.

Igitur, ut aliquid dicamus dignum tanta gravitate oris ipsius Domini, dicentis : « Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis (*Joan.* XVI), » simul et illud perpendere operæ pretium est, quia nusquam ante illam sacratissimam Cœnam, in qua sermonem hunc habuit, Spiritum sanctum Paracletum nuncupavit. Eruditæ mentis est, persentire causam nominis hujus, scilicet Paracleti, quod Latine dicitur *consolator*. Quam videlicet causam sentiens, simul etiam percipiet, quia multum pertinuit ad rem, ut tali in tempore potissimum (quod ante non fecerat, neque per semetipsum, neque per prophetas) Spiritum sanctum Paracletum nuncuparet. Quale enim tunc erat tempus, vel quid illo tempore agebatur ? Tempus erat passionis, tempus glorificationis ; etenim hora ejus instabat, ut per mortis passionem transiret de hoc mundo ad Patrem, et idcirco tali transitu mox transiturus erat, ut acciperemus peccatorum remissionem. Neque enim aliter nobis peccata remitterentur aut remittuntur, nisi per san-

A guinem ejus. Et quæ, rogo, prima vel maxima est sanctorum omnium consolatio, nisi peccatorum remissio ? Cum igitur dicit : « Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, » sic intelligi vult ac si dixisset : Si enim per passionem mortis non transiero ex hoc mundo, neque vobis, neque antiquioribus, neque venturis post vos, dabitur Spiritus sanctus secundum hoc datum, quod est peccatorum remissio. Quam propter causam recte dicitur et vere est consolator. Cumque protinus subjungit : « Si autem abiero, mittam eum ad vos, » hoc patenter enuntiat, quod ab ipso procedat hic consolator. Illic Spiritus sanctus peccatorum remissor et ipsa remissio. Et quis, nisi infidelis, dubitare aut nescire vellet, quod de ista persona, de isto Filio Dei, pec-
B catorum nobis remissio processerit ? Nonne hoc ipsum nobis luce clarius facit veritas Evangelii, cum ipse qui dixerat ; « si autem abiero, mittam eum ad vos ; » postquam abiit, rediens et stans in medio discipulorum suorum, insufflans et dicens, « accipite Spiritum sanctum ; » statim subjunxit, « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX). » Et quidem Spiritus sanctus non est flatus corporeus, verumtamen per hoc verbum quod dictum est, « insufflavit, » duo hæc nobis dat intelligi, et quod ex ipso procedat ista paraclesis, et quod per hunc Spiritum sanctum tam facile sit omnia peccata dimitti, quam facile, cum vult, insufflare potest aliquis. Sucurrunt multa cum ratione famulantia veritati huic, et idcirco, ut sermo prolixus minus
C fastidiosus sit, quasi respirandum est faciendo finem præsentis libelli.

LIBER SECUNDUS

15 CAPUT PRIMUM.

De thesauro nominis Domini, quem qui thesaurizant sibi ipsis, juxta beatum Job, reges et consules sive principes sunt.

Qui thesauros nominis tui fideliter thesaurizant sibi, o Trinitas Deus, ipsi reges, ipsi consules sive principes sunt ; de quibus beatus Job, similis talium divitum esse cupiens, loquitur : « Nunc enim dormiens silerem et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines ; aut cum principibus, qui possident aurum et replent domos suas argento (*Job* III). » Quid ergo tantillus, qui thesaurum hunc invenisse me arbitror, absconditum in agro, sicut præscripsi in præcedenti libro ? Putasne sperare audeam, quod cum possedero aurum hoc et domum meam replevero hujuscemodi argento, dormiturus sim in silentio et requieturus somno meo cum illis regibus et consulibus terræ, qui semetipsos regere et aliis suo quisque tempore noverunt consulere. » Cum illis principibus, » id est sanctis doctoribus, qui ut aurum hoc et argentum possiderent, ædificaverunt sibi solitudines sanctæ contemplationis, juxta illam sententiam veram : Scribe sapientiam in tempore otii, et qui minoratur actu ipse percipiat eam ? (*Eccli.* XXXVIII.) O si fiat juxta prævisum olim memorandi Otomatis præsagium ! utinam, Jesu Christe, cunctarum Dominus mansionum qui ostiarius ipse es et ostium, adducas me in domum illorum usque ad pedes, ne dicam consessum ipsorum, scilicet regum, jam dictorum, consulumque ac principium, cum sponsione hac : « Ingredieris in abundantia sepulcrum (*Job* V). » Hac igitur spe cœptum fidelis sermo peragat cursum et procedentis Spiritus sancti cum
D laude et gloria summæ Trinitatis, quoad potest, personet præconium, scrutetur de sanctis Scripturis testimonium.

CAPUT II.

Quod non minus a Filio quam a Patre procedat Spiritus sanctus, et de eo quod ait Filius : « Quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. »

Jam de processione, quia procedit in remissionem peccatorum, pauca dicta sunt et adhuc aliqua dicenda

sunt, pro stipulatione veritatis hujus, quod non minus a Filio quam a Patre procedat hic unus idemque spiritus. Dixit enim ipse Filius : « Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI). » Et de hoc jam dictum est. Restat ut ejusdem Filii dictum pro hoc ipso negotio ad medium deducamus, cui fortiter inniti visi sunt sibi, qui dixerunt, quod a solo Patre, et non etiam a Filio procedat Spiritus sanctus. « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit (*Joan.* XV). » Ecce, inquiunt, quomodo distinxit, quam diligenter expressit. Nam dixit quidem tantum, « quem ego mittam vobis, » sed addidit « a Patre. » Sed nec semel dixisse contentus, ne parum expressisse videretur, subjunxit : « Qui a Patre procedit. » Itaque ad confirmandum quod æque a Filio, ut a Patre procedat Spiritus sanctus, parum illis est, quod dixit Filius pluribus in locis : « ego mittam vobis, » nisi rationem demus, cur vel quid intendens addiderit, « qui a Patre procedit. » Magna plane quæstio, et ad solvendum esset difficilis, si jam constaret et concederemus quod, ubicumque nominatur Pater, una tantum persona debeat intelligi, scilicet Deus Pater unici Filii Jesu Christi. At vero sicut Apostolus dicit : « Unus Deus et Pater omnium (*Ephes.* IV). » et nos in oratione Dominica dicimus : « Divina institutione formati : Pater noster, qui es in cœlis ; » discrete accipiendum est nomen Patris, ut alias intelligitur Pater omnium filiorum adoptionis, alias Pater unici et consubstantialis Filii. Denique nobis, qui non nati, sed adoptati sumus, Pater est unus idemque trinus Deus, Pater et Filius, et Spiritus sanctus ; illi autem qui solus est naturalis Filius, una persona Pater est, et ad illum unicum Filium relative Pater dicitur. Discretionis hujus signum hoc est. In Evangelio est, ubi cum additamento possessivi pronominis dicat hic Filius, Pater meus vel Patris mei ; et est ubi dicat, Pater vel Patrem, et a Patre, sicut hic absque additamentr hujusce pronominis. Quod si diligenter discreveris perpulchrum est animadvertisse, quia cum signanter dicit Pater vel Patris, cum propositione hac meus vel mei, ea quæ tunc loquitur longe communionem excellunt nostræ fraternitatis, scilicet et qualia tunc loquitur, nemini nostrum qui per gratiam fratres ejus vel Filii Dei nominamur et sumus, loqui fas, aut licitum sit. Exempli gratia : « Pater meus, inquit, usque modo operatur ; » quod deinde sequitur, « et ego operor. » Et : « Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. » Et subinde : « Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat (*Joan.* V) ; » hæc et cætera quæ sequuntur, cui filiorum dicere unquam licuit aut licebit, nisi huic unico Filio Dei ? Ubi vero absque pronomine possessivo dicit, Pater, sic loquitur humiliora de se, ut pene congruant vel imitanda sint **16** parvitati nostræ, quorum frater dignatur dici vel esse. Exempli gratia : « Et, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XIV). » Humiliora namque sunt hæc, et assumptæ humanitatis humilitatem, qua sine dubio major est unus Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus sonant ea quæ ibidem loquitur, scilicet hæc : « Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est (*ibid.*). » — « Jam non multa loquar vobiscum : Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*ibid.*), » etc. Promptum esset discretionem istam, fere ubique observatam, in Scriptura Evangelii, nisi longum nimis videretur legenti ; præsertim cum ex paucis istis commonitus, cætera per semetipsum valeat experiri. Qui etsi cantare consuevit ex persona Filii : « Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis (*Joan.* XIV) ; » itemque : « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan.* IV), » sciat evangelistam non scripsisse, meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, sed voluntatem ejus qui misit me ; neque scripsisse rogabo Patrem meum (cum rogare sit naturæ inferioris, et rogatio ejus, sacrificium passionis ejus fuerit) « et ego rogabo Patrem, inquit, et alium Paracletum dabit vobis. »

CAPUT III.

Item de eodem dicto contra hæreticos, quia non sequitur Spiritum sanctum non procedere a Filio propter id quod ait : « Qui a Patre procedit, » imo sequitur Spiritum sanctum Deum esse, qui a divinitate procedat.

Ergo, quoniam procedente Spiritu sancto dixit, « quem ego mittam vobis a Patre, » et meo non addidit ; itemque : « Qui a Patre procedit, » et meo non apposuit : sic tuta et provida fides recte intelligit, a Patre, ac si dixisset a divinitate, quæ scilicet divinitas una Patris et Filii substantia est. Requiratur nunc intentio vel causa propter quam dixerit hic ille testis fidelis, quia, Spiritus sanctus a Patre procedit, et tunc sic sonabit, sic audietur dictum istud ei, « qui habet aures audiendi, » ut vere vox firmamenti, vere sonus sublimis Dei. Quænam intentio vel causa est, nisi ipsa propter quam natus est, et in hunc mundum venit, scilicet in testimonium perhibere veritati ? Sic enim dixit : « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati (*Joan.* XVIII). » Cujus videlicet testificandæ veritatis quæ summa est, nisi quod sit unus verus Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus ? Nimirum ad testimonium hujus veritatis magnifice pertinet illud, quod idem Filius Dei et de semetipso dixit : « Ego enim ex Deo processi (*Joan.* VIII) ; » et de Spiritu sancto testificatus est, « qui a Patre procedit (*Joan.* XV). » Quid enim, o hæretici Ariani, qui dixistis quia Spiritus sanctus creatura est, et vos, o Macedoniani, qui dixistis quia Spiritus sanctus Deus non est ? quid, inquam, o insensati ! quid aliud quam Deus ex Deo processit aut procedit ? « quod natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, spiritus est (*Joan.* III). » Sic procul dubio quod processit et quod procedit ex Deo, Deus est. Processit autem ex Deo Filius, procedit Spiritus sanctus. Ergo

Deus est Dei Filius, ergo Deus est Spiritus sanctus. Ecce quam breve dictum, quam magnum sonat testimonium! Breve dictum est, ergo ex Deo processit, et magnum perhibet testimonium veritati, quod Filius Dei Deus sit. Breve dictum est, « qui a Patre procedit, » et magnum perhibet testimonium veritati, quod Spiritus sanctus Deus sit. Magna hæc vox, ut supra dictum est, firmamenti, magnus hic sonus sublimis Dei, super serpentem antiquum detonans, qui victus est et de cœlo projectus est in terram (*Apoc.* XII), et super aquam doctrinæ nequam, quam misit ex ore suo tanquam flumen post mulierem, id est Ecclesiam, ut faceret eam trahi a flumine, et hac voce confortata terra, adjuvit mulierem, aperiens os suum et absorbens illud flumen, convenientibus, scilicet Patribus de toto orbe terrarum, tanta cum B oris apertione, ut per testimonia Scripturarum annihilarent blasphemias hæreticorum, quorum deterrimi fuerunt Ariani et post illos Macedoniani, qui dixerunt creaturam esse Dei Filium, creaturam et non Deum esse Spiritum sanctum.

CAPUT IV.

Item de eadem sententia, quo pertinuerit, ut in illa sacratissima cœna, qua tradebatur, non contentus dixisse : « Quem ego mittam vobis, » addidit dicens : « qui a Patre procedit. »

Itaque illud, quod cum dixisset Dei Filius : « Paracletum ego mittam vobis a Patre, » et addidit vel repetivit, dicens : « qui a Patre procedit ; » et a Filio non procedit, verum etiam amplius magnificandam, demonstrat majestatem procedentis, ne putet quis, et dicat hæreticus, quis spersat ab homine, et non C procedit ab ipsa substantia. Ecce per simile hoc, quod dicimus, nonnihil adjuvatur intelligentia fidei. Apud Marcum evangelistam cum dixisset : « Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit, » continuo subjunxit : « Et quicunque me suscipit, non me suscipit, sed eum qui me misit (*Marc.* IX). » Humilis enim erat homo inter homines, mortalis inter mortales apparebat, et homo tantum videbatur, et Deus esse non agnoscebatur. Proinde ne diceret aut cogitaret quis : Quid pro magno reputas te suscipi, aut quid magnum est in nomine tuo quemquam recipi, cum et tu homo sis ut isti, quos vis in nomine tuo recipi ? Recte et opportune prosecutus est, « et qui me suscipit, non me suscipit, sed eum qui me misit. » Similiter quando D hæc dicebat, quando Paracletum Spiritum sanctum promittebat, nonne et multo magis homo infirmus, et quasi novissimus virorum apparebat illa qua tradebatur vespera, in illa sacratissima cœna ? nonne, inquam, tunc maxime in infirmitate nostra laborabat, et non erat species ei, neque decor, unde et vidimus eum, inquit propheta, et non erat aspectus (*Isa.* LIII), et desideravimus eum despectum et novissimum, virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus ? Proinde ne majestas Spiritus sancti minor videretur, vel tunc præsentibus vel post futuris, ex eo quod homo ejusmodi dixisset : « Quem ego mittam vobis, » recte et necessario addidit, « a Patre, » et repetens, qui, inquit, a Patre, id est ab altissima procedit divinitate, unde et credi, vel agnosci debet quid sit altissimus ipse. Per hoc ergo simile, sicut jam dictum est, fides debet, ut firmior sit, adjuvari ; præsertim quia non, sicut ubi dixit, « et qui me recipit, » quasi quamdam negotiationem supposuit dicens, « non me recipit, sed eum qui me misit ; » non enim, inquam, sicut illic, ita et hic tali locutione usus est, ut diceret : Quem ego mittam vobis, non ego mittam, sed is qui me misit.

17 CAPUT V.

Item Filium fontem esse processionis hujus, sicut est et Pater, Psalmista dicente : Quoniam apud te est fons vitæ.

Ut igitur hauriamus vitam, et bibentes non sitiamus unquam, accedamus tam scienter, quam fiducialiter ad hunc procedentem, non dubitantes Filium æque ut Patrem hujus esse processionis fontem. Unde et cum Psalmista dicamus tibi, Domine, « Quoniam apud te est fons vitæ *Psal.* XXXV). » Vita enim Spiritus sanctus est ; et « fons vitæ, » Filius Dei est et Dominus cui hæc loquitur : « Domine, in cœlo misericordia tua, » etc., usque « inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eo, quoniam apud te est fons vitæ (*ibid.*), » Deus Pater est. Sic ergo in hoc psalmo intelligimus fontem apud Dominum, sicut in Evangelio, Verbum apud Deum ; flumen et de fonte, et de fontis vena procurrit ; Spiritus sanctus et de Filio, et de Patre procedit. Flumen, inquam, verbi gratia Phison sive Gehon, profluit de fonte qui est apud paradisum (*Gen.* II). « Fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV), » procedit de fonte qui est apud Dominum de Verbo quod est, vel erat apud Deum. Attamen similitudo hæc non est omnino perfecta Nam paradisus et fons, terra et aqua diversa est substantia. Et fluvius localiter egreditur de fonte sive de terra illa. Fons autem et Dominus, apud quem est fons vitæ, et ipsa vita, scilicet Spiritus sanctus, una substantia est. Vide nunc ordinem sive juncturam Verborum. Cum dixissset : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, » causam subjunxit, cur hoc deberet et unde posset fieri, dicens ; « Quoniam apud te est fons visæ (*Psal.* XXXV). » Nam pro posse sive possibilitate talem præsens conjunctiuncula structuram facit. Dixi, « torrente voluptatis tuæ potabis eos, » id est, perfectam et inæstimabilem jucunditatem eis dabis, et hoc bene poteris facere, « quoniam apud te est fons vitæ, » de quo procedit Spiritus sanctus, qui ipse est torrens valuptatis tuæ. Pro causa vero sic : Dixi, « potabis eos, » et hoc idcirco debes facere, quoniam ipsi credunt et confitentur quod sit apud te ille fons vitæ.

CAPUT VI.

Ad eamdem veritatis rationem pertinere quod clamans dixit fons ille : « Si quis sitit veniat ad me, et bibat, » et de fontis ejusdem apertione.

Nonne hoc est quod clamans dixit fons ille Filius ipse ? « Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Cujus rogo magis vel melius congruit quam fonti, ut dicat : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat ? » Habet enim fons quod de semetipso effundat ; habet, inquam, fons vitæ qui apud te est, Domine, vitam, id est, vivificantem spiritum qui ex ipso procedat, et in os sitientis sive bibere valentis, id est in interiora animæ credentis, desiderantis et vivere volentis, larga dignatione influat. Hinc et apud Zachariam prophetam scriptum est : « In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*Zach.* XIII). » Gaudemus enim nomine fontis Christum Dei Filium in hac ratione designari, dum hoc intendimus, quod nulli dubium esse debuerit, quod nunc Ecclesia catholica firmiter credit, quia Spiritus sanctus non minus a Filio quam « a Patre procedit » Primum in remissionem peccatorum, de quo videlicet dato ejusdem Spiritus sancti et hic propheta dicit manifeste « in ablutionem peccatoris et menstruatæ, » scilicet populi utriusque, peccatoris populi gentilis : menstruatæ Synagogæ, cujus ex nobilioribus filiis unus Isaias hoc ipsum confitetur et dicit : Et facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ (*Isa.* XLVI). » Sed nec illud ignotum esse debet, quando vel ex quo die fons iste patens factus sit, et peccatorem sive menstruatam abluerit, quoniam sic dictum est : « In die illa erit fons patens domui David (*Zach.* XIII). » Nimirum dies ille nunc est, dies glorificationis Jesu Christi Domini nostri (*Joan.* XII), ex quo exaltatus a terra ut omnia traheret ad se, cum emisisset spiritum, « unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX). Tunc fons iste patens factus est, et extunc patet, quia non ante, sed extunc Spiritus sanctus in remissionem peccatorum datus est. Eatenus quippe, ut jam dictum et sæpe dicendum semperque sciendum est, in divisiones quidem gratiarum spiritus idem Patribus et prophetis datus erat, sed hujus dati, quod est ablutio, tam peccator eatenus quam menstruata expers fuerat. Hinc est illud dictum : « Nondum enim erat Spiritus sanctus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus (*Joan.* VII). »

CAPUT VII.

De proprietate fontis illius qui est apud te, Domine, et de æquivocatione fontium in Scripturis, ut illic hauriat aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Forte dicit aliquis : Multorum communis appellatio mystica est fons, etenim multi in Scripturis fontes nominati sunt : multi, inquam, sancti homines, scilicet prophetæ et apostoli nomine fontium signi-

A ficati sunt. Exempli gratia : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII). » Item in Psalmo : « Et apparuerunt fontes aquarum (*Psal.* VII). » Ipse quoque Salvator mulieri Samaritanæ loquitur : « Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Quomodo ergo, pro documento processionis Spiritus sancti, dum astruere volumus quod non minus a Filio quam a Patre procedat idem Spiritus sanctus, tantopere gaudemus de significatione Filii, vocabulo fontis, quia sic scriptum est : « Quoniam apud te est fons vitæ (*Psal.* CXXXV), » et « in illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutio-
B nem peccatoris et menstruatæ (*Zach.* XIII). » Ad hæc inquam : Magna distantia est fontis qui est apud Deum, et cæterorum fontium, qui omnes, ut efficerentur fontes, de plenitudine ejus acceperunt. Denique cum et in hoc multum ab illo differant, quod omnes, ut jam dictum est, de plenitudine ejus acceperunt, et adhuc multæ sint differentiæ illorum, maxima hæc distantia est, quam protinus dicam. De illo fonte unico, qui erat et est apud Deum (*Joan.* I), ipso profundo corde Patris, non solæ voces aut verba, sed ipsa procedit substantia Spiritus sancti. De fontibus autem aliis, tantummodo voces seu verba ejusdem Spiritus sancti non ipsa ejus substantia procedit. Quænam sunt voces, seu verba Spiritus sancti. Nimirum omnes Scripturæ veritatis, quas utique per os sanctorum hominum locutus est Spi-
C ritus inspirator veritatis (*II Petr.* I). Proinde diligenter perpende verba hæc ; « Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Hoc ita recte intelligitur. Gratia Spiritus sancti quam dabo, vel dare potero **18** ei (ille enim spiritus ex me procedit) non est, nec erit sicut spiritus hujus mundi, sive sapientia sæculi, quæ non vivificat, sicut aqua putei hujus quam hauris, non facit tibi ut non iterum sitias, sed faciet in eo gratia eadem intelligentiam Scripturæ vivificæ, quæ videlicet intelligentia sic perseverat, sicut de fonte aqua profluere non cessat, ut loquendo sive etiam scribendo, quasi quibusdam rivis, prata multa, id est multorum irriget animas, fiatque quod dictum est per Psalmistam : « Rivos ejus inebrians multiplica
D genimina ejus, in stillicidiis ejus lætabitur germinans (*Psal.* LXIV. » Et hoc quidem facere potest quisque fontium, scilicet sanctorum hominum, quia a Deo inspirati sunt, profundere doctrinæ rivulum, proferre sermonem bonum, ipsum autem Spiritum sanctum homini perferre non potest, quantocunque dono ejusdem Spiritus abundet, nisi solus ille et unicus fons vitæ, qui apud te, Domine, est.

CAPUT VIII.

De eo quod ait evangelista : « Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes, in eum. »

Proinde valde diligenter attendendum est illud quod ubi dixit fons ille, sicut supra memoratum est,

clamans in templo in magno die festivitatis: « Si quis sitit, veniat ad me et bibat; qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » protinus evangelista subjunxit: « Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum (*Joan.* VII). » Denique potest quidem simpliciter et absque offendiculo in pace fraterna suscipi sive intelligi, quod illud totum de Spiritu sancto clamaverit, sed ubi dissonantia sit, sive contra dissonantes declamandum est. Quemadmodum hic dum agimus de processione Spiritus sancti, caute discernendum est, quia non solum unum sed quodammodo Domino dixit. Siquidem in ipso litterali sensu aliud est bibere, et aliud est flumina fundere, sicut aliud est accipere, et aliud dare vel reddere. Quia ergo nec si evangelista scripsit, hæc autem dixit de Spiritu, sed hoc dixit de Spiritu, libera patet expositio, quia quod clamavit Dominus: « Si quis sitit veniat ad me, et bibat, » sine dubio de Spiritu dixit, testificans quod Spiritus sanctus de ipso procedat. Quod autem subjunxit: « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » item de Spiritu dixit, sed hoc sensu quod non ipse Spiritus, sed vox vel doctrina Spiritus sancti de ventre vel ore hominis inspirati sese effundat, juxta quod alibi dicit: « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis (*Joan.* III). » Sicut enim vox per hominem sonans Spiritu sancto inspiratum, v. gr. prophetam sive apostolum, et proloquens sive sapientiæ, sive scientiæ sermonem, aut quodlibet de generibus linguarum, non est ipsa substantia Spiritus sancti in anima, prout vult spirantis; sic flumina credentis de ventre fluentia, non est ipsa substantia aquæ quam fons ille dat, vel ad quam invitat, dicendo: Si quis sitit, veniat ad me et bibat, » attamen et vox quam audis, flumina quæ per vocem loquentis hominis diffunduntur, recte signantur nomine spiritus, eo videlicet locutionis modo quo plerumque solemus efficiens exprimere per id quod efficitur, veluti cum ferrum calens dicimus ignem, et aquam frigore concretam dicimus hiemem.

CAPUT IX.

Quod de ventre credentis in Filium Dei solummodo sacramenta Scripturarum, quæ per Spiritum sanctum administrata sunt, de illo autem fonte id est Filio Dei, ipsa quoque procedit substantia Spiritus sancti.

Igitur ab illo fonte qui Deus et homo est, multum, ut jam dictum est, cæteri omnes differunt, quicunque fontes dicti sunt, vel dici meruerunt. Quia videlicet, de fontibus illis tantummodo « flumina aquæ vivæ » fluxerunt, quæ non sunt ipsa substantia Spiritus sancti, sed administrata per Spiritum sanctum sacramenta Scripturarum; ab illo autem et ipsa substantia Spiritus sancti procedit, quia Deus est, et flumina Scripturarum voce corporea fluxerunt, quia homo est. Et multa quidem sunt hujusmodi « flumina de ventre » illius, et de ventre credentis in eum fluentia sed quatuor sunt fluminum cunctorum capita, id est flumina principalia; flumina, inquam, id est sacramenta. Sicut enim unus est fons, sive « fluvius, qui egrediebatur, » inquit Scriptura, « de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita (*Gen.* II). » id est principalia flumina, sic de multis vel multiplicibus sacramentis quatuor sunt præcipua Christi sacramenta, quibus intendit omnis Scriptura divinitus inspirata, scilicet incarnatio ejus, passio ejus, resurrectio ejus, ascensio ejus. Hæc flumina tam de ventre ejus, quam de ventre credentis in eum fluere non desinunt, et vocem Spiritus sancti tam per os ejus quam per credentium in eum apostolorum hæc sacramenta prædicantis totus mundus audivit, hoc iterum excepto, quod ex abundanti est astruere, quia sacramenta hæc ex ipso sunt condita pariter et annuntiata; cæteri autem annuntiationis hujus ad nos, ministri et adjutores fuerunt. Nunc de eo quod jam prælibatum est, « spiritus ubi vult spirat, » scilicet de ipsa processione vel procedentis persona, quod Deus et Dominus sit, et ejusdem cum Patre et Filio majestatis sive potestatis, in hoc ipso dum procedit, latius dicendum est. Nunc quod non minus a Filio quam a Patre procedat, hactenus a nobis sermo habitus, prosecutus est.

CAPUT X.

De ipso procedente Spiritu sancto, et divina ipsius potentia, juxta quam dictum est: « Spiritus ubi vult spirat. »

Clausula hæc quam brevissima: « Spiritus ubi vult spirat (*Joan.* III), » divinam ejusdem Spiritus sancti naturam, divinam nihilominus potentiam, magnifice nobis, qui in eum credimus, enuntiat, et manifeste quædam definitio est, hunc secernens ab omni spiritu, quicunque Deus non est, vel sub Deo spirat. Nullus enim spiritus præter hunc Spiritum qui Deus est « ubi vult spirat. » Creatus quilibet spiritus, bonus sive malus spirat quo spirare mittitur vel permittitur, nec ita spirat ut ipse spiritus nostri substantiam ingrediatur, nisi solus creator Spiritus. Quid ergo est, inquit, quod quilibet homo spiritu maligno plenus dicitur? Sicut enim legimus hominem quempiam sanctum vel fidelem, verbi gratia: « Stephanum plenum Spiritu sancto (*Act.* VI), » ita et Judam legimus persuasum a spiritu maligno, non quomodocunque, sed ita ut de illo dicat evangelista, quia « intravit in illum Satanas (*Joan.* III). » Similiter de bonis spiritibus hoc exemplum est apud Zachariam prophetam: « Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi quid sint hæc. » **19** Item: « Et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria (*Zach.* I) ». Et post aliqua: « Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus (*ibid.* II). » Ad hæc inquam: Nec ista Scripturæ testimonia compellunt nos, nec ipsa ratio consentit, ut dicamus vel suspicemur, quod creaturis rationalis spiritus rationali spiritui substantialiter unquam potue-

nit aut possit infundi, vel quod rationalis spiritus capax sit alterius, nisi solius spiritus Dei. In habitationem duntaxat corporis missus aut permissus sese inserit. Et malus quidem spiritus comprehensum hominis spiritum veneno malitiæ inficit, aut furiosis agitat flagellis; bonus autem angelus custos appositus humano spiritui, demulcet eum verbis bonis, verbis consolatoriis ; in ipsam autem substantiam neuter sese infundit. Neque enim ita subtilior spiritus angelicus humano spiritu est, ut alter alterius capax, vel alter alteri capabilis sit. Solus creator Spiritus, solus, inquam, et unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, humano spiritui capabilis est, quia longe subtilior est. « Si quis diligit me, ait Filius, et Pater meus diliget eum, et ad eum [illegible] et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* [illegible] autem Paracleto Spiritu sancto idem [illegible] Vos autem [illegible]tis eum, quia apud vos [illegible] in vobis erit [illegible]

CAPUT XI.

De [illegible] spirans [illegible] ipsam anima[illegible] perambulat, et quod hujus dignationis experimentum sentire in hac vita valde paucorum est.

Igitur hic Spiritus Deus est, et hoc præsens quoque sententia confirmat, dicentis : « Spiritus ubi vult spirat. » Cum vult, deforis per angelum spirat, id est præceptum vel consilium dat. Et cum vult intus per semetipsum spirat, id est, animæ substantiam sensibiliter perambulat. At vero istud quod postremum dixi, valde paucorum est, dum in corpore viventes peregrinamur a Domino. Illud quod primum dixi, quia dum vult, spirat deforis, adeo multorum est, ut etiam malis interdum accidere potuerit. Exempli gratia : « Misit Saul lictores ut raperent David. Qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam in illis Spiritus Domini, et prophetare cœperunt etiam ipsi (*I Reg.* XIX). » Prophetaverunt et alii nuntii, prophetaverunt et tertii. Abiit et ipse, et factus est etiam super eum Spiritus Domini et prophetavit. Effectus enim quidam est, valens aperire interiores oculos, etiam ejus qui non meretur ingressum ad se ejusdem Spiritus Domini, ut videat quod ante ignoravit, et intelligat voluntatem Domini ; nimirum ad judicium sibi. Quemadmodum et ille Balaam, qui de semetipso ait : « Dixit Baalam filius Beor : Dixit homo cujus obturatus est oculus ; dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus (*Num.* XXIV). De quo videlicet Balaam in præsenti ratione perpendendum est, quia cum semel et iterum dictum vel scriptum sit, quia occurrens ei Dominus, posuit verbum in ore ejus (*ibid.*), nusquam dictum est, posuit in corde ejus sicut dicitur digno et fidei viro, Prope est verbum in corde tuo et in ore tuo (*Deut.* XXX). Non enim in corde per dilectionem [illegible] quamvis ore [illegible] Dei [illegible] quo

dicere cœperam, quo « Spiritus sanctus multiplex, ut ait Sapientia, subtilis, mobilis, discretus, incoinquinatus, certus, suavis, stabilis, securus, omnibus mobilibus mobilior (*Sap.* VII), » ipsam animæ substantiam penetrat et abyssum ejus perambulat, valde paucorum est experiri, quandiu in hac vita sunt a Domino peregrini ; et cum vix quispiam eorum expertus fuerit, non valet verbis exprimere si velit, quoniam ineffabile est quod sentit. Hic nimirum non opus habet ut eum doceat quis, quod Spiritus sanctus Deus sit. Ipsa enim infusionis ejus unctio docet eum, quemadmodum Joannes apostolus in epistola sua dicit : « Et vos unctionem habetis a sancto, et non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus (*I Joan.* II). » Utique in semetipso expertus hoc dicit : Et aliquos inter illos esse noverat, qui nonnihil haberent, de ista unctione mirabili, unctione ineffabili, per quam intelligitur beata anima, quod Deo placita sit, sicut et postmodum dicit : « In hoc intelligimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis (*I Joan.* III). »

CAPUT XII.

Quod si Paracletus iste spirare velit, ubi non [illegible]ritur vel [illegible] consolatio præsentis sæculi, et de eo quod ait Dominus : « Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. »

Ubi, quæso, spiritus hujuscemodi aspirationem spirare vult ? Nam quod spiret ubi vult tanquam Deus et omnipotens Dominus, credimus et scimus ; sed hoc non frustra diligens animus quærit, ubi ille spirare velit, vel spirare consueverit. Ad hæc inquam : Illic spirare vult et illic spirat aspiratione illa mirabili, quam dixi, ubi non est consolatio præsentis sæculi, ubi qui dicat, « Renuit consolari anima mea (*Psal.* LXXVI). » Item : « Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima (*Psal.* CXIX). » Sed hic gemitus, cui nisi Deo vel spiritui ejus est manifestus ? Idcirco et altius dicit : « Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi ! » (*Isa.* XXIV.) Quam ob causam ? Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra, et subaudias, idcirco renuit consolari anima mea, quia consolatio stabilis non est in terra confringenda, et conterenda, commovenda, agitanda. Quod jam in partibus aliquoties factum est, universaliter autem ultimo judicio fiet irrecuperabiliter. Ubi pro hujusmodi causa luctus est vel gemitus, ubi spiritus iste Paracletus, id est consolator, spirare vult ? Omnes hujus sæculi aliam habent consolationem suam, et « Væ vobis divitibus, ait Dominus, quia habetis consolationem vestram (*Luc.* VI). » Ad discipulos autem suos dicit : « Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum (*Joan.* XIV). » Alium Paracletum dixit, videlicet idcirco, quia duo

sunt Paracleti, multum dissimiles, imo et oppositi, hinc Spiritus Dei, illinc spiritus hujus mundi. Unde et cum dixisset: « Et alium Paracletum dabit vobis, subjunxit, « quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum (*Joan.* XIV), » videlicet sua paraclesi consolatum et incrassatum habens cor suum. Et quidem bonus et acceptus est sensus, quo dictum est ante nos, Spiritum sanctum idcirco alium Paracletum a Filio esse nuncupatum, quia Filius ipse Paracletus est, alius in persona, non alius in natura; sed nihilominus hic sensus quem nunc dicimus placet, imo et expeditior est. Denique in beata Trinitate est quidem, et necessario confitetur ad salutem, quia est personarum pluralitas, sed **20** non ibi ulla paraclescos, id est consolationis dualitas. Hic profecto in hac oppositione, ubi Deo mundus opponitur, dicendo: « Et alium Paracletum dabit vobis Pater, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum, » manifesta est dualitas paracleseos, quia sicut duo sunt spiritus, alius mundi, alius Dei. Unde [illegible] loquitur: « Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui [illegible] est (*I Cor.* II); » sic et duos paracletos, nihil commune habentes recte dici ratio consentit, alium spiritum hujusmodi, qui [illegible] transitoriis, alium Spiritum [illegible] solo consolationem habent filii [illegible] Sponsi, qui ablatus est ab eis (*Matth.* IX).

CAPUT XIII.

Item de eadem dignatione spirantis ubi vult, juxta illud in proverbiis: « Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum; date siceram mærentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. »

Igitur quod dictum est: « Spiritus ubi vult spirat, » sic venerabiliter intelligitur, quod non casu, sed cum ratione judicii alias spirare velit, et alias spirare nolit, quam videlicet judicii rationem Sapientia nobis insinuat in parabolis Salomonis verbis hujuscemodi. « Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas, ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris non recordentur amplius (*Prov.* XXXI). » Lamuel quippe, quod interpretatur *in quo Deus*, ipse est Christus in quo revera Deus, quemadmodum Apostolus dicit: « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*II Cor.* V). Nec vero ita Deus in illo, sicut in nobis, sed multo differentius, ita videlicet ut verbum Deus, et assumptus homo unus Christus, una persona sit. Vinum quod dat iste Lamuel, sine dubio hic Spiritus sanctus est, qui cum datus esset apostolis ab ipso dicente: « Ego mittam promissum Patris mei in vos (*Luc.* XXIV); » et illi loquerentur linguis, stupentes, qui audiebant, nescientes quidem ipsi quid dicerent, sed tamen verum dixerunt, quia musto pleni sunt isti (*Act.* II). Reges quibus vinum hoc dare nolit Lamuel, divites sunt hujus sæculi, et in ipsis divitiis superbi, quibus, ut supra jam dictum est, « Væ vobis, » ait ipse Lamuel, « quia habetis consolationem vestram (*Luc.* VI); » et quasi quæreret idem Lamuel, quam ob causam talibus vinum hoc, talibus nolit mittere istum Paracletum, « quia nullum, ait, secretum est ubi regnat ebrietas, » ebrietatem nominans illorum superbiam, ipsam consolationis ipsorum abundantiam seu confidentiam. Ibi profecto nullum est secretum ejusmodi, quale vinum istud expetit, quale Paracletus iste requirit. Quale enim secretum exoptat? Nimirum ut homo jugum portans ab adolescentia sua, solitarius sedeat et lugeat (*Thren.* III), præsentem ante oculos suos habens causam cur lugere debeat, videlicet quia mortalis in peccatis, aut in periculis peccatorum vivit, rationem redditurus ante tribunal [illegible] judicis, ubi quantacunque habita fuerit con[illegible] præsentis sæculi, [illegible] obrem, sicut [illegible] secretum, « Noli, ait, o Lamuel, regibus, » id est superbis « dare vinum. » Plerumque accidit, ut talium quispiam gustata, ut sibi visum est, aliqua vini hujus portiuncula, scilicet accepto sapientiæ sive scientiæ sermone, sive prophetia, sive generibus linguarum, sive aliquo cæterorum charismatum quæ distribuit idem Spiritus, « idem Dominus, idem Deus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII), » uteretur eo in superbia faceretque hæreses et schismata. Hoc est quod dicit de regibus illis: « Ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, mutent causam filiorum pauperis (*Prov.* XXXI). » Obliviscuntur namque judiciorum hæretici, dum male judicant vel sentiunt de Scripturis sanctis, et hoc est mutare causam filiorum pauperis, scilicet Christi, qui, cum dives esset, ait Apostolus, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII). Quibus ergo vel qualibus debetur vinum consolationis hujus? « Date, inquit, siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. » Mœrentes illi sunt, amaro animo illi sunt quibus est præsentis vitæ tædium, et futuræ desiderium, et idcirco laudant magis mortuos quam viventes, sicut dicit Ecclesiastes: « Qui cognoscunt lacrymosum exsilium suum (*Eccle.* IV), » juxta illud: « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion (*Psal.* CXXXVI). » Isti « bibant, » isti Spiritum Paracletum accipiant, « et obliviscantur hujusce egestatis suæ, et doloris hujusmodi non recordentur amplius; » certi facti ex isto pignore (*Ephes.* I) quod pedes sanctorum jam sunt stantes in atriis tuis Jerusalem, ubi nulla est egestas, et dolor non erit ultra (*Apoc.* XII).

CAPUT XIV.

[illegible]orum, et amaritudo animi eorum [illegible] fidei, et idcirco consolationem [illegible]nt.

[illegible] amaritudo animi, [illegible] gaudii

sancti, tam jucundam visitationem tanti Domini, tam suavem consolationem tanti Paracleti? unde te habet spiritus hominis, unde illi promisisti? Nimirum ex virtute fidei, et verum illi testimonium perhibes, quod fides ejus magna sit. Nisi enim fidem haberet in penetralibus suis, non incederet mœrens, non esset amaro animo, non se cognosceret egenum et pauperem, non diceret, verbi gratia, quod dixit Rex præpotens et splendidus in gloria regni sui: « Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri (*Psal.* CXXII). » Nesciret dicere, quia multum repleti sumus despectione, nesciret qualem vel quantum in Adam honorem perdidit, quantum in illo opprobrium, quantam despectionem hæreditavit. Hoc etenim scire fidei est: Fides autem ipsa hominis vita est (*Habac.* II). Unde et Dominus in Propheta dicit, et Apostolus meminit: « Justus autem ex fide sua vivit (*Rom.* I), » sive: « Justus autem meus ex fide vivit (*Hebr.* X). » Pulchrum ergo et pium est videre hunc introitum Paracleti, ubi stanti illi ad ostium et pulsanti, fides januam aperit, et ille ingressus, demittit se dignantissima inclinatione in amplexum fidei, et cœnat cum illa, et ipsa cum eo. Nunquid soli Filio Dei dicere competit: « Ecce sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, introibo ad illum et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III), » et non etiam Spiritui Paracleto? Imo et huic, nam ipse Filius Dei, sive Verbum Dei, nunquam nisi per Spiritum sanctum, huc ad manendum introire consuevit. Ipse Spiritus sanctus dux est itineris, sive introitionis, et miro atque ineffabili modo, cum ipse sit donum Patris et Filii, cum eo modo, de quo nunc agimus, scilicet sensibili gratia, quæ magna prærogativa est, introierit, et Patrem dat et Filium, id est cognitionem efficit Patris et Filii.

21 CAPUT XV.

De distantia fidei quod et magna fides, et modica fides, et minima fides, certas ob causas nominentur in verbis Domini.

Et nos quidem fere omnes fidem habemus, etenim « sine fide, ait Apostolus, impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI), » sed magnam fidem non omnes habemus, unde et ejusmodi gratiam non omnes accepimus. Denique est et magna fides, est et modica fides, est et minima fides; si non ita esset, non diceret alibi Dominus: « Magna est fides tua (*Matth.* XV). » Et alibi: « Quid timidi estis, modicæ fidei? » (*Matth.* VIII). Et alibi: « Quanto magis vos, minimæ fidei! » (*Luc.* XII.) De tribus istis differentiis, breviter aliquid pro elucidatione dicendum est: Minima fides est, ubi homines Christiani quidem, et Christum confitentes, sed in sæculari conversatione viventes, ita de crastino cogitant, et solliciti sunt, dicentes: « Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur (*Matth.* VI), » ut propter hanc

A sollicitudinem acriorem vitam aggredi subterfugiant, et pene desperent de cura Dei, si in aliquo horum vel ad tempus deficiant. Ideo Dominus dicit: « Si autem fenum quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minimæ fidei? » (*Ibid.*) Modica vero fides est, ubi propter metum mortis, sub articulo persecutionis, vocem quis abscondit Christianæ confessionis: quod fecit Petrus ubi Christum negavit (*Marc.* XIV), et cæteri apostoli, qui relicto eo omnes fugerunt. Ideo et Petro dixit, cum cœpisset mergi, quia videns ventum validum timuit: « Modicæ fidei, quare dubitasti? » (*Matth.* XIV.) Similiter et in alia tempestate, tam Petro quam cæteris discipulis: « Quid timidi estis, modicæ fidei? » (*Matth.* VIII.) Utraque namque
B tempestas, futuram turbationem Judæorum significabat. Prima, ubi scriptum est: « Ipse vero dormiebat, cum navicula operiretur fluctibus (*ibid.*). » Ejus rei signum erat quod dormiente Domino dormitione mortis, discipulorum fides habebat periclitari. Secunda, ubi « venit ad eos ambulans super mare (*Matth.* XIV), » et apprehendit manum Petri clamantis, quia dubitans cœperat mergi, signum fuit resurrectionis, in eo ipso quod supra mare ambulavit, ambulaturus super fluctus mortis, sicut scriptum est: « Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi (*Psal.* LXVII), » et consolaturus eumdem Petrum, ut non amitteret gradum apostolicum, qui tunc utique clamavit, eo quod cœpisset mergi, quando egressus foras, amare flevit, et Dominus lacrymantem respexit. Porro magna fides est, ubi tam apo-
C stoli quam cæteri sancti, non solum mori non timuerunt, verum etiam mori propter vitam æternam præoptaverunt (*Luc.* XXII), secundum exemplum illorum trium puerorum, qui, cum dixissent regi Nabuchodonosor: « Ecce enim Deus quem colimus, potest eripere de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, rex, liberare, » addiderunt adhuc: « Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti non adoramus (*Dan.* III). »

CAPUT XVI.

Item de magnæ fidei mœrore sive amaritudine, et de eo quod Salomon loquitur: « Cor quod novit amaritudinem animæ suæ in gaudio ejus non miscebitur extraneus. »

Nimirum ad hanc fidem pertinet ille dolor mœren-
D tium, vel eorum qui amaro animo sunt, propterea quia diu peregrinantur a Domino dum in corpore vivunt (*I Cor.* II), et nullam ab hoc sæculo consolationem recipere volunt. Gemunt, gemunt, nec saltem idcirco gemunt quia morituri sunt, sed idcirco quia vivunt; et idcirco vitam ipsam deflent quia vivendo peccare timent. Ibi est locus, ibi causa postulat, ut eo, quo jam dictum est, modo spiret, « Spiritus, qui ubi vult, spirat. »? Quo fructu? cujus rei effectu? Nimirum, ut donum aliquod suimet infusione tribuat, et tribuendo quasi manu piæ consolationis faciem plorantis animæ demulceat, et lacrymam ejus abstergat et quasdam percipiat gaudii primitias, « ut

mitiget ei a diebus malis (*Psal.* XCIII), et patienter A vivat, donec veniat tempus suæ vocationis, et sedens homo solitarius cum Deo loquatur quoties vult et in dono quod accepit exerceatur. Hinc est illud : « Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus (*Prov.* XIV). » Quænam est amaritudo animæ, nisi peregrinatio ista, pro qua vel cujus intuitu dicit, ut jam supra memoratum est, Psalmista : « Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea, renuit consolari anima mea (*Psal.* CXIX). » At vero istam amaritudinem non omne cor novit. Multa corda sic obtusa sunt, ut non sentiant, imo amaritudinem, dulcedinem putant ; non peregrinationem, sed patriam existimant vitæ hujus moram aliquantulam. B Et quidem amara illis est mors corporis, imo et ipsa memoria mortis, quomodo Sapiens dicit : « O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis; viro quieto et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum ! » (*Eccli.* XLIX.) Sed causam mortis, quæ vere amaritudo est, non considerant quod per peccatum mors introierit in hunc mundum, non recogitant. Non parva ergo sejunctione lugentes sejungit non lugentibus, dicendo, « cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus, » et hoc idem est quod Salvator ait: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). : Quod enim est gaudium cordis illius, nisi consolatio Paracleti hujus sancti Spiritus, visitantis cor illud propter scientiam amaritudinis ipsius ? C Et bene de isto gaudio dicit, quia in eo « non miscebitur extraneus. » Ipse est enim spiritus veritatis, et docens omnem veritatem, sicut et Psalmista dicit : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam (*Psal.* CXLII), » custodit animam, ne subrepat spiritus deceptionis vere extraneus, quia veritati contrarius. Hic jam fructus est magnæ fidei quæ januam sicut supra dictum est Paracleto huic, ut introiret, aperuit mœrendo in amaritudine, et nolendo sive renuendo temporaliter consolari.

CAPUT XVII.

De eo quod Dominus præmisso, « Spiritus ubi vult spirat, » subjungit, « et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat; » et quod veniens idem spiritus signum aliquid ostendat, competens gratiæ quam importat.

D Quid tandem cum tali vel tanta dignatione spiraverit spiritus ubi vult? « Et vocem, inquit, ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat (*Joan* III). » Verus sermo quem dixit, « et vocem ejus audis. » Non enim tacere potest qui gratiam accepit ejusmodi, etiamsi interdum propter causam vel discrimen aliquod tacere velit. Exempli gratia: « Factus sum, ait Jeremias, in derisum tota die, omnes subsannant me, quia olim jam loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito. Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die, et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar in nomine illius. » Cum hoc dixisset, et hoc dicto **22** facere proposuisset, quid continuo sequitur ? « et factus est, inquit, in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens (*Jerem.* XX) » Juxta hunc sensum se habet et illud quod Psalmista præmisso, « Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me, obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis ; » continuo subjunxit : « Et dolor meus renovatus est, concaluit cor meum intra me et in meditatione mea exardescet ignis (*Psal.* XXXVIII). » Vere ergo vocem ejus audis, quia tacere non potest, silere non audet. Ibi enim est præceptor, qui tubam vocis largitus est, et dicit ei : « Clama, ne cesses (*Isa.* LVIII), » et his similia. Sed tu forte hoc ignoras, quod talem intus monitorem habeat, et idcirco loquentem derides, clamantem subsannas. Sequitur ergo « Sed nescis unde veniat aut quo vadat (*Joan.* III). » Revera nescis unde veniat, nam forte in alio cubiculo eras et dormiebas, quando ille Dominus, ille Paracletus, illum cujus vocem audis vigilantem videns sicut Psalmista dicit: « Anticipaverunt vigilias oculi mei (*Psal.* LXXVI), » magna dignatione declinavit in eum, aut sicut flumen lactis, aut sicut torrens ignis, juxta illud propheticum : « Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium (*Isa.* LXVI). » Solet enim ipse procedens, quocunque procedit, suæ processioni competentem facere apparatum et secundum gratiam quam importat de multis divisionibus gratiarum, congruum adventus vel præsentiæ suæ sensibus animæ, aut corporis etiam oculis exhibere signum.

CAPUT XVIII.

Narratio quorumdam signorum, cum quibus visitationem sui Spiritus sanctus diebus nostris quibusdam dignanter infudit.

De signis majoribus nunc interim taceam, videlicet de signo vel significatione qua super Dominum in specie columbæ (*Matth.* III), et super apostolos ejus apparuit in igne (*Act.* II), ut erat et illius judicis iram nobis mitigaturus et istorum corda eatenus infirma per zelum bonum accensurus. De minoribus quos nostro tempore vidimus non pigeat, vel nos scribere, aut aliquem attendere, si fuerit benevolus, quicunque hæc legere dignabitur. Puellæ cuidam nomine Waldradæ, cum esset in apparatu nuptiarum, quæ tamen animo ejus non sedebant ipsa nocte, vigilanti enim aliis dormientibus sic afflavit iste Paracletus, ut præ magnitudine caloris evigilarent qui dormiebant, et inclamarent putantes quod arderet ipsa domus. Jacebat juxta matrem viduam, sanctæ viduitatis propositum habentem, cum per fenestram domus superiorem ecce advenit et intravit ignis magnus et descendens ad eam, quæ sola hæc videbat, in os et in secreta ventris illius illapsus est. Prima ipsius mater præ magnitudine ardoris, quo fortiter tangebatur, somno excussa est et inclamans altius: surgite, inquit, surgite, ardemus, ardemus. At ille ignis erat non comburens, sed illuminans, non corpus consumens, sed animæ lucens. Cum

ergo turbarentur et ardorem quidem sentirent, sed ignem non viderent, tandem persensit mater quod ardor ille de filia veniens sese diffunderet,quæ jam divino amore inflammata, vulnerato corde flebat abundanter, ita ut ex illa hora per multum tempus lacrymis fluere non cessaret. Quam vocem ejus extunc audivit aliquis ?Contigerat enim illi secundum hoc ipsum capitulum, quod tractamus nunc, quod dixit Dominus : « Spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis,sed nescis unde veniat aut quo vadat (*Joan.* III). » Quam ergo vocem ejus extunc audivit aliquis nisi votum et propositum, et tenorem sanctæ virginitatis ? Denique usque ad senectutem in proposito permansit et in reclusione vitam solitariam duxit, tandemque cursu consummato ante hos annos ferme quatuor pro terrenis, de quarum medio vocata fuerat, nuptiis ad cœlestes, ut credimus,nuptias transmigravit. Alius quidam cum pene inconsolabiliter lugeret incolatum suum prolongari (*Psal.* CXIX), et cum Ecclesiastico laudaret mortuos magis quam viventes (*Eccli.* IV), et sicut de Anna legitur (*I Reg.* I) nusquam vultus adolescentis in diversa mutarentur, quadam nocte cum se sopori dedisset, dolore plenus et totus in luctu, ecce vidit quodammodo cœlum desuper modice aperiri,atque inde quasi talentum lucidum substantiæ ineffabilis, substantiæ viventis, velociter atque dicto citius demitti,quod illapsum pectori ejus,magnitudine vel pondere suo protinus illum somno excussit, auro gravius, melle dulcius. Quod ubi illapsum est, primum quidem aliquantula morula quievit, seque ab omni motu continuit,illo quoque quiescente (ut forte resupinus jacebat),et exspectante eventum rei,mox autem moveri cœpit et circuire uterum interioris hominis, uterum animæ, quem, ut fatetur, ipse nesciebat eatenus, quod tantæ esset capacitatis. Circuibat itaque modo mirabili res viva et vera vita, semperque circuitus sequens erat præcedente major ;multoque amplior,donec tandem ultima infusio veluti quoddam magnum flumen inundans,hoc dabat intelligi vel sentiri,quod totum animæ vel cordis exceptorium plenum esset,et plus capere non posset. Quo facto,iterum quievit paulisper,ut neque influeret quod jam fecerat,neque efflueret quod postmodum fecit,et interim volebat homo interior quasi faciem clarius videre illius substantiæ viventis,sed quodammodo occultabat se ut non videretur facies ejus,cum valde magno pondere portaretur et in magna dulcedine sentiretur. Postmodum cœpit reflecti, aliamque in partem circuitus agens in modum fluminis per lævum latus effluxit videntibus oculis interioris hominis,quod cum ultimis fluctibus efflueret,paululum subsistit, et ecce videbam, ait, quia substantia illa pulcherrima quasi aurum liquidum erat.

CAPUT IX.

Item de eo quod ait : « Et vocem ejus audis ; » quod vox hominis inspirati gemituosa sit; quid sit nescire unde veniat, quid sit nescire quo vadat.

Igitur quia nemo scit, nisi qui accipit,quamlibet A gratiarum ejusmodi,recte et veraciter dicit ipsa Veritas, « et vocem ejus audis,sed nescis unde veniat, aut quo vadat. » Audis vocem gementis, audis vocem verba Dei loquentis, sed nescis vel quali de camino gemituosa vox formata sit,vel quali de flumine vox exsultationis et confessionis imbuta et lætificata sit. Hoc est nescire unde veniat ; et quid est nescire quo vadat ? Nimirum nescire quid desideret, cur exsultans gemat, gemens exsultet. Ipse scit quo tendat, et secundum scientiam verum loquitur : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,ita desiderat anima mea ad te,Deus (*Psal.* XLI), » et cætera his similia. Tu forte, dum ille secretum se esse putat, vel secretum habere quod amat, ut absque arbitris fortiter pro velle suo ge- B mat,et vocem sui gemitus ipse audiat,quam utique ipsum audire, sicut panem comedere delectat, ita ut veraciter possit dicere : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*ibid.*), » tu, inquam, forte casu, illo ignorante prope **23** accumbebas, et eo ejulante in sublime et gemitibus frena laxante,audisti et miratus es, audisti et compassus es, quippe qui ejusmodi vulnus necdum expertus eras, et idcirco nesciebas tantorum gemituum,quæ vel qualis causa erat, et revera mirari poteras. Quis enim tam fortiter gemere potest pro aliqua sæculi amaritudine, quam gemit ille qui ejusmodi est præ dilectionis Dei dulcedine ? Ibi plane est quod Apostolus loquitur : « Nam quid oremus sicut oportet, nescimus ;sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » Et vere mirum atque C ineffabile est, quod cum iste Spiritus illis, qui dicunt : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion (*Psal.* CXXXVI), » pro consolatione detur,unde et dictus vel nominatus est Paracletus, hic idem adveniens,cum se infuderit totumque animæ habitaculum in possessionem suam redegerit,adauget gemitus,multiplicat lacrymas, crebriora distendit suspiria, facie tamen permanente lætissima, ita ut tu oppido mireris hilaritatem vultus in publico,cujus quasi per insidias delitescens audieras gemitus in occulto. Sicut ergo nescis unde veniat,ita et illud nescis quo vadat,nec satis unquam scire poteris, nisi et tibi similiter contingat, nisi simile vulnus ab isto spiritu pietatis excipias.

D

CAPUT XX.

In isto qui inspiratus gemit,probatum esse illud quod Veritas promittens dixit : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, » et de eo quod Apostolus ter Dominum rogavit.

In isto sane probatum est illud quod Veritas promittens dixit : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis (*Joan.* XVI). » Quam enim ob causam, vel quo jure istud contingit,ut quod petit accipiat,nisi quia quod postulat non nisi secundum Deum postulat ? Hinc Apostolus cum dixisset, quod supra memoratum est, « ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenar-

rabilibus » continuo subjunxit. « Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis (*Rom.* VIII). » Non ergo quivis festinare debet, cum audit, « si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, » ut fiat sibi quod petit, quia non omnibus istud congruit, sed illis duntaxat qui Paracletum istud acceperunt secundum Deum postulantem pro sanctis, quod revera est, postulare in nomine Salvatoris, quem tunc in eodem sermone promittebat apostolis suis. Sed dicit aliquis: Ipse Apostolus qui illa scripsit quæ præmissa sunt, « et Spiritus postulat pro nobis, » et cætera, quique præcipuam habebat ejusdem Spiritus gratiam, sicut ibidem loquitur: « Sed et ipsi nos ipsi primitias spiritus habentes, ipsi intra nos gemimus (*ibid.*); ipse, inquam, petivit, et non datum est illi: Ait enim; « Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ (*II Cor.* XII), propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi: « Sufficit tibi gratia mea (*ibid.*). « Nam virtus in infirmitate perficitur. » Nonne secundum Deum postulavit? aut nunquid non erat ipse unus de sanctis, pro quibus istum gemituosum spiritum postulare dixit? Attamen non fuit datum illi. Ad hæc inquam: Unde hoc habemus quod non datum fuerit illi? Nunquid hoc ipse dicit? Scimus quidem nostros majores et nobis multo meliores hoc dixisse, hoc scripsisse quod non fuerit exauditus, et circa hoc laborasse ut ostenderent illi non fuisse utile ut exaudiretur. Verum et si auctoritate illorum, qui magni habentur, nos quisquam premere velit, nihilominus dicere non dubitamus, quia exauditus fuit. Quid enim si non statim, non ad primam, non ad secundam, sed neque ad tertiam rogationem exauditus fuit? Denique nec Salvator hoc dixit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, statim dabit vobis. Sed neque sic intelligi voluit, quippe qui dicturus: « Petite et accipietis; pulsate et aperietur vobis (*Matth.* VII), » pulchrum exemplum perseverantiæ præmisit. « Quis vestrum, inquit, habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, » et cætera, usque « propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi (*Luc.* XI). » Ne ergo dicas mihi quia non fuit exauditus, et quod ab illo nequam angelo talis heros usque ad finem vitæ fuerit colaphizatus. Denique fuerit hoc divinæ dispensationis, ut interim colaphizaretur, ne juvenem extolleret magnitudo revelationum, nam ut virum provectum militemque emeritum, deinde ab ejusmodi colaphis redderet securum, bene decuit illum omnia suaviter disponentem (*Sap.* II) cani et reverendi capitis antiquum dierum.

CAPUT XXI.

Utrum postquam iste Paracletus semel familiari visitatione sese infuderit, contingere possit ut sese auferat, et animam illam deosculatam prorsus et irrecuperabiliter derelinquat.

Hic jam quæritur, utrum necne iste Paracletus A postquam semel illa, de qua nobis hactenus sermo fuit, familiari visitatione sese infuderit in secretarium animæ, rursus ita sese inde auferat offensus aliquo crimine, ut animam semel deosculatam sua consolatione prorsus deserat et derelinquat desolatam sempiterna desolatione. Super hoc breviter respondere libet, quia nimia confidentia res periculosa est. Non vult Apostolus quemquam nimium confidere, qui de semetipso dixit, et utique pro exemplo ad utilitatem nostram dixit: « Ecce enim me non arbitror comprehendisse (*Philip.* III). » At idem alibi cum dixisset: « Sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, » continuo subjunxit: « Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum B sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V). » Igitur non audemus quidem securitatem prædicare illi, quicunque est ejusmodi, qui talem sancti Spiritus gratiam de qua loquimur, accepit, quam appellat Apostolus « primitias spiritus, » verumtamen hoc dicere non dubitamus, quod spes illius firmior sit aut esse debeat pro tali conscientia, pro eo quod jam senserit quia custodem habet illum de quo scriptum est: « Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel (*Psal.* CXX.) » Hoc enim dicitur illi, quicunque Israeli similis factus est. In quo? nimirum in eo quod sicut ille cum Deo luctatus est (*Gen.* XXXII), et contra Deum fortis fuit et invaluit, dixitque ad eum flens et rogans eum, quæ vera fortitudo est, sicut Osee meminit, dicens; « Et invaluit ad angeC lum et confortatus est; flevit et rogavit eum: non dimittam te, nisi benedixeris mihi, et benedixit ei in eodem loco (*Ose.* XII); » sic et iste nonnihil luctatus est cum Deo, flendo quod sciret se esse peregrinum, et fortis fuit contra Deum et non poterat Deus superare eum, non potuit se continere flente illo et rogante quin de multitudine viscerum suorum Spiritum Paracletum effunderet in eum. Qui ergo custodivit illum Israel et genus ejus, ut confirmata benedictio, quamvis multis illius populi peccatis offensa non deficeret, donec Christus ex eo nasceretur: « Ecce, inquit Psalmista, non dormitabit neque **24** dormiet (*Psal.* CXX), » te verum quoque Israelitam custodiet ut non pecces, sed et si peccaveris, cito peccatum deplores, juxta illud: « Amen, D amen dico tibi, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet (*Joan.* XI.) »

CAPUT XXII.

Quod nulli nimia securitas habenda sit, et de eo quod Apostolus ait: « Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, » et quod David, quia constristaverat eum, « Redde, inquit, mihi lætitiam salutaris tui. »

Igitur non nimia securitas habenda vel præsumenda est cuiquam dum vivit, imo quanto familiarius expertus est osculum illud consolantis Paracleti, de quo, ut supra meminimus, Apostolus dixit: Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis

(*Rom.* v), » tanto sollicitior esse debet, ne contristet eumdem Spiritum, sicut idem Apostolus dicit : « Et nolite constristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis (*Ephes.* iv). » Et exponens quibus ex accidentibus soleat contristari: « Omnis, inquit, amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia (*ibid.*) » Nam est quidem impassibilis natura Spiritus sancti, verumtamen dum se commovet habitans in homine donum ejusdem Spiritus sancti, ipse homo in ipso motu minus dulcedinis, et plus sentit severitatis, si quid negligentus egit : quod melius noverunt illi qui experti sunt. Exempli gratia. David hæc expertus erat, qui dicebat : « Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me, » statim subjungens : « Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me (*Psal.* L). » Nimirum, quamvis graviter peccasset, non recesserat ab ipso A Spiritus Domini, de quo sic scriptum est : « Ubi Samuel unxit eum et directus est Spiritus Domini in David, a die illa (*I Reg.* xvi) » in reliquum, sed non tam lætum vel jucundum in motu vel attractu suo se exhibebat, sicut eatenus solitus fuerat, nec tam cito recuperavit lætitiam sive jucunditatem illam, nisi usque ad satisfactionem congruam, passus interim foras et intus tribulationem magnam, ita ut fere nulli magis quam ipsi congruerit dicere : « Tribulationem et dolorem inveni (*Psal.* xiv). » Sciendum quippe quod intus doluit, eo quod contristasset Spiritum Domini (*II Reg.* xiii), et quæ foris tribulatio provenit, scilicet domestica clades ; sine dubio acriter illum tetigit ; et quamvis secundum corpus evaserit gladium filii sui, gladius tamen usque ad B animam pervenit, « ferrum animam ejus pertransivit (*Luc.* ii). »

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Benedicendum esse Dominum a nobis quantum possumus, et quod major sit in laude, multa enim abscondita sunt, et pauca vidimus operum ejus.

« Benedicentes Dominum, » ait quidam Sapiens, « Exaltate illum quantum potestis, major enim omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute, ne laboretis, non enim pervenietis. Quis vidit eum, et enarravit ? et quis magnificavit eum, sicut est ab initio ? Multa sunt abscondita, majora his, pauca enim vidimus operum ejus (*Eccli.* xliii). » Quæ pauca viderat iste, cum hæc diceret : « Altitudinem firmamenti et pulchritudinem ejus, solem speciosum, vas admirabile, opus Excelsi, speciem lunæ et gloriam stellarum, quæ illuminant mundum ? » ut cætera opera Domini; ac deinde viros gloriosos legerat vel audierat quos vel in quibus Dominum laudare incipiens : « Laudemus, ait, viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua (*Eccli.* xliv). » Hæc omnia pauca et parva judicans comparatione majorum vel plurium, « Multa, inquit, abscondita sunt majora his , pauca enim vidimus operum ejus. » Quænam sunt illa majora vel plura abscondita et non visa ? nimirum ante altitudinem firmamenti pulchri a quo laudare cœpit, facti fuerant angeli quammulti ac novem ordinibus distincti, de quibus vel de quorum gloria ordinata ac multiplici recte dicere potuit, abscondita sunt a nobis, et « post viros gloriosos, » quorum laudem in ordinem digessit usque ad Simonem Oniæ filium, venturus erat Christus Dei filius tanta facturus in primo et secundo adventu suo, ut de omnibus quæ noverat, vel quæ eatenus ante ipsum facta fuerant, recte dicere potuerit : « Pauca enim vidimus operum ejus ; » et nos quidem juxta propositum quod proposuimus, absconditum in agro Scripturarum, quærere sive ostendere thesaurum sancti nominis Patris et Filii et Spiritus sancti, stetimus aliquantisper in capite libri quo dictum est : « In principio creavit Deus cœlum et terram, et Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* i) ; » sed diligentia contemplandi processionem Spiritus sanct longius abduxit nos. Redimus nunc ad ipsum caput et de felicitate sanctorum angelorum aliquid ejusdem santæ Trinitatis, cui assidue benedicunt, dicere intendimus.

25 CAPUT II.

De angelica creatura, quod facta sit ubi dixit Deus : « Fiat lux, » et de judicio Spiritus sancti in damnatione tenebrarum, sive principis tenebrarum diaboli.

Ubi dixit Deus : « Fiat lux, et facta est lux ; et C vidit Deus lucem quod esset bona, et divisit lucem et tenebras (*Gen.* i). » creaturam esse angelicam factam, et nomine lucis bonos angelos, tenebrarum autem vocabulo malos esse angelos significatos, multorum et maxime Patris Augustini non parvipendenda firmat auctoritas. Verum nos in alio opere de creatura ista mirabili, et cæteris quæ dehinc Scripturæ series creata vel facta narravit, latius tractavimus, et rerum ordinem pro posse diligenter prosecuti sumus. Nunc ad præsens propositum pertinet pia jucundi festivitate sermonis celebrare beatitudinem hujus lucis, tanquam speculum summæ Trinitatis, et laudare sive admirari judicium Spiritus sancti in damnatione tenebrarum sive principis diaboli tenebrarum, quia pertinet contemplatio hæc ad laudem processionis ipsius, de qua jam aliqua D diximus, ad glorificationem Trinitatis de qua simul dicere proposuimus.

CAPUT III.

De eo quod ait Dominus ad B. Job : « Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationes ejus in terra ? »

« Nunquid nosti ordinem cœli, ait Dominus ad

beatum Job, et pones rationes ejus in terra? (*Job.* xxxviii.) Subauditur, ut ego, et respondeas: non. Nemo enim nisi solus Deus novit hunc ordinem cœli, cujus universitas hic designata est nomine lucis, dicente Scriptura: « Dixitque Deus: Fiat lux, et facta est lux. » Attamen aliquibus Spiritus sanctus revelavit ut partim quasi per speculum et in ænigmate viderent (*I Cor.* xiii) adhuc viventes in carne illum dicentem cœli opus beatæ Trinitatis ter trinis distinctum choris, quorum nomina hæc sunt: angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, cherubim atque seraphim (*Rom.* viii). Iste ordo cœli ordinatus ad videndam atque laudandam gloriam sanctæ Trinitatis, tantæ est beatitudinis, ut recte admiretur Apostolus et dicat omnibus qui illud ad societatem illorum secundum præscientiam et prædestinationem Dei vocati sunt, et justificati atque magnificati illuc perveniunt ac perventuri sunt: « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum; » statimque subjungit: « Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum (*I Cor.* ii). » Quibus nobis? Utique hominibus in terra manentibus, terrenam habitationem hujus corporis inhabitantibus. Quis alius istis revelaret nisi Deus? Cum igitur dicit: « Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationes ejus in terra? » bene, ut jam dictum est, subauditur, ut ego, et respondetur: non. Nunc ipse ordo cœli quid sit, et quomodo ipse qui loquebatur hæc Deus, rationes ejus posuerit in terra, quantum possemus et quantum accepimus ex Deo, vel ex ipsis quibus Deus revelavit per spiritum suum, nostra infantia gestit effari parvulis similibus nostris.

CAPUT IV.

Quid sit ordo cœli, sive ordo cœlorum, et de versus psalmi: « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Ordo cœli sive ordo cœlorum illud est firmamentum eorum, de quo Psalmista: « Verbo, inquit, Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* xxxii). » Qui sunt enim illi cœli, nisi omnes sancti in quibus Deus habitat? quamobrem, et dicuntur et sunt cœli, quia Deus habitat in illis. Angustior vero sensus est solos intelligere apostolos Christi, quos incarnatum Verbum sua præsentia firmavit, et Spiritum sanctum ad perfectionem confirmationis misit eis de cœlo sedens ad dexteram Patris. Ante cœlos istos valde paucos, quamplures et nobis innumerabiles erant cœli, id est sancti. Et levabat oculos suos David illuc, dicens: « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis (*Psal.* cxxii). » Maxime ergo præsenti loco dum dicitur: Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, » sanctos angelos intelligimus, præsertim quia sicut illic, ubi scriptum est: « Dixit Deus: Fiat lux; et facta est lux. » Deinde sequitur: « Dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. » Et subinde: « Dixit Deus: Congregentur aquæ quæ sub firmamento sunt in locum unum, et appareat arida (*Gen.* i), » ita et hic continuo post præscriptum versiculum subsequitur: « Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt (*Psal.* xxxii). » In quibus nimirum dictis et si pulchra subest allegoria, nihilominus tamen veridica magnificæ historiæ manet et non evacuatur littera. Igitur « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, » id est, sancti angeli habitantem in semetipsis habentes beatam Trinitatem, unum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, firmiter in ordine suo consistunt. Nam Dominus ipse est Pater, Verbum Domini ipse est Filius, Spiritus oris ejus, ipse est Spiritus sanctus, unum et unicum sanctorum angelorum et electorum hominum firmamentum, ut jam in æternum non moveatur pes alicujus eorum, et qui jam ordinati, adhuc illuc ordinandi sunt.

CAPUT V.

Primum in illo beatorum spirituum sancto ordine contemplandum esse ordinem sanctæ Trinitatis, quod illa gloriosa civitas, cujus sancta Scriptura toties meminit, amatorem habeat Deum amore ineffabili, qui videlicet amator apud Jeremiam contemptum se esse queritur ab anima infideli.

Ipsa est civitas gloriosa, de qua tam multa Scripturæ loquuntur nobis, et exempli gratia, sic Apostolus dicit: « Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis (*Hebr.* xii). » Item ad Galatas: « Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra (*Gal.* iv), » et multa his similia. In hac ergo beata civitate, in isto beatorum spirituum ordine, quem Dominus novit, primum contemplari cupimus, oculo licet exiguo, gloriam sanctæ Trinitatis, et qui aliquam similitudinem vestigare pulchritudinem illius firmamenti, quo **26** istam matrem nostram, istam civitatem gloriosam, sibi copulando firmavit Dominus, et Verbum Domini et spiritus oris Domini, Qualem vel cujus rei per similitudinem? Nimirum per similitudinem viri legitimi, genus vel posteritatem suam propagare oppido cupientis. Et ob hanc causam conjugium sibi assumentis, exempli gratia, qualis fuit David, fortis utique, et in omni maritali copula legitimus vir, excepto sermone Uriæ Ethæi. Nam revera illo excepto, legitime vixit, quoquot uxores habuit, utpote pluribus indigens filiis atque cognatis, quia rem grandem susceperat, scilicet gubernacula regni, cum esset homo ejusmodi, ut ipse dixit: « Ego autem sum vir pauper et tenuis (*I Reg.* xviii); » pauper videlicet rerum possessione, tenuis exiguitate familiæ. Nec vereamur nimium pudorati, de hoc viro, sive de aliquo huic simili, secundum rem conjugalem assumere similitudinem, ad contemplandam causam Dei, propter

quam illam matrem nostram Jerusalem cœlestem et creavit et sibi copulavit. Ipsemet quippe in multis Scripturarum locis seipsum vult agnosci quod amator sit. Exempli gratia, cum in Jeremia dicit : «quomodo si contemnat mulier amatorem suum,sic contempsit me domus Israel (*Jer*.III). » Ergo econtra veraciter dicas : « Quomodo si libenter admittat mulier amatorem suum, sic libenter admisit me vera domus Israel, vera civitas Sion, cœlestis Jerusalem. Itaque secundum ejusmodi similitudinem causam vel opus Dei, opus sanctæ Trinitatis speculari licet in illo ordine cœli, in illa sancta et ter beata Jerusalem. Est enim in his similitudo, quamvis dissimilis,quia videlicet caro spritui quidem dissimilis est, sed tamen dissimilium istorum aliqua similitudo est: « Quod natum est ex carne, ait Dominus, caro est, et quod natum est ex spiritu,spiritus est (*Joan*.III).» Sed jam accedamus ad rem.

CAPUT VI.

Quod secundum similitudinem amatoris, in quo hæc tria sunt, amator ipse, amor ipsius, et crementum, propter quod ad propagandam prolem amore suo ducitur, unus sit Deus Pater, et amor ipsius Spiritus sanctus, et Verbum ipsius.

In amatore tria sunt,amator ipse, et amor ipsius, et crementum, propter quod ad propagandam prolem amore suo ducitur. Similiter in Creatore nostro qui amatorem se nominat, ut supra dictum sit,sunt tres. Ipse et amor ipsius, scilicet Spiritus sanctus, et Verbum ipsius,quod non est aliud quam crementum ejus, semen ejus, Filius ejus. Hæc similitudo quamvis, ut sicut jam dictum est, longe dissimilis, ita ut spiritus carni, vel caro spiritui, adeo vera est ut in Isaia quoque scriptum est : « Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus, si ego qui generationem cæteris tribuo,sterilis ero, ait Dominus Deus tuus ? » (*Isa*. LXVI.)Loquebatur enim huic ordini cœli,huic, de qua nunc loquimur, Jerusalem magnæ et sanctæ civitati. Unde et protinus dicit: « Lætamini cum Jerusalem et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio, universi qui lugebatis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus (*ibid*.),»etc. Nesciremus quidquam de ordine vel generatione ejusmodi, nisi rationes ejus in terra potuisset ipse qui novit. Quomodo enim posuit ? Ipse spiritus Dei, qui tunc ferebatur super aquas, dicente Deo : « Fiat lux. » Ipse, inquam, etiam nunc fertur super aquas, dum in Christo baptizamur. Et hoc est Deum dicere: Fiat lux, regenerare nos, ut qui eramus aliquando tenebræ, jam nunc in Domino sumus lux. In hoc est regeneratio, quia jam dictus amator Deus animam credentem imprægnat Verbo suo, dignam amore suo. Verbum enim semen est ejus, sicut ait Jacobus apostolus: « Voluntarie genuit nos Verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus (*Jac*. I). » Semen hoc nonnisi cum amore suscipitur, Verbum hoc nonnisi per Spiritum sanctum immittitur.Hæc est Trinitas unus Deus amator creaturæ rationalis

A Deus, et semen ejus quod est Verbum ipsius, et amor ejus qui est Spiritus sanctus. Igitur,quamvis, ut supra jam dictum est, caro et spiritus dissimilia sint, nihilominus tamen aliqua hic similitudo est quia videlicet, sicut generatio carnis ab aliquo semine ejus et amore ejus patratur, sic generatio spiritus a Deo Verbo ejus et spiritu oris ejus consummatur. Et si aliter exponi potest jam dicta sententia : « Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationes ejus in terra (*Job* XXXVII), nihilominus tamen sensus iste, quem diximus, locum habet et pondere non caret,quia nullo modo splendidius rationes ordinis cœli Deus in terra posuit, quam regenerando per aquam filios lucis, ituros in illum ordinem cœli ad angelos lucis : « Erunt enim, ait ipse

B Dominus, sicut angeli Dei (*Matth*. II). »

CAPUT VII.

De eo quod Apostolus ; « Decebat enim, inquit, eum propter quem omnia, et per quem omnia, » et quod parum nobis sit scire quod per eum, nisi etiam sciamus quod propter eum facta sit et angelica creatura, et omnis creatura.

Adhuc ad supradictam similitudinem et illud pulchre accedit, quia, sicut legimus, vir nonnisi propter amorem sobolis conjugem ducit, sic et Deus Pater nonnisi propter amorem Verbi sui creaturam rationalem, creaturam angelicam de qua nunc loquimur, et creaturam humanam de qua post hæc locuturi sumus, condidit. Hinc Apostolus de illo

C scilicet Dei Filio loquens : Decebat enim, inquit, eum propter quem omnia, et per quem omnia,qui multos filios in gloriam adduxerat, » etc. Non solum hoc dixit, « per quem omnia, » sed primum dixit, « propter quem omnia, » quia videlicet ipse est omnium causa. Per ipsum facta est ista lux, quia sic scriptum est : « Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux. » Si dixit et facta est, utique per Verbum facta est. Sed parum est scire hoc, etenim plus habet delectamenti hæc sententia fidei, sciendo quod etiam propter ipsum facta sit, scilicet ut ipsum in semetipsa creatura hæc haberet, et habendo lux existeret. Ipse enim lux est, et utique lux non facta, lux ab aliquo illuminata, sed illuminans,et proinde lux vera. Comparatione ejus qualiscunque lux,quivis angelus lucis, recte et fideliter negatur esse lux.

D Hinc Joannes evangelista de Baptista Joanne:«Non, inquit, erat lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. » De ipso autem Christo Domino : « Erat, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan*. I). » Joannes et quivis angelus lucis, sive homo filius lucis, sic lux dicitur vel est, tanquam lucerna, id est, lux non carens materia : Verbum autem Dei, Verbum Deus ipsa lucis est substantia. Nec enim aliud est illi esse, et aliud lucere ; istis autem aliud esse, et aliud est lucere. Diligendo quippe lucem, ipsi sunt lux,sicut econtra apostatæ angeli odiendo lucem tenebræ sunt.

27 CAPUT VIII.

Item de processione Spiritus sancti : quod in nos homines duobus datis diffundatur, altero quod est in remissionem peccatorum, altero quod est in divisiones gratiarum ; in sanctos autem angelos uno tantum, quod est in divisiones gratiarum.

De processione Spiritus sancti, qui hoc operatur, et in illis beatis spiritibus et in nobis hominibus, ut per hoc ipsum quod verbum Dei, Filium Dei, manentem in nobis habentes, Filii Dei nominemur et simus (*Joan.* III), hoc in superiore diximus, quod duobus datis, sive per dua data diffundatur ; altero quod est dari in remissionem peccatorum, altero quod est in divisiones gratiarum. Verum nobis duntaxat hominibus istis duobus modis datur. In sanctos autem angelos uno modo, scilicet in divisiones gratiarum larga dignatione effusus est. Nam ut in remissionem peccatorum nunquam detur apostatis angelis, judicium verum fuit, et est ejusdem Spiritus sancti. Illi namque cum suo principe diabolo non per infirmitatem seu per ignorantiam, sed per superbiam peccaverunt. Cujus videlicet superbiæ magnitudinem Spiritus propheticus apud Ezechielem denotat verbis hujuscemodi, diabolum coarguens sub nomine principis Tyri : Eo quod elevatum est cor tuum, dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi, et dedisti cor tuum quasi cor Dei (*Ezech.* XXVIII). » Item sub nomine Pharaonis regis Ægypti : « Ecce ego Pharao, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum (*Ezech.* XXIX). » Pro hujusmodi superbia sententiam damnationis æternæ accepit, de cœlo projectus (*Apoc.* XII) factusque princeps tenebrarum diabolus, qui fuerat angelus speciosus. Unde apud eumdem prophetam dicitur ei : « Tu signaculum similitudinis plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti, » et cætera, usque « repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti, et ejeci te de monte Dei (*Ezech* XXVIII). » Quibus utique verbis tria prædicantur, horribilis ejus superbiæ instrumenta, sapientia, decor sive pulchritudo, maxime ubi sub nomine Assur dicitur in eum, omne lignum paradisi non est assimilatum illi et pulchritudini ejus, quoniam speciosum feci eum. Tertium ejus fuit magnitudo, nam « cedri, inquit, non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquales frondibus illius (*Ezech.* XXXI). » Cæterum vera magnitudo Deus est, et vera sapientia Verbum Dei, Filius Dei est, et vera pulchritudo Spiritus sanctus est; quæ beata Trinitas sanctorum angelorum et magnitudo et sapientia et pulchritudo est; at ille diabolus magnitudinem illam non honorificavit, sapientiam illam non adoptavit, pulchritudinem illam non amavit. Quomodo ergo nisi per ironiam plenus sapientia et perfectus decore extensusque et protegens dicitur fuisse? (*Psal.* XLVIII.) Sunt enim in Scriptura sacra ironiæ gravissimæ. Exempli gratia, cum dicit sancta Trinitas : « Ecce
A Adam quasi unus ex nobis factus est (*Gen.* III) ; » cum revera potius propter peccatum « comparatus sit jumentis, et similis factus sit illis (*Psal* XLVIII). » Et sicut filia Babylonis virgo dicitur cum sit meretrix (*Isa.* XLVII). Itaque et quod ibidem illi dicitur : « Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, jaspis, chrysolitus, onyx, beryllus, sapphirus, carbunculus et smaragdus (*Ezech.* XXVIII), » qui sanctorum sunt novem ordines angelorum, cum improperio dictum esse sentimus, quia sic sibi ille arrogavit, ponens, ut supra dictum est, « cor suum quasi cor Dei, » et dicens, « in cathedra Dei sedi. » Denique solius Dei « est operimentum omnis lapis » ejusmodi, id est omnis perlucidus ordo angelicæ dignitatis, sicut dicitur in psalmo : « Confessionem
B et decorem induisti amictus lumine sicut vestimento (*Psal.* CIII), » id est, decora confessione sanctorum (qui omnes lumen, id est, filii lucis sunt,) sic es indutus, sic es ornatus ut aliquis vestimento suo. Quod nimirum parum est de solis intelligere hominibus, filii lucis ; nam et sancti angeli, imo et primum ipsi lux et filii sive angeli lucis, confessione sua decora Creatorem suum induerunt, et ipsi sunt de quibus idem ipse Dominus ad beatum Job dicit. « Cum laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei (*Job* XXXVIII). »

CAPUT IX.

Quod recte et justo Dei judicio diabolum Spiritus sanctus suo respectu indignum judicavit, reum æterni delicti, et de ruina ejusdem diaboli, et quod positus fuit in monte sancto Dei.

C Quia igitur per superbiam peccavit, recte et justo judicio Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio non in illum, sicut in electos angelos, sed omnino longe ab illo declinavit, eamdem passus ab ipso repulsam, quam ex hominibus similibus ejus passus est, vel patitur dicens : « Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel (*Jer.* III). » Sicut enim illum populum Israel sibi adduxit, et legem sive tabulas Testamenti dedit illi in monte, qui et ob hoc dictus est mons Dei (*Exod.* XX), hoc exigens pro cunctis beneficiis suis ut diligerent eum, atque dicens : « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et diligas eum ? » (*Deut.* X) et multa his similia. Sic et illum malignum in cœlo
D posuit, quemadmodum dicit : « Et posui te in medio monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti (*Ezech.* XXVIII). » Hoc ab illo exigens, ut creatori et tanto largitori haberet gratias, utpote rationalis creatura, et tanquam lapis appositus vel præparatus in foraminibus suis, susciperet ligaturas auri vinculum dilectionis Dei. Nam hoc est quod eadem Scriptura dicit : « Aurum opus decoris tui, et foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt (*ibid.*). » Itaque quia per nimiam, sicut jam dictum est, superbiam repulit a se amatorem Deum, et contemptuosam ab illo spiritus dilectionis passus est repulsam. Neque enim in semetipso unquam

recipit illum, quamvis ita scriptum sit : « Aurum opus decoris tui ; » subauditur enim esse debuit vel promptum fuit. Justo valde judicio, Spiritus sanctus non sicut ad nos peccatores homines in remissionem peccatorum procedit et deinde divisiones gratiarum superaddit, ita ut in illam creaturam et complices ejus malos angelos facere unquam voluit, aut proposuit. De hoc miror quosdam contendere, dicentes quod statim, ut conditus est, cecidit, cum hoc authentica nulla Scriptura tradiderit, imo et contrarium sonet quod hic scriptum est. Præmisso namque, « et foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt, » quid est dicere, et rationalis creatus es, et subtili donatus ingenio, propter quod excusationem non habes de peccato tuo ; statim subjungit : « Et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis, »| subauditur per hypocrisim a die conditionis tuæ, « donec inventa est iniquitas in te (*Ezech.* XXVIII). » Et multa hujusmodi, quæ quoniam non possunt solvi, cum sint verba divinæ auctoritatis, necessario nonnulla debet intelligi mora, inter illud quod creatus est et illud quod projectus est vel de cœlo cecidit, juxta **28** quod dicit : « Et peccasti, et ejeci te de monte sancto Dei. »

CAPUT X.

Responsio ad illum qui forte quærit : Ad quid posuit diabolum in monte sancto Dei ? et ut quid illi tanta contulit, cum sciret eum Spiritus sanctus « qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei ?

Hic forte quærat aliquis : Ad quid illum talem posuit in monte sancto Dei ? utquid illi tanta contulit ? Nunquid nesciebat « Spiritus, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei (*I Cor.* II), » quod ille lapis durissimus atque rebellis, non recepturus foret in se aurum opus decoris sui ? Cur ergo illic posuit eum, ut ambularet in medio lapidum ignitorum ? Hoc qui quærit, quærat et illud, cur idem Dominus hominem in paradiso posuit. Neque enim illum in paradiso fecit, sed tulit. Ergo, ait Scriptura, Dominus Deus fecit hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum (*Gen.* II). Dicat ergo : Nunquid nesciebat Deus quod futurum esset, ut non operaretur et custodiret illum ? utquid ergo illic posuit eum ? Ad hæc, inquam. Non nesciebat Deus, sed nisi angelum in cœlo et hominem tentasset in paradiso, ut nota fierent sæculis superventuris, vel quæ in corde erant hominis, nos judicia ejus laudare nesciremus, multumque deesset nobis de cognitione Dei, cujus cognitio vita æterna est, quemadmodum dicit ipse Filius Dei : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII). » Hoc quod diximus per aliquod simile melius intelligitur. Cum Dominus Moysen mitteret ad Pharaonem, dicens : « Clamor filiorum Israel venit ad me : Veni, mittam te ad Pharaonem, » etc. Hæc quoque dixit : « Sed ego scio quod non dimittet vox rex Ægypti, ut eatis, nisi per manum validam (*Exod.* III). » Attamen ipsam manum validam non statim exercuit, non statim primogenita Ægypti, vel ipsos Ægyptios cum Pharaone percussit, sed prius multis et bonis illum sermonibus convenit, pluribus signis levioribusque plagis tentavit, donec scirent, qui viderunt eum, sciremus nos quoque qui legimus, glorificationem Domini in curribus Pharaonis et exercitus ejus, quia justus est Dominus. Pharao autem et populus ejus impius. Sic nimirum idem Dominus, cum sciret de angelo illo quam esset malus, debuit eum non statim judicare, vel damnare cæteris videntibus, sed tentare prius, similiterque hominem, ut sciremus nos quoque cum angelis sanctis ab effectis, sive ex operibus, quod solus sciebat Deus jam, nullis adhuc malis meritis præcedentibus, et scientes justitia ejus, vel in illius angeli ruina, vel in hominis pœna laudaremus.

CAPUT XI.

Propter quid tam terribili judicio damnatus fuerit, et de eo quod in Apocalypsi dictum est : « Unum de capitibus bestiæ quæ habebat capita septem, quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus sanata est, sive habet plagam gaudii et vixit. »

Superius jam diximus, Spiritum sanctum Paracletum, vinumque vel siceram consolationis ejus, secundum visionem Lamuelis dandum esse « mœrentibus et his qui amaro animo sunt (*Prov.* XXXI), » id est hominibus, et qui peccatorum sibi conscii, constanter secundum Deum et ab hoc sæculo consolationem recipere nolunt et renuunt. At illi apostatæ angeli, cum suo capite diabolo, quam longe fuerint vel sint ab isto laudabili mœrore, ab ista dulci amaritudine, mirabiliter innuit Scriptura libri Apocalypseos, cujus quot verba, tot pene sunt sacramenta. Imo et amplius dicas, parum enim pro merito voluminis dictum est, ait beatus Hieronymus, nam in verbis pene singulis multiplices latent intelligentiæ. Quomodo ergo illa Scriptura dicit ? « Et unum, inquit, de capitibus ejus, videlicet bestiæ, quæ habebat capita septem, quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus sanata est (*Apoc.* XIII). » Septem bestiæ capita quæ illa erexit contra mulierem in utero habentem, quæ et clamabat parturiens et cruciabatur ut pareret, ut cum peperisset devoraret filium ejus ; nos autem intelligimus septem regna mundi hujus principalia, sive notissima, quæ a tempore promissionis beati seminis quod est Christus, in hoc steterunt agente diabolo (cujus corporis sic illa regna recte intelligitur capita, sicut omnes iniqui recte dicuntur et sunt ejus membra) ut promissio non adimpleretur, ut Christus non nasceretur, aut ut natus moreretur, et periret nomen ejus. Primum illorum fuit regnum Ægyptiorum, quod masculos seminis Abrahæ omnes jussit interfici aut in aquis necari (*Exod.* I). Secundum regnum Israelitarum carnalium, quod maxime regnante et agente Jezabel promissionis Verbum abolere voluit, cultum Baal superadjiciens vitulis, quod fecerat Jeroboam, et pro his interficiens prophetas et suffodiens altaria Domini (*III Reg.* XIX). Tertium regnum Babyloniorum, quod populum illum

captivavit, et tres pueros nolentes adorare statuam quam erexerat, misit in caminum ignis (*Dan.* III). Quartum regnum Persarum et Medorum, quod agente Aman, universum Judæorum genus delere voluit (*Esther.* III). Quintum regnum Græcorum, cujus vires diabolus maxime per Antiochum Epiphanem sibi assumpsit, sicut narrant Machabæorum libri (*I Mach.* I). Sextum regnum Romanorum, quod Christum et martyres ejus interfecit. Septimum regnum erit Antichristi; de isto recte intelligas quod dictum est : « Et unum de capitibus ejus, quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus sanata est (*Apoc.* XIII). » Diabolus enim est, vel erit, qui plagam æternæ damnationis in cœlo accepit, sed « plaga mortis ejus, » inquit, « sanata est, » sive, ut postmodum repetitum est, habet plagam gladii et vixit. Mirabiliter ergo, ut supra dictum est, Scriptura hæc duritiem ejus innuit. Quid enim est dicere : Habet plagam gladii et vixit, nisi et damnatus est, et superbit ? Et quid est dicere : Quasi occisum caput in mortem, et plagam ejus sanatam esse, nisi de perditione et separatione ipsius a Deo, quæ vera occisio et vera mors est, non curare, imo et contemnere, ac semetipsum quasi vivum, id est justum defendere ? Non enim vere vivit, aut vere « plaga ejus sanata est, » sed idcirco dictum est, quia sic sibi arrogat, sic consolatur miser.

CAPUT XII.

De eo quod dictum est ad beatum Job : « Spiritus ejus ornavit cœlos, et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus. »

Igitur non minus scienter quam fideliter dicimus, ad laudem hujus procedentis Spiritus sancti, quia sicut nunc, ita et tunc super omne cor impœnitens justi et recti in processione sua tenuit iter judicii, donis gratiarum suarum humiles et subjectos perornans angelos, et relinquens superbos diabolum, simulque complices ejus omnis spiritus superbiæ filios. Hinc illud ad beatum Job pulcherrime et verissime
29 dictum est : « Spiritus ejus ornavit cœlos, et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus (*Job* XXVI). » Neque enim, quoniam de beatis apostolis recte intelligitur hoc dictum : « Spiritus ejus ornavit cœlos, » idcirco minus verum erit, hoc sentire vel dicere de illis beatis angelis, quos ornavit idem spiritus, novem ordinibus distinctos. Et quia tunc quoque « eductus est coluber tortuosus, » quando dixit Dominus : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII), » quod tunc futurum erat, quando Scriptura ista condebatur, non idcirco minus verum est, jam tunc de cœlo illum fuisse eductum eductione terrifica, cujus meminit ipse Dominus dicens : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X). » Imo et adhuc tertia vice est educendus idem coluber tortuosus, summæ Trinitatis adversarius, et proinde trino judicio damnatus atque damnandus, scilicet in die judicii, quando fiet illud quod itidem beato Job Dominus loquitur : « Ecce spes ejus frustrabitur eum, et videntibus cunctis præcipitabitur (*Job.* XL). » Nunc vide quanta res, quanti ponderis actio, quam brevi, quam parco designata est eloquio, dum dicit : « Et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus, » præmisso, « Spiritus ejus ornavit cœlos (*Job* XXVI). » Quidnam est obstetricare, nisi nascentes infantulos excipere et diligenter tractando ad vitam custodire ? Cum ergo hæc dicit, mirabiliter Creatoris nostri designat, quam habuit vel habet curam, circa electam creaturam suam tam angelicam quam humanam pro ipsius creaturæ humilitate, sicut scriptum est : « Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me (*Psal.* CXIV). » Idcirco et plane et quando cœlos illos ornavit, qui sunt sancti angeli, colubrum tortuosum eduxit, id est diabolum de cœlo projecit, ut ablato scandalo faceret pacem et concordiam in sublimibus suis. Et quando cœlos alios, id est apostolos ornavit, idcirco colubrum eumdem tortuosum eduxit, id est, foras ejecit, sicut ipse in Evangelio dixit, ut liberati per sanguinem ipsius a scandalo peccati, sciremus et possemus servire Creatori nostro et Redemptori. Et quando cœlos omnes, id est sanctos omnes, tam angelos quam homines, ita perornabit (*Joan.* XII), ut et angeli jam non habeant negotium administrandi, sicut administrant, et usque ad diem illum administrabunt ; unde et Apostolus dicit : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ? » (*Hebr.* I.) et homines sive hominum spiritus, resumptis corporibus duplici gloria corporis et animæ remunerentur, idcirco colubrum eumdem tortuosum funditus educet, videntibus enim cunctis præcipitabitur, ut omnia scandala de regno ejus auferantur, pacemque habeat illa dormitio, de qua itidem ad beatum Job dictum est : « Quis enarravit cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire facit ? » (*Job* XXXVIII.)

CAPUT XIII.

De eo quod dictum est ad eumdem beatum Job : « Quis enarravit cœlorum rationem, » et cur saltem nec ipse Moyses describere debuerit rationem cœlorum, id est sanctorum ordines angelorum, qui primus enarravit rationes terrarum et generationes filiorum hominum.

Super fundamentum litteræ hujus pulcherrimum atque firmissimum, libenter atque delectabiliter superædificavimus, quoad possumus, cœpti sermonis aurum, sive argentum, aut aliquid pretiosorum lapidum ad laudem Spiritus sancti, qui ornator est ejusmodi cœlorum. Sed interim occurrit quæstio, quia quæri potest, cur nullus enarrare debuit eatenus rationem eorumdem cœlorum. Etenim cum dicit Dominus : « Quis enarrabit cœlorum rationem ? » subauditur : nullus ; ego autem sum enarraturus. Denique Moyses, qui ante beatum Job, et litteras primas, scilicet Hebraicas, Deo vel digito Dei scribente, sibique tradente, accepit, fere nihil de illorum ratione cœlorum enarravit, nisi hoc tantum.

« Dixitque Deus : Fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem quod esset bona, divisitque lucem et tenebras. Appellavitque lucem diem, et tenebras appellavit noctem (*Gen.* I). » Hoc ergo quæritur, ut jam dictum est, cur cœlorum rationem nullus eatenus enarravit, nec saltem ipse Moyses, qui terræ, id est, hominis rationem enarraturus, de cœlestibus illis solum hoc brevissime enarravit, sic incertum et quasi sub velamine, ut vix aliqui Patrum spiritualium intelligere potuerint, maxime quod Pater Augustinus nomine lucis sanctos angelos, et nomine tenebrarum malos angelos designaverit, quorum divisio, qua dictum est : « Divisitque Deus lucem et tenebras, » illud indicat judicium quod catholica firmiter tenet Ecclesia, quia angeli lucis nunquam ulterius in tenebras, et angeli tenebrarum nunquam ulterius in lucem redituri sunt. Quisquis istud quærit, cur nec ipse Moyses de illis cœlestibus plus sive manifestius aliquid scripserit, sive scribere debuerit, quærat et illud cur cœlestibus sacramentis Scripturis, quæ post illum futura vel facienda erant circa genus humanum, tantumque grossum, sive densum velamen super faciem suam obduxerit, ut non solum illi carnales filii Israel, qui tunc erant videntes cornutam faciem ejus, fugere potuerint (*Exod.* XXXIV), sicut usque hodie fugiunt illorum posteri, verumetiam spirituales filii Israel, ex quibus sumus et nos, vix aliquatenus tractando et retractando Scripturam ejus perspicere possumus, quo tendat claritas vultus ejus, quo intendant radii cornutæ faciei ejus. Quærenti hoc vel illud respondere debemus, quia cœlestia sacramenta portare tunc non poterat totus fere carnalis mundus, sic enim tunc erat mundus, quasi puer sive adolescentulus lascivus atque petulcus, cui pro parte illorum quibus hæreditas promittebatur in semine Abrahæ, quod est Christus, vix posset inveniri pædagogus, qui reprimeret lascivientes mores ejus pœna præsente, vindicta præsto apparente, ita ut plerosque illorum ignis absumeret, terra deglutiret, serpentinus morsus devoraret (*Num.* XVI). Cum igitur talis esset mundus, quomodo illi competeret revelata facie, vel manifestis sermonibus enarrari rationem cœlorum, describi sanctorum ordines angelorum, cum et ipsa, quæ ad homines specialiter pertinent, oportuerit velari mirabilia splendida spiritualium sacramentorum? Proinde satisfactum sibi esse putet, quisquis illud quærit, cur non saltem Moyses, cui Deus « facie ad faciem loquebatur (*Exod.* XXXIII), » cœlorum istorum rationem enarravit.

CAPUT XIV.

De eo quod dictum est ad eumdem beatum Job : « Et concentum cœli quis dormire facit, » et quæ vel qualis illa dormitio sit.

Jam nunc ut ad capitulum hic et supra memoratum sermo recurrat, quis est ille cœli concentus, et quæ vel qualis est dormitio ejus. Dixit enim « Et concentum cœli quis dormire facit ? » (*Job*

A XXXVIII.) Nimirum concentus concors est, et in nullo dissonans cantus, et ejusdem angelicæ cantionis omnis symphonia laus est sanctæ Trinitatis, cujus videlicet laudis summam hanc **30** audimus in Isaia : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus (*Isa.* VI), » sive pleni sunt cœli et terra majestate ejus. Verus et pulcher concentus chordis omnibus bene extentis et vocibus cunctis bene consonantibus, ex quo, sicut jam supra dictum est, eductus est coluber tortuosus omni voce dissonus, omni symphoniæ contrarius, sibilator non cantor, non præcentor aut succentor, imo quantum in ipso fuit, vel est, totius sacræ musicæ corruptor. Quomodo illum talem concentum cœli Dominus

B Deus dormire fecit, vel facit ? Nimirum dejiciendo sive ejiciendo de ordine vel choro cantantium illum sæpe dictum, et sæpe exsecrandum colubrum tortuosum, quia dum illum dejecit, pacem firmavit et concordiam fecit in sublimibus suis. Pax illa, concordia illa, nonne dormitio est ? Quid enim aliud nobis hominibus sancta et mystica lex repromittit, nisi securitatem illam ineffabilem sub verbo dormitionis ? « Et comedetis, inquit, panem vestrum in saturitate, et absque terrore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, et non erit qui exterreat. » Et protinus ostendens quomodo vel per quid efficiatur illa dormitio nostra: « Auferam, inquit, malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros (*Levit.* XXVI). » Malæ

C quippe bestiæ sunt maligni spiritus, et malarum bestiarum caput est ille coluber, id est diabolus, quorum terminos jam transivit gladius, id est sententia damnationis æternæ, quam supra jam diximus. Quid igitur in sermone pulchrius, in re pretiosius isto quod ait, « et concentum cœli quis dormire facit ?» O ter quaterque beatus ille concentus cœli, ubi omnis multitudo et concinendo dormit, et dormiendo concinit ! Sabbatizat enim et dormitio ejus in Sabbato est ipsa requies Domini, septima dies Domini, et in illam requiem introivit cum concentu interminabili, cum voce ineffabili, cum extensione infatigabili.

CAPUT XV.

Item de eodem concentu, et de verbis concentus, sive cantionis illius, quem apud Isaiam audi-

D *vimus : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus. »*

Audivimus, ut supra jam dictum est, verba quædam concentus sive cantionis illius : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus (*Isa.* VI). » Quam pulcher, quam æqualis tenor in verbis, quam certus, quam stabilis ! Nulli gradus sunt hic, nullum momentum incrementi sive decrementi in vocibus istis. Unde ergo gradus suos accepit inimica hæresis? Nam ac si concentus ille sic cecinisset : Sanctus, sanctior, sanctissimus, et pluraliter addidisset : Domini et dii, non singulariter Dominus Deus; ita sibi gradus fecit, maxime per os Arii ut diceret Spiritum sanctum magnum quidem, sed Filium

Spiritu sancto majorem, et Deo Patre minorem. Unde, inquam, gradus istos accepit impia vel serpentina hæresis, nisi ab ipso colubro patre mendacii, quem de concentu illo manus Domini propter dissonantiam ipsius eduxit, et foras misit? Idcirco talis hæreticus reus est æterni delicti, sicut et pater ipsius diabolus qui fecit gradus istos, quibus non ascenditur ad superos, imo descenditur ad inferos. In Osee scriptum est: « Projectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eis; usquequo non poterunt emundari? quia ex Israel ipse est. Artifex fecit illum, et non est Deus (*Ose.* VIII). » Est autem hic sensus. Ne mireris quod sordes Israel, scilicet vituli, quos fecit Jeroboam, non potuerunt aut possunt emundari, quia videlicet ipse, subauditur vitulus, sive vitulorum cultus ex Israel est. Neque enim aliunde hoc accepit, ut vitulum pro Deo coleret, sicut Baal et Astaroth, etc.; dæmoniorum portenta de vicinis gentibus accepit, forte errantibus et per ignorantiam multis peccantibus, sed artifex fecit illum, subauditur Jeroboam, sive Israel, sciens quia « non est Deus artifex, » inquam, sicut manifeste Scriptura dicit: « Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad Dominum David, si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos (*III Reg.* XII). » Propter excogitationem consilii, propheta sive Deus artificem illum nuncupavit, quia non ignoranter sed malitiose peccavit, et idcirco non potuerunt peccata illa emundari, ut recederet Israel a vitulis suis saltem tempore unius ex regibus suis. Similiter de Ario sciendum cæterisque hæreticis, qui intelligere noluerunt illum concentum cœli, et maluerunt scindere unitatem cantionis, quia non est eorum amplius illum audire concentum cœli, neque partem aut communionem habebunt cum illis, qui per planitiem sive fidei æquitatem, absque illis gradibus inæqualitatis vadunt, hinc ut dormiant et concinant illic, juxta illud de Canticis graduum: « Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini (*Psal.* CXXI); » neque enim emundari poterunt, sed immundi erunt et in hoc sæculo, et in futuro, et laborabunt in æternum, sicut laborabat ille coluber circumductor ipsorum, per foratas nares in sudibus et circulum habens in naribus (*Job* XL), atque ita nusquam sabbatizans, nusquam dormiens circuit terram, dissimulare volens quidem, sed non valens fatigationem suam dum requisitus, unde venis, respondet et dicit: « Circuivi terram et perambulavi eam (*Job* I), » et maxime hoc tempore habens iram magnam, quia scit quod modicum tempus habet, et non diu illi circuire licet.

CAPUT XVI.

Sententia beati papæ Gregorii de illis cœlestibus sanctorum angelorum ordinibus; qui vel quales homines cujus ordinis societatem sortiantur.

Beatus papa Gregorius de illis cœlestibus sanctorum angelorum ordinibus loquens (*Homil.* 34 *in Evang.*, n. 11), et spei nostræ congaudens, quod venturi sumus in illorum societatem, sive, ut ait ipse Dominus, æqualitatem, hæc inter cætera dicit: « Isti itaque qui parva quæ capiunt, pie fratribus annuntiare non desistunt, in angelorum numerum currunt. Alii secretorum cœlestium summa et capere prævalent et nuntiare. Quo ergo isti, inquit, nisi inter archangelorum numerum deputantur? Alii mira faciunt signa, valenter operantur. Quo isti, nisi ad supernarum virtutum sortem et numerum congruunt? Nonnulli etiam de obsessis corporibus malignos spiritus virtute orationis, et vi acceptæ potestatis ejiciunt. Quo isti meritum suum, nisi inter potestatum cœlestium numerum sortiuntur? Nonnulli acceptis virtutibus cum et bonis meliores sint, electis quoque fratribus principantur. Quo isti sortem suam nisi inter principatuum numeros acceperunt? Nonnulli sic omnibus vitiis dominantur, ut jure dii inter homines vocentur, qualium uni, scilicet Moysi: « Ecce, inquit, Dominus, constitui te deum Pharaonis (*Exod.* VII). » Quo isti, nisi inter numeros dominationum currunt? Non nulli hoc in munere virtutis acceperunt, ut recte et alios judicare possint. Quid isti, nisi throni sunt conditoris sui? Nonnulli tanta Dei **31** ac proximi dilectione pleni sunt, ut cherubim jure nominentur, quia enim cherubim *plenitudo scientiæ* dicitur. Et, Paulo dicente, didicimus « quia plenitudo legis est dilectio (*Rom.* XIII), » omnes qui Dei et proximi charitate pleni sunt, meritorum suorum sortem inter cherubim perceperunt. Nonnulli supernæ contemplationis facibus accensi, amando ardent, loquendo et alios accendunt et quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Qui ergo ita ad amorem sui Conditoris inflammati sunt, quo nisi inter seraphim sortem suæ vocationis acceperunt? »

CAPUT XVII.

Responsio ad illos qui dicunt quod de singulis ordinibus multitudines ceciderunt, quoniam secundum illam sententiam beati Gregorii ex hominibus alii in illum et alii in illum ordinem sint assumpti, sive assumendi.

Dum hæc dicit, scilicet ex hominibus alios in angelorum, alios in archangelorum numero deputari, alios inter supernas virtutes, alios inter cœlestes potestates, alios inter principatus, alios inter dominationes, alios inter thronos, alios inter cherubim, alios inter seraphim accipere sortem suæ vocationis, nonnulli solent asserere, quod de singulis ordinibus multitudines ceciderint quod itidem in singulis ordinibus ruinæ debeant ex hominibus reparari. Quid ad hæc dicere potuimus, aut possumus? Hoc enim pertinet ad rationes illas, de quibus scriptum et supra memoratum est: « Nunquid nostri ordinem cœli, aut pones rationes ejus in terra? » (*Job.* XXXVIII) Dicimus ergo: Si de Scriptura qualibet canonica confirmare possent opinionem illam, quæ præventi

sunt, dicentes: Angelos sive spiritus illos, mox ut A creati sunt, in suis ordinibus constituisse, moxque et illos cecidisse, et istos in gradibus suis perstitisse, concedendum esset opinioni. Nunc autem non ita est. Nulla enim Scriptura canonica opinioni illi suffragatur, imo et prophetica veritas apud Ezechielem oppido refragatur (*Ezech.* XXII), ut longe supra memoravimus. Proinde recte econtra quærimus: Quid illi spiritus beati remunerationis acceperunt pro eo quod, peccantibus apostaticis spiritibus, ipsi peccare noluerunt? Si enim jam tunc erant ut nunc sunt in ordinibus suis stabiliti ac perfecti angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, cherubim atque seraphim, quomodo exinde tam multi cadere potuerunt? Verbi gratia: Si erant in ordine Seraphim, id est, eorum B angelorum qui divini amoris igne ardent, sive incendunt, quomodo exinde excidere potuerunt; imo quomodo nunquam illius amoris dulci ardore arsisse putandi sunt? Verius ergo et rationabilius hoc dicimus quia in remuneratione pro eo quod non peccarunt, et Creatori suo subjici maluerunt, ordines illos acceperunt quos habent nunc, in hoc ipsum ordinati, verboque Domini et spiritu oris ejus firmati, ut amplius cadere, id est peccare non possint, sicut lapides supra memorati, auro astricti, tenentur in ordinibus suis dispositi secundum scientiam artificis ligando ordinati, ordinando ligati, ut excidere non possint, nec aliud doctoris supra dicti sermo bene recipere nos compellit.

CAPUT XVIII.

Alia scientia de similitudine novem ordinum angelorum, et novem charismatum Spiritus sancti, quæ secundum Apostolum hominibus data sunt, dicentem: « Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, » etc.

Nunc jam, quia sermo idem nos lætificavit secundum speciem quam Dominus ipse fundavit, dicens: « Æquales enim sunt angelis, cum sint filii resurrectionis (*Luc.* XX), » quia, inquam, sumus ejusdem novenis ordinibus disponendi, perpulchrum est considerare, quia quot sunt illic a Spiritu oris Domini ornamenta cœlorum, tot sunt hic in hominibus sanctis ab eodem spiritu divisiones gratiarum. Sic enim ait Apostolus: « Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo D scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Hoc ergo qui perpendit, scilicet electionem ex hominibus tot esse charismatum varietate ornatam, quot ordinibus illos beatus spiritus constat esse distinctos; potest etiam apte secundum eadem charismata conjicere, qui vel quales homines, quibus aut cujus ordinis angelis similes debeant exis-

timari. Denique qui habent interpretationem sermonum, ut saltem in una lingua possint enuntiare sensum Scripturarum ad utilitatem audientium, nonne angeli sunt? « Labia enim sacerdotis, ut Dominus in Malachia, custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malach.* II) » Qui autem etiam genera linguarum acceperunt, in hoc ipsum non una lingua, verum etiam variis linguis efficere possint, et de gente in gentem transferre ac dilatare Verbum Dei, quod maxime sanctis datum est apostolis, nonne merito dicuntur et sunt archangeli? In discretione spirituum nimirum dignitatem judiciariam recte intelligis, quod jure vocentur throni, eo quod de spiritibus Deo in ipsis præsidente, judicare noverint, juxta illud: « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt (*I Joan.* IV). » In gratia prophetica non incongrue dominationum agnoscitur auctoritas, quia profecto regibus quoque prophetæ dominati sunt, maximeque Elias et Elisæus, nam Elisæo quoque clamavit rex: « Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus (*IV Reg.* XIII), » cæterisque regibus prophetæ dominati sunt, et maximo prophetarum Moysi dictum est: « Ecce constitui te deum Pharaonis (*Exod.* VII). » Fides nonne principatum meretur? Denique et Abraham (*Rom.* IV), et Isaac, et Jacob, et David propter fidem, sive justitiam fide, patriarchæ, id est, Patrum principes nominati sunt, et Petrus quoque apostolus ob excellentiam fidei, princeps apostolorum nominari C meretur. Ergo et omnes quorum fides præclarior habetur, recte principatus nominantur, et ipsi fratribus suis, sive Ecclesiis Christi principari, id est, præesse digni habentur. Gratia sanitatum et operatio virtutum hoc maxime differunt, quod gratia sanitatum circa infirma corpora expenditur, sive per impositionem manuum, sive per alium quemlibet modum. Operatio vero virtutum extrinsecus exhibetur in rebus exterioribus, in elementis hujus mundi, sicut maxime factum est per manum Moysi, qui circa corporum sanitatem ferre hoc solum fecisse legitur, quod Mariæ sororis suæ lepram **32** sanavit (*Num.* XII). Quibus ergo gratia sanitatum data est, nonne inter potestates, et quibus operatio virtutum data est, nonne jure reputantur inter virtutes? Porro quibus sermo scientiæ, ipsi sunt tanquam cherubim, et quibus sermo sapientiæ datus est, ipsi sunt tanquam seraphim. In illa gratia maxime apostolus Paulus claruit, habuit enim scientiam non solum Dei, verum etiam sæculi; in ista vero Joannes dilectus Domini, cujus sermo totus versatur circa charitatem, quæ vera sapientia est, et auditores intendit accendere igne amoris Dei, secundum ipsum vocabulum seraphim.

CAPUT XIX.

De eo quod Apostolus dicit: « Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. »

Adde illud quod idem Apostolus dicit. « Nusquam

enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit (*Hebr.* II). » Quorsum istud? diximus enim longe superius, quia nobis hominibus duobus modis datur Spiritus sanctus altero quod est in remissionem peccatorum, altero quod est in divisiones gratiarum. In sanctos autem angelos uno modo, scilicet in divisiones gratiarum, larga dignatione effusus est. Nam ut in remissionem peccatorum nunquam detur apostaticis spiritibus, judicium verum fuit, et est ejusdem Spiritus sancti. Ut ergo quantum Creatori debeas, homo perpendas, et causam tuam melius ipse discernas, « adde quod nusquam angelos apprehendit, » sed humanam de semine Abrahæ naturam apprehendit tali apprehensione, ut Auctor salutis tuæ dignaretur per passionem mortis consummari. Quota in hoc est portio debiti tui debitæ gratiarum actionis? angelos et creavit et eos qui non peccaverunt magnificavit, te autem et creavit, et cum universus in Adam peccavisset, justificavit et insuper magnificavit. Justificavit, inquam, dato illo Spiritus sancti quod est remissio peccatorum, quo electio creaturæ angelicæ, quia non perierat, non indiguit: magnificavit alio dato ejusdem Spiritus sancti quod est divisio gratiarum; quorum in primis illos cœlestes spiritus ornavit, sive magnificavit. Angelorum itaque Deus est, tibi autem idem Deus est et Pontifex, simul vero et angelorum et hominum Rex, unus idemque Dei Filius est. Cum hæc ita sint, putasne plura in altari pectoris tui ligna, quam angelus, habes ad nutriendum ignem divini amoris? Scriptum est enim in sancta ac mystica lege Domini: Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens mane ligna per singulos dies (*Levit.* VI). Igni denique ligna subjicere, est commemorationem, beneficiorum sanctæ Trinitatis jugiter habere, et propter hæc in amorem ejus magis ac magis proficere, et interim ardere aliquantisper, donec veniat id quod perfectum est, sicut in Isaia scriptum est: « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem (*Isa.* XXXI). » Sion namque præsens Ecclesia est. Jerusalem autem illa superna civitas, id est sanctorum angelorum universitas, de quibus nobis hactenus sermo est. Ergo « ignis Domini in Sion, et caminus ejus in Jerusalem, » id est, abundantia divini amoris quæ illic est præsenti dilectione Dei, sic major est, sicut parvo sive quantulocunque igniculo grandis et valide succensus caminus fortior est.

CAPUT XX

Item sententia B. Gregorii in illo versu cantici Deuteronomii: « Constituit terminos gentium, juxta numerum angelorum Dei, » pro quo nos secundum Hebraicam veritatem interpretante B. Hieronymo, ita legimus; « Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. »

Ait idem doctor supra memoratus: « Decem dragmas mulier habuit qui novem sunt ordines angelorum, sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus. » Idem post aliqua: « Superna A illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est: « Constituit terminos gentium, juxta numerum angelorum Dei. » Quod Scripturæ testimonium, fateor, utrum ad hanc rem confirmandam satis idoneum sit ambigo. Præsertim quia juxta Hebraicam veritatem, interpretante beato Hieronymo, taliter scriptum est: « Constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel. » Quæ littera qualem adhuc sensum possit habere, postmodum dicemus. Nunc illud dicere præstat, quia propter illa verba quæ dixit: Sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus. Solent plerique arbitrari, quod si omnes angeli perstitissent, nullaque ruina B facta fuisset ex eis, non crearetur, neque fuisset causa cur deberet homo creari. Quod si conceditur, cavendum est ne ita pueri simus, ut existimemus Deum nullum ante ruinam angelorum de homine creando habuisse propositum, sed postquam casus ille contingit, tunc demum illi venisse in mentem consilium hujusmodi, scilicet, facere genua nostrum, ob recuperandam multitudinem domus seu familiæ suæ quæ cecidit. Rectius ergo dicitur, quia non homo propter angelos, imo propter hominem quemdam angeli quoque facti sunt, sicut et cætera omnia, testante Apostolo cum dicit: « Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia (*Hebr.* II), » cujus capituli memoria nos non præterivit in primo libello præsentis operis, cum de principio C loqueremur, in quo creavit Deus cœlum et terram. Si enim verum dicit, imo quia verum dicit Evangelista: « Quod factum est in ipso, vita erat (*Joan*, I), » nihil excipiens, præmiserat enim: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; quanto magis homo iste decorus, ab ipso Verbo in unitatem personæ assumendus angeli, qua antequam angeli fierent, in ipso vita erat? Testatur et hoc ipsa Sapientia, quæ non est aliud quam ipsum verbum, dum dicit: « Dominus possedit me ab initio viarum suarum, » et cætera usque « quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, et ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum (*Prov.* VIII). » Statimque subjungit: « Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Quidnam hoc est, nisi ac si dixisset: Antequam Deus quidquam D faceret a principio, et quando hæc vel illa faciebat, hoc erat in proposito, ut ego Verbum Dei, Verbum Deus caro fierem, et in hominibus habitarem magna charitate et summa humilitate, quæ veræ deliciæ sunt.

33 CAPUT XXI.

Probabilius dici posse, quod non tam homo propter supplendum angelorum numerum, quam et angeli et homines propter hominem Jesum Christum facti sunt.

Igitur probabilius hoc dicimus, quod non tam homo propter supplendum angelorum numerum, quam et angeli et homines, propter unum hominem

Jesum Christum facti sunt, ut quoniam unus idemque et Deus ex Deo natus erat, et homo nasciturus erat, haberet, præparatam ex utroque latere familiam, hinc angelorum, hinc hominum, et ipse Deus, et homo, Dominus et creator angelorum, Dominus et Creator atque Salvator emineret hominum sanctorum, Dominus, inquam, in eis sicut in domo sua, Rex in gente sua, Deus in majestate sua. Quia, sicut dictum jam est, « et propter ipsum, et per ipsum omnia. » Hoc aspicientibus nobis pulchrum est etiam illud attendere, quia non ante sed postquam ad Abraham factum est Verbum de promissione tam beati seminis (*Hebr.* II), de adventu vel nativitate tanti hominis, cœperunt sancti angeli congaudentes hominibus visibiliter quoque interdum illud exhibere ministerium, de quo Apostolus : B « Nonne, inquit, omnes spiritus administratorii sunt, missi in ministerium (*Hebr.* I), » et ita familiariter ut hospitio quoque illorum suscipi dignati sunt, et appositum sumere cibum more hospitum hominum (*Gen.* XVIII), et multa beneficia per eos administrata sunt, sicut passim testatur ipsa Sacrarum historica sive prophetica series litterarum. Verum nos de illis ipsorum beneficiis sive ministeriis alio in opere diximus aliquid, quod intitulatur De victoria Verbi Dei. Hic tantum hoc meminisse libuit, quod recte a Verbo promissionis, quod factum est ad Abraham de semine ejus (*Gen.* XII), in quo benedicerentur omnes gentes, quod est Christus, cœperunt angelorum ministeria cum hominibus celebrari sive frequentari, ac si dicat nobis Scriptura, quia jure patribus illis angeli famulabantur, quorum ex semine C nasciturus erat angelorum Dominus.

CAPUT XXII.

Qualem sensum habere possit littera hæc, quam secundum Hebraicum beato Hieronymo interpretante legimus : « Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. »

Proposuimus supra dicere, quem sensum habere possit littera hæc, quam secundum Hebraicum beato Hieronymo interpretante legimus : « Constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel (*Deut.* XXXII). » Nam quod juxta aliam editionem legitur : Statuit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei, sensum haberet firmiorem auctoritate supra dicti doctoris eximii, si Hebraica quoque D veritas sic haberet, ut septuaginta transtulerunt, juxta numerum angelorum Dei. Primum ergo quærenda est intentio Moysi in Verbis istis cantici Deuteronomii : « Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi : Quando dividebat

A Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus (*ibid.*). » Nimirum in istis, et in his quæ sequuntur commemorando beneficia Dei, hoc intendit, ut benevolentiam alliciat illius populi circa cultum Dei, vel amorem Patris sui. Qui possedit, inquit, et fecit, et creavit te. Qualem autem ab initio, vel quanto a numero cœpit possidere tali possessione, ut ille homo Jacob gens fieret, aut populus existeret ? Nimirum ab ingressu sive introitu Jacob in Ægyptum, dicente Domino ad illum : « Ego sum fortissimus Deus Patris tui ; noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. » Et post pauca sic scriptum est : « Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta. » Porro Joseph et duo filii ejus, Ephraim et Manasses in Ægypto erant. Itemque scriptum est : « Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Jacob septuaginta quinque (*Gen.* XLVI). » Profecto juxta hunc numerum filiorum Israel, qui tunc populus esse cœpit, jamdudum constituerat « Dominus terminos populorum, quando, sicut ibidem dictum est, divisit Altissimus gentes, » et separabat filios Adam propter superbiam, ubi turrim Babel ædificabant. Illam namque divisione septuaginta tres, quod aiunt scriptores, vel potius, ut ratio declarat, septuaginta duæ gentes totidemque linguæ per terras esse cœperunt, quæ crescendo provincias et insulas impleverunt. Hinc beatus Hieronymus ubi Dominus dixit ad Petrum : « An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum (*Matth.* XXVI). » illius jam dictæ multitudinis gentium sive populorum, hoc modo meminit. Una legio apud veteres sex millibus complebatur hominum. Pro brevitate temporis, numerorum non accurrimus explicare typos. Tantum dixisse sufficiat quia septuaginta duo millia angelorum, in quot gentes hominum lingua divisa est, duodecim legionibus fieri manifestum est. Nonnihil igitur ponderis habet secundum hunc sensum littera hæc : « Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. » Quantum enim valet ad exigendam Israelis benevolentiam circa Deum, quod cum jam haberet Deus septuaginta gentes, dimissis illis, solos elegit sibi in gentem septuaginta duos homines, vel paulo plures, quia Joseph cum filiis suis in Ægypto erat ? Unde fit ut recte propter paucitatem cum admiratione legatur : « Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus. »

34 LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Propositio, dicere aliquid de humana creatura ad laudem S. Trinitatis ad honorem Spiritus sancti de Patre et Filio procedentis, cujus in ista creatura valde clara rutilant bona.

Sapientis viri est, dum ædificat domum suam, fodere in altum, et ponere fundamenta supra petram. « Descendit pluvia, ait Dominus ; venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra petram (*Matth.* VII). » Nimirum illi viro sapienti aliquatenus et nos extremum cupimus assimilari. Quoties enim cupientes exigere aliquod boni ac fidelis sermonis ædificium, quærimus ac tenemus aptum sive conveniens quodlibet capitulum de auctoritate divina, auctoritate canonica, sive prophetarum, sive apostolorum, ut ædificemus super fundamentum illorum, profecto fodimus in altum et ponimus fundamenta supra petram. Ac proinde si descendant loquaces pluviæ sæcularium, maximeque sophistarum odibilium, quibus sua stipula suumque placet fenum, nostrum autem vile est aurum sive argentum. Et nostri lapides pretiosi contemptibiles sunt, si, inquam, veniant flumina hæreticorum, et irruant in domum nostram, non cadet, quia supra petram fundata est. Igitur de humana creatura jam dicturi aliquid, ad gloriam et laudem sanctæ Trinitatis, ad honorem Spiritus sancti de Patre et Filio procedentis cujus in ista creatura valde clara rutilant dona, quærimus hoc fundamentum, et in omni portiuncula sermonis nostri certum de sanctis Scripturis tenere cupimus capitulum, quia videlicet hoc est, sicut jam diximus, fodere in altum, et ponere fundamenta supra petram. Primum capitulum hoc est.

CAPUT II.

De proposito Dei dicentis : » Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. »

« Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). » Hinc ait fidelis David : « Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu (*Psal.* CXVIII ; *Job.* X). » Fodiens hic in altum ut fundamenta ponam, qualem invenio petram, nisi ipsam beatæ Trinitatis intentionem dicentis : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram? » Quænam erat intentio vel quid erat in intentione ejus, nisi is quis nunc sedet ad dexteram Patris « mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus ? » (*I Tim.* II.) Si enim, quod sæpe dictum, semperque sciendum est, non solum per ipsum, verum etiam, ut Apostolus ait, propter ipsum omnia, quanto magis humana propter ipsum facta est creatura ! Cum ergo dicit : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » parum est ad consummationem propositi Dei hoc at-

A tendere, quod omnes electi (*Hebr.* II), « qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom.* VIII), » et rationales creati, et similes Deo sunt futuri, tanquam patri suo filii, juxta illud : « Charissimi nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus ; scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III), » parum, inquam, hoc est, nisi hunc hominem attendas qui ipse est, ut Apostolus ait, « imago Dei invisibilis (*Col.* I), » et sicut idem alibi loquitur : « Splendor gloriæ et figura substantiæ ejus (*Hebr.* I). » Nunquid enim cum hæc diceret beata Trinitas, « Faciamus hominem, » et cætera, de homine isto nihil cogitaverat aut proposuerat, sed postquam peccavit Adam, tunc demum istud cogitavit Deus,

B ut homo fieret Dei Filius, ob redimendum humanum genus. Diximus de hoc in præcedentibus, cum de angelis loqueremur, quia si verum dicit, imo quia verum dicit Evangelista : « Quod factum est in ipso vita erat, » nihil excipiens, præmiserat enim : « Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I), » multo magis homo iste ab ipso Verbo in unitatem personæ assumendus, antequam angeli fierent, « in ipso vita erat, » et hoc erat propositum ejus deliciosum, sicut Sapientia loquitur, quæ non est aliud quam ipse Dei Filius : « Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, a principio, » et cætera quæ ita concludit, « et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII). »

C

CAPUT III.

De eo quod ait beatus Job, et post eum David : « Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me. »

Magnum igitur negotium, et res valde operosa, magnum sanctæ Trinitatis exigebat consilium ut taliter diceret : « Faciamus, » et sic dicendo, quasi semetipsam una Patris, et Filii, et Spiritus sancti divinitas ad operandum hortaretur, tali modo ut rem bene perpendentes, recte dicant sancti supra dicti : « Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me, da mihi intellectum (*Psal.* CXVIII), » — « manus tuæ fecerunt et plasmaverunt me totum in circuitu (*Job* X). » Quid enim tale creatum est in diebus primis? quid tale factum est in illis generationibus cœli et terræ ? In illo die, quo fecit Dominus

D Deus cœlum et terram et omne virgultum agri ? Pulchre ergo dictum et magna cum reverentia est **35** audiendum, quia cum de singulis operum Dei speciebus, narrans Scriptura dixerit : « Dixitque Deus : Fiat » hoc vel illud, de homine solo narrat Deum dixisse : « Faciamus (*Gen.* II). » De singulis vero diebus, sive dierum operibus nos latius alio in opere tractavimus, in quo nec illud diligentiam

nostram præterivit, quia septies Deus dixit : « Fiat, » et si non eodem verbo, tamen eodem modo usus dicendi quem *imperativum modum* appellant grammatici, et septies bonitati ejus opus suum complacuit, dicente Scriptura : « Et vidit Deus quia bonum est (*Gen.* I), » quæ videlicet bonitas Dei non est aliud, quam septiformis Spiritus Dei. De homine autem non dixit : Fiat homo, sive producat terra hominem, sed « Faciamus, » ait, ac deinceps ita scriptum est : « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ (*Gen.* II). » Nimirum ubi dicit : « Formavit de limo terræ, » quod est plasmare, locum sive causam præbuit admirationi nostræ, scientiamque suggessit humilitati nostræ, ut diceret : « Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me. » O igitur magnum spectaculum, grande miraculum! Putasne sancti angeli, qui jam fuerant conditi, sciebant quid tanto molimine plasmator Deus inciperet operari ? Nimirum absconditum erat illi sacramentum, si verum loquitur Apostolus, imo qui in Apostolo loquitur Christus. Ait enim : « Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei (*Ephes.* III). » Solus plasmator ipse sciebat et in semetipso absconditum habeat tantummodo dignitatem futuri operis præsignans qualitate operationis, operando manibus suis.

CAPUT IV.

Quod manus aut pedes in Deo non sint, quemadmodum in nobis, sicut putaverunt hi qui pro rustica simplicitate dicti sunt humaniformii, et de eo quod scriptum est in Isaia : « Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera ? »

Nec vero hoc dicimus aut opinamur quod manus aut pedes in Deo sint, quemadmodum in nobis, sicut putaverunt hi qui pro rustica simplicitate dicuntur humaniformii, sed pluralitate manuum, dum dicitur : « Manus tuæ fecerunt me, » pluralitas innuitur personarum, sicut et alibi pluralitate trium digitorum. Scriptum quippe est in Isaia : « Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera ? » (*Isa.* XL.) Tribus enim digitis, id est, tribus personis unius veræ summæ Deitatis. Cum ergo dicit : « Quis appendit tribus digitis, » sapiens responsum expostulat ut dicas : Tu, Deus, appendisti. Quod cum responderis, placet illi ut quæras adhuc et dicas : Ubi ? quomodo ? qualem molem terræ ? quos montes ? quales appendi atque libravi colles ? (*Psal.* CXLVIII.) Taliter percunctanti pulchrum est ut respondeas illi : Domine, si dicam, quia terram inanimatam et insensibilem, quam calcamus pedibus nostris, tu appendisti super nihilum, neque enim aliquibus sus-

A tentatur columnis, sed tu eam positione præcepti tui fundasti, ut stabilis sit, montes et colles (qui sunt terræ tumores) consistere jussisti : verum quidem dico, sed parum est ad gloriam et laudem Trinitatis, quam per tres digitos nobis insinuatam esse vis, cujus capax non est terra hæc inanimata et insensibilis. Plus ergo dicam, quia ubi vel quando dixisti : « Faciamus hominem, » et de limo terræ masculum et feminam creasti sive plasmasti, et benedixisti eis, dicens : « Crescite et multiplicamini (*Gen.* I); » ibi sive tunc « tribus digitis molem terræ » appendisti, « montesque in pondere, et colles in statera » librasti. Tunc illam terræ molem appendisti, quæ nimirum digna erat appensione trium digitorum tuorum, scilicet montem illum magnum, B qui secundum visionem Danielis implevit orbem terrarum (*Daniel.* II). Et illos montes in pondere, atque illos colles in statera librasti, de quibus Apostolus dicit : « Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit ; quos autem justificavit, hos et magnificavit (*Rom.* VIII). » Verissime nihil horum in præscientia et prædestinatione defuit, quando dixisti : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » et creasti masculum et feminam, et benedixisti dicens : « Crescite et multiplicamini. » Præfinitum habebas numerum multiplicitatis eorum, præcognitum habebas modum crementi, id est, meriti singulorum, et appendebas pondus meC riti in libra sive statera justæ remunerationis. Quid autem illi, quos non tetigerunt hi tres digiti in appensione ejusmodi, id est, quos non prædestinasti in hoc Verbo benedictionis : « Crescite et multiplicamini, » quorum superflua multiplicitas de peccato, vel propter peccatum venit te dicente ad mulierem : « Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos (*Gen.* III). » Si filii benedictionis quos nasci jussisti, dicendo : « Crescite et multiplicamini, » recte dicuntur et sunt montes et colles tribus digitis appensi sive librati, quid de illis protinus censet in eodem propheta Spiritus sanctus, quos vitiata caro protulit, aut profert ultra modum et multiplicati sunt super numerum ? « Ecce, inquit, gentes quasi stilla situlæ et quasi momentum stateræ reputatæ sunt ; ecce D insulæ, quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei (*Isa.* XL). » Quid rogo, vel quantum est stilla situlæ ad magnos montes ? quid pulvis exiguus, qui levi vento aufertur ad colles stabiles, qui de loco suo nec per terræmotum, nec per tonitrua moventur ? Sic omnes filii hujus sæculi quantumlibet alti videantur et magni sint in oculis suis, nihil sunt in comparatione filiorum benedictionis, qui, secundum propositum tuum, Trinitas Deus, « vocati sunt sancti (*Rom.* III), » quos ante sæcula præscitos et prædestinatos, suis quemque temporibus in nomine tuo vocasti, justificasti et magnifi-

casti, quorum magnitudo tunc clarissime apparebit, A quando constitutus dicetur eis : « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi (*Matth.* xxv). »

CAPUT V.

De eo quod ait Dominus Deus : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum ; » ad ipsum Adam : « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris. »

Procedamus ulterius. Propositum quippe nobis est sanctæ Scripturæ agrum perambulare et quærere et demonstrare thesaurum sancti nominis hujus, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sic in agro isto absconditum, ut tamen inveniri posset ab his B qui Deo divites esse volunt. « Ecce, inquit Deus, Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum et malum (*Gen.* III). » Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et vivat in æternum, **36** emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Et ad ipsum Adam dixit : « Quia pulvis es et in pulverem reverteris (*ibid.*). » Quodque uni dixit, nimirum omni generi humano dixit : Et concedit dictioni vel judicio, imo misericordissimæ providentiæ ejus, humilitas hominis, dum in psalmo dicit : « Mane sicut herba transeat, » subauditur homo sive natura humana, « mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat, quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus C (*Psal.* LXXXIX). » Et est sensus : Dixi, ne avertas hominem in humilitatem, tamen non id oro ut homo statim ex quo natus est, fiat immortalis et impassibilis, sed potius concedo divinæ sententiæ, qua dixisti : » Quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » scilicet, ut ipse apparens « sicut herba mane, » nimirum viridis et pulchra, « transeat, » id est, ad modum ipsius herbæ deficiat. Hoc modo sive tali ordine. « Sicut herba mane, » ita homo in juventute positus floreat, id est vigeat, et postea ab ipso matutino flore juventutis transeat in vesperum senectutis, et in illo vespere positus decidat, id est, moriatur et post mortem induret, id est rigidum cadaver fiat. Et deinde arescat, id est, aridus pulvis existat. Recte et valde prudens concessio, quia videlicet non solummodo concedendum, verumetiam D omnibus modis laudandum est providum sanctæ Trinitatis consilium, cujus est vox ista secundum pluralem numerum : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, » sicut et illa de qua supra jam tractatum est : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » Laudare vel satis considerare mens humana non sufficit ad altitudinem hujus divini consilii, quo beata Trinitas homini mortuo morte peccati, quæ mors animæ est, necessariam providit mortem corporis, præparatum habens apud se bonæ artis instrumentum, quo posset per mortem corporis mors animæ destrui.

CAPUT VI.

Exclamatio supra prophetæ, qui post illud supra dictum : « Quis appendit tribus digitis molem terræ, » protinus subjunxit : « Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis consiliarius fuit et ostendit illi ? »

Hic igitur exclamare libet cum propheta, qui cum dixisset : « Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera » cujus capituli supra meminimus, protinus subjunxit : « Quis adjuvit Spiritum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi ? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum prudentia, et viam prudentiæ ostendit illi ? (*Isa.* XL.) » Exclamatio sive admiratio hæc, nimirum et si in aliis mirabilibus tuis, Deus, congrua est, maxime in isto, vel pro isto consilio tuo locum habet, quo sic bene consuluisti humano generi, ut diceres ironia quidem gravissima : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, » quia videlicet sic serpens dixit : « Eritis sicut dii (*Gen.* III), » statimque subjungeres : « Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat et vivat in æternum (*ibid.*). » Hoc denique cum consilio locuta es, o beata Trinitas ! Est enim consilium apud te ; si non esset apud te consilium, non diceret propheta : « Domine, consilium tuum antiquum verum fiat, » et Psalmista dicat : « Consilium autem Domini in æternum manet (*Psal.* XXXII). » Est ergo consilium apud te Deus in Spiritu sancto sicut et fortitudo ; unde idem Spiritus sic dicitur Spiritus consilii, sicut et Spiritus fortitudinis (*Isai.* XI). Viderit quid sentiat aliquis, ego in nullo magis admiror, in nullo magis amplector altitudinem consilii divini quam in isto dicto vel facto, quod dixit homini : « Pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III), » et emisit eum, ne comederet de ligno vitæ et viveret in æternum. Audebo igitur circa illud consilium versari et respondere percunctationibus istis, quoniam et si verum Apostolus dicit : « Quis enim cognovit sensum Domini ? » (*Rom.* XI.) et ut subaudias nullus, tamen idem alibi loquitur : « Nos autem sensum Christi habemus (*I Cor.* XII.) » Denique antequam consilium istud antiquum iniret Deus, nullus sensum ejus cognovit et nullus extrinsecus consiliarius ejus fuit, nunc autem postquam factum est, cognoverunt multi, et ut verbis utar ejusdem Apostoli, manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, creditum est mundo, assumptum est in gloria. Percunctabor igitur sicut percunctando ipse propheta percunctari nos docuit, et respondebo prout Christiana fides ad respondendum nos instruxit.

CAPUT VII.

Item de eadem exclamatione : Quis adjuvit Spiritum Domini ? et de obedientia Filii, quod ipsa adjuverit Spiritum Domini.

Quis adjuvit Spiritum Domini ? Laborabat enim Spiritus Domini. Denique si quis alius eum laborare

fecit, ut dicat ei : Laborare me fecisti in iniquitatibus tuis ;si quis hominum contristavit eum,ut recte dicat Apostolus : « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis (*Ephes.* IV), » maxime Adam illum contristavit et laborare fecit in iniquitatibus suis,quibus omnem posteritatem suam antequam nasceretur involvit et prædamnavit. Quis in hujusmodi labore adjuvit Spiritum Domini, volentem supplantare auctorem peccati et reformare justitiam nascituris filiis benedictionis,ne periret benedictio qua benedicens dixerat : « Crescite et multiplicamini. » Quis, inquam, illum adjuvit : Vere nullus extrinsecus,sed sola intrinsecus sapientia Dei, obedientia Filii Dei. Puta ergo dixisse in illo consilio Spiritum Domini. Ecce homo, sive humanum genus cum sit mortuum secundum animam, si vita corporis vixerit in æternum, non erit quo recuperetur.Quin autem ad hæc sapientia Dei ? Filius Dei ? « Holocaustum, ait, pro peccato non postulasti,tunc dixi : Ecce venio (*Psal.* VII). » Ego ego ex antiquis,antequam terra fieret,et dum hæc vel illa fierent, dum tecum essem cuncta componens, jamdudum pro deliciis meis habebam « esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII), » Sed ecce oportet ut omnes moriantur morte carnis filii hominum, quoniam morte animæ mortui sunt. Non ego subterfugiam propositum,et renuam esse cum filiis hominum.Imo in majore necessitate majorem confirmabo charitatem. Et « ecce venio, » taliter ut causa illorum fiam « holocaustum et pro peccato. » Quis in hoc consiliarius fuit, et ostendit illi ? Vere nullus extrinsecus,sed ipse Dei Filius spontaneam offerens obedientiam consiliarius fuit,imo est.Unde propheta loquitur : « Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius (*Isa.*IX).» Cum quo iniit consilium et eum ?Vere cum nullo extrinsecus,sed intrinsecus instruxit in abscondito Trinitatis rationabiliter diffinitum est decere eum,sicut Apostolus dicit: « Propter quem omnia,et per quem omnia,qui multos filios in gloriam adduxerat (*Hebr.*II),» jam per præscientiam et prædestinationem ante omnia sæcula auctorem salutis eorum per passionem consummari. Quid rogo ista consummatione decentius? quid ista rationabili **37** charitate pulchrius?Hæc est semita justitiæ quam nullus extra docuit eum ; hæc est scientia qua nullus erudivit eum;hæc est via prudentiæ quam nullus ostendit illi, sed ipse adinvenit. Vide ergo.Nisi præcautum fuisset ne sumeret homo etiam de ligno vitæ, et viveret in æternum,quales fierent vel fieri possent « deliciæ huic sapientiæ Dei,esse cum filiis hominum ? » (*Prov.*VIII.) Si enim nec filii hominum, qui mortui erant secundum animam, secundum carnem morerentur,nec ipse Dei Filius dignatus esse cum filiis hominum, secundum carnem moreretur, quid deliciosum illi aut quæ utilitas nobis, illum esse cum filiis hominum ? Nulla, sicut enim granum frumenti cadens in terram, nisi mortuum fuerit ipsum solum manet (*Joan.*XII),ita nisi et nos omnes filii hominum secundum carnem moreremur,

A et ipse volens esse cum filiis hominum,fuisset nobis locutus hoc unum de similibus, ut secundum carnem moreretur, maneret ipse solus, nec esset in quo, vel per quid Divinitas nobis propitiaretur. Nunc autem quia dixit Deus homini :« Pulvis es,et in pulverem reverteris.» Dicit Job : « Inveni in quo propitier ei (*Job.* XXXIII), » et quid est illud ? Nimirum ut debeam per omnia fratribus assimilari, subauditur absque peccato, sicut dictum est alio loco : Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (*Hebr.* IV). « O inventio mirabilis ! ob hoc tradendum esse morti Filium,ut servo Dominus deberet repropitiari.

CAPUT VIII.

Item de eo quod ibidem in propheta scriptum est :
B *« Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum scientiam et viam prudentiæ ostendit illi.» Et responsio ad illam percunctationem secundum Apostolum dicentem : « Sapientiam loquimur inter perfectos. » Et alibi : « Nobis autem revelavit Deus per Spiritum. »*

Istam justitiæ semitam quis eum docuit ? istam prudentiæ viam quis ostendit illi ?Est enim « ibi et semita et via, et via sancta vocabitur (*Isa.* XXXV), » ait idem propheta. Et aliis quidem semita, id est angustior via ;aliis autem via,subauditur plana sive amplificata, et quibus vel qualibus est semita? quibus itidem vel qualibus est via ?Nimirum semita illis est, qui non sapiunt ea quæ Dei sunt, scilicet sapientibus hujus sæculi, de quibus vel qualibus
C Apostolus cum dixisset : « Quoniam Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt ; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I), » postmodum ait:« Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi,neque principum hujus sæculi,qui destruuntur ; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, quam prædestinavit ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Nimirum istis vel omnibus qui ejusmodi sunt, ista ratio justitiæ, de qua nunc loquimur : Semita est, id est, via tamque arcta, ut pauci sint vel fuerint ex eis qui invenirent eam. Porro via prudentiæ, via,inquam,id est, plus quam
D semita istis est,qui diligunt illum,quorum vel qualium est unus idem Apostolus qui protinus subjungit : « Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, » et cætera usque « spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur ; quis enim cognovit sensum Dei qui instruat eum ? nos autem sensum Christi habemus (*I Cor.* II). » O ergo quam pulchra via prudentiæ, quanta pulchritudo justitiæ in verbis crucis,de quo tunc loquebatur Apostolus dicens : « Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt,id est nobis, virtus Dei est (*I Cor.* I), » et de quo videlicet verbo crucis mentio nunc nobis occurrit,contemplantibus

illud concilium Trinitatis, quod admiramur cum propheta dicente: « Quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? » (*Isa.* xl.) Audemus nos adjungere his qui dicunt: « Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, » audivimus enim dicentem Dei Filium, cum dignaretur baptizari a Joanne, nimirum baptismo pœnitentiæ: « Sic enim decet nos implere omnem justitiam (*Matth.* iii). » Audivimus et Apostolum dicentem: « Quia decebat eum auctorem salutis per passionem consummari (*Hebr.* ii), » quæ videlicet passio pœnitentiæ illius, quam ob implendam omnem justitiam suscepit, consummatio fuit.

CAPUT IV.

De illa ironia Dei sive sanctæ Trinitatis, qua dixit: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum, » cum jam præmisisset: « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » et quomodo illa ironia in serium conversa est, quando novus Adam Jesus Christus factus est una persona ex tribus personis sanctæ Trinitatis.

B Non ergo dubitamus, quia simul ut sancta Trinitas hanc ironiam edixit: « Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum, » cum jam præmisisset, « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » jamque fecisset Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induisset eos, taliter in eodem consilio pertractatum est, ut diceret: Non est Adam factus ut putabat, quasi unus ex nobis, imo amisit illud quod habuerat, vel habere potuerat ex nobis. Sed decet nos implere omnem justitiam, taliter ut unus ex nobis fiat quasi Adam, id est, ita fiat homo, ut sit etiam mortalis secundum carnem sicut Adam, C et tali morte moriatur, quasi sceleratus, sicut est Adam, et inter iniquos reputetur (*Isa.* liii), qualium omnium exemplum est Adam. Per hoc enim fiet ut quam multi filii Adam fiant, quasi unus ex nobis, nequaquam a sua spe decepti, sicut deceptus est Adam; fiant, inquam, « quasi unus ex nobis, » id est, fiant filii Dei per gratiam, fratres et cohæredes unici Filii, qui est unus ex nobis. Nonne sic factum est? Non ergo dubitamus in illo Trinitatis consilio sic fuisse dictum sive tractatum, Filius Dei unus ex illis tribus personis, bonum pro malo, id est, gratiam pro rapina reddidit homini, factus quasi Adam. Unde et dicit: « Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde, » id est mortuus morte animæ, « et factus sum tanquam vas perditum (*Psal.* xxx), » nimirum D ut fuit Adam, et æstimatus sum cum descendentibus in lacum, qualium primus factus est Adam, et factus sum, id est, reputatus sum sicut homo, sine adjutorio, subauditur divino, et sicut vulnerati dormientes in sepulcris, id est, oppressus tam actualibus peccatis quam et peccato originali, quod fecit Adam cum esset inter mortuos liber, videlicet potestatem habens sumendi animam meam post mortem, quæ libertas mortuorum non est. Ita plane factum est, ac perinde conversa est ironia illa in serium, ut veraciter dicas: O Trinitas Deus, « ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, » id est, homo

A in unitate personæ provectus est in Filio, qui unus est ex nobis; homo, inquam, Filius Dei factus est, et hic est novus Adam multorum filiorum pater, quorum universitas, » quasi unus ex nobis est, » id est, Filio Dei similis. Hinc est illud **38** quod dicunt: « Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* iii). »

CAPUT X.

De fide, quæ est unum et præcipuum donorum Spiritus sancti; quod ipsa in sanctis antiquis Patribus primis tanti sacramenti tantæ salutis præparatio fuerit.

Ad tam mirum tamque ineffabile sacramentum nimirum grandi præparatione opus erat. Qua vel cujusmodi præparatione, nisi fide? denique per culpam perfidiæ et ambitionis nimiæ, sese indignum Deo fecerat Adam, credendo serpenti magis quam Deo, et ambiendo celsitudinem illam, quam primus ambivit ille, dicens in corde suo: « Ero similis Altissimo (*Isa.* xiv). » Quid enim aliud mendax ille promisit, dicendo: « Eritis sicut dii? » Econtra, præparatione opus erat fidei et humilitatis, ut salvo ordine justitiæ, dignos se redderent filii hominum illa gratia quam proposuerat sapientia, quam intelligimus et scimus ipsum esse Dei Filium dicens, ut superius memoratum est, « et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* viii). » Unde hæc præparatio, scilicet fides, nisi ex dono tuo venit, o Spiritus Domini? Hæc enim de divisionibus gratiarum, quas tu operaris. una et optima est, dicente Apostolo: « Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu (*I Cor.* xii), » et cætera quarum videlicet gratiarum numerum novenarium pulchre, ut arbitror, superius assimilari diximus novem nominibus ordinum angelorum. Cum igitur dicit idem Apostolus: « Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est justus, testimonium perhibente Deo muneribus ejus et per illam defunctus adhuc loquitur; fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium habebat placuisse Deo: sine fide autem impossibile est placere Deo (*Hebr.* xi). » Cum, inquam, hæc et cætera dixit: Admirationem nobis adauget, ut dicamus magis ac magis, sicut supra memoratus propheta dicit: « Quis adjuvit Spiritum Domini? » (*Isa.* xl.) Imo ubi erant illi adjutores tui, o Spiritus Domini. Quorum vel qualium unus loquitur Apostolus: « Dei enim sumus adjutores, » subjungens: « Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis secundum gratiam, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat (*I Cor.* iii). » Ubi, inquam, erant, quando ponebas illa fundamenta terræ, illos primo secundum fidem Patres Ecclesiæ? Nam hodie ubicunque fundamentum hoc ponitur, ubicunque fides fundatur, multi ejusmodi adjutores sunt, multæ

voces prædicatorum, multi libri prophetarum et apostolorum, multa signa frequentia ad confirmationem dictorum. At vero tunc « quis te adjuvit, o Spiritus Domini? » quid habuisti hujusce adjutorii? Tu solus absque libris, absque signis vel portentis scripsisti, ut es digitus Dei in cordibus eorum Scripturam hanc, id est fidei scientiam, per quam, vel « in qua testimonium consecuti sunt senes (*Hebr.* XI), » ait idem Apostolus, scilicet Abel, et cæteri antiqui Patres usque ad Moysen, quorum in cordibus absque libris cæterisque adjumentis fundamentum hoc, te ponente, fundatum est.

CAPUT XI.

Quod illo tempore non solum fides, verum etiam prophetia ante diluvium sanctis illis a sancto Spiritu data fuerit, prout voluit, et de sacramento numeri quo ait Lamech :« Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. »

B Cæterorum quoque charismatum nonnihil jam tunc temporis senibus sive patribus illis divisit idem Spiritus sanctus prout voluit, scilicet prophetiam, sive scientiam divinam. Nam scientiam humanam non adeo nos hic attendimus, quam humano plerumque ingenio consequuntur et illi, qui sunt sine fide, vel exspectatione hujus Paracleti. Verbi gratia, musicam, cujus ita meminit Scriptura in illo qui septimus fuit a Cain, « et nomen fratris ejus, videlicet Jubal, fuit Tubal, ipse fuit pater canentium cythara et organo (*Gen.* IV). » Divinam autem scientiam dicimus, quæ divinum aliquid sive spirituale sapit, ut est illud : « Septuplum, inquit Lamech, ultio dabitur de Cain ; de Lamech vero septuagies septies (*ibid.*).» C Hujus namque dicti meminisse, et huc respicere dignatus est ipse Dominus, qui fere nihil absque Scripturarum auctoritate loquebatur, dum Petro dicenti : « Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies? ita respondit: Non dico tibi, Petre, usque septies, sed usque septuagies septies (*Matth.* XVIII). » Divinus namque sensus in verbis istis latet, qui ex ratione numerorum facile colligi potest. Nam septenarius numerus, in quo est positum peccatum Cain, dicendo : « Septies ultio dabitur de Cain, » insolubilis est, neque enim partes habet mediam aut tertiam ; aut alias præter solas unitates. Numerus vero septuagesimus septimus præter unitates habet etiam alias partes, in quas resolvatur, scilicet septenarium et undenarium ; denique D septies undecies, sive undecies septies, septuaginta septem sunt. Recte ergo et pulchre, sicut per septenarium, in quo numero, sicut jam diximus, signatum est peccatum Cain, insolubilis intelligitur ultio, quæ de ipso data est, eo quod impœnitens fuerit, et per septuaginta septem, in quo numero positum est vulnus sive livor Lamech, dicendo de Lamech vero LXXVII, solubilis intelligitur ultio, id est, quam aliquando terminet, vel finiet remissio, et hoc esse quod Dominus Petro dixit : « Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies, » id est, non cuiquam impœnitenti, sed omni pœnitentiam agenti dimittes. Prophetiam quoque ævi illius hominibus non omnino defuisse,

A vel illud pro exemplo sive testimonio sit, quod in canonica legimus Epistola Judæ apostoli: « Prophetavit autem de his septimus ab Adam Henoch dicens : Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis facere judicium contra omnes inique agentes (*Jud.* XIV), » etc. Quæ prophetia et si de notis non habet exemplum litteris ante illam Epistolam apostoli, non tamen leviter potest contemni, quod Apostolus Christi, prophetatum fuisse scripsit, et Per Spiritum sanctum scire potuit.

39 CAPUT XII.

Item de charismatibus Spiritus sancti, quod illo tempore et post illud tempus ante adventum Spiritus sancti in remissionem peccatorum datus non fuerit, quodque datæ ejus tunc præparationes fuerint regenerationis, qua nunc sunt filii Dei, et de eo quod ait beatus Job de illis, quia concepti non viderunt lucem.

His et aliis charismatibus suis Spiritus sanctus homines illustrando, sine dubio multitudinem jam tunc fecit filiorum Dei, quamvis paucos, quamvis tantum duos aut tres ante diluvium manifeste Scriptura nominaverit. Cum enim cœpissent, ait, homines multiplicari super terram, videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant (*Gen.* VI), » filios Dei illos qui de stirpe Seth, et filias hominum illas nominans quæ de stirpe Cain procreatæ fuerunt. Verumtamen, quamvis filii Dei jam tunc nominati fuerint, propter fidem et propter cætera, de quibus diximus, charismata Spiritus sancti, non jam tunc eadem charismata hoc perfecerunt, ut essent filii Dei, sed præparationes erant generationis, imo regenerationis filiorum Dei, in quo consummati sunt tam veteres quam novi, Deo providente, ait Apostolus, ut non sine nobis consummarentur (*Hebr.* XI). Nam per sanguinem hujus solius, tam illi quam nos, Spiritum sanctum in ista gratia, quæ est remissio peccatorum, accepimus. In quorum, videlicet veterum et novorum distinctione, illud perpendere pulchrum est, quia cum, sicut alio in loco diximus, duo sunt data sancti Spiritus, alterum in remissionem peccatorum, alterum in divisiones gratiarum ; veteres prius in divisiones gratiarum quam in remissionem peccatorum acceperunt, novi autem, scilicet nos, qui post passionem Christi renascimur aut renati sumus, prius in remissionem peccatorum quam in divisiones gratiarum accepimus, præter Cornelium de Actibus apostolorum, et eos qui cum illo erant, super quos, antequam baptizarentur « in remissionem peccatorum, cecidit Spiritus sanctus, et erant loquentes linguis, et magnificantes Deum (*Act.* X). » Ratio quippe temporis hoc exigebat, propter eos qui crediderant ex Judæis, et gentiles nisi circumciderentur, ne liceret illis, videlicet credentibus ex Judæis pertinacius dicere : Quare introistis ad viros præputium habentes ? magisque daretur libertas Petro, ut diceret ad eos : Quis prohibet baptizari eos, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut nos ? Itaque de illis, scilicet de veteribus sanctis sive filiis Dei, maxime qui ante diluvium fue-

ruunt, recte dicas illud mysticum beati Job, quia concepti non viderunt lucem. Gratia namque Spiritus sancti, quæ est ipsa benedictio Patris et Filii, qua benedixit Deus masculum et feminam dicens: Crescite et multiplicamini, » sterilis quidem deinde numquam fuit, quia tanquam maternus uterus conciperet filios Dei; sed quia non pervenerunt ad jam dictæ remunerationis diem, imo nec cogniti sunt mundo per alicujus Scripturæ narrationem, nimirum quasi concepti non viderunt lucem. Proinde his omissis, jam ad cætera transeamus.

CAPUT XIII.

De tribus filiis Noe, ex quibus reparatus est orbis, et quod valde notandum est, trina enuntiatione renovatum super eos verbum benedictionis, quod Deus super primos homines edixit, et quod Cain potius pater quam ipsum Cham maledixit.

« Noe vir justus atque perfectus in generationibus suis. Cum Deo ambulavit, et genuit tres filios, Sem et Cham et Japhet (*Gen.* VI). » Ex istis tribus hominibus reparatus est orbis, et quod valde notandum est, trina enuntiatione renovatum est super eos verbum benedictionis, quod Deus super homines primos edixit: « Egredere, inquit Deus ad Noe, de arca tua, et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum, et ingredimini super terram. Crescite et multiplicamini super eam (*Gen.* VIII, IX). » Itemque secundo: « Benedixitque Deus Noe et filiis ejus, et dixit ad eos: Crescite et multiplicamini, et replete terram. » Ac deinde tertio: « Vos autem crescite et ingredimini super terram et replete eam (*ibid.*). » Nonne ergo Trinitas quæ illic se ostenderat in sermone, ipsa hic sese ostendit in opere? Nam illic dicendo: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, » nimirum se ostendit in sermone, et hic reservatos habens tres filios Noe, et benedicens eis trina benedictione, ut essent initia tantæ rei, scilicet reparandi generis humani, profecto sese ostendit in opere. Nec vero sacramentum hoc imminuit culpa unius ex illis tribus viris, sicut nec prævaricatio Adæ destruit Sacramentum verborum ejus, quæ dixerat: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II). » Unde Apostolus: « Sacramentum, inquit, hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* V). » Quapropter valde notandum quod pater Noe, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus Cham, non dixit: Maledictus Cham, sed: « Maledictus, ait, Chanaan, servus servorum erit fratribus suis (*Gen.* IX). » Neque enim decebat ut in illum maledicti plagam mitteret homo sapiens, in quo Deus benedictionem dederat inter fratres suos, benedicendo simul omnibus illis tertio, sicut jam dictum est, et dicendo: « Crescite et multiplicamini, sicut nec ipse Deus, postquam eodem modo benedixit Adam et Evæ, dicens: Crescite et multiplicamini (*Gen.* III), » verbum benedictionis ita in contrarium mutavit, ut diceret ad eum, quod posteá dixit ad Cain: « Nunc igitur maledictus eris super terram, » et ad serpentem: « Quia fecisti hoc, ait, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ, sed maledicta, inquit, terra in opere tuo (*Gen.* IV). » Nimirum sicut Deus incommutabilis non ad ipsum, cui benedixerat, dignum judicavit dicere: « Maledictus, » sed: Maledicta terra in opere tuo » dicere maluit, sic homo Dei vitavit dicere: Maledictus Cham, cui Deus benedixerat, et maluit dicere: « Maledictus Chanaan. » Quare autem cum habuerit Cham etiam alios suos filios, sicut Scriptura dicit: « Filii autem Cham: Chus et Mesraim, Phuth et Chanaan (*Gen.* X), » istum potius sub maledicto esse Moyses scripserit, dicere nunc ex abundanti est, tamen breviter dicendum quia tunc temporis Israel egressus ex Ægypto ducebatur in terram Chanaan, et implebantur peccata Chananæorum; idcirco, ut sciret Israel auxilium Domini ad delendum eos sibi non defuturum, scire etiam debebat genus illud fuisse maledictum antequam natum.

40 CAPUT XIV.

De illius intentione judicii, scilicet diluvii, quod in illa subluceat splendor sanctæ Trinitatis, textum litteræ diligentius inspicienti.

Ut sciamus autem certius quia non casu, sed per providentiam sanctæ Trinitatis, « Noe tres filios genuit, » et ex hujusce numeri hominibus reparatus est orbis, ipsam diligentius litteram perspiciamus in illius intentione judicii, scilicet diluvii. Nam ubi dictum est: « Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant, » continuo sequitur: « Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. » Moxque repetita querela de illa permistione filiorum Dei cum filiabus hominum, protinus sequitur: « Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, » et cætera, usque « Pœnitet enim me fecisse eos. » Continuo subjungens Scriptura: « Noe vero invenit gratiam coram Domino, et genuit tres filios, » sic ait: « Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me; fac tibi arcam de lignis levigatis (*Gen.* VI). » Quem non delectet pro modo sive intentione præsentis operis, quod etiam hic ubi forte non putabatur lucere, splendor apparuit sanctæ Trinitatis. Denique in tam brevi, ecce tertio nomen Dei, dum dicitur: « Dixitque Deus. Videns autem Deus. Cumque vidisset Deus. » Quid hic deest de manifestatione Trinitatis, nisi quod idcirco, quia oportebat, sicut in exordio diximus, hunc thesaurum in isto agro Scripturarum esse absconditum, tacitum est de relativis nominibus, ut non diceretur: Dixitque Deus Pater. Videns autem Deus Dei Filius. Cumque vidisset Deus Patris et Filii Spiritus. Denique si hoc totum scriberetur, tunc non potuisset portare mundus, faciesque Moysi, nimis cornuta (*Exod.* XXXIV), sive splendida fuisset, et longius ab eo fugisset scandalizatus Israel. Nunc velamen vultus ejus sublevare

licet, et demonstrare quia sedentem in throno judicii sanctam Trinitatem prædicat littera hæc, pro magno judicio videlicet ad faciendum tam terribile judicium super illos gigantes, nimisque multiplices homines, quorum malitia et iniquitate terra repleta est. Sententias ergo judicii, sententias libet hic perpendere singularum personarum sanctæ Trinitatis.

CAPUT XV.

De prima sententia illius judicii : « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, quod congruat personæ Patris.

« Dixitque Deus : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. » Nimirum personæ illi quæ dixerat, quod superius tractatum est : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, » nunc ergo « ne forte sumat etiam de ligno vitæ, et vivat in æternum, » ipsi congruit dixisse : « Non permanebit spiritus meus, » id est, a me factus sive datus, in homine in æternum. Denique priorem sententiam istam confirmat, et quodammodo satisfacit audientibus, quod vere sapienter et valde utiliter occluserit homini lignum, vitæ, ne viveret in æternum. Ac si dicat : Quid facerent homines, si viverent in æternum, quandoquidem propter longiusculam vitam (verbi gratia, nongentorum aut octingentorum annorum) tam corrupti, tamque superbi sunt? Ergo sicut nunc dixi, « ne sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum, » ita et nunc dico : « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, » id est quia corruptus est, imo et annos ejus diminuam, ut non amplius tot annorum, sed erunt anni centum viginti annorum. Et quidem alii paucioribus annis vixerunt post diluvium, sed Moyses, qui scripsit hanc Scripturam, hujus fuit numeri, quando mortuus est, scilicet centum viginti annorum. Est et alia de hoc numero sententia, sed hæc potior videtur. Sed nos proposito tenemur, et in hujusmodi immorari non possumus, præsertim quia alio in opere latius tractavimus. Ergo cui magis congruat hæc judicii sententia, persona Patris est. Nam ea quæ sequitur, nimirum personæ Filii congruit, et hoc perpendere, nobis dulce ac delectabile est.

CAPUT XVI.

De secunda sententia : « Videns Deus, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra, et præcavens in futurum, et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem quem creavi, quod personæ congruat Filii. »

« Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et præcavens in futurum, et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli, pœnitet enim me fecisse eos (*Gen.* VI). » Hæc, inquam, sententia personæ Filii magis congruit, scilicet judicium facere de hominibus, quia Filius hominis erat futurus, quemadmodum in Evangelio dicit : « Et potestatem dedit ei judicium facere,

A quia Filius hominis est (*Joan.* V). » Non enim quia nondum erat factus ille Filius hominis, idcirco illud de hominibus facere judicium, id est, diluvium inducere, minus illi congruit, cum certissime futurus esset Filius hominis jamque esset opus istud coram eo, sicut scriptum : « Ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram eo (*Isa.* XL, LXII). » Similiter pœnitentia sive baptismus pœnitentiæ quo baptizandus erat in forma servi eamdem pœnitentiam consummaturus, passione et morte crucis, nonne jam tunc erat coram illo? Et languores atque dolores nostros, quos ipse portaturus erat, vulnera quibus vulnerandus erat propter iniquitates nostras, attritio qua atterendus erat propter scelera nostra (*Isa.* LIII); disciplina et livor sive flagella et vibi-
B ces, quibus sacratissimum corpus ejus secandum erat, nonne jam tunc erant coram illo? Si propheta, cum adhuc essent futura, quasi jam præterita vidit et hæc omnia verbis præteriti temporis enuntiavit : « Vidimus eum, consideravimus eum, nec reputavimus eum ; languores nostros tulit, dolores nostros portavit, vulneratus est, attritus est, livore ejus sanati sumus (*ibid.*), » quanto magis coram illo erant præsentia, quamvis nondum facta! Quod ergo dicit Scriptura : « Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra, » sive hoc dictum, pœnitet enim me fecisse eos, nimirum huic personæ congruit, scilicet Filio, et recte hanc sententiam, tanquam prophetiam, et sic dictum, pœnitet enim me fecisse eos, ac si diceret : Pœnitentiam agam
C « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II), » quia feci eos, sive vapulo, id est, certissime vapulabo, non ob aliam culpam meam, nisi quia feci eos, quod nimirum erit retribuere mala pro bonis. Propterea delebo eos, scilicet et nunc istos præsenti diluvio, et omnes impios futuro per ignem judicio. Propterea, inquam, quia videlicet propter **41** hoc ipsum justum habeo potestatem facere judicium, quia Filius hominis sum ; vel simul intelligendum est, et ab eis vel ab horum similibus mortificatus, id est, certissime mortificandus sum. Quid vero est, quod dicit Scriptura, « tactus dolore cordis intrinsecus ? » quid est illud intrinsecus? Non enim est Deus ut homo, cujus corpus extrinsecus et anima intrinsecus. Ergo quod dictum est intrinsecus, illud secretum significat, de quo Apostolus ad
D Ephesios : « Et illuminare, inquit, omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus (*Ephes.* III). » Nam quia dolor ille, quo futurus erat dolens pro nobis et quem ipse quasi jam præsentem videbat, ut jam dictum est, absconditus erat et angelis et hominibus, recte dictum est, « et tactus dolore cordis intrinsecus. » Quid illud quoque est, quod dicit : « Et præcavens in futurum? » Nimirum secundum eumdem sensum idem est ac si diceret : Providens ut dolor ipsius multum haberet fructum. Ad eamdem provisionem sive providentiam et illud pertinet, quod in psalmo dicit :

« Quæ utilitas in carne mea, dum descendo in corruptionem ? » (*Psal.* xxix.) Nisi enim et illo diluvio deletum et aliis multis miseriis repletum fuisset genus humanum, et nisi cito cervices nostræ redigerentur in lutum, quomodo susciperemus humilitatis Christi jugum ? cum etiam nunc vix vexatio auditui det intellectum (*Isa.* xxviii), quando « homo natus ex muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis (*Job.* xiv), » et « dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni (*Psal.* lxxxix). »

CAPUT XVII.

De tertia sententia : « Cumque vidisset Deus, dixit ad Noe : « Finis universæ carnis venit coram me, fac tibi arcam ; quod personæ congruat Spiritus sancti. »

Ea quæ sequuntur : « Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, dixit ad Noe : « Finis universæ carnis venit coram me, fac tibi arcam de lignis levigatis (*Gen.* vi), » et cætera, inter quæ scriptum est quia « columba venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo (*Gen.* viii), » nimirum personæ congruit Spiritus sancti, ita ut jam hic veraciter dicas illud Davidicum : « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt (*Psal.* xlviii) ; » denique Spiritus sanctus ipse est misericordia, sicut in psalmo canimus : « Deus meus misericordia mea » (*Psal.* lviii), et Dei Filius ipse est veritas, sicut ipse dixit : « Ego sum veritas (*Joan.* xiv). » Et quis nesciat quia sicut veritas fuit, quod « Deus videns, ut jam dictum est, quod multa malitia hominum esset in terra : Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli (*Gen.* vi), » ita, et misericordiæ fuit, quod dixit ad Noe : « Ponam fœdus meum tecum et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum, et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum masculini sexus et feminini, ut salvetur semen super universam faciem universæ terræ (*ibid.*). » Igitur tam verbis quam factis, in illo tanto negotio tam magni judicii Trinitas sese ostendit pariter et abscondit, et in cæteris hujus agri, id est, sanctæ Scripturæ locis præcipuis idem speramus, quod thesaurus iste ab illis, qui pie quærunt, sine dubio possit inveniri. Proinde sequamur, et vigilantibus oculis omnem, quoad possumus, locum perspiciamus et perscrutemur.

CAPUT XVIII.

De eo quod dixit Deus : « Venite igitur, et descendamus, et confundamus ibi linguas eorum, » quia sic vox Trinitatis, sicut et illud dictum pluraliter : « Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est. »

« Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim quam ædificabant filii Adam, et dixit : Ecce unus est populus et unum labium omnibus. Cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eo-
A rum (*Gen.* xi). » Et revera sicut in prævaricatione Adæ res acciderat tam magna, cui sese deberet opponere sancta Trinitas, ita et hic. Qualem enim erat quod intendebant filii Adam, dicentes : « Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum ? » (*ibid.*) Nimirum eodem ausu superbiæ decipiebantur, quo et ille deceptus est, ambiendo ut esset sicut Deus, et ille agitabat eos, qui dixit in corde suo : « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* xiv). » Propter ejusmodi superbiam quam imitabantur, congrue Scriptura denotat eos nominans filios Adam. « Descendit autem, inquiens, Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam. » Denique hujusmodi locutio admirationi esse vult,
B quod filii adhuc tantam spirabant audaciam, jam ferentes paternam pœnam, quia profecto magis mirum est superbire post pœnam vel in pœna quam ante pœnam. Ausum igitur illorum libet admirari verbis quoque ethnici, scilicet poetæ insignis, qui pœnas infernales describeret gestiens dicit :

Hic genus antiquum terræ: Titania pube
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo,
Hic et Aloidas geminos immania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere cœlum,
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.
(Virg., *Æneid.* vi.)

Sed nunquid hoc Deum timuisse putabimus, et idcirco dixisse : cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant ? Denique et si hodieque viverent, et ædi-
C ficare non cessent, aut cessarent ; nunquid vel usque ad medium altitudinis cœli sive firmamenti, pervenissent? minime. Sed, esto, pervenerint, sive pervenire poterint usque ad illam firmamenti celsitudinem quam dicunt Aplanen. Quid tibi nocere possent invisibili majestati, etiam non deturbati aut fulminati ? Ergo præcavisse quidem Deum aliquid, non sit dubium, quoniam sic superius scriptum est (*Gen.* vi) : « Et præcavens in futurum ; » verumtamen non præcavisse manus eorum, imo præcavisse linguas eorum. In quo ? Simus attenti, quia non minimam intelligentiam locus iste quærit, dicente Deo : « Nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant, » qui et non manus eorum præcidit, sed linguas eorum confudit. Di-
D camus ergo qualem præcavit ædificationem superborum, quia veraciter dictum est superius. Et præcavens in futurum.

CAPUT XIX.

De eo quod dixit : « Nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant ; » qualiter eas opere compleverint.

Scripturas veritatis conditurus erat propter homines humiles Spiritus sanctus, quas nunc legimus, et in illis recondere proposuerat thesaurum (*Jer.* xlviii), quem nunc usque et invenimus et invenire cupimus, thesaurum nominis sui, thesaurum 42
sacramentorum Christi Filii Dei. Noverat enim

altitudinem Satanæ, regnantis « super omnes filios A superbiæ (*Job.* XLI) » Et illius turris ædificationem vanæ et mendacis eorum scientiæ sive loquacitatis (*II Thes.* II), extollentis se adversus veritatem Dei (*II Cor.* X), prospiciebat esse imaginem. Dixit ergo: « Cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. » Quibus a cogitationibus suis non desisterent? Utique quas vocibus istis enuntiat: « Faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat usque ad cœlum (*Genes.* XI). » Nonne ita fecerunt? Denique mox ut sacræ Scripturæ illis pervulgatæ sunt, contrariæ scientiæ turrim usque ad blasphemandum Creatorem erexerunt. Hinc est illud: « Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in Excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra (*Psal.* LXXII), » id est, cum B essent terreni, transivit lingua eorum blasphemando omnia terrena usque ad ipsum Deum. Quippe qui non solum de terrenis male locuti sunt, sed etiam de Creatore eorum. Dico ergo: Si postquam divisa sunt vel confusa sunt labia insurgentium et dissipatæ sunt cogitationes eorum, tanta fecerunt, tanta dixerunt, ut vix subsistere aut resistere posset ille, cui dicitur in Canticis: « Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, et omnis armatura fortium (*Cant.* IV), » quid fecissent, quid dixissent, si nunquam confusæ linguæ, nunquam divisa fuissent labia eorum? Bene igitur et provide dum tempus immineret ut scriberentur Scripturæ veritatis, Scripturæ legis et prophetarum, in quibus est the- C saurus veritatis, facta est divisio illa linguarum sive gentium, ut in una tantum lingua, sive gente thesaurus iste usque ad tempus posset abscondi. Nunquid vero vel istud sufficere potuit? non utique nisi in eadem una lingua gentis Hebrææ sub figuris et ænigmatibus, in parabolis et allegoriis, peracta fuisset subtilitas absconsionis. Neque enim vel ipsi portare potuissent, quibus credita sunt eloquia Dei, sicut significatum est in eo quod fugerunt vel timuerunt prope accedere filii Israel, videntes claritatem vultus Moysi (*II Cor.* III; *Exod.* XXXIV).

CAPUT XX.

De plaga illa confusionis, in quo profuerit, et cui personæ magis congruit dixisse cæteris: « Venite, descendamus, et confundamus, » etc. L

Igitur plaga quidem grandis accidit mundo, ubi facta est linguarum confusio, sed in eo non minime profuit, quod et pagani et judæi, maximeque hæretici, per Asiam, Europamque, et Africam disseminati, minus turrim suam confusibilem ædificare potuerunt contra veritatem, quam si fuissent omnes labii unius et sermonum eorumdem. Cui autem personæ magis congruit dixisse cæteris: « Venite, descendamus et confundamus linguam eorum? » Putasne personæ Filii? Denique ubi plaga confusionis illius sananda erat, persona hæc, scilicet Filius loquens apostolis suis: « Et ego, inquit, rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis (*Joan.* XIV). » Et hoc ita factum est, ita linguarum divisio, quæ propter superbiam acciderat, reformata est per ejusdem Paracleti Spiritus sancti adventum, ut in ore eorum omnium genera nasceretur linguarum (*Act.* II). Quia ergo rogante Filio sic futurum erat, sic factum est, delectabile nobis est ascribere personæ huic, illud dictum ad Patrem et Spiritum sanctum: « Venite, descendamus, et confundamus linguam eorum (*Gen.* XI), » quia videlicet, et ista nova, et illa vetera omnia propter ipsum facta sunt (*Hebr.* II). Verumtamen verba illa: « Venite, descendamus, et confundamus, non jam sic accipimus tanquam verba rogantis, quia videlicet rogare minoris est. At ille, scilicet Filius, non tunc erat minor, sed quando factus est homo, tunc paulo minus minoratus est non solum a patre et Spiritu sancto, verum etiam ab angelis (*Psal.* VIII; *Hebr.* II), quia secundum humanam naturam pati potuit et mori, quod nimirum rogare fuit. Moriendo quippe sacrificium factus est pro nobis. Melius igitur atque fidelius verba illa: « Venite, descendamus, confundamus, » sic accipimus, tanquam sapientiæ consulentis et cum Deo cuncta componentis, sicut habemus in parabolis, quæ videlicet sapientia (*Prov.* VIII), ipse est Dei Filius. Procedamus ulterius.

CAPUT XXI.

De fide patris Abrahæ credentis promissionibus beati seminis, et de eo quod tres vidit et unum adoravit.

In parte agri, quam nunc attingimus, in loco Scripturæ, in quem nunc progredimur, splendet fides patris nostri Abrahæ, credentis promissionibus beati seminis. Et hic, o beata Trinitas, Deus præclare fulget nec multum absconditus est thesaurus tui nominis, videlicet, in tribus hominibus magnis et in tribus designatus angelis. Tres homines principium magnæ gentis sunt, Abraham, Isaac, et Jacob, super quibus hodieque audimus te profitentem: « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III). » De tribus angelis taliter Scriptura dicit: « Apparuit autem Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terra, et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum (*Gen.* XVIII), » etc. Illius diei festivitas quanto notior et quanto est celebrior, tanto ad concelebrandum omnis sermo noster est pauperior. Quis enim nescit, quis non audivit quia noster secundum fidem pater Abraham illo die in ipso fervore diei tres vidit, et unum adoravit? Tres, quippe viros videbat, quibus occurrens, et adorans non dixit: Domini, si inveni gratiam in oculis vestris, sed: « Domine, inquit, si inveni gratiam in oculis tuis. » Hoc fuit adorare eum, in aspectu trium. Quid autem sibi vult illud convivium trium angelorum, nasciturum Isaac pro-

mittentium, cum risu et gaudio tales hospites suscipientium? Paulo supra riserat senex Abraham, sicut Scriptura dicit: « Cecidit Abraham in faciem suam, et risit, dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet? » (*Gen.* XVII.) Et hic, dicente Domino, qui apparuerat in tribus personis angelorum, revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua, risit Sara post ostium tabernaculi, risit, inquam, occulte; et dicente Domino ad Abraham: « Quare risit Sara, dicens: Num vere paritura sum anus? Sara timore perterrita negavit dicens: Non risi. Dominus autem: Non est, inquit, ita, sed risisti (*Gen.* XVIII). » Quid, inquam, sibi vult illud convivium talium hospitum, risu senum, et jubilo celebratum, ubi quiei nasciturus promittitur, vocari jubetur Isaac, id est *risus*, et eorum quibus nasciturus promittitur hujus nominis filius, alter Abraham, id est *Pater multarum gentium, et* altera Sara, id est, *princeps* nominatur? Dicamus aliquid fide dignum, ut cum risu æterno mereamur epulari cum beata Trinitate, secundum illius convivii signatum mysterium.

43 CAPUT XXII.

De tribus patribus. Abraham. Isaac et Jacob; quomodo in illis tribus angelis convivantibus, et nasciturum Isaac promittentibus, præsignatum fuerit sacramentum fidei sanctæ Trinitatis, qua per adventum Christi mundus est illustratus.

In propheta Amos [Osee] Dominus dicit: « Et locutus sum super prophetas, et ego visiones multiplicavi et in manu prophetarum assimilatus sum (*Osee* XII). » Porro, prophetarum præcipui, sive maximi tres isti patres fuerunt, imo sunt. Abraham, Isaac et Jacob, cum quibus sancta Trinitas, unus Deus, testamentum suum disposuit, sicut Psalmista canens, cum præmisisset: « Memor fuit in sæculum testamenti sui, quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac, et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel, in testamentum æternum (*Psal.* CIV). » Postmodum ita subjungit: « Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*ibid.*). » Ergo ut illius convivii mysterio digni habeamur, scire debemus, quali assimilatione sancta Trinitas illic in hospitio patris Abrahæ assimilata sit, assertione nostra non indiget, nam fere cunctis ubique notum est senis Abrahæ filium Isaac, quod interpretatur *risus*, Domini nostri Jesu Christi, Filii Patris antiqui et æterni, nascendo et vivendo gessisse typum, qui sanctorum risus hominum et omnium beatorum gaudium est angelorum. Futurum autem secundum dispensationem temporum, quæ præfinita fuerat apud Deum, ut non ante adventum, sed in ipso adventus ejus meridie, sive fervore diei clarissimo, sancta Trinitas mundo publica prædicatione innotesceret ipso incipiente nostro Isaac Evangelica voce. Exempli gratia, cum dicit: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Et: « Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia (*ibid.* XIV). » Et multa ad hujus fidei regulam pertinentia, quorum notissimum atque præclarissimum est illud apud Matthæum in calce Evangelii: « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Pulcherrime igitur atque sanctissime non ante, sed ubi jam venerat tempus, ut conciperetur sive nasceretur ille Isaac, figura sive forma hujus, apparuerunt patri Abrahæ tres viri illi, scilicet angeli, et currenti in occursum atque adoranti ac dicenti: « Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, » et cætera usque « ponam buccellam panis, « tam prompte respondentes « dixerunt: Fac ut locutus es, » tamque familiariter comederunt « tria sata similæ, vitulumque de armento tenerrimum et optimum, butyrum quoque et lac (*Gen.* XVIII). » Quo alio modo magis familiariter quam isto, cuperet pater Abraham convivare civibus Patriæ invisibilis, sive servire homo fidelis, et justus reputatus pro merito fidei, sanctæ et individuæ Trinitati? Similiter quo alio modo multarum gentium universitas, quarum ille est Pater secundum fidem, familiarius cupiat ministrare sanctæ Trinitati, quam sacrificando in sancto altari sacrificium Dominici corporis et sanguinis; stando sub arbore, id est, crucis Christi fide, sicut illic scriptum est: « Abraham vero stabat sub arbore? » (*ibid.*) Multa hic materia sese offert, et dicendi copiam flagitat magna res, sed nos in alio loco pro posse diximus, et idcirco testimonium sanctæ Trinitatis, quod hic magnifice splendet, nos secundum propositum memorasse sive demonstrasse contenti, finem faciamus præsentis libelli, protinus ad ulteriora progressuri secundum tenorem ejusdem propositi, quo proposuimus, in isto sacræ Scripturæ agro amplissimo thesaurum demonstrare credulis, quem videre vel invenire non possunt increduli.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De eo quod Salomon in parabolis loquitur: « Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus et exaltabitur » et quod ille sit justus, qui ex fide hujus nominis justificatur.

Spes nostra imo et corona spei nostræ tu es, o nomen Domini, nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti; corona, inquam, spei, sicut propheta dicit: « Domine, excelsum est brachium tuum, Deus Sabaoth, corona spei, quæ ornata est gloria. » Quid enim aliud quam te speramus, aut sperare debemus, dum loquendo et scribendo nomen tuum prædicamus et

glorificamus? quid, inquam, aliud sperare debemus, nisi quod diligentes nomen tuum, in te gloriabimur? « Nam gloriabuntur in te, ait Psalmista, omnes qui diligunt nomen tuum (*Psal.* v), » et Sapientia dicit: « Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus, et exaltabitur (*Prov.* XVIII). » Quis vero justus, vel unde justus? nunquid ex operibus? Nempe si de operibus agitur, refragatur Psalmista dicens: « Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII), » consonante Apostolo cum dicit: « Quia ex operibus non justificabitur omnis caro coram illo (*Rom.* III; *Habac.* II). » Unde ergo justus? ex fide, quia scriptum est: Justus autem ex fide vivit, Abraham ex fide justificatus; sicut Scriptura dicit: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Gen.* XV; *Rom.* IV); » deinde sicut memoravimus, mysterium sanctæ Trinitatis in tribus angelis videre et suscipere meruit. Et nos igitur in hac spe justitiæ glorificemus te, o nomen Domini, **44** et hoc nobis sit currere ad turrim fortissimam et exaltari, quod fidelem contendimus ædificare sermonem super fundamentum fidei, taliter ut turris esse possit in auxilio opportuno, spesque ista firma sit.

CAPUT II.

De eo quod ad Moysen incipiens loqui Deus: « Hæc, inquit, dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos, » et de nomine Adonai, « quod nomen meum, ait, non indicavi eis.

Ad Moysen Deus incipiens loqui, sic inter cætera dixit: « Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum nostrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos; Hoc nomen mihi est in æternum (*Exod.* III). » Et alibi ad eumdem dicit: « Ego Dominus qui apparui Abraham, et Isaac, et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis (*Exod.* VI). » Illic subaudiendum est, sicut indicabo tibi. Quamdam enim gratiam spiritus sui tunc dabat Dominus Moysi, scilicet operationem virtutum, quam non dederat sive indicaverat patribus illis. Neque enim illi virtutes ejusmodi operati sunt, sed sola fide gloriosi fuerunt. Hoc qui perpendit, nimirum rite intelligit, hoc dictum, « et nomen meum Adonai non indicavi eis. » Itemque illud quod Isaias ubi præmisit: « Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? » Protinus subjunxit: « Ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum sancti sui? » Et subinde: « Spiritus Domini ductor ejus fuit (*Isa.* LXIII). » Hæc, inquam, rite intelligit, qui hoc perpendit, quod Moyses pro ratione vel necessitate temporis, quia non dimissurus erat Pharao populum, nisi in manu forti, gratiam istam accepit a Spiritu Domini, scilicet operationem virtutum, quam Apostolus medio, scilicet quinto loco ponit in ordine novem charismatum ejusdem Spiritus sancti (*I Cor.* XII). Nimirum per istam gratiam, per operationem virtutum nomen suum Deus indicavit Moysi et per Moysen omnibus nobis scilicet Adonai, quod nos generaliter Dominum dicimus, ait beatus Hieronymus. Hinc est illud quod Isaias loco supra

A memorato cum dixisset: « Ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum sancti sui, » ut aperiret qualem Spiritus sancti operationem illic sic intelligi velit, protinus ait: « Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum; qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem, quasi animal in campo descendens. » Et interposito, quod jam supra diximus: « Spiritus Domini ductor ejus fuit. » rursum ait: « Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ (*Isa.* LXIII). »

CAPUT III.

Non fuisse diminutionem gloriæ vel meriti patribus illis, quod dixit: « Et nomen meum Adonai non indicavi eis. »

B Quid proinde dicemus? nunquid patres sancti, Abraham, Isaac, et Jacob, pro eo minoris sunt gloriæ vel meriti quam Moyses, quia nomen suum Adonai non indicavit eis, indicavit autem Moysi in conspectu Pharaonis et Ægyptiorum cæterarumque gentium per operationem virtutum. Unde Psalmista canit: « Tu es Deus qui facis mirabilia; notam fecisti in populis virtutem tuam; redemisti in brachio populum tuum, filios Jacob et Joseph (*Psal.* LXXVI). » Et ipse Dominus ad Pharaonem: « Idcirco autem posui te, inquit, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in universa terra? » (*Exod.* IX.) Minime. Imo per hoc pretiosior coram Deo in oculis nostris fulget eorum magna fides, quod ejusmodi signis quæ usque hodie Judæi petunt, sive linguis, quæ « non fidelibus, ait
C Apostolus, sed infidelibus in signum sunt (*I Cor.* XIV), » non indiguit ut cresceret. Hinc idem Apostolus memorata ipsorum fide: « Ideo, inquit, Deus non confunditur vocari eorum Deus (*Hebr.* XI). » Et vere non confunditur, quippe qui et ultro nomen hoc sibi assumpsit, nomen ipsorum dicens, ut supra memoravimus: « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generatione et generationem (*Exod.* III). » Cum ergo dicit, « et nomen meum Adonai non indicavi eis, » pulchrum subauditur, et tamen fides eorum magna fuit. Econtra cum ecce nunc indicavero populo huic nomen meum Adonai, denique: « Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni, per manum enim fortem dimittet eos, et in manu ro-
D busta ejiciet illos de terra sua (*Exod.* VI), » fides eorum non magna erit, imo rebelles erunt et increduli, et populus duræ cervicis, in tantum ut tu quoque exacerbatus ab illis, distinguere habeas in labiis tuis et loqui sicut homo non magnæ fidei. Jam quippe sciebat Dominus, dicturum esse Moysen, postquam indicasset nomen suum Adonai: « Audite, rebelles et increduli; num de petra hac aquam poterimus vobis elicere? » Quam culpam mox sententia secuta est dicentis: « Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam ego dabo eis (*Num.* XX). » Hæc idcirco diximus, ut liquido constet, quia non

diminutio est gloriæ et honoris, sed dignitatis patribus illis, quod dixit: Et nomen meum Adonai non indicavi eis, imo et majoris esse meriti, quod absque illo indicamento tanti nominis, non visa tantarum operatione virtutum exivit Abraham de terra sua, cum isti vix post tantarum operationem virtutum crediderunt et secuti sint, ut habitarent in terra sibi ab ipso data, præsertim cum clamavissent ad Dominum et educerentur de domo servitutis, de ergastulo Ægyptorum, de fornace ferrea. Amplius autem et hoc mirandum te homine, qui non viderat resurrectionem mortuorum, sicut nec cæterarum acceperat operationem virtutum, quia sicut meminit Apostolus: « Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, et unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen (*Hebr.* XI; *Rom.* IX; *Gen.* XXI; *Galat.* III); » arbitrans quod et a mortuis suscitare potest Deus. Sed jam ad supra dictum capitulum revertamur.

CAPUT IV.

De eo quod Sadducæis respondens Dominus pro resurrectione mortuorum, congrue patrum istorum meminit, dicente Deo: « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, » quo sic assumpsit: « Non est Deus mortuorum, sed vivorum, omnes enim ei vivunt. »

Hæc, inquit, dices filiis Israel: « Dominus Deus patrum nostrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos (*Exod.* III). » Hujus loci memor Dominus respondit tentantibus Sadducæis, qui dicunt non esse resurrectionem: « De resurrectione mortuorum non legistis, » quod dictum est a Deo dicente vobis: « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum (*Matth.* XXII). » — « Omnes enim ei vivunt (*Luc.* XX). » De qua ejus responsione nonnulli dubitare solent, quasi non satis fecerit pro
45 astruenda resurrectione contra illorum sectam sive hæreticam opinionem. Aiunt enim quod etiam si mortui non resurgant, nihilominus vera et firma sit sententia: « Non est Deus mortuorum, sed vivorum; omnes enim ei vivunt (*ibid.*). » Quid enim? nunquid Petrus et Paulus quia nondum resurrexerunt, non ei vivunt? nonne cum in corpore essent, cupiebant peregrinari a corpore (*Philip.* I), et præsentes esse ad Deum idcirco, ut verius viverent? Hæc quæstio difficilius solveretur, si Sadducæi sic dicerent: Non esse resurrectionem corporum, ut saltem spiritum sive animam post depositionem corporis vivere faterentur: at illi neutrum fatentur. Hinc est illud in Actibus apostolorum: « Sciens autem Paulus quia una pars esset Sadducæorum et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos et Sadducæos, et soluta est multitudo. Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem neque angelum; Pharisæi autem utrumque confitentur. Factus est autem clamor magnus, et surgentes, quidam Pharisæorum clamabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine isto. Quid si Spiritus ei locutus est, aut angelus? » (*Act.* XXIII.) Igitur quia Sadducæi sic negabant resurrectionem corporum, ut nullam post corpora crederent esse vitam animarum, pulchre et rationabiliter Dominus sic asseruit, vitam esse post corpora, ut simul assereret esse resurrectionem corporum. Concesso namque, quod necessario concedi oportebat, dixisse Deum: « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. » (Pentateuchum quippe Sadducæi suscipiebant), simulque assumpta hac sententia, quæ refelli non potest, non est Deus mortuorum, sed vivorum, conclusio sequebatur, esse resurrectionem mortuorum. Quia sicut inconveniens, imo et impium est dicere Deum mortuorum, sic nihilominus absurdum est et impium dicere Deum semivivorum sive Deum semimortuorum, quod consequitur, si a viventibus animabus corpora non resurgunt.

CAPUT V.

De capitulo prophetæ Osee: « Et locutus sum, ait Dominus, super prophetas, et in manu prophetarum assimilatus sum, » quomodo sancta Trinitas in istis patribus assimilata fuerit, in Abraham Deus Pater, in Isaac Deus Filius, in supplantatione Jacob Deus Spiritus sanctus.

Laudare non sufficimus viros tam gloriosos, secundum fidem parentes nostros Abraham, Isaac et Jacob, quibus tam multam facit gloriam Trinitas Deus, ut sub nominibus eorum, nomen suum designari dignaretur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Quod nomen manifeste nondum portare poterat mundus. Revera tres isti sunt prophetæ de quibus maxime in Osee dixerit idem Deus: « Et locutus sum super prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum (*Ose.* XII). » Dicendum ergo quamvis breviter quomodo vel quibus rebus gestis in manu prophetæ Abraham, Deus Pater, et in manu prophetæ Isaac, Deus Filius, et in manu prophetæ Jacob, cooperante matre Rebecca, Deus Spiritus sanctus assimilatus sit. Abraham, *pater excelsus*, Abraham, *pater multarum*, subauditur *gentium*, interpretatur. Et quis pater veraciter excelsus, nisi « Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, ut ait Apostolus, et Deus totius consolationis? » (*II Cor.* I.) Et quis veraciter pater multarum gentium, nisi idem Deus per gratiam, Pater omnium nostrum ex quacunque gente credentium? Hic antiquam sibi conjunxit Ecclesiam. Etenim Ecclesia secundum fidem ab initio usque ad nativitatem Domini nostri Jesu Christi secundum carnem conjux ejus exstitit, et hunc Filium virgo fidelis ex Spiritu sancto conceptum illi peperit, longe ante promissum diu exspectatum. Nonne huic simile fuit, quod Abraham ex sterili conjuge Sara, diu exspectatum unigenitum Isaac in senectute suscepit? Denique, in Sara, quod nomen interpretatur *princeps*, recte intelligitur fides, cujus principatus ante Deum magnus est. Et in ancilla Agar, quod interpretatur *advena*, intelligitur

lex quæ prius in servitute generavit, et nihil ad perfectum adduxit quam nasceretur secundum carnem (*Rom.* XIII). Dei Filius ex libertate fidei. Isaac *risus* interpretatur; et quis talis risus, ut est Dominus Jesus Christus Dei Filius? In nativitate et ante nativitatem illius Isaac, in novissima promissione, riserunt ambo parentes ejus, amplius autem mater, quæ nato illo dixit: « Risum mihi fecit Deus, quicunque audierit corridebit mihi (*Gen.* XXI). » Nonne illud simile est huic quod nato Dei Filio ex utero Virginis (*Luc.* I), mater superna Jerusalem risit. Risit enim, id est, cantavit gloriam Deo in excelsis, et cantando gaudium suum, gaudium nostrum, risum magnum hominibus bonæ voluntatis evangelizavit. « Huic proprio Filio suo Deus non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII), » et ex abundanti est astruere. Notum quippe est omnibus quod per istum assimilatus fuerit in eo quod Abraham illum suum unigenitum Deo jussus in holocaustum obtulit (*Gen.* XXII). Jacob *supplantator* interpretatur. Et quis ita supplantator ut est Spiritus sanctus? Nec enim indecens est Deo supplantationis verbum, præsertim cum in psalmo scriptum est: « Exsurge, Domine, præveni eum, et supplanta eum (*Psal.* XVI). » Subauditur, populum Judaicum, ut auferatur eis et aliis detur, non solum illud, quod per similitudinem tenuerunt, dicendo: « Et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem (*Joan.* XI.), » verum etiam ea quæ illorum præcipua sunt « adoptio filiorum, et gloria et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa (*Rom.* XI). »

CAPUT VI.

Item de consilio Rebeccæ, quod ille ad utilem suscepit effectum, quam recte intelligimus in eo assimilatam esse Spiritus sancti gratiam, et de vestibus valde bonis quibus illum induit et de versiculo psalmi: « Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quem dilexit.

Igitur in consilio Rebeccæ quod dedit filio suo Jacob, et ille ad utilem suscepit effectum, assimilatum esse recte intelligimus Spiritum sanctum. Ipsa namque Rebecca in illo facto gratiam Spiritus sancti significat. In duobus filiis ejus, quorum alter « Esau factus est, ait Scriptura, vir gnarus venandi, et homo agricola; alter vero Jacob, vir simplex, et habitabat in tabernaculis, Isaac amabat Esau eo quod de venationibus ejus vesceretur, et Rebecca diligebat Jacob (*Gen.* XXXV). » Exemplum sive experimentum verax fuit Apostolo, ut diceret scribens ad Timotheum: « Exerce teipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est et futuræ (*I Tim.* VI). » Corporali namque exercitatione seipsum excercebat Esau, et hæc illi sicut ad modicum fuit utilis, ut magno ejulatu flenti tandem diceret Isaac: » In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua (*Gen.* XXVII). » Quibus verbis promissionem utique accepit solius vitæ quæ nunc est. Porro, pietas in qua Jacob seipsum exercebat ad omnia utilis fuit promissionem

A **46** habens vitæ nunc est in his verbis: « Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei. « Promissionem autem vitæ futuræ in his quæ sequuntur: « Et serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. » Tali namque benedictione Christus qui est vita æterna nasciturus promittebatur de semine ejus. Quod vel quale fuit illud consilium Rebeccæ cum Jacob, in quo supra diximus assimilatum fuisse Spiritum sanctum: « Nunc ergo aquiesce, fili mi, consiliis meis, » etc., usque, « et vestibus Esau valde bonis quas apud se habebat domi, induit eum (*Ibid.*). » Vestes illæ valde bonæ, vestes erant sacerdotales, quas ideo B Scriptura vestes dixit Esau, quia primogenitus erat, sed Rebecca illum tali functione dignum non esse sciebat. Secundum mysterium, vestes cum quibus benedici oportebat filium dignum, sunt illa charismata Spiritus sancti quæ ante commemoravimus ex Epistola Pauli apostoli: sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum (*I Cor.* II). Vestes hujusmodi habebat et habet apud se domi, secundum similitudinem Rebeccæ, gratia Spiritus sancti. Qnomodo apud se domi? utique in potestate dandi sive dividendi, sicut protinus ait idem Apostolus: « Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Et primum C quidem charismata hæc divisit, prout voluit, electioni illius populi Israelitici; deinde vero electioni gentium, facta commutatione secundum similitudinem illorum geminorum, sicut et in psalmis scriptum est: « Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quem dilexit (*Psal.* XLVI). » Hæc enim dicens, mittit nos ad nostram historiam. Quia sicut Esau, qui prior natu erat, a Deo reprobatus est, et Jacob dilectus, sic Israeliticus populus, qui prius quadam familiaritate Deo acceptabilis erat, postmodum est rejectus, gentes vero quæ nullam ejus cognitionem in primis habuerunt, ejus benedictiones meruerunt vel receperunt, hoc est quod dicit speciem Jacob, id est, secundum similitudinem Jacob quem dilexit, « Esau autem, ait ipse in Malachia, odio habui D (*Malach.* I). »

CAPUT VII.

De charismatibus Spiritus sancti, per illas vestes bonas figuratis, et de mystica caligine oculorum Isaac benedicentis, et de eo quod dixit Moyses: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. »

Cum illis vestibus valde bonis, consilio Rebeccæ matris ingressus est Jacob ad Patrem Isaac, jam non videntem, ut acciperet benedictionem. Neque enim propter illas vestes benedictionem hæreditate possideret nisi etiam introgressus ad patrem, sicut jam dictum est, non videntem, verba benedictionis ex

ipsius ore accepisset. Similiter cum supradictis sancti Spiritus charismatibus omnis vir simplex habitans in tabernaculis, omnis vir fidelis spem habens in verbo promissionis, qualium ex optimis unus erat Moyses, qui hanc ipsam scripturam mysticam scripsit, ingressus est ingressu fidei, cui omnia præsentia sunt, ad Christum Dei Filium, quasi non videntem, id est, in cruce morientem, ubi lumina regia, lumina risum et gaudium secundum nomen Isaac, diligentibus se insinuantia, caligine mortis obscurata fuerunt, ut acciperet remissionem peccatorum. Neque enim per charismata illa talem benedictionem, scilicet peccatorum remissionem quisquam accipere potuisset, nisi hic noster Isaac, clausis in morte oculis, jam dedisset. Hoc sciens idem Moyses fidelissimus in tota domo ejus taliter locutus est: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti (*Num.* XII). » Idem: « Præcipis ut educam populum istum et non indicas mihi quem missurus es mecum (*Exod.* XXXII.), » præsertim cum dixeris: « Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me. » Ac deinceps: « Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto (*Exod.* XXXIII). » De isto capitulo, ut verbis loquar Apostoli, « grandis nobis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam, quod in pluribus verum est, imbecilles, ait, facti estis ad audiendum (*Hebr.* V). » Parvuli enim sunt, hodieque quamplurimi, quia nondum cognoverunt illa cognitione, quæ perfectorum est, gratiam Domini nostri Jesu Christi. Interrogemus ergo fidelissimum Moysen. Quis est sermo iste quem tu locutus es: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. » Cum hoc percunctatus fueris, puta quod tibi respondeat verbis hujuscemodi, verbis viri ejusdem fidei, verbis fidelis David: « Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. » Statimque conversus ad Dominum: « Domine, inquit, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus (*Psal.* XXXVII). » Hoc denique dixisse congruit non soli David, verum etiam omnibus sanctis. Omnium quippe desiderium erat unum desiderium gemituosum, nasci Christum, venire Salvatorem Dei Filium, ad dandam benedictionem, ad dandum Spiritum sanctum in remissionem peccatorum, hoc erat illud desiderium. Hinc idem Jacob ad filium suum Joseph: « Benedictiones, inquit, patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum (*Gen.* XLXIX). » Rugiens igitur Moyses a gemitu cordis sui secundum hoc desiderium: « Aut dimitte, inquit, eis, hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. » Quid est dicere? si non dimiseris, si propter peccatum eorum promissionem tuam implere desieris, ut deletis illis, non veniat semen quod Abrahæ promisisti, unum est ac si deleas, et plane consequitur, ut deleas me de libro tuo quem scripsisti. Nullus enim nisi ille venerit salvari poterit, proinde « si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. » Quo enim nobis

A intrare in terram aliquam, nisi ex populo illo secundum promissionem tuam nascatur qui nos inducat in vitam æternam.

CAPUT VIII.

Item de charismatibus Spiritus sancti, et quod benedictio, qua noster Isaac nos benedixit gratia sit Spiritus sancti ex ipso procedentis; et contra Monothelitas de mysterio illo mirabili, quod Isaac non ei, cui ipse voluit, sed ei benedixit quem Rebecca mater benedictum esse maluit

Omnium charismatum jam supradictorum optima est odorifera fides, et hæc maxime juvit, maxime provexit omnes, quos spiritus sanctus secundum jam dictam similitudinem, Rebeccæ donis suis, tan-
B quam vestibus valde bonis, induere dignatus est, quem Scriptura taliter commendavit, ut diceret: « Statimque ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XXVII), » mysterium magis placet, scilicet sacramentum fidei, quia ipsa est quæ suaviorum inter omnia charismata Spiritus sancti reddere solet nostro sancto Isaac Filio Dei, ut viscera sua continere non possit, quin abundantiam effundat tantæ, tamque necessariæ benedictionis, tantæ gratiæ Spiritus sancti, quæ est remissio peccatorum, quæ **47** de ipso procedit. Factumque est mysterio mirabili, ut non benediceret ei, cui ipse voluit, sed ei quem Rebecca mater benedictum esse maluit. Nonne mysterium in hoc fuit evangelicæ sive catholicæ veritatis, quia in uno eodemque Domino nostro
C Jesu Christo, sicut duas naturas sive substantias, ita duas voluntates, duas prædicamus operationes, alteram divinitatis, alteram humanitatis? Hoc enim fidei ratio sapit, et multa sunt experimenta in verbis ipsius Domini nostri. Exempli gratia, cum secundum voluntatem humanæ infirmitatis dixisset: « Nunc anima mea turbata est, et quid dicam? Pater, salvifica me ex hora hac, » protinus secundum voluntatem divinitatis sibimet obvians dixit: « Sed propterea veni in horam hanc, » ut non salvificer ex ea, sed mortem patiar. « Pater, clarifica tuum nomen (*Joan.* XII). » Similiter secundum voluntatem humanitatis videns civitatem, flevit super illam; voluisset enim illam salvam fieri, unde dixit: « Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemad-
D modum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti (*Matth.* XXIII). » Secundum vero voluntatem divinitatis, facto de restibus funiculo, omnes de templo ejecit, dicto quoque exprimens, quid facto significaret: « Amen dico vobis, ait, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Multa hic dici poterant contra errorem Eutychetis sive monothelitarum hæresim, sed nos, quia proposito tenemur, meminisse contenti duarum in Christo voluntatum sive operationum, pro similitudine Isaac, quia non illi cui voluit, sed illi cui noluit benedixit, cœpta prosequamur.

CAPUT IX.

De operatione virtutum, quæ magna est inter charismata Spiritus sancti quod secundum illam dictum sit : Et non surrexit propheta ultra in Israel, quem nosset Dominus facie ad faciem, et quod virtutes operari, hoc fuerit indicare nomen Adonai.

De operatione virtutum, quæ gratia magna est in divisionibus gratiarum Spiritus sancti, superius loqui cœpimus, simul memores illius dicti : « Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob, in Deo omnipotente, et nomen Adonai non indicavi eis (*Exod.* VI). » Post illa quæ hinc jam diximus adhuc dicere superest, quia secundum gratiam istam merito magnificus habetur Moyses, ita ut de illo Scriptura dicat : « Et non surrexit propheta ultra in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem. » Sequitur enim : « In omnibus signis atque portentis quæ misit per eum ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel (*Deut.* XXXIV). » Secundum ergo gratiam istam, scilicet secundum operationem virtutum, et non secundum omnimodam Spiritus sancti gratiam, dictum hoc intelligi oportet : « Et non surrexit propheta ultra in Israel, sicut Moyses. » Alioqui repugnans esse videbitur vel illi sententiæ quam de uno dixit Dominus : « Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista (*Matth.* XI). » Proinde notandum quod non ita scriptum est : Et non surrexit ultra propheta tantus ut Moyses, sed : « sicut Moyses, » determinata etiam qualitate sive modo surrectionis, quo ille surrexit, dicendo in omnibus signis atque portentis. Nam revera secundum hunc modum nec ipse Joannes, nec alius quisquam surrexit sicut Moyses. De quo videlicet Joanne sic in Evangelio scriptum est : « Et multi venerunt ad Jesum et dicebant : Quia Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæ dixit Joannes de hoc, vera erant (*Joan.* X), » Forte dicit aliquis : Quid agis de magno propheta Domino nostro Jesu Christo ? Nonne saltem ille propheta surrexit in Israel sicut Moyses ? nonne de illo sic dixit et scripsit Moyses ? « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus (*Deut.* XVIII). » Ad hæc, inquam, nimirum si de magnitudine quæritur, sicut veraciter plus quam Jona et plus quam Salomon hic, ita et plus quam Moyses (*Matth.* XII). Verumtamen apud curiosos homines, non hic sicut Moyses. Unde cum multa mira faceret, cum etiam de paucis panibus multa millia satiasset, et diceret eis : « Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem ille misit. Dixerunt ei : Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi ? quid operaris ? Patres nostri manducaverunt manna in deserto (*Joan.* VI). » Denique quidquid fecisset aut facere vellet, non esset eis sicut Moyses, nisi eorum et curiosos oculos ejusmodi miraculis pasceret et otiosos ventres semper cibo impleret.

A Itaque quod dixerat Moyses : « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, » pro veritate naturæ humanæ dictum, recte intelligitur, quia futurum erat, et revera sic factum est, ut Filius Dei secundum hanc fieret sicut Moyses, id est verus homo, sicut in Job scriptum est, et nos meminimus longe superius : « Si fuerit pro eo angelus, loquens unus de millibus (*Job.* XXXIII). » Nam in cæteris longe hic plus quam Moyses. Et de charismatibus Spiritus sancti cœptum sermonem peragamus, multa bona, secundum omnes ejusdem Spiritus sancti operationes, sive ministrationes operatus est, excepto quod genera linguarum ore proprio non exercuit, quam Spiritus sancti gratiam postmodum apostolis suis dedit, et insuper re- B missionem peccatorum, per eumdem Spiritum sanctum solus operatus est.

CAPUT X.

Item de illa gratia Spiritus sancti, quæ est operatio virtutum. quomodo illam malefici coram Pharaone æmulati sunt, et non valentes subsistere, dixerunt « Digitus Dei est hic. »

Præclaram Spiritus sancti gratiam, scilicet operationem virtutum, qua Moyses in veritate magnus fuit æmulator, nunc usque spiritus mendacii, sicut jam tunc coram Pharaone æmulatus est quoad usque potuit, sicut scriptum est : « Dum enim projecisset virgam, et versa esset in colubrum. » Et iterum : « Cum percussisset virga aquam fluminis et versa esset in sanguinem, » ac : « Cum tertio extendisset C manum super aquas Ægypti, et ascendissent ranæ, et operuissent terram, fecerunt malefici per incantationes suas similiter, » sed erat mendacium in visu, quia non erat veritas in sensu. Quando ventum est ad ciniphes, ut percusso pulvere terræ, essent ciniphes tam in hominibus quam in jumentis, non solum importunæ visu, verum etiam mordaciter molestæ in sensu, non potuerunt stare malefici, et dixerunt : « Digitus Dei est hic (*Exod.* VII, VIII). » Unde miramur, quod efficaciam istam Spiritus sancti, scilicet operationem virtutum scierunt homines ejusmodi nominare digitum Dei, sicut et illud miramur unde scierit Nabuchodonosor nominare Filium Dei. Dixit enim : « Ecce ego video viros quatuor solutos et ambulantes in medio ignis, et species quarti similis Filio Dei (*Daniel.* III). » Sicut illic, D operantibus magis illis, hanc potentiam digiti Dei, scilicet operationem virtutum, æmulatus est spiritus **48** mendacii, ita et maxime in illo iniquo æmulabitur, « cujus est adventus, ait Apostolus secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, et ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati (*II Thess.* II). » Nisi enim Pharaoni illi similes fuissent, et, ut verbis utar ejusdem Apostoli, nisi « veritatem Dei in injustitia detinuis-

sent, quia quod notum est Dei, manifestum est illis (*Rom.* I). » Nisi, inquam, propositum haberent penetrare domos et captivas ducere mulierculas, id est, animas miseras oneratas peccatis secundum similitudinem illius Pharaonis, cui propositum fuit Dominum nescire et Israelem non dimittere, non mitteret eis, non permitteret ad eos venire Dominus spiritum mendacii, homines mendaces, resistentes digito Dei, contradicentes quoad possunt sancto Spiritui, similes magis illis, unde et protinus dicit : « Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati ? (*Tim.* III). » Et quid tandem, insipientia, inquit, eorum, erit manifesta omnibus, sicut et illorum fuit.

CAPUT XI.

De trina benedictione nominis Domini, quam Dominus peracto tabernaculo mandavit Moysi, dicens : « Sic benedicetis filiis Israel, » et de eo quod ait : « Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. »

Post exitum Israel de Ægypto, peracto tabernaculo et præscripta lege cæremoniarum : « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad Aaron, et ad filios ejus : Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te ; ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui ; convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis (*Num.* VI). » Hic quoque abscondit Moyses faciem suam et positum habet velamen super eam, sed « in Christo, ait Apostolus, idipsum velamen evacuatur (*II Cor.* III). » Quomodo in ipso Christo evacuatur ? « Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Quidnam est præeunte doctrina baptizare gentes, nisi benedicere filios Israel ? Denique ex quacunque gente, sive natione in Christum credentes, propter hoc ipsum, quia credunt, ipsi sunt filii Israel, sicut et filii Abrahæ. Ergo tertio hic repetitum nomen Domini in Verbo benedictionis, incredulo quidem Judæo partim velatum est, quia non sic distinctum sive expressum est : « Benedicat tibi Dominus Pater, ostendat tibi faciem suam Dominus Filius, convertat vultum suum ad te Dominus Spiritus sanctus. Neque enim intendere potuissent filii Israel in faciem Moysi (*Exod.* XXXIV), » sic expressa gloria vultus ejus, sed ut jam dictum est, in Christo revelatur (*II Cor.* III). Filii namque Aaron summi Sacerdotis, apostoli et sacerdotes sunt magni Pontificis, « qui penetravit cœlos Jesu Christi (*Hebr.* IV), » ipsorum est benedicere sub trino nomine Domini, id est baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sic tamen ut sciant se non datores, sed ministros esse benedictionis. Hoc est quod protinus dicit : « Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. » Quapropter providus Apostolus scribens ad Corinthios dicit : « Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis ? (*I Cor.* I) » Item : « Cum dicit quis : Ego quidem sum Pauli, alius ego Apollo, alius vero ego Cephæ ; nonne homines estis ? quid igitur est Apollo ? quid vero Paulus ? Ministri ejus cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* III). » Nimirum hoc sapere hæc auctoritas veritatis exigit, qua dicit : « Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. »

CAPUT XII.

De benedictione qua benedixit Jacob Joseph filio suo sub trina invocatione sancti nominis, Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei, Deus qui pascit me ab adolescentia mea, angelus qui eruit me de cunctis malis, et quod ille angelus persona sit Filii.

Pene præteriit me et retro relictus est quidam locus agri hujus, in quo thesaurum hunc absconditum esse jam sæpe diximus, id est, Scripturæ hujus sacrosanctæ, in qua sanctæ Trinitatis mysterium mirabiliter et splendere et latere nunc usque prædicamus, et in inventione ejus oppido lætamur, dicentes cum Psalmista : « Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa (*Psal.* CXVIII). » Cum ægrotaret in Ægypto Pater Israel, et hoc audito, ire perrexisset Joseph, assumptis duobus filiis suis, Manasse et Ephraim, postmodum ita scriptum est : « Benedixitque Joseph filio suo, et ait : Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei, Abraham, et Isaac ; Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem ; angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis (*Gen.* XVIII). » Sic incipiens, benedixit primum duos filios Joseph, et deinde duodecim filios suos, singulos benedictionibus propriis. Semel dixit : « Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei, » et secundo : « Deus qui pascit me ab adolescentia mea, » tertio autem : « Angelus qui eruit me de cunctis malis. » Et quis est ille angelus qui eruit eum de cunctis malis, nisi angelus magni consilii, Deus Dei Filius? (*Isa.* IX). Ista namque persona ne dubites quod significetur nomine angeli « qui eruit me, ait, de cunctis malis, » ista, inquam, persona in initio malorum cunctorum apparuit ei, quando fugiebat Esau fratrem suum dicentem : « Venient dies luctus patris mei, ut occidam Jacob fratrem meum (*Gen.* XXVII). » Quomodo illi apparuit? vel quibus ex indiciis dignosci potest quod hæc persona, scilicet Filius Dei, fuerit qui illi apparuit ? Ait Scriptura : « Cumque venisset ad quemdam locum et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam super terram, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac, » et cætera usque : « Et ero custos tuus quocunque perrexeris (*Gen.* XXVIII). » Denique magnum hic est Filii Dei Sacramentum si rite scalam agnoscis, si quid sit Do-

minum scalæ innixum rite perpendis. Siquidem salvo morali intellectu, quo dicere possumus scalam esse vitæ nostræ profectum, et scalæ hujus latera, nostrum corpus et animam, gradus autem ejusdem scalæ, diversarum esse ascensiones virtutum, salvo, inquam, hoc morali intellectu, generatio Domini nostri Jesu Christi per scalam illam debet intelligi, cujus quasi duo latera sunt duo patriarcha magni scribente Evangelista: « Liber generationis Jesu Christi, Filii David, Filii Abraham (*Matth.* I). » Ad istos
49 namque patres Deus eumdem Christum nasci de semine eorum cum juramento repromisit (*Gen.* XLIII). Quomodo supremo gradu scalæ Dominus innixus fuit? Ita nimirum ut pupillus, id est absque patre secundum carnem natus in hoc sæculo, opus haberet adoptivo patre et nutritio Joseph. Igitur « angelus qui eruit me, ait Jacob, de cunctis malis, » ipse est Deus Dei Filius ac proinde quia taliter oravit, tertio Deum nominans, palam constat quia sanctam Trinitatem invocavit.

CAPUT XIII.

Quod oportuerit in illis antiquorum benedictionibus taceri relativa nomina, quæ sunt Pater et Filius, et Spiritus sanctus, et sermonem claudi, ut non sic aperte benedicerent sicut nunc benedicimus, vel baptizamus in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, et de eo quod scriptum est in Isaia: « Erit vobis visio omnium sicut verba libri sigillati. »

Cum igitur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizamur, sive benedicimur, non est hoc recens quod agitur, quia sic fere antiquo quoque tempore in lege, imo et ante legem benedicebantur, tacitis tantummodo pro temporis necessitate relativis nominibus, quæ sunt Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Oportebat enim ut sermo clauderetur, imo et signaretur. Hoc etenim quidam eorum, scilicet prophetarum, ut facerent, jussum sibi fuisse testantur. Isaias cum de isto nomine dixisset: « Et clamabant Seraphim, alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum (*Isa.* VI). » Et deinde de nomine nascituri Emmanuel, et de vocabulo ejus: « Accelera spolia detrahere; festina prædari; » plura fuisset locutus, circa finem visionis hoc sibi jussum fuisse scribit: « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis (*Isa.* VIII). » Daniel quoque post visiones multas et maximas scribit hoc sibi fuisse præceptum: « Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. » Et iterum: « Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad tempus præfinitum. (*Dan.* XII). » Et quasi quæreret Daniel, ut quid sunt hæc scripta, si debent esse clausa et signata, dictum est ad eum: « Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia (*Matth.* VII). » Nunquid vero solis istis, et non etiam Moysi et prophetis omnibus hoc intimatum fuit, expedire ut sub clausura et signaculo loquerentur? Nam propter vel contra illos qui verba sacramentorum cœlestium, non sicut margaritas honorarent, sed potius conculcarent, loquitur Isaias,

A et pro seipso et pro omnibus: « Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum, et respondebit: Non possum, signatus est enim, » et cætera usque: « Peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur (*Isa.* XXIX). » Moyses ergo, hactenus de mysterio locutus sanctæ Trinitatis, recte et opportune sermones clausit, tantummodo relative, sicut jam dictum est, supprimens nomina Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nec vero solummodo clausit, verum etiam signavit. Quomodo signavit?

CAPUT XIV.

De eo quod dictum est: « Audi, Israel: Dominus Deus tuus Deus unus est, » et de eo quod protinus subjunxit hæc tria. « Diliges Dominum Deum tuum ex B *toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua, » et quod dilectio trina sit et una: Non tres dilectiones, sed dilectio una.*

« Audi, inquit, Israel: Dominus Deus tuus Deus unus est (*Deut.* VI). » Nonne hoc dictum quasi clausi libri signaculum est scienti litteras, scilicet Judæo profitenti se scire legem et prophetas. Cum enim librum hunc ingeris illi, ut legat lectionem hanc pluraliter sonantem: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I), » et rogas eum ut trium personarum discretionem animadvertat, in verbis istis quæ protinus sequuntur: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis (*ibid.*); » cum, inquam, hæc et C cætera, quorum aliqua jam peragravimus, proponis illi ad legendum sive ad intelligendum, dicit tibi: Non possum taliter legere librum, signatus est enim, habens signaculum hoc: « Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. » Tu autem vis ut legam deos tres; hoc ne faciam vox ista prohibet. Cum hoc dicit, signatus est: signatus est liber, verum quidem ex parte dicit, quia sic sibi clausus et signatus est. Verumtamen inexcusabilis est: Non enim vidit, aut videre voluit Agnum quem vidit Joannes, et nos per eamdem vidimus fidem, librum aperientem et signacula ejus solventem: Ille agnus solis credentibus, sicut cætera sacramenta, ita et illud intelligibile fecit, quod tres personæ sint et nihilominus unus Deus sit. Hoc audivit verus Israel, et D hoc audit semper quia non est Deus extra Deum, non extra Patrem Filius, neque extra Filium Pater, sed « ego et Pater unum sumus (*Joan.* X), » ait Filius, et « ego in Patre et Pater in me est (*Joan.* XIV), » et « Spiritus sanctus quem Filius mittit, et qui a Patre procedit (*Joan.* XV), » nusquam extra Patrem et Filium procedit, quia videlicet hæc una substantia Trinitatis nequaquam circumscripta est, aut localis neque aliud quodlibet accidens in illam substantiam cadit, ut vel a semetipsa possit alterari, sicut alteratur homo a semetipso, verbi gratia, quondam infans, nunc autem puer aut juvenis, dudum senex, nunc autem silicernius decrepitæ ætatis. Dicit aliquis: Unde exemplum, quo Deus et Trinitas in

personis, et unitas in substantia possit intelligi? Ad hæc, inquam, nimirum ex eo quod Moyses protinus subjunxit, sub velamine vultus sui. Præmisso namque: « Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est, » protinus ait: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua (*Deut.* VI). » Et quidem littera ista secundum septuaginta Interpretes, sicut et pleraque Scripturæ verba variantur, quorum translationem apostoli et evangelistæ interdum pro necessitate temporis assumpserunt, ut testatur beatus Hieronymus. Et hinc reor apud Lucam evangelistam scripta esse quatuor hæc: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex tota mente tua (*Luc.* X). » Nam secundum hebraicam veritatem tantummodo tria sunt hæc: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. » Hinc igitur exemplum cape, o dilector Trinitatis, cultor et amator unius Dei. Nonne et dilectio « ex toto corde tuo, » et dilectio « ex tota anima tua, » et dilectio **50** « ex tota fortitudine tua, » dilectio est trina et una? Sic Deus tuus Israel, trinus in personis, unus est in substantia. Sicut non tres dilectiones, sed una, sic non tres dii, sed unus.

CAPUT XV.

Quod tres sint operationes unius dilectionis, quas protinus Moyses subordinavit et quod prima operatio respiciens ad id quod dixerat: « Diliges ex toto corde tuo, » sic incipit: « Eruntque verba hæc in corde tuo, » et quod hæc operatio vita sit contemplativa.

Sequamur hanc litteram et intendamus diligentius præsenti loco in faciem Moysi gloriosam. Mox enim ubi dixit: « Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, » protinus adjunxit hoc quod jam diximus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua; » sic volens intelligi tres personas unius Dei, sicut tres sunt operationes unius dilectionis. Sequamur ergo, quia vere hic est gaudium fidei, sicut gaudium hominis pro inventione thesauri absconditi. Singulas quippe operationes trinæ dilectionis continuo subordinavit, ut intelligas quia non inaniter Israelem ad audiendum invitavit, quod Dominus Deus tuus, Deus unus sit. Hæc denique sequitur prima dilectionis operatio, respiciens ad id quod dixerat: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ, » etc., usque: « Cave diligenter ne obliviscaris Dominum, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis (*Deut.* VI). » Nonne in verbis istis splendida facies Moysi, illam intendit operationem dilectionis, quam Israel Dei vitam con-

A templativam nominare consuevit? In illa namque hoc agitur quod hic dictum est: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » dum in corde ejus sunt verba Dei, dum meditatur et narrat ea spiritualibus filiis suis, non sollicitus et turbatus erga plurima (*Luc.*), sed « sedens in domo » sua, « et ambulans in itinere, » id est, gaudens in secreta conscientia sua et de virtute in virtutem proficiens (*Psal.* LXXXV), recta intentione dormiens illa dormitione de qua dicit in Canticis anima illa, quæ in omnibus requiem quæsivit: « Ego dormio et cor meum vigilat (*Cant.* V), » et de qua Christus in Evangelio: « Maria, inquit, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* X), » si quando dilectus Dominus Deus, quem taliter diligit ex toto corde suo, vocem

B suam dederit, et pulsaverit ad ostium dormientis, dicens: « Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea (*Cant.* V), » et illa surrexit ut aperiat ei, id est prædicando doceat aliquos ut per fidem introeat, et sic in illis, manusque illius simul stillent myrrham, et digiti ejus sint pleni myrrha probatissima. Hoc nimirum est facere quod dictum est: « Dormiens atque consurgens meditaberis ea, et ligabis ea, quasi signum in manu tua (*Deut.* VI), » id est, recte vivendi præbebis exempla, dum verbis bonis firmiter cohærebunt bona opera tua. Quod si etiam longa et assidua meditatione exercitatus eo usque profecerit iste Israel, ut verba divina non solum legendo et loquendo, sed insuper scribendo, tractare possit atque explanare ad utilitatem commissæ sibi Ecclesiæ, hoc nimirum

C est facere id quod sequitur: « Eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ. » Huic operationi dilectionis, huic vitæ contemplativæ debentur sumptus honorifici de domibus regum, de regionis gentium, ut vacet agere diem festum et sanctum tenere otium, et tunc maxime in illis qui in hac professione sunt, navandum est, ut non obliviscantur, imo diligenter observent propositum suum. Hoc est quod huic Israeli continuo dicitur: « Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis Abraham, Isaac, et Jacob, et dederit tibi civitates magnas et optimas quas non ædificasti, domos plenas cunctarum opum quas non exstruxisti, cisternas quas non fodisti, vincta et oliveta quæ

D non plantasti, et comederis et saturatus fueris, cave diligenter de obliviscaris Dominum qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis (*ibid.*) » Est enim sub velamine litteræ sensus mysticus. Cum jam per fidem intraveris in terram viventium, ad quam prima introductio est sacrarum intelligentia Scripturarum, et propter hoc dederit tibi Dominus Deus regiones gentium, et possederis labores populorum, ut custodias justificationes ejus et legem ejus requiras (*Psal.* CIV), cave ne ingratus sis, cave, inquam, ne cum justitiæ sumptibus, quos tibi dedit Deus, peccato militare velis.

CAPUT XVI.

Secunda dilectionis operatio respiciens ad id quod dixerat : « Et ex tota anima tua, » ipsa est vita activa, quam sic tradere incipit : « Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen ejus jurabis. »

Sequitur continuo secunda dilectionis operatio respiciens ad id quod dixerat : « et ex tota anima tua Dominum Deum tuum timebis, et ipsi soli servies, ac per nomen illius jurabis. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt, quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui, ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ, » et cætera usque : « præcepitque nobis Dominus Deus noster, ut faciamus omnia legitima hæc, B et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie (*Deut.* VI). » Nonne in verbis isti splendida, ut supra dictum est, facies Moysi illam intendit operationem dilectionis, quam Israel Dei vitam activam nominare consuevit ? In ea namque hoc agitur quod dictum est : « Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, dum non vadit post Deos alienos cunctarum gentium, » quod peccatum est animarum adulterantium, sed Dominum Deum suum tanquam virum unicum et legitimum timet et ipsi soli liberali servitio servit, quia timor ejus non pœnalis est, quem perfecta charitas, ait Joannes apostolus (*I Joan.* IV), foras mittit, sed est timor religiosus ac venerabilis, « timor sanctus, ut Psalmista canit, C permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII). » Proinde quod nunc dicit : « Dominum Deum tuum timebis, » tanquam repetitionem superioris dicti, quo dixerat : « Diliges Dominum Deum tuum, » convenienter accipis. Sicut enim in eo quod dictum est : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX), » timorem a sapientia non sejungit ; imo sapientiæ conjungit, tanquam initium consummationi cujusque rei, sic et in isto dum post illud dictum : « Diliges Dominum Deum tuum, » subjungit : « Dominum Deum tuum timebis, » non a dilectione sermo recedit, sed dilectionis initium sive fundamentum ponit. Alias autem et veræ animæ Deum tanquam virum diligenti, utile est timere pœnam sive vindictam adulterii, quippe ubi præmisso, D
51 non ibitis post deos alienos, continuo subjungit : « Quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus, in medio tui, ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ. » Cætera quæ sequuntur : « Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis, » ac deinde : « Cum interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid sibi volunt testimonia hæc et cæremoniæ atque judicia, quæ præcepit nobis Dominus Deus noster, dices ei : Servi eramus Pharaonis in Ægypto, duxitque nos Dominus de Ægypto in manu forti (*Deut.* VI). » Hæc, inquam, et sequentia congrua sunt instrumenta
A diligentis animæ, tanquam castæ matrisfamilias, quam non deceat curiositas et vagatio oculorum, sed pudor et reverentia circa intentabilem virum, et sollicitudo circa domus suæ custodiam, et disciplina castitatis in ædificatione filiorum. Hæc operatio dilectionis, dignitate quidem secunda, cæterum ordine prima est, vitam exercens activam, illa autem supra dicta, dignitate prima, ordine secunda est, vitam componens contemplativam. Non enim post professionem contemplativæ descendimus ad activam, sed post exercitationem activæ, ascendimus ad contemplativam. Huic operationi si quid excedit, dum sollicita est (*Luc.* X), et turbatur erga plurima, quinque enim sensibus corporis extracta laborat, debetur misericordia, propter hoc ipsum
B quod bene satagens circa frequens ministerium, esurientem pavit, sitienti potum dedit, hospitem collegit, nudum operuit, infirmum visitavit, ad eum qui in carcere erat, venit (*Matth.* XXV). Pulchre ergo spem suam intimans filiis suis, dicit in fine sermonis : « Eritque memor nostri misericors Dominus Deus noster, si custodiemus, et fecerimus omnia præcepta ejus, sicut mandavit nobis (*Deut.* VI). »

CAPUT XVII.

Tertia dilectionis operatio respiciens ad id quod dixerat, « et ex tota fortitudine tua, » est aras subvertere, confringere statuas, et hæc operatio martyrum corona est, sed modo dissimili, quia non pugnaverunt gladio materiali.

C Sequitur operatio dilectionis tertia, respiciens ad id quod dixerat : « Et ex tota fortitudine tua. » — « Cum, inquit, introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, tradideritque gentes multas, percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum neque sociabis cum eis conjugia. Quin potius hæc facietis eis : Aras eorum subvertite, confringite statuas, lucosque concidite et sculptilia comburite, quia populus sanctus es Domino Deo tuo, » et cætera usque « dabitque eas Dominus Deus tuus in conspectu tuo et interficiet illos, donec penitus deleantur. Tradet reges eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub cœlo, nullusque poterit resistere tibi, donec conteras eos. Sculptilia eorum igni combures. Non concupisces aurum et argentum,
D de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam ; ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui, nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est (*Deut.* VII). » Nonne in verbis istis splendida facies Moysi illam intendit operationem dilectionis, in qua ex tota fortitudine sua decertaverunt, et ante adventum Christi veteres sancti, scilicet judices inclyti, reges gloriosi, prophetæ splendidi, quorum in hoc certamine Elias notissimus exstitit, memorabilesque Machabæi, et post adventum Christi sancti apostoli ac tam multi martyres gloriosi ? Isti namque omnes, sicut « ex toto corde suo, et ex tota anima sua, »

ita « et ex tota fortitudine sua Dominum Deum » suum diligentes, hæc fecerunt : Aras gentium subverterunt, statuas confregerunt, lucos succiderunt, sculptilia combusserunt, et sicut ibidem dictum est inter cætera quæ cuncta hic prescribere nimis longum fuisset, devorabis omnes populos quos Dominus Deus tuus daturus est tibi, devoraverunt populos multos per orbem terrarum, ad devorandum missi, sed devoratione dissimili. Veteres namque sancti devoraverunt ore gladii materialis; novi autem devoraverunt ore gladii spiritualis. Siquidem alia fuit temporis illius, et alia est ratio temporis istius, de qua utrorumque temporum dissimilitudine secundum causas patiendi et agendi plenius egimus in opere quod scripsimus de victoria Verbi Dei. Huic operationi cum corona justitiæ debetur sedes quoque judicii, et auctoritas judicandi, sicut scriptum est : « Judicabunt sancti nationes, et dominabuntur populis (*Sap.* III). » Pulchre ergo verba ista tali fine complevit : « Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est (*Deut.* VII). » Quidnam est hoc, nisi ac si diceret : Judicabis, sive condemnabis? Quod quidem nunc faciunt, partim, ubi videntur ipsi condemnati et plerique mortificati ; facient autem universaliter in die judicii, palam ipsi judices conspecti super omnem spurcitiam, et omne inquinamentum, et omnes sordes abominationis, ut abjiciant eas in locum immundum, in profundum inferni.

CAPUT XVIII.

Quod secundum similitudinem harum trium operationum unius dilectionis, debeamus juvari ad intelligentiam, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tres personæ et unus Deus sit.

Spectabilem, ut arbitror, imaginem habemus hic, per quam nobis imperspicabilem speculari et ex parte cognoscere valeamus, splendorem solis æterni. Ecce enim tres operationes dilectionis, nec tamen tres dilectiones, sed una dilectio est. Et ecce tria spiramenta hominis, anima et cor, et utrorumque fortitudo, nec tamen tres spiritus unius hominis, sed unus spiritus est. Sic Dei tui, o Israel, tres personæ sunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus ; nec tamen tres dii, sed unus est Deus. Nonne aliud agit anima, et aliud cor sive mens humana? Anima quippe totum corpus vivificat et cuncta corporis officia per quinque sensus dispensat ; cor autem sive mens in conspectu animæ est, et cum ea graditur ac præscribit ei cuncta quæ faciat utilia. Sic quodammodo Deus Pater vivens in semetipso vita est sempiterna : Filius autem sive Verbum ipsius in ipso est, et in ipso erat, providens ut faceret cuncta valde bona, ita ut dicat ipsum Verbum, ipsa Sapientia : « Quando præparabat cœlos aderam : quando certa lege et gyro vallabat abyssos ; quando æthera firmabat sursum et librabat fontes aquarum ; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram, cuncta componens (*Prov.* VIII). » Pene sic de anima architecti, qui basilicam istam sive munitionem illam ædificavit, loquatur cor sive mens ipsius, quando præcogitabat mensuras longitudinis, latitudinis et altitudinis ædificii hujus, quando certa lege numerorum distinguebat columnas et inter columnia, sive turres et interturria ejus, quando eligebat lapides quadratos sive quadrandos, quos in fundamento poneret, cum eo eram cuncta componens. Neque enim aliter ista præcogitaret, **52** nisi cor sive mens cum ea esset, id est, nisi anima rationalis sive artificiosa existeret. Sed quid multa ? « Memento, ait quidam, quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri. Omnes homines vident eum, et unusquisque intuetur procul. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram, numerus annorum ejus inæstimabilis (*Job.* XXXVI). » Si opus ejus, id est, seipsum ignorat homo ; factus enim est ad imaginem Dei, et idcirco dicitur quasi proprium opus ejus, quanto magis ipsum ignorat ? Non enim ipsum, sed de ipso cecinerunt viri, scilicet Moyses iste et cæteri sancti qui maxime habuerunt scientiam Dei ; hinc quidam illorum dicit : « Quis vidit eum, et enarravit, et quis magnificavit eum, sicut est ab initio (*Eccli.* XLIII). » Procul vident omnes, procul intuetur unusquisque, procul, inquam, id est « per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII). » Ut autem videat facie ad faciem, præsentis temporis non est, sed in futuro spes ista reposita est.

CAPUT XIX.

Quod filius Dei, et procedens ex eo Spiritus sanctus, in eo assimilatus sit quod dixit Dominus Moysi : « Congrega mihi septuaginta viros, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis. »

Latius secundum lectionem præscriptam tractari poterat de gloria, seu claritate vultus Moysi, sive apertione libri quondam signati, sed nos tui nominis, o Trinitas Deus, in isto loco thesaurum invenisse contenti, quod est nostri propositi recordemur et illud de gloria ejusdem Moysi, quod pertinet ad processionem Spiritus sancti (*Hebr.* XI). Diximus namque superius, in quo prophetis et patriarchis quorum non confunditur vocari Deus, scilicet in Abraham, Isaac et Jacob, trinus et unus Deus assimilatus fuerit, nunc secundum hoc mysterium Spiritus sancti, promptum est dicere qualiter in manu Moysi quoque assimilatus sit. Crescente gloria Moysi, crevit et invidia populi in tantum quod Moysi intoleranda res visa est, et ait ad Dominum : « Cur afflixisti servum tuum ? quare non invenio gratiam coram te ? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me, » et cætera usque, « sin autem aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis (*Num.* XI). » Operæ pretium est animadvertere quod dicimus, quia Moyses exemplum omnium prælatorum, qui bene præsunt, nimiam a subditis invidiam patiebatur, ita ut videretur ei tormenti hujus importabile pondus, quia cum esset mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra, blasphemabatur a

detrahentibus et murmurantibus, tanquam homo A elatus et gloriæ nimis avidus, in tantum ut nec frater ipsius Aaron, nec soror Maria pepercerint illi ab hujusmodi injuria.« Dixerunt enim : Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis locutus est similiter? (*Num.* XI). » Ex verbis ipsius dicentis ad Dominum : « Sin autem aliter tibi videtur, obsecro te ut interficias me et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis, » promptum est agnosci quanta doloris tempestas in corde ejus fuerit. « Et dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros,de senioribus Israel quos tu nosti,quod senes populi sint ac magistri, et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, et facies ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi,et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent B tecum onus populi et non tu solus graveris. Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senioribus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem et locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris.Cumque requievisset in eis spiritus, prophetarunt, nec ultra cessarunt. » Mira pietas Dei, mira benignitas Moysi. Quo enim alio modo melius satis populo facere potuit, quatenus non videretur velle solus gloriari? Sed et hoc parum visum est ei, quod septuaginta viros gloriæ suæ participes habere meruit, nisi etiam omnem populum optaret similiter posse in Domino gloriari.» Cum enim currens puer nuntiasset ei, dicens : Heldad, et Medad prophetant in castris, statim Josue filius Num minister Moysi, C et electus e pluribus diceret: Domine mi Moyses, prohibe eos; ad hæc ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet et det eis Dominus spiritum suum (*Num.* XI). »

CAPUT XX.

Quod partem gloriæ Moysi, scilicet, prophetiam, illi septuaginta viri acceperint,non etiam operationem virtutum sicut Josue, de quo dixit Dominus: « Et dabis ei partem gloriæ tuæ, » quod hoc intenderet, dicendo : « Auferam de spiritu tuo. »

Antequam hujus rei gestæ ingrediamur sacramentum juxta tenorem propositi quo glorificare proposuimus, æque de Filio ut de Patre procedentem Spiritum sanctum,libet paulisper immorari hic in sensu D litterali,quia Dominus taliter dixit : « Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, » iterum Scriptura dicit: « Et locutus est ad eum,videlicet ad Moysen, auferens de spiritu qui erat in Moyse et dans septuaginta viris.» Quid enim? non poterat illis dare spiritum suum, nisi diminueret spiritum Moysi,id est,spiritum quem dederat Moysi? Hoc recte quæreres, si ita dixisset: Et auferam tibi. Nunc autem absolute dixit : Et auferam, quod non est aliud nisi ac si dixisset : Et accipiam de spiritu tuo,tradamque eis, id est, non quantum habes tu ex divisionibus gratiarum Spiritus sancti,sed partem aliquam gloriæ tuæ dabo eis.Sic enim de nominatissimo Josue postmodum ipse Dominus dicit : « Et dabis ei præcepta cunctis videntibus et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel (*Num.* XXVII). » Et ita factum est. Aquæ Jordanis divisæ sunt,dicente Domino « ad Josue : Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel (*Jos.* III), » omnisque populus transivit per arentem alveum, et hæc fuit pars gloriæ Moysi, qui glorificatus est elevando virgam suam,et dividendo mare,ut graderentur filii Israel in medio mari per siccum.Pars,inquam, gloriæ fuit. Nam in ista gloria, scilicet in operatione tantæ virtutis,hoc plus fecit Moyses quod rursum extendit manum contra mare « reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, nec unus quidem superfuit ex eis (*Exod.* XIV). » Cætera quoque si memores,veraciter dictum animadvertes de Josue : Et dabis ei partem gloriæ tuæ. Non enim tantus fuit in omnibus signis atque portentis, ut fuit Moyses,quæ fecit per eum Dominus, coram Pharaone et Ægyptiis, et coram universo Israel. Igitur quod dixit Dominus : « Et auferam de spiritu tuo,et dabo septuaginta viris (*Num.* XI), » non aliter oportet intelligi quam ac si dixisset : Et dabo illis partem gloriæ tuæ, sicut dixit de Josue. Pars enim gloriæ Moysi prophetia fuit, extra quam nihil gloriæ viros illos accepisse Scriptura meminit,dicens : « Cumque requievisset in eis spiritus prophetaverunt,nec ultra cessaverunt (*ibid.*). » Totum quod dicere molimur, per **53** parvæ rei similitudinem demonstrare promptum est: Ecce ignis,cum sit corpus,absque sui diminutione dividitur et absque sui detrimento sese diffundit,ut quantaslibet inde partes auferamus. Sed nunquid ei,videlicet igni, magno sive exiguo, luminari seu grandi,seu parvo,quidpiam auferimus,dum lumidaria plurima prout volumus, accedendo quasi partes de uno auferimus? Nimirum quantaslibet partes indivisus ignis, de quovis luminari,mutuati tamen luminis detrimenta non novit.Sic de isto Dominus dicere potuit : « Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, » ac si diceret: De pluribus gratiis tibi collatis, gratiam unam, gratiam propheticam impertiar illis.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De eo quod in Michæa scriptum est: « Et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines : « Qui pastores et qui sint primates, et quid sit eos super Christum suscitari, et quod Moyses sit unus de pastoribus illis.

Quoties de gratia Domini nostri Jesu Christi,sermonem facientes, ad memoriam revocamus aliquid

eorum quæ magni patres et Judices Israel in typum ejus gesserunt, facimus vel facere cupimus illud quod de ipso per Michæam prophetam inter cætera dictum est : « Et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines (*Mich.* v). » Quinam sunt vel fuerunt septem pastores, nisi Abraham, Isaac, et Jacob, et Joseph, qui ad Pharaonem introducens fratres suos, hoc profiteri jussit : « Viri pastores sumus, servi tui ab infantia nostra, usque in præsens, et nos et patres nostri (*Gen.* XLVI). » Verum quippe dixerunt, quia patres eorum Abraham, Isaac, et Jacob, et ipse Joseph, cum adhuc esset puer, curam habuerunt alendorum gregum. Abraham ergo et Isaac, et Jacob, et Joseph. Iste quoque Moyses, quem Dominus de rubo vocavit, cum pasceret oves Jethro soceri sui (*Exod.* III), et David, quem sustulit Dominus de gregibus ovium « de post fetantes accepit eum (*Psal.* LXXVII), » nonne sex pastores sunt ? Quibus adde Abel, qui et ipse primus fuit pastor ovium (*Gen.* IV) et septem pastores sunt. Porro octo primates homines, octo sunt præcipui judices, qui notis et memorabilibus præliis vicerunt hostes et de cæde vastantium liberaverunt Israel, videlicet Josue et Othoniel, Ahor et Barac, et Gedeon, Jephte, Samson et Samuel. Et quid est istos septem pastores et octo primates homines suscitare super eum, scilicet, rectorem summumque judicem Israel, qui ex te egressus est, o Bethleem Judæ, sicut ibidem in eodem Propheta præscriptum est ? Quid, inquam, est istos suscitare super eum, nisi demonstrare quia typum ejus isti prætulerunt, et ipse in veritate complevit ea quæ istis in figura contigerunt ? (*I Cor.* X). Nunc igitur pastorem Moysen hoc modo super eum suscitemus, secundum sacramentum rei gestæ, quam scripsimus, fateamur id quod verum, quod pium, quod catholicum est, quia sicut de Deo Patre, ita et de Deo Dei Filio procedit Spiritus sanctus.

CAPUT II.

Item de Verbo suscitationis, quoniam suscitari dicitur id quod mortuum fuerat, et reviviscit.

Nusquam Scriptura sacra narravit de aliquo pastorum, sive primatum ejusmodi, tale quid dictum, tale quid factum est, ut hoc, quod dictum est a Domino huic Moysi : « Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, » rursumque et locutus est ad eum : « Auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris (*Num.* XI). » Eo magis hunc suscitare cupimus super eum, de quo secundum facti hujus mysterium procedit Spiritus sanctus, « de cujus plenitudine, ait Joannes Baptista, nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I). » Sed jam in primis non importune ratio quæritur de Verbo suscitationis. Suscitatur enim, vel suscitari dicitur id quod mortuum erat et reviviscit. Num ergo quod taliter actum est in Moyse, mortuum fuit ? (*Exod.* XXXIV). Plane mortuum, propter excellentem vitam, quæ est in gratia et veritate Domini nostri Jesu Christi. Sicut

A enim dixit Apostolus cum loqueretur de illa litterali claritate vultus Moysi, quam videntes filii Israel timuerunt, dixit : « Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam (*II Cor.* III), » id est, ad comparationem excellentis gloriæ, et de ista spiritus Moysis recte dicas effusione, quia nec dicendum est, quod fuerit vivum aut vividum propter excellentem vitam, id est, comparationem excellentis vitæ. Recte igitur dictum est, suscitabimus, id est, quod in Moyse factum minus vitæ et utilitatis habuit, in Christo veram esse vitam monstrabimus. Quare autem non dixit : Suscitabimus in eo, sed dicere maluit : Suscitabimus super eum ? Nimirum propter minorationes ejusdem Domini nostri Jesu Christi, quia non solum minoratus est paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII), verum etiam
B minor visus est Moyse et omnibus prophetis. Longe supra formam illam, in qua super terram visus, et cum hominibus **54** conversatus est, supra formam servi, in qua potuit etiam crucifigi, sunt ea quæ testificamur de ipso secundum Scripturas veritatis, Scripturas in primis hujus Moysis. Quod sciens ipse, cum de adventu Spiritus sancti loqueretur, dixit : « Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » Statimque subjunxit : « Omnia quæ habet Pater, mea sunt : Propterea dixi : Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (*Joan.* XVI). » Quidnam est quod ait : « Omnia quæ habet Pater, mea sunt, » nisi ac si diceret : Omnes Scripturæ quas utique condidit Pater per nuntios suos Moysen et prophetas alios, in me tendunt ? Cum ergo Spiri-
C tus veritatis faciet vos intelligere quidpiam eorum, « quæ scripta sunt de me, in lege, et prophetis, et psalmis (*Luc.* XXIV), » hoc plane erit accipere de meo, et annuntiare vobis, atque hoc agendo, ille me glorificabit, scilicet apud vos et apud omnes qui credent sermonibus vestris, dum majora sentietis, quam nunc de meipso supra id quod nunc videtis in me, aut ex me auditis.

CAPUT III.

Quomodo suscitatum fuerit super Dominum Christum hoc mysterium hujus pastoris, in eo quod septuaginta viros, ut de spiritu ejus daretur eis, congregare jussus est ad ostium tabernaculi fœderis

Igitur Moyses congregans septuaginta viros de senioribus Israel, quos noverat ipse, quod senes
D essent et magistri, ad hoc ut de spiritu suo daretur eis in ministerio, significat Dominum nostrum Jesum Christum, qui discipulos quos elegit, notos habens, quod senes essent, id est, fidem haberent, in qua testimonium, ait Apostolus (*Hebr.* VI), consecuti senes, id est, sancti Patres, idcirco congregavit, ut participes eos faceret Spiritus sui, qui in ipso est, non ad mensuram sicut in quolibet sanctorum, sed, sicut ait Apostolus, quia » in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter (*Colos.* II). » Docet nos hoc columba illa, quæ baptizato eo visa est descendens in eum, sicut Lucas manifestius scribit, quia « apertum est cœlum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum

(*Luc.* III).» Nimirum et illa corporalis species quiddam totum, integrum atque individuum et istud Apostoli dictum : « Quia in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter,» hoc asserunt, quia Spiritus sanctus huic non ad mensuram datus est, sed totus in ipso est, totus in ipso manet cum omnibus donis suis, sicut corporalis species columbæ tota in eum descendit cum omnibus membris suis, non quod tunc Spiritus sanctus in illo esse vel manere cœperit, sed quod in eo esset, quod in eo maneret tali specie demonstravit. Denique si de natura ejus humana recogitet aliquis, certum est, quia manet in eo Spiritus sanctus ab initio conceptionis, quippe quem de Spiritu sancto virgo intemerata concepit. Si autem de divina natura sermo sit, stultum est ambigere utrum in Filio Spiritus sanctus sit, cum et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus una substantia sit, nullo loco separabilis, nullis accidentibus permutabilis. Ubi iste legislator et benedictionis dator, viros istos congregavit, ut de Spiritu suo daret eis? ad ostium tabernaculi fœderis, et ibi stare secum fecit (*Num.* XI). Quod est ostium tabernaculi, cœlesti tabernaculi non manufacti? Non enim ignotum esse debet, aliud esse tabernaculum, quod fixit Deus non homo ; et aliud quod jubente Deo, secundum exemplar illius fixit homo, jubente, inquam, et dicente Deo : « Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* XXV).» Quod ergo est ostium cœlestis tabernaculi, nisi passio Domini nostri Jesu Christi, in qua patefactum est latus ejus lancea militis, unde sanguis, et aqua profluxit ? Non enim aliud novimus ostium, neque aliunde, nisi per fidem hujus sacramenti est nobis introitus, sive transitus « in locum tabernaculi admirabilis usque ad Domum Dei (*Psal.* XLI). » Ad illud quidem ostium omnes adducimur, omnes quicunque in Christo Jesu baptizati sumus, « nam in morte ipsius baptizati sumus, » ait Apostolus (*Rom.* VI), et ibi Spiritum sanctum accepimus. Sed pulchrum est hic illos primores viros attendere, quos tunc præsentialiter adduxit, dicens inter cætera sublevatis in cœlum oculis, » quos dedisti mihi custodivi, et nemo periit ex eis, nisi filius perditionis (*Joan.* XVII). » Quomodo stare fecit eos secum ? « Vos estis, ait, qui permansistis mecum, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum (*Luc.* XXII). » Ita steterunt cum eo ad ostium tabernaculi, non dico septuaginta viri, imo viri jam centum et viginti, quando descendit Dominus, et auferens de Spiritu Christi, tradidit eis, quando « factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis (*Act.* II). »

CAPUT IV.

De eo quod usque ad illud patienter sustinuerat Dominus, postquam autem tot homines acceperunt de spiritu Moysi, murmurantem populum percutere cœpit, et in cujus rei figura istud contigerit.

Multum ad rem pertinet considerare, quæ vel qualia contigerunt populo illi, postquam acceperunt de spiritu Moysi, et prophetaverunt, nec ultra cessaverunt illi septuaginta viri. Jam antea tentaverunt Dominum multis vicibus, et male locuti fuerant in ipsis beneficiis Dei, nec enim sine murmuratione quiquam petierunt, sic incipientes : « Quid bibemus? » (*Exod.* XV). Et iterum murmurantes dixerunt : « Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panes in saturitate (*Exod.* XVI). » Patienter sustinuit eos Dominus murmurantes, et male loquentes, cum diceret Moyses ad Dominum : « Quid faciam populo huic ? adhuc paululum, et lapidabit me (*Exod.* XVII).» Tanta erat duritia cervicis illorum, ut jam sic timeret Moyses, nec tamen Dominus aliqua illos per semetipsum plaga percussit, nisi quod Moyses propter reatum vituli quem fecit Aaron (*Exod.* XXXII), ultro et injussus præcepit filiis Levi, et occidit unusquisque fratrem et amicum et proximum suum, cecideruntque in illo die viginti tria millia. Verum illic, Moyses pro Domino zelatus est. Nos autem de eo nunc agimus, quod Dominus pro Moyse iratus est. Hoc nusquam vel dictum vel factum reperitur, antequam accepto de spiritu munere divisivo prophetarent tot homines, sed ex tunc, quia non cessavit eorum murmuratio contra Moysen, audiens Dominus iratus est, ita ut sororem ejus in primis operiret candens lepra quasi nix (*Num.* XII), et populum percussit furor Domini plaga magna nimis, et « omnes, inquit, homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto, et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxerunt mihi, intuebitur eam (*Num.* XIV). » Et ita factum est. Quosdam ex illis terra deglutivit (*Num.* XVI), quosdam ignis consumpsit ; quidam a serpentibus perierunt, et omnis illa generatio, quæ exierat de Ægypto a viginti annis et supra **55** præter Josue et Caleb filium Jephone, variis cladibus consumpta et in deserto prostrata est. (*Num.* XIV) Quid hoc sibi vult, quod non ante post diffusionem spiritus Moysi, tam terribile fuit supra illos judicium sive ira Dei ? Nam hæc omnia, inquit Apostolus, in figura contingebant illis (*I Cor.* X), et proinde diligentius quærere debemus, quid per istam dispensationem temporis, præfiguratum fuerit.

CAPUT V.

De eo quod Pharisæis dicentibus : « Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum, » respondit Dominus : « Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro, » et quod illa res gesta in figura contigerit hujus judicii.

Dum quæstioni sive capitulo huic intendimus, simulque audimus Apostolum dicentem : « Nos autem sensum Christi habemus (*I Cor.* II), » ecce sensus ejusdem Christi nobis dignanter occurrit in verbis istis, quæ Pharisæis respondit, quia dixerunt : « Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum. Et si ego, inquit, in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo

ipsi judices vestri erunt. » Paucisque interpositis : « Ideo dico vobis, ait, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII). » In verbis istis, sensus Christi nobis occurrit, dum præscripto intendimus capitulo de causa Moysi, cur non ante, sed postquam de spiritu ejus datum est septuaginta viris murmurantibus atque detrahentibus, Deus iratus est et non pepercit, sed ira ejus ascendit super eos, et terribiliter modis diversis, sicut supra dictum est, consumpsit eos. Dicamus ergo : Quandiu Dominus noster Jesus Christus solus videbatur suimet testis, quasi jure videretur parvipendi a dicentibus : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum ; » quamvis econtra veraciter respondere posset : « Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est, quia scio unde veni et quo vado (*Joan.* VIII), » tandiu ista patientia peccatum eorum remissibile esse judicavit, dicens eis : « Quicunque dixerit contra Filium hominis remittetur ei. » Possunt enim adhuc de ignorantia excusari; idcirco cum pateretur, dixit : « Pater, ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). » Ubi autem Spiritus sanctus ad testificandum venit, secundum quod ipse promisit dicens : « Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis (*Joan.* XV) ; » jam extunc excusationem non habuerunt de peccato suo, et hoc prospiciens : « Qui autem, inquit, dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII). » Et ita factum est : Non enim ante, sed postquam Spiritum sanctum misit discipulis suis, et illi qui fuerant homines sine litteris et idiotæ, cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei, et de Scripturis, quæ utique voces sunt Spiritus sancti, proferre testimonium Jesu Christi Filii Dei, judicati sunt æterno judicio, ut non remitteretur eis « neque in hoc sæculo, nec in futuro. » Quin et in hoc sæculo disperirent vincentibus Romanis, et in futuro trahentibus animas ad tormenta spiritus malignis. Nimirum in figura gerendæ hujus rei contigit illis qui afflixerunt sive exacerbaverunt Spiritum Moysi, ut non ante, sed postquam datum est de spiritu ejus septuaginta viris, irasceretur in eos furor Spiritus Domini et deleret tot tamque diversis modis omnem illam generationem quæ exierat de terra Ægypti. In singulis quoque hominibus, id est judicium. Quandiu enim per ignorantiam sanæ doctrinæ contradicunt, superna suspensa tenetur super eos sententia judicii æterni, ubi autem scientes veritatem, per superbiam contradicunt veritati, exempli gratia, ut Arius cœterique hæretici, sive hæresiarchæ plurimi, extunc judicantur esse blasphemi, et verbum dicere contra Spiritum sanctum, et peccatum hoc non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.

CAPUT VI.

Quod septimus pastorum supra memoratorum fuerit David, et quod apud istum non solum triplicatum nomen Dei sicut apud Moysen, verum etiam relativa inveniantur expressa nomina Trinitatis, quæ sunt Pater, et Filius et Spiritus sanctus, et quod hic primus Spiritum sanctum nominavit, qui prius legebatur, Spiritus Dei, sive Spiritus Domini.

Septimus pastorum supra memoratum exstitit David quem pavisse oves patris (*I Reg.* XVI), et sacra historia clarissime narravit, et ipsemet canet verbis hujuscemodi : « Et elegit David servum suum et sustulit eum de gregibus ovium, de post fætantes accepit eum (*Psal.* LXXVII). » Quam multi et magni doctores Pastorem istum modo supra dicto suscitaverunt super eum, scilicet super Dominum nostrum Jesum Christum.

Nos quoque postremi pro posse suscitavimus hunc super eum, cum in plerisque aliis, tum maxime in opere quod scripsimus super duos libros Regum, primum et secundum. Apud istum, quod nostri propositi est, invenimus manifestius expressum fidei nostræ thesaurum sanctæ Trinitatis. Quomodo manifestius expressum ? Nimirum non solum, sicut apud Moysem triplicato substantiali nomine, quod est Deus. Exempli gratia, cum dicit : « Benedicat nos Deus, Deus noster, et benedicat nos Deus (*Psal.* LXVI), » verum etiam expressis relativis nominibus, quæ sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Ait enim in ipso loquens ipse Christus : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, » subauditur, natura, non adoptione. Sequitur enim : « Ego hodie genui te (*Psal.* II). » Quod dicit hodie, sic intelligimus, ac si diceret in æternitate, in immutabilitate. Sicut enim illi est esse, et non fuisse, aut futurum esse. Unde et ad Moysen dixit : « Ego sum qui sum (*Exod.* III), » et ad Judeos. « Antequam, inquit, Abraham fieret ego sum (*Joan.* VIII), » sic in genitura ejus, neque heri, neque cras admittit intellectus fidei nostræ, sed solum hodie. Quod deinde sequitur Dominum Patrem adhuc dixisse : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » Constat esse dictum pro humilitate naturæ nostræ, quia secundum servi formam et illi congruit, et nobis necessarium fuit Patrem postulare, id est, pati pro nostra salute. Nihil enim aliud intelligere volumus hic in verbo postulationis, nisi obedientiam, cujus summa est sacramentum sive sacrificium sacrosanctæ ejus passionis. Itidem in alio psalmo cum dicit idem pater, loquens in visione sanctis suis. quorum se unum gratulabatur David : « Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus meus et susceptor salutis meæ, et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ (*Psal.* LXXXVIII). » Cum inquam, hæc dicit et relativa exprimit nomina Patris, et Filii, et utramque exprimit naturam unici Filii. Nam secundum naturam divinam, **56** « ipse, ait, invocabit me : Pater meus es

tu, et secundum naturam humanam itidem ipse, « ait, invocabit me, Deus meus, et susceptor salutis meæ es tu. » Juxta hunc sensum, ait, iste primogenitus, jam excelsus præ regibus terræ factus, id est, jam a mortuis resuscitatus, jam ad dexteram majestatis in Excelsis æterna sessione sessurus : « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum (*Joan.* XX). » Spiritum sanctum idem David primus nominavit, dicens : « Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me (*Psal.* L). » Nam eatenus scribebatur Spiritus Dei, sive Spiritus Domini. Hic autem quod sonorius est Spiritum sanctum primus nominavit, de cujus dignitate vocabuli mentionem jam fecimus in primo libello præsentis operis. Itaque relativa nomina sanctæ Trinitatis, quæ sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, hic patenter edixit, quæ ante ipsum nec Moyses, nec alius sic evidenter expressit.

CAPUT VII.

De promissione quæ ad eum cum juramento facta est : « Semel juravi in sancto meo, » et de trino nomine Domini ad eum cum dicit : « Requiem dabo tibi, prædicetque tibi Dominus, quod faciet tibi domum Dominus. »

Ad istum repromissio facta est cum juramento sicut ad Abraham, beati seminis quod est Christus, quod nasciturus esset de semine ejus, unde et cantans misericordias Domini, dixit ex ore ipsius Domini : « Semel juravi in sancto meo. » Si David mentiar : « Semen ejus in æternum manebit (*Psal.* LXXXVIII). » Unde venerabiliter attendendum est, quia beata Trinitas, quæ sese Abrahæ exhibuit in tribus angelis pro confirmatione promissionis, sive pro magnitudine et dignitate promissi, ipsa pene sese expressit in tribus verbis ad David, in promissione ejusdem seminis, id est Christi : « Hæc dicit Dominus exercituum : Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicetque tibi Dominus, quod faciat domum tibi Dominus (*II Reg.* VII). » In istis namque verbis, in isto initio tantæ promissionis, quod intelligitur ex subsequentibus, dum dicit : « Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo et firmabo regnum ejus, ipse ædificabit domum nomini meo et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium (*ibid.*) » In istis, inquam, verbis patenter se ostendit per distinctionem personarum, una divinitas summæ et individuæ Trinitatis. Quis enim vel quæ persona hæc dicit : « Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, » nisi persona Patris ? Sequitur namque et dicit postmodum : « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. » Ergo persona illa, de qua dicit Dominus Pater : « Prædicetque tibi Dominus, ipse est Dominus Spiritus sanctus, qui per os sanctorum prophetarum prædixit, quemadmodum et Zacharias dicit : « Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus (*Luc.* I). » Non de quo proti-
A nus ait : « Quod faciat domum tibi Dominus, » ipsa persona est Dominus Filius. Non tres domini, sed unus Dominus. Quantum potuit vel debuit sacra hæc Scriptura, sacramentum hoc et futuris servavit, et illis qui tunc erant, dum ipsa conderetur, abscondit hominibus, quia distinctionem trium personarum, sicut jam alias diximus, portare non poterant, si eis palam prædicaretur.

CAPUT VIII.

De eo quod ubi missus est apostolis Paracletus Spiritus veritatis, imo et antequam appareret in linguis igneis (quod factum est die Pentecostes) cum aperuisset illis sensum, ut intelligerent Scripturas, prima testimonia Christi sumpta fuere de psalmis David.

Quanta putas in isto habet Pater ? Dixit enim
B Filius, et nos supra meminimus : « Cum autem venerit Paracletus Spiritus veritatis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » Statimque subjunxit : « Omnia quæ habet Pater, mea sunt ; propterea dixi : Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (*Joan.* VI). » Quanta ergo putas in isto habet Pater ? quanta de isto accepit Spiritus sanctus, et annuntiavit apostolis, ut clarificaretur Filius Dei ? Delectat valde, quia postquam ascendit in cœlum Christus Filius Dei, etiam antequam procederet Spiritus sanctus apparens in linguis igneis, primum quod protulit de isto accepit, et Petro annuntiavit ut diceret : « Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat habitatio ejus deserta, et non sit qui habitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter
C (*Act.* I ; *Psal.* CVIII). » Jam enim factum fuerat quod evangelista Joannes narravit, dicens : « Hoc cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipe Spiritum sanctum (*Joan.* XX), » quodque Lucas ejusdem diei et ejusdem vespere gesta scribens dixit inter cætera : « Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » Ut autem impleti sunt dies Pentecostes, et procedens Spiritus sanctus a throno majestatis atque « sedit supra singulos eorum, tanquam ignis, apparuerunt enim illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* II) ; » ut, inquam, hæc vox facta est et hac voce facta, convenit multitudo mente confusa, nonne primum quod Spiritus
D sanctus per os Petri apostoli protulit de isto accepit ? Præmisso namque testimonio prophetæ Joelis, quod non essent ebrii sicut putabant illi, qui « irridentes dicebant : Quia musto pleni sunt isti (*ibid.*), » protinus data propositione de resurrectione Domini nostri Jesu Christi, rationem hanc intulit ; David enim dicit in eum : « Providebam Dominum in conspectu meo semper (*Psal.* XV), » et cætera. Non enim David ascendit in cœlum, dicit autem ipse : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX). » Hoc ut supra jam dictum est, valde delectat, quod cum dicere volumus, quia Pater multa in isto habet quæ Filii sunt, sicut et cætera

omnia, omnes enim Scripturæ in Filium tendunt, prima quæ Spiritus sanctus protulit per os Petri apostoli ipso die quo datus est perpendimus, quia de isto accepit, in quo Deus Pater testimonia fidelia quam plurima Filio suo thesaurizavit.

CAPUT IX.

Item de eo quod ait : « Ille Spiritus me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis, » et de illo versu psalmi quarti : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo. »

Hic in psalmo quarto dicit : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo. » Quia videlicet psalmus quartus hunc habens titulum, in finem psalmus Canticum David, si rite consideres, in illum diem spectat, quo Spiritus sanctus, ut **57** supra dictum est, procedens a throno sive majestate Patris et Filii, discipulos Christi ita lætificavit, ut musto viderentur pleni, loquentes linguis, et silere non valentes præ gaudio quod nemo extunc tollere potuit ab eis. Ad hoc perspicere juvat sensum ordinemque psalmorum præcedentium psalmi primi, secundi et tertii, simul et istius scilicet quarti. Quia videlicet quatuor sacramenta nostræ salutis (quorum in fide vita nostra consistit) prædicant auri audienti, scilicet Incarnationem, Passionem, Resurrectionem atque Ascensionem Jesu Christi Filii Dei, simulque lætitiam qua Spiritus sanctus, ut jam dictum est, in die Pentecostes discipulos ejusdem Domini lætificavit. Hæc enim, o Fili, de tuo Spiritus sanctus accepit et annuntiavit nobis, ut possimus jam in ista fronte, sive vestibulo gazophylacii Patres tui, demonstrare quatuor insignia hæc tuæ nobilitatis, videlicet quod homo absque peccato natus, cum hominibus conversatus fueris et quasi peccator mortem sis passus propter obedientiam paternæ dilectionis, et quod a somno mortis exsurrexeris per virtutem divinitatis, et quod in cœlum ascenderis, rediturus in die judicii, et percussurus impios, quia sine causa adversati sunt tibi. Proinde supra scriptum quarti psalmi versiculum : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo, » paululum differentes, a primo incipiemus hæc demonstrare breviter, ut perspecta fronte, sive vestibulo sanctuarii, quod intus amplissimum est, dicat quicunque rudis et similis nostri spectator adest : O quanta Pater hic habet et quanta Spiritus veritatis hinc accipere potest, ut annuntiet nobis de his quæ Filio suo thesaurizavit Pater, quoniam in ingressu tam fulgidus tamque ordinatus prospectus sacramentorum, quæ in vitam habemus, ornatus est.

CAPUT X.

Quod per intellectum psalmi primi, hoc de Christo nobis annuntiet Spiritus veritatis, quia et in hunc mundum sine peccato venit originali et in hoc mundo sine peccato vixit actuali.

Primus psalmus, prima vox psalterii dicit : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. » Quis præter unum talis aut tantus vir? Et quidem si de peccatis actualibus agitur, ut de sanctis interim taceam maximis atque novissimis, quis dinumerare possit multitudinem parvulorum innocentium, qui non abierunt in consilio impiorum, et in via peccatorum non steterunt, et in cathedra pestilentiæ non sederunt ? Sed si originale recogites peccatum, nullus omnino est præter hunc, nam in Adam, ait Apostolus, omnes peccaverunt (*Rom.* v). Hic ergo est ille vir vere beatus, cujus conceptio et nativitas exstitit secundum operationem Spiritus sancti (*Luc.* i) quod pulchre insinuatur per hoc dictum : « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal.* i). » Pluraliter namque decursus aquarum divisiones intelligimus gratiarum spiritualium, quæ omnes simul in istum deificum hominem, sive beatum virum, ab ipso conceptionis initio diffusæ sunt. At in alios homines, quicunque illo digni sunt, nequaquam sit vel tanta plenitudine, sed longe et incomparabiliter minus donis divisivis datæ sive distributæ sunt. Verum nos hac vice pedem retrahamus mentis de istarum profundo aquarum. Proposuimus enim demonstrare breviter in hoc psalmo sacrosanctam Domini et Dei nostri Jesu Christi humanitatem, quod absque peccato fuerit tam originali quam actuali et hoc perficere nunc sufficit ternis oppositionibus istis. Non abiit in consilio impiorum, sed in lege Domini voluntas ejus. In via peccatorum non stetit, sed in lege Domini meditabitur die ac nocte. « In cathedra pestilentiæ non sedit, » sed est vel « erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, » quod fructum suum dabit in tempore suo. Jam ergo duo opposita demonstremus consilia, quorum isti terni effectus valde contrarii sunt. Quod fuit consilium impiorum in quo abiit, id est, a Deo recessit ille non beatus vir, ille vetus Adam ? Nimirum hoc, ut qui erat pulvis præsumeret velle ut esset sicut Deus (*Gen.* iii). Quod econtra consilium piorum, in quo non abiit, id est, a Deo non recessit iste beatus vir, iste novus Adam ? Nimirum, ut qui natura erat Deus, in pulverem nostrum descendere dignaretur. Illud fuit consilium spiritus diaboli ; istud autem consilium Spiritus Dei. Inde oppositiones istæ, quas diximus, ternæ sunt ; qua ille secundum consilium illud abiit, et istius voluntas secundum consilium istud fuit in lege Domini ; imo et sicut Apostolus dicit : « Sub lege factus est, cum esset Dominus legis (*Gal.* iv). » Ille in via peccatorum stetit, malam quippe cogitationem tantæ ambitionis opere demonstravit : iste in lege Domini die ac nocte meditatus est, ut, quod præfigurabatur per legales cæremonias verbi gratia, agni et vituli, cæterorumque hujusmodi, in veritate suæ passionis impleret. Ille « in cathedra pestilentiæ » sedit, id est, pestilentiam mortis utriusque scilicet animæ et corporis, posteris suis hæreditariam dereliquit. Iste autem ut lignum fructiferum hunc fructum in tempore suo dedit, ut come-

dentes carnem et sanguinem ejus (*Joan.* VI), ab illius cibi vetiti reatu simus liberati.

CAPUT XI.

Quod per intellectum psalmi secundi, hoc de Christo nobis annuntiet Spiritus veritatis, quia propter obedientiam passus sit pro peccatis nostris, scilicet obediendo Patri dicenti : « Postula a me, nimirum moriendo. Hoc enim fuit postulare et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. »

« Quare ergo fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? (*Psal.* II). » Dixit enim quodam loco Judæis, et quod illis dixit, omnibus et gentibus et populis dixit et dicit : « Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico, quare non creditis mihi ? (*Joan.* VIII). » Quid aliud sibi vult percunctatio ista : « Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? » Idcirco taliter hunc psalmum secundum primo vel præcedenti conjungimus, quia juxta propositum, et hominem sine peccato fuisse conceptum vel natum atque conversatum Christum Dei Filium, in illo primo agnoscimus, et in isto secundo causam cur passus fuerit, quam gentes et populi meditantes inania non cognoverunt, expositam intelligimus. Ait enim : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » Audito verbo quod dixit, postula a me, modum quoque sive qualitatem postulationis debemus nosse. Quomodo nisi moriendo postulavit ? Humilitas procul dubio sacrosanctæ ejus passionis postulatio fuit, sacrificium fuit, præter quod aliquid holocaustum, et pro peccato Deus noluit (*Psal.* XXIX). Est igitur sensus : Idcirco ego beatus vir, qui morti nihil debui, quia peccatum non feci, mortis debitum solvi ; idcirco « quando fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania, » quando astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in **58** unum adversus Dominum et adversus me Christum ejus : idcirco, inquam, tacui semper silui, patiens fui, qui poteram usquequaque dicere, quod semel dixi : « Ego sum, et abierunt retrorsum et ceciderunt in terram (*Joan.* XVIII), » quia Dominus Pater dixit ad me : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Ad hanc Patris dictionem, cum multa consonent, illud quoque pertinet quod Isaias inter cætera dixit : « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur (*Isa.* III). » Unde autem mors ejus tanti esset aut tantum valeret, nisi idem ipse qui homo in sæculo natus est, Deus ante sæcula existeret ? Propterea dicturus Pater : « Postula a me, » præmisit : « Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Cæterorum quæ sequuntur usque in finem psalmi, summa hæc est quam dixit : « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me (*Joan.* XII) » Item dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Potestas utique judiciaria a dextris et a sinistris, quæ designatur hoc brevi versiculo : « Reges eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos (*Psal.* II). »

CAPUT XII.

Quod per intellectum psalmi tertii hoc de Christo nobis annuntiet Spiritus veritatis, quia resurrexit, et in cœlum ascendit, et hoc esse quod dicit : « Ego dormivi et soporatus sum et exsurrexi, » et : « Tu autem, Domine, susceptor meus. »

Postquam fremuerunt gentes et populi gentiles et Judæi usque dum interimerent eum, lætati sunt et multipliciter quasi vicissent gloriati sunt, ipsam ejus mortem pro magno tenentes experimento, quod non fuisset a Deo, quod fuisset seductor, et idcirco nomen ejus periisset et nulla esset in Deo salus ejus. At ille nunc mortuus per triduum loquebatur, et nunc usque vivens loquitur ea quæ continet sequens psalmus : « Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ? Multi insurgunt adversum me ; multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus, » etc., usque : « Dormivi et soporatus sum, et exsurrexi (*Psal.* III). » Quis nisi dormiens dormitione peccati, et soporatus alto sopore fallaciæ, non agnoscit hanc vocem resurgentis hæc esse verba resurrectionis ? Ergo quod sequitur : « Non timebo millia populi circumdantis me ; exsurge, Domine, salvum fac me, Deus meus (*ibid.*), » vox est ascendentis et cunctis sedere a dextris Dei. Utrumque autem, scilicet et resurrectionem et ascensionem uno versiculo brevius perstrinxerat, dicens : « Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. » Cujus versiculi Petrus apostolus taliter sensum expressit gloriosum (*Act.* II). Hunc Jesum suscitavit Deus patrum nostrorum, et principem ac Salvatorem exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam et remissionem peccatorum. Fecimus quod proposuimus, scilicet demonstrare jam in initio psalterii Davidici quatuor sacramenta hæc, quorum sine fide nullus vixit, Incarnationem, Passionem, Resurrectionem atque Ascensionem Jesu Christi Filii Dei, ut in ordine lucido ad illum diem processionis Spiritus sancti perveniremus, cujus gratiam sonat is qui continuo sequitur Psalmus quartus.

CAPUT XIII.

Quod per intellectum psalmi quarti, qui sic incipit : « Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi, » hoc de Christo nobis annuntiet Spiritus veritatis, quia fecit sicut promisit, dicens : « Et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

« Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi. » Hujus quippe versiculum psalmi superius susceptum habuimus : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo, » et hoc dilatato, paululum digressi, tetigimus psalmos superiores, ut demonstraremus quia sacramentorum salutis nostræ miro modo et latet et splendet hic in prophetia lucidus ordo. Quærimus ergo : Nonne vox quarti hujus psalmi convenit rei gestæ et

voci illius diei, quo Spiritus sanctus de cœlo veniens, orantes discipulos Domini lætificavit, ita ut dicere congruat conventui illi, et omni Ecclesiæ sequenti : « In tribulatione dilatasti mihi, miserere mei, et exaudi orationem meam ? » — « Omnes enim perseverantes erant unanimes in oratione, cum mulieribus, et Maria matre Domini Jesu, et fratribus ejus (*Act.* I). » Nonne ita contigit illis, ut sonat ista vox Spiritus prophetici : « In tribulatione dilatasti mihi ? » Eatenus quippe non latum, imo valde angustum fuerat eorum et cor et os. Quomodo angustum cor ? Homines sine litteris erant, et idiotæ. Quomodo angustum os ? unius habebant rusticitatem linguæ Hebraicæ, ita ut loquentes ex idiomate suæ locutionis, statim fierent manifesti quod essent Galilæi. Qui sic angusti fuerant cordis et oris, ita dilatati sunt, ut et scripturas intelligerent et loquerentur linguis, et quod maximum est, non in pace, sed in persecutione. « Ibant enim gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). » Magna et mira dilatatio illorum, qui unanimiter perseverantes in oratione secundum istam vocem propheticam : « Miserere mei, et exaudi orationem meam (*Psal.* IV), » sic exauditi fuerant, ut in corde Scripturas, in ore linguas, in utroque adepti constantiam, loquerentur magistratibus, dicerent tam plebi quam senioribus : « Filii hominum usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium ? Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum (*ibid.*). » Quid enim aliud verba illa sapiunt, « viri Israelitæ Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, » et cætera usque : « Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur vestra peccata (*Act.* III). » Et quam pulchre quod hic scriptum est in psalmo : « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* IV), » et quod illic dicit apostolus Petrus : « Pœnitemini, ut deleantur vestra peccata, » unum idemque significat. Item per hoc, quod hic scriptum est, « ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium, » quam recte illud arguitur mendacium, quod jam ante illum diem, quo prædicare cœperunt apostoli, divulgatum erat apud Judæos, mendacium, inquam, et quod quæsierant emerant data militibus pecunia copiosa ut dicerent, « quia discipuli ejus venerunt nocte et furati eum sunt, nobis dormientibus (*Matth.* XXVIII). » Sed jam omissa multitudine eorum, quæ hinc dici poterant, propositum pro agnitione sanctæ Trinitatis pertractemus versiculum.

59 CAPUT XIV.

Iterum de versu psalmi quarti : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, » quod vultus Domini sit Filius Dei, et quod lumen vultus Domini sit Spiritus Patris et Filii.

« Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine ; dedisti lætitiam in corde meo. » Dominus cui hæc dicuntur : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, » ipse est Pater ; vultus Domini, ipse est Filius Patris ; lumen vultus Domini, ipse est Spiritus sanctus Patris et Filii. Filius idcirco recte dictus vultus Dei Patris, quia sicut in vultu alicujus hominis affectio lætitiæ vel mœroris potest percipi, sic per Filium voluntas Dei Patris mundo innotuit. Lumen vultus Domini ; idcirco recte intelligimus Spiritum sanctum Patris et Filii, quia sicut lumen alicujus rei valde lucentis viam vel prospectum pandit corporalibus oculis, verbi gratia, sicut claritas solis, depulsa caligine noctis, nobis efficit diem, sic Spiritus sanctus, depulsis ignorantiæ tenebris, docet nos omnem veritatem, quia per ipsum et Filium scimus, et Patrem et ipsum cognoscimus, ex utroque procedentem. Quis, quando et ubi signavit « super nos hoc lumen vultus tui, Domine. » Dominus Jesus Christus quando adhuc latebat vultus tuus in illa humanitate ut crucifigi posset, nisi enim latuisset, nisi se continuisset et cessasset dicere : « Ego sum (*Joan.* XVIII), » omnes abirent retrorsum et caderent in terram, nec possent comprehendere eum. Dominus, inquam, noster Jesus Christus, cum adhuc sic lateret in carne ejus vultus tuus, signaturum se promisit super nos hoc lumen vultus tui, et continuo signavit, ut vere pontifex summus pro jure officii sui, cujus est signare non solam frontem corporis, verum etiam frontem animæ credentis. Dixit enim ipsa nocte qua tradebatur, mittam vobis Paracletum Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (*Joan.* XV), et multa hujusmodi ad distinctionem pertinentia trium personarum Patris et Filii, et Spiritus sancti. Et deinde ipsa qua resurrexit die, stans in medio discipulorum, præmisso bono pacis nuntio, quam fecerat inter Deum et homines, « insufflavit et dicit : Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX), » scilicet in remissionem peccatorum. Sequitur enim : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX). « Et die Pentecostes misit eumdem Spiritum in divisiones gratiarum multis coruscantibus miraculis. Ita signatum est habentes super se lumen vultus tui, Domine, cœperunt eadem die vocare alios, et adducere ut signaretur super eos idipsum lumen, per ipsorum ministerium et manuum impositionem. Eadem quippe die, qui receperunt sermonem, baptizati sunt, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia.

CAPUT XV.

De varietate in eodem psalmo singularis et pluralis numeri, quod singularitas credentium sit, habentium unum Spiritum et unam fidem : Pluralitas autem sive multitudo illorum sit, qui sunt contra vel extra hanc unitatem.

Et vide, quam pulchre credentes a non credentibus Spiritus propheticus distinxit ipso modo locutionis. Nam de non credentibus dixit : Multi dicunt, quis ostendit nobis bona, de multitudine vero credentium quamdam unionem factam insinuans, cum dixisset : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, » protinus uti maluit singulari numero, dicens ex persona ipsorum ; « dedisti lætitiam in

corde meo.» Et recte, quia multitudinis credentium, A erat cor unum et anima una (*Act.* IV). Quam videlicet unitatem cordis et animæ, illud quoque adverbium pulchre exprimit : « Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me (*Psal.* IV). » Ipse namque Spiritus sanctus de multis efficit unum. Qui autem hunc non habent multi, imo et contra semetipsos sensibus diversis, et in plerisque contrariis nec sectas divisi sunt. Quid ergo est, quod præmisso ; « In pace in idipsum dormiam et requiescam (*Psal.* IV), » causam sive rationem istam subjungit : « Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me, » nisi ac si diceret : Idcirco quia nunc studeo singularitati sive unitati huic, de qua Apostolus dicit : « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eum- B dem actum habent ; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, » etc., usque « idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes (*Rom.* XII). » Quam unitatem facit unus Spiritus, et una fides, idcirco, inquam, illuc spero me perventurum, ubi « dormiam et requiescam, » in tanta pace, quanta intelligi vult dictio hæc, qua dixi : In « idipsum. » Pro hujusmodi sensu variatur modus locutionis, secundum varietatem singularis et pluralis numeri, ut cum pluraliter dixerit : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, » statim singulari dictione dicat : « Dedisti lætitiam in corde meo ; » rursumque cum dixerit pluraliter: « A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt (*Psal.* IV), » C statim ex persona diversæ multitudinis eorum, quorum est vel esse debet cor unum et anima una, sive unus Spiritus et una fides, statim singulariter dixit : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Potest quidem de reprobis sive terrenis dictum intelligi : « A fructu frumenti, vini et olei multiplicati sunt, » ut sensus vituperationis, quod gratulentur in hujusmodi, et multiplicati sunt a terrenis divitiis, sed nihilominus econtra venerabiliter accipitur, quod ex eo multiplicati sint, quod Christus, « tanquam granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit (*Joan.* XII), » et duo data Spiritus sancti de quibus jam sæpe dictum est, tanquam fructum « vini et olei (*add.* multiplicaverit credentibus in se). » Hæc unitas, sive singularitas, quæ in isto psalmo in plerisque sanctorum loquitur, ipsa est D quam postulabat ipse Dominus Christus ipsa nocte, qua tradebatur : « Pater sancte, inquit, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.» Item : « Non pro his rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, » etc., quæ ita finivit : « Ut dilectio, qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis (*Joan.* XVII), » quam videlicet dilectionem, non aliud quam Spiritum sanctum oportet intelligi.

CAPUT XVI.

Iterum quod hæc dicit unitas : « Dedisti lætitiam in corde meo, » et quod ubi Spiritus sanctus inhabitat, illic sempiterna sit et inenarrabilis lætitia.

O utinam ! quoniam non vacat, neque propositum est per singula discutere, quæ hic dicta sunt ab hoc uno, saltem unius dicti hujus sensum penetrare liceat, quod dixit : « Dedisti lætitiam in corde meo. » Sed quis penetrare possit, nisi qui eamdem lætitiam accepit ? hoc interim scire et dicere possumus quia lætitia hæc Spiritus sanctus est. Plane Spiritus sanctus, sicut lumen vultus Domini, sic recte dicitur, et est lætitia Patris et Filii, ubi Spiritus **60** sanctus inhabitat, illic sempiterna et inenarrabilis est lætitia, nec aliud quam ipsa est lætitia, quam importat. David ipse, per quem hæc dicta sunt, lætitiam istam expertus fuerat, etenim pleno cornu acceperat, sicut scriptum est : « Imple, ait Dominus ad Samuelem, cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem, providi enim in filiis ejus mihi regem (I *Reg.* XVI). » Tulit igitur Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus. Et directus est Spiritus Domini in David, a die illa, et in reliquum. Verumtamen ad horam sibi lætitiam hanc diminuit, et ut verbis utar Apostoli dicentis : « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei (*Ephes.* IV), » tunc Spiritum sanctum ipse contristavit, quando in Uriam Ethæum peccavit (II *Reg.* XII). Quod sciens ipse sentiens : Redde, inquit, mihi Deus, lætitiam salutaris tui (*Psal.* L). » Sciunt sancti homines, quorum pectora sunt habitacula Spiritus Sancti, quomodo fiat illud, quod Apostolus fieri non vult, dicens : « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis (*Ephes.* IV). » Est enim quidam tactus ejusdem Spiritus sancti, quo interdum sensibiliter hominem tangit, dum vult eum suscitare ad operandum, ut non negligat gratiam quam ipse contulit illi. Qui si mente quieta tunc incedit, aut in secreto secum est, sive somno indulgens pro tempore, sive pervigil, blandum utique et suavissimum tactum illum persentit, tanquam familiarem appellationem præsentis amici. Quod si aliter est, si verbi gratia : Festuca irruens mentis oculum turbavit, et per hoc nondum satisfecit ; tunc ille tactus et tardior accedit, et asperior est sensui, ita ut dicere conscientia non dubitet : Ecce contristatus est Spiritus sanctus Dei. Quanto magis contristatus fuerat Spiritus Domini, et dicere habebat David : « Redde mihi lætitiam salutaris tui, » propterea quia venit peregrinus, scilicet diabolus, a regno civitate Dei longe alienus « ad divitem » David, et « ille parcens sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini qui venerat ad se (II *Reg.* XII). »

CAPUT XVII.

Admiratio, quam sapienter signatus fuerit liber donec illum agnus aperiret, et de eo quod dicit beatus Job, qui commovet terram de loco suo, qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo.

Ecce dum in hoc quasi magnæ domus vestibulo, et perspecto frontis splendore, similem, imo et majorem, et interiori amplitudine prospicimus claritatem sancti nominis tui Trinitas Deus, quam adoramus, cui cum isto Psalterio psallimus, admiramur quam sapienter signatus fuerit liber, antequam Agnus illum acciperet et signacula ejus solveret (*Apoc.* v), et quam fortiter etiam nunc teneatur clausus illi qui propter incredulitatem suam intus legere indignus est. Et revera quam sapienter cautum est, ut non diceret in istis majoribus, quod dicere solent prophetæ in minoribus : « Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israel, ait Dominus (*Jer.* v). » — « Hæc dicit Dominus Deus exercituum, Deus Israel : Bonas facite vias vestras et studia vestra (*Jer.* xii). » Quis enim tunc portare posset, ut iste similiter loqueretur in istis majoribus. Exempli gratia, ut diceret : « Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti. » Hæc dicit Dominus : « Foderunt manus meas et pedes meos. » Hæc dicit Dominus. « Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Psal.* xxi). » Bene ergo liber signatus est, omissis ejusmodi dictionibus, et sacramenta importabilia dicturus, iste primus assumpsit personam ejus, de quo loquebatur, ut interim negligenter attendentibus, de semetipso loqui videretur, cum in eo loqueretur Messias, id est Christus. Quem et sæpius nominat Verbum quam Filium, quatenus ejusdem Trinitatis abscondat sacramentum, ut illic : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* xxxii). » Cujus versiculi longe superius mentionem fecimus, cum de angelica creatura loqueremur. Hoc, inquam, admiramur, et in ipsa admiratione, quæ tanta est, ut ad eam explicandam nullus sermo noster sufficere possit, ecce opportune quasi post tergum vocem audimus beati Job dicentis: « Sapiens corde est, et fortis robore. Quis resistit ei, et pacem habuit ? qui transtulit montes et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutientur. Qui præcipit soli et non oritur, et stellas clausit quasi sub signaculo (*Job.* ix). » Hanc vocem audivimus, dum in contemplatione claritatis, quæ in psalmis lucet, stantes miraremur. Quinam sunt montes quos transtulit Deus, pro quorum translatione, et sapiens corde, et fortis robore merito prædicetur ? putasne apostoli, de quibus recte intelligitur dicens alibi : « Et transferentur montes in cor maris (*Psal.* xlv), » id est, in medium gentium transibunt a Judæis. Et quidem montes ipsi, sed non soli quos Deus transtulit. Moyses quoque et iste David, et omnes prophetæ montes sunt, non pro ulla mole corporum suorum, sed pro eminentia Scripturarum, quas, inspirante Spiritu sancto, scripserunt. Quomodo vel unde et quo montes istos transtulit Deus? Nimirum dando genera linguarum transtulit eos, id est, Scripturas eorum per interpretes suos de una lingua Hebraica, in Græcam et Latinam. Factum est mirabili judicio, ut legant et sciant omnes gentes, nesciant autem hi quos subvertit in furore suo, scilicet Judæi, penes quos eædem Scripturæ conditæ sunt, quorum propter perfidiam excæcavit oculos. Nec solummodo ita subvertit, verum etiam in omnes gentes captivos dispersit, ita ut jam non sit eis propheta, neque princeps, neque dux. Hoc bene intelligitur in eo quod protinus ait : « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutientur. » Statimque subjungit : « Qui præcipit soli et non oritur, et stellas clausit quasi sub signaculo (*Job.* ix). » Habent enim, et secum captivi bajulant Scripturas legis et prophetarum et psalmorum ; Christum autem non habent, in quem omnes Scripturæ tendunt. Et quid est habere [*add.* Scripturas, et non habere] Scripturarum intentionem, nisi quomodo habere cœlum et non habere solem ? Et quid est legere et nolle intelligere prophetas, nisi quasi sub signaculo clausas continere stellas ? Hoc Deus idcirco præcipit, quod sol iste non oriatur illis, et hujusmodi stellas idcirco quasi sub signaculo claudit, quia cæcitas eorum non tam ex ignorantia descendit, quam ex invidia, propter quod et præcepto huic quo præcipiter soli ut non oriatur illis, secure, imo et laudabiliter concedimus, dicentes cum Psalmista, ex ipsius solis persona : « Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva (*Psal.* lxviii). »

61 CAPUT XVIII.

De eo quod Salomon dicit : « Quia suscitavit omnes terminos terræ, » quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus si nosti : itemque : « Væ soli quia cum ceciderit non habet sublevantem, » et cætera, post quæ subjungit : « Funiculus triplex difficile rumpitur.

Salomon Filium Patris sic manifesta voce expressit, ut dissimulare non possint supradicti veritatis inimici, qui in unitate divinitatis personarum distinctionem audierint, ait enim : « Quis ascendit in cœlum, aut quis descendit ? quis continuit spiritum in manibus suis ? quis colligavit aquas, quasi in vestimento ? quis suscitavit omnes terminos terræ ? quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus si nosti ? » Statimque subjungit : « Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se (*Prov.* xxx). » Quod idem est, ac si apertius diceret : Nomen Filii ejus Verbum est, et ab hoc fonte manans omnis sermo Dei ; quem « locuti sunt sancti homines, Spiritu sancto inspirati (*II Petr.* i) ; » protegit sperantes in se, sicut sperabat ille qui dixit : « Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti (*Psal.* cxviii). » Idem Salomon volens nunquam esse hominem absque societate, sine meditatione sermo-

nis Dei, dixit : « Væ soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo, unus quomodo calefiet ? et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei. » Statimque subjunxit : « Funiculus triplex difficile rumpitur (*Eccle.* IV). » Quæ sententia, nonne secundum Scripturam supra memoratam stella est quasi sub signaculo clausa ? Esto enim ut quispiam illorum qui secundum sensum ejusdem Salomonis dicunt : « Stultissimus sum virorum et sapientia hominum non est mecum : non didici sapientiam, et non novi scientiam sanctorum (*Prov.* XXX), » ita sit homo idiota et sine litteris, ut non possit habere meditationem sermonis Dei, et dormire cum illo dormitione illa, de qua in Canticis dilecta : « Ego, inquit, dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* V). » At saltem memoriter possunt tenere nomen Domini in quo signatum est nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Plane hic est « funiculus triplex, qui difficile rumpitur (*Eccle.* IV). » Dormiat ergo cum nomine isto, et non erit solus. Non dixit de istis duobus loquens, nunquam cadet unus ex istis duobus, sed dixit : Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Non, inquam, dixit : « Funiculus triplex nunquam rumpitur, sed dixit : Funiculus triplex difficile rumpitur. » Non enim unquam contigerit, ut is qui habet dilectionem sive meditationem nominis Domini, cadat, oblitus ad horam triplicis de quo pendebat funiculi. Nam et David cecidit. Sed cum ceciderit, resurget, reparata virtute per invocationem ejusdem nominis Domini, atque ita fit quod hic dixit : « Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei. » Hinc et alibi dicit : « Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus, et exaltabitur. Substantia divitis, urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum (*Prov.* XVIII). »

CAPUT XIX.

Tria esse, scilicet fidem, spem, charitatem, per quæ homo perducitur ad similitudinem Dei, juxta propositum ejus dicentis : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » et secundum hæc tria fecisse Salomonem tres libros, Parabolas, Ecclesiasten, Cantica canticorum.

Tria sunt per quæ perducitur homo ad Dei similitudinem, juxta propositum ejus dicentis : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). » Hæc tria sunt, fides, spes, charitas. Nam ad imaginem Dei homo creatus est, in eo quod rationalis est. Porro ad ejusdem creatricis Trinitatis pervenit similitudinem habendo tria hæc, fidem, spem et charitatem. Secundum hæc tria, Salomon tres fecit libros, scilicet librum Parabolarum sive Proverbiorum, Ecclesiasten, et Cantica canticorum. Librum quippe Proverbiorum scripsit ad instruendam fidem ; Ecclesiasten ad corroborandam spem ; Cantica canticorum ad dilatandam charitatem. Et omnis quidem Scriptura divinitus inspirata in hoc ipsum tendit, sed in isto trium librorum ordine hoc maxime delectat intueri, quia secundum ordinem harum virtutum trium sunt compositi sive

A dispositi, scilicet fidei, spei et charitatis. A quibus primus homo excidens, amisit gloriam similitudinis Dei, tali ordine ut amitteret charitatem, non teneret spem, non haberet fidem. Primum namque exigebatur ab eo charitas Dei, in eo quod cunctis animantibus eam Deus dissimilem fecit. Et quia non inveniebatur ei adjutor similis ejus : « Faciamus, ait, ei adjutorium simile sui, » videlicet ad propagandam sobolem tuam multam, tantæque beatitudinis, ut essent similes angelis, « tulitque eum et posuit in paradiso voluptatis. » Pro tantis beneficiis nullum rependit officium charitatis, nullam vocem gratiarum actionis. Deinde spes ab ipso exigebatur in illa positione præcepti : « Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. »
B Sperare enim debuit homo rationalis, ut diceret : Si tanta Deus contulit gratis, nonne si præcepta observavero majora dabit ? At ille non in Domino speravit, sed sibimet placens, quasi liber, et sicut Deus esse voluit. Nisi enim hunc tumorem intus habuisset, foris tentatus non tam facile cederet. Fides ab illo exigebatur dicendo : « In quocumque die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II). » At ille dicto huic fidem non adhibuit, imo serpenti magis credidit dicenti : « Nequaquam morte moriemini (*Gen.* III), » et voci malæ credulæ mulieris plusquam voci Dei obedivit. Itaque vetus ille Adam a charitate, spe, fide exidens, se et posteritatem suam defraudavit et longe fecit a similitudine beatæ Trinitatis. Et econtra novus Adam, reciprocis gradibus per fidem, spem et charitatem nos reformavit et ad eamdem simili-
C tudinem Dei ; et omnis, ut jam dictum est, Scriptura divinitus inspirata ad hoc intendit, maxime autem sive manifestius tres isti libri Salomonis : quod ut demonstremus, libet aliquantisper immorari.

CAPUT XX.

De eo quod ait in Parabolis : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, » quodque « Dominus possedit me initio viarum suarum, » et cætera usque : « Cum eo eram cuncta componens, » et : « In principio erat Verbum ; omnia per ipsum facta sunt, » unum et eumdem habeat sensum.

Præmissis paucis, quæ et ad captandam attentionem, docilitatem atque benevolentiam pertinent, primus est actus in parabolis mundare animam per doctrinam moralitatis, quatenus accipere possit mysterium fidei, sic incipiendo : « Fili mi, si te
D lactaverint peccatores, ne acquiescas eis ; si dixerint : Veni nobiscum, insidiemur sanguini (*Prov.* I), » etc. Quæ diligenter quis attendens, cito animadvertit, hanc ejus esse intentionem, quatenus mundetur vas a cœno peccati sive ab amore sæculi, ut possit pretiosam recipere substantiam fidei, aliter enim non potest fieri. Hinc ipse Dominus Judæis dixit :
62 « Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis ? « (*Joan.* V.) Quanto magis dicere poterat : Quomodo potestis vos credere, qui insidiamini sanguini et absconditis tendiculas contra insontem, et dicitis : « Deglutiamus eum sicut infernus viventem

et integrum quasi descendentem in lacum : omnem pretiosam substantiam reperiemus (Prov. I),» juxta illud : « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas ? » (*Marc.* XII.) Et alibi Evangelista dicit. « Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine (*Matth.* II) » Quia ergo non est locus apertus fidei, nisi prius vasa munda sint ab amore sæculi, ab avaritia quæ est simulacrorum servitus (*Ephes.* IV), cæterisque vitii ærumnosis maximeque a prudentia « carnis, quæ inimica est Deo (*Rom.* VIII), » et ab æstimatione sapientiæ sæcularis,quæ magis garrula loquacitas, quam sapientia debet nuncupari. Pulchre ab hujusmodi prius revocat filium quem vocare vult ad intellectum fidei, eamdem sapientiam sæculi fugiendam esse clamans semel et iterum sub nomine meretricis primo sic incipiens : « Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus (*Prov.* V). » Et iterum sic repetens : « Dic sapientiæ : Soror mea es,et prudentiam voca amicam tuam,ut custodiat te a muliere extranea, et ab aliena,quæ verba sua dulcia facit.De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, » et cætera usque : « Multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea, viæ inferi domus ejus penetrantes interiora mortis (*Prov.* VII). » Et quæ miro modo,et in littera denotant mulieris meretricis odiosam procacitatem, et in mysterio maxime detestantur ambitiosam atque ventosam mundanæ sapientiæ loquacitatem.Tunc demum semeptisam credens a quibus audita est, et quorum acquisivit benevolentiam, iterum exclamans inter cætera dicit: « Audite quoniam de regibus magnis locutura sum,et aperientur labia mea ut recta prædicent ; veritatem meditabitur guttur meum (*Prov.* VIII). » Quibus de rebus magnis loqueris? quæ recta, quam veritatem prædicabitis ? « Dominus, ait, possedit me in initio viarum suarum,antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret. » Quando præparabat cœlos aderam, » et cætera usque : « Nunc ergo, filii,audite me (*ibid.*).» Paucisque interpositis,ait :« Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas,miscuit vinum et proposuit mensam (*Prov.* IX).» Non res istæ,res eædem sunt, quas Joannes Evangelista voce clarisima manifestius enuntiavit,dicens: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt,et sine ipso factum est nihil, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ? » (*Joan.* I.) Paululum voces sive nomina et verba differunt, sed res eædem sunt. Hic sapientia, illic Verbum; hic initium viarum,illic principium ; hic ego sapientia concepta eram, illic non factum est, sed « erat Verbum,» ait Evangelista. Hic cum eo eram,inquit,cuncta componens,illic dictum est : « Verbum caro factum est, omnia per ipsum facta sunt. » Hic taliter dictum est : Sapientia ædificavit sibi domum, « illic dictum est : « Verbum caro factum est, » et ipsam carnem Verbum incarnatum suum nominat templum. Hic taliter dictum est : « Excidit columnas septem, » illic certum est, in templo corporis Dominici habitare septem spiritus. Hic taliter dictum est ; « Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam, » illic taliter factum est,sicut experti sumus et experiuntur omnes,qui proprium corpus suum tradidit in mortem et in commemorationem mortis ejusdem, quotidie proponit nobis panem et vinum, corpus et sanguinem suum.

CAPUT XXI.

Quod secundum similitudinem fessi viatoris frequens intercisio librorum fessum relevet animum scribentis.

Tanquam fessus viator residere et hunc librum finire compellor, similis illi qui in itinere mansionem forte propositam habuit putans esse locum vicinum quo pervenire posset ante solis occubitum, et esse iter unius diei, quod erat duorum vel trium dierum,fere sic mihi contigit,dum quærens quamdam imaginationem sanctæ Trinitatis in isto speculo trium virtutum fidei,spei, et charitatis; misi pedem mentis et cursum linguæ in tres libros Salomonis, putans quod propositum meum brevissimo possit cursu peragi. Ecce autem video quia non tam breviter fieri potest,alioquin offendam quemlibet judicem sapientem, boni sermonis probatorem,ut bono sapore propositionis nostræ allectus, nec plena copia saturatus,et idcirco magis irritatus, stomachetur et dicat contra me tale quid ut est illud :

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
(Hor. *Ars. poet.*)

Quapropter similis, ut jam dictum est, illi,qui desperans ad propositam pervenire mansionem, accumbit in medio itineris, reservabo quod viæ reliquum est futuro diei,faciamque hic jam finem præsentis belli, ne antecedentibus multo prolixior sit, sanctum invocans Spiritum,cujus solemnitas annua nunc recurrens nos in laudem sui adventus excitat, et sic quoque « tanquam fluminis impetus civitatem,» id est, Ecclesiam « Dei lætificat (*Psal.* XLV), » quatenus ipso duce viator iste quo tendit, illuc perveniat ; « Quam, inquiens, petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini et visitem templum ejus (*Psal.* XXVI). »

63 LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM

Item de thesauro fidei, spei et charitatis, in tribus libris Salomonis, quod super illo quidem thesauro sapientiæ gaudendum sit; formidandum autem, quod vir tam sapiens cecidit vel cadere potuit.

Gaudeamus quoque in ista parte agri super inventione thesauri,in istis tribus libris Salomonis, super consideratione horum trium, fidei, spei et charitatis, per quæ reformatur homo ad quamdam similitudinem beatæ Trinitatis,quam,ut superius dictum est, perdidit in Adam permanente proposito ejus dicentis : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » Gaudeamus, inquam, sed gaudium nostrum offendit et turbat recordatio non suavis, recordatio ruinæ tanti viri,quod tantæ sapientiæ sacrarium in tantum ruit,ut propter amorem mulierum servire posset diis alienis, jam senex, sicut Scriptura dicit : « Cumque jam esset senex, depravatum est per mulieres cor ejus, ut sequeretur deos alienos (*III Reg.* XI). » Quid enim ? nonne formidabile nobis reddit judicium Dei recordatio tanti tamque sapientis viri,tam horribiliter in senectute sua depravati ? Et quidem est opinio quorumdam consolabilis, quod pœnitentiam egerit, et post pœnitentiam libros istos fecerit, sed nihilominus terrorem facit tabulis casus iste,quo tanta columna ruit, quia videlicet non postquam ruit senex, sed antequam rueret, tantam sapientiam juvenis accepit, dicente ad eum Domino : « Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit (*III Reg.* III). » Quid ergo dicere possumus hic : Revera nihil nisi tale quid ut est illud Apostoli : « Quam incomprehensibilia sunt judicia tua, et investigabiles viæ (*Rom.* XI), » Domini, et humiliari sive curvari, sub eo, sub quo curvantur, ut ait beatus Job, qui portant orbem (Job IX), » quia et si quid intelligimus de Altissimo, quis isto sapientior ?

CAPUT II.

De coæternitate Patris vel Filii, secundum hæc verba Sapientiæ : « Antequam quidquam fieret, ego jam concepta eram, » et cætera ; et de Incarnatione ejusdem sapientiæ,secundum hæc verba : « Sapientia ædificavit sibi domum, » et reliqua.

Quomodocunque cum Filio actum sit, ubicunque tale lignum ceciderit, quemadmodum dicit : « Si ceciderit,lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit (*Eccle.*XI).» Qualiscunque in extremis fuerit, et nunc ubicunque sit, nos simus et sapimus quia bonus est fructus ligni hujusmodi multum valens ad vitam fidei, ex qua justus vivit (*Habac.* II ; *Rom.* I). Claro quippe nomine sapientiæ dicentis : « Ab æterno et ex antiquis
A ordinata sum, et antequam quidquam fieret ego jam concepta eram, et ante omnia ego parturiebar (*Prov.* VIII) ; » Filium Dei coæternum Deo Patri astruit et istud credere exigit ipsa sapientia ab omnibus filiis quos recipit,dicens post hæc : « Nunc ergo,filii,audite me,» et cætera,usque : « Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam, omnes qui me oderunt, diligunt mortem (*Ibid.*) » Hæc enim quæ omnia prescribere longum nimis visum est, antequam et Patri coæternam Jesu Christi Filii Dei divinitatem sonant, quod omnia sæcula, et absque initio natus sit, et illa quæ continuo sequuntur : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX), » et cætera quæ superius prælibavimus, de Incarnatione ejusdem Verbi my-
B stice dicta sunt. Vere ergo : « Qui autem, inquit,in me peccaverit, lædet animam suam, » sive, ut loquar, « et omnes qui me oderunt,mortem diligunt.» Hæretici enim sunt. Et quis ita diligit mortem, et diligendo mortem lædit animam suam,sive, ut loquar secundum David, qui Salomonem præcessit, quis,ita diligendo « iniquitatem,odit animam suam (*Psal.* X), » sicut hæreticus et judæus, qui tam cupide, tam diligenter se exercet in contentione verborum, quatenus rationabiliter videatur astruere, quod Christus ex Maria initium existendi habuerit et quod de semine Joseph conceptus fuerit ? Sunt autem inexcusabiles, quod sicut habet hic Sacræ litteræ series, domina sapientia, postquam « ædificavit sibi domum, immolavit victimas, et miscuit
C vinum et proposuit mensam » missis ancillis suis, ut vocarent ad arcem et mœnia civitatis : non solum dixit : « Si quis est parvulus, » id est humilis, « veniat ad me, » verum et incipientibus locuta est: « Venite et comedite panem meum,et bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam,et vivite, et ambulate in viis prudentiæ. » **64** Sed quid sequitur ? « Qui erudivit derisorem, ipse sibi injuriam facit ; et qui arguit impium, generat maculam sibi (*Prov.* IX). » Nonne hoc expertæ sunt illæ ancillæ, quas domina sapientia misit ? Voluerunt erudire derisorem, scilicet populum Judaicum,et hanc sibi injuriam fecerunt quam legimus et quam eadem Sapientia prædixit : « Ecce ego, inquit, mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis
D occidetis et crucifigetis, et ex illis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem (*Matth.* XIII). » Voluerunt arguere impium, videlicet cœtum Pharisaicum, et hanc maculam generaverunt sibi, quam abhorrent oculi nostri, quia blasphemaverunt Spiritum sanctum, qui loquebatur in eis ; sicut in Actibus apostolorum

habemus. Exempli gratia : « Et contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes (*Act.* XIII). » Quid ergo sequitur ? « Noli, ait, arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem et diliget te (*Prov.* IX). » Et hoc ita fecerunt, ut dicerent : « Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes ; Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt (*I Cor.* I). » Curiose hoc agebant Judæi, dicendo : « Quod signum tu facis ? quid operaris ? » (*Joan.* VI). et idcirco denotantur nomine derisoris, similes Herodi illi, qui Dominum Jesum videre volebat, sperans sibi « signum aliquod ab eo fieri (*Luc.* XXIII), » Diligenter autem Græci sapientiam quæsierunt et invenerunt, et dilexerunt, et ad arcem, sive ad mœnia civitatis ejus vocati, venerunt, et ecce de mensa ejus comedunt, et vinum ejus bibunt, et hoc « modo justificata est sapientia a filiis suis (*Matth.* XI), » quia nec sapientem, id est, benevolum auditorem docere neglexit, nec derisorem ita præteriit, ut de ignorantia possit excusari.

CAPUT III.

De his quæ sequuntur in eodem libro Proverbiorum, quomodo fere totus sermo, quasi in conflictu sit per oppositionem justi et impii, sibi invicem adversantium et compugnantium secundum quod ait ipsa incarnata Sapientia : « Non veni pacem mittere, sed gladium. »

Ecce, ut arbitror, ostium apertum et intelligentia clarificata est in istam amplitudinem sive multitudinem Proverbiorum Salomonis. Quantum enim, quam mirabile spectaculum hic habes quicunque attendis ; quantus hic est incursus, quantus conflictus sermonis sapientissimi, consistens in oppositione duorum sibi invicem adversantium, justi et impii contra se invicem compugnantium, per antitheta horum fere totus liber decurrit : « Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ. Non proderunt thesauri impietatis, justitia vero liberabit a morte. Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet (*Prov.* X). » Sic incipientem opponere oppositiones tam multiplices justi et impii, sive sapientis et stulti, specta oculis intentis, et tunc demum in hoc spectaculo oppido delectaberis, si certos noveris terminos justi et impii, sive justitiæ et impietatis. Quænam est justitia nostra, nisi fides nostra? Sive quis est justus, nisi qui credit? Nam « justus, ait Scriptura, ex fide vivit (*Habac.* II). » Nimirum infidelitas econtra injustitia est, et infidelis derisor justi impius est. Pulcherrimum ergo hic est post ædificationem domus, quam per Incarnationis mysterium sapientia sibi ædificavit, in cunctis divisionibus sive oppositionibus libri hujus, illum intelligere gladium, de quo ipsa Sapientia incarnata dixit : « Non veni pacem mittere, sed gladium (*Matth.* X). » Extunc enim maxime, et multo plus quam eatenus, justi et impii, sive sapientes et

A stulti contra semetipsos divisi, ex suis studiis contrariis manifesti facti sunt. In qua nimirum rationabili consideratione illud quoque non minime delectat, quod in initio talium oppositionum prius oppositæ consistunt : hinc sapientia mater justorum, et illinc stultitia mater impiorum. Ait enim : « Principium sapientiæ timor Domini, et scientia sanctorum prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ. » Statimque subintulit : « Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes viam et pergentes itinere suo. Quis est parvulus ? declinet ad me. Et vecordi locuta est : Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior (*Prov.*

B IX). » Nomine stultæ mulieris, sine dubio denotat procacem nimisque loquacem, imo et fallacem sapientiam sæculi, extollentem se adversum sapientiam Dei, ex quo tempore, maxime illa domum, sicut jam supra dictum est, sibi ædificavit, et immolatis victimis suis, misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis. Utriusque filiorum fines, scilicet filiorum sapientiæ et filiorum stultitiæ, quam diversi, imo quam contrarii fuerint vel sint, sequentis libri fere tota series declamare intendit, per antitheta, sicut jam dictum est, hujusmodi : « Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ (*Prov.* X). » Levemus in directum oculos nostros per omnem mundum, sive in fines, orbis terræ, quo exivit sonus apostolorum, ubi

C fusus est sanguis martyrum, ubicunque voce et litteris decertavit sapientia Patrum orthodoxorum pro gloria domus, quam sibi sapientia ædificavit, septemque ejus columnarum contra stultitiam Judæorum, adversus impietatem paganorum et contra nequitiam hæreticorum, et palam est, quia experimentis horum, quæ ad hoc dicuntur per tot oppositiones sententiarum, omnia plena sunt.

CAPUT IV.

Item de oppositione justi, qui videlicet ex fide vivit, et impii, id est, fidem non habentis, et qualis secundum eumdem librum Parabolarum finis utrorum sit.

Propositi nostri memores hic iterum dicemus, quia liber hic Parabolarum sive Proverbiorum instruit fidem, sequens Ecclesiastes roborat spem, tertius Sirasirim, id est, Cantica canticorum, dele-

D ctat (*forte* dilatat) charitatem, per quæ tria reformatur homo ad similitudinem illam quam proposuit Trinitas, dicens : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » Et manifeste necessaria est ad æternam salutem fides, istud confitens, quia sapientia quæ hic loquitur : « Cum eo eram cuncta componens (*Prov.* VIII), increata est, et nunquam non fuit, et nihilominus istud sciens, quod eadem « sapientia domum sibi ædificavit. » Quæ alium non habuit sensum, quam hæc Evangelistæ dicta : « In principio erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). » Qui hæc fideliter corde credit

ad justitiam (*Rom.* x; *Prov.* viii), et ore confitetur ad salutem, ipse est Filius sapiens qui lætificat patrem, Filius quem justitia liberabit a morte, cujus animam non affliget Dominus fame, cujus manus divitias parat et congregat in messe, cujus 65 super caput benedictio Domini, cujus memoria cum laudibus, cujus os vena vitæ, cujus in labiis invenitur sapientia, cujus fides substantia divitis et urbs fortitudinis est, cujus opus ad vitam, cujus lingua argentum electum, quem benedictio Domini divitem facit, nec afflictio sociabitur ei, huic dabitur desiderium suum, et erit quasi fundamentum sempiternum. Nam econtra impius, qui propter hoc ipsum dicitur, et est impius, quia non habet, imo et odit et persequitur hanc justitiam fidei, quasi tempestas transiens non erit, et anni ejus breviabuntur et, omnia quæ copiosissime ex Scriptura prosequitur super eum complebuntur, quorum in hoc libro novissimum est illud dictum de Antichristo principe stultorum sive impiorum, et quid stultus apparuit, postquam elevatus in sublime, si enim intellexisset, ori imposuisset manum.

In tribus illis, quibus istud de uno oppositum est, consummatio est laudis justorum, dum dicit: « Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, » in quo ipsum intelligimus Christum; et « gallus succinctus lumbos, » qui est omnis ordo prædicatorum; « et aries, nec est rex qui resistat ei (*Prov.* xxx), » in quo intelligimus prælatos omnes, qui bene præfuerunt vel præsunt ecclesiis Christi, quorum fidei fortitudinem nullus persecutor vincere potuit, nec ille poterit, qui postquam, ut jam dictum est, elevatus fuerit in sublime, stultus apparebit, in quo consummatio est vituperationis impiorum.

CAPUT V.

Item de fide, quod ipsa sit mulier fortis, de qua in fine ejusdem libri scriptum est: « Mulierem fortem quis inveniet, procul et de ultimis finibus pretium ejus. »

Jucundum sit tibi eloquium meum, Trinitas sancta, suavis tibi sit laudatio mea, o sanctæ Trinitatis similitudo, trina virtus, fides, spes et charitas. « Gustavit et vidit » anima mea, « quia bona est negotiatio (*Prov.* xxxi) » tua; jamque propero ad exitum libri hujus Proverbiorum, in quo, ut jam semel et iterum dixi, documenta sunt fidei, quasi per viam istam lucem aliquam intelligentiæ Deus mihi sparserit, et aliquid juxta propositum de profundis istis elucidaverim et intrare cupio in concionem, ubi concionator sedet Ecclesiastes, habens coronam spei, scilicet librum, in quo sedens sapientissimus rex concionator super juvenes et adolescentes, illud maxime insistens comprobare quod adolescentia, et voluptas, et cuncta horum instrumenta vana sint, timor autem Domini, et observatio mandatorum ejus sit omne esse hominis, quemadmodum dicit in fine ejusdem hujus voluminis: « Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo (*Eccle.* xii). » Sed quid agam? tenet enim pedem mentis hic in exitu Proverbiorum digna laudatio cujusdam mulieris

A magnæ et memorabilis, quæ hoc modo incipit: « Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus; confidit in ea cor viri sui et spoliis non indigebit (*Prov.* xxxi). » Quænam, rogo, est ista fortis mulier? Scimus quidem quia sancta Ecclesia est; sed quærimus adhuc. Quæ causa hic efficit quod tot sæculorum generationes, tot nominum sive animarum multitudines dicantur una mulier, et una sit ex omnibus Ecclesia, Deum habens virum, cujus cor confidat in ea? quid, inquam, est illud per quod istud efficitur, nisi una fides? Denique sicut in Ecclesiaste dictum est, et supra miminimus: « Deum time, et mandata ejus observa, hoc est omnis homo; » ita recte dicas, unam fidem Catholicam tene, hoc est enim omnis Ecclesia. Sic

C ergo hic legamus et intelligamus laudationem fortis mulieris, ut veraciter laudationem fidei, quia nimirum secundum fidem universa Ecclesia, sicut jam dictum est, una mulier dicitur, et vir ejus, qui laudat eam, « cujus cor in ea confidit, » ipse est Dominus Deus. Quis hoc inveniet? Denique Ecclesiam toto orbe diffusam nemo est qui non inveniat, nisi talis sit, qui oculos claudat ne videat; fidei autem secretum pauci sunt qui inveniant, nec enim aliter invenitur vel agnoscitur, nisi per Spiritum sanctum. Propterea dixit: « Quis inveniet? » et protinus nobis dignam admirationem facere volens, ait: « Procul et de ultimis finibus pretium ejus. » Hoc intelligens Paulus apostolus dixit: « Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* xi). » O quam procul est substantia

C hæc, de qua ultimis finibus argumentum hoc profertur, quod non apparet, neque videtur tam multis interjacentibus montibus sive collibus eorum, quæ videntur. Exempli gratia, patres inclyti, Abraham, Isaac, et Jacob, et qui orti sunt ex illis, ait Apostolus, tanquam sidera cœli in multitudine, et sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis, juxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes et confitentes, « quia peregrini et hospites sunt super terram (*I Petr.* i). » Nobis quoque, qui pro tempore quidem viciniores rei sumus, sed tamen rem ipsam nondum videmus, Petrus apostolus loquitur: « Inveniamini in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi, quem, cum non videritis,

C diligitis; in quem nunc quoque non videntes, credentes autem exsultatis (*ibid.*). » O igitur quam procul, ut jam dictum est, et de quam ultimis finibus pretium mulieris hujus, pretiositas Ecclesiæ hujus, fides operatricis hujus, aspicientis non ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur.

CAPUT VI,

Item pro dignitate ejusdem fidei, quomodo dictum sit; « Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit, reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitæ suæ. »

Quid proinde illi? qualem meretur gloriam in conspectu Dei? ait: « Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. » Manifeste dictum, venerabi-

liter audiendum. Deus excelsus et immensus vir est conjugis hujus scilicet fidei, et « in ea cor ejus confidit. » Quomodo confidit? Eo nimirum modo, ut secreta sua non dubitet ostendere huic. Plus dicam secundum auctoritatem Scripturæ, quia secreta sua non potest abscondere huic. Si enim locutus est ad Abraham, in quo invenerat fortem mulierem istam, fidem istam: « Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? » (*Gen.* XVIII.) Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini. Magna confidentia tanti viri pro constantia constantissimæ conjugis, ut ei secreta sua celare non possit. Sed consideremus adhuc vehementiam dictionis, quia non dixit: Confidit in ea vir suus, sed « confidit in ea cor viri sui. » Denique utiliter perpenditur dilectio hæc, maxime si non ignores ubi, quando et quasi facto sententia talis comprobata sit. Etenim quidem in omnibus sanctis patriarchis et prophetis hoc experta est fides, quod Deus vir suus in ea confideret; **66** ostendit enim illi secreta sua, quæ et ipsa per os eorum, et elocuta est sapienter, et signavit prudenter et fortiter. Sed est locus, et fuit tempus, de quo veraciter dicas, non solum ita confidit in ea vir suus, verum quod vehementius sonat et profundius penetrat intima mentis, « confidit in ea cor viri sui. » Ubinam hoc invenis? Profecto in anima sanctæ Mariæ Virginis. Ibi fides experta est, quod de semetipsa hic audivit, « confidit in ea cor viri sui; » etenim ibi vir suus ei cor suum aperuit. Quali apertione? Plane magna et ineffabili, ut faceret in ea cor viri hujus illud, quod prædixerat per os David: « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis (*Psal.* XLIV). » Ita cor suum illi aperuit, ut ipsam substantiam Verbi æterni in corde suo concepti, de corde suo ante sæcula geniti mitteret in mentem et in uterum Virginis valde fidelis, quæ per ipsam fidem, de qua nunc sermo est, tanta divina mysteria, angelo narrante, concepit. Deum enim castis visceribus suscepit, et benedicta in æternum nobis et hominem (*add.* genuit). O igitur sancta fides, quam verus de te sermo hic: « Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. » Quibus vel qualibus spoliis, nisi eloquiis Domini, eloquiis viri sui? Sic enim per os David ipsa dicebat: « Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa (*Psal.* CXVIII). » Ergo « spoliis non indigebit, » id est, sua eloquia vir tam familiaris intelligibilia facit cognitæ sibi fidei, certus de eo quod protinus sequitur: « Reddet ei bonum, et non malum omnibus diebus vitæ suæ (*Prov.* XXXI). » Non est enim hæc sicut illa superius infamata « mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens (*Prov.* IX); » mulier, inquam, non fortis, imo contraria forti mulieri huic. Est enim impia hæresis, et ipsa reddidit, sicut Judaica perfidia sive synagoga Satanæ (*Apoc.* II), malum et non bonum, omnibus diebus vitæ suæ semper enim veritati resistit dura cervice.

CAPUT VII.

Quod vel quale bonum reddat fides, sive Ecclesia fidelis, ut merito confidat in ea cor viri sui secundum alphabetum Hebraicum, cujus singulæ litteræ singulis versibus præfixæ sunt.

Quod vel quale bonum reddidit sive reddit fides, sive Ecclesia fidelis, ut merito « confidat in ea cor viri sui? » Interrogemus hoc alphabetum Hebraicum, cujus singulæ litteræ singulis versibus præfixæ sunt. Aleph, Beth, Gimel, Daleth, He, Vau, Zain, Heth, Teth, Jod, Caph, Lamed, Mem, Num, Samech, Ain, Phe, Zade, Coph, Res, Sin, Tau. Istæ sunt viginti duæ litteræ Hebraicæ, quibus apud eos omnis Scriptura contexta est. Quid ergo hoc nobis innuitur, quod singulæ litteræ singulis præfixæ sunt sententiis, nisi quia omnis Scriptura divinitus inspirata, bonum est opus mulieris hujus fortis, opus fidei quod viro suo reddidit? Non enim absque ratione, sed pro magnæ rationis significatione præscribuntur, et in quibusdam psalmis, et in Jeremiæ lamentationibus, et in oratione ejus, et in isto quoque fine Proverbiorum Salomonis, singularum nomina litterarum singulis sententiis. Quam videlicet rationem promptum est agnosci ex ipsorum nominum interpretationibus, quas interpretatus est vir illustris beatus Hieronymus Hebraicæ linguæ peritus. Interpretatur quippe Aleph, *doctrina*: Beth, *domus*; Gimel, *plenitudo*; Daleth, *tabularum*; He, *ista*; Vau et Zain, *hæc*; Heth, *vita*; Teth, *bonum*; Jod, *principium*; Caph, *manus*; Lamed, *cor*; Mem, *ex ipsis*, Nun, *æternum*; Samech, *adjutorium*; Ain, *fons*; Phe, *os non ab osse, sed ab ore*; Zade, *justitia*; Coph, *vocatio*; Res, *caput*; Sin, *dentes*; Tau, *signa*. Hujusce interpretationis directam primo litteraturam ponamus, et deinde ejusdem litteraturæ secundum sensum, qui in ipsa est, constructionem faciamus. Doctrina domus, plenitudo tabularum; ista et hæc vita bonum principium manus cordis. Ex ipsis æternum adjutorium fons oris justitiæ, vocatio capitis, dentium signa. Hæc est littera, quæ hoc modo construitur Sancta Scriptura, quæ est opus fidei, opus bonum, quod Catholica fides viro suo Deo reddidit, ipsa est doctrina domus, doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei. Ipsa est plenitudo tabularum, plenitudo legis, id est decem præceptorum, quæ in tabulis lapideis digito Dei scripta sunt. Ista plenitudo, et hæc doctrina, quid sunt nisi vita? Sermo Dei enim est, in quo vivit homo, quemadmodum dicit: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei (*Matth.* IV). » Ergo vita et bonum principium, subauditur vitæ æternæ. Hic enim principium est vitæ in Scriptura sacra, ut videamus et ambulemus per fidem, non autem consummatio ut jam videamus facie ad faciem (*Cor.* XIII). Manus cordis, id est operatio sanctæ meditationis, hæc doctrina domus, hæc plenitudo legis. Ex ipsis æternum adjutorium. Quid isto verius? Hic enim per sacram Scripturam discimus, quod in æternum sciamus. Fons oris justitiæ sine dubio hæc ipsa Scriptura nobis est. Hinc enim haurimus illud, quod ore ad

salutem confitemur, et quod confitendo justificamur. A Vocatio capitis ipsa est sancta Scriptura nobis, quia per ipsam vocat nos ad se caput Christus, ut membra ejus effici mereamur. Dentium signa sunt hæc omnia, quia non nisi dentibus, et plectro linguæ formata sonant hæc elementa, ut legi vel audiri possit omnis sancta Scriptura, de tam paucis elementis tam multipliciter conscripta.

CAPUT VIII.

De admiranda fidei potentia, maxime in hoc dicto : « Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo. »

Inter cætera pulchræ hujus laudationis capitula, quoniam cuncta pertractare nostri propositi non est, etenim nimis longum esset, istud intactum præterire non patior : « Sindonem fecit, et vendidit, et cingu- B lum tradidit Chananæo. » Denique sunt et cætera quidem valde splendida, et secundum metaphoram prophetæ et fortissimæ mulieris multum ad rem, sive mysterium pertinentia, ab eo quod ait : « Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum (*Prov.* XXXI), » usque ad id : « Sindonem fecit, et vendidit, » sed longe supra metaphoram est id, quod ait : « et cingulum tradidit Chananæo. » Quid enim ? Nunquid proba mulier, sicut solet quærere lanam et linum et operari consilio manuum suarum, sicut solet de longe portare panem suum, et de nocte, id est, mane surgere, sollicita unde det prædam domesticis suis et cibaria ancillis suis, sicut solet inopi manum suam aperire et palmas suas ad pauperem extendere, hisque et aliis modis circa mi- C nisterium frequens satagere ; sic solet etiam Chananæo cingulum tradere ? Ergo hoc supra metaphoram est. Diligentiam adhibemus, sicut in cæteris, ita et in isto intellectum quærimus, maxime propter illud quod dictum est in anterioribus **67** parabolis : « Acceptus est regi minister intelligens, iracundiam ejus inutilis sustinebit (*Prov*, XIV). » Dicimus itaque cum voce gratiarum actionis, quia toties hæc mulier fortis « Chananæo cingulum tradidit, » quoties præpotens fides quempiam, qui fuerat apud homines contemptibilis altissimo Deo regi magno acceptum reddit.

Chananæus quippe contemptibilis, imo et exsecratus Deo fuit, cum adhuc esset in lumbis patris sui Cham, dicente Noe : « Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. » Item secundo : D « Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus. » Itemque tertio : « Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus (*Gen.* IX). » Valde ergo contemptibilis Chanaan, cujus septem gentes ad introitum filiorum Israel, Deo judice, terra evomere debuit (*Levit.* XX), quod et fecit. Econtra fides valde potens et valde nobilis, quæ Chananæo tali homini, vel cuilibet simili huic secundum ignobilitatem sæculi, cingulum tradere potuit, ut præcinctus ambulet ob meritum fidei, quam suscepit : filiis regni, qui fidem non habent, jacentibus et discinctis, aut etiam in captivitatem ductis. Quemadmodum dicit sanctus Job : « Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum (*Job.* X). » Annon et Apostolus hoc dicit ? « Quæ stulta sunt mundi, ait, elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I). » Cuncta hæc et stulta, et infirma, et ignobilia, et contemptibilia, et quasi non existentia, recte intelligis uno nomine Chananæi, quem domina fides et sindone sua vestire, et cui cingulum pro velle suo tradere potuit, et tradidit, et sola hoc fecit, ut qui sæculo inhonorus habebatur, honoratus incedit coram oculis Domini, et in conspectu quoque hominum magnorum sive parvulorum, qui domestici sunt ejusdem fidei.

CAPUT IX.

Quomodo ad instructionem fidei pertineat sequens liber Ecclesiastes : « Vanitas vanitatum et omnia vanitas. »

Hactenus a nobis habitus sermo intentionem Proverbiorum spectare demonstravit ad instructionem fidei, ex qua justus vivit, nunc juxta propositum demonstrandum est, intentionem libri Ecclesiastes in eo esse, ut certam præbeat rationem spei, scilicet in quo non sperare, et in quo spem suam ponere debeat homo rationalis. Hoc facere ita incipit : « Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes : Vanitas vanitatum et omnia vanitas. Quod habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole (*Eccle.* I), » subauditur, nisi vanitatem ? Sic a sole incipiens, quod pulcherrimum est opus Creatoris, et excelsissimum cunctorum, ex quibus vita mortalium subsistit, et delicias parat sibi, cuncta vanitatis arguit, et veraci utique redargutione : « Præterit enim, ait et Apostolus, figura hujus mundi (*I Cor.* VII). »

Nec semel dixisse contentus, « Vanitas vanitatum, » iterum ac tertio repetivit : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » ut animadvertas quam serio loquatur vel agat, præmissa enim auctoritate regii nominis et civitatis Jerusalem. Ait enim : « Verba Ecclesiastes, Filii David regis Jerusalem (*Eccle.* I). » Tribus magnis nominibus pro utilitate audientium paravit huic libro auctoritatem seipsum nominans Ecclesiasten, id est concionatorem, Filium David, et regem Jerusalem. Quid primum est sub sole, in quo spem suam cupidus homo posuit ? utique terra. Et in hoc mira dementia est, quia, cum habitatio terræ hujus homini propulso a felicitate paradisi, data fuerit ad pœnam, scilicet ut in sudore vultus sui operaretur eam, ipse sibi eam præcipere contendit, quasi ad gloriam. Nonne hoc est vanum, cum dicit : Homo natus ex terreno, et cras moriturus (*Gen.* III). Hoc tantum terræ est meum, et mei sunt isti tractus ? Bene ergo in primis cupiditatem sive possessionem terræ, vanitatis arguit, dicendo : « Generatio præterit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat (*Eccle.* I). » Ac si aperte dicat : Frustra homines cupidi, terram sibi subjugare, agrum agro

copulare contenderunt usque ad terminum loci, A contentione nonnunquam horribili usque ad effusionem multi sanguinis, quia tot generationibus prætereuntibus et tot advenientibus, terra hic remansit, nec illos secuta, qui jam præterierunt; nec illos secutura qui adveniunt, sive adventuri sunt. Generatio præterit, sicut nascendo in hunc mundum nihil attulit, ita moriendo nihil auferre potuit, et generatio quæ advenit, sive nos ipsi qui nunc sumus, ut verbis utar Apostoli, sicut « nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quin nec auferre quid possumus (*I Tim.* vi). » Eamdem intentionem et in isto quod ait: « Generatio præterit, et generatio advenit, » et in cæteris quæ sequuntur, quæcunque vanitatis arguit, prudenter intellige, quia ipsa est, quam idem Apostolus, præmisso, ut jam memoravi- B mus: « Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quin nec auferre quid possumus, » protinus expressit, dicens: « Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Quam quidam appetentes, erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis (*Ibid.*). » Quid aliud dicit Ecclesiastes, toties repetendo, vanitas et afflictio spiritus? Hoc etiam dicens inter cætera: Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? (*Eccle.* i) cuncti dies ejus doloribus pleni sunt, nec per noctem C mente requiescit.

CAPUT X.

Quomodo jure vanitatis arguuntur omnia quæ fecit Deus sex diebus in comparatione diei septimi, in quo requievit.

Magnum est Scripturæ hujus negotium, et magnum concionis bujus emolumentum, concionatore isto loquente, præ oculis habens duo opposita hæc, hinc vanitatem et inde veritatem, et inter utrumque clare discernas et legitima diffinitione utrumque diffinias. Est autem hæc diffinitio vanitatis, quam Paulus apostolus satis brevem pene expressit dicendo: « Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* vii). » Vanum quippe constat esse omne quod præterit, et prætereundo possessorem sive cupidum sui fallit et eludit. Porro veritatis diffinitionem quam aliam D dare possumus dignam, nisi ut dicamus, veritatem illud esse quod semper idipsum est? Illud enim, quia non præterit, neminem fallit, neque contingit in hac optima parte, quod evenit in parte vanitatis, his de quibus scriptum est: « Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (*Psal.* LXXV). » Et quid est illud quod semper est idipsum? **68** Eamus ad caput libri ad initium Scripturarum veritatis, quia illic est magnum et evidens ostium rationis, unde possimus veritatem a vanitate certis disparare terminis. Sex quippe diebus omne opus suum cœlum et terram, et omnem ornatum eorum perfecit, et die septimo opus suum complevit. De quo videlicet die septimo, me in alio opere dixisse memini, quia natura primus est, qui ordine septimus habetur. Unde et de illo die quo « dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux, et divisit lucem ac tenebras, » non sic scriptum est: Factumque est mane et vespere dies primus, sed: « Factumque est vespere et mane dies unus (*Gen.* i). » Sex quippe dies sunt omnium creaturarum, sex primæ species, per quas Creator cognosci debet. Propter quod et dicuntur dies, id est, oculos cordis nostri, ad cognoscendum Creatorem illuminantes; quarum videlicet creaturarum angelica creatura prima, et humana natura sexta est. Septimus dies, ut jam dixi, natura primus est, quia sapientia est, in qua Deus omnia fecit, quia « Verbum est, per quod omnia facta sunt (*Joan.* i). » et in isto Deus requiescit. Et ideo quidem primus est iste dies, quia in ipso vidit omnem creaturam, priusquam faceret; nobis autem septimus est, quia prius cognoscimus creaturam, et per ipsam cognoscimus, quia Creator magnus est.

Notandum ergo quia, sicut dictum est: « Complevitque Deus die septimo opus suum, » et non dictum est: Omne opus suum quod fecerat, dictum est autem: « Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat (*Gen.* ii). » Nam ab omni quidem opere requievit, ut nullam deinceps novam speciem crearet, sed si rite perpendis sensum verbi hujus complevit, non omne opus suum, sed solam rationalem creaturam die septimo complevit; nec ipsam universam, sed solam electionem quæ per humilitatem illo die septimo dignam sese exhibuit. Quidnam est die septimo compleri, in quo Deus requievit, nisi introire in illam requiem Domini, quæ plenitudo est beatitudinis, cujus et Apostolus magnifice meminit: « Ingrediemur enim, ait, in requiem qui credidimus, quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam, » et cætera usque « qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut et a suis Deus (*Hebr.* iv). »

CAPUT XI.

Quod non tam ipsa creatura quam creaturæ usus immoderatus vel amor perversus, recte vanitatis arguatur; quomodo dicit Scriptura: « Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. »

Igitur hic habemus certis disparata terminis duo opposita hæc, vanitatem et veritatem; vanitatem videlicet, in senario creaturæ numero; veritatem, in requie Dei, scilicet, in die septimo. Ergone, inquis, creatura vana est, aut opera Dei vana sunt, et ipse Deus vanitatis auctor est? Nonne cuncta Dei opera potius bona sunt, sicut ibidem Scriptura dicit: « Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona? » (*Gen.* i). Ad hæc, inquam, plane vanitas est creatura omnis, in comparatione requietionis, qua Deus in die septimo requiescit, et ex eo vanitatis arguitur creatura rationalis quæcunque, quod requiem quærit in temporalibus sive visibilibus

istis, et in illis æternis atque invisibilibus bonis, requiei Domini, fundamentum spei non sibi collocavit. Verumtamen hic non tam ipsa creatura quam creaturæ usus vel amor immoderatus vanitatis arguitur. Exempli gratia : Dum circa solis pulchritudinem ita sese impedit humana mens, ut hunc esse Deum putaverit, et huic creaturæ potius quam Creatori servire delegerit ; nec solum huic, verum etiam cæteris creaturis, maximeque quatuor elementis igni et aeri, et terræ, et aquæ nomina divinitatis ascripserit. Propterea merito cuncta hæc Scriptura vanitatis arguit, et in primis solem, dicens : « Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem (*Eccle.* I). » Nimirum in ortu ejus, et occasu in gyro ejus australi, et reflectione aquilonari, quia magna est mutabilitas, magna est et vanitas, quia nec homini laboranti satis grata est productior lux, dum sol ad aquilonem reflectitur, nec his qui in avibus ludunt, semper placet longanimitas tenebrarum, dum gyrat per austrum. Similiterque in cæteris varietatibus diei et noctis, æstatis et hiemis, veris et autumni. Sunt quidem multa humanæ infirmitatis remedia, sed multa nihilominus anxietatis tædia, quia nulla in his sufficientia, imo in omnibus magna indigentia est. Propterea nec in his, nec in aliquo eorum quæ sub sole sunt vel fiunt, est sperandum sive confidendum, quod cuncta vana, cuncta transitoria sunt. Hac intentione cuncta vanitatis arguit, tandemque ipsum hominem, cujuscunque spes ultra vel extra hæc, pedem suum non extendit. Ait enim : « Idcirco interitus unus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio ; sicut moritur homo, sic et illa moriuntur ; similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumentis amplius. Cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, et in terram pariter revertentur (*Eccle.* III). » Non ergo sperandum in homine, quamvis divino, quamvis potenti. Annon et ante istum, pater David idem senserat ? « Nolite, ait, confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus ejus et revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum (*Psal.* CXLV). » Nonne proinde constat quod ipse homo sit vanitas ? Hunc idem alibi dicit : « Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. » Statimque duobus hoc ipsum versiculis astruit, quod hic explicatur longiori disputatione concionatoris : « Verumtamen, inquit, in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur. Thesaurizat et ignorat cui congregabit ea (*Psal.* XXXVIII). » Plane idem sensus est in plurimis horum quæ hic dicit, addens etiam hæc : « Rursus detestatus sum omnem industriam meam, et quam sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus sit futurus, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui, et est quidquam tam vanum (*Eccle.* II) ?

A

CAPUT XII.

De eo quod ait : « Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo, » et quod absque timore Dei, omnis vivens sit vanitas.

Pro intentione libri hujus Ecclesiastes, ad hoc breviter dicendum quod in solo sit Deo sperandum, quoniam satis dictum arbitramur pro eo, neque quod in homine, neque in alia creatura sperandum sit. In plerisque psalmorum sic fecerat et pater David, ubi dixit quod supra memoravimus : « Veruntamen universa vanitas omnis homo vivens (*Psal.* XXXVIII), » etc. Hoc demonstrare intendens, quod neque in homine, **69** neque in thesauro hominis sperandum sit, protinus ait : « Et nunc quæ est exspectatio mea ? » (*Ibid.*) quod idem est, ac si dicat : In quo ergo sperabo ?
B nonne in Domino ? Itemque cum dixisset : « Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus ; » causam quoque subjunxit cur in illis non sit sperandum, dicens : « Exibit spiritus ejus, » videlicet hominis, « et revertetur homo in terram suam ; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, » protinus exclamavit : « Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius (*Psal.* CXLV), » et cætera usque in finem psalmi. Quibus verbis spem excitare nititur excitatione rationabili, ut bonum quod permanet præferendum esse sentias omni quod transit. Juxta hunc sensum concionator iste, concionis multitudinem ab immoderato amore rerum transeuntium revocare, et ad æternorum spem bonorum excitare cupiens, et hoc multiplici ratione peragens, talem in ultimo
C facit conclusionem : « Finem loquendi omnes pariter audiamus : Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium, pro omni errato, sive bonum, sive malum (*Eccle.* XII). »

Quomodo sapit tibi in palato cordis quod dixit : « Hoc est enim omnis homo ? » Verbum est, qualem sensum efficit intellectui tuo ? Talem nimirum efficere debet, qui pertineat ad eamdem rationem, qua dixit æternus et incommutabilis Deus : « Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos (*Exod.* III). » Egerat enim ab initio libri de corruptione vanitatis, et cuncta corripiens sive discutiens, comprobaverat, quia omne vanum, omne quod transit, utique sic est, quasi non sit, nec
D ipsum hominem excipiens quicunque in vanitate ambulavit. Ait enim : « Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio (*Eccle.* III). » Et cætera quorum supra meminimus, cum illo psalmi versiculo : « Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens (*Psal.* XXXVIII). » Ut humana creatura liberetur a servitute corruptionis. Homo jam non sit vanitas, habens esse, habens participationem in idipsum cum æterno illo qui dicit. « Ego sum qui sum. » — « Hoc est, ait, omnis homo, » Deum timere, et mandata ejus observare

(*Eccle.* XII). Ablativo casu dictum grammatici intelligunt hoc, ac si diceret: Deum timendo, et mandata ejus observando, accipit esse homo, et gratia est, adhærendo Deo, qui natura est; nam qui adhæret Deo, unus Spiritus est (*I Cor.* VI). Alias autem homo sive sit rex Israel in Jerusalem, sive rex in Babylone præpotens, quantiscunque affluat deliciis et fruatur bonis, ædificans sibi domos et plantans vineas, faciens hortos et pomaria et exstruens aquarum piscinas, possidens servos et ancillas, armenta quoque et magnos ovium greges, coacervans sibi argentum et aurum, faciens sibi cantores et cantatrices, scyphos et urceos ad vina fundenda, quid prodest? Et hæc omnia vana sunt, et ipsa vanitas est (*Eccle.* II).

CAPUT XIII.

Quod hæc duo, fides, quæ in Parabolis instruitur, et spes, quæ in Ecclesiaste roboratur, operentur per tertium, scilicet per charitatem, quæ in Canticis loquitur.

Hæc duo scilicet, fides, quam designavimus in parabolis prædicari, et spes, quæ in Ecclesiaste roboratur, per multa argumenta contemnendæ vanitatis, operantur per tertium, scilicet per charitatem, quæ aperta facie loquitur, sic incipiens: « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I). » De cunctis vocibus libri hujus, non opus est nunc astruere quod sint voces charitatis significantes affectum quatuor personarum Christi desiderabilis, et Ecclesiæ desiderantis, amicorum et adolescentularum intendentium audire vocem sponsi dilecti et vocem sponsæ dilectæ, et pro hoc auditu gaudio gaudere. Piget nos segnes, et fatemur, quia piget nos diutius hic immorari, præsertim quia proprium edidimus olim opusculum, de istis canticorum Canticis, distinctum septem libellis, ad honorem Dominæ nostræ sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, quæ vera sponsa principaliter amici est æterni, scilicet Dei Patris, sponsa nihilominus et mater Filii ejusdem Dei Patris, templum proprium charitatis, id est, Spiritus sancti, de cujus operatione illum concepit; qui videlicet Spiritus sanctus charitas est Patris et Filii. Opus illud accipiat quicunque audierit auditor benevolus, non sicut contrarium priscis doctoribus, qui in eisdem canticis latius amorem exposuerunt sanctæ Ecclesiæ, sed sicut aliquid supererogatum ultra lectionem ipsorum, adunando et congregando voces tam magni tamque diffusi corporis Ecclesiæ in unam animam singularis et unicæ dilectæ Christi Mariæ. Quia nihil huic disconvenit omnium eorum, quæcunque dici vel cantari possunt de magno et sancto amore dilectæ et diligentis Christum Ecclesiæ. De ista duntaxat Scriptura hoc dicimus, quæ tota est cantabilis; nam in cæteris Scripturis multa sonant lamentabilia pœnitentis Ecclesiæ, in plerisque peccavit, pro quorum parte cum fructibus pœnitentiæ lamentatur et gemit. Et hæc infra dignitatem sunt hujus beatæ Virginis, cujus vita integerrima non habuit cur gemeret, nisi vulnus charitatis, propter dilationem plenæ atque perfectæ beatitudinis in tempore hujus peregrinationis.

CAPUT XIV.

Quomodo in tribus istis, fide, spe et charitate, utiliter speculari possumus, quomodo magis ac magis ad cognitionem sanctæ Trinitatis erudiamur.

Memores esse debemus propositi sive intentionis, qua sermonem cœpimus habere de fide, spe et charitate, secundum libros istos tres Salomonis, scilicet ut in isto quasi speculo horum trium fidei, spei et charitatis quamdam specularemur similitudinem sanctæ Trinitatis; qui per hæc tria reformavit hominem ad similitudinem suam, juxta propositum quod proposuerat dicendo: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). » In ista ergo divinæ similitudinis claritate, in tribus istis, fide, spe et charitate, est quod utiliter speculemur, quo aliquantisper magis ac magis ad cognitionem ejusdem sanctæ Trinitatis erudiamur, quam nunc in sua majestate videre nequimus. Ecce intelligimus et scimus, quia fides per spem et per charitatem, spes quoque per fidem et per charitatem operatur ea, quæ in istis tribus libris Proverbiorum, Ecclesiastis et Canticorum continentur. Fides namque per spem et per charitatem hoc operatur in homine, ut accedat ad illam, quam sapientia ædificavit sibi domum, ut ad convivium victimarum quas illa immolavit, ad bibendum vinum quod illa miscuit, ad edendum panem mensæ quem illa proposuit (*Prov.* IX), taliter præparata mente, ut similia retribuere velit, scilicet animam ponere pro illo, qui prior in tantum **70** dilexit nos, ut animam suam poneret pro nobis (*Joan.* XIX). Spes per fidem et per charitatem hoc operatur in homine, ut etiam si persecutor desit, qui et facultates terrenas auferre, et corpus solet occidere, ipse intelligens, quia vana, id est, transitoria sunt omnia, relinquat ultroneus ea quæ possidet, juxta consilium dicentis: « Si vis perfectus esse, vade, vende universa quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me (*Matth* XIX) » Quantum est quod speculari possumus in isto speculo sive ænigmate de illa altissimæ Trinitatis claritate, cujus faciem nunc non possumus videre? Exiguum quidem, sed hoc ipsum jam aliqua vitæ æternæ scintilla nobis est. Hæc est enim vita æterna, ait ipse Filius Dei, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII). » Quid ergo est illud quantulumcunque, quod videre nunc possmus, per hoc speculum, in isto ænigmate? Nimirum opus illud quod necessarium nobis est ad æternam salutem credere et scire, quia Deus Pater per charitatem suam, id est, per Spiritum Sanctum, proprio Filio suo mandatum hoc dedit, ut pateretur pro nobis (*Rom.* VIII), et ipse Filius per eamdem charitatem suam, id est, per eumdem Spiritum sanctum, mandatum hoc suscepit, obedire « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). » Quali cum spe? Illa nimirum quam per Isaiam nobis annuntiavit Spiritus sanctus

dicens : « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur (*Isa.* LIII). » Ipse autem Pater quali vel quanta fide ? « Fidelis enim in omnibus verbis (*Psal.* CXLIV), » et in isto maxime, et omnia opera ejus in fide, et opus istud præcipue. Quali ergo vel quanta fide mandatum dedit hujus obedientiæ, mandatum hujus patientiæ ? (*Psal.* XXXII). Nimirum tali fide qualis est ipse : tanta fide, quantus est ipse, fide admirabili, fide inseparabili, fide perseverantissima, fide victoriosissima. Quantis irritatus est malis hominum, quam maximis peccatis ? Attamen perseveravit in proposito vel promissione tanti boni, et quæ processerant de labiis suis, irrita non fecit (*Psal.* LXXXVIII). Pro quo et David sollicitus : « Miserere mei, ait, ut justificeris in sermonibus tuis, B et vincas cum judicaris (*Psal.* L). » Quantis regibus, quantis regnis armatus diabolus, hoc propositum eis avertere laboravit ? Attamen evicit fortissimus Deus, et sicut proposuerat ecce Filius ejus Deus homo sedet a dextris ejus. De illa perseverentia fidelis et fortis Dei, nostrum illud opus existit, in duodecim libellis, quod intitulatur : *De victoria Verbi Dei.*

CAPUT XV.

Quod in Scripturis antiquis nomina hæc, fidei, spei et charitatis fere ita raro inveniantur, cum res ipsarum ubique prædicentur, sicut relativa nomina, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, aut tacentur, aut rarissime, et cum cautela pronuntiantur.

Præclara hodie in evangelicis et apostolicis litteris, et in ore totius Ecclesiæ prædicatio est horum trium, C fidei, spei et charitatis. Olim non ita. Quotus enim est locus in Scripturis veteris instrumenti, ubi manifestatio luceat propriis nominibus facierum istarum, fidei, spei et charitatis ? Notum quidem et certum est omnem Scripturam divinitus inspiratam, res ipsas sive virtutes intendere, quæ significantur nominibus istis, sed cum ita sit, nihilominus absoluta eadem nomina fere ubique prædicet, quod jam ex parte monstravimus. Relativa hæc nomina, quæ sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, aut tacuit, aut rarissime, et cum cautela, et nusquam simul juncta pronuntiavit.

Exempli gratia : Cum sicut superius demonstratum est, fere cuncta, quæ dixit Salomon in Parabolis, pertineant ad gloriam fidei, ubi hoc ipsum nomen quod est fides, palam annuntiavit ? Item in D Ecclesiaste, cum fere cuncta quæ illic per multa dicuntur argumenta, hominem provocant ad coronam spei, ubi spem ipsam nominavit ? In Canticis canticorum cum fere cuncta pertineant ad sacramentum charitatis, ipsam charitatem non multis vicibus nomine proprio nominavit, dicendo : « Media charitate constravit (*Cant.* III), » et alibi : « Aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem (*Cant.* VIII). » Itemque alibi : « Ordinavit in me charitatem (*Cant.* II). » Verum hoc nomine charitatis liberius poterat annuntiari sive declamari, etiam pueris illis, hominibus carnalibus illis, qui nescirent, nec scire curarent quid

A fides, quid spes, quid spiritualis dilectio sit, et forte charitatem sufficientem reputarent viri et mulieris, sive mariti et uxoris, parentum, filiorum, cæterorumque cognationum, sive affinitatum dilectionem carnalem. In divinis sermonibus de illa charitate agitur, cujus est ecclesiastica diffinitio hæc : Diligere Deum propter ipsum, et proximum non qualemcunque, sed inimicum hominem diligere propter Deum (*Matth.* V). Nunquid si hujusce dilectionis capaces essent homines, dixisset eis lex : « Diliges amicum tuum et odio habebis inimicum tuum (*Deut.* XV). » Similiter de fide sentiendum. Si enim fidei capaces tunc essent homines, per quam Abraham justificatus est (*Gen.* XV ; *Rom.* IV) nunquid posita fuisset lex. Et ut per similitudinem sermo iste magis placeat, nunquid ancillam duxissset Abraham, nisi sterilis fuisset libera ? (*Gen.* XVI ; *Galat.* IV). Verum nos de his latius alio in opere tractavimus.

CAPUT XVI.

Item de fide, spe et charitate, quod per hæc tria in sanctis Scripturis assimiletur sancta Trinitas, et de capitulo Apostoli : « Tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum, » quid sit cognoscere vel cognosci.

Hic propositum fuit demonstrare, quod hæc tria sint, per quæ homo ad illam Dei similitudinem reformetur, quod in initio proposuit dicens : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » Unde et apostolus Joannes : « Scimus, ait, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Quantum putas jucunditatis habet demonstratio, sive intelligentia hæc ? Nam beati quidem sancti prophetæ pro eo quod in manu eorum Dominus assimilatus est, sicut in Oseo dicit, et nos jam ante meminimus : « Et locutus sum super prophetas, et ego visiones multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum (*Ose.* XII), » sed nihilominus sancti et electi omnes beati, quia sancta Trinitas, unus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus per hæc tria, fidem, spem et charitatem, assimilatur eis. Hic assimilationis modus est universalis. Habuerunt sancti patriarchæ, Abraham, Isaac et Jacob (qui et ipsi prophetæ fuerunt) quasdam proprias in semetipsis assimilationes Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, quod et suo loco commemoravimus, sed hæc est assimilatio universalis charitas, fidei, spei et charitatis, quæ videlicet assimilatio in æternum manebit. Delectamur rei magnitudine, sed labor est in delectione, dum sermo deficit invalidus, et quantillum in mente suggerit Spiritus, fari gestiens lingua non assequitur. Capitulum quippe magnum est, in 71 quo vel circa quod pene defessus animus jam terminare properat sermonem habitum de his tribus. Quod capitulum ? « Nunc inquit Apostolus, cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc ; major autem horum est charitas (*I Cor.* XII). » Qua enim voce, qualibus verbis, horum possumus verborum sensum consequi ? Verbum quippe cognitionis, duarum quem-

dam significat contractum sive sensum conscientiarum, nimiam nimisque familiarem habentem fiduciam in alterutrum, qui neque per lectionem, neque per auditionem, sed per solum satis anima scire potest experimentum. Multum est quod sacra Scriptura de mutua cognitione Spiritus Dei et spiritus hominis agit per similitudinem. Exempli gratia: « Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus (*Isa.* LXII). » Quod ergo dicit : « Tunc cognoscam sicut et cognitus sum, » verbo cognitionis sempiternum insinuare volens usum charitatis sive torrentem voluptatis, redundantem ex secreto divinitatis in interiora animæ diligentis, quis digne verbis explicare possit ? Absconditum est a nobis toto hujus nostræ peregrinationis tempore, propter quod Psalmista suspirans dicit : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* XXX). » Si absconditum est ab omni vivente, imo peregrinante in ista mortalitate, ut recte dicat : « Nunc cognosco ex parte. » Quidnam est : « Nunc cognosco ex parte, » præsertim, quia subjungit : « Tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII). » Per supra scriptam similitudinem in hoc sensu adjuvemur, qua dictum est : « Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus (*Isa.* LXII). » Nunquam enim sponsa plene cognoscit sponsi affectum, nisi dum per naturalem commistionem fiunt corpus unum. Ibi plane dicere potest, nunc cognosco sicut et cognita sum.

CAPUT XVII.

Quo sensu vel qua intentione dixerit Apostolus : « Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas, » et quod hæc tria sunt inseparabilia, sicut et ipsa Trinitas.

Tandem et illud quæsitu dignum est, quo sensu vel qua intentione dixerit Apostolus : « Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc ; major autem horum est charitas. » Nam in beata Trinitate, cujus in anima hominis, similitudinem per hæc tria formari jam diximus, fidem, spem et charitatem ; certum novimus, quia nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. Hic autem in ista imagine sive similitudine, est majus et est minus ; est prius et posterius et non parva inæqualitas, cum et supra dixerit : « Et si habuero omnem fidem, ita ut montes tranferam, charitatem non habeam, nihil sum (*I Cor.* XIII). » Et deinde compositis tribus istis fide, spe et charitate, dicat : « Major autem horum est charitas. » Ad hæc, inquam, fides vera nunquam sine charitate, et charitas vera nunquam sine fide est. Sicut indivisus est unus et trinus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sic indivisa est una et trina virtus fides, spes et charitas, quæ respectu Trinitatis in anima hominum efficitur. Verum de Apostolo scire debemus : Quia est, ubi suo sensu fidem prædicat, et est, ubi sensu aliorum sic de fide loquitur, ut

A eos, qui quasi de fide nimis præsumunt, arguat et corripiat. Denique suo sensu fidem prædicat, ita ut fidem, spem et charitatem, quia vere inseparabilia sunt hæc, simul comprehendat, cum dicit : « Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum simul qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam. » Et subinde : « Dicimus enim quia reputata est fides Abrahæ ad justitiam. » Item : « Non enim per legem promissio Abrahæ, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei (*Rom.* IV). » Hæc, etc. cum dicit, nimirum fidem prædicat, non mortuam aut nudam, sed fervore charitatis vivam, corona spei ornatam. Et sicut sanctam Trinitatem uno interdum Patris nomine invocamus ; exempli gratia cum dicimus : « Pater noster qui es in cœlis (*Matth.* VI) ; » ita et B hic fidem, spem et charitatem uno prædicat et subintelligi vult nomine fidei. Porro illorum, quibus loquebatur, scilicet, Corinthiorum sensu, quasi fidem a charitate sejunxit (*I Cor.* XIII), dicendo quod supra meminimus. « Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum (*ibid.*). » Illi namque fidem a charitate longe sejungebant, quia cum sine charitate essent, fidem Christi se habere putabant. Quapropter et redarguit eos, sic incipiens : « Obsecro autem vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis, et non sint in vobis schismata. Significatum est mihi de vobis, fratres mei, quod contentiones sint inter vos (*I Cor.* I). » Hoc autem ab initio non expediebat, ut primum prædicaretur, scilicet fidem nihil prodesse, nisi per dilectionem C operetur (*Gal.* V), vel quod sicut ait apostolus Jacobus, « fides mortua sit sine operibus (*Jacob.* II). » Magna cum cautela et discretione providendum noverat, quatenus in primis saltem Nomen Domini Christi Jesu, a rudibus et eatenus idololatris populis reciperetur, et deinde opera bona superædificarentur. Propter hoc sapienti architecto jure seipsum assimilavit, dicens eisdem Corinthiis : « Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat (*I Cor.* III), » etc.

CAPUT XVIII.

Orandum est ut, quoniam per hæc tria reformamur ad similitudinem Trinitatis, augeat in nobis fidem augeat spem, augeat charitatem beata Trinitas.

D Quoniam igitur per hæc ad similitudinem tui reformamur, auge in nobis fidem, auge spem, auge charitatem, o beata Trinitas. Hæc sunt enim divitiæ nostræ hic thesaurus noster, hæc vita nostra, o beata Trinitas. Hæc sapientia nostra, hæc fortitudo nostra, hæc gloria nostra, o beata Trinitas : hoc desiderium nostrum, hoc fundamentum sempiternum. Hæc lux oculorum nostrorum, o beata Trinitas. Hæc justitia nostra, hæc lætitia nostra, hoc gaudium nostrum, o beata Trinitas. Hæc misericordia nostra, hæc consolatio nostra, hæc fiducia nostra, o beata Trinitas. Hoc decus nostrum, hæc victoria nostra, hæc corona nostra, o beata Trinitas. Hæc igitur auge in nobis, ut in æternum viventes benedicamus tibi.

72 LIBER OCTAVUS.

—

CAPUT PRIMUM.

Confessionem sive laudem sanctæ Trinitatis canticum esse Domini, quod ad interrogationem hæreticorum non debeat cantari in terra aliena, super flumina Babylonis.

Canticum Domini jam cantare gestimus, hymnum et de canticis Sion. Verba cantionum, quibus vel qualibus sancta Trinitas Deus Deorum laudatur in te, o superna Sion, sed cantum nostrum fletus intercipit, dum adhuc sedemus hic « super flumina Babylonis (*Psal.* CXXXVI). » Quid ergo ? Cessabimus cantare, et « in salicibus in medio ejus suspendemus organa nostra, » dicentes : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ?» (*ibid.*) Minime cessabimus, imo non interrogati cantabimus ultro verba cantionum Domini. Neque enim interrogamur, aut interrogari volumus ab his qui captivos duxerunt nos. Solent Babylonii, scilicet filii hujus sæculi, confusione digni, interrogare verba cantionum, non ut ipsi capiant fidei fructum, vel ut nos pascamur, sed ut oblectemus auriculas eorum ; maxime ut pro velle ipsorum in perversum trahamus voces Scripturarum, quæ cantiones Domini sunt, qualium videlicet Babyloniorum deterrimi hostes sanctæ Trinitatis Ariani exstiterunt. Confortemur ad cantandum, non obliti Jerusalem, id est intentionem non terrenam, sed cœlestem, et hanc videlicet supernam Jerusalem propositam habentes, in principio lætitiæ nostræ quod est principalem causam hanc habere cantandi, id est, prædicandi gloriam sanctæ Trinitatis, ut non hominibus ejusmodi, sed ipsi vero, uni ac soli Deo mereamur placere. Confortemur, inquam, et ut constantes simus, recordemur quid hic acciderit, quip vel qualiter in Babylone gestum sit. Primo ipsam rem gestam sive Historiam sacram ponamus, et deinde mysterium ad consolationem nostri subscribamus.

CAPUT II.

De tribus pueris victoribus in medio Babylonicæ fornacis, quod in eis sancta Trinitas auxilii sui præsentiam contra caput idololatriæ demonstraverit pariter et significaverit.

« Nabuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta et latitudine cubitorum sex, et jussit præconis voce clamari : Vobis dicitur populis, tribubus et linguis : In hora qua audieritis sonitum tubæ et fistulæ, et citharæ, et sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, et universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream quam constituit Nabuchodonosor rex. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittatur in fornacem ignis ardentis (*Daniel.* III). » Hoc edictum contemnentes et hanc pœnam non metuentes, tres pueri, Sidrach, Misach, et Abdenago, missi sunt
A in caminum ignis, et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. « Tunc Nabuchodonosor rex obstupit, et ait optimatibus suis : Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos ? Quibus respondentibus : Vere, rex, Ecce, inquit, ego video vivos quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil in eis corruptionis, et species quarti similis est Filio Dei (*ibid.*). » Hoc miraculum in tantum apud Nabuchodonosor valuit, ut diceret : « Signa et mirabilia fecit aqud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt, et mirabilia ejus, quia fortia, et regnum ejus, regnum sempiternum, et potestas ejus in generatione et generationem (*ibid*). » Hæc res gesta, res tam victoriosa, nonne tam gloriose sanB ctam Trinitatem in istis tribus pueris prædicat, sicut alia res gesta in tribus angelis, quos Abraham hospitio suscepit, eamdem Trinitatem significaverat ? (*Gen.* XVIII), perpulchra et delectabilis est consideratio hæc : Si perpendas, sive recogites, quia beatæ Trinitati, et in istis tribus pueris carneis, et in illis tribus pueris angelicis, unum idemque negotium fuit. Quod vel quale negotium ? Nimirum istud valde magnum negotium, et cura pergrandis, ut impleret verbum promissionis ; illic, ut nasceretur Isaac, principium seminis vel genealogiæ nascituri Christi ; hic ut consolationem haberet in illa captivitate Babylonis genus Abrahæ sive Judæa, parens nascituri ejusdem Christi. Intendebat enim diabolus per impios homines delere, ut non esset genus illud, unde nasciturum erat hoc semen, id est Christus, sicut C Abrahæ promissum, et per prophetas multos jam fuerat prædictum. Idcirca et multa signa, et hoc signum maximum fecit Deus excelsus in oculis illorum, qui captivaverant illum Dei populum, ut conservati inter gentes, tandem remitterentur filii peregrinationis illuc, ubi oportebat ex eis nasci Christum, sicut jam dudum præcinebat congratulando vox prophetica dicens : « Virgo Israel, revertere in civitas tuas (*Jer.* XXVI), » usquequo dolens averteris ? Generabis Dominum Salvatorem.

CAPUT III.

Quomodo illi historiæ sive rei gestæ conveniant, et voces, et sensus mystici palmi CXXXVI : « *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus.* »

Operæ pretium est pervidere, quomodo huic D historiæ sive rei gestæ conveniunt voces psalmi supra memorati : « Super flumina Babylo-
73 nis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion (*Psal.* CXXXV). Videbat namque Spiritus propheticus jam temporibus David, qui psalmum illum cecinit, futuram captivitatem illius populi in Babylone. De quo videlidet populo implen-

dam exspectabant sancti promissionem, scilicet Christi Nativitatem, secundum quod dixerat Deus ad Abraham : « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Genes.* XXII), » et secundum quod dixerat idem Deus per os Jacob : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est (*Gen.* XLIX). » Secundum hæc verba constabat nasciturum esse Christum ex semine Abrahæ,de tribu Juda.Ubi ? Non utique in Babylone,sed in Sion, sive in Jerusalem, id est, in terra cujus metropolis erat Jerusalem, scilicet in Bethlehem. Et hoc ipsum Spiritus propheticus providebat atque prædixerat. Ait enim idem David : « Ecce audivimus eum in Ephrata (*Psal.* XXXI). » Denique Ephrata ipsa est Bethlehem. Post illum, videlicet David,scriptum est per alium prophetam : « Et tu Bethlehem Ephrata, sive terra Juda parvulus es in millibus Juda,ex te mihi egredietur,qui sit dominator in Israel (*Michæ.* V). » Medius horum Isaias ita dixit, rem eamdem per Spiritum prospiciens : « Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* II). » Quam justum ergo desiderium debuit esse hominibus illius captivitatis, filius illius peregrinationis revertendi in terram Juda? Dixit ergo tam longe ante Spiritus propheticus in persona illorum : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus dum recordaremur Sion (*Psal.* CXXXVI). » Quænam alia causa digna erat, nisi ista quam diximus, propter quam illius terrenæ Sion recordarentur ? Propter quam dicebat Spiritus propheticus in persona cujusque illorum,quibus revertendi licentia dabatur : « Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea ; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem,in principio lætitiæ meæ,» subjungens : « Memor esto, Domine,filiorum Edom in die Jerusalem, qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (*ibid.*). » Illi namque, scilicet filii Edom, maxime exsecrabiles fuerunt, pro eo quod,cum fratres secundum carnem Israelis existerent (*Exod.* XV), ipsi præcipue adversati sunt ab exitu Israel de Ægypto (*Num.* XX), et gentes cæteras adversus eos sæpe concitaverunt, et adjuverunt, et captivitati illorum, sicut et cæteris casibus insultaverunt. Cujus furoris et indignationis perseverantis usque in finem,dicit in Lamentationibus : « Gaude et lætare, filia Edom,quæ habitas in terra Hus,ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis (*Thren.* IX).» Quibus nimirum in verbis, eadem justitiæ vindicta denuntiatur,quam in verbis istis expetebatur : « Memento, Domine, filiarum Edom in die Jerusalem. » Qui propter causam jam dictam, scilicet propter spem Christi nascituri recordatus est illius terræ Sion, non etiam recordatus est cœlestis Sion ? Et qui propter desiderium tantæ spei, carnis appetitus,et Babylonicas contempsit delicias,ut rediret in terram illam habens revertendi licentiam : nonne illi beatitudo hæc congruit : « Beatus qui tenebit,et allidet parvulos suos

A ad petram ? » Non vacat singulis horum immorari, transeamus ad eum qui magis ad nos pertinet,mysticum sensum ejusdem psalmi, uti propositum est.

CAPUT IV.

Quod non nobis æque magna sit,ut fuit antiquis sanctis, hujuscemodi conquæstionis causa : « In salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra,quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ? »

Sciendum in primis quia non æque magna nobis nunc est, ut antiquis erat, hujusce conquæstionis causa,ut dicamus : « In salicibus,in medio ejus suspendimus organa nostra,Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ? » Flendum quidem nobis est quicunque spem habemus futuri sæculi, qui filii sumus illius, quæ sursum est Jerusalem, civitas Dei viventis, in qua videtur gloria sanctæ B Trinitatis, secundum hoc ipsum nomen Jerusalem, interpretatur enim *visio pacis.* Flendum, inquam, quia, dum sumus in corpore, peregrinamur ab illa visione, et totus mundus nobis est Babylon, sed in ipso fletu hic plus habemus gaudii et consolationis, quia quem nasciturum exspectabant flentes illi,jam natus est Christus, sol generis humani.Et tanta est flentium distantia, ut dicas : Quia illi fleverunt in nocte, nos autem flemus quasi in die, et liberius quam illi inter ipsos fletus possumus organa nostra tangere, et canticum Domini cantare, id est,os nostrum aperire et fidem sanctæ Trinitatis palam prædicare. Hoc facere illis non licebat,neque enim talis prædicatio tunc portari poterat. Nam de solis dicimus filiis illius captivitatis, horum notissimi sunt C tres pueri supra memorati, quia suo numero præsentiam,et curam adesse monstraverunt beatæ Trinitatis, dum tripudiavit in camino ignis ardentis (*Daniel.* III),sed et de omnibus sanctis antiquioribus, patriarchis, et regibus, et prophetis, quicunque cognoverunt mysterium ejusdem sanctæ Trinitatis. Salices enim erant non solum homines Babylonii, sive Assyrii,sive Persæ, et Medi, verum etiam homines Israelitici sive Judaici generis, ita ut oporteret maxime propter eos cantionis hujusce organa suspendi, id est, gloriam sanctæ Trinitatis,aut reticere aut sic loqui,ut non audiretur foris, sic scribere, ut signatus liber non posset vulgo legi. Quid tandem accidit, vel quid actum est, ut vacaret nobis cantare canticum Domini,cantare,sive clamare cum sanctis Seraphim : « Sanctus,sanctus,sanctus D Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria tua (*Isa.* VI), » atque hic modo fidem nominis tui palam prædicare, o beata Trinitatis? Quomodo accidit, ut ita possemus cantare canticum Domini in terra aliena ?

CAPUT V.

De magna Roma,quod ipsa fuerit magna Babylonia, quandiu persecutionem effecit contra cultores ejusdem Trinitatis, quæ apud illam priorem Babyloniam clarificata est in illis tribus pueris.

Mira res ipsa, quæ fuerit Babylon, quædam Jerusalem facta est filia supernæ Jerusalem,facta est et nova Sion, quæ fuerat Babylon : illam, quæ dici-

tur, urbem Romanam dicimus,quia fuit Babylon,et A nunc est quædam Sion : Est, inquam,secundum fidem beati Petri apostoli mater civitatum fidelis Sion. Tunc erat ista Babylon, quando scripsit idem Petrus in epistola sua : « Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone electa (*I Petr.* v). » Romam quippe tropice percussit ista sententia.Cum adhuc esset ista Babylon, et rex ejus Nabuchodonosor,scilicet Nero, sive Decius, aut Diocletianus, vel **74** quiscunque talium,ipsa cum Nabuchodonosor statuam erexit magnam, et altam nimis, et populis, tribubus et linguis edixit, ut cadentes adorarem statuam, et si quis prostratus non adoraret,mitteretur in fornacem ignis ardentis (*Daniel.* III).Idololatriam quippe quoad potuit illud caput orbis in sublime extulit,ex co simulacra sua magis æmula- B tum est,ex quo novam prædicationem audivit unius Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti.Et ex eo universam fere mundi latitudinem publicis edictis,legibusque scriptis quasi unam fornacem ignis, velut unum caminum multimodæ tributationis atque ardentissimæ persecutionis,contra Christianum nomen effecit. Sed quid profecit? Sicut « angelus Domini descendens in fornacem, cum illis tribus pueris, excussit flammam ignis de fornace,et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem,et non tetigit eos omnino ignis neque constritavit,nec quidquam molestiæ intulit (*ibid.*), » sic Filius Dei, angelus magni consilii, cunctis testibus suis confessoribus sanctæ Trinitatis, in illa tribulatione ita præsens interfuit, sic vel ex eo potest intelligi, quod uni ex C illis Petro visibiliter occurrens (1), adoratusque ab eo, in interrogatus : Domine,quo vadis. Respondit, dicens : Vado Romam iterum crucifigi, et sic « excussit flammam ignis de fornace,fecitque medium fornacis,quasi ventum roris flantem,» sicut expertum sese ostendit ipse martyr Laurentius, qui cum assaretur, dixit : O insania vestra, infelices non cognoscitis,quia carbones vestri non ardorem mihi, sed refrigerium præstant. Quid multa ? Sicut ille Nabuchodonosor,tunc quamvis instabilis et inanis, cognovit et confessus est Filium Dei. Dixit enim : « Ecce ego video viros quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis, et species quarti similis est Filio Dei ; » sic et multo verius multoque constantius, Romanum imperium tandem cognovit Filium Dei, et nunc usque firmiter tenet tenendam- D que pronuntiat illam vocem confessionis beati Petri : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI),» ita ut etiam ad confessionem istam compellat gentes cæteras, et quodammodo dicit : « A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus et tribus, et lingua,quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach. Misach, et Abdenago,sive manifestius,contra Deum Patrem,et Filium, et Spiritum sanctum, dispereat, et domus ejus vastetur : neque enim est Deus alius,qui possit ita salvare (*Daniel.*v).»

(1) Vide Historiam Egesip. lib. III, c. 2.

CAPUT VI.

Quam pulchrum sit mysterium,in eo quod dictum est : « Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant,et glorificabant, et benedicebant Deum,et de fornace succensa septuplum,quam succendi consueverat, » quid ibi numerus septenarius valeat.

Tanguntur igitur organa, resonant verba concionum prædicantia Deum in unitate Trinum,in Trinitate unum,succinente voce psalmi : « Quoniam omnes dii gentium dæmonia ; hic autem Dominus cœlos fecit (*Psal.* XCV). » Quam pulchrum mysterium, quam judicium in cœlo et in terra spectaculum. « Tunc, inquit,hi tres quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant,et benedicebant Deum (*Daniel.*III).» Etenim nos omnes homines,quorum est una catholica fides, sumus quasi tres, et unum os habemus omnes. Tres,inquam,sumus, quia de tribus pendemus. Quibus de tribus? « Tres sunt, ait Joannes apostolus, qui testimonium dant in cœlo, Pater, et Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt (*I Joan.*v).» Canticum nostrum sive verba cantionum nostrarum,laudationes sunt,glorificationes sunt,benedictiones sunt, quasi ex uno ore trium flendo septenarium peccatum Babylonis accusantium. Quomodo septenarium ? ait littera Sacra : « Et præcepit Nabuchodonosor ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat (*Daniel*,III).» Septenarius numerus insolubilis est, neque enim in æquas partes,præter solas unitates dividi potest, et plerumque in Scripturis universitatem significat, alias malorum, alias bonorum. Malorum, ut illic « de qua ejecerat septem dæmonia (*Marc.* XVI). » Bonorum, ut illic : « Septies in die laudem dixi tibi (*Psal.*CXVIII). » Significat et cor impœnitens ut illic : « Septies ultio dabatur de Cain (*Gen.* IV). » Cum hac significatione libet hic accipere, quod dictum est ; « Et præcepit ut succenderetur fornax septuplum,quam succendi consueverat,» ut intelligamus irremissibile peccatum Babyloniorum, id est, omnium impiorum,qui quoad potuerunt, sanctos persecuti sunt, et corde impœnitenti perduraverunt. Qua voce, quibus verbis accusat nostrum canticum peccatum illorum : « Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem (*Psal.* CXXXVI), » et cætera, de quibus jam supra dictum est.

CAPUT VII.

De quatuor bestiis, leæna, urso, pardo, et alia sine nomine terribili atque admirabili, quod contra singulas earum oppositum fuerit auxilium Trinitatis sub sacramento numeri ternarii.

Quoniam de mysterio numeri ternarii sermonem cœpimus demonstrantes, quia sancta Trinitas per hunc numerum captivorum in fornace laudantium Deum, auxilii sui præsentiam illi populo præclare significavit,libet adhuc longius prosequi. Sciendum quippe : « Quia cum quatuor fuerint grandes bestiæ, quæ ascendebant,ait Daniel, de mari diversæ inter se : prima, quasi leæna, » quod fuit regnum Ba-

bylonicorum; « alia similis urso, » quod fuit regnum Persarum atque Medorum; « alia quasi pardus, » quod fuit regnum Græcorum; « quarta sine nomine terribilis atque mirabilis, et fortis nimis (*Daniel*, VII), » quod fuit regnum Romanorum. Contra singulas bestias, sive regna bestialia invenies oppositum ternarii numeri Sacramentum, id est, auxilium Domini per tres homines impensum, ad reservandum sive liberandum illum tunc temporis peculiarem Dei populum. Magnum quippe tunc, ut superius jam dictum est, negotium agebatur, pro quo sancta Trinitas sollicita esse, et sollicitudinis signum tali numero, scilicet ternario, demonstrare laudabiliter dignaretur. Nunquid enim parum quis putat, quod de populo illo Christus Deus et homo secundum promissionem nasciturus erat? Nimirum pro causa ista dignum se beata Trinitas faciebat, in eo quod de reservatione gentis illius curare et sollicitam esse significabat. Et ut de prima quidem bestia, quod erat regnum Babylonicum, jam dictum est, sed deest aliquid. Potest enim dicere aliquis, quia non per solos tres pueros, sed et per quartum Danielem, Nabuchodonosor victus, et Deus glorificatus est. Determinanda ergo est causa trium puerorum diligentius ab illa causa Danielis, propter quam « Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, et Danielem adoravit (*Dan.* II), » et ab illa propter quam, jubente Deo, Baltassar indutus est Daniel purpura et circumdata est torques aurea collo ejus (*ibid.*, V)) et prædicatum est de eo, et ab illa propter quam missus est idem Daniel in lacum leonum: « Et Deus ait: Misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me (*Dan.* VI). » Ab istis, inquam, tribus causis, in quibus unus idemque Deus trinus et unus,
75 unum Danielem clarificavit, clare secernenda est causa una, propter quam tres pueros in fornacem ignis missos liberando, Deus idem semetipsum clarificavit. Hæc enim sola causa trium puerorum idololatria, imo et caput idololatriæ fuit, ante quod nullus regnum aut principum leges mortis legitur dictitasse pro zelo idoli sui. Nonne igitur eo magis constat quod non casu, sed providentia Dei, tantummodo tres pueri sunt illi martyrio destinati, quo bestia leæna docta fuit saltem ad horam assumere vocem hominis, et Deum confiteri.

CAPUT VIII.

De urso, id est, regno Persarum et Medorum, quomodo ibi Altissimus suam potentiam clarificavit sub eodem sacramento numeri ternarii, id est, trium regum, in reædificatione templi vel civitatis.

Nunc demum de alia bestia, quæ erat similis urso, scilicet de regno Persarum et Medorum, accipe quomodo Altissimus suam potentiam clarificaverit, eodem sub sacramento numeri ternarii. « In anno primo Cyri, regis Persarum, ut impleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ: Suscitavit Dominus Spiritum Cyri, regis Persarum, et traduxit vocem in universo regno suo, etiam per Scripturam, dicens: Cyrus, rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa (*I Esdr.* I. » Hac voce transducta cum ascendissent omnes, quorum suscitaverat Deus spiritum, ut descenderent ad ædificandum templum Domini, cum vasis argenteis et aureis, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, et ædificare incœpissent templum Domini: audierunt hostes, et impedierunt opus domus Domini, et intermissum est, et non fiebat usque ad annum secundum Darii, regis Persarum. Ille, videlicet Darius, confirmans decretum, quod propositum erat, hujusmodi: « Omnis homo, qui eam mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo, domus autem ejus publicetur. Deus autem qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, et populum, qui extenderit manum suam, ut repugnet et dissipet domum Dei, illam quæ est Jerusalem, » ita subscripsit: « Ego, Darius statui decretum, quod studiose impleri volo (*I Esdr.* VI). » Post hæc verba tertius Artaxerxes idipsum corroborans, ita scripsit: « Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo salutem. A me decretum est ut quicunque placuerit in regno meo de populo Israel, et de sacerdotibus ejus, et de levitis ire in Jerusalem, tecum vadat, » et cetera usque « sed et imperitos docete libere, et omnis qui non facit legem Dei tui, et legem regis diligenter, judicium erit de eo sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ suæ, vel certe in carcerem (*I Esdr.* VII). » Nunquid casu hoc mirabile accidit, ut quem verum et solum Deum contra caput idololatriæ Babylonicæ testificata est, in camino ignis victoriosa fides trium puerorum Judæorum illius domum et civitatem, quæ destructa fuerat, reædificare juberet concordi decreto, benevolentia trium regum paganorum? Non utique casu, sed cœlesti industria, per magnum ac semper providum sanctæ et individuæ Trinitatis consilium. Difficile videtur, ac pene impossibile, quod dicimus sanctam Trinitatem assimilatam fuisse etiam in tribus prædictis regibus gentilibus, imo nec nos istud suspicari auderemus, nisi quia hoc ipsum primus auctoritate sua per os Isaiæ prophetæ declamavit longe ante Spiritus sanctus de Cyro, qui fuit horum trium primus. Præmisso namque: « Ego Dominus faciens omnia, extendens cœlos, et stabiliens terram, qui dico profundo: Desolare, et flumina tua arefaciam; qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis; qui dico Jerusalem: Ædificaberis, et templo fundaberis (*Isa.* XLIV), » ita subjunxit: « Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, » etc., usque « ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel, propter servum meum Jacob et Israel electum meum, et vocavi te nomine tuo, assimilavi te, et non cognovisti me; accinxi te, et non cognovisti me (*Isa.*, XLV). » Nisi,

inquam, ante tot annos, istud auctoritate sua signasset Spiritus sanctus dicendo illi Cyro tanto posterius nascituro : « Assimilavi te, » et nisi ratio conduceret, convenire vel congruere cæteris ejusdem benevolentiæ regibus Dario et Artaxerxi, quod uni Cyro dictum est : « Assimilavi te. » Quis auderet dicere sanctam Trinitatem in tribus paganis regibus pro tali opere assimilatam fuisse ?

CAPUT IX.

Item, quomodo ex tribus tantum personis prævisum est auxilium sanctæ Trinitatis adversus Aman, ne deleret genus Judæorum, unde oportebat Christum nasci.

Veniam ad illam ejusdem ursi ferocitatem, id est, ejusdem regni Persarum et Medorum crudelitatem ac sævitiam plus quam bestialem, quando sub rege Assuero conatus est diabolus hoc efficere, ut salutis nostræ radix fundibus extirparetur, agente Aman superbissimo, et suggerente regi Assuero, quatenus missis epistolis per omne (quod latissimum erat) regnum ejus, universum Judæorum genus una die deleretur (*Esther.* III). Quomodo vel per quantos homines econtra prævidit Trinitas unus Deus, et sollicitus fuit pro gente illa, quæ arbor erat unica, unde salutis fructus omni mundo, et vita æterna Christus erat nasciturus ? Tantummodo per istos tres, Esther et Mardochæum, et ipsum regem Assuerum. Nullatenus ergo dubitaverim illi quoque regi Assuero in ratione ista congruere illud quod uni Cyro, longe antequam nasceretur, prophetica voce, ut supra memoravimus, dictum est : « Assimilavi te, et non cognovisti me (*Isa.* XLV). » Quid enim ? nonne illum Deus Pater quodammodo assimilavit sibi in eo maxime, quod cum diceret ei : « En lignum quod paraverat Aman Mardochæo, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos (*Esther.* VII). » Appendite, inquit, eum in eo, et suspensus est Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo ? Nam ut cognoscas quam vera, quam pulchra sit assimilatio, memento quod dixerit Apostolus de Domino Jesu Christo : « Et vos, inquit, cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit Deus cum Christo donans vobis omnia delicta, delens quod adversum vos erat chirographum decreti, quod erat contrarium vobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans eos in semetipso (*Coloss.* II). » Ergo in rege Assuero Deus Pater, in Mardochæo autem Deus Dei Filius mirabiliter assimilatus est. Porro, in Esther gratiam Spiritus sancti sive Spiritum consilii, pro tanto negotio assimilatum fuisse quis dubitet ? Illa namque mirabili usa consilio hoc effecit, ut regis animus ad gratiam et misericordiam suæ proscriptæ genti inclinaretur, et ille Aman superbissimus, in quo diabolus homicida ab initio figurabatur, non ubivis, sed in convivio super **76** mensam, crapulatus et ebrius caperetur, et sententia mortis strangularetur, in eodem ipso « quod Mardochæo paraverat » patibulo appensus, nimirum secundum illius dicti mysterium, quod de diabolo ad beatum Job dixerat Dominus : « An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus ? » (*Job.* XL.) Quasi enim captus hamo et iste fuit, qui de reginæ convivio magnifice gloriatus, ita ut diceret amicis suis, et Zares uxori suæ : « Regina quoque Esther nullum alium vocavit cum rege ad convivium præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum (*Esther.* V), » ita prandit, ita pastillos convivii momordit, ut post molles edulii sapores, ferream protinus sententiam mortis exciperet.

CAPUT X.

Quod propter causam istam sancta Trinitas Cyrum et regem Persarum ex nomine vocavit et assimilavit, et in corde cæterorum regum Persarum sive Medorum tantam benevolentiam dedit, et quod Dominus noster Jesus Christus, propter quem nasciturum illa facta sunt, primus instruitur in Scripturis.

Propter quid sancta Trinitas taliter et Cyrum ex nomine vocabit et assimilavit, et in corde cæterorum regum Persarum sive Medorum tantam benevolentiam dedit. « Propter Jacob, ait, servum meum et Israel electum meum (*Isa.* XLV) » Quem propter Jacob, sive quem propter Israel ? (*Gen.* XXIII.) Denique parum est, si illum recipias Jacob, sive Israelem, de quo scimus et legimus : « Isaac autem genuit Jacob (*Matth.* I), » sive illam quantulamcunque multitudinem reliquiarum, quæ reservatæ sunt illius populi, qui passim in Scripturis nomine paterno vocatur Jacob, sive Israel : Et quidem nil altius Cyrus intellexit, nihil supra quæsivit, et hoc sufficit ad captandum ejus benevolentiam populo illi, quod Deus eorum ante tot annos per prophetam suum, de ipso videlicet Cyro, tam magna prædixit tam gloriosa præscripsit, et ea semetipsum illi facturum promisit (*Isa.* XLV). Verumtamen unus est verus Jacob servus Domini, unus et verus est Israel electus Dei, Dominus Jesus Christus, propter quem tanta fuit cura summæ Trinitati, quantam intelligimus, aut intelligere cupimus in auxilio ejus, sub sacramento numeri ternarii. Unde jam dictum est, ei adhuc dicendum est. Dum hic attendimus, dulciter illud memoriæ nostræ occurrit, quia iste servus Domini primus est qui Deo gratias egit, ante quem non facile quempiam invenies, sive in lege, sive in prophetis, de quo manifeste scriptum sit quod Deo gratias egerit. Nondum quippe impleta fuerant beneficia Dei, quorum omnium hoc summum est, quod istum servum suum fecit, Christum Jesum secundum formam servi, quo pro facto nimirum gratiarum actio debetur illi. Denique quicunque Deo gratias agit, causam istam in ipsa gratiarum actio non habens præ oculis, quia Deus istum servum suum fecit, et ut faceret tanta procuravit, inter quæ gentilium quoque regum animos ad benevolentiam sui nominis inclinavit: nondum intellexit, quomodo vel propter quid gratiæ agendæ sint, diximus, quia primus iste Deo gratias egit, etenim ante hunc nusquam in Scripturis auditam fuisse recoli-

mus vocem gratiarum actionis, cum tot audias maxime in psalmis voces exsultationis et confessionis, voces benedictionis et laudationis, voces adorationis, cantationis, jubilationis. Vox autem gratiarum actionis, ubi, quæso, prius audita est, vel audiri debuit, quam ex ore hujus servi Domini, hujus electi Dei ?

CAPUT XI.

Gratiarum actio quid sit, et quando, et quomodo, et ubi Dominus noster Jesus Christus gratias egerit.

Primo itaque diffiniendum, gratiarum actio quid sit, et tunc demum demonstrandum, ubi, quando et quomodo iste gratias egerit, non lingua tantum, sed opere et veritate, non verbis tantum, sed et verbis et factis. Gratiarum actio est, divinis beneficiis respondens digna retributio tanta videlicet, ut ei nihil ad perfectionem desit, vel qua major esse non possit. Gratiarum, inquam, actio est, et digna retributio respondens beneficiis Dei charitas, qua « majorem nemo habet » aut habere potest, « ut animam suam ponat pro amicis suis (*Joan.* xv). » Hujusce charitatis Spiritus dicit in psalmo : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal.* cxv). » Hujus tantæ charitatis, quæ vera, ut jam diximus, et perfecta est gratiarum actio, conscius sibi iste servus Domini, gratias egit. Primo, ubi secundum Joannem multa locuturus de sacramento corporis et sanguinis sui, « accepit quinque panes, et cum gratias egisset (*Joan.* vi), » respiciens in cœlum (*Matth.* xiv), ut alii evangelistæ referunt, distribuit discumbentibus (*Marc.* vi ; *Luc.* ix). Secundo, ubi Lazarum mox suscitaturus, elevatis sursum oculis : « Pater, inquit, gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis (*Joan.* xi), » quæ videlicet suscitatio Lazari maxima invidentibus Judæis, ut eum interficerent, causa fuit. Tertio, ipsa nocte qua tradebatur, ubi accepto pane et calice, gratias agens dedit discipulis suis : « Hoc est, inquiens, corpus meum. Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur (*Matth.* xxvi). » Hic ergo fidelis et verax libere profiteri poterat quod ageret gratias, quia in veritate gratias agebat, paratus pro nobis (*Rom.* v), cum adhuc inimici essemus, calicem accipere, quem Pater illi dabat. Quam ob causam ita gratias agere Patri servus iste promptus erat ? Debemus enim scire quia gratias agere minoris est, scilicet formæ servi, et idcirco cum dicit : « Pater, gratias ago tibi, » non unam personam, sed tres intelligimus personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, qui « unus Deus est, et Pater omnium (*Ephes.* iv), » sicut Apostolus dicit, cui nos quoque orantes dicimus : « Pater noster qui es in cœlis (*Matth.* vi). » Cæterum ubi dicit : Pater meus vel Patris mei, vel Patrum meum ipso possessivo pronomine proprietatem suam Filius unigenitus discernit, et unam tantummodo personam nomine Patris oportet intelligi. Quam ergo ob

A causam ita gratias agere promptus erat ? Quoniam audisti me, inquit : « Ego autem sciebam quia semper me audis. » Ubi, quæso, audierit eum ? Nunquid seorsum, antequam accesserat ad locum ubi posuerant Lazarum, secretius oraverat, et responsum acceperat quod posset suscitare eum, et idcirco dixit : « Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis ? » (*Joan.* xi.) Exilis est ista suspicio, nec attingit ipsam dignitatem gratiarum actionis, sive majestatem ipsius gratias agentis : quia non in humilitate precum, sed in potestate verbi sibi insiti habeat omnem operationem virtutum. Longe aliam multo excellentiorem magisque operosam auri audienti memorat suimet exauditionem, quia longe

B antequam iste servus Domini fieret secundum formam servi, aut formaretur ex utero Virginis, exauditus est in cunctis necessitatibus humani generis, exauditus in patriarchis, exauditus in regibus vel judicibus justis, exauditus in prophetis, exauditus in filiis captivitatis, de 77 quibus jam supra diximus, exauditus in Machabæis fratribus, de quibus adhuc dicturi sumus, exauditus in omnium clamore mulieris in utero habentis, et pariendo clamantis, et cruciatum sustinentis ut pareret, id est, in desiderio antiquæ Ecclesiæ Christum ipsum in promissione habentis, et ipsum venire desiderantis, et quasi parturientis et parturiendo dolentis, donec ille veniret (*Apoc.* xii). Nonne clamor ille, cum tui causa fieret, tuus erat clamor, o Jesu Christe ? Pro-

C pterea tibi, quasi jam præsenti, quidam illorum dixit : « Exaudiat te Dominus, in die tribulationis (*Psal.* xix). » Vera causa hæc digna gratiarum actione, ut diceres : « Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me, » quia omni mundo adversitatem nasci fecisti. Et ego sciebam, inquis, quia semper audis, Deus enim eras, et nunc es, et cuncta hæc fieri causa tui noveras, antequam ex Virginis utero nascereris.

CAPUT XII.

De bestia tertia, scilicet pardo, id est regno Græcorum, quomodo sancta Trinitas contra illud auxilii sui præsentiam per viros tres, per tres duces fratres, Judam et Jonatham, et Simonem demonstraverit.

Diximus de duabus bestiis, leæna et urso, qualiter contra illas sancta Trinitas præsentiam sui in nu-

D mero auxiliatorem consignificaverit ; nunc jam de bestia tertia, scilicet de pardo, dicendum, qualiter actum sit per auxilium ejusdem numeri. De illa bestia hoc primitus memorandum, quia non sine arcu et gladio de ore ejus ille populus Dei liberatus est. Eatenus sicut evenerat, sic prædictum fuerat per prophetam Osee : « Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo, et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus (*Ose.* i). » Denique quod Nabuchodonosor coram servis Dei excelsi prosterneretur, et eum solum ac verum esse Deum semel et iterum ac tertio victus confiteretur (*Dan.* xi, xiv) ; itemque ut domus Dei in Jerusalem, quam ille destruxerat, reædifica-

tur (*Esdr.* I, VII), similiterque ut Aman malitia in A caput ejus reverteretur,et in patibulo « quod paraverat Mardochæo » ipse appenderetur (*Esth.* III, V, VII) ; non in arcu et gladio factum est,non in bello,neque in equis et equitibus, sed in Domino Deo, qui solus habens corda regnum in manu sua,inclinavit quo voluit (*Prov.* XII), quatenus illius populi reliquiæ salvarentur (*I Mach.* I), et propositum ejus adimpleretur. Porro ut istius bestiæ ferocitas,id est,regnum Græcorum cessaretur, in eo maxime,quod scripsit rex Antiochus,et misit libros per manus nuntiorum in Jerusalem et in omnes civitates Judæ,ut sequerentur leges gentium (*Dan.* VIII) ; et in arcu, et in gladio, in bello factum est, attamen sicut per Danielem prædictum fuerat, « auxilio parvulo (*Dan.* XI). » Tres fratres fuere duces bellorum, B Judas et Jonathas, et Simon, et armis quidem paucis pugnaverunt, sed magna fide vicerunt. De istis latius a nobis tractatum est in opere, quod de victoria verbi Dei scripsimus, et idcirco nunc supersedendum est.Tantum enim ad præsens propositum hoc pertinet considerare in auxilio Domini, sacramentum numeri ternarii, quia more suo fecit Trinitas Deus,ut auxiliando illis curam et sollicitudinem suam præsentem adesse, per hunc numerum significaret,nimirum digne pro magnitudine negotii,scilicet propter spem promissionis positam omnibus sanctus in adventu,qui tunc exspectabatur, Salvatoris Christi Filii Dei.

CAPUT XIII.

De rectitudine judicii, quo dictum fuerat per prophetam Osee : « Quia non addam ultra misereri domui Israel, et domui Juda miserebor; » et quod domus Juda tres habuerit reges justos, domus autem Israel ne unum quidem.

C Ad causam eumdem pertinet quærere nunc et scire rectitudinem judicii,in eo quod paulo ante memoravimus dictum a Domino per prophetam Osee : « Et domui Juda miserebor. » Præmiserat enim : « Quia non addam ultra misereri domi Israel,sed oblivione obliviscar eorum, » et nunc demum istud edixit : « Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo (*Ose.* I), » et ita factum est. Nam decem tribuum captivitas permansit irrevocabilis, qua captivavit « rex Assyriorum,et transtulit Israel in Assyrios,posuitque eos in Halla,et in Abor,juxta fluvium Gozam, in civitatibus Medorum (*IV Reg.* XVII). » Tribus autem Juda præfinitio tempore salvata in Domino Deo suo et de Babylonica captivitate revocata est. Istud ergo quærentibus vel scire volentibus pro rectitudine judicii cito respondetur, quia, quamvis peccaverit tribus Juda, regnum David in multis, sicut et decem tribus, regnum Jeroboam,quas ille scidit a domo David, attamen in hoc bene fuit, quod secundum sæpe dictum (quo valde delectamur) ternarii numeri sacramentum, tribus Juda causam decem tribuum in judicio superavit. Tres quippe misericordiæ viros, tres reges justos Deus judicii Dominus in tribu Juda invenit,David et Ezechiam et Josiam. Nam præter tres istos omnes peccaverunt.De regibus autem decem tribuum constat, quia omnes peccaverunt,nullusque excipi potuit,quia nullus eorum recessit a peccatis Jeroboam, id est, a vitulis quos fecit Jeroboam. In tribu Juda tres, ut jam dictum est, ab ejusmodi peccato liberi et justi fuerunt,et de aliis nonnulli de peccato suo pœnitentiam egerunt. In regibus autem decem tribuum, unus et idem fuit idololatriæ cultus,duntaxat in illis vitulis ; nam cultum Baal aliquis illorum delevit,scilicet Jehu,filius Namsi (*IV Reg.* X).Sed quantum valuit, Baal delere, et nihilominus vitulos pro Deo colere ? Propterea dictum illud propheticum valde congruit illis regibus Samariæ : « Qui optimus in eis est,quasi paliurus,et qui rectus, quasi spina de sepe (*Mich.* VII). »

CAPUT XIV.

Epilogus salvationum, quod a verbo promissionis usque ad Nativitatem Christi septies salvatus sit populus ille, de quo oportebat nasci Christum,et hoc pertinere ad sanctæ Trinitatis mysterium, quia singulæ salvatione factæ sunt propter tres sive per tres viros qui inventi sunt in medio eorum.

Ecce quoties gens illa salvata est propter tres viros,qui inventi sunt in medio eorum sub magno sanctæ Trinitatis mysterio, sicut jam sæpe dictum est.Primo ubi serviebant in Ægypto propter peccatum patrum suorum,qui vendiderant Joseph fratrem suum (*Gen* XXXVII), clamantes ad Dominum, exauditi sunt propter illos patres maximos tres viros. Abraham, Isaac et Jacob, dicente Scriptura : « Ascenditque clamor eorum ad Dominum pro operibus, et audivit gemitum eorum,ac recordatus est fœderis quod pepigerat cum Abraham, Isaac et Jacob (*Exod.* II). » Item cum dixisset ut disperderet eos, propter vitulum quem fecerant,pepercit eis propter eosdem viros, stante Moyse in conspectu **78** ejus in confractione, id est in nimia mentis humilitate, ac dicente : « Cur,Domine,irascitur furor tuus contra populum tuum ? » (*Exod.* XXXII.) « Recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum (*ibid.*). » Deinde cum fecissent duos vitulos, secuti Jeroboam (*III Reg.* XII), et scissi a domo David, et tribus quoque Juda coluisset deos gentium,et proinde pars utraque juste tradenta esset in captivitatem (*II Par.* XXVIII) ; salvata est eadem tribus Juda propter viros D tres,qui inventi sunt in medio eorum, « David,Ezechiam, et Josiam, præter quos omnes peccatum commiserunt, ait Jesus, filius Sirach.Nam reliquerunt legem potentes reges Juda, et contempserunt timorem Domini (*Eccli.* XLIX). » Deinde cum in captivitatem ducti communem haberent luctum,juxta illud : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion (*Psal.* CXXXVI). » maximum consolationis incrementum adepti sunt per viros tres, qui inventi sunt in medio, Sidrach, Misach,et Abdenego; quia contempserunt iniqui regis imperium, et in medio fornacis ardentis gloriose triumphaverunt.Deinde ubi placuit Deo ut solvere-

tur captivitas, et fundaretur templum quod destructum fuerat,et reædificatur ipsa civitas Jerusalem, hoc itidem per viros tres Deus effecit, per quales voluit, et per quales fieri oportuit, scilicet non per ipsos tantum captivos et inopes, sed per eos sub quibus captivi tenebantur reges potentes, Cyrum, Darium et Artaxerxem. Deinde ubi voluit superbissimus Aman delere universum genus Judæorum, per istos tres salus facta est, Esther et Mardochæum, et ipsum regem Assuerum. Deinde cum idem agere conaretur diabolus sub regno Græcorum, per trium ducum Judæ et Jonathæ et Simonis bellicam virtutem ac præclaram fidem, illius populi reliquiæ salvatæ sunt. Valde jucundum in istis numeris mysterium, quia septies, sicut hic enarratum est, propter viros tres, sive per viros tres, Deus unus et trinus, id est, quem confitemur et colimus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, populum illum salvavit et liberavit usque ad implendum verbum promissionis, per quod et nos salvi facti sumus.

CAPUT. XV.

Non ita nunc esse populo illi post natum Christum, sed « si fuerint, ait Dominus, tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, et Job, vivo ego, quia ipsi soli justitia sua liberabunt animas suas. »

Accipe autem, quid nunc Dominus dicat per prophetam Ezechielem : « Fili hominis, terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendam manum super eam, et interficiam de ea hominem et jumenta. Et si fuerint tres isti viri in medio ejus, Noe, Daniel et Job, vivo ego, quia ipsi soli justitia sua liberabunt animas suas (*Ezech.* XIV). » Nec semel dixisse contentus, secundo et tertio et quarto sententiam repetit « vivo ego, quia nec filios nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur; vivo ego, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli liberabuntur, vivo ego quia filium et filiam non liberabunt, sed ipsi soli justitia sua liberabunt animas suas (*ibid.*). » Quatuor judicia sua Dominus distinguens, famem, malas bestias, gladium, et pestilentiam, de singulis eamdem sententiam subscripsit. At non omni, sed cuidam terræ, cum peccaverit; non omni, inquam, sed cuidam terræ, nam post omnia hæc, ita subjunxit : « Quod et si quatuor judicia mea pessima, gladium, et famem, et bestias malas, et pestilentia misera in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus; tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias (*ibid.*). » Nisi istud decrevisset, nisi quamdam terram in superioribus sententiis, quæ longe diversa sit ab Jerusalem, intelligi voluisset; nimirum, id quod ait : « Noe, Daniel et Job, ipsi soli justitia sua liberabunt animas suas, » contrarium videretur ei quod hactenus narratum est, quia multoties propter viros tres et per viros tres gens illa liberata est. Quomodo ergo separationem fecit terræ ab Jerusalem, quid nisi separationem intelligere debemus terræ, id est Synagogæ, quæ nunc usque blasphemat Christum, quem crucifixit ad Jerusalem id est ab Ecclesia, quæ in Christum credit ? Sed dicit ali-

A quis : Quomodo in medio terræ illius, id est Synagogæ, quæ Christum crucifixit, unquam esse potuerunt tres isti viri, Noe, Daniel et Job ? Ad hæc inquam : Isti quidem tres viri, Noe, Daniel et Job longe ante fuerunt, longe ante ab hac vita decesserunt, quam illa terra maledicta crucifigeret Christum Dei Filium. Sed si causam illorum rite discernas, scilicet quia Noe arcam in communi periculo erexit, et Daniel cælibem vitam duxit, et Job propriæ domui suæ bene præfuit, maxime ex eo notus, quod in tentatione inventus est fidelis, patenter intelligis, quia in medio terræ illius fuerunt, et de medio terræ illius ad nos venerunt tres viri isti, Noe, Daniel et Job. Quod si parum videtur communiter demonstrare in omnibus apostolis Christi, qui in medio terræ

B illius fuerunt, et inde venientes tres vivendi ordines supradictos nobis gentibus ordinaverunt, ecce quasi digito demonstrare possumus quosdam ex illis, videlicet apostolis, tres viros, Petrum, et Joannem, et Paulum, valde similes illis, Noe, Daniel et Job. Denique Petrus præcipuus rectorum Ecclesiæ, ipse est quasi Noe (*I Cor.* VII) ; et Joannes præcipuum exexemplar cælibis, seu virginalis vitæ, ipse est quasi Daniel (*Ephes.* II) ; et Paulus qui inter cætera, in quibus plus omnibus laboravit, conjugalem quoque vitam bene ordinavit, ipse est quasi Job (*II Tim.* III).

CAPUT XVI.

Quali a gladio et fame, qualibus a bestiis, quali a pestilentia propinquos suos secundum carnem Judæos apostoli non salvaverunt, et quod ipsi fuerint in medio eorum quasi Noe, Daniel et Job.

C Nunc igitur demonstrandum est, quali a gladio et fame, qualibus a bestiis, quali a pestilentia propinquos suos secundum carnem Judæos non salvaverint, sed ipsi soli animas suas liberaverint, et quam ob causam juste hoc fieri debuerit. Quod ut evidentius fiat jam ordine accendendum est ad illam bestiam quartam sine nomine, de qua sic scriptum est : « Post hæc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens et reliqua pedibus suis conculcans (*Dan.* VII). Quomodocunque regnum Romanum bestia magna, terribiliter atque miribiliter dentibus magnis, dentibus ferreis cæterarum gentium robur comederit atque comminuerit non adeo pertinuit ad illos ca-

D ptivos, quorum uni hæc revelata, per quorum unum hæc nobis scripta sunt. Cura enim erat illis tantum de genere suo, cura erat Spiritui prophetico de illis propter Christum, qui nasciturus erat ex eodem populo. Sicut ergo de cæteris bestiis scimus quia taliter demonstratæ sunt, verbi gratia ut uni diceret : « Surge, comede carnes plurimas (*ibid.*), » propter populum Judaicum, de quo Aman dixit regi Assuero : « Si tibi placet, decerne ut pereat (*Esther.* III), » ita et de ista bestia quarta, bestia terribili atque admirabili, **79** quod dictum est : Comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans, ad eumdem populum spectat, quem ducibus sive prin-

cipibus Tito et Vespasiano, regnum illud comedit atque comminuit, tam terribili comestione, tam mirabili comminutione, ut nulli unquam populo, vel civitati ab initio sæculi taliter contigerit, sicut Josephus scriptor admirando pariter et dolendo patenter edisserit (lib. VII *De bell. Jud.*), et reliqua sic pedibus suis conculvavit, ut nunc usque patet quia in omnes gentes ducti sunt captivi, qui reliqui fuerunt ex eis. Nunquid tres viri isti, Noe, Daniel et Job, si fuissent in medio eorum, liberassent eos? Fuerunt autem similes istorum aliqui in medio eorum, scilicet apostoli et multi credentes in Christum, sed non liberaverunt eos, imo ut ipsi soli liberarent animas suas per divinam jussi sunt revelationem imminente obsidione, exire de medio eorum. Nonne hoc fuit quasi Noe, et Daniel et Job exire de medio eorum? Remanserunt autem in medio eorum tres alii valde contrarii Eleazarus et Joannes et Simon, auctores et principes nimis crudeles editionum inenarrabilium, et ita mirabiliter evenit, et cum in Babylone audieris, « tres video viros ambulantes in medio ignis, et aspectus quarti, similitudo est Filii Dei (*Dan.* III). » Hic econtra in ea, quæ dicebatur Jerusalem, exclamare possis : Tres video viros obtinentes miseram Jerusalem, discindentes eam et excruciantes, gladio et fame, miserabilibus modis ; tres, inquam, viros principes iniquitatis, et totius latrocinii, et aspectus quarti similis est Barabbæ latronis seditiosi. Nam quia Barabbam sibi præelegerunt, Christum autem Dei Filium interfici petierunt (*Matth.* VII), idcirco omnis Noe, et omnis Daniel, et omnis Job recessit ab eis, et justo judicio, cum foris obsiderentur a Romanis, intus dati sunt in prædam tribus illis auctoribus seditiosis, qui contra semetipsos divisi, communiter diruperunt, et certatim effoderunt viscera jejuna et esurientia plenæ civitatis.

CAPUT XVII.

Quod vel quale fuerit peccatum terræ illius quam Noe, et Daniel, et Job salvare non potuerunt, et quomodo Judæi blasphemaverunt, vel dixerunt contra Spiritum sanctum.

Hoc judicium terræ illius quæ peccavit, non quomodocunque sed ita quemadmodum dixit : « terra cum peccaverit mihi, ut prævaricans prævaricetur (*Ezech.* XIV). » Quidnam est prevaricando prævaricari, nisi perseverare in proposito prævaricationis corde impœnitenti? Hoc denique est peccatum terræ illius gravissimæ, scilicet Judæorum, quibus maxime et primo loco, et deinde hæreticis illa redargutio congruit : « Filii hominum usquequo gravi corde (*Psal.* IV). » Quomodo illi maxime prævaricati sunt, id est in prævaricatione perseveraverunt? Filium Dei Dominum Jesum Christum in prævaricatione sua reprobaverunt et crucifixerunt. In prævaricatione, inquam, id est, contra legem suam. Dixerat enim in lege Moyses : « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam (*Deut.* XVIII). » Ergo Dominum Christum reprobando, prævaricati sunt, præsertim cum legitimum haberent signum, per quod intelligere eum possent esse prophetam illum, scilicet sufficiens in opere et sermone ejus veritatis testimonium. Sed forte aliqui de ignorantia se excusare potuerunt, dicentes eum esse magnum. Proinde cum blasphemaretur ait : « Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi (*Matth.* XII). » Et cum pateretur : « Pater, inquit, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). » Sed quid post hæc? Quomodo terra illa inexcusabilis facta est, vel quomodo prævaricans prævaricata est, ut inexcusabilis esset? Venit Spiritus sanctus super discipulos ejus, quos nimirum significans dixerat illis : « Et si ego in Beelzebub, principe dæmoniorum ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt (*Matth.* XII). » — « Ejiciunt, » dixit, id est, certissime ejicient, magis quam nunc, cum Spiritus sanctus advenit : Venit, inquam, Spiritus sanctus manifesta virtute testimonium perhibere, quod ille esset Christus, et tunc adimpletum est quod dixerat illis : « Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis (*Joan.* XV). » Hoc facto nihilominus in prævaricatione perseveraverunt et blasphemare non cessaverunt, et tunc demum contra Spiritum sanctum verbum dixisse judicati sunt, et illa sententia venit super eos : « Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII). »

CAPUT XVIII.

De Jerusalem quæ illa sit, de qua Dominus ibidem : « Quod si quatuor judicia mea pessima misero in Jerusalem, tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias. »

Illa autem, quæ est Jerusalem, qualem habet proventum in medio cunctarum tribulationum? Quod et si, inquit, Dominus, continuo in eodem propheta : « Quatuor judicia mea pessima, gladium, et famem, bestias malas, et pestilentiam misero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus, tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias (*Ezech.* XIV). » Mira distantia, mira oppositio illius terræ, id est, apostatricis Synagogæ et istius Jerusalem, id est, fidelis et catholicæ Ecclesiæ. In illa terra, Noe, Daniel et Job, si fuerint in medio ejus, non possunt ab uno quolibet judiciorum istorum liberare filios et filias, sed solas animas suas : in ista autem Jerusalem, sic cuncta hæc quatuor judicia Dominus judicat in eam, videlicet, ut probetur patientia sanctorum quod sæpe factum est, non dico, quod minus est Noe, Daniel et Job, si fuerint in medio ejus, liberabunt filios et filias. Sed dico quod plus est : « Relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias. » Plus namque est moriendo educere filios et filias in vitam æternam qui non erant, quam orando liberare ab interfectione corporis filios et

filias qui jam erant. Audivimus, vidimus, quanta fecerit in ista Jerusalem totus mundus in maligno positus (*I Joan.* v), et maxime eadem illa bestia superius memorata terribilis atque mirabilis quantis, quam late diffusis persecutionibus, quasi magnis et ferreis dentibus, istam Jerusalem comederit atque comminuerit. Sed quid nocuit? Relicta est enim in eis salvatio educentium filios et filias, quia nimirum sicut frumentum seminatum et in terra mortuum, multiplicem resurgit fructum (*Joan.* xii); ita persæpe paucis pro testimonio fidei morientibus multa millia rationabilem patientiam illorum considerando, in Christum crediderunt. De quibus recte dicas, quia priores illi morientes, istorum patres sive matres fuerunt, eoque tanquam filios et filias, imo vere filios et filias suo sanguine pepererunt. Ista ergo est vere Jerusalem et vere domus Juda, cui dictum illud in Osee veraciter congruat: « Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo, et non salvabo eos in arcu, et gladio, et in bello, et **80** in equis, et in equitibus (*Ose.* i). » Item in Zacharia: « Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus exercituum (*Zach.* iv) ». Spiritus tuus a te procedens, Domine exercituum, et a cœnaculo incipiens, ubi exspectabatur, cum pauci homines essent congregati in unum, venit usque ad illius bestiæ dentes magnos, dentes ferreos, quæ nimirum bestia, scilicet Romanum imperium vere erat Babylonia, et per omnem persecutionis fornacem semetipsum exhibens piis martyribus « tanquam ventum roris flantem » tandiu Filius Dei cum illis ambulavit per medium ignis et fidem illorum illæsam custodivit; donec illa bestia homo fieret, id est, rationem admitteret, et rationabilem esse Christianorum fidem intelligens, vexillum crucis in sua fronte susciperet, ac voce humana Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum et verum esse Deum pronuntians, etiam patronum se cultoribus ejus exhiberet.

CAPUT XIX.

De tribus viris illis, quorum hæc propria nomina fuerunt, Noe, Daniel et Job, qualiter suis quisque temporibus egressi fuerunt.

Exeant igitur de terra illa quicunque pertinere cupiunt ad tres viros istos, Noe, Daniel et Job, et videant illius terræ quanta desolatio, et istius Jerusalem quam fructuosa sit probatio. Nam « ecce, inquit, ipsi egredientur ad vos, et videbitis viam eorum A et adinventiones eorum, et consolabimini super malo quod induxit in Jerusalem et omnibus quæ importavi super eam, et consolabuntur super vos cum videritis viam eorum, et adinventiones eorum, et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quæ feci in ea, ait Dominus Deus (*Ezech.* xiv). Magnum et pene inenarrabile sacramentum. Quomodo de terra illa, quam supra habuimus, Noe, Daniel et Job, toties nominati ad nos exierunt, quoniam filios et filias salvare non potuerunt? Dicamus in primis de tribus viris illis, quorum hæc propria nomina fuerunt Noe, Daniel et Job, qualiter suis quisque temporibus egressi fuerint. Primus egressus est Noe cum tribus filiis, Sem, Cham et Japhet (*Gen.* viii). Daniel vero cum tribus pueris, Sidrach, Misach et Abdenago (*Dan.* iii). B Job autem cum tribus amicis suis, Eliphaz Themanites, Baldat Suites et Sophar Naamathites (*Job* ii). Qualis fuit egressus illorum? Egressus Noe de congerie mortuorum fuit ad reparationem generis humani de tribus filiis, sub trina benedictione Dei dicentis « Crescite et multiplicamini (*Gen.* ii). » Egressus Danielis cum suis concaptivis ad consolationem ipsorum cum tribus pueris, quos de medio Babyloniæ fornacis victores recepit, glorificatus ipse tribus gratiæ incrementis in conspectu trium regum, videlicet in conspectu Nabuchodonosor, interpretatione somniorum; in conspectu Balthasar, lectione et interpretatione verborum, quæ miro modo in pariete ab invisibili visibiliter scripta sunt; et in conspectu Darii victoria laudabili, quia « misit Dominus, ait, angelum C suum, et conclusit ora leonum, et non me contaminaverunt (*Dan.* ii, v, xiv). » Egressus Job fuit in exemplum patientiæ cunctis superventuris sæculis, tribus modis tentati atque probati, scilicet occulta potestate, quam adversus eum Satan accepit (*Job.* i, ii), sed aperta lingua conjugis, et nimia trium amicorum sapientia quæ illum valde afflixit, quos non recta locutos ipse per sacrificium Deo reconciliavit (*Job.* xlii). Itaque tres viri isti, Noe cum tribus filiis, Daniel cum tribus sociis, et Job cum tribus amicis, fiunt duodecim, et hic numerus eorum est, qui et arcam, scilicet Ecclesiam in aquis baptismi regendam primi post Christum susceperunt, et in gentibus, quasi in Babylonia Deum clarificaverunt, et in cunctis tentationibus fortiter perstiterunt. Quod qui rite perpendit, nimirum ipse persentit hoc D dictum a Domino: « Et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quæ feci (*Ezech.* xiv).

LIBER NONUS

CAPUT PRIMUM.

De eo quod scriptum est: « Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria: » et quod Scripturas scrutari non idem sit quod scrutatorem esse majestatis.

Glorificationem tuam loquentes, reverenda Trinitas unus Deus, jamdudum sub virga timoris tui pavemus, dum et tua laude nunquam cessandum, et nihilominus multiloquium esse cavendum non ignoramus. Scriptum est enim: « Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria (*Prov.* ii). Et alibi:

« Deus enim in cœlo, et tu super terram, idcirco pauci sint sermones tui (*Eccle.* v). » Attamen nunquid scrutari Scripturas, idem est quod scrutatorem esse majestatis ? aut ei, quod loquitur, non loquitur extra regulam, sive auctoritatem Scripturarum veritatis, nunquid recte dicas, non pauci, sed multi sunt sermones tui? Cœptam igitur laudationem Domini adhuc loquetur os meum, et hoc opus jam octo libellis protractum, in isto nono libello concludam. Quod cum fecero, o Spiritus Patris et Filii, quæ merces huic operi ? imo quæ gratia pro ista gratia ? Liceat homini interiori suam intentionem sive exspectationem breviter et occulte significando, uti verbis beati Job : « Duo tantum, inquit, ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar. Manum tuam longe fac a me, et fortitudo tua non me terreat (*Job* XIII). » Quod est dicere : De peccatis meis vindictam non sumas, et principes **81** tenebrarum mihi non occurrant, et tunc in exitu suo dicet anima mea beneficii largitate exhilarata : Ecce quod cupivi jam video, quod speravi jam teneo, ab ejus facie non sum abscondita post exuvias corporis, quem in corpore posita tota dilectione fidei dilexi. Hujus igitur libri ultimi materia tu mihi esto, domus sanctissima, cum tuis septem columnis, quam Sapientia sibi ædificavit (*Prov.* IX). Nam tui quidem in superioribus loco quodam memini, sed septem columnarum sacramentum, quod fere omnibus notum est, huc usque distuli, notitiæ communi sibi usitatæ lectioni supererogare cupiens aliquid in domo ista, quæ est templum corporis Dominici, ad laudem Spiritus sancti, a Patre et Filio procedentis.

CAPUT II.

Quod domus illa, quam Sapientia sibi ædificavit, sit corpus Christi, et quod in istam domum processio Spiritus sancti tertio celebrata sit, primo ad ædificandum, secundo ad exornandum, tertio ad dedicandum.

Hic ergo in primis illud memorare libet, quia in domum istam processio Spiritus sancti tertio celebrata est, secundum typum domus illius sive templi manufacti, quod Salomon magna sapientia ædificavit, mira gloria decoravit, magna solemnitate dedicavit. Etenim Spiritus sanctus domum istam non manufactam templum Dominici corporis, sapienter per semetipsum ædificavit, decenter exornavit, gloriose ac feliciter dedicavit (*III Reg.* VII, 8). Ædificavit, inquam, in ipsa Verbi incarnatione, exornavit in illius veri hominis manifestatione, dedicavit in ejusdem sacrosancta resurrectione. Quam videlicet dedicationem ille innuit psalmi vicesimi noni titulus : *Psalmus cantici in dedicatione domus David.* Mittit enim nos titulus ad historiam, et historiæ intelligentiam sacræ, quia sicut David impensa et apparatu suo per manum Salomonis templum Domino ædificavit, et postea cum jucunditate et [*alias*, solemnibus] solemnitatibus verbis ad laudem Domini dedicavit (*I Par.* XXII) ; sic corpus Christi secundum singularem nativitatem, et immunitatem a peccato, fuit ædificatum ; post resurrectionem vero secundum impassibilitatem et immortalitatem, æterna gloria manet dedicatum. Manifestationem vero illam dicimus qua manifestavit eum Spiritus sanctus in specie columbæ, Joanne prædicante : « Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans (*Joan.* I). » In istis igitur tribus splendoribus gratiæ, quæ diffusa est in labiis tuis, « speciosa forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), » sic sanctam Trinitatem laudamus et glorificamus, ut sanctum Spiritum de Patre et de Filio procedentem pariter prædicemus opificem istius domus, quæ videlicet domus es tu secundum humanitatem, in qua requiescit ipse cum omnibus, quos tibi thesaurizavit, divitiis sive thesauris sapientiæ et scientiæ.

CAPUT III.

De septem ejusdem domus columnis ; et quis primus auctor fuerit hujus numeri ut scriberet septem spiritus Dei.

Septem columnas, quas excidit Sapientia in ista domo sua, sicut dicit Scriptura : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX). » septem esse spiritus Dei, quis non audivit consonantibus Scripturis aliis? Nam, exempli gratia, propheta Isaias dixit : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Multa sunt in Scripturis consonantia sanctum septiformem Spiritum, sub sacramento numeri septenarii, videlicet septem lampades ante thronum Dei, septem cornua agni, septem ejus oculi (*Apoc.* IV, V), quod non est aliud quam apud Zachariam prophetam, in uno lapide septem oculi, et in uno candelabro septem lucernæ super caput unius candelabri (*Zach.* III, IV). Verum nos istud quærimus, et invenire delectabile est, quis primus fuerit auctor numeri hujus, ut scriberet septem spiritus Domini, et quam ob causam iidem septem spiritus, nomine columnarum totidem debuerint significari. Non est dubium quin omnia sint divinæ auctoritatis, quæcunque habentur in Scripturis canonicis; verumtamen tunc melius placet, et abundantius lætificat ipsa divina auctoritas, cum divina quælibet Scriptura simul auctoritatem sive testimonium habet de aliqua priore Scriptura. Exempli gratia : Quod in Zacharia scriptum est, ut jam memini : « Quia super lapidem unum septem sunt oculi (*ibid.*), » cum sit divinæ auctoritatis ; Spiritus enim sanctus per os omnium, prophetarum locutus est, attamen amplius ex eo delectat, quod ante istum Isaias propheta, cujus jam meminimus, scripsit apertissime septem Spiritus Domini, ita ut singulos propriis quoque exprimeret vocabulis (*Isa.* XI). Hoc igitur quærimus, utrum et iste, qui sine dubio divina scripsit auctoritate « Sapientia ædi-

ticavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX) » priorem quempiam legerit, sive audiverit similia loquentem. Verbi gratia, David sive Moysen. Quærentes istud, cito invenimus quia præcessor hujus et omnium prophetarum, in isto sacramento numeri septenarii, Moyses fuit, cujus Scriptura profluens, non ab homine, sive a litteratura manuscripta cujuspiam hominis, sed ab ipsius ore, quasi fons Scripturarum est, nam cæteræ omnes Scripturæ propheticæ, quasi rivi sunt ejusdem fontis. Hoc demonstrare promptum est, si tamen paucis rem tantam lingua verbis explicare potest.

CAPUT IV.

De septem diebus primis, et quod Spiritus Domini qui ferebatur super aquas, ex illis cognosci debeat, quod sit spiritus septiformis, primum spiritus timoris, secundum divisionem tenebrarum et lucis, et in supremo spiritus sapientiæ, secundum diem septimum in quo Deus requievit.

« In principio spiritus Domini ferebatur super aquas *Gen.* I), » qui videlicet spiritus Dei bonitas ipsius Dei. Pro hac bonitate sua Deus sex diebus cuncta creavit, et in septimo requievit. Et quoniam a creatura cognoscitur Creator, sicut Apostolus dicit : « Invisibilia ipsius enim a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur ; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas (*Rom.* I), » idcirco nos maxime, qui cognoscentes Deum, sicut Deum glorificare et gratias agere cupimus, a creatura ipsorum dierum ipsum, qui ante omnem diem ferebatur super aquas, debemus cognoscere Spiritum sanctum. Videlicet ab illo die, quo divisit Deus lucem et tenebras, id est angelos bonos et angelos malos, cognoscitur spiritus iste, quia timoris est. Timorem quippe efficit credenti animæ memoria illius judicii magni et terribilis, quo angeli tenebrarum ab angelis lucis tanta divisione divisi sunt, ut ultra in æternum recuperari non possint. De quo videlicet timore, sive spiritu timoris, scriptum est in Job : « Potestas et terror apud illum est, qui facit concordiam in sublimibus suis (*Job.* XXV). » A die secundo quo « fecit Deus firmamentum
82 in medio aquarum, et divisit aquas ab aquis. » cognosci potest Spiritus Dei quod sit spiritus pietatis ; si rite perpendas, qua intentione fecerit Deus fabricam hujus mundi, cujus initium fuit factura ejusdem firmamenti, quod cœlum vocavit. Quidnam intendebat, sic incipiens Deus, vel Sapientia Dei ? «Quando, inquit, præparabat cœlos, aderam ; quando certa lege et gyro vallabat abyssos, cum eo eram cuncta componens, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII).» Et quid tam pium quam idcirco præparasse cœlos et fecisse hunc mundum, et in eo genus humanum, quia ipse sapientia jam deliciabatur, quandoque fieri homo, et esse cum filiis hominum ? A die tertio quo dixit Deus : « Appareat arida, quam vocavit terram ; et germinet, ait, herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus

A semen in semetipso sit super terram (*Gen.* I), » quod fuit initium exornationis mundi, propter quod Scriptura dicit : « Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio (*Gen.* II), » subauditur enim ornatus, sive exornationis terræ ; ab isto, inquam, die tertio cognoscitur Spiritus sanctus quod spiritus scientiæ, imo et scientiarum sit Dominus. Quam videlicet scientiam, quia jam in corde suo æmulabatur Adam in paradiso positus, permissus est accedere tentator qui diceret : « Comedite, et eritis sicut dii, » id est, similes Deo, « scientes bonum et malum (*Gen.* V). » A die quarto, quo dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et in tempora, et dies, et annos (*Gen.* I) : » cognoscitur Spiritus
B sanctus, quod sit spiritus fortitudinis. Quis autem ecclesiasticorum aut gentilium Philosophorum non miratus est fortitudinem, sive potestatem in istis duobus magnis luminaribus, sole, et luna, et stellis, quas posuit Deus in firmamento cœli ? Primus Psalmista dicit : « Qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei, et lunam et stellas in potestatem noctis (*Psal.* CXXXV). » Post hunc inquisitores mundi, sapientes hujus sæculi tanta dixerunt, tanta scripserunt de ista creatura tam mirabili, de sole et luna et stellis, quæ cursus suos tam certa tamque firma lege custodiunt, constitutione Dei ex præcepto quod ille posuit, ut ea etiam vivere et ex eis fata hominum pendere crederent (VIRG. in *Georg.* OVID. in *Metam.*), quod recipere nec voluit, nec debuit Ecclesia Dei. Sunt alia potestatum insignia
C sano intellectu sufficientia ad comprobandum, quod vere in his fortitudo magna sit. Quinque tenent cœlum zonæ, ait poeta insignis (LUCAN. in *Phars.*), quarum circa positiones vel causas temperamenti sive intemperamenti, multa insignia sese expenderunt [*addo* ingenia] sæcularium. Nec ea reprobavit discretio ecclesiasticorum, solem intelligentes diversitatis hujus esse causam principalem, secundum quod illi positum est præceptum, ascendere sursum et descendere deorsum. « Oritur enim sol et occidit, ait Ecclesiastes, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem, lustrans universa in circuitu, pergit spiritus, et in circulos suos revertitur (*Eccle.* I) : » Nimirum gyrando et regyrando duas temperat zonas, una,
D quæ et media est, nimium exusta, eo quod soli semper sit subjecta, duabus autem extimis, a quibus longius abest, vel quibus gyrando et regyrando non appropinquat, frigore torpentibus et glacie perpetua. Horum hic meminisse superfluum duceremus, nisi pro fortitudine, quæ in sole est, dicere aliquid oportuisset, maxime quia Psalmista quoque horum meminit, dicendo : « Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, » subauditur, patet locus effugii, « quoniam Deus judex est (*Psal.* LXXIV). » A die quinto quo dixit Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli, et benedixit eis, dicens :

« Crescite et multiplicamini, » cognoscitur Spiritus sanctus quod sit spiritus consilii. Cujus potentia, dum super aquas fertur, hoc mirabile fecit in creatura ejusmodi, quæ rationem non habet, ita consulere noverit suæ posteritati, ut homo rationalis non sufficiat admirari, idem animantibus etiam minimis, quæ sexto die terra produxit : « Vade, inquit, Salomon, ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam. Quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi et congregat, in messe, quod comedat (*Prov.* VI). » Denique in creatura humana non adeo mirum est, quod sit concilii capax, videlicet quia in homine inter sensualitatem et mortalitam media est rationalitas, aut in hujusmodi creatura, quæcunque est rationalitatis expers, cum quinque fungatur sensibus, valde mirum est tantam inesse mortalitatem, sive quasi consilii sollicitudinem, ut pro exemplo possit esse homini, socordiam ejus in plerisque redarguens. A die sexto, sive a creatura humana, quæ die sexto facta est, cognoscitur Spiritus sanctus, quod sit spiritus intellectus, non solum quod rationalis cognitus, verum etiam, quod maximum est, spiritualis intelligentiæ capax. Denique et si tunc primus homo non intellexit, et post eum quamplurimi, sicut scriptum est : « Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » Et rursus : « Animalis homo non percipit ea quæ fecit Deus (*I Cor.* II), » attamen spirituales fuerunt, et sunt multi, magnus enim Dominus, quos voluit, multos spiritu intelligentiæ replevit. A die septimo cui Deus benedixit, et in quo requievit quem sanctificavit. Propter hoc ipsum ut in ipso requievit, in quantum jam in hac vita, vel percipi, vel gustari potest requies ipsa cujusmodi sit, cognoscitur Spiritus sanctus, quod spiritus sit sapientiæ, quia vere ad magnam sapientiam adducit illum quem docilem facit illius dicti : « Tolite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Ista requies sapientia est, quam Spiritus sanctus efficit, id est, participatio sapientiæ increatæ, quæ est ipsum Verbum Dei sapientia Patris.

CAPUT V.

Quam ob causam idem sacramentum spiritus septiformis congruum fuerit septem columnarum appellatione designari; cur et Isaias ordine converso spiritus eosdem ornans, a spiritu sapientiæ descenderit ad spiritum timoris.

In quantum potuit, sermo fidelis fontem lucidum adivit, de quo rivus emanavit per ora multorem, dicentium similia huic, qui cum dixisset : « Sapientia ædificavit sibi domum, » secutus ait : « Excidit columnas septem (*Prov.* IX). » Quam vero ob causam, jam dictum septiformis spiritus sacramentum designari conveniebat appellatione septem columnarum? Nimirum propter gloriam magnam et honorem hujus altissimi Filii hominis, quia videlicet

A templum corporis ejus, ipsa est domus, quam « Sapientia sibi ædificavit. » Domus autem quæ super columnas ædificata est, profecto ex ipsis columnis firmitatem pariter et pulchritudinem habet, et alta est. Si igitur columnas aspicis, quas nunc ordine digestas demonstravimus, nonne talis positio domus sapientiæ, illa est exaltatio Filii hominis, de qua scriptum fuerat jamdudum ; « Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum ? » (*Psal.* VIII.) Denique et Dominus est angelorum sanctorum, et Dominus firmamenti, id **83** est cœli, et Dominus terræ, sive paradisi et maris, et Dominus solis et lunæ et stellarum, et Dominus omnium creaturarum, quas aquæ produxerunt et quæ de terra productæ sunt, et Dominus

B totius generis humani, et Dominus etiam Sabbati (*Matth.* XII), id est patriæ cœlestis, in qua est plenitudo illius, quam speramus requiei. Vere magna domus, pulchra, et altissima domus. Ipse septiformis spiritus, in eadem domo plenarie habitat quietissime, nullam enim unquam passus est ibi offensam alicujus culpæ sive negligentiæ. Hoc est quod Isaias dixit : « Et requiescit super eum Spiritus Domini (*Isa.* XI). » Quod autem eosdem spiritus aliter subordinavit, primum ponens spiritum sapientiæ, septimum autem spiritum timoris, causam sive rationem hanc habet ; qua Dominus noster Jesus Christus, cujus adventus prædicabatur de altissimo sapiente secreto, et magna requie sua, de sinu Patris huc descendit usque ab obedientiam et mortem crucis, quæ videlicet obedientia religio-

C sus in ipso erat timor Domini ; nos autem, quorum ad eruditionem sive correptionem scripta sunt opera illa, Patris, et Filii et Spiritus sancti a timore incipimus, et in sapientia perficimur, sicut alia Scriptura dicit : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX). »

CAPUT VI.

De ædificatione hujus domus Domini : et quod ibi factum sit illud quod Psalmista dixit : « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. »

Quomodo factum est istud ? Quomodo ædificata est ista domus ? « Malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur (III *Reg.* VI), » sed in secreto silentio, nulla

D interstrepente humani operis inquietudine, Spiritus sanctus, qui « in principio ferebatur super aquas, » in beatam Virginem supervenit ejusque utero ineffabiliter obumbravit (*Luc.* I), in modum volucris ovum subjectum desideratissima sessione calefacientis. Qua tamen similitudine, nisi ante præsumpta fuisset, forte nostra infirmitas in tanto mysterio uti non auderet. Tunc itaque factum est illud quod Psalmista canens prædixerat : « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* LXXXIV). » Denique misericordia Spiritus sanctus est, veritas Verbum Dei, Filius Dei est.

Item, justitia Christus Dei Filius est : pax id est remissio peccatorum Spiritus est. Quomodo, vel ad quid talis misericordia, et talis veritas, et ubi obviaverunt sibi? quomodo, vel ad quid talis justitia et talis pax osculatæ sunt? Quis me hoc interrogabit? vel quis idoneus, ut ad hæc respondere possit? Interrogarem et ego aliquid, quod longe minus est, et tamen neque verbis explicari, neque sensu hominis comprehendi potest. In nido volucris, ovo subjacente, quomodo et ipsum corpus volucris, et concretus ex ovo fetus obviant sibi? Neque enim subsidentis corpus volucris in semen convertitur, aut a natura sua diminuitur, ut similis illi fetus nascatur, sed calore corporis subsedentis, ovum animatur, et succus ejus in volucrem similem formatur sicque obviant sibi, et invicem osculantur, id est, inseparabili amore consociantur. Quis de hujusmodi disputare sufficiat? Legimus quidem, quia : « Disputavit Salomon super lignis e cedro, quæ est in Libano usque ad hyssopum, qui egreditur de pariete et disseruit de jumentis et volucribus, et reptilibus, et piscibus (III *Reg.* IV), » sed non legimus eum disputando et disserendo hæc eadem comprehendisse. Quanto minus quis disputare vel disserere sufficiat, quomodo Spiritui sancto in beatam Virginem, et supervenienti in sua natura, sive substantia permanenti, ne quis putet quod ille ipse pro semine fuerit, Verbum Dei cum sementina substantia Virginei ventris obviaverit juxta illud quod jam dictum est : « Misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Prov.* XXV). » Non ergo hæc nobis altiora quæramus, ne velut scrutatores majestatis arguamur. Hoc scire contenti, quia sapientia domum istam, templum sacrosanctum corporis sui, spiritu suo sibi ædificavit, spiritu, inquam, suo, id est ex operatione, non de substantia spiritus sui, et jam dictas septem columnas, de sola Patris sui persona, quasi de alio monte excidit, sed ipsa Sapientia sive Filius Dei et Pater ejusdem Filii, sicut sunt una substantia, sic et ambo inseparabiliter septiformem spiritum suum indiderunt huic domui, huic homini Jesu Christo Filio Dei, Filio hominis.

CAPUT VII.

Item de eadem re, ad quid misericordia et veritas obviaverunt sibi, et quale consilium de salvando humano genere illic habuerint, secundum illud beati Job : « Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in statera. »

Diximus pro posse, quomodo et ubi misericordia et veritas obviaverunt sibi, jam dicendum etiam ad quid, nam etiam hoc supra propositum est. Ad quid ergo misericordia et veritas sibi obviaverunt? ad quid convenerunt? ad quid justitia, quæ est ipsa veritas, et pax, quæ est ipsa misericordia, osculatæ sunt? Nimirum ad consulendum et habendum de rebus magnis consilium, ad pertractandum magnæ rei negotium, scilicet quomodo salvaretur genus
A humanum. Non enim leve erat pondus hujus rei, quomodo salva ratione justitiæ seu veritatis, quæ est ipsum Verbum, sive Filius Dei, hominem excusaret, et saluti restitueret misericordia, quæ est Spiritus sanctus. Habitum ergo est consilium, imo quod ante sæcula fuerat consilium præfinitum, tunc ex utero Virginis productum est ad effectum, agendo scilicet, quatenus constaret ad hominem plus calamitatis esse passum, quam peccatis suis promeruisset. Hæc ergo fuit summa consilii in illa conventione obviantium sibi misericordiæ et veritatis, sive osculantium justitiæ et pacis, hominem illum divinæ benignitatis, fructum terræ nostræ, scilicet Virginei ventris oportere mortalem nasci, et mori, et resurgere a mortuis, atque ita consummatum per
B fidem in cordibus nostris, ut essemus nos duo videlicet homo peccator, ac propter peccatum morti addictus, et in unoquoque nostrum homo absque peccato mortalis factus, et mortificatus, et idcirco mortis victor effectus. Nonne ita, o mediator Dei et hominum, homo Jesu Christe, ego et tu duo sumus? imo nonne unus spiritus et unum corpus sumus? (I *Cor.* VI.) Attamen alio respectu duo sumus, et de nobis duobus Sapientia loquitur : « Melius est duos simul esse quam unum. Habent emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur : si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei (*Eccle.* IV). » Ubi fit, aut fiet istud? Nimirum in ista vita incipitur, et in porta, cujus meminit Psalmista dicendo : « Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta (*Psalm.* CXXVI); » in
C porta, inquam, id est, in exitu vitæ hujus perficitur. Quomodo ibi perficitur? Astando ante tribunal Christi, et parata ibi statera, quam beatus Job suis temporibus nondum paratam suspirans, dicebat : « Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in statera! quasi arena maris hæc gravior appareret (*Job* VI). » Statera ista tunc parata est, quando misericordia et veritate, **84** ut jam dictum est, obviantibus sibi, immortalis Deus mortalis homo factus est. Cum ergo venitur ad examen stateræ hujus, dum statur ante tribunal judicis hujus, ibi sunt duæ lances, altera misericordiæ, altera judicii, et tamen duo sunt, ut jam diximus, scilicet homo qui peccavit, et habitans per fidem in corde ejus Christus (*Ephes.* III), qui non peccavit : appen-
D duntur peccata unius tantum in statera judicii, appenditur calamitas duorum in statera misericordiæ, et calamitas mortis ejus qui peccavit, verbi gratia, Job aut alterius viri fidelis, et calamitas mortis ejus qui non peccavit, scilicet Jesu Christi. Nonne itaque calamitas in lance misericordiæ gravior appareret quam peccata in lance judicii? Plane gravior quasi arena maris, utpote duplum contra simplum, quia cum simus duo, et unus tantum peccaverit, ambo solvimus debitum mortis. Quid igitur? profecto sicut scriptum est, et nos jam meminimus : « Si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei (*Eccle*, IV), » id est, si

princeps mundi hujus contra steterit, ut accuset animam egredientem, a Christo habitante in se defensionem petit : « Apprehende, inquiens, arma et scutum, exsurge in adjutorium mihi (*Psal.* XXXIV). »

CAPUT VIII.

Item de ædificatione domus ejusdem ; quid mysterii habeat dictum illud : « Domus cum ædificaretur lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata est. »

Sed jam propositum de domo tua, Domine, de corpore tuo, Christe, quo proposuimus ordine sermonis, persolvamus. Proposuimus namque sermone fidei concelebrare tria hæc, ædificationem, exordinationem, atque dedicationem domus hujus, in qua « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Colos* II). » Jam ergo de exordinatione dicendum esset, nisi quod adhuc in ædificatione capitulum nos illud tenet : « Domus cum ædificaretur lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata est (*III Reg.* VI). » Hujus namque capituli mysterium intactum animus præterire non patitur. Quid ergo est, hujusmodi domum ædificatam esse « lapidibus dedolatis atque perfectis, » nisi mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, conceptum esse ex utero, sive concretum in utero Virginis secundum fidem sermonemque fidelem patriarcharum atque prophetarum, qui utique fuerunt vel sunt lapides magni, lapides perfecti. Huic etenim unus illorum Isaias gratulatur et dicit : « Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me. Voca nomen ejus, Accelera, Spolia detrahe, Festina prædari (*Isa.* VIII). » Plane hic unus dixit, cæteris quoque omnibus sanctis prophetis, quorum per os Spiritus sanctus locutus est a secuto, dixisse vel dicere congruit. Omnes enim ad illam prophetissam accesserunt, omnium fides, omnium prophetiæ in illam beatam Virginem convenerunt, et ipsa scivit quid ageretur secum secundum veritatem Scripturarum. « Domus igitur ædificata est lapidibus dedolatis atque perfectis, » id est, Incarnatio Dominica secundum fidem et expositionem sanctorum, et secundum Scripturas prophetarum, et verum ex omnibus habet testimonium sancta domus tua, Domine, juxta illud præconium magni Prophetæ : « Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum (*Psal.* XCII). » Quam bene autem lapides isti perfecti dicuntur etiam dedolati. Quis enim illorum viam vitæ hujus pertransivit absque dolatura tribulationis ? Denique plerique illorum fuere dolati usque ad internecionem sui corporis. Hinc ipse Deus dicit in Osee : « Propter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei (*Ose.* VI) ; » Et in Actibus apostolorum protomartyr Stephanus ait : « Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi (*Act.* VII). »

CAPUT IX.

De exornatione ejusdem domus, quali auro exornata sit, descendente ad illam super Dominum Spiritu sancto in specie columbæ, cum baptizaretur a Joanne.

Ædificata domo ista, sive templo Dominici corporis, quid deinde factum est ? quomodo exornata sive decorata est ? Domum, quoque ait Scriptura mystica, ante oraculum operuit Salomon auro purissimo et affixit laminas clavis aureis, nihilque erat in templo quod non auro tegeretur ; sed et totum oraculi altare texit auro, et fecit in oraculo duo cherubim de lignis olivarum (*III Reg.* VI). »

Secundum typum illius manufactæ exornationis, quam totam hic perscribere nimis longum esset, et exornata est domus non manufacta, de qua nunc loquimur, scilicet humanitas Christi, nostri Salvatoris, anno tricesimo suæ ætatis. Nam usque ad annum illum ignotus inter homines mansit. Illo denique anno, sicut Evangelistæ manifeste dicunt, « Ipse autem Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, cum baptizaretur a Joanne, descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, et ipse plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane (*Luc.* III, IV). » Quid, rogo, est plenum Spiritu sancto regressum esse a Jordane, cum sine dubio plenus Spiritu sancto fuerit ab ipsa conceptione ? Quid, inquam, est vel erat plenum Spiritu sancto a Jordane regredi, nisi quia jam tempus erat opere exercere, quæ prius in potestate habebat charismata Spiritus sancti ? (*I Cor.* X.) Hoc autem aurum verum, aurum purissimum est, lapides pretiosi sunt, videlicet sermo sapientiæ, sermo scientiæ, operatio virtutum, gratia sanitatum, prophetia, discretio spirituum, interpretatio sermonum (*Joan.* VII). Hujusmodi charismata sic extunc opere cœpit exercere, ut nunquam sic locutus fuerit homo sicut hic, et nemo alius unquam talia fecit opera qualia fecit hic (*Joan.* XV). Nonne igitur domus illa operta est auro purissimo, nihilque erat in templo quod non auro tegeretur ? Tali namque auro, sive splendore auri, delectata sponsa ejus, dicit in Canticis. « Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis (*Cant.* V). » — « Tornatiles, » id est, ad operandum citæ vel faciles ; « aureæ, » id est, operantes potentia Divinæ naturæ ; « plenæ hyacinthis, » id est, cœlestia sacramenta spirantes in exterioribus signis. Eatenus non apparebat, quod ornata esset domus hujuscemodi ornatu usque adeo inusitatum fuerat per annos triginta, ut cum discipulos eligeret, et illis quoque talium operum faciendorum potestatem daret, fieret nimiæ admirationis stupor in eum, sicut Marcus evidenter narrat. « Et cum audissent, inquit, sui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est (*Marc.* III). »

85 CAPUT X.

Quo pertinuerit, quod ad hoc opus procedens Spiritus sanctus, non in qualicunque specie, sed in specie columbæ apparuit.

Quo pertinuit quod ad hoc opus Spiritus sanctus non in qualicunque specie, sed in columbæ specie procedens apparuit? Revera « ad magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est, ut ait Apostolus, in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria (*I Tim.* III). » Non enim illud solum attendere debes, quod extunc Verbum in carne, Deus in homine, miraculis cœpit clarificari, imo quod tunc pœnitentiam pro nobis agendam suscepit, baptizatus baptismo Joannis, B videlicet in pœnitentiam, quam protinus a jejunio quadraginta dierum inchoavit, et in ea perseveravit usque ad mortem, mortem autem crucis. Vere magnum pietatis sacramentum, quia Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum in pœnitentiam (*Isa.* LIII). Nam ejusmodi pœnitentiam, morte crucis consummatam, lex sacra et mystica in sacramento sacrificii signaverat dicendo: Si holocausti oblati fuerint « Domino de turturibus et pullis columbæ, offerat eos sacerdos ad altare, et retorto ad collum capite et rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris. Non secabit, nec ferro dividet eam, et adolebit super altare lignis igne supposito, holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domini (*Levit.* I). » Quid enim in hac C oblatione turturis et columbæ, quæ pro peccato jubetur offerri, atque ut post mortem hostiæ caput corpori inhæreat, nisi Mediatoris nostri persona signatur? Redemptoris enim nostri mors, ad conjunctionem sui corporis, id est, Ecclesiæ valuit non ad separationem. Mediator etenim Dei et hominum, id est, caput omnium nostrum, est vere mundationis. Unde pro nobis mortem pertulit, unde nobis verius inhæsit. Post sectionem ergo caput columbæ suo corpori inhæret, quia Christum et Ecclesiam nec mors interveniens dividit. Multum igitur pertinuit ad magnum sacramentum pietatis, quod spiritus sanctus in specie columbæ super eum apparuit, de quo Apostolus ait: « Quia per Spiritum sanctum semetipsum immaculatum offerens Deo, D emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi (*Hebr.* IX). » Adde quod ibidem Joannes Baptista, ubi testimonium perhibuit dicens: « Quia vidi Spiritum sanctum descendentem de cœlo quasi columbam, et mansi super eum; » tali voce talique judicio mansuetudinem ejus prædicavit: » Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Denique in sacrificio Domini, sacrificio odoris suavissimi, eadem mansuetudo agni, quam simplicitas columbæ, mystice significat innocentiam et pietatem Christi Filii Dei.

A CAPUT XI.

De die illo quem determinavit Spiritus sanctus in David, dicendo: « Hodie si vocem ejus audieritis. »

Extunc dies ille est bonæ auditionis, dies vocis audiendæ in lenitate fidei, quem Spiritus sanctus determinavit in David, et populus modo meminit. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto (*Psal.* XCIV). » O vox dulcis et suavis, vox dilectionis et gratiæ, vox turturis et columbæ, quam apud Lucam taliter cœpimus audire: Regressus in virtute spiritus in Galilæam, cum venisset Nazareth, et intrasset in Synagogam, et traditus esset sibi liber prophetæ Isaiæ, locumque hunc statim invenisset: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis (*Isa.* XVI): « Hodie, inquit, impleta est hæc Scriptura in auribus vestris (*Luc.* IV). » Ab ista voce debent corda nostra hodie mollescere sive mitescere; hodie, inquam, id est, alio die, qui alius est ab illo die quo exivit Israel de Ægypto per mare Rubrum, et per quadraginta annos tentaverunt atque exacerbaverunt Spiritum sanctum in deserto. Nunquid non hoc vidit Joannes Baptista, qui in initio diei hujus videns ad se Jesum venientem, dixit, ut supra meminimus: « Ecce Agnus Dei? (*Joan.* I). » Denique talis ejus dictio talem nobis sensum efficit. Ecce cujus in figura immolatus est Agnus in Ægypto sumpto sanguine qui erat in limine, et posito in superliminari, et super utrumque postem, ut figuram crucis exprimeret, factumque est phase, id est transitus; transivit enim Dominus per Ægyptum, Ægyptios percutiens, et filios Israel salvans (*Exod.* XII). Nunc alia percutietur Ægyptus, et aliud mare dividetur, et aliud manna de cœlo dabitur, et alia petra sitientibus alias dabit aquas, et in aliam terram intrabitur, et alia civitas Jerusalem inhabitabitur, et omnia in novam restituentur, dicente isto, qui Spiritu sancto baptizat: « Ecce nova facio omnia (*Apoc.* XXI). » Igitur dies sanctæ novitatis tunc illuxit, quando desuper in columbæ specie apparente Spiritu pietatis Pontifex declaratus est Christus Filius Dei: Pontifex, inquam, ipse, et hostia, et templum, extunc optime ornatum, ut supra diximus, secundum figuram templi illius manufacti, auro videlicet non corrruptibili, sed auro vero splendidæ divinitatis, quæ tunc in eo splendere cœpit per operationem virtutum et gratiam sanitatum, cæteraque opera digiti Dei Spiritus sancti.

CAPUT XII.

De ejusdem domus dedicatione, id est, resurrectione secundum psalmum vicesimum nonum, cujus est titulus: « Psalmus David cantici in dedicatione domus David. »

Ad dedicationem domus juxta propositum pro-

perat animus, id est, ad gloriam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, qua sine dubio dedicatum est templum corporis ejus, ita ut omni mortalitatis seu passibilitatis paupertate detersa, solemnitas æterna, festivitas sempiterna, in voce exsultationis et confessionis, in ea celebretur ab angelis, celebretur ab hominibus, quotquot sunt vel erunt filii resurrectionis. Hoc loco sensum et verba nostra dirigat textus psalmi vicesimi noni cui talis præscriptus est titulus : *Psalmus cantici in dedicatione domus David.* Primum autem in fundamentum sermonis illud ponere libet, quia domus illa manufacta, quæ in typum hujus ædificata fuit, ut supra diximus, sub trina benedictione nominis Domini dedicata est, sicut habet manifeste ipsa Scripturæ series. Primo namque sic scriptum est : « Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni Ecclesiæ Israel, et ait : Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est in ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit (*III Reg.* VIII), » etc. Item secundo : « Stetit autem Salomon ante altare Domini, in conspectu Ecclesiæ Israel, et expandit manus **86** suas in cœlum, et ait : Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo desuper, et super terram deorsum, qui custodisti servo tuo David patri meo quæ locutus es (*ibid.*), » etc. Deinde tertio : « Factum est cum complevisset Salomon omnem orationem, stetit et benedixit omni Ecclesiæ Israel voce magna dicens : Benedictus Dominus qui dedit requiem populo suo Israel, juxta omnia quæ locutus est (*ibid.*), » etc. Itaque sub trina, ut jam dictum est, invocatione nominis Domini, Ecclesiam sive domum Domini dedicavit, non utique casu, sed magna cum ratione sapientiæ, quam Deus dederat illi, præsertim quia talis data fuerat regula benedicendi. Sic enim scriptum est in libro Numeri : « Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Loquere ad Aaron et filios ejus : Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, ut custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus suum vultum ad te, et det tibi pacem (*Num.* VI). » Hoc dicimus pro glorificatione Trinitatis, quia, sicut hactenus demonstrare curavimus, fere nihil celebre sive memorabile referunt Scripturæ veritatis absque sacramento sancti hujus nominis.

CAPUT XIII.

Item in eodem psalmo de trina appellatione nominis Domini : « Exaltabo te, Domine ; Domine, clamavi ad te; Domine, eduxisti ab inferno animam meam ; » et de titulo alterius psalmi : « In finem canticum psalmi resurrectionis. »

Nunc igitur perpende quod perpulchrum est, quia in isto psalmo cantici cantati sive cantandi secundum dedicationem domus David, id est corporis Christi, similiter trina præpollet appellatio ejusdem nominis Domini. Primo namque dicit : « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. » Deinde secundo : « Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. »

A Deinde tertio : « Domine, eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum. » Continuo sequitur concentus multitudinis sub admonitione hujuscemodi : « Psallite Domino sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus (*Psal.* XXIX). » Sic in dedicatione domus illius manufactæ post trinam adorationem nominis Domini a Salomone præmissam, continuo sequitur admonitio ad multitudinem, et magnæ festivitatis universalis communicatio, prosequente Salomone : « Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro. » Et subsequente Scriptura : « Igitur rex et omnis Israel cum eo immolabant victimas coram Domino (*III Reg.* VI). » Generalis quippe festivitas est, festivitas hujusce dedicationis, festivitas resurrectionis.
B Unde non prætereundum, quia titulum psalmi præscripti qui sic sese habet : *Psalmus cantici in dedicatione domus David*, titulus alterius psalmi, scilicet sexagesimi quinti, pene exponit qui ejusmodi est : *In finem, Canticum psalmi resurrectionis*, tali præeunte titulo : « Jubilat omnis terra Deo, psalmum dicit nomini ejus, dat gloriam laudi ejus, » et dicit inter cætera : « Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea ; holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis. » Quæ omnia mystice significant combustionem vitiorum, purificationem spiritus, omnimodamque intentionem ad destructionem totius repugnantiæ, quasi arietum cornutorum, et totius excellentiæ quasi
C boum cornupetarum, et totius fœditatis malorum operum, quasi hircorum. Cum hujusmodi quippe holocaustis introitur in domum resurrectionis, in domum quam sapientissimus Salomon, id est Christus Filius Dei, per seipsum ædificavit, id est, immortalitatem et impassibilitatem, quam habent jam cœlestes spiritus, in quibus plenissime habitat majestas sanctæ Trinitatis, quo præcursor introivit per viam quam illi columba, id est, Spiritus sanctus demonstravit. Passus enim idem Christus, et resurgens a mortuis festivitatem sibi et nobis inchoavit hujusce dedicationis, tanquam caput corpori, et hanc fidem tenere atque in hac spe per dilectionem operari, hoc nimirum est legitime cantare canticum psalmi resurrectionis jamque stare cum cantico in illa dedicatione domus David.

D

CAPUT XIV.

Cur ab illa festivitate dedicationis, id est, a gloria resurrectionis Spiritus sanctus non in specie columbæ, sed in specie ignis apparuerit ; et de spiritu blasphemiæ, quod peccatum non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

Magnam quidem habet hæc dedicatio domus festivitatis jucunditatem, sed magnum nihilominus speciés, quæ exinde apparuit, debet incutere timorem et excitare sollicitudinem. Non enim hic in columbæ specie videndum se Spiritus sanctus exhibuit, sed in specie ignis super beatos apostolos ab illa domo processit (*Act.* II), mittente illo secundum virtutem

vel naturam divinitatis, quemadmodum dixit ad illos : « Si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI). » Quamobrem ergo non in specie columbæ, sed in specie ignis ? Attendant tantam diversitatem specierum istarum, scilicet columbæ et ignis, quicunque irreverenter istam, postquam dedicata est, aspicere audent domum Domini, qualibus ipse dixit : « Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII). » Attendant, inquam, qui ejusmodi sunt, imo quia tales attendere nolunt, attendamus nos quanta cum ratione tam diversas species, diversis temporibus exhibuerit apparens unus et idem Spiritus. Dicendum autem in primis, quid distet inter blasphemiam et spiritum blasphemiæ, quoniam dixit : « Blasphemia remittetur, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. » Blasphemia tantum, et non etiam spiritus blasphemiæ est, cum quis ignorans loquitur aliter quam se habet veritas, vel agit quidpiam contra justitiam, sicut exempli gratia : Saulus ignorans et errans agebat (*Act.* IX). Porro spiritus blasphemiæ est, ubi quispiam scienter et per invidiam veritati repugnat (*I Tim.* I), quod peccatum Judæorum est et hæreticorum, quos Apostolus vitandos esse denuntiat ; « Hæreticum, inquit, hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus (*Tit.* III). » Utriusque ergo reatus discretionem habens Spiritus sanctus non in specie ignis, sed in specie columbæ super Dominum Jesum apparuit ante glorificationem ejus, et econtra, non in specie columbæ, sed in specie ignis super apostolos post glorificationem ejus. Adhuc enim qui dicebant verbum contra Filium hominis, de ignorantia poterant excusari, at idcirco decebat agere eum, vel pati cuncta in spiritu mansuetudinis. Verbi gratia, ut non consentiret discipulis suis dicentibus : « Magister, vis dicamus ut descendat ignis de cœlo et **87** consumat eos ? » Sed diceret : « Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare (*Luc.* IX). » Amplius autem, ut diceret dum crucifigeretur : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*ibid.* XXIII). »

CAPUT XV.

Item de eodem Spiritus sancti judicio, cum illa Apostoli sententia : « Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccatis. »

Usque illuc patientia et mansuetudo Agni, quam columba significaverat circa vos, o oves domus Israel, ad quos missus venerat, unde et dicebat : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel (*Matth.* XV). » Ex tunc vobis peccantibus peccatum vestrum in spiritu blasphemiæ reputatur, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittatur. Jam enim non est vobis hostia, quippe quibus Filius

A Dei, cum esset agnus, in leonem conversus est, et Spiritus sanctus, qui ut columba visus fuerat, quasi ignis demonstratus est, quia non per ignorantiam delinquitis, sed voluntarie peccatis subversi et proprio judicio condemnati. Hinc est illud Apostoli : « Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios (*Hebr.* X). » Quomodo nobis, scilicet natura Judæis non relinquitur hostia pro peccatis, si voluntarie peccamus, id est, si vocem ejus audientes, et ex Scripturis eum cognoscentes, corda nostra obdurare voluerimus ? Nimirum taliter, ut nec hostia, sive sacrificium, nec locus sive templum remaneat, in
B quo sacrificetur. Sic enim et Danieli præmonstratum fuerat : « Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est, et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, subauditur Vespasiano sive Tito, « et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio (*Dan.* IX). » Et deficiet hostia sive sacrificium, et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio (*Luc.* XV). Ecce quomodo jam non relinquitur hostia pro peccatis voluntarie peccantibus, id est, dedicationem istam odientibus, et sacrificium unicum, quod in ea celebratur secundum evangelicam similitudinem illius senioris fratris, qui sciens intus celebrari convivium pro junioris fratris reversione, voluntarie foris stabat et nolebat introire. Quæ autem est
C illa quæ adhuc superest terribilis exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios? Non enim sola est illis pœna, quam receperunt jam in hoc sæculo, cadentes in ore gladii, et in omnes gentes ducti captivi. Quæ ergo illa est ? « Ignis, ait ipse Dominus, succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII). » Hæc eadem sententia est duplicis pœnæ in hoc dicto : « Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro ; » et juste, quia non habet excusationem de peccato suo quis voluntarie, id est, scienter peccans, et, ut ait Apostolus, Filium Dei conculcans, et sanguinem testamenti pollutum dicens, et spiritui gratiæ contumeliam faciens (*Hebr.* VI).

CAPUT XVI.

D *Quomodo psallere, et quid psallendo confiteri debeamus memoriæ sanctitatis ejus, et quod ipsa memoria missio sit Filii Dei dicentis apud Isaiam : « Antequam fierent, ibi eram, et nunc Dominus misit me et spiritus ejus. »*

Igitur quemadmodum dicit, ut supra memoravimus : « Psallite Domino sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus (*Psal.* XXIX), » cujus psalmi titulus : *Psalmus cantici in dedicatione domus David*, psallamus concorditer et confiteamur fideliter, tanquam filii resurrectionis, tanquam sacerdotes et levitæ hujus dedicationis. Quid psallemus, aut quid confitebimur ? quid psallendo et confitendo dicemus ? Nunquid hoc solum quod hic audivimus

eum dicentem : « Exaltabo te, Domine Pater, quoniam suscepisti me (*ibid.*) » dicentem : « Pater in manus tuas commendo spiritum meum ?»(*Luc.*xxiii.) Denique hoc et totus fere ejusdem psalmi textus humanitatis, sive humanæ naturæ voces sunt,cujus Deus et Dominus est, et Pater et Spiritus sanctus, et ipse qui illam sibi unitatem personæ assumpsit Filius.Altius psallimus et confitemur non aliud,sed idipsum quod ab ipso accepimus, quod locutus est ipse Propheta longe antequam in carne nasceretur : « Accedite, inquit, ad me et audite, hoc non a principio locutus sum in abscondito, ex tempore antequam fierent ibi eram, et nunc Dominus meus misit me, et Spiritus ejus (*Isa.* xlviii). » Altissima namque est hæc memoria sanctitatis ejus, cui necessario ad salutem nostram confiteamur,quia « ibi eram, » inquit,ex tempore cujuscunque meminisse potes, imo et « antequam fierent, » subauditur cœlum et terra.Præmiserat enim paulo ante :« Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos (*ibid.*), » sive ex tempore cujuscunque, videlicet, Adæ, Noe, vel Abrahæ,vel antequam fieret ipse Abraham, vel superiorum quispiam, ibi eram, et a principio locutus sum, non in abscondito, sed palam omni mundo, sive in Moyse, sive in prophetis ; imo et superius ad Abraham, sive ad Noe. Nihil enim abscondi eorum quæ futura erant, testante propheta : « Quia non faciet Dominus Deus verbum nisi revelaverit Dominus secretum suum ad servos prophetas (*Amos* iii). » — « Ibi, inquam, eram antequam fierent, et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus. » Dominus, inquam, Deus, Pater misit me, voluit enim me carnem induere, sive hominem assumere, qui ante sæcula secundum naturam divinam generavit me,de ventre matris meæ vocavit me,et iterum in Jordane unxit me et evangelizare pauperibus misit me. Et secundum illa prima, et secundum hæc novissima : « Psallite Domino, ut sitis sancti ejus, et memoria sanctitatis ejus (*Psal.* xxix). » Solemus basilicas martyrum appellare memorias eorum, pro eo quod ibi psallendo et confitendo memoramus martyria illorum. Bene ergo et hic memoriam sanctitatis Domini istam intelligimus domum,cujus dedicationem psalmus iste secundum præsentem titulum, quem supra scripsimus, intendit. Huic itaque memoriæ sanctitatis Domini recte confitemur, dum propter hoc opus memorabile, sanctum Dominum prædicamus, laudamus et benedicimus : sanctum Dominum Patrem qui Filium misit,sanctum Spiritum ejus qui Virginis uterum Filio præparavit. sanctum ipsum Filium qui in sanctitate sua hominem assumpsit. Et quis nisi voluntarie peccans, te, o beata Trinitas, in verbis istis non intelligit : » Et nunc Dominus misit me et spiritus ejus? Non ergo pars illis in dedicatione domus hujus,**88** sed foris sunt extra mensuram templi sive regulam fidei, et quamvis Christum confitendo,intus esse videantur, sicut plerique hæretici foris sunt et cum paganis reputantur,juxta illud : « Atrium autem quod foris templum est, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est Gentibus (*Apoc.* xi). »

CAPUT XVII

De processione Spiritus sancti juxta subsequens capitulum Isaiæ : » Non sitierunt in deserto cum educeret eos aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquæ et de voce exsultationis qua istud jubemur annuntiare.

Libet aliquantulum progredi pro tenore proposti, ut principio conveniens reddatur finis hujus operis de glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti. Ubi dixit : « Et nunc Dominus misit me et spiritus ejus, » paucis interpositis, ait : « In voce exsultationis annuntiate,auditum hoc facite,afferte illud usque ad extrema terræ. Dicite : Redemit Dominus servum suum Jacob. Non sitierunt in deserto cum educeret eos, aquam de petra produxit eis, et scidit petram et fluxerunt aquæ (*Isa.* xlviii). » Petra namque ista domus ipsa est,de qua loquebamur, templum Dominici corporis est, de cujus resurrectione sermo nobis habebatur.De quo et alius propheta : Vidi, inquit, aquam egredientem de templo a latere dextro (*Ezech.* xlvii), et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt. Et hic et illic, aqua singulari numero Spiritus sanctus est,ea gratia qua datur in remissionem peccatorum ; et aqua plurali numero idem spiritus est, ea gratia qua datur in divisiones gratiarum.Hujusmodi aquam sive aquas de petra, inquit, produxit eis (*Isa.* xlviii); quia Spiritus sanctus aqua viva, quam qui biberit, non sitiet unquam, sed « fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* iv) ; » nimirum ut de Patre, sic et de Filio procedit. Cujus in figura contigit, quod petra percussa in deserto, aquam sitienti populo dedit vel fudit (*Num.* xx). Unde et Apostolus : « Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus (*I Cor.* x). » — « Vox exsultationis, inquam ; annuntiate, inquit, et auditum hoc facite, afferte illud usque ad extrema terræ (*Isa.* xlviii). » Vox, inquam prædicatio est exsultationis Evangelii.Unde et nomen accepit ut vocaretur Evangelium, quod interpretatur *bonum nuntium*, quia veraciter magna exsultatio, magnum et verum in isto nuntio est gaudium, cujus videlicet, nuntii summa hæc est : Redemit Dominus populum.

CAPUT XVIII.

Quod hujus non manufactæ domus dedicatio fuerit illius veteris et manufactæ abdicatio, secundum illam Isaiæ visionem, qua clamantibus Seraphim : « Sanctus, sanctus,sanctus Dominus Deus, » domus impleta est fumo.

Tandem et illud sciendum,quia hujus non manufactæ domus dedicatio, illius manufactæ est abdicatio, quemadmodum et Apostolus testatur,dicens : « Reprobatio quidem est præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem (*Hebr.* vii). » Ipsam, quam dicimus abdicationem, fumus ille significabat, quem vidit Isaias : » Clamabant, in-

quit, seraphim alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantium, et domus impleta est fumo (*Isa.* VI). » Sic enim futurum erat, et sic factum est, quemadmodum hæc sacra prænotavit prophetia. Sedente Domino super solium excelsum et elevatum, id est, postquam Dominus Dei Filius ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei, quod nimirum solium est excelsum. Seraphim, quod interpretatur *ardentes* sive *intendentes*, ter sanctum Dominum clamaverunt, id est sancti apostoli afflati Spiritu sancto per speciem ignis, ut jam supradictum est, sanctam Trinitatem prædicaverunt, et ecce gloria prædicationis hujus, terra plena est. Et si sensus alius esse potest, nihilominus tamen hic verus est, et ad remmagis pertinet. Dicit enim in Evangelio suo Joannes : «Proterea non poterant credere (*Joan.* XII), quia iterum dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit eorum cor, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. » Statimque subjungitur : «Hæc dixit Isaias : Quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo (*Isa.* VI). » Ecce locus ubi hæc locutus est Isaias, imo Spiritus sanctus in Isaia. Ubi enim præmissum est, « et domus impleta est fumo. » Postmodum sic scriptum est : « Audite audientes me, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus audiat et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum (*ibid.*). » Ergo visio Domini sedentis super solium excelsum et elevatum, prophetia erat Dominicæ ascensionis in cœlum. Et quod dictum est : Ea quæ sub illo erant, implebant templum, idem est ac si diceretur : Et dona gratiarum, quæ dedit hominibus sicut scriptum est : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII) » impleverunt corda credentium qui et ipsi templum Dei sunt, propter Christum habitantem per fidem in cordibus eorum. Super hujusmodi templum seraphim stabant, id est, apostoli et prophetæ ex utroque testamento (*Ephes.* III), præeminentes principatum habent, idipsum sentientes de Trinitate, quæ est unus Deus, sicut sacræ illorum litteræ testantur, quod est alterum clamare ad alterum, et dicere : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus, » utriusque testamenti pagina, utraque scriptura prophetica et evangelica idem de uno Creatore consonat ; qui senario dierum numero creavit omnia, et in septimo sabbatizat, illud idem Sabbatum fidelibus suis, maximeque prædicatoribus veritatis largiturus, ut cum compleverit opera sua requiescant et ipsi « ab operibus suis, ait Apostolus, sicut et a suis Deus (*Hebr.* IV). » — « Sex ergo alæ et uni, et sex alteri (*Isa.* LXV). » Quot alis volabant, totidem volabant faciem ejus, et totidem, scilicet, velabant pedes ejus ; quia videlicet, quanta ex utroque Testamento sanctam Trinitatem testificantur intentione ; tanta et claritatem divinitatis Christi Filii Dei, et sacramentum humanitatis sive Incarnationis ejus abscondunt discretione, vel his qui non possunt capere, vel maxime his qui non possunt audire præ tormento invidiæ. « Commota sunt enim, ait, superliminaria cardinum a voce clamantium, et domus impleta est fumo. « Seditionem quippe excitaverunt principes et seniores populi Judæorum, et missos ad se prophetas sapientes et scribas, quosdam occiderunt, quosdam flagellaverunt, et de civitate in civitatem persecuti sunt (*Matth.* XXIII), et idcirco relicta est eis domus sua deserta, fumo impleta præ cæcitate cordis eorum abjecta. Compuncti sunt corde aliqui ex eis, et dixerunt ad apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? (*Act.* II). » Eorum in persona congrue dixit propheta : « Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi **89** polluta labia habentis ego habito, et Regem Dominum exercituum ego vidi oculis meis (*Isa.* VI). » Hoc enim fuit dicere unumquemque illorum : Væ mihi, quia clamando et consentiendo clamantibus : « Crucifige, crucifige (*Joan.* XIX), » labia mea pollui, et regem meum Christum, quem vidi oculis meis, qui venit in diebus meis, ut promissum fuerat in lege et prophetis, negavi ante faciem Pilati (*Matth.* XXVII). « Et volavit ad me, inquit, unus de seraphim, et in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum (*Isa.* VI). » — « Petrus namque ait ad illos : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti (*Act.* II). » Recte enim Petrus hic intelligitur unus de seraphim, ipse est enim apostolorum primus, et ipsi præ cæteris dictum est : « Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI). » Hoc est quod hic audimus : « In manu ejus calculus, » quia potestas ei data est præcipua post Christum, ut credentibus remissionem peccatorum operetur, quem videlicet calculum idem Spiritus sancti gloriam « forcipe tulerat de altari, » id est de majestate Christi, forcipe, inquam, id est, per egregiam fidem unius ejusdemque Dei et hominis Jesu Christi. « Et audivi, inquit, vocem Domini dicentis : Quem mittam, et quis ibit nobis ? (*Isa.* VI) » ac si dicere, et prophetas occiderunt, et persecuti sunt, et me prophetarum Dominum crucifixerunt. Post tot experimenta peccatorum eorum et duri cordis « quem mittam ? quis ibit nobis ? » Hic, o ter quaterque beate protomartyr Stephane (*Act.* VI), temetipsum obtulisti spontanea fide, fidelissima spe, gratiosa charitate, et dixisti : Ecce ego, mitte me. Neque jussus aut missus ab homine, vel per hominem, sed per Spiritus sancti plenitudinem faciebas prodigia et signa magna

in populo, ipsos beatos apostolos præveniens in prælio, primusque in Evangelio Christi martyr, et secundum nomen tuum coronatus victor obdormivisti in Domino.

CAPUT XIX.

De eo quod scriptum est in laudibus mulieris fortis, id est, sanctæ fidei, « vir ejus laudavit eam, » et « date ei de fructu manuum suarum. »

Ecce, o beata Trinitas, nomen tuum juxta propositum pro posse glorificavimus, et tuam, o sancte Spiritus, processionem, ecce prout ipse dedisti voce et litteris prosecuti sumus. Quid dabis præmii? Audemus enim nos, non autem ex nobis, sed audet in nobis mulier fortis prospicere pretium suum procul, et advocare de ultimis finibus. Quæ est illa mulier fortis? Nonne fides, per quam Abraham tibi complacuit, et omnis electorum multitudo sic est
A amica conjuncta tibi uni Deo, quemadmodum uxor sive dilecta viro suo? Ipsa in nobis audet, et nos per ipsam audemus, quia non aliunde, sed ex ipsa justi sumus, et ex ipsa vivimus. Ecce hic quoque, ecce in nobis « os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus, et panem otiosa non comedit (*Prov.* XXXI). » Surgant igitur filii ejus, et beatissimam prædicent eam, et vir ejus Christus laudet eam, neque per hoc minus laudabilis habetur, quia nos secundum miseram conditionem fragiles sumus, magno quoque Apostolo dicente : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV). » Ubi surgant et beatissimam prædicent eam filii ejus? Ubi laudet eam vir ejus? In portis, in exitu vitæ præsentis secundum edictum Sapientiæ, quod hic habemus : » Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus (*Prov.* XXXI). »

EPISTOLA RUPERTI NUNCUPATORIA

AD CUNONEM

(Deest in editionibus Coloniensibus anni 1533, 1566, 1577, 1598, 1602, in editione Parisiensi 1638, Veneta 1749 ; exstat in editione Operum Ruperti, anno 1526, curante Cochlæo, data Coloniæ, apud Franciscum Birchmann, 2 vol. fol. ; legitur præterea Commentariis in Joannem præfixa, qui seorsim prodierunt anno 1526 Norimbergæ, apud Joannem Petreium, 8°. — Hanc nobis ex editione Norimbergensi exscriptam transmisit D. Henricus Denzinger, in universitate Herbipolensi theologiæ professor.)

Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar (*Psal.* LXXVI). Pater mi, Cuno venerande, et memoria digne abba cœnobii Sigebergensis, et meditationis atque exercitationis fructus iste videbatur esse, ut scriberem. Ecce autem hoc ipsum quod scripsi quasi fulgor flammæ factum est mihi et latere me non sinit, longeque dispares hominum diversorum oculos in me convertit. Illis, quorum forte oculi in zelo malo lippiunt et fraternæ charitatis nesciunt collyrium, omnia nigra et obscura sunt. Eis autem, qui oculos ex benevolentia lucidos habent, quorum tu, Pater, mihi optimus es, cuncta, quæ scriptito, sicut ex te et ex ipsis audio, candida et bona sunt. Tibi itaque tuisque similibus nunc anima mea pro causa et conscientia sua illud recitat, quod de pressuris suis sancta dicit Ecclesia : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* (*Cant.* I). Quid enim nigrius, quid tabernaculis Cedar similius, quam illa præsumptionis vanitas, qua elatum me ad scribendum prosiluisse auspicantur? Nam quia vox Christianæ legis et organum catholicæ fidei, Pater Augustinus, vocali atque dulci Evangelium Joannis tractatu declamavit, reprehensionem vel derogationem illius esse somniant, quod idem Evangelium, id est ipsum Dei verbum, post tantum doctorem ruminare præsumpsi, multumque indignantur quasi novo homini, quod antiquæ nobilitati inserere vel etiam præferre per superbiæ spiritum ausus sim. Ego autem testem me habere confido Deum in animam meam, quia, ut hoc facerem, ut post talem tantumque catholicæ pacis adjutorem tam altum tamque divinum proprio sermone tractarem Evangelium, illa me causa impulit, quia *memor fui Dei et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI). Nam *ut ab humano die* judicarer aut cognoscerer, *mihi*, ut puto, *pro minimo* erat (*I Cor.* IV). Illi autem, quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, nisi quod aliqui ex eis, dum volunt sacramentum corporis et sanguinis Domini solummodo signum esse sacræ rei juxta errorem quondam Berengarii Turonensis, etiam dictum B. Augustinum ita sentire putant, quod omnino falsum est. Ego autem verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, et verum esse decerto sanguinem, qui pro nobis fusus est, sicut Ecclesia catholica tenet. Hoc quia probare conati sunt, beato me derogare Augustino contra illum sentiendo, quem in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malo sensu diripiendo. Verum hoc jam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, universa sciente Ecclesia catholica, quia verum corpus et verus sanguis Christi est. Aliud est, quod pro magno criminis argumento in me jactitant, quia dubitare ausus fui de Juda proditore, utrum ejusdem sacramenti communioni interfuisset, sicut idem Pater Augustinus asserit, an non interfuisse, sed jam exisse putandus sit, sicut S. Hilarius constanter affirmat. Hæc est illa, o Pater mi, et o vos omnes filiæ Jerusalem,

hæc est illa nigredo mea, qua in oculis eorum *nigra sum*, inquit anima mea, *sicut tabernacula Cedar*. Aiunt me, arrogantem et incredibiliter elatum, nullum pati vivere probum clericum (quo nomine designari mos est cujuscunque ordinis vel habitus valenter litteratum), nullum ejusmodi sinere, quin illum arguam esse hæreticum. Hoc nimirum est esse vel dici nigrum sicut tabernaculum Cedar, de quo scriptum est: *Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.* (*Gen.* XVI.) Quid facerem, Pater? Ille mihi veritatem corporis et sanguinis Domini auferre contendebat, hic, alius doctorum nostrorum scripta cur æque ut prophetarum et apostolorum Scripturas canonicæ auctoritatis esse non dicerem, ingenti odio accusabat. Alius vero Deum velle malum prædicabat, idemque et alii nonnulli hominem Christum, *hominem novum qui secundum Deum creatus est* (*II Ephes.* IV), et in unitatem personæ cum Deo verbo assumptus est, quippe ante passionem non solum Patre, verum etiam angelis suis secundum humanitatem minor erat (*Psal.* VIII), nullo modo ad æqualitatem Dei pervenisse contendebant. De quibus omnibus in illis apologeticis meis sufficienter enarravi, quos ante hæc ad scholasticos ecclesiasticæ scientiæ et fidei scripsi, te, o abbatum dignissime, atque ipsis testibus et conscius quia verissima retuli. Quid igitur facerem, nisi e regione istorum omnium tabernacula figerem eorumque odia gratuita pace ipsorum potiora ducerem? Gratis me impugnent et tabernacula mea sicut Cedar nigra esse dictitent, superabit tandem veritas, in cujus ore candido judicium meum repositum est, quod potius formosa sit secundum fidem et intentionem anima mea *sicut pelles Salomonis*, quas ille de mortuis animalibus extendit, de illis qui vi persecutionum propter justitiam sunt mortificati (*Hebr.* XI). Breviter nunc tibi pando, quod vel quomodo sentiens de vivifico corporis et sanguinis Domini sacramento tractaverim illa ejusdem Domini verba, quibus sacramentum illud commendat, quoniam causarum supradictarum prima hæc erat: Tribus essentiæ modis corpus et sanguis Christi est, quarto autem differt. Est etenim nomine, re atque effectu; differt vero specie. Est, inquam, nomine, quia summus cælorum pontifex, qui cum sit ipsa veritas, nomina non vana rebus ponere solet, adeo fortiter nomen hoc impressit, ut non saltem diceret: Hoc vocetur corpus meum, hoc vocetur sanguis meus, sed *Hoc est*, inquit, *corpus meum, hic est sanguis meus* (*Matth.* XXVI). Est etiam re, quia nimirum Sanctum sanctorum est, quam vere in illa specie, qua traditus et lanceatus est, ipse Sanctus sanctorum est. Est nihilominus effecta, quia, quam vere in illa specie, qua pependit in cruce, remissionem peccatorum operatus est omnibus qui illum exspectaverant ab origine mundi cum fide, sive legalibus sacramentis fidei omnibus, a justo Abel usque ad latronem, quem in cruce confitentem suscepit: tam vere in istis speciebus panis et vini eamdem operatur remissionem peccatorum omnibus qui ingressi sunt vel ingrediuntur ad eamdem fidem, postquam illa species hinc transivit et sese in cælum recepit. Quanto idem specie differt, quod et plurimum prodest, non modo ne color aut sapor sanguinis humani horrorem sumentibus ullum faciat, sed et ut competenti antidoto nimia parentum nostrorum curetur credulitas. Crediderunt enim deceptori diabolo in eo quod non videbant, scilicet, quod illi ligno consequendæ divinitatis effectiva virtus inesset, et mortui comedentes sunt. Credamus econtra fideli salvatori Deo in eo quod non videmus, scilicet panem et vinum in veram corporis et sanguinis transisse substantiam et comedentes atque bibentes vivamus in æternum.

[90] PROLOGUS RUPERTI
IN EVANGELIUM JOANNIS.

Discipulus quem diligebat Jesus, qui et recubuit in cœna super pectus ejus (*Joan.* XXI), *verum eidem dilectori suo testimonium perhibet in Evangelio suo, quod sit Christus Filius Dei, id est, quod non tantum homo, in fine sæculorum natus ex utero Virginis, sed ante omnia sæcula, Deus ex Deo Patre generatus sit. Et omnis quidem divina Scriptura, divinitus inspirata, testimonium perhibet huic veritati, sed hujus maxime hoc propositum esse, tam causa quam ipse textus operis manifeste defendit. Causa videlicet, quia misso illo in exsilium a Domitiano (qui secundus post Neronem Christianorum persecutor exstitit) irruperant in Ecclesiam hæretici, quasi in destituta Pastore ovilia lupi Marcion, Cerinthus et Ebion, cæterique Antichristi, qui Christum fuisse negantes ante Mariam, simplicitatem evangelicæ fidei, perversa maculavere* A *doctrina. Et inde compulsus ab omnibus pene tunc Asiæ episcopis, et indicto omnibus jejunio. Dominum precatus, ac sancti Spiritus gratia inebriatus, hoc Evangelium scripsit, qui omnes hæreticorum tenebras, patefacta subito veritatis luce, dispulit. Textus vero operis, quia videlicet, talis omnino est, qualem legitimi postulat ordo testimonii. Nam ascito secum teste alio, non minus idoneo, scilicet, Joanne Baptista, ut sint testes duo. Non enim minus quam* in ore duorum testium stabit omne verbum (*Deut.* XIX). *Ascito ergo Joanne, qui venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, dicta, tam illius quam sua, frequenter appellat testimonium, dicens de semetipso in fine omnium:* Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium ejus (*Joan.* XXI). *Testis*

itaque Filii Dei singularis hic est atque præcipuus qui in publico cœli et terræ auditorio, cum ageretur non tam de terminis aut legibus regni quam de ipsis natalibus regis nostri, testibus aliis defessis, et a clamore contradicentium violenter oppressis, repente in medium prosilivit, et magno vocis evangelicæ tonitru, verbique coruscantis fulmine, omne concilium vanitatis cunctamque Ecclesiam malignantium ubique terrarum perterruit ac dissipavit ; aperte protestans de illo quod Filius unicus et consubstantialis, ac per hoc, hæres legitimus Patris æterni sit. Nostræ autem, id est, pupillorum omnium, quos ille hæredes suos testamento æterno, per suum sanguinem conscripsit, nostræ nimirum spei, quæ periclitabatur tantis adversariorum derogationibus, testimonium hoc magnifice suffragatur. Quid enim? quomodo ratum erit testamentum (*Hebr.* IX), *quo cœlestem nobis hæreditatem legavit, si legitimus ipse possessor cœli non fuit? quomodo autem cœlum ejus possessio fuit, si ipse de cœlo non venit, sed a Maria initium sumpsit? Opportune ergo nostræ, ut dictum est, spei fidus hic Testis subvenit, dum ingenui testatoris antiqua jura proloquens, non solum cœlum, sed et* omnia quæ sunt, *ejus esse, imo* omnia per ipsum facta, et sine ipso nihil factum (*Joan.* I) *esse definit. Nobis igitur, qui testantes Filium Dei, Scripturas testamur, et* in via testimoniorum ejus delectamur, sicut in omnibus divitiis (*Psal.* CXVIII). *nobis omnibus hoc præcipue testimonium scrutandum, et in toto corde exquirendum est : hoc tota anima concupiscendum, atque super aurum et topazion diligendum est. Nam si evangelici negotiatores sumus, et* bonas margaritas *quærimus, ecce* una pretiosa margarita inventa *est* (*Matth.* XIII). *Ubi enim ulla, quæ majoris pretii sit, reperiri potest? Hanc animarum verus amator Deus, dilectæ Joannis animæ, pro monumento dilectionis præcipuæ, fixit in pectore. Ut verbum, quod Maria Virgo sola protulit in carne, ipsum hujus socia virginitas, præ omnibus sanctis, viva mortalibus promeret voce. Danda ergo sunt omnia, ut hæc sola margarita comparari queat, omnesque carnalium sordes affectuum, ab oculis cordis abstergendæ sunt eis, qui in schola Christi venerabilibus student litteris : ut hanc aliquatenus valeant aquilam prosequi, quam cordis munditia juvit, ut claritatem solis æterni plus cæteris divinæ visionis animalibus, irreverberata possint mentis acie contem-*

A *plari. Nam de eo, qui per munditiæ viam ad veram tendit sapientiam, loquitur Dominus per Isaiam :* Iste in excelsis habitabit munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe (*Isa.* XXXIII). *Imo, quod ad evidentius attinet, hic, sicut ad beatum Job, aliis quidem verbis, sed eodem sensu dictum est ;* Ad præceptum Domini elevabitur, ut aquila in arduis ponet nidum suum, in petris manet, et in præruptis silicibus commoratur atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, oculi ejus de longe prospiciunt (*Job.* XXXIX). *Et quidem, hæc omnia Joannes, hujus Verbi ac sempiterni principii contemplator excelsus, magnifice assecutus est. Qui videlicet elevatus est ut*
B *aquila, apertis intendens oculos in Divinitatis radios, et in arduis posuit nidum suum, id est, æterni hujus Evangelii sui munimentum in petris mansit, id est in soliditate veritatis. Atque inde contemplatus est escam, scilicet illam quam et attingere meruit, hujus Verbi sempiterni gloriam. Attamen, sicut supradictum est : Oculi ejus cernent terram de longe, ita et hic inquit :* Oculi ejus de longe prospiciunt. *Quia videlicet, sic quoque elevata hæc aquila, nec dum per speciem, sed* per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII) *videt Deum. Nunc enim, inquit,* filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus (*Joan.* III). *Licet autem* pulli ejus lambunt sanguinem (*Job.* XXXIX), *id est, auditores ejus cognito tantum crucifixi Domini cruore satientur, eo quod Divinitatis arcana percipere nequeant ; non tamen omnino jure reprehenditur, quod*
C *tantæ aquilæ volatum aliquatenus prospicere conamur. Nam et pulli idcirco in nido suo aluntur, ut post matrem suam quandoque ad eamdem evolent escam. Igitur alta mysteria, quæ in hoc splendore Evangelii, velut grandis aquila, pervolavit magnus doctor Augustinus, nos eadem quidem via, sed non omnino eisdem vestigiis subsequi enitemur. Nam ille quidem alta montium pervolat cacumina ; nos interdum et circa radices imas occupabimur. Ille præcelsæ arboris superiora quæque poma carpere festinat ; nos terræ quoque proximos, quos parvulis reliquit, attingere conabimur evangelicæ litteræ ramusculos. Ut, quia grandioribus in alta mysteriorum explanatione satisfactum est, nunc parvis, id est, nostri similibus, continuatio*
D *quoque litteræ subveniat.*

R. D. D. RUPERTI
ABBATIS TUITIENSIS
IN EVANGELIUM S. JOANNIS COMMENTARIORUM
LIBRI XIV.

LIBER PRIMUS

91 « In principio erat Verbum. » Ecce « Veritas quæ de terra orta est (*Psal.* LXXXIV), » carnem de Virgine assumens, ut nos a diabolo liberaret, eadem de virginali Joannis anima generatur : vocem corpoream

induens, ut pro nobis contra omnem hæreticam pravitatem dimicet. (A) Qui enim de corde suo « verbum bonum eructavit (*Psal.* XLIV) » in uterum virginis, ut Deus invisibilis, visibilis et verus homo fieret; ipse castis complexibus suis ascitam dilecti Joannis animam eodem Verbo imprægnavit, ut verbum ineffabile, per vocem litteramque ejus, audibile et intelligibile procederet. Ait ergo; « In principio erat Verbum. » Itaque non recentem adoramus Dominum, sicut Cerinthus, Marcion atque Ebion cæterique Antichristi mentiti sunt, falsum quippe est quod dixerunt ante Mariam non exstitisse Christum. Christus enim, qui nunc homo est in fine sæculorum, in principio et ante sæcula erat Verbum. Non erat totum, quod nunc est, scilicet caro et verbum, sed erat tantummodo (B) Verbum. Nunc geminæ gigas substantiæ duplicisque operationis una persona est: in principio autem, unius substantiæ uniusque operationis Verbum erat. Christus igitur ante Mariam erat, quia, « in principio Verbum erat. » Verbum autem hic, non pueriliter, id est, juxta etymologiam nominis, accipiendum est, scilicet sicut apud Donatum pueri accepimus verbum dici, eo quod verberato aere plectroque linguæ formetur. Nam verbum ejusmodi per aerem sonando transit. « Verbum autem, » quod in principio scilicet ante ipsum aerem et ante omnia quæ fecta sunt, erat, « manet in æternum (*Isa.* XL). » Hoc etenim Verbum ratio perpetua est, sapientia sempiterna est, intellectus incomprehensibilis est, (C) veritas incommutabilis est. Cum autem apud nos, tam de articulata voce, quam de tacito animi consilio verbum æquivoce prædicetur, cur non ipsa ratio sempiterna recte Verbum dicatur; unde nobis inest rationalitas, id est universa, quæ nobis suppetit, verba faciendi facultas. « Nolite ergo pueri effici sensibus, » inquit Apostolus (*I Cor.* XIV). Quia Verbum, etsi non aereum, id est, verberato aere formatum; Verbum, inquam, etsi non affectivum, ut verba nostra sunt, aut [*alas* at] substantiale, inquam, Christus « in principio erat Verbum. » Ubi autem erat hoc Verbum? Quis erat locus ejus? « Nescit homo pretium ejus, » sicut per beatum Job dicitur (*Job.* XXVIII): revelante autem Spiritu, paulatim cognoscitur per ea quæ sequuntur, et primum per id quod quasi (D) locus ejus, ubi jam tunc in principio fuerit, ostenditur, cum subditur: « Et Verbum erat apud Deum. » Ecce sagittæ Domini istæ sunt, quarum in luce imus; hæc fulgurans ejus hasta est, cujus in splendore gradimur, sicut ei per prophetam dictum est: « In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ (*Habac.* III). » Nam ejus sententiæ sagitta, quam primum jecit, eos omnes hæreticos confixit, qui diversis quidem blasphemiis, sed pari spiritu malignitatis, Christum ante Mariam sicut jam dictum est fuisse negabant. Hac autem sequenti, Patripassianos percutit, qui Trinitatem abnegantes, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unam tantum, non tres esse personas asserebant. Ait enim evidenter: « Et verbum erat apud Deum. » Ut de personis non dubites, dum alteram audis esse vel fuisse apud alteram: magnifice hujus Verbi dignitatem apud alteram: magnifice hujus Verbi dignitatem insinuat, dicendo: « Erat apud Deum. » Nam « apud Deum erat, » quid est, nisi in magno erat honore, in summa dignitate, in magna dilectione? « Erat apud Deum, » sed non, quemadmodum apud divitem aurum suum. Nam apud divitem aurum est in arca, non in ipsius substantia misera atque vitiosa, fortassis et leprosa. Erat autem apud Deum quomodo apud sapientem sapientia, apud fortem fortitudo. Nam per beatum Job dicitur: « Apud ipsum est sapientia et fortitudo (*Job.* XII). » Aurum divitis, in marsupio ejus. Verbum Dei in corde ejus. Vere ergo Verbum erat apud Deum. Jam vero, sicut personas distinxit, dicendo: « Et Verbum erat apud Deum; » sic econtra substantiam conjungit, subdendo: « Et Deus erat Verbum. » Substantiam quippe breviter unam esse testatus est in duabus personis, Dei et Verbi sui. Quod ægre ferunt Sabelliani, moleste accipiunt Ariani. Nam illi quidem, id est Sabelliani, mallent ut dixisset, Dei et Verbi sui, sicut unam substantiam, sic unam eamdemque esse personam: isti autem, **92** id est Ariani, sicut duas personas, ita nihilominus duas ac diversas vellent eum expressisse substantias. Solum enim Patrem esse Deum vel Creatorem; Filium vero, creaturam esse volunt, licet magnam atque excellentem. Sed veritas præsentis testimonii, tanquam vox fulgurantis tonitrui, verberat utrinque terram, id est, utrarumque partium cauteriatam æque confundit conscientiam (*I Thim.* IV). Exsultent igitur Homousiani, id est, confessores consubstantialitatis, neque confundentes personas, neque substantiam separantes; scilicet, duas quidem personas, sed unam Patris et Verbi substantiam, cum tanti testis suffragatione, confidentes. « Deus » enim, inquit, « erat Verbum. » Protinus una sententia perpulchre complectitur cuncta, duæ in tribus jam dictis expressit propositionibus. « Hoc, inquit, erat in principio apud Deum. » Quid tandem provenit ex eo quod Verbum erat apud Deum? vel cur non maluit Evangelista dicere: Erat in Deo Verbum, sed ait, imo et secundo repetivit: « Erat apud Deum? Hac » enim positiuncula, significat magnum aliquod se intendere negotium. Nam et nos quoties ita loquentes dicimus, personam aliquam apud aliam essa personam, in eo proprietas locutionis est, si significare velimus certum aliquod interesse negotium. Quid ergo inter utrumque, mediante utriusque bonitate, convenit? Sequitur: « Omnia per ipsum facta sunt. » Hoc plane propter utriusque bonitatem, quæ est Spiritus sanctus, effectum est. Nam, si quæras: quis

omnia fecerit? respondebitur: Deus. Si quæras: per A quid? ecce habes: per ipsum, scilicet Verbum. Si interrogas: quare? respondetur: quia bonus est. Et hæc tota Trinitas est. « Omnia, inquit, per ipsum facta sunt. » O quanta laude, quanta veneratione dignum est hoc verbum per quod omnia facta sunt! Benevoli spectatores levant oculos cordis et corporis, ad pulchritudinem eorum quæ facta sunt, visibilium et invisibilium, et attente considerantes corde et ore conclamant: Magnum atque pulchrum esse artificis Dei ingenium, quod non est aliud, nisi hoc Verbum, per quod tanta, tam pulchra facta sunt: « Per ipsum enim omnia facta sunt. » Nam et alia Scriptura testatur: « Quia ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt. (*Psal.* XXXII), » scilicet ea, quæ ad laudem Creatoris invitabant: omnes an- B geli ejus, omnes virtutes ejus, sol et luna, stellæ et lumen, cœli cœlorum, et omnia quæ in eis sunt; terra, et omnia quæ in ea sunt; mare, et omnia quæ in eo sunt (*Psal.* CXLVIII). Dixit ipse, ut alia quoque Scriptura testis est: « Fiat lux et facta est lux; dixit: Fiat firmamentum, et factum est (*Genes.* I); » dixit et de singulis cæterorum: Fiat, et facta sunt; per Verbum ergo facta sunt, quia dicendo facta sunt. Dicendo autem non elementali sono, vel voce corporea (Deus enim spiritus est), sed eo modo loquendi, quo anima tua, quicunque es homo, quam ille fecit ad imaginem suam, tacitam, quum libet, format loquelam.

Attende quicunque filius lucis es, et sicut telas aranearum, ea contemne, quæ filii noctis, id est C philosophi hujus sæculi, somniarunt. Dixerunt enim materiam ex qua cuncta fierent (quam etiam appellaverunt *Hylen*) non a Deo creatam, sed Deo fuisse consempiternam; qua Deus sit usus, ut artifex ligno utitur, dum mundum istum conderet sibi coæternum. Qui etiam formulas fuisse finxerunt, quas dicunt *Ideas*, quibus intendens, ad earum cuncta faceret imitationem. Hæc ergo contemne. Verbi æterni cultor et agnitor. Quia non sic habet veritas, sed « omnia per ipsum facta sunt, » et in hoc principio, id est, in hoc Verbo, creavit Deus cœlum et terram, et omnia, quæ in eis sunt. Igitur ab eo quod infirmum est Dei, a nativitate carnis, ab angustiis præsepis, ab omni conditione mortalitatis, leva sursum oculos mentis supra Mariam (quæ, et ipsa sine dubio per ipsum infer omnia facta est) et ex eo quod « omnia D per ipsum facta sunt, » antiquitatem Christi, majestatem Verbi Dei, fideliter æstima, quisquis nondum audita, vel intellecta veritate tanti Testis, Christum ante Mariam non exstitisse suspicabaris. Quia quanta intentione dixerit, « omnia per ipsum subsunt, » acri repetitione protinus inculcat, cum subjungit: « Et sine ipso factum est nihil. » — « Nihil, » inquit, « sine ipso factum est, » nulla natura, nulla substantia, nulla omnino, quamlibet mala. Nulla enim mala per naturam; nulla nisi per accedentem malitiam. Nam et diabolus per vitium quidem malus est, sed substantia ejus, per naturam mala non est. Explosa ergo est fabula Manichæorum de malo principio, vel de tota, nescio qua, gente tenebrarum. Quia, sicut jam dictum est, « omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Sequitur:

« Quod factum est, in ipso vita erat. » Adhuc nihilominus molesti veritatis interpellatores urgere solent, maxime hi, qui mundum Deo coæternum, ut jam dictum est, fuisse suspicati sunt, et dicere: Cur nova Deo voluntas incidit? cur novum consilium iniit? Nam si post infinitas æternitatis suæ moras, fecit quandoque mundum, nova voluntas est, novumque consilium, satisque hoc evidens est mutabilitatis ejus indicium. Item, si constat ante Mariam exstitisse Christum, et « omnia per ipsum facta sunt, » unde nova voluntas, ut post tot annorum millia, veniret ad reparationem hominum? Imo, si cum faceret mundum, et formaret protoplastum, salvum voluit esse genus humanum, cur non providit, vel præcavit, ne incurreret perditionis naufragium? Nam alterum quidem mutabilitatis, alterum imprudentiæ potest argui. Has quoque partes contentionis adversæ, veritas undique oculata, tanquam renascentia succidit hydræ capita: subjungendo (sicut sapientiæ majestatem decet) tranquille ac breviter: « Quod factum est, in ipso vita erat. » Sensus iste est: Quidquid factum est, antequam fieret, in ipsius erat præscientia, quæ videlicet præscientia non est aliud quam vita. Divinitati namque non est aliud vivere, aliud scire; nec aliud est in Deo, vivens sapientia quam sapiens vita. Aliter autem est in anima: nam vivit quidem substantialiter, sapit autem accidentaliter, Deus vero tam vivit quam sapit substantialiter; nihil enim accidentium in Divinitatem cadere potest. Igitur vita, id est, vitalis omnium, quæ facturus erat, jam in ipso erat a principio scientia. Verum est, probabile est, necessarium est. Nam, unde hoc habet anima rationalis, ut cum fabrili vel architectonica quidpiam componendum est structura, prius totum illud apud se intus videat in arte quam foris exhibeat in opere? Si enim arcam, vel amplæ domus fabricam struere velit, ejus apud se prius versat imaginem: jamque mens et cogitatio talis est, qualis postmodum materialis situs operis visendus est. Recte ergo dicas; Quia quod faciendum est, jam in mente artificis vita est. Unde, quæso, hoc habet anima rationalis, nisi quia creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum? Imago autem Dei, splendorque, ut ait Apostolus (*Hebr.* I), et figura substantiæ ejus est hoc Verbum, hic Filius de Deus, figura videlicet per similitudinem dictus. Quia Pater cum hoc Verbo sic unus est Deus, sicut aurum vel ebur, et imago regis in eo, sigillum unum esse dignoscitur. Nec vero secundum exteriorem hominem, 93 sicut humaniformii suspicati sunt, sed secundum interiorem nos hac figura signati sumus. Unde et rationales, id est, doctrinæ vel disciplinæ perceptibiles sumus. Si ergo tam pulchra sunt ra-

tionis lineamenta in ea quæ formata est, anima, quam clara quam certa est ipsa Ratio divina? quæ non est formata, sed ipsa forma. Si ideo viviciter artis suæ compos es umbra, nonne multo magis in præcepto vel opere suo provida et constans est ipsa Veritas? Plane incomparabiliter constantius atque perfectius omnium, quæ facienda erant, in hoc Verbo vivebat ordo vel natura. Nec solum noverat ab initio quæ vel qualiter omnia conderet suoque statu singula disponeret, sed etiam quædam perdita, qualiter statum gloriam recuperaret. Inde est, quod suum certum servat omnis natura cursum, nihilque sit sub sole novum (*Eccle.* I). Quia videlicet semel de immutabili voluntate posuit præceptum, semel et « simul omnia creavit, qui vivit in æternum (*Eccle.* XVIII). » Sic omnino insuperabilis manet altitudo divini consilii, quod habuit super salutem generis humani. Nec enim electos alios vocavit, justificavit et magnificavit, quam quos ante sæcula præscivit et prædestinavit (*Rom.* VIII); neque tanquam præventus aut circumventus a diabolo, novum aliquid excogitavit, quando hoc Verbum misit incarnari, sed sic præfinitum est, sic omnino, quia pulchrum et speciosum erat, ante Patrem complacitum est; ut inter inimicitias adversantis diaboli, semper in melius saluti nostræ prospiciens, usque ad summum suæ dispositionis beneficientia divina perveniret. Quid ergo impotentiæ vel temeritatis Deum arguis, hæretica temeritas? Quod factum est, hic subdistingue, ac deinde subinfer: « In ipso, » scilicet Verbo, « vita erat. » Vel certe, ut jam secundum Scripturam aliam loquar, quod factum est, spectabilis atque deliciosus coram sapientiæ suæ Deo ludus erat. Sic enim dicit ipsa, quæ est hoc Dei Verbum, Sapientia: « Dominus possedit me ab initio viarum, antequam quidquam faceret a principio, et ab æterno ordinata sum. » Et post pauca: « Et delectabar, inquit, per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; et deliciæ meæ, esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII). » Ludus iste ineffabilis est divinæ bonitatis jucunditas, qua jam Creator, antequam quidquam faceret delectabatur in Verbo suo, in sapientia sua. Magna sunt hæc, alta sunt hæc. Et horum quidem sensuum majestas mortalium oculos, velut claritas solis, reverberat. Attamen eorumdem similitudo nonnullam, tanquam solis imago, quæ perspici possit in aqua, nostræ naturæ subrutilat, verbi gratia: Ecce musicus instrumenta quælibet ex arte componit: certisque ac sibimet cognitis dimensa numeris, vocum intervalla discriminans, flatu vel pulsu, concitatum sonum inanimatæ rei, rationem sibi insitam imitari compellit. Quid ergo? nonne antequam instrumenta componeret, aderat ludens in monte et voce ejus musica? ludens in diversas vel distinctione modorum; et deliciæ ejus multorum suavitate cantuum? Una fuerat, una nihilominus et nunc est musica, nihilque crescit aut se multiplicat, quamlibet multas ad canendum voluptas cantoris comportet citharas. In hoc, ut dictum est, nonnulla similitudo est. Nam quid sumus nos, nisi magni musici Dei, quasi jam instrumenta? Unde et in citharis et in organis (*Psal.* CL), quæ profecto corda et corpora nostra sunt, Dominum laudare jubemur. Ipse quoque Dominus noster, musicum Dei Patris maxime instrumentum est: cui dicit idem Pater, dum secundum corpus in sepulcro jacet: « Exsurge, gloria mea; exsurge psalterium et cithara (*Psal.* LVII). » Imo totus mundus divinæ laudis instrumentum est, licet solus homo vel angelus laudem Dei decantare sciat: sicut in citharis, sola chorda, sed non sine ligno, modum cantilenæ personat. Igitur, quemadmodum natura musicæ in anima musici vita est, quam instrumento ars imitata est, sic totius mundi compositio, quæ, ut jam dictum est, divinæ laudis instrumentum est priusquam fieret, in hoc Verbo vita erat, de qua et subditur: « Et vita erat lux hominum. » Hæc, inquit, vita, quæ erat hoc Verbum per quod omnia facta sunt, hæc ratio sempiterna, lux est hominum, scilicet optimæ partis omnium, quæ facta sunt, quia videlicet solam in hoc visibili mundo illuminat humanam naturam, id est, cum super omnia quæ facta sunt, luceat, suam ipsius imaginem in sola exprimit hominis anima. Omnium enim quæ facta sunt, alia quidem sunt, ut lapides; alia et sunt et vivunt, ut arbores; alia vero sunt, et vivunt, et sentiunt, ut pecora. Homo autem post angelum solus in hoc honore est positus, quod ad quærendum et inveniendum Creatorem suum factus est idoneus. Ergo quod ait: Vita hæc erat, vel est lux hominum, tale est ac si diceret: Rationalitatis lucem soli impertita est naturæ hominum. Quod cum ita sit, potuit dicere: Et sic vita erat angelorum pariter et hominum. Utramque enim naturam, scilicet angelicam pariter et humanam, splendidæ rationis nobilitas illustravit; quam exinde percepimus, quod, ut supradictum est, fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam. Verum non angelis sed solis hominibus Evangelium scribitur, nec enim propter angelos, sed propter homines tantum venit Christus, quem qui non receperunt, in hoc maxime Evangelio, et in cæteris apostolorum dictis arguuntur, arguente per illos sancto Spiritu, juxta quod de illo loquens ipse Christus: « Ille, inquit, arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me (*Joan.* XVI). » Bene ergo dictum est nunc, lux hominum tantum. Nam de angelis ad præsens non pertinet negotium. Et lux hominum, universaliter dictum est, id est, bonorum pariter et malorum. Quia videlicet æque, tam boni quam mali, in hoc lucent, quod rationales sunt. Nam, licet homo malus peccando obtenebretur fiatque noctis atque tenebrum filius: non tamen ea, qua pecora præcellit, rationis luce privatur. Est et alia lux (*I Thes.* V), quæ per malitiæ tenebras potuit vel potest amitti; scilicet, gloria similitudinis Dei. Fecit enim Deus hominem, non solum ad imaginem, sed etiam ad similitudinem suam. Ad imaginem videlicet, in eo, quod rationalem et æternum;

ad similitudinem vero, in eo quod suæ bonitatis imitatorem fecit eum. Et hanc quidem similitudinis Dei lucem tunc amittit, quando peccando Creatoris imitationem deserit. Illa autem, quam habet ex imagine Dei, rationis claritate lucere non desinit. Et per illam redarguitur a Deo, qui etiam in hoc « solem suum facit oriri super bonos et malos (*Matth.* v), » quod rationis luce nec bonos privat nec malos : Lux igitur hominum est etiam malorum, propter quod inexcusabiles sunt (*Rom.* I). Unde et sequitur :

« Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. » Lux, inquit, scilicet discretio supradictæ rationis, lucet in tenebris, id est, in conscientia illorum, qui male agendo tenebræ facti sunt. Nam, ut de Judæis taceam, qui cum rationis luce, lucernam quoque habuerunt sacræ Scripturæ, de gentilibus ejusmodi lucem non habentibus dicit Apostolus : « Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis ; Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta 94 conspiciuntur (*Rom.* I). » Lux ergo rationis est, quæ lucet in quamlibet profundis peccatorum tenebris. Sed lucem hanc in seipsis lucentem, cum tenebræ essent, non comprehenderunt, quia videlicet cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Amplius autem rei sunt Judæi. Quia cum tam naturalis rationis judicio quam sacræ legis testimonio, lucem veram possent agnoscere præsentem, magis obtenebrati sunt, et non cognoverunt eam. Clauserunt quippe oculos suos, ne viderent; et aures suas compresserunt, ne audirent (*Isa.* XXXII ; *Act.* XXVIII) ; et omnino intelligere noluerunt, ut bene agerent (*Psal.* XXXV). Ecce signum, cui contradicebatur (*Luc.* II), quantis fragoribus intonantis veritatis defenditur! Quid spiritus immundi contra hiscere possunt ab interioribus hæreticorum, prorepentes in modum ranarum? Verumtamen alii supersunt hostes et contradictores hujus signi, scilicet Judæi, qui tanquam sub alio cœlo positi non terrentur, quia non audiunt fragorem hujus tonitrui. Nam hæretici quidem, quasi de suo cœlo fulminantur, dum sequaces apostolorum se esse simulantes (aliter enim non audierunt, nisi apostolici esse putarentur), simulantes ergo apostolicam se tenere vel proferre doctrinam, tanti apostoli testimonio desuper, ut adversarii, feriuntur. At vero Judæi, tanquam sub alio climate sunt. Quia Christi apostolus non recipiunt (*Luc.* XX) et propterea, nihil ad eos pertinet, nihil eos movet, quod tantam gloriam Dei nostrum annuntiat firmamentum. Quid ergo? Nunquid excusabiles erunt? Nunquid non audierunt, vel se audisse dissimulare potuerunt? Imo primi audierunt, non undecunque sed ex ore ejus, quem nec abscondere nec refellere ullatenus possunt. Audierunt quippe per Joannem Baptistam quem omnes sciunt esse prophetam, cujus non ex hominibus sed de cœlo fuisse testimonium, negare ipsi nequeunt. Celebratum est enim et ad ipsorum historiographis nomen meritumque

A Joannis (JOSEPH. *De antiq. lib.* XVIII, *cap.* X), miraculum nativitatis et sanctitatis vitæ mirabilis, dignitas prædicationis, vel auctoritas baptismatis, testimonium quoque quod Christo perhibuit (*Joan.* I), et causa mortis. Qui ipse quidem nihil scripsit, sed cum tantus esset, ut Christus potuisset æstimari, quid dixerit, quem digito ostenderit, totus orbis audivit, et hic sonus ejus in omnem terram exivit. Hunc ergo testem tam idoneum, hic dilectus Christo Joannes assumit secum, ut in ore duorum testium legitime stet hoc fidei verbum (*Deut.* XVII) digneque frequens præstetur auditorium, tam propter testium vitam quam propter testimoniorum constantiam, cum quibus hunc assumit ; alternatim positurus nunc sua, nunc illius verba, Christo testi-
B monium perhibentis (*Joan.* VIII). Hoc modo ostendens ante omnia, quis vel qualis fuerit. « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. » Proinde cum de Verbi æternitate loquens, Evangelista dixerit : Erat et Erat, nunc : Fuit homo dicit detorta in præteritum perfectum tempus distiuncula. Nam, quia Verbi esse nec cœpit nec desiit ; hujus autem hominis Joannis, utpote defuncti jam, esse præteriit ; jam diu quippe recte homo esse dicitur, quandiu caro est cum anima rationali ; prudenter ergo, et proprie de illo Erat de hoc dictum est, Fuit : « Etenim cœli peribunt, tu autem permanes, inquit Psalmista, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non de-
C ficient (*Psal.* CI). » — « Fuit ergo, inquit, homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. » Singula verba, quasi statera, ponderanda sunt, quia videlicet de thesauris sapientiæ prodeunt; cujus dicta tunc gravioris ponderis habentur, quando supervacue prolata non videntur, præsertim in tanto tanquam præcipuo negotio, ubi maxime semetipsam majestas veritatis agnoscere debet, ne effluere dignetur verbis inaniter cadentibus. Cum autem sic dici potuisset : « Venit Joannes in testimonium, » superflue videtur sic prolatum: « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes ; hic venit in testimonium, » siquidem et alii prophetæ homines fuerunt et omnes a Deo missi sunt, et nomine Joannis multi homines æquevocati sunt. Diligentius ergo pensanda sunt, quia non exili elocutione, sed grandi declama-
D tione prolata sunt. Videlicet tali in loco vel causa sic nominatus homo fuit, multum suscipiendus, longe dissimilis hominibus multis; utpote quo major inter natos mulierum nemo surrexit ; adeo magnus, ut longe ante per prophetam, angelus dictus sit. « Hic est enim, inquit Deus, de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum qui præparabit viam ante faciem meam (*Matth.* XI ; *Marc.* I ; *Malach.* III). » Homo igitur excellens et inclytus, ore rotundo, plenaque Evangelii voce, in omnium contentionem hominum merito pronuntiandus. Missus, inquit, a Deo. Et prophetæ omnes a Deo missi sunt ; nam si a Deo missi non sunt, a semetipsis venerunt. Et si

a semetipsis venerunt, et a semetipsis locuti sunt, fures sunt et latrones (*Joan.* x). Sed absit hoc a præconibus veritatis ! absit ab his, ad quos factus est sermo Dei, de quibus Spiritus sanctus : « Ego, » inquit, « dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Igitur et sancti prophetæ omnes a Deo missi sunt, quia cum Verbo Dei omnes venerunt. Quid ergo dignum habet singulari tantæ enuntiationis præconio, quod fuit hic homo missus a Deo ? Multum per omnem modum. Primum quidem quia dies aliorum, qui missi sunt, « velociores cursore fuerunt (*Job* IX). » Quia videlicet cum sit cursoris officium, vel tantillum exspectare donec videat quid nuntiet eis ad quos recursurus est, illi prius hinc per viam universæ carnis recurrerunt, quam præstolatum Domini videre mererentur adventum. Hic autem eo tempore missus est, quo illum videre posset : ita, ut eumdem vivens viventibus digito ostenderet ; mortuus mortuis apud inferos paulo post adfuturum nuntiaret. Deinde sic missus est, ut supra naturam veniret, natus ex utero senectutis et sterili (quod non naturæ usus, sed solius Dei est opus) ut nasciturum in nascendo præveniret, prædicaturum prædicando præcurreret, baptizaturum baptizando præiret, moriturum moriendo præcederet. Singulariter ergo missus est, cui nusquam subsistere, nusquam divertere, nullum vacuit cum sæculo sermonem habere; non domum, non agrum possidere, nec affines agnoscere, sed urgente sermone Domini, urgente negotio mittentis pariter et subsequentis, nudus et expeditus currere habebat ante faciem ejus velut, qui ad hoc solum factus erat et natus, ut pararet coram eo vias ejus (*Luc.* I). Et huic nomen erat Joannes. Non ab hominibus, neque per hominem, sed ad Deo per ipsius archangelum ; non casu, sed certam ob causam nomen illi erat Joannes. Certam plane ob causam, quia videlicet totius prædicationis ejus summa fuit, Domini gratia. Quid enim prædicavit, nisi carnalem legem abolitam, et spiritualem exortam esse gratiam ? Nam usque ad ipsum lex, quæ per Moysen data est : e diebus autem ipsius gratia, quæ per Jesum Christum facta est. Et ex quo Auctorem ejusdem gratiæ prætento monstravit indice, per eamdem gratiam « regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* XI). Hoc autem scilicet *Domini gratiam*, nomen Joannes interpretatum sonat. Igitur causa manifesta, causa digna est, propter quam illi nomen erat Joannes. **95** Sed Judæus hoc ignorat, quia videlicet, alia [talia] sunt hæc, qui velamen, quod est positum super cor ejus (*II Cor.* III), admittere recusat. Verumtamen alia multa præsto sunt, quæ et superius ex parte dicta sunt, quibus arguentibus testimonium ejus, vel baptismum de cœlo fuisse negare nequeunt (*Luc.* XX). Igitur demonstrato tanto hoc homine, tanquam in conspectu concilii, imo in medio turbarum, vel in seditione concitati adversus Christum Judaici populi, constanter edicit : « Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. » Hic, inquit, tam magnus, tam exspectabilis [spectabilis], ad hoc venit, ad hoc factus vel natus est, ad hoc positus in sublimi, ut ab omnibus visus, a cunctis auditis, testimonium perhiberet de lumine, videlicet adversus tenebras, quæ, ut supra dictum est, lucentem in semetipsis lucem noluerunt comprehendere, dicentes : « Nonne hic est filius fabri (*Matth.* XIII ; *Luc.* IV), » « Quomodo ergo nunc dicit : Quia de cœlo descendi ? » (*Joan.* VI ; *Marc.* VI.) Adversus eos iste testimonium perhibere venit, quod is ipse esset Lux hominum, quod esset unigenitus Dei Filius, « per quem omnia facta sunt. » Et quidem prophetæ omnes de hoc eodem lumine testimonium perhibuerunt. Sed differt atque præcellit hujus testimonium in eo maxime, quod illi venturum esse testati sunt : hic jam advenisse testificans, digito quoque (ne de persona ejus dubitaretur) præsentem ostendit, dicens : « Ecce Agnus Dei : Hic erat quem dixi (*Joan.* I). » Quo autem indigebat Lux hominum vel quod sibi prospiciebat emolumentum, ut in conventiculis nostris tantopere sibi provideret tam magni præconii testimonium ? « Ut omnes, inquit, crederent per eum (*ibid.*) » Subaudi, quod ipse, et non alius, ipse idem Jesus Mariæ filius et Joseph (ut putabatur) esset a principio Dei Verbum, Verbum Deus, lumen æternum. Hæc ergo erat intentio charitatis ejus, quæ non quærebat ea quæ sua, sed quæ nostra sunt (*II Cor.* XIII). Hoc lux illa intendebat, ut omnes crederemus, credendo accederemus ad eum et illuminaremur. Gratulamur et gratias agimus, pro tam benigna Divinitatis benevolentia. Non autem quod parum luceret lux ipsa, idcirco testimoniis indigebat; imo non lucis ipsius, sed oculorum culpa erat, quod per semetipsum agnosci non poterat. Lippientes enim imo et pene cæcati erant oculi hominum ex pulvere terrenæ cupiditatis ; et idcirco lux vera quanto magis lucebat, tanto gravius illos offendebat. Ejus ergo impatientes sese averterant, et quasi dorsum ad solis ortum dederant. Joannem autem velut montem, Solis ejusdem radiis illustratum, tolerabilius aspiciebant. Hic placebat eis mons magnus decoro lumine vestitus, et in tantum delectabat eos, ut putarent, quod ipse esset Christus. Contra quam illorum opinionem mox subditur : « Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. » Cur enim lux esse denegatur, nisi quia lux idem Christus esse putabatur ? Sed « non erat lux. » Non, inquit, erat lux vera, non erat lux illuminans, non erat ipsa lucis substantia. Erat autem talis lux, qualis et apostoli, quibus dictum est : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V), » lux scilicet aliunde suscepta, lux non essentiali bono, sed accidentali dono. Sed Christus qualis lux erat ?

« Erat, inquit, lux vera. » Lux erat vera, id est ejus lucis, qua lucebat et Joannes, efficiens causa. Nam sequitur : « Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Illuminat, inquit,

omnem hominem venientem in hunc mundum, scilicet illustratione illa, quam in Adam omnes homines perdiderunt. Quadam enim luce, scilicet luce rationis, quam habent ex eo quod ad imaginem Dei facti sunt, omnes homines illuminati veniunt. Quadam autem illustratione, scilicet cognitionis divinæ, quam habere debuerant ex eo quod nihilominus ad similitudinem Dei factus est homo, privati nascuntur in hunc mundum. Sed omnes homines, non omnes omnino filii Adam, istam divinæ lucis consequuntur gratiam. Multi enim ab illa sunt juste relicti, et erraverunt a via veritatis, et Sol justitiæ non ortus est eis. Igitur, quod dictum est: «Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,» idem est ac si dixisset: Lux vera Christus erat, sine qua nemo illuminatur omnium hominum venientium in hunc mundum; qui utique ex paterna prævaricatione omnes obtenebrati veniunt. Sciendum autem quia per propriam operationem Spiritus sancti fit, quod illuminantur homines, ut sancti sint ad similitudinem Dei, qui profecto, quod rationales sunt conditi ad imaginem Dei, proprium est Filii, « qui est, ut ait Apostolus, imago Dei invisibilis *Col.* I). » Verumtamen et hoc ipsum quod Spiritus sanctus advenit ad illuminandum mentem hominis ejusdem Filii gratia fit, qui eumdem Spiritum sanctum dare venit, sicut ipse de seipso enuntiat: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? (*Luc.* XII.) Lux ergo vera, solus Christus, qui, ut dictum est, utroque modo « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Si autem omnem hominem, utique et Joannem. Sed hoc dictum est, quia lux ista Christus, lux vera Dei Verbum, priusquam in testam carnis nostræ deveniret, erat apud Deum. Quomodo ergo, inquis, et ante Joannem, illuminabat omnem hominem, tam longe a Deo factum, tam longe venientem in hujus mundi exsilium? Nam forte de Joanne non mireris, quia, quando illuminatus est, jam lux ista in mundum venerat, jam templo suo scilicet virginali utero sese infuderat! Forte et verum dicas, quia descendens magna illius Lucis substantia, simul et Joannem in matris utero radiaverat et leni concussu illam, cui gaudentes applaudimus, infantis exsultationem fecerat.

Illud quæris quomodo prius, cum adhuc esset apud Deum, illuminabat omnem hominem venientem in hunc mundum? Sed hoc te non moveat; imo, audi quod sequitur: «In mundo erat.» Et apud Deum erat, et in mundo erat. Verbum quippe Deus erat. Deus autem omnium Creator et in patre [in parte] non est, quia ubique est. Verbum ergo Deus, quia incircumscriptum lumen est, quia ubique est, et apud Deum erat, et in mundo erat, quid autem mirum quod et in mundo erat? Audi quod majus est. Sequitur enim: « Et mundus per ipsum factus est. » Mundum ergo implet, ut regat; regit, ut impleat; quem et implendo circumdat; et circumdando, implet; et sustinendo transcendit; et transcendo, sustinet. Igitur repugnantia non sunt ea quæ dicta sunt, scilicet quod hoc Verbum, hæc vera lux, et erat apud Deum, et illuminabat « omnem hominem venientem in hunc mundum, » quia videlicet cum ubique sit, et apud Deum erat et in mundo erat. Jam vero, quid doloris, quid habet conquestionis, quod, cum dixisset, « et mundus per ipsum factus est » protinus adjunxit: « Et mundus eum non cognovit. » O cæcitas, o ingratitudo! Ingrati namque primi homines clauserant, dum se aperire putabant, oculos suos promittente mendacii patre diabolo, quod, si transgrederentur mandatum, aperientur oculi eorum, fierentque sicut dii « scientes bonum et malum (*Gen.* III), » id est, haberent quod solius Dei est, scientiam universorum. At vero **96** econtra cæcati sunt, suamque cæcitatem posteris suis hæreditariam dereliquerunt; ut per cæcitatem eum non viderent, qui « in mundo erat, et per quem mundus factus est, cujus scientiæ coæquari procaciter effectaverant, et per ingratitudinem eum nec de tantillo, quantum ex operibus illum cognoscere poterant, sicut Deum glorificarent, aut gratias agerent. Quod ergo ait: « Et mundus eum non cognovit, » exclamatio dolentis est. Amplius autem et hoc, quod sequitur: « In propria venit, et sui eum non receperunt. » in propria namque venit, scilicet in hunc mundum, qui per ipsum factus est, vel in eo quod apprehendit semen Abrahæ, de quo propagatus peculiaris illi fuerat populus Israel. Apprehendens enim semen Abrahæ (*Hebr.* II), id est, assumens carnem de semine Abrahæ, in propria venit, dum in gente illa conversatus est cum hominibus, quam sibi magnis in propriam hæreditatem acquisierat beneficiis. Venit autem non localiter (Deus quippe est: unde et constat, quia ubique est). Venit sane non de loco ad locum transeundo, se qui erat invisibilis, visibilem se exhibendo. Nam in mundo erat per divinitatem cujus est esse vel manere; venit autem in mundum per humanitatem, cujus est ire, et de loco ad locum transire. « Et sui, inquit, eum non receperunt » Patrum est, non receperunt, insuper et occiderunt. Nam, qui sunt hi sui, nisi maligni illi et male perdendi agricolæ, quibus ipse suam locaverat vineam? (*Matth.* XXI.) Aptius namque sic accipitur: «in propria venit,» ut vineam illam intelligas, de qua scriptum est per prophetam: « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est (*Isa.* V), » quam juxta Psalmistam de Ægypto transtulit, ejecitque gentes, et plantavit eam (*Psal.* LXXIX). Cui sepem circumdedit, quia videlicet urbes muratas, vel angelorum præsidia præstitit, fodit in ea torcular, et turrim ædificavit, id est, altare et decus templi, in ea sola gente habuit. Cum ergo ad hanc vineam suam missus est, dicente Patrefamilias: « Verebuntur Filium meum (*Matth.* XXI; *Luc.* XX),» in propria venit, sed mali agricolæ, mali operarii legis, non receperunt eum. Imo ejecerunt eum extra civitatem, et occiderunt animosius et nequius quam servos ejus (*ibid.*), id est, justos et prophetas occiderunt. « Quotquot

autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri : his, qui credunt in nomine ejus. » Universali quidem enuntiatione dixit : « Sui eum non receperunt ; » sed non universaliter dixit, aut dicere debuit : Nemo suorum [recepit eum. Nam aliqui suorum, licet pauci, receperunt eum. Et, quod majori gratia dignum est, cum scirent se quoque similiter ejiciendos esse propter eum, tamen receperunt eum. Maxime autem de gente quam nesciebat, de populo quem non cognoverat, scilicet de universitate gentium innumeri ad eum confluxerunt extra vineam suam projectum, et suo sanguine cruentatum, qui et subjectis humeris devote impositum, ad suum transtulere diversorium. « Quotquot ergo, inquit, receperunt eum ; » quotquot exierunt ad eum extra portam passum, quotquot de gentibus quæ illum non cognoverant, ad eum cucurrerunt et improperium ejus portare non erubuerunt (*Psal.* XVII ; *Hebr.* XIII), dedit eis magnam potestatem, inclytam potestatem, scilicet posse filios Dei fieri, cum prius Dei fuissent inimici (*Rom.* V ; *Ephes.* II). Talem ille potestatem dedit iis qui receperunt eum. Quid sit autem recipere eum, ne nimis laxe accipiatur definit evidentius, adjungendo : « His qui credunt in nomine ejus. » Ac si dicat : Non tecto inducentibus, aut cibum apponentibus, potumque miscentibus, et sic solummodo recipientibus ista potestas datur, ut filii Dei efficiantur. Nam talia Judas quoque exhibere, et diabolus esse potuit. Siquidem hoc modo caro sola reficitur. Christus autem non tantum caro, sed et Verbum est, et maxime ex eo quod Dei Verbum est, prædictam potestatem dare potest. His ergo qui sic receperunt eum, quomodo recipiendum est Dei Verbum, « dedit potestatem filios Dei fieri, » id est, qui credunt in nomine ejus. Credere namque est semen Dei verbum cum amore susceptum, imprægnata mente portare. Quod tantæ virtutis atque potestatis est, ut animæ substantiam in suum vigorem transferens, de hominibus deos (*Psal.* VIII), de filiis iræ filios gratiæ faciat (*Ephes.* II), fiatque ut in loco ubi dicebatur, « non plebs mea vos, ibi vocentur filii Dei (*Ose.* I ; *Rom* IX). » — « Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. » Non ergo glorietur quis, quod ex sanctis parentibus carnaliter generatus sit, videlicet quomodo gloriari solent Judæi, quod semen Abrahæ sunt (*Matth.* III). Non enim quod illis vel illis parentibus carnaliter qui natus sit, idcirco magis aut minus computatur inter filios Dei. Quod maxime patet in duobus geminis Jacob et Esau. Nam, cum ex eisdem sanguinibus, id est, ex commistione ejusdem patris, ejusdem matris generati sint, cum nati sint ex voluntate ejusdem carnis, id est, feminæ, carnem namque evangelista pro femina posuit, juxta illud : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II). » Et ex volantate ejusdem viri, videlicet sancti, et patriarchæ magni. Cum ergo ex eisdem sanctis parentibus ambo nati sint, non tamen idcirco ambo prædestinati, vel vocati sunt in numerum filiorum Dei, sed « Jacob dilexi, Esau autem odio habui, dicit Dominus (*Mal.* I ; *Rom* IX). » Item, ex sanguinibus Christianorum parentum, quamlibet fidelium et justorum, qui nascuntur filii nascendo accipere non possunt ut sint Christiani, quamlibet nascantur, ut dictum est, ex parentibus christianissimis, quia videlicet parentes non ex eo quod Christiani sint [Christianos generant], sed ex eo carnaliter generant, quod homines sunt, id est; non per Christi gratiam, sed per carnis naturam. Atque ideo non in Christo generant, sed in Adam.

Igitur non minus, hi qui ex circumcisione, quam qui ex præputio ; non minus qui ex justis, quam qui ex injustis parentibus nati sunt, opus habent ad catholicam proficisci Ecclesiam, cujus per ministerium renascantur secundum novum Adam, per quem et verum Patrem Deum contingant ; quia videlicet prius ex qualicunque parentum sanguine pullulando nascebantur secundum veterem Adam per quem et prævaricationis principem diabolum contingebant. Igitur, ut in extrema conclusione ad superiora recurrat oratio, is qui, ut dictum est, « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ; » qui sese recipientibus, talem dedit potestatem, ut filii Dei fiant, is ipse erat lux vera : Joannes autem, in cujus minorationem hæc dicta sunt, quia tantus erat, ut putaretur esse lux vera, testimonium, ad quod venit, de hoc eodem lumine, a quo et ipse illuminatus est, perhibeat. Ad hoc enim illum hic evangelista Joannes, ut supra dictum est, ascivit, ut tam suo quam illius testimonio, lucem veram possit defendere, adversus tenebras, quæ noluerunt illam comprehendere. Prosequitur ergo de Verbo, quod cœperat, dicens : « Et Verbum caro factum est. » Ut audiat Cerinthus et cæteri Antichristi, quid conjunctio *et* (quæ hic ponitur) sibi velit, continuandum est sic : dixi superius : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum et omnia per ipsum facta sunt. » Ad idem regressus, postquam alium testem ascivi : « Et Verbum caro factum est. » Ergo audiant pupilli, 97 audiant posthumi generosam antiquitatem patris sui. Audiant et sciant, quia per Christum « omnia facta sunt, et quia per ipsum factus est mundus, » qui mundi origine tanto junior dicebatur ut ante Mariam fuisse negaretur ab hæreticis et Judæis, nobilitati filiorum invidentibus. Cum autem audimus quia « Verbum caro factum est, » non idem esse quis arbitretur, ac si dictum esset : Verbum in carnem versum est. Nam hic sensus hæreticus est, hæc expositio a fide aliena est. Non enim Verbum in carnem versum est, sed assumendo carnem carnalibus condescendere dignatum est. Et sic dictum est : Verbum, quod erat apud Deum, caro factum est, quomodo tu quoque dum loqueris, recte dicere potes : Verbum quod erat in anima mea vocale fa-

ctum est. Quomodo ergo voce tua proficiscente de ore tuo ad aures alienas, idipsum verbum tuum in corde tuo permanet, quod per auditum in alterius quoque mente profectum est: sic et verbi carne visibili ad publicos aspectus prodeunte, verbum ipsum in corde patris totum permanet, quod totum nihilominus, per eamdem carnem, ad nos transmissum est. Ita verbum idem totum in patre, totum in carne attingens a fine usque ad finem, idem a corde Patris (ultra vel supra quem nihil est) « quasi trames aquæ immensæ de fluvio (*Eccli.* XXIV), » trans universos angelorum ordines descendens ad carnem nostram ultra vel infra quam, propter peccatum in sepulcro putrescentem, abjectius nihil est. Illud quoque non prætereundum, quod hic cum nomine vel substantia carnis, anima quoque rationlis omnino debet intelligi. Non enim sicut Apollinaristæ hæretici suspicati sunt, Verbum Dei sine anima carnem assumpsit. « Venit quippe salvum facere, quod perierat (*Luc.* XIX), totus autem homo perierat. Totus revera, id est, et in corpore et in anima. Nam in corpore, mortalis : et in anima, jam mortuus ; et in utroque æternaliter erat damnatus. Ut ergo totum salvaret Verbum, totum nihilominus hominem, id est, carnem et animam rationalem assumpsit. Alioquin, si solam carnem sine anima Verbum Deus suscepisset, ubi radicem suam fixisset? Solus quippe rationalis spiritus capax ejus est. Siquidem verbum hoc oratio est, sapientia est. Quam singuli quoque homines, quantum ea participatur, non nisi mente vident, non nisi anima complectuntur. Multo magis ergo Verbum universum, quando carnem suscepit congruum sibi exceptorium, id est, animam rationabilem non omisit. Absit suspicio hæc a corde ! absit ab ore omnium, in Verbo incarnato spem habentium ! In anima quippe maxime Scriptura illa facta est a Deo Patre Verbum bonum eructante, de qua ipse in psalmo : « Lingua, inquit, mea calamus scribæ velociter scribentis (*Psal.* XLIV). » Inscripta namque est, veræ et integræ hominis naturæ, vera et perfecta Verbi hujus natura, id est, conjuncta in unitate personæ absque confusione utriusque substantiæ.

Sic effectum est præclarum illud electrum, humani generis pretium atque ornamentum, in quo et divinitatis aurum, nihil de sue fulgore perdidit ; et humanitatis argentum, augmentum sui decoris obtinuit. Igitur quod ait ;« Verbum caro factum est, » idem est ac si dixisset : Deus homo factus est, more scilicet eo, qui in Scripturis usitatus est. Solet enim nomine carnis, interdum totus homo significari, ut ibi : « Et videbit omnis caro salutare Dei (*Luc.* III).» Sicut econtra, per animam totus homo significatur sicut scriptum est: « Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta quinque (*Act.* VII) ; » ergo Deus homo factus est. « Et habitavit in nobis.» In nobis, plane per omnia, utpote, de suis invisilibus ad nostra visibilia profectus. Primum in vera natura nostræ carnis, in cunctis humanæ naturæ legibus habitavit in nobis. Nam hoc solummodo excepto, quod puerpera, non secundum morem universæ carnis, ex virili semine conceptum hominem edidit, nec partu violata est, sed virgo ante partum, virgo permansit et post partum, hoc sane excepto, toto ordine suo vera hominis natura cucurrit. Quod si Judæus, vel detestandus calumniator Manichæus, dicendo : Si virgo peperit, phantasma fuit, consequens est ut primos hominum parentes, scilicet Adam et Evam (quia carnalibus carvere patribus) non veros, sed phantasticos fuisse homines arbitrentur. Longius quippe est a natura nobis usitata formari hominem de terra, quam concipi de femina. Mirabilius est plasmari virum de inanimata et insensibili materia quam generari virum sine viro, de animata et sensibili, imo et rationali substantia. Illud quidem mirabilius, hoc autem est venerabilius ; illud divinæ est potentiæ, hoc opus potentiæ pariter et gratiæ. Jam quidam omnino obhorrent, quod Sanctus sanctorum Deus potuisse pati, creditur, ut femineis clauderetur visceribus. Sed quæso, num sciunt ipsi modum sui horroris ? Est enim horror, alius qui a ratione ; alius qui a sensu proficiscitur. Siquidem a ratione est, quod vitium in comparatione virtutis perhorrescimus, cum tamen secundum sensum, magis interdum vitio quam virtute delectemur. A sensu autem est, quod serpentem magis abhorremus tangere quam lapidem : cum tamen secundum rationem, animatum et sensibile corpus serpentis, inanimato corpori lapidis indubitanter præferamus. Quonam ergo modo feminea perhorrent viscera, sensu an ratione ? Sensu utique, non ratione. Quia videlicet ratio nullam substantiam vel naturam, nihil omnino eorum, quæ fecit Deus, potest adhorrere.

Deus autem, vel Verbum ejus, cum sit ipsa ratio, nullis nostris sensibus afficitur, nullam omnino creaturam vel naturam, quam procul dubio nemo alius quam, ipse fecit, sed solum naturæ vitium aversatur et odit. Multo magis ergo quod incorrupta vibera Virginis non abhorruerit, fideliter et pie credere expedit. Habitavit igitur in nobis Verbum Deus, et in illo femineæ secreto naturæ, de quo nos non sine peccato processimus singuli, novem mensibus, absque peccati contagione, hospitatus est : inde, « tanquam sponsus de thalamo suo procedens, et in sole ponens tabernaculum suum (*Psal.* VIII). » habitavit in nobis ; tenera, ut infans, circumdatus carne, et vagitus emittens infantiæ, factus sub lege (*Gal.* IV), subditusque Joseph et Mariæ (*Luc.* II), circumcisus, et tanquam peccator legali hostia mundatus passus famem, et fraudes tentatoris perferens (*Luc.* IV), persecutiones quoque hominum sustinens (*Matth.* XVI), et contristatus usque ad mortem, de loco ad locum fugiens (*Joan.* VII); ad extremum autem factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II), Sed hæc humilitas infirmitatis, quem ad finem tandem pervenit ? Sequitur : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. »

Gloriam, inquit, ejus vidimus: quam et idcirco attestari possumus, quia vidimus; et ab eo signo videre cœpimus, quo aquas in vinum convertit, ad nuptias invitatus (*Joan.* II). Hoc enim fecit initium signorum coram discipulis suis, et manifestavit gloriam suam (*Joan.* II) Deinde vidimus cæcos oculos illuminantem (*Marc.* X), lepram tactu suo fugantem (*Luc.* XVII), febres depellentem (*Matth.* VIII), putres mortuos suscitantem (*Joan.* XI), linguam constrictam et surdas aures reserantem super undas ambulantem, ventos sedantem (*Matth.* XII et seq.), fluxum sanguinis constringentem (*Matth.* IX), et multa millia **98** de paucis panibus saturantem (*Joan.* VI). Vidimus et transmutatæ faciei ejus (*Matth.* XVII), revelandam ipsis angelorum choris gloriam. Vidimus ad extremum, quod maximum et gloriosissimum est, a mortuis resurgentem (*Luc.* XXIV; *Marc.* XVI; *Joan.* XX), vidimus in manibus et pedibus ejus fixuram clavorum, vidimus, inquam, et inspeximus, palpavimus, et manus nostræ contrectaverunt (*I Joan.* I) latus ejus lancea confixum, manducavimus cum illo et bibimus (*Joan.* XXI), et in cœlum gloriose ascendentem vidimus (*Marc.* XVI), et promissum ab illo paracletum Spiritum sanctum accepimus (*Act.* I, II). Hanc gloriam ejus vidimus, gloriam quasi unigeniti a Patre, id est, tantam gloriam, quanta nullus omnium Dei filiorum glorificari dignus habitus est. Nam cæteri filii Dei, omnes adoptati sunt; hic genitus, imo unigenitus est. Cæteri sunt omnes filii per gratiam: hic unus de solus per naturam. Jure ergo hic «speciosus forma præ filiis hominum,» differentem præ filiis omnibus habet, quam vidimus, gloriam. Supremam tandem hujus capituli audiamus conclusionem. Quam gloriosum illum vidistis? «Plenum, inquit, gratiæ et veritatis.» O magnum præconium, magnum et fidele testimonium! Quærebas cujusmodi esset illa Unigeniti gloria? Aurum est, aurum, verum, dignum nostræ captivitatis pretium. Homo iste dives et nobilis, de thesauro Altissime prodiit; corpusculum ejus sacculus est auri pretiosi. Tene illum, dum rescinditur per injuriam mortis, et apprehende, quod in illo est, talentum gratiæ et veritatis. Quam plenus autem sit Christus gratiæ et veritatis, vel quanti eadem gratia et veritas sit ponderis, hic idem Evangelista Joannes subsequenti mox Joannis Baptistæ testimonio declarabit, ubi dicturus est: Gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Nam, sicut in Proœmio dictum est, hi duo testes in hoc Evangelio loquuntur; nec tam Historiæ paries texitur, quam testimoniorum turris inexpugnabilis erigitur. Ait ergo: «Jannes testimonium perhibet de ipso, et clamat, dicens: Hic est, quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.» Joannes Baptista qui, sicut de illo testatur Veritas, nec arundo vento agitata, nec homo mollibus vestitus erat (*Matth.* XI), stat fortiter in alto monte positus, ubi amplissime patebat magis et crebris venti vehementis incursionibus, nec frangendus adversis, nec flexus laudibus suis. Non enim delectatus famæ magnitudine, majorem se quam est, æstimari patitur, ipsum esse Christum existimantibus, quem solum nunc Evangelista dixit plenum gratiæ et veritatis. At ille quidem gratiæ minister erat, sed fons plenæ gratiæ non erat. Verax quidem ac fidelis erat, sed ipsa veritas non erat. Quod si vellet et gauderet videri quod non erat, neque gratiæ particeps, neque veritatis consors extitisset. Stans ergo fortiter, ut dictum est, radicibus firmis, nihilque motus inanibus ventis, tanquam cedrus Libani, totam popularem auram magno clamore relidit, et dicit: «Hic est, quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.» Ut per testimonium Joannis maxime confirmet Evangelista, hoc quod novissime dixit: «Plenum gratiæ et veritatis;» idcirco hæc per anticipationem intulit. Nam postmodum narraturus est, quando vel ubi Joannes dixerit ea, quæ se de illo dixisse nunc asserit. «Hic, inquit, qui medius vestrum stetit, quem vos» nesciebatis. Hic homo ipse est quem dixi vobis scilicet, in Bethania trans Jordanem, ubi eram ego baptizans, quando misistis sacerdotes et levitas, ut interrogaretis me: «Tu quis es?» Tunc confessus sum, «quia non sum ego Christus,» et dixi de hoc: «Qui medius vestrum stetit: Qui post me venturus est, ante me factus est,» etc. Post Joannem venisse Dominum secundum carnem in hunc mundum nulli dubium est. Quippe cujus conceptio Dominicam annuntiationem, et nihilominus nativitas sex mensibus Domini præcesserat nativitatem. Ergo, quod ait Joannes de illo: «Ante me factus est,» ad carnis facturam, quam Verbum assumpsit, referri non potest. Quia, sicut jam dictum est, vix illa carne calceare se Divinitas cœperat, et illic præco ejus exultavit clausus (*Luc.* I), tanquam gestiens materni uteri fores erumpere, et illum mox post se venturum nuntiare. Hoc sciens Arius, hostis fidei, inimicus gratiæ et veritatis, dictum hoc ab ore Joannis præripit utpote «qui insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua insidiatur ut rapiat pauperem (*Psal* VI),» et trahendo ad se, scindat Christi populum. Dei namque Filium, facturam esse contendit, et ideo dictum hoc, ante me factus est, in defensionem suæ perfidiæ festinus invadit. Sed vere furore cæcus, quid sequatur, non attendit. Nam juxta sensum ejus subversum, quem locum habet ratio, quæ subjecta est, quia prior me erat? Jamque, ut manifestius fiat, quam inconvenienter, imo violenter litteram hanc detorqueat, interim cum sensu ejus Joannem percontari libet: Quare ante te creatus est ille, o Joannes? Quia prior me erat, inquis. Quæ hæc est ratio? ideo creatus est ante te, quia erat prior te? an idcirco clamas, et de ipso testimonium perhibes, ut juxta Arium creaturam illum esse annunties; et tam concinnam rationem propositioni tuæ subjicias? Vane ergo impius fuerit, qui tam tenui ramusculo innixus tam profundum præcipitium subiter se non

metuit. Nam si Joannes juxta sensum eumdem, A quo dixit : « Ante me factus est, » præsenti vel futuro tempore uti voluisset, dixisset : Ante me fit, vel ante me fiet. Idem est enim : Ante me factus est, » ac si dixisset : Major me effectus est. Quia videlicet eodem sensu hoc dictum est : « me oportet minui ; illum autem crescere (*Joan.* III), » vel illud quod in figura ejus dixit Daniel de lapide, qui abscissus de monte sine manibus statuam comminuerat (*Dan.* II). Lapis autem, inquit, crevit, et factus est mons magnus, et implevit orbem terrarum. Lapis etenim Christus, qui comparatione Joannis parvus videbatur, et super Joannem et super omnes ejusmodi montes magnus factus est. Igitur qui post me, inquit, venturus est, qui post me vobis prædicaturus, vosque post me in Spiritu B sancto baptizaturus est, ante factus est, ante me positus majorque me effectus est, me minorato crevit, me comite Rex magnus incedit. Et hoc jure, quia prior me erat. Prior me longe, non quia secundum carnem ante me natus sit, cum ego sex mensibus nativitatem ejus præcesserim, sed inde prior me erat, quia apud Deum erat, quia Deus erat. Nam si vis scire quia tanto prior me erat, audi evidentius. « Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. » Omnes omnino, scilicet quicunque illuminandi in hunc mundum venimus, omnes prophetæ, universi patriarchæ, omnes omnino, quicunque missi sumus, quicunque donum aliquod desursum accepimus (*Jac.* I). Ecce quomodo sibi consonant maximæ tubæ duorum Testamentorum: Hic Joannes C præcipuus Evangelistarum ; et ille alius Joannes maximus prophetarum. Ecce quomodo sese duo cherubim mutuo respiciunt, versis vultibus in propitiatorium (*Exod.* XXXII ; *Hebr.* IX). Hic in novi Testamenti capite ; ille consistens velut in extremo veteris instrumenti margine. Hic Evangelista et Apostolus ; ille patriarcharum atque prophetarum novissimus. Versis quippe vultibus in propitiatorium, id est, intentis animis **99** ad perhibendum Christo testimonium (qui est propitiatio peccatorum nostrorum [*I Joan.* II]) mutuo sese respiciunt, quia videlicet idem sentiunt, consona dicunt. Namque hic ait : « In principio erat. » Ille subjicit : « Prior me erat. » Hic dicit : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in D hunc mundum. » Ille autem : « Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. » Hic : « plenum gratiæ et veritatis ; » ille autem : « gratia et veritas per Jesum Christum facta est » inquit. Ergo, ut dictum est, mutuo sese respiciunt, et facies eorum similes sunt, ita ut ex alterius visione promptum sit et alterum agnoscere. Igitur quod hic supra dixit : « In principio erat, » idem est, quod ille nunc ait : « Prior me erat. » Magna et decenti gravitate contentus sic dixisse, cum et ipse dicere potuisset : « In principio erat. » Sufficit enim hoc modicum mediocris enuntiationis flagellum, ad abigendas muscas hæreticorum, qui Christum fuisse negant ante Mariæ partum vel conceptum. Proposito namque a Joanne Baptista sic dicente : « Prior me erat, » assumit protinus conscia omnis fere Judæa ; sed tuus exortus, illius exortu totis sex mensibus prior erat. Concludit universa Christianitas : ergo Christus eodem exortu suo, quo secundum carnem exortus est, vel eodem conceptu, quo conceptus est, prior erat. Sufficit igitur adversus sordes hæreticas dixisse Joannem : « Prior me erat; » quia si ante Joannem exstitit, ab utero Mariæ Christus initium existendi non habuit. Quod si te altior enuntiatio delectat et in hoc tanquam cœlesti modulamine juvat magis acutas quam graves audire chordas, ecce altiorem quidem, sed modi ejusdem chordam hic præcentor veritatis eodem digito percutit.

« Et de plenitudine ejus, inquit, nos omnes accepimus. » Hoc profecto altius sonat. Sed quid est illud, quod de plenitudine ejus omnes accepimus ? Utique (ut cætera nunc omittam) totum illud ab ipso accepimus, unde vobis mirandi apparemus, unde præcipue ego Joannes videor magnus quod sum ex utero senili et sterili (*Luc.* I), comitantibus prodigiis progenitus, quod sum lucerna ardens et lucens (*Joan.* V), ita ut in lumine meo vos exsultare volueritis, dicentes : Magnus hic est, Christus hic est. Ita nos omnes ab illo accepimus, singuli juxta beneplacitum ejus, ut alii ex nobis prophetali spiritu digni : alii patriarchæ magni ; alii reges, electi inventi sint, fide præclari, justitia insignes, longanimes in spe, obedientes in præceptis, creduli in promissionibus, futurorum præscii, verbo potentes, miraculis effulgentes. Plenus quippe erat, ut nunc est, gratiæ et veritatis. Unde et ejusdem gratiæ dividua nobis fluenta, de semetipso vivo fonte, profudit. Non enim sic plenus erat infusionibus aliunde petitis, sed sicut fons ex propriis venis erat, imo est plenus « aquæ in vitam æternam salientis (*Joan.* IV). »

Ne ergo dicatis : Moysi locutus est Deus ; hic autem nescimus unde sit. Moyses enim et ipse unus ex nobis, de plenitudine hujus hoc accepit, ut constitueretur Deus Pharaonis (*Exod.* VII), ut eodem Pharaone superato, totaque Ægypto cæsa plagis diversis, tandem divideret mare Rubrum in divisiones, et educeret Israel per medium ejus (*Psal.* LXXVII ; CXXXV), et acciperet panem de cœlo (*Joan.* IX), et aquam de petra interrupta in eremo. Et hic est illa manus Domini, cujus digito conscriptam legem ille accepit in tabulis lapideis (*Exod.* XXXII), et de hoc eodem ille scripsit : Ne ergo dicatis illi : « Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti ? (*Joan.* V, VIII) » quia videlicet antequam Abraham fieret, hic erat, imo est. Nam hic ipse Verbum Domini est, quod ad Abraham vel ad omnes sanctos prophetas factum est. Omnino universi nos, quibus dicit Spiritus sanctus : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI), » de plenitudine ejus accepimus hoc ipsum, quod dii vocamur; quia videlicet ex eo dicti sumus dii, quod factus est ad nos sermo

Dei, illi autem quod [illegible] est. Ex ipso igitur, ut dictum est, accepimus hoc ipsum quod dii dicti sumus. Sequitur :

« Et gratiam pro gratia ; quia lex per Moysen data est : gratia et veritas per Jesum Christum facta est. » Oportet hæc quæ dicta sunt, sic intelligi, ut quam maxime currat expositio cum præsenti intentione Joannis clamantis et de Christo testimonium perhibentis. Nam potest quidem et sic accipi : Accepimus gratiam pro gratia, scilicet gratiam æternæ salutis, pro gratia fidei præsentis, ad quam nos gratis, id est, nullis nostris præcedentibus meritis, per prædicatores suos ipse vocavit, et gratuita peccatorum remissione justificavit, sed, ut dictum est, ad præsentem Joannis intentionem propius accedendum est. Est autem hæc ejus intentio ut et sibi, et omnibus sanctis, ipsi quoque legislatori Moysi Dominum Jesum præferat, omnibusque adventum ejus necessarium fuisse ostendat, eo quod lex, quæ per Moysen data fuerat, neminem eorum ad perfectum adduxerat (*Hebr.* VII). Ait ergo : « Et gratiam accepimus pro gratia, » ac si dicat : Antequam veniret per corporalem præsentiam, de plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam, et eo per carnem apparente, pro eadem gratia accepimus gratiam. Accepimus autem meliorem gratiam, pro bona gratia ; quia videlicet bona quidem gratia legis, sed quia nihil ad perfectum adduxit, hic veniens adjuvantem dat gratiam Evangelii fitque commutatio lucrosa, velut si quis jubeatur omittere argentum, ut accipiat aurum : fastidire aquam quamvis limpidissimam, ut vinum bibat optimum. Legem autem gratiam hic recte vocari, facile comprobari potest. Dicitur enim gratia, quod sit gratis data. Gratis autem, id est, nullis præcedentibus meritis, datam esse legem, vel cuncta Dei beneficia populo priori testatur Moyses, cum dicit : « Scito igitur, quod non propter justitias tuas dederit tibi Dominus Deus tuus terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis populus sis (*Deut.* IX). » Sed dicit aliquis : Jam erat debitum; quia juraverat Deus patribus ipsorum, quod daret illis terram fluentem lac et mel (*Gen.* XVII), justumque erat, ut verbum suum vel jusjurandum quod juraverat, impleret (*Exod.* XXXIII). Quærimus ad hæc utrum hoc ipsum quod juravit, gratis an ex debito juraverit ? Et procul dubio fatendum quia non ex debito, sed gratis juravit, gratis omnino Abrahæ cæterisque patribus apparuit, vel innotuit, quippe qui peccantem primum hominem juste privaverat gloria paradisi, nihilque debens cunctis hominibus, utpote patris adjudicati filiis, juste faciem suam absconderat ab eis (*Gen.* XII, XV). Hæc est ergo anterior gratia, quæ simpliciter gratia dicitur; sequens autem Evangelii gratia, non simpliciter gratia, sed gratia et veritas nominatur. Hanc autem scilicet gratiam, et veritatem commutatam esse pro gratia Mosaicæ legis, testatur ipse Joannes, qui hæc dicit. Nam cum præmisisset ; « Et gratiam pro gratia, » protinus adjunxit exponens quid dixerit : « Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. » Et si quæras, in quo gratia et veritas Jesu magis præstet, quam lex Moysi, protinus subdit : « Deum nemo vidit unquam. » Ecce imperfectio legis, quia videlicet nemo unquam per illam ad visionem Dei rediit, quam in peccato Adæ totum genus humanum perdidit: moxque sequitur: « Unigenitus, qui est in sine patris, ipse enarravit. » Ecce perfectio gratiæ et veritatis : **100** Deum enim Filius enarravit, utpote plenus, sicut jam dictum est, gratiæ et veritatis ; quia per suum sanguinem aditum aperiendo, Deum hominibus manifestavit. Igitur, in eo quod dictum est : « et gratiam pro gratia ; » quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Sensus hic rite procedit, secundum intentionem Joannis clamantis et testimonium de Christo perhibentis. Quia videlicet multum ad cognoscendam ejus plenitudinem proficit scire quod acceperit ab illo populus ejus primo gratiam, id est, legis et prophetarum scientiam, per quam haberet veri Dei notitiam, gratis sibi datam ; ac deinde gratiam pro eadem gratia, id est, veritatem pro figura ; rem pro umbra ; spiritum pro littera. Sic enim gratia et veritas per Jesum Christum facta est, gratia videlicet, quia cum essemus inimici, cum essent, inquam, ipsi quoque Judæi, sicut Apostolus testatur, « natura filii iræ sicut et cæteri (*Ephes.* II), » reconciliati sumus Deo, per mortem Filii sui, scilicet ejusdem Jesu Christi. Nullo modo namque melius hic accipimus gratiam, quam ut intelligamus, nostram cum Deo reconciliationem per Christum factam. Hæc autem gratia vel reconciliatio in legis cæremoniis, verbi causa, in immolatione paschalis Agni (*Exod.* XII), cæterisque ejusmodi præfigurabatur tantum, non etiam conferebatur ; quia videlicet quamvis justi vel sancti patres omnes, ubi dormierant, apud inferos, licet in magna securitate et beata spe detinebantur. Neque per ullam legis illius justitiam paries inimicitiarum solvi poterat ; quo ad videndam gloriam Dei, ob culpam paternæ prævaricationis, impediebantur. Unde et subditum est : « Deum nemo vidit unquam. » In passione vero Christi paries ille solutus est ; quia peccati chirographum cruore ejus deletum est (*Colos.* II). Qui et veniens, inquit Apostolus, evangelizavit pacem his qui longe, et his qui prope erant (*Ephes.* II), id est Judæis, qui per priorem legis gratiam propinqui ; et Gentibus, qui per veritatis ignorantiam, ab eo fuerant nimium longinqui. Unde postquam dixit : « Deum nemo vidit unquam, » protinus adjecit : « Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » — « Qui est in sinu Patris. » O quanta celsitudine, quanto decore Patrem rursus contingit, Filium testificans, præsens columna veritatis. Dixit supra : « Quia prior me erat. » Nunc de eodem repetens : « Qui est in sinu Patris, » inquit. Hæc ita omnino dicta sunt ac si dixisset: Quomodo de suo dixit evangelista : « In principio erat, et apud Deum erat. » Non satiatur oculus visu, et auris

auditu; oculus videlicet ejus, qui juxta Isaiam cernit A terram de longe (*Isa.* XXXIII), et auris ejus, qui cum Ezechiele audit interius ab animalibus sanctis « sonum alarum, quasi sonum sublimis Dei (*Ezech.* XI). » Hunc ergo sonum tam sublimem attento, quæso, discernamus auditu. Quia nos frustra sic dixit: « Qui in sinu Patris, » cum dicere potuisset: Qui est apud Patrem. Non enim nihil habet momenti dictio hujusmodi, imo per maximum reddit audienti splendorem divinæ pulchritudinis, præsertim in hoc fortissimo themate, quo in summo negotio legis et gratiæ quædam sit comparatio sive oppositio; non sicut boni et mali, sed sicut perfecti et imperfecti, videlicet ubi dictum est: « Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. » Percipiat ergo diligens auditu fidei, quid hoc B supremo clamore velit insinuare præco gratiæ et veritatis. Quærebas unde haberet Jesus Christus, ut faceret quod facere non potuit Moyses; qua de causa solus esset electus de tot millibus, qui gratiam et veritatem inter Deum et homines restitueret, id est inimicitias solveret, pacemque reformaret (*Colos.* I). Ecce respondetur tibi: Quia ipse est in sinu Patris. Quid est, in sinu Patris? in summa diligentia, in cura et custodia diligentissima est Dei Patris? ad quid? Videlicet ut peccatum illum invenire non possit, quod omnes homines invenit ab initio sæculi; quod omnes omnino animas persequens, invenit foris, et comprehendit unamquamque in menstruis suis. Foris inventi sunt; quia videlicet, projecti sunt, testante Isaia: « et dormierunt in capite omnium viarum (*Isa.* LI), » sicut bestia C illaqueata. Quomodo ergo possent abjectos in gratiam reducere projecti; solvere vinctos illaqueati? Propter quod paulo superius, cum dixisset idem propheta: « Consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, » subsecutus adjunxit: « Non est qui suscitat (*alias*, sustentet) eam ex omnibus filiis quod genuit, et non est, qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis quos enutrivit (*ibid.*). » quia videlicet omnes, ut prædictum est, exierant de sinu gratiæ Dei, cum peccato primæ prævaricationis nati, et insuper actualibus peccatis nequaquam omni ex parte liberi, quamlibet magni et justi. Hic autem foras non abiit, foris non stetit, foris non sedit, quando regionem nostram introivit. Adam nescivit. Serpens ignoravit, Eva nec delectata est, D nec doluit, sed solus Pater Deus Virginis conscius fuit. Qui miro modo Filium hunc, et in uterum ejus misit, et sinu suo continuit, quem et nunc et semper tanta custodit cura, tanta confovet diligentia, ut tentator diabolus nulla unquam inveniat ejus vestigia, ignoret unde veniat, nesciat quo vadat. Quia ergo sic est in sinu Patris, quia peccatum non fecit, nec aliunde contraxit, idcirco ad reconciliandos homines vultui Patris ejusdem assistere venit; idcirco gratia et veritas per eum facta est, sicut supra dictum est, idcirco Deum, quem nemo vidit unquam, enarravit, id est, revelavit, videndum hominibus

reddidit. Hinc est illud in psalmo, quod idem patet, dum dicit opera sua regi huic, dum lingua sua, id est, sancti Spiritus potentia, veluti calamo scribæ velociter scribentis, hoc verbum suum, hanc sapientiam suam potentiamque universam, humanæ naturæ inscribit, alloquitur eum sic: « Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis (*Psal.* XLIV). » Speciosus namque forma est præ filiis hominum; quia videlicet non solum homo, sed et natura Deus est. Nam et filii hominum, sunt quidem aliqui per adoptionem dii, sicut supra dictum est, ex testimonio psalmi dicentis: « Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Hic autem solus per naturam Deus est; solus Patri consubstantialis Filius est. Cujus divinitas hic proprie signatur hoc nomine, quod est forma. Divinitas namque forma est; forma utique non formata (quia videlicet creata vel facta non est substantia Dei, ac per hoc, ut dictum est, constat quia non formata) sed tantum forma est. Formata quippe dicuntur et sunt ea, quæ constant ex materia simul et forma. Verbi gratia ut homo formatus dicitur; quia constat ex corpore et anima. Ipsum quoque corpus solum, constans ex terra simul et Dei plasmatura; vel etiam statua aliqua, constans ex materia lapidea vel ænea, et artificis sculptura. Deus autem ex nulla constat materia. Propter quod semper est idem quod est, non permutatur, nullisque subjacet accidentibus. Quapropter divinitas non formata, ut dictum est, sed tantum forma est. Unde Jesu Christi divinitas proprie signatur per hoc quod dictum est: « Speciosus formæ præ filiis hominum, » ac si diceretur: Ex eo quod Deus es, speciosus et gloriosus es præ cunctis hominibus, quia puri sunt homines. Igitur dicturus, **101** diffusa est gratia in labiis tuis, recte præmisit: « Speciosus forma præ filiis hominum, » quod idem est ac si dicat Joannes evangelista: Idcirco plenus « est gratiæ et veritatis, quia in principio erat Verbum, et Deus erat Verbum. » Vel sic dicat Joannes Baptista: Idcirco « gratia et veritas per illum facta est, quia prior me erat, » vel quia « in sinu Patris est. » — « Et hoc testimonium Joannis quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? » Hoc, inquit, est testimonium Joannis quod dixi, quod nunc perhibet, quod nunc clamat adversus omnes Antichristos, qui ante Mariam Christum fuisse negant, imo et perhibebit et clamabit, quandiu bonis piscibus mali pisces permisti, conabuntur rumpere retia fidei. Hoc verum est ejus testimonium. Quod quando vel qua causa commonitus perhibuerit, jam dicam. Multum enim attinet ad rem scire tempus et causam, præsertim, cum exinde possit dignosci (*Matth.* XIII), utrum ex hominibus an de cœlo testimonium ejus sit, id est, ea quæ de Christo testatus est, utrum ex conjectura humana, an ex prophetiæ spiritu percepit. Hoc ergo dico, quia testimonium hoc quod prædictum est, tunc elocutus est, « quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas

ad eum, ut interrogarent eum : Tu quis es? » videlicet recens a deserto venerat, ubi vitam eremiticam, imo anachoreticam duxerat, adeo secretam et hominibus incognitam, ut quando venit Christus aut Elias, aut unus ex antiquis prophetis, ex occultis et soli Deo cognitis locis apparuisse putaretur. Quod nimirum palam suffragatur veritati, scilicet quod non ex hominibus, ut prædictum est, sed de cœlo testimonium ejus fuerit. Non enim fama Jesu excitus venerat (quippe qui adhuc inter homines occultos degens, nihil famosum operabatur) neque ab illo per visibilem aliquem nuntium fuerat evocatus, sed, sicut Lucas refert, invisibili Divinitatis inspiratione jussus erat, ut veniret prædicare et baptizare. Ait enim : « Anno decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, » et cætera usque « factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto (*Luc.* III), » et reliqua. Itaque nesciebat adhuc Dominum Jesum secundum hominem, donec vidit eum venientem ad se inter turbas, ut baptizaretur ab eo in Jordane, et tunc revelante eodem spiritu, quo super eum factum fuerat verbum Domini, cognovit illum proprium esse templum ejusdem Verbi Domini, ante cujus faciem mittebatur, ut pararet vias ejus. Unde et post aliqua dicturus est : « Et ego nesciebam eum, sed qui misit me in aqua baptizare, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et manentem in eo, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. » Non enim nesciebat venisse Christum, cum ob hoc itaque a deserto illum expulisset Spiritus, ut veniens prædicando et baptizando, insuper et moriendo, suæ coram illo præcursionis officio fungeretur. Neque ignorabat virtutem vel majestatem ejus, cum et minoris gradus prophetæ non ignoraverint, imo et non minora quam Evangelium scriptis quoque suis, ipsi Joanni non incognitis, de Christo protestati sint. Sed secundum hominem nesciebat illum, ut dictum est, id est, cujus figuræ vel habitus esset, aut ubi, vel quibus cum hominibus habitaret. Tanto ergo fidelius et omni acceptione dignius est testimonium, quanto ab omni humano favore purum, vel conjecturali præsumptione constat esse liberrimum. Igitur non ab re, ut jam dictum est, testimonii posito tempore vel causa ; nunc ipsa verba restant, eo quod ad idem testimonium perventum est, ordine disserenda. Noverant Judæi ex lege et prophetis magnum regem Christum esse venturum, nec defecturum regem vel principem de Juda, priusquam veniret ipse, qui mittendum erat. Sic enim dixerat pater ipsorum Jacob : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est (*Gen.* XLIX). » Jam vero sub oculis suis ea videbant, scilicet ablatum esse sceptrum de Juda, ducemque de femore ejus, præsertim cum in regno diviso ac dilacerato, quatuor alienigenæ per partes singulas principarentur. Igitur facile persuaderi poterant, ut crederent venisse Christum, ad omnem sonum

A arrecti semper ac suspensi, novum quid aliquid audire cupidi, utpote, juxta carnalem opinionem suam, habituri auream ac gemmatam Jerusalem, et sæculum carnalem, regnumque victoriosum, ita ut juxta prophetam « capientes essent eos, qui se ceperant (*Isa.* XIV), » scilicet Romanos quorum sub ditione erant. Hoc statim ad prædicationem Joannis facile suspicari poterant, in tantum, ut ipsum esse Christum æstimarent.

Verumtamen carnalem illorum spem non parum offendebat, quod humilitatem pœnitentiæ prædicabat, et genimina viperarum, faciendo fructus dignos pœnitentiæ (*Matth.* XIII), fugere a ventura ira commonebat, et ita omnino regni Dei leges, suis vitiis, quibus libenter inhærebant, contrarias, illo prædi- B cante fore audiebant. « Miserunt, » inquit ergo evangelista, « ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum : Tu quis es ? » Tu, inquiunt, homo tanti nominis, qui tanta auctoritate, novum Baptismi ritum inducis, quem te esse dicis ? Nimirum audire cupiebant ex ore ipsius, utrum ipse esset Christus, sicut vulgo existimabatur. At ille, nec arundo erat, sicut supra dictum est, ut vento adverso posset agitari, et a veritate deflecti ; nec homo mollibus vestitus (*Matth.* XI ; *Luc.* VII), ut mensuram suam excedentis famæ suæ præconia, quasi palpantium manus, molli assensu exciperet, velut faciunt hi, qui in domibus regum sunt, quia potestatem habentes gratulantur, quod ab adulatoribus suis benefici vocentur. Interrogatus ergo protinus excutiens hirtas animi setas, C pilis camelorum, quibus exterius erat contectus, multo asperiores : « Non sum, inquit, ego Christus. » Verax utique veritatis præco, cavit sapienter mortiferum divini nominis adulterium ; velut qui cum paranymphum se esse sciret, clanculum ad sponsum veniendo, sponsum se esse mentiri nollet. Notanda vero diligenter, non frustra ore apostolico sumpta hujusce circumlocutionis exornatio, qua dicit sic : « Et confessus est, et non negavit, et confessus est : Quia non sum ego Christus. » Res quippe, id est, ejusdem quæ in Joanne est veritatis et humilitatis virtutis, quæ hic narratur, tanta est, ut digne elocutio ejus splendentium sententiarum, quasi quibusdam oculis illustretur, ut attendamus, miremur, et ejusdem imitatione delectemur. Nihilominus notandum et D hoc, quod evangelista enuntiationem negativam, qua dicit : « Non sum Christus, » confessionem esse affirmat, negationem esse negat. Nimirum hoc intendit, ut hoc maxime loco Joannem Baptismam, quod omnino probabile verum est, Christi confessorem esse sentias. Nam si Christum se esse dixisset, vel ita opinantibus consensisset, eum procul dubio, qui Chistus est, Christum esse negasset. Igitur ex hoc opposito satis constans est, quia, dum dicit pro testimonio Christi : « Non sum ego Christus, » uno et eodem dicto Christum confessus est, Christum non negavit, ac proinde verus hoc loco **102** Christi confessor claruit. Itaque fidelis Christi testis digne

ab Evangelio Christi testimonium recepit, pronuntiante sic Evangelica veritate : « Et confessus est, et non negavit,» ut subaudias Christum quem profecto negasset,si aliud dixisset, quam dixit: « Non sum ego Christus. » — « Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu. Et dixit : Non. » Non, inquit, juxta sensum vel opinionem vestram, in persona Elias ille ego sum, qui in igneo curru raptus est in cœlum,futuro tempore reservandus [revelandus] (IV *Reg.* II), sed sum homo alius, ante annos circiter triginta, patre veterano, et matre sterili, eademque provecta progenitus (*Luc.* I). Sic enim distinguendum est,quia videlicet sine ulla exceptione Eliam se esse, negare non poterat.Alioquin contrarium hoc esset veritati, dicenti de illo ad turbas : « Si vultis recipere, Joannes ipse est Elias (*Matth.* XI ; *Luc.* I). » Nunc autem quomodo non repugnet, perspicuum est. Nam quod ait Dominus, ipse est Elias, mysticum esse et egere intelligentia sequenti sermone demonstrat, dicens : « Qui habet aures, audiat (*Matth.* XI). » Videlicet in hoc est Elias,quod juxta aliud Evangelii testimonium, venerit in spiritu et virtute Eliæ, et eamdem Spiritus sancti gratiam habuerit vel mensuram.Sed et vitæ austeritas rigorque mentis Eliæ pares sunt. Ille in eremo, iste in eremo, et uterque zona cingebatur pellicea. Ille, quoniam regem Achab et Jezabel impietatis arguit, fugere compulsus est (III *Reg.* XIX); iste, quia Herodes et Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur (*Matth.* XIV). Vel idcirco Joannes Elias vocatur, quia sicut juxta Malachiam, Elias præcessurus est,et venturum Judicem nuntiaturus (*Malach.* IV), sic Joannes in primo adventu fecerit, et uterque, hic primi, ille secundi adventus nuntius sit (*Marc.* I ; *Luc.* III). Itaque mysticum est, quod Joannes a Salvatore Elias dictus est. At illi mysteria non quærebant,de persona tantum Eliæ requirebant. Igitur contrarium non est sententiæ veritatis, quod Eliam se esse denegat, quia procul dubio, quod mystico intellectu, ut jam dictum est, verum erat; illorum sensu, qui interrogabant, si diceret : Elias ego sum, falsum erat. « Propheta es tu ? Et respondit : non. » Et hoc plane verum est, licet de illo dicat Dominus : « Quid existis in desertum videre ? prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam (*Matth.* XI ; *Luc.* VII). » Joannes enim virtute quidem propheta erat, sed officio propheta non erat. Quod autem officio propheta non fuerit, palam fiet ex ipsa definitione officii prophetici. Prophetarum officium fuit, Verbum Domini, antequam caro fieret, carnem assumpturum esse, dictis præsignare,factis præfigurare. Nam,etsi sunt vel fuerunt plurimi,qui diversis in rebus prophetiæ Spiritu perdoceri meruerunt ; eos tamen solos Ecclesia sancta computat in catalogo prophetarum qui de summis rebus,id est, de Verbi incarnandi mysteriis sancti Spiritus oraculum mente perceperunt, voce et litteris mundo annuntiaverunt. Joannes autem non hoc modo Verbo Domini obsecutus est ;

A quippe qui non in umbra futurorum,sed in veritate erat præsentium ; neque proferebat propheticum sermonem, cui attendendum esset, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, sed digito prætento monstrabat verum solem exortum eis, qui toti aversi, mortalitatis suæ sequebantur occasum ; Christi namque humanitati pene coævus aderat, cujus exortum non plus quam sex mensibus ipse ortu suo præcesserat. Igitur officio propheta non erat, recteque hoc denegat requisitus, velut si dicat sponsæ paranymphus : Non ego legatus, ut cæteri, xenia tibi vel eulogias a sponso tuo detuli,sed ipse sponsus me architriclinum vel consecretalem habens, ecce te nuptiali die convenit. Virtute autem vel gratia Propheta, imo plus quam

B propheta erat; videlicet præsentem prophetarum omnium verticem Christum contingens,ipsius mysteria Prophetis omnibus familiarius noverat. Sed dicit aliquis : Cur interrogatus, utrum esset propheta,cum de officio negavit, de virtute vel gratia reticuit ? Videlicet quia cum hi, qui interrogabant, ex adverso consisterent, quod et paulo post Evangelista latenter innuit, cum dicit : « Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. » Cum ergo iniqua vel insidiosa intentione starent ex adverso, non placuit Joannis habitatori Spiritui sapientiæ, ut illis alio modo respondere dignaretur.Tantum ad interrogata respondit parcitate irreprehensibili : Quia videlicet nemo jure reprehendit,quod non respondetur ultra vel aliter quam modus inquisitionis exigit. Duo

C namque modi sunt inquisitionis. Unus,qui proprie interrogatio dicitur,quo solo dialectici utuntur,quo cum aliquid inquiritur, semper aut est, aut non responderi oportet. Hoc videlicet modo nunc isti adversarii sunt usi, dicentes : Elias es tu ? propheta es tu ? Alius vero modus inquisitionis est, qui nihilominus proprie percontatio dicitur ; quem dialectici nesciunt, quo cum aliquid inquiritur, multa ac diversa, pro voluntate vel sensu respondentis. subjiciuntur, quo item iste tandem utuntur, dicentes : « Quis es,ut responsnm demus his,qui miserunt nos? quid dicis de teipso ? » Quandiu ergo hi qui sibi sapientes et prudentes videbantur,interrogationibus irreverenter habitaculum tantæ gratiæ pulsaverunt,simplici negatione,juxta modum inquisitionis (ut par erat) cassati sunt.Ubi vero quomo-

D docunque ad percontationem descenderunt, dicentes: « Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos ? quid dicis de teipso ? » Tunc delectis illis sacerdotibus et levitis,hoc de seipso respondit, quod interrogare ipsi non nossent,quoque auditum præ altitudine mysterii nullatenus attingere ac per hoc pede sui contemplus conculcare non possent. Ait : Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini,sicut dixit Isaias propheta.» Eant nunc magistri Scripturarum, qui clavim scientiæ tulerunt (*Luc.* XI), profitentes penes se magisterium esse legis et prophetarum ; eant isti, et suo sensu, si possuntperspiciant hujus lectionis suæ sacramen-

tum, aut certe si non possent, humiliter ab ipso solvi postularent a quo sublimiter est propositum. At illi sapientes videri magis quam esse volunt, nescire quam discere malunt, nunc maxime, quando ob hoc missi sunt, quia tales æstimabantur, qui possent comprehendere omne responsum, et de omnibus quæ dicerentur, certum habere judicium. Ergo prave prudentes declinant animo retrorsum, et hoc responsum dissimulatores callidi, quasi non audierint, surda aure prætereunt. Unde et rideant parvuli, quibus hæc et cætera talia revelata sunt, abscondita autem a sapientibus et prudentibus, qui humilem spiritus altitudinem per superbiam nescientes, dejiciuntur dum extolluntur; et circa viles litteræ sarcinulas occupantur. Ex hoc enim, quod ait Joannes : « Ego vox clamantis in deserto, » ex hoc dicto solis parvulis, id est, humilibus intelligi datur, quia contemporalem Christo se esse fatetur. Ac si aperte dicat, sicut supra dixi : « Non sum ego Christus, » sed ego ille sum, quem Isaias interiori audivit auditu clamantem vobis, ut paretis vias ejus, quia nunc adest idem Dominus, scilicet Christus. Clamo enim nunc vobis : « Parate viam Domini ; « quia videlicet dico vobis : « pœnitentiam agite, **103** appropinquabit enim regnum Dei (*Matth.* III). » Cum ergo vox mea tanta sit, ut tanto ante tempore audierit propheta tantus super custodiam suam, imo super custodiam Domini, stans totis noctibus, et si aspiciens a longe vidensque Christum, me quoque vidit et audivit in spiritu, et gaudio attonitus exclamavit, dicens : « Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri (*Isa.* XL). » Cum ecce tantus ego sim, ut de me quoque sit prophetatum, et homines me suspicati sunt ipsum quem exspectatis, esse Christum, dignum est ut credatis mihi, cum vobis ostendero Christum. Sicut enim ad hoc fit vox, ut verbum audiatur, sic ego ad hoc vel natus sum, ut per ministerium meum Christus, qui est incarnatum Verbum Patris, præsens agnoscatur Et quid clamo? « Parate viam Domini. » In via namque est Dominus, viam vitæ præsentis est ingressus. Et qui secundum se, semper idem est, secundum nostræ mutabilitatis varietates, ad grande opus proficiscitur. In via nunc est : Ecce « tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal.* XVIII). » Unde et quo iturus est ? « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*ibid.*). » Nolite obviare, nolite resistere, nolite offendicula ponere. Nam « super quem ceciderit (*Matth.* XXI), » comminuet eum. Væ illis quorum scelere in mortem casurus est (*Luc.* XXII), — « Dirigite ergo, inquit, viam Domini. » At illi surda, ut prædictum est, aure clamorem ejus prætereuntes, quasi nihil dixerit, dicunt in conclusione sic : « Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta ? » Poterant eadem memoria tenere id quod novissimum audierant, qua et superiora diligenter computant, nisi doctrinam mallent invidere quam quærere. Quod evangelista, ut supra dictum est, tacite innuit, cum subjungit : « Et, qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. » Ex Pharisæis, inquit, erant, videlicet ex eis, qui non Dei, sed suam quærebant gloriam, qui clavem scientiæ tulerant, et nec ipsi introibant, nec alios intrare sinebant (*Luc.* XI). Quo vitio nunc Joanni insistebant, non solum non pœnitentes, sed et alios invitari ad pœnitentiam non ferentes, ac dicentes : « Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta ? » Igitur, ut dictum est, « quando miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas, » et illi sic eum interrogaverunt, sic percontati sunt, tota exspectante Synagoga Judæorum et Pharisæorum, a quibus missi sunt : tunc perhibuit Joannes de Christo hoc testimonium, quod magna ex parte supra scriptum et expositum est. Tunc « exaudita est vox clamantis in deserto, » imo a deserto venientis, ubi solitarius et Eliæ persimilis vitam aluerat, qualem decebat esse legitimi et immaculati testis, ne oculi qui visuri erant præsentiam veræ lucis quidpiam haurirent de omni quæ in mundo est concupiscentia carnis : ne digitus, quo prætento demonstraturus erat Agnum Dei, vel manus quas subiturum, et a quibus baptizandum erat caput reverendum potestatibus angelicis, aliquid tangerent de omni massa picis coinquinantis, et pulchritudo oris, a quo primum audiendum erat testimonium gratiæ et veritatis, aliquo modo deflloresceret, loquendo aliquid vani aut otiosi sermonis. Tunc illa audita est vox magna, vox præclara, a deserto venientis, imo et [*ad.*, ex] illo deserto clamantis, ubi quondam justitia habitavit, nunc autem homicidæ, quos eadem justitia deserentes se deseruit, quorum ex conventu erant hi, quibus, ut supra dictum est, insistentibus hoc modo respondit : « Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. » Ego quidem, inquit, non abs re, non absque cœlesti auctoritate, non veniens a meipso, sed missus a Deo, « baptizo in aqua, » proinde sum omnibus admirationi, et quis sim ego tantopere quæritis, quia non de medio vestri, non de conversatione communi, sed a deserto, veniens cum voce prædicationis, actum et habitum præfero sanctitatis. Et hæc quidem nonnulla sunt, sed medius vestrum stetit, id est, in frequentia plebis jamdudum ambulavit, in convictu hominum assuefactus est, de habitatione communi, quem tamen vos nescitis, quem scire expedit, quem quærere oportet, quem invenisse prodest, in quem credere salus est. « Ipse est qui post me venturus est, et qui ante me factus est. » Et cætera quæ supra exposita sunt, quæ hoc ordine ingressus fidelis orator elocutus est : auditores magis habens attentos quam dociles aut benevolos, curiositate videlicet propria magis attentos quam benevolentia. Et extunc ipse quidem minui, Christus autem Jesus crescere cœpit (*Joan.* III), sed sic diminuendo se coram hominibus, tantum crevit coram Deo, ut ultra illum crescere nullus potuerit homo. « Ego, inquit, baptizo in aqua. » Jam in hoc dimi-

nutionis ejus magna est humilitas, quod cum dixisset, « Ego baptizo, » addidit, « in aqua : » videlicet, ut subaudias id quod paulo post dicturus est : « Ille autem in Spiritu sancto baptizat. » Et quidem Christus quoque in aqua baptizat ; sed hæc est tertia, imo minima baptismi ejus substantia. « Tres quippe sunt qui testimonium dant » in baptismo Christi : « Spiritus, aqua et sanguis (*I Joan.* v). » Horum, ut dictum est, aqua minimum est, in qua sola baptizabat Joannes, antequam glorificato Jesu, datus esset Spiritus (*Joan.* vii), imo et antequam lanceato Jesu fusus esset sanguis ejus. Maximum est Spiritus, in quo solo peccatorum remissio datur, quam Joannes dare non prævalens, baptizando in pœnitentiam baptismo Christi populum præparabat. Christus enim per aquam et sanguinem veniens, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine, solus in Spiritu baptizat, testificante quomodo Christus est veritas, qui solus remissionem peccatorum dat, aqua signatam, sanguine emptam, Spiritu sancto effusam. Suæ ergo diminutionis causa hæc ab ipso majoris ac minoris, tam longe differens oppositio facta est. Amplius autem ac manifestius, ex eo quod sequitur, semetipsum diminuit, ut crescat æstimatio magnitudinis Christi. Ait enim : « Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est. » Hoc superius expositum est, scilicet in eo post Joannem venire Christum, quia nativitatem, prædicationem, baptismum quoque et mortem ejus, ipse nascendo, prædicando, baptizando quoque et moriendo secutus sit. Et in hoc ante illum factus est, quod illi prælatus est. Sed hoc est magnum ac præclarum humilitatis speculum quod subsecutus ait : « Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. » Hoc etenim dicto præsentibus qui aderant nota similitudine, juxta quod audire vel capere poterant, cum maxima sui diminutione, Christi commendat excellentiam, et nobis de pectore fecundæ gratiæ perpulchre signat illam quam nunc videmus viduitatem vel abjectionem Synagogæ. Mos enim apud veteres fuit ut, si quis eam quæ sibi competeret, accipere uxorem nollet, ille calceamentum ei solveret qui ad hanc sponsus jure propinquitatis veniret (*Deut* xv ; *Ruth.* iv). Cui autem magis competebat ut uxor esset Synagoga quam Christo ? Cujus tota Patris hæreditas, vel universa quæ est ab initio usque ad finem sæculi Ecclesia ? Quis enim **104** Patri propinquus magis quam Filius ? Sed hic competentem sibi uxorem ducere recusat, quia quondam Deo conjunctam Synagogam repudiat. Non ergo putet eadem Synagoga quod a Christo pro vitio suo repudiata, Moysen aut prophetas habeat. Videlicet, quia sicut Joannes de seipso testatur (*Joan.* iv), nemo propinquorum Christi dignus est solvere corrigiam calceamenti ejus, id est, nemo patriarcharum aut prophetarum apud illam remanere, vel eamdem salvare potest, quæ Christi conjunctione indigna est. Quod tamen et aliter intelligi potest ; nam, quia calceamenta ex mortuis animalibus fiunt, incarnatus

A Dominus, quasi calceatus apparuit, quia in divinitate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit. Unde et per Prophetam dicit : « In Idumæam extendam calceamentum meum (*Psal.* lix), » id est, gentibus innotescam per incarnationis meæ mysterium. Sed hoc ipsum Incarnationis mysterium oculis cælis penetrare non sufficit. Investigari enim nullatenus potest, quomodo corporatur Verbum, quomodo summus et vivificator Spiritus, intra uterum matris animatur, quomodo is qui initium non habet, et existit, et concipitur ; Joannes ergo solvere corrigiam calceamenti ejus non valet, quia incarnationis ejus mysterium, nec ipse investigare sufficit, qui hanc per prophetiæ spiritum agnovit. Sed, o tu Joannes, veritatis et gratiæ symmistes, nunquid non
B saltem hoc scire potes quam ob causam illa corrigia ligata est ? Nunquid ignoras quo vel quali in diversorio divinitas calceata est ? Nunquid nescis quali ex muliere Verbum caro factum est ? Ignoras tu, cœlestis paranymphus et sponsi amicus, quod nos parvuli Ecclesiæ filii non ignoramus ? Cur ergo silet de hoc « vox clamantis in deserto ? » Cur non hoc evangelizas, et vocem exaltas ? Videlicet, quia tempus nondum est. « Tempus enim loquendi, et tempus tacendi (*Eccle.* iii). » Tempus hæc loquendi tunc erit, cum Filius hominis a mortuis resurrexerit. Non ergo ab re gemit affectus amantis, et magno desiderio clamantis, suæque imputat indignitati quod tempus non habiturus sit, ut currat cum speciosis pedibus super montes evangelizantis et « prædi-
C cantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis : Sion, regnabit Deus tuus (*Isa.* lii). » Hunc affectus ejus clamorem vehementem, evangelista Matthæus ab iis verbis non minus exprimit, dicens : « Qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare (*Matth.* iii). » Quid enim est calceamenta ejus portare, nisi prædictum incarnationis ejus mysterium palam mundo annuntiare ? Fecerunt hoc apostoli, quos propheticus beatificans spiritus : « Cœli, inquit, enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* xviii). » Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*ibid.*). Et quis sonus, quæ verba eorum ? « In sole, inquiunt, posuit tabernacu-
D lum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*ibid.*), » etc. Hoc etenim facientes apostoli, calceamenta ejus in Idumæam et in omnes alienigenas extensa portaverunt, pro quibus et contumeliam pati (*Actor.* v), et mori digni sunt habiti. Joannes autem in spiritu prævidet enarrandæ illius gloriæ tempori, se non esse servandum : magnus quidem et nullo minor apostolorum, sed de seipso humiliter sentiens, et gratiam, quæ in se est comparatione illorum qui illam Dei gloriam enarraturi sunt, parvam ducens. Scit namque quia priusquam Christus illa per passionem calceamenta deponat, suisque electis per totum mundum por-

[illegible]enda imponat, ipse in angustiis Judeæ consummandus, et ad inferos descensurus sit; ut illuc quoque officium suæ peragat præcursionis. Gemit ergo, profitens quod calceamenta ejus portare, vel corrigiam ejus solvere indignus sit, id est mysterium incarnationis Christi, gloriamque resurrectionis non mereatur cum beatis annuntiare apostolis. Verumtamen non Macherunta Galilææ oppidulum, non carcer Herodis adulteri, tantum caput continere potuit, quin per omnem mundum quadrigis emicans evangelicis, cum firmamento cœli enarraret gloriam Dei, id est cum beatis apostolis altisonum ferret testimonium Verbo Dei. Sicut usque hodie personare non desinit in Evangelio ejusdem Filii Dei, notus et inclytus, maxime ex illo famoso testimonio, quod ei Christus ipse perhibuit: « Quia nemo inter natos mulierum major eo surrexit (*Matth.* XI). » — « Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. » Quia locus quoque quæri solet in causis, scilicet celebris, an desertus sit is, in quo actum quid, vel dictum asseritur: bene locum quoque evangelista, in quo tanta vox clamantis insonuit, subjicit dicens: « Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. » Ac si dicat: O vos Scribæ et Pharisæi, testimonium hoc quod de cœlo esse non potestis diffiteri, latere quemquam vestrum non potuit. Nam et propinquus erat locus, utpote, tantum quindecim stadiis distans ab Hierosolymis, et tunc nimium celebris: quia videlicet ibi erat Joannes baptizans (*Matth.* XXI), et egrediebatur ad illum, ut alii quoque evangelistæ referunt (*Matth.* III; *Luc.* III), et vestri non tacent historiographi, « omnis regio Judææ et Hierosolymitæ universi, et baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua (*Marc.* I). » Excusabiles igitur vos esse non sinit Verbum Domini, quod trans Jordanem, tam prope ad vos accessit, et tali in loco, talem per hominem, eo tempore quo misistis ad illum, testimonium perhibuit veritati. Sed vos quidem non credidistis ei, at ille in Bethania, id est domo obedientiæ, scilicet in Ecclesia, quæ est domus Christi, obediens fidei ejus, itidem clamare non desinit, vos impietatis accusans, nos in fide Christi suo testimonio corroborans. Interea nemo qui ambigat, Joannis animam desiderio suspensam cælo inhærere, et eum quem intus agnoverat, foris quærere oculis intentis et animo jugiter orante. Nam Spiritu sancto edoctus, idcirco a deserto venerat, et confluentes ad se turbas excipiens, baptizabat, ut eum qui peccata mundi tolleret, venientem inter peccatores, quod procul dubio futurum erat, et cæteris palam ostenderet. Sic enim et ipse paulo post dicturus est: « Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. » Cum ergo staret in excelso speculator omni mundo sublimior, desiderio vulneratus, et cœlum pulsans gemitibus salutem suam videre sitiens, ut eam et vivis ostenderet, et mortuis nuntiaret. « Altera die vidit eum venientem ad se. » Altera, inquit, die, postquam tanto clamore præco

A veritati obsecutus est, præmium recipit fides, devotio remunerata est. Magnum utique recipit præmium illud, scilicet quod ipse, qui sanctorum omnium corona est et præmium, pro magno repromittit dicens: « Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (*Joan.* XIV). » Quomodo enim Joannes videns agnovisset eum nisi aliqua ex parte Jesus manifestaret ei seipsum? Nunquid agnovisset eum, si veniens solam manifestasset ei servi **105** formam, quam omnes videbant? Non utique, quia, sicut jam dictum est, secundum hominis formam, ut Joannes ipse testatur, nesciebat eum. Vidit igitur in forma hominis illam qua « speciosus erat præ filiis hominum, » speciem et pulchritudinem, vidit mundo corde illam quam protestatus fuerat per

B eum factam esse gratiam et veritatem. Vidit illum et ait: « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. » Hoc plane, quod dilatata mente vidit, hac brevi enuntiation mirabiliter expressit. Suavitatem Dei, quam ex corporali pariter et spirituali ejus aspectu dupliciter delectatus degustavit, nobis protinus degustandam, gratulationis voce refudit. Qui enim « exsultavit infans in gaudio (*Luc.* I), » cum adhuc esset parvus in utero quod in aulam virgineam Rex sæculorum descendisset: quanto exsultavit tripudio juvenis prædicans, cum idem Rex Christus coram alloquendus adesset? Et qui tam digna, quæ supra elocutus est, de illo sentire meruit, dum sola mente videns, exterioribus illum quæreret oculis, quanto magis ubi illum invenit, dignum aliquid exclamando effari debuit aut potuit? Exclamavit igitur magno

C concussus impetu sancti Spiritus et prioribus verbis quasi auro mundo gemmam pretiosam superaddidit, dum gaudio mentis in vocem erumpente, dixit: « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. » Cunctis namque superior sermo ejus, quasi aureum subsellium rutilat in evangelica Christi quadriga. Hoc vero dictum, tanquam pretiosissimus lapis, ad augmentum decoris accedit, quod sancta Ecclesia certatim rapiens in fronte et in pectore suo præfixum, frequentius concelebrat in laudibus Christi. « Ecce, inquit, Agnus Dei. » Ubi agnum audis, evidentem magni sacramenti aditum invenis. Notum quippe est quia per immolationem Agni liberatus est ab Ægyptiaca servitute populus Dei, et Pharaonem cum omnibus Ægyptiis (*Exod.* XII), quorum duri-

D tiam decem plagæ non vicerant per manum Mosi, solus agni cruor, et vespertini mystica virtus sacrificii contrivit, cæsis omnibus primogenitis (*Exod.* XIV). Filios quoque Israel par mare Rubrum transire fecit, submerso Pharaone cum curribus et equitibus suis. Hanc umbram futurorum, in veritate Christi mox adimplendam, Joannes propheta et plus quam propheta, digito demonstrat: « Ecce, inquiens, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, » ac si dicat: Non plagæ decem præceptorum, quæ per Moysen data sunt, verberaverunt sufficienter, usque ad plenam victoriam spiritualem, Pharaonem libertatis et vitæ nostæ exterminatorem, sed sanguis

hujus Agni, id est hominis innocentis, qui nullum omnino peccatum fecit, Agni veri absque macula, quem nec originale, nec aliquod actuale peccatum offuscat, liberos nos ab illo mortis præposito et principe tenebrarum, transire faciet in illam,quam in primo parente perdidimus,patriam lucis et veram terram repromissionis.Non enim decem præceptis, tanquam in decem plagis, resistendo spirituali Pharaoni, neque in carnalibus sacrificiis, potuimus ad perfectum justificari nos, aut patres nostri,sed hic Agnus tollet peccata mundi,quando pendens in cruce, rivo sanguinis et aquæ de latere suo profluentis, universam Ecclesiam suam emundabit, quatacunque est vel erit ab initio, usque ad finem sæculi. Hoc intendens hic ipse Joannes Baptista, secundum alios evangelistas dicebat: « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? » (*Matth.* III, *Luc.* III.) Debebat enim tam ipse, quam omnes electi baptizari in sanguine Christi quia videlicet hactenus excubabat foris universa ab origine mundi Ecclesia, non admittente summæ justitiæ censura, ut cœleste sanctuarium ingrederetur antiquæ prævaricationis delicto menstruata. Unde dicit unus ex sanctis illis sanctus et magnus Isaias propheta: « Facti sumus ut immundi omnes nos, omnes justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ (*Isa.* LXIV).» Ergo quod ait Joannes: « Ego a te debeo baptizari, » hoc tam de se quam de omnibus quotquot præordinati sunt ad vitam, veraciter sensit. Per solam quippe gratiam ad regnum cœlorum reducimur,quod nullis operum nostrorum meritis comparare possumus. Nam et Abraham potuit quidem per fidem suam vel justitiam (*Rom.* III), paterni reatus evadere pœnam, sed nullis meritis, illam, qua in primo parente juste exhæredatus est, potuit redimere gloriam. Res est non meriti, sed gratiæ, magnitudo vel æternitas cœlestis gloriæ. Gratis data est beatis angelis, gratis nihilominus data fuit primis parentibus humani generis, gratis omnino, id est, per solam Christi gratiam redditur nobis, quicunque per ipsum nunc reconciliationem accepimus. Igitur solus et verus « hic est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. » Quo dicto mirabilis præco veritatis breviter utramque in una persona substantiam,scilicet Dei et hominis ostendit, utramque, id est passibilem humanitatis, impassibilem vero Divinitatis naturam confitendam exprimit.Nam ex eo, quod homo est, potuit quasi agnus mansuetus portari ad victimam (*Isa.* LIII),deditque corpus suum percutientibus et genas suas vellentibus, ut carnibus ejus cibaremur et lanis ejus operiremur, et confixus atque lanceatus est, ut sanguine ejus postes nostrarum frontium signarentur (*Exod.* XII). Ex eo autem, quod Deus est, quod potuit tollere peccata mundi, ascendens ad prædam,et rugiens apud inferos, ut catulus leonis (*Gen.* XLIX), non valente resistere antiquo prædone tyranno mortis, et nunc morte superata,sedens ad dexteram Patris, credentium in se potenter peccata dimittit. Bene

A ergo hic evangelista, cui propositum est testimonia congerere divinitatis Christi,dictum hoc non omittendum putavit, præsertim cum tanti sit splendoris, ub ab hoc effectu, id est, ab eo quod tollit peccata mundi, maxime comprobetur id quod superius dictum est, « plenum gratiæ et veritatis. » Sequitur: « Hic est de quo dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. » Ac si dicat: Ne alium suscipiatis in nomine Christi, tanquam ipse sit Christus,neque seducamini quando dicent vobis: « Ecce hic Christus, aut illic (*Matth.* XXIV): » quia hic, et non alius, hic, inquam, est Christus, de quo dicebam vobis: Hic est, « qui venit benedictus in nomine Domini (*Marc.* XI); » alius cum venerit in nomine suo, videte ne illum
B suscipiatis. Hic Jesus, ut putatur Filius Joseph, Christus est (*Matth.* XXI; *Luc.* III), tempore certo, et præfinitis diebus natus in Bethleem ex semine David, scilicet quando ablato sceptro de Juda, et duce de femore ejus (*Gen.* XLIX), alienigena Herodes in regno David principabatur.« Et ego nesciebam eum,sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. » Nequeo satis admirari rerum omnium artificem, omnem habentem virtutem,omnia prospicientem Dei sapientiam,quomodo summis in negotiis,non, dedignata comitem habere sæcularem eloquentiam,sic utatur illa veluti ancilla, sic secum illam abducat,ut magnitudine sua totam operiat; adeo, ut nonnisi a diligentissimis internosci queat garrulæ hujus pedissequæ præsentia.Ecce enim dum sapientes in astutia ipsorum comprehen-
C dere gestit, evidentissime syllogismum fecit.Supra namque per hunc Joannem Baptistam,fidelem suæ voluntatis interpretem proposuerat provide, de absente Christo dicens: « Quia prior me erat, » de plenitudine ejus nos omnes accepimus, **106** et gratiam pro gratia, etc. Concessit auditor omnis populus, imo et libenter accepit,Christum magnum fore regem, magnum et inclytum ducem,habiturum coronam regni in capite suo, et dominaturum a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (*Psal.* LXXI). Hæc enim una erat omnium sententia de Christo,et sic prophetæ indicaverant de illo.Tanto ergo attentius audierant, et tanto proclivius testificanti Joanni concesserant, quanto carnalibus subditi affectibus voluptates cor-
D poris et omnium rerum affluentium, et per omnia carnale sæculum, Christo regnante,sibi non defuturum sperabant. Igitur constante apud auditores tanti præconis propositione, veniente tandem Jesu, inter alios homines ad Joannem assumit Spiritus sanctus per os ejus dicens: « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: hic est de quo dixi, » etc. Ac hæc auditor, qui supra nullatenus conquiescit,imo quantis potest argumentis de pugnando contradicit: Jesus enim homo Galilæus erat,inter eos,ut cæteri hominum, hactenus ambulaverat,tanquam in patria sua (*Matth.* XIII). Sed profecto verum est illud, quia nemo propheta acceptus in patria sua (*Luc.*

IV). » Oportet ergo ut hic, qui assumpsit, confligat A in eadem assumptione sua, quod et facit validis utens testimoniis, et ad ultimum concludens sic: « Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. » Igitur cum dixisset: « Ecce Agnus Dei, » et cætera, protinus ad confirmationem sui sermonis, et confutationem adversarii, sumptum de cœlo testimonium infert, cum dicit: « Quia vidi Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, et manentem in eo. » Et ut purum esse ostendat testimonium suum, ab omni humano favore vel gratia, et « ego, inquit, nesciebam eum. » Ac si aperte dicat: Cur me æstimes gratia, vel favore humano conductum, hoc illi perhibere testimonium? « Ego nesciebam eum, » quippe qui cum in deserto anachoreta essem, nullam antehac habueram cum B illo conversationem, nullumque colloquium. « Sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. » Id est, non veni a deserto, eo quod scirem eum: sed veni ego idcirco, ut scirem eum. Sed dicis mihi: Unde vel hoc nosse poteras, quod in aqua baptizans invenires eum, nisi quia sciebas eum? Ad hæc, inquam: « Et ego nesciebam eum, » sed qui misit me in aqua baptizare, ille mihi dixit: « Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem in eo, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. » Itaque non voluntate humana, sed auctoritate divina, veni in aqua baptizans. Et quomodo mittebatur Samuel in Bethlehem (*I Reg.* XVI), sciens esse in filiis Isai, quem ungeret in regem, sed quis filiorum ejus esset nesciens; sic et ego veni in Jordanem, Chistum jam venisse sciens, sed in persona quis Christus esset, nesciens. Et sicut idem Samuel ex occursu faciei David agnovit, « erat enim rufus et pulcher aspectu, decoraque facie » certior autem factus est, dicente Domino: « Surge et unge eum, ipse est enim, » sic et venientem hunc ad me, et revelante Spiritu agnovi et dixi: « Ecce Agnus Dei, et ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? » Certior autem factus sum veniente super eum Spiritu in specie columbæ. « Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. »

LIBER SECUNDUS.

Tria sunt, quæ hoc loco distincta diligenter considerandа sunt, scilicet: baptismus Joannis, de quo ipse ait: « Sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. » Baptismus quoque Christi, de quo ad ipsum Joannem dictum est: « Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. » Et columbæ species, in qua Spiritus sanctus supra Dominum descendens, eidem Joanni ostensus est. Hæc, ut jam dixi, diligenti consideratione digna sunt. Quia videlicet magna sunt et alta, quorum intellectu fides pascitur, spes enutritur, charitas accenditur, totusque homo interior, velut matutinæ lucis infusione serenatur. Illud igitur divinæ gratiæ prævio lumine, primum quærimus, quæ causa, vel intentio fuerit, ut Joannes, Christi gratiam nomine signans, officio prædicans, veniret, ut ipse ait, « in aqua baptizans. » Et quidem causa illa protinus occurrit, quod idcirco venerit baptizans in pœnitentiam, ut hoc modo illi viam pararet, qui veniens post ipsum baptizaret in remissionem peccatorum. Sed nunquid adeo necessarium erat baptizare in pœnitentiam, quasi glorificato Domino Jesu nemo posset, nisi sit præparatus, baptismi ejus percipere gratiam. Hoc certe omnino alienum est a fide. Nam econtra, pauci admodum de gente illa, cui baptismus pænitentiæ prædicatus est, baptismum Christi consecuti sunt; ad nos autem absque baptismo pœnitentiæ tota transmigravit gratia baptismi in remissionem C peccatorum. Quid ergo intendit Spiritus sanctus qui prophetas omnes misit, suo quemque tempore, dum Joannem a deserto expulit, ut iret ad prædicandum baptismum pœnitentiæ? Non enim sterilis Judæa, valde dignos attulit pœnitentiæ fructus (*Matth.* III). Nec vero frustrari potuit in hoc facto, quæcunque fuit intentio ejus, quem procul dubio misit Spiritus sanctus, cujus instinctu quæcunque cœpta sunt, nullo prorsus impedire valente, perficiuntur. Erigenda est igitur consideratio ab illa exili pœnitentia populi, quæ profecto, quantulacunque fuerit, nihil dignum attulit tanto molimine **107** vocis clamantis in deserto: « Dirigite viam Domini. » In ipso namque Domino nostro causam eamdem qui quærit, hoc modo inveniet. Nemo fide- D lium, qui dubitet Christum Jesum idcirco venisse in carne, ut peccata mundi tolleret, et in se transferret, juxta prophetam dicentem: « Et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, et pro nobis dolet, et disciplina pacis nostræ super eum (*Isai.* LIII). » Hanc autem veram et summam esse pœnitentiam pro omni mundo celebratam, res ipsa ostendit, ratio sentit, fides sancta confitetur: in ipso namque habitu pœnitentis, hunc Dei Filium propheta idem qui supra intuens, et ascendit, inquit sicut virgultum, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus (*ibid.*), etc. Igitur ad agendum pro cuncto

mundo pœnitentiam, qua peccata cunctorum expiaret, Dominum nostrum venisse dubium non est. At ipse juvenilem jam attigerat ætatem, et cum sciret se ad hoc venisse, ut tanto pro cunctis, ut dictum est, officio fungeretur, humiliter apud se latebat, exspectans in forma servi, jubentis Patris imperium : videlicet, in [ut] totum opus suum, non voluntatis propriæ ad veræ atque perfectæ foret obedientiæ. Dandum quippe nobis in semetipso noverat exemplum, ne quis nostrum, de sanctitate vel scientia confidens, præripere audeat munus ecclesiasticum, maximeque sancti ac venerabilis sacerdotii gradum. Quod videlicet ejusdem Christi Domini peccata mundi tollentis, proprium est ministerium. Unde Apostolus ait : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad Deum : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Hebr.* v; *Psalm.* VIII). » Illo ergo, sicut dictum est, legitimam atque ordinatam suimet exspectante promotionem, venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : « Pœnitentiam agite ; appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Hanc autem Joannis prædicationem, hujus esse vocationem, testatur idem Joannes Baptista, in hoc Joannis evangelio dicens : « Quia ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. » Igitur causa, cur Joannes venit in aqua baptizare et prædicare baptismum pœnitentiæ, non est alia quam hæc, ut ille Sanctus sanctorum, qui solus erat idoneus ferre pœnitentiam, pro peccatis omnium electorum, adventum ejus, ab origine mundi exspectantium, hac voce publica vocatus, accederet palam ad cœleste sanctuarium, in conspectu Dei Patris et sanctorum angelorum, ubi eodem spiritu in columbæ specie super se decendente designaretur Pontifex, quo dudum in Mariam superveniente, idem sanctus et immaculatus homo conceptus est, non aliam habiturus quam offerret hostiam nisi carnem propriam, quam statim quadraginta dierum et quadraginta noctium jejunio (*Matth.* IV), deinde omnibus pœnitentiæ modis afflictam, tandem pro peccatis nostris oblaturus erat Deo Patri, « hostiam in odorem suavitatis » acceptam (*Ephes.* v). Hoc autem totum sic oportebat fieri, quatenus et curiosam diaboli malitiam, totamque ejusdem Satanæ Synagogam consilium Dei pro tempore lateret, et de ipso latibulo suo crebris intermicans beneficiis, ejus sapientia simplicibus proficeret. Propositum namque erat utiliter, ut primo adventu occultus veniret Filius Dei. Nam secundo idem « Deus noster manifeste veniet et non silebit (*Psalm.* XLIX). » Bene ergo Joannes ex consulto sancti Spiritus ministerium suum, quo solus quærebatur Christus, mittit in turbam, palam universis baptismum prædicans, cunctosque baptizans in pœnitentiam, ut, dum idem pluribus cernitur, occasio dissertandi de uno ad præsens subtrahatur. Sic profecto Samuel, de quo supra dictum est, missus ungere regem, quem providerat sibi Dominus in filiis Isai, et timens ne audiret Saul, vitulum tulit de armento ex præcepto Domini, veniensque Bethlehem admirantibus senioribus, et dicentibus : « Pacificusne est ingressus tuus? Pacificus, inquit : Ad immolandum Domino veni. Sanctificamini et venite mecum, ut immolem. Et eduxit eos ad sacrificium (I *Reg.* XVI). » Sic nimirum et illic unctionem electi regis, et hic manifestationem Salvatoris, divina providentia in magna frequentia secretam esse voluit, resque effecta est consulte magis quam occulte Quia videlicet idcirco facta est, ut sciretur in suo tempore. De his qui baptizabantur in Jordane ab eodem Joanne, ut ait Lucas (*Luc.* I). peccata sua confitentes, et dignos fructus pœnitentiæ facientes (*Matth.* III) nulli dubium esse debet, quin peccata illorum hic in innocentia pœnitens, et in pœnitentia innocens, super se tulerit, cum peceatis omnium qui illum apud inferos exspectabant, ita videlicet, ut postmodum per passionem Christi salvarentur, quotquot ex eis ab hac vita decederent, ante revelatum ejus baptismum, cujus definitio vel regula est baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nam quotquot ex eis pervenientes ad illam plenitudinem temporis in qua dictum est : « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti. (*Matth.* XXVIII), » non receperunt hoc lavacrum gratiæ et veritatis, nihil profuit illis baptizatos fuisse baptismo Joannis, nec omnino salvare potuit illos pœnitentia fidei Christi non admista, Joannes enim baptizavit in aqua, solum pœnitentiam indicens (ea causa vel intentione missus, quæ jam, pro posse, dicta est), non etiam peccatorum remissionem tribuens. Christus autem baptizavit semel quidem in aqua, simul et sanguine de latere suo profluente, baptizavit nihilominus, imo et nunc baptizat in Spiritu sancto cum aqua et ejusdem sanguinis sui sacramento perfectam tribuens peccatorum remissionem. Quæ extra baptismum ejus, postquam regulam ejus deprompsit, nulli deinceps tribuitur. De quo ejus baptismo jam nunc dicendum est, sicut supra propositum est : « Super quem videris, inquit, Spiritum descendentem sicut columbam et manentem in eo, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. » Notandum diligenter, quod cum propria posset eum appellatione designare et dicere : Hic est Christus, vel (quod magis est proprium), hic est unigenitus Dei Filius, maluit descriptione uti, dicendo ; « Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. » Primo definiendum est quid sit baptizari in Spiritu sancto, ac deinde dicendum, cur maxime hoc loco dicere voluit : « qui baptizat in Spiritu sancto. » In Spiritu sancto baptizari est gratiam accipere Spiritus sancti (*Rom.* VI), quæ non modo, quid sit peccatum, ostendat, sed et auxilium adversus peccata præbeat, delendo præterita, repellendo instantia, atque ita de servis peccati faciat filios Dei, de filiis iræ filios gratiæ (*Ephes.* II), de ignotis et advenis genus regale et

sacerdotale. Baptismus enim Christi unctio est regalis et sacerdotalis (I *Petr.* II), qua ipse unctus præ consortibus suis, Christus nuncupatur (*Psal.* XLIV), quod Hebraice Messias, Græce Christus, Latine dicitur unctus. Qua ipse plenarie solus sic unctus est, ut particulariter ungere alios, et facere per adoptionis filios, et a se (qui principaliter unctus est) unctos, id est, a **108** Christo vocari faciat Christianos, quod designatur per hoc quod dicitur : « Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. » Hoc ante Christi adventum nullatenus effici poterat, quia videlicet lex, quæ data fuerat, peccatum ostendere tantum, non etiam auferre valebat. Unde Patres antiqui quamlibet justi ad inferos descendebant, veterem paternæ prævaricationis portantes ignominiam, actualium quoque peccatorum non omnino effugientes cœnum, quin aliquam contraherent sordem vel maculam (*Rom.* II), quam carnibus taurorum aut sanguine hircorum emundari impossibile erat (*Hebr.* IX). Hoc erat opprobrium Israel, quod exprobrabat jugiter hostis incircumcisus, scilicet diabolus, insultans patribus antiquis quamlibet justis, et quodammodo dicens : « Quare venistis parati ad bellum ? » (*I Reg.* XVII) eo quod legis mandato [mandata], velut arma tenentes, nihil fortiter agerent ; nec de se virum dare possent, qui pro cunctis iniret singulare certamen. Frustra namque variis baptismatibus et justitiis carnis (*Marc.* VII), opprobrium suum delere conabatur) [conabantur], eo quod non haberent sacerdotem, qui Spiritum sanctum dare posset, cujus gratia vera et sola peccatorum remissio est. Cum ergo Joanni signum datur, quo Christum agnoscat, dicitur illi : « Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. » Quod idem est, ac si diceretur : Hic est, qui aufert opprobrium ab Israel, videlicet peccatorum remissionem tribuendo, quæ non datur omnino, nisi in Spiritu sancto. Et hic baptismus non unius tantum potentiæ, sed duplicis operationis est. Baptizat enim Christus in Spiritu sancto primum, ut dictum est, peccatorum remissionem tribuendo. Baptizat nihilominus et secundo, diversarum ornamenta gratiarum conferendo. De gratia namque remissionis peccatorum ipsa die, qua resurrexit, dicit ipse insufflans discipulis suis, quos utique jam laverat a peccatis eorum in sanguine suo: « Accipite Spiritum sanctum. » Quem se illis dare in remissionem peccatorum testatur ipse, protinus adjungens : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et, quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX). » De illa vero donorum largitate, qua diversarum (ut prædictum est) confert ornamenta gratiarum, dicit ipse, Luca referente in Actibus apostolorum : « Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies (*Act.* I). » Utrumque datum [donum] hujus baptismi, hic idem Joannes Baptista apud evangelista Matthæum et Lucam exprimit, cum dicit : « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Matth.* III ; *Luc.* III). » Baptizat enim nos Spiritu sancto cum in fontem baptismi descendente invisibili gratia ejusdem Spiritus sancti omnia peccata eorum, qui baptizantur, dimittit. Baptizat et igni, cum ejusdem sancti Spiritus fervore accensos, fortes in amore et in fide constantes, vel in scientia lucentes, et zelo bono calentes efficit. Et in remissione quidem peccatorum nulla divisio est, sed æqualiter atque uniformiter una eademque omnibus gratia remissionis adest, deponens omnes iniquitates nostras, et projiciens in profundum maris omnia peccata nostra. In donis autem gratiarum, non eadem omnibus quantitas impenditur, sed quodammodo dividitur « mare Rubrum in divisiones (*Psal.* CXXXV), » dum alii datur fides, « alii sermo scientiæ et sapientiæ, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, » etc. « Quæ omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I. Cor.* XII). » Et in sanctis quidem Novi Testamenti hæc baptizantis dona, hæc baptismi gloriosi præclara videmus insignia, quæ nemo illorum, antequam in remissionem peccatorum baptizaretur, percepisse legitur, præter Cornelium, et eos qui cum ipso erant ; super quos adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus, et erant « loquentes linguis et magnificantes Deum (*Act.* X). » Patres autem Veteris Testamenti nonnulli operationes virtutum, et plurimi prophetiam perceperunt, et baptizati non erant in remissionem peccatorum. Certum est enim, quia tunc omnes baptizati sunt, quando mortuus in cruce Christus, fluvium sanguinis et aquæ de suo profudit lanceato latere, in emundationem universæ Ecclesiæ, qualacunque fuerit ab origine mundi, usque in ipsam horam mortis suæ, a primo justorum, scilicet Abel, usque ad latronem, qui in cruce, nondum effuso de latere Christi tantæ tamque salutiferæ mundationis fluvio, Dominum confessus est, regnumque ejus futurum credens, eadem celeri confessione mercatus est (*Luc.* XXIII). Positum est autem extunc ejusdem baptismi sacramentum, ad primas ejusdem sanctæ Ecclesiæ fores, ut quisquis Ecclesiam ingredi cupit, quo modo illa jam baptizata est, et ipse baptizetur, sive gentilis, sive Judæus. Cum ergo Veteris Testamenti Patres eadem gratiarum dona consecuti sunt, antequam Christus baptizaret, quæ idem Christus ascendens in altum dedit hominibus Novi Testamenti (*Ephes.* IV), certa discretione opus est, ut non ignoret Christiana fides, quid novis amplius quam veteribus, imo, quid novis pariter ac veteribus in Christo baptismo collatum sit. Nam ubi causa postulat, ut de gratia Christi vel sancti Spiritus sermo habeatur, fidelem atque catholicum in dictis suis adversarius hærere facit objectionibus suis, qui et si non sensu, interdum sermone deficit. Tanta enim per Patres antiquos idem Deus operatus est, tanta idem spiritus per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus locutus est (*Luc.* I), ut obloquente adversario, novos veteribus conferre, contentiosum præferre vero, difficillimum sit, si non animadverso prius rei puncto, verborum

agere circuitum cœperit. Primum ergo dicendum, A illam baptismi Christi gloriam, quo sancti apostoli post ascensionem ejusdem Domini glorificati sunt, accipiendo diversarum dona gratiarum, maximeque genera linguarum (*I Cor.* XIV) (quæ in signum sunt, non fidelibus sed infidelibus), vel prophetiam (qua maxime veteres sancti claruerunt), non ejus esse virtutis, ut in eis salus perfecta sit, præsertim cum illa et boni, et mali habere possint. « Multi enim, inquit Dominus, dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? et in nomine tuo multas virtutes fecimus? » Et tunc respondebo eis: « Non novi vos, recedite a me, operarii iniquitatis (*Matth.* VII). » Etenim Saul quoque prophetare, et malus esse potuit (*I Reg.* XIX). Nonne filii Israel omnes in Moyse baptizati in nube et in mari panem B quoque de cœlo (*I Cor.* X; *Exod.* XVI), et aquam de petra consecuti (*Exod.* XXXII), et aliis mirabilibus glorificati, postmodum quam plures reprobati sunt, alii viventes absorpti, alii a serpentibus consumpti (*Num.* XXI), et alii multis modis, præter paucissimos, omnes in deserto prostrati? Imo ut ad novos veniam, quando convocatis Dominus Jesus duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia et ut languores curarent misitque eos ad prædicandum regnum cœlorum (*Matth.* X; *Luc.* IX, X), nonne Judas erat unus ex illis (*Joan.* XII), quem ipse qui mittebat eum, diabolum ante traditionem suam nominavit, quia nec Dominicis loculis fidem exhibere potuit? Cum ergo non soli boni, sed etiam et mali hujusmodi charismatum dona potuerint C consequi, non nos dubios reddat claritas mirabilium, quæ in antiquis facta sunt, non cæcos vel cæcutientes nos faciat ad considerandam majestatem novæ gratiæ Christi. Quia videlicet et horum potentiam, et illud, **109** sine quo nihil hæc prosunt, scilicet remissionem peccatorum, hic qui baptizat in Spiritu sancto nobis et illis dedit. Et hujus quidem muneris, id est, operationis virtutum vel cæterorum hujusmodi (de quibus jam supra dictum est) hujus secundi muneris non inchoatio fuit, sed adjectio largitatis; cum in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus sanctus implevit (*Act.* II). Sed ejus, quod maximum opus maximaque virtus est, baptismi Christi, scilicet remissionis peccatorum, inchoatio simul et perfectio est mors Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit in odorem suavitatis (*Ephes.* V), D in qua morte baptizamur, sicut Apostolus dicit: « Quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Nam in morte sua sanguinem et aquam, ut jam dictum est, de latere suo fundens (*Joan.* XIX), lavit universam Ecclesiam a peccatis suis, dans vivis et defunctis spiritum remissionis, sicut mox, ut apparuit illis vivus, ostendit, dicens: « Pax vobis; Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX). » Hoc solum munere baptizati parvuli morientes transmigrant in regnum Dei. Illo autem cujus in die Pentecostes adjectio fuit, sic potuerint antiqui Patres clarificari, et apud inferos propter originale peccatum detineri, quomodo potuit et Judas, cum eodem munere fungeretur, diabolus vocari, et esse fur loculorum Domini, et habere locum in profundissimis inferni, in quem abiret, prævaricatione peracta filius perditionis. Ipsum Dominum in forma servi dona hæc recepisse, propheta testatur, qui hæc in persona ejus loquitur: « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me (*Isa.* LXI), » ad evangelizandum pauperibus misit me (*Luc.* VII). Nam hæc de præsenti unctione sua dicta esse, qua Spiritus sanctus visus est super eum, in specie columbæ (*Luc.* III), testatur et ipse, qui ut Lucas narrat, plenus Spiritu sancto regressus e Jordane, et actus in desertum, et consummata omni tentatione regressus in virtute Spiritus in Galilæam introivit in Synagogam, et traditus est ei liber Isaiæ prophetæ. Quem cum revolvisset, invenit locum prædictum, et cœpit dicere ad eos: « Quia hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris (*ibid.* IV). » Non ergo ea tantum causa, ut signum daretur Joanni, Spiritus sanctus in Dominum Jesum descendit, sed ut evangelizandi officio, et summi sacerdotii ordine fungeretur unita Deo natura hominis. Nam, sicut non a seipso venit Filius Dei, sed Pater illum misit, ut omnium Dominus, formam servi assumere dignaretur, sic in eadem servi forma (*Philp.* II), non a seipso Filius hominis evangelizandi officium præripuit, sed a Spiritu sancto impositum sibi onus humiliter suscepit. Sic enim decebat eum implere omnem justitiam (*Matth.* III), ut qui obedienter fuerat homo factus obedienter nihilominus ad prædicandum mitteretur per eumdem Spiritum, qui cæteros mittit, quicunque salutis ministerium digne sortiuntur, ut quidam apostoli, alii prophetæ vel evangelistæ in Ecclesia ponantur (*I Cor.* XII). Tunc ille magnus atque conspicuus magni consilii angelus, stetit juxta aram templi (*Apoc.* VIII), scilicet vocatus ad sacrum ordinem summi sacerdotii, apparente super caput ejus in specie columbæ Spiritu pietatis, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Dominum, et repropitiaret delicta populi (*Hebr.* II). Accepit igitur dona in hominibus creator omnium Deus (*Psal.* LXVII), ad ministrandum missus, quæ postmodum ascendens in altum, et captivam ducens captivitatem (*Ephes.* IV), mittendis ad diem ministerium daret hominibus, et sic « plenus Spiritu sancto ut prædictum est, a Jordane regressus est. » Plenus sane, non quod tunc primum Spiritum sanctum acceperit, quippe qui ab ipso humanitatis suæ initio ejusdem Spiritus operatione conceptus est. Quid ergo nunc actum est, unde diceretur Spiritu sancto plenus a Jordane regressus? Nimirum plenitudo, quæ in illo jam erat [usque ad] superficiem, id est usque ad ipsos exteriores actus, sese diffudit, ut inde omnes acciperemus, quomodo si plenitudo vivæ et indefi-

cientis aquæ, quæ in altissimo puteo sursum ad superficiem oris ascendat, ut parvis quoque infantibus hauriendi vel bibendi detur facultas. Ita nimirum, usque ad exteriora se diffudit plenitudo, quam habebat intrinsecus, et diffusa est gratia in labiis ejus (*Psal.* XLIV), ut audiretur in verbis, et videretur in miraculis abundantia ejus, qua plenus erat gratiæ et veritatis. Peccatorum autem remissionem non accepit, quam, ut supra dictum est, baptizando in Spiritu sancto hominibus dedit. Quia quod majus est, de Spiritu sancto conceptus est, ut peccatum nec originale haberet, nec actuale admitteret. Sed dicit aliquis : Baptizari quoque debuit in remissionem peccatorum, non suorum, sed nostrorum, ut illo baptizato, fieret peccatorum nostrorum remissio. Hoc plane oportet concedi, sed de illo duntaxat baptismo suo, de quo ipse jam baptizatus a Joanne, dicit : « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur ? » (*Luc.* XII). Quod videlicet de passione sua dixit, in qua tota Ecclesia (quæ est corpus ejus [*Ephes.* I]) baptizari habebat. Alioquin si in Jordane baptizato illo, facta est peccatorum nostrorum remissio, quid nobis necessaria fuisset ejus Passio? A nullo ergo homine baptismum accepit remissionis peccatorum, sed ipse nobis per passionem suam fons remissionis factus est. Unde recte sancta Romana Ecclesia, non in die Epiphaniorum, sed in sacrosancta solemnitate Paschali communiter atque universaliter baptismi sacramentum celebrare consuevit. Quia videlicet, sicut supra dictum est, « quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI). » Igitur hic est qui baptizat, hic est qui solus peccatorum remissionem dat, hic est qui probrosam atque ignobilem, ex peccato accidentem naturæ nostræ inopiam, copiosis per Spiritum sanctum donis divinitatis suæ solatur et munerat. Cur autem hoc loco vel tempore, tam certum tamque evidens de auctoritate baptismi datum sit judicium, jam dudum catholicæ Ecclesiæ bene cognitum est. Primo sciendum, quia magnus hic homo, qui missus est a Deo, magnus meritis, et secundum suam magnitudinem, magnam habens intrinsecus in corde vocem sancti desiderii, levabat oculos mentis ad Deum, et clamabat fortiter in cœlum, orans jugiter, ut videre sibi daretur citius illam, quam prope esse sciebat, quamque in utero matris salutaverat consolationem Israel. Non enim minus erat desiderium hujus desiderio beatissimi senis Simeonis, cujus internus clamor et vociferatio grandis, tetigit aures Altissimi, ut non contineret se miseratio Dei, responsum dante illi Spiritu sancto, quod non esset visurus mortem, nisi prius videret Christum Domini (*Luc.* II). Ergo hic et clamando magnis desiderii vocibus et orando jugiter, hoc a Spiritu sancto obtinuerat, ut responsum dans illi diceret : « Super quem videris hoc signum, hic est qui baptizat. » Et hujus signi rationem Catholica, ut prædictum est, jam dudum bene novit Ecclesia. Futuros namque sciebat columba

A illa, quæ Joannem mittebat, et omnes prophetas miserat, futuros illa sciebat corvos atque milvos, qui invicem se rostris **110** laniantes, et unitatem scindentes, dicerent, contra alterutrum erecti, et spiritu protervo tumentes : A nobis, quod datur sanctum est. Hic ab illo ebrioso, ille autem ab illo fornicario baptizatus, indignus est. Tu ab illis vel illis baptizatus, inquit Donatus, a nobis, si sapis, rebaptizandus es. Clamat contra hos columba illa, ramum virentis olivæ semper in ore suo portans (*Gen.* VIII), id est, veram pacem et unitatem semper amans et prædicans clamat, ecce de summo vertice illius altissimi capitis nostri, et dicit : « Hic est qui baptizat. » Ac si dicat : Quid vos, o milvi rapaces et corvi litigiosi, baptismi gratiam, tam pertinacibus

B rostris in tot auctores distrahitis ? « Unus est qui baptizat. » Unus et solus hic est, qui sanctificat ; unus est fons, unus est rivus baptismi salutaris, qui per qualescunque canales influat : » Hic est qui baptizat, » de cujus ore profluit ipsa vis sacramenti, purificans, emundans, vivificans totum fidelem hominem et sanctificans. Tu forte fontem vivum nesciebas a mortua palude vel cœnosa discernere cisterna. Ecce sicut dixi tibi : « Super quem videris Spiritum descendentem » sicut columbam, « hic est qui baptizat ; » sic et nunc dico tibi : Ubicunque audieris verbum hoc integre prolatum : « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, » ibi est absque dubio hic ipse, et hic ibidem baptizat. Quid enim Paulus ? quid autem Apollo ? quid vero

C Cephas ? (*I Cor.* I). Ministri sunt in sacramento Christi ; ministri isti sunt, non auctores ; servi, non Domini ; canales, non fontes. Unus enim hic est fons, ut prædictum est, unus Dominus, unus auctor, qui baptizat quidem in aqua per ministros, baptizat autem tantum per semetipsum in Spiritu sancto. Quod si sub sacramento prædicti nominis morticinum fetet alicujus hæreticæ putredinis, nec sic tamen irrita judicabitur invocatio divini nominis, sed baptismus talis est duntaxat, qualis qui mortuos [mortuis] fieri potuit, de quibus Apostolus dicit : « Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes (*II Tim.* III). » Nam palmites quidem sunt, sed a vite præcisi. Membra fuerunt viventis corporis Ecclesiæ, sed vita carent, quia præcisa sunt a corpore. Speciem ergo solam pietatis

D quam habent, baptizando contulerunt ; sed quam non habent virtutem ejusdem pietatis conferre non potuerunt. Quapropter, hi qui a talibus baptizati sunt, quando ad catholicam Ecclesiam redeunt, non eis repetitur lavacrum carnis, ut perficiantur, sed (quod deest) inferuntur catholicæ Matri, ut per ejus reconciliationem Spiritus sancti gratiam percipere mereantur, nam in illa sola Spiritus sanctus datur, quia videlicet in scissura mentium Deus non est, sed in unitate et pace, quæ « perfectionis vinculum est (*Colos.* V). » Et hi quidem, quasi toro minus legitimo procreati, tamen reputantur filii. Nam ex omni tribu filiorum Israel, numerati sunt filii Deo cogniti,

ubi signantur servi Dei nostri in frontibus suis A (*Apoc.* VII), scilicet tam ex tribubus Gad et Assur, qui de ancilla nati sunt, quam ex tribu Juda et Joseph, qui ex legitimis conjugibus orti sunt (*Gen.* XXX). Igitur nulli hominum attribuenda, neque secundum hominem metienda est baptismi gratia. Quia solus hic est qui baptizat, et in nomine ejus solius baptizamur, qui solus pro omnibus nobis est crucifixus, sicut columba de capite ejus ostensa testatur. Qua in specie cur Spiritus sanctus apparere voluerit, diligenter in quantum ipse aperire dignatur, jam nunc intuendum est. Spiritus sanctus omnium, quæ circa salutem nostram acta vel agenda sunt, Dominus et Arbiter, imo et efficiens causa est: Cur enim, nisi propter charitatem suam Pater Filium misit in hunc mundum (*Joan.* III), vel ipse B Filius Patri suo nos, cum inimici essemus, reconciliavit per sanguinem suum? Quidem autem Spiritus sanctus nisi Patris et Filii charitas est? Hic igitur Spiritus sanctus super Auctorem nostræ salutis apparens, congruum satis gratiæ suæ secundum tempus indicium præbuit, dum assumptam columbæ speciem, corporaliter humanis ostendit oculis. Columba namque, avis simplex et mitis est (*Matth.* X). Et charitas sævit quidem et zelatur, sed primo blanditur; ita, ut in neminem sæviat, nisi in eum, quem non flectunt blandimenta, nunquam in virga venit, nisi ad eos, a quibus sua mansuetudo fuerit contempta (*I Cor.* IV). Utrumque in Christo sic eadem charitas ordinavit, ut primus adventus ejus ad nos in mansuetudine fieret; secundus autem in C fortitudine zeli futurus sit. Venientem ergo ad nos in spiritu mansuetudinis recte idem Spiritus super ipsum apparens, velut avis mansueta designavit. Sciendum autem, quia super neminem sanctorum, ante Christi adventum Spiritus sanctus apparuit; neque post ejus adventum super ullum in hac specie visus est. Ante quidem dona dabat, ut supra dictum est, et eorumdem quantitatem, sive qualitatem congruentibus nonnunquam signis indicabat, velut, cum prophetam supradictum misit, ut in regem ungeret electum suum David, non lenticulam (sicut ad inungendum Saul) sed cornu olei tollere jussit (*I Reg.* X); videlicet significans doni sui magnitudinem simul et fortitudinem, id est throni ejus firmitatem, et prophetalis gratiæ celsitudinem. Item, cum Eliam in cœlum tollere vellet (*IV Reg.* II), quem hujus D divini amoris zelum ferventissimum habuisse notum est, ad significandam ejus boni zeli dignitatem, currus igneus cum equis igneis, quibus tolleretur, missus est. Sic et in aliis plerisque sanctorum dona, quæ dabat, figuris competentibus exprimebat: super nullum autem ipse, ut dictum est, ante Christi adventum apparere visus est. Post ipsum vero super apostolos apparens visus est: non quidem ipsa ejus substantia (quæ invisibilis est) sed ignis, præsentiæ ejus index; ita tamen, ut ex ipso igne dispartitæ linguæ viderentur (*Act.* II), quia videlicet nulli cuncta dabantur, sed pro voluntate ejusdem Spiritus sua cuique mensura gratiæ dividebatur. Super ipsum autem Dominum et ipsa sancti Spiritus substantia invisibilis adest; et, quod foris videtur, non pars aut partis signum, sed quidam totum est atque integrum. Quia videlicet hic et solus est, cui « non ad mensuram dat Deus Spiritum (*Joan.* III). » — « Quia in ipso, inquit Apostolus, habitat plenitudo divinitatis corporaliter (*Col,* II). » Corporaliter dixit, non quod Deus corporeus sit, aut localis, sed quia sicut corpus quodlibet quovis in loco cum omnibus membris suis indivisum est, ita Spiritus sancti divinitas tota cum omnibus donis suis in Christo præsentialiter adest. Quam ejus plenitudinem Propheta longe ante intuens ait: « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus consilii et fortitudinis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Hæc enim sunt cuncta sancti Spiritus dona, velut cuncta unius corporis membra, quorum Christo nullum deesse, testatur tam prædictum præconium prophetæ, quam præsentis integra atque individua species columbæ. Etenim sapientiæ spiritus in eo plenarie requievit. Quem primus homo non habens, imo per superbiam a se repellens, noluit attendere vel subesse meliori, veramque lucem relinquens, sequentibus sibimet lucere confidens, inter latrones quasi per noctem incidit, a quibus spoliatus et plagatus, semivivus relictus est (*Luc.* X). Hic **111** autem homo secundus, velut columba « residens juxta fluenta plenissima (*Cant.* V). » divinitati sibi insitæ semper intendit. In cujus liquida majestate prospiciens, venientem insidiosum accipitrem vidit et evasit dum tentationes ejus omnes in deserto sapienti responsione cassavit (*Matth.* IV). Spiritu quoque intellectus iste repletus, scivit quibus aperiret mysteria regni Dei, quibusve loqueretur in parabolis (*Matth.* XIII). Quo primus homo fraudatus non discrevit in statera rationis, quanto fideliores essent comminationes Dei, promissionibus serpentis, cum diceret: « Eritis sicut dii (*Gen.* III). » In felle quippe amaritudinis erat, positumque sibi esse præceptum, tumens superbiæ spiritu, indigne ferebat. Hic autem velut columba, omnium ejusmodi felle carens, et sano cordis palato cuncta discernens, nec dæmones admittebat, confitentes ipsum esse Filium Dei (*Marc.* V): nec indignis loquebatur mysterium Dei, imo prohibebat sanctum canibus dari, et margaritas ante porcos mitti (*Matth.* VII). Spiritum nihilominus habens consilii, abscondebat « hæc a sapientibus et prudentibus, ut revelaret ea parvulis (*Matth.* XI). » Quo penitus carens primus, contulit sermonem cum adversario, nec se in humilitate abscondit ab eo. Hic autem propositum suum omnino secretum habuit a diabolo, ut licet sciret ipsum esse Filium Dei, nesciret tamen per crucem et passionem ejus facturum esse salutem generis humani eodem consilii Spiritu evangelizans pauperibus, nec Samaritanos, nec gentiles a misericordia

repellebat, imo et infirmos eorum curabat (*Joan.* iv; *Matth.* viii, xv), veluti columba quæ interdum pullos fovet alienos, et eis ab oriente et ab occidente venturis, sinum Abrahæ ad recumbendum sese aperire promittebat. Spiritu quoque fortitudinis incessit. Quo relicto, primus homo victus, intemperanter gulæ succubuit, et seipsum venalem fecit: imo gratis venundatus, semetipsum omni præsidio destituit et perdidit. Hic autem velut columba in petris nidificans, quo serpens accedere non possit, credentes in se tuto præsidio collocavit, v. g., cum diceret: « Nemo potest rapere de manu Patris mei (*Joan.* x). » Spiritu scientiæ similiter abundavit: quam primus homo perdidit, dum plus scire appetivit, promittente hoste antiquo, quod taansgressor præcepti factus, habiturus esset scientiam boni et mali. Hic autem accervum omnium scripturarum habens penes se, quomodo columba de magno tritici acervo grana congerit candidiora, sic de omni scriptura tempori vel rei congruas proferebat sententias, ita ut mirantes dicerent ejus adversarii: « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? » (*Joan.* vii). Spiritu pietatis omnino plenus fuit. Quo nimium primus homo nudatus erat, quando seipsum et posteros suos æternæ morti addixit, nec post culpam requisitus, animæ suæ condoluit, ut pœnitentiam ageret, imo, in Deum retorsit malum, quod perpetravit, dicendo: « Mulier, quam dedisti mihi dedit mihi et comedi (*Gen.* iii). » Hic autem non solum neminem occidit, velut columba, quæ nihil vivum comedit, verum et eo semper intentus fuit, ut vitam daret mortuis: « Nam Filius hominis, inquit, non venit animas perdere, sed salvare (*Luc.* ix). » Spiritus timoris Domini super illum requievit. Quem primus homo a se repulit, a prima suggestione diaboli, usque ad consummationem peccati. Hic autem, sicut columba pro cantu gemitum habet, ita pro deliciis habuit, cum voluntate Patris saturari opprobriis, dicens per omnia ab initio suæ incarnationis, dicens prompte non solum verbis, sed et factis: « Pater, non mea, sed tua fiat voluntas (*Luc.* xxii). » Igitur Spiritus Domini, qui hactenus in magna silva generis humani requiem non invenerat, tandem super hunc florem requiescit. In quo æterna statione permanens, nullam alicujus vitii repulsam aliquando pertulit: quam ejus requiem et in hoc loco divinum oraculum non tacuit. Cum enim dixisset: « Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, » protinus adjunxit, « et manentem in eo. » Et apud nos quidem et in nobis est, juxta promissum ejusdem Salvatoris nostri, hic idem Spiritus, sed longe præstantius multoque præsentius in ipso capite nostra manere dicitur. Nam apud nos ita quidem manet, et ita in nobis est, ut nunquam desint in Ecclesia, qui hujus gratiam Spiritus habeant, vel aliquod donum ejus, id est fidem, sapientiæ vel scientiæ sermonem, interpretationem sermonum, vel discretionem spirituum, et his similia. Rarus autem quis-

A quis est, qui adeo profecerit, ut ejus intrinsecus anima, vel ad momentum, illum hujus spiritus contactum sentiat, qui per sibilum auræ tenuem significatur in Elia, dicente: « Et post ignem sibilus auræ tenuis, et ibi Dominus (*III Reg.* xix). » Est enim intimus quidam circumscriptæ veritatis sensus illa significatione expressus, quem sancta mens in contemplatione rapta, subita interdum illustratione degustare meretur. At ille sic eodem Spiritu plenus est, ut in ipso habitet corporaliter, ut supra dictum est, semper mansueti pectoris ejus mansione contentus, nulloque unquam carnalium affectionum strepitu inquitatus. Spirituum supradictorum plenitudinem, quasi prima eructatione nobis ipse refudit, dum primum sermonem, quem post hanc
B manifestationem turbis ad se confluentibus habuit, hoc modo incœpit: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v), » etc. Hic enim nos ad hoc invitat et informat, ut simus ad ipsius imitationem, juxta quemdam supernæ dispensationis modum, per timorem Dei humiles, per pietatis studium mites, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi. Sed Propheta de cœlestibus loquens, gradus istos descendendo magis quam ascendendo numeravit: videlicet sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem. Constat enim procul dubio, quia a timore ad sapientiam ascenditur, non autem a sapientia ad timorem re-
C ditur. Quia nimirum perfectam habet scientia charitatem, « initium vero sapientiæ timor Domini (*Psal.* cx). » Dominus autem, quia nos a terrenis ad cœlestia sublevat, eosdem gradus ascendendo numerat, a timore incipiens, qui per paupertatem spiritus intelligitur, dicendo: « Beati pauperes spiritu (*Matth.* v). » Deinde pietatem commendat, dicendo: « Beati mites (*ibid*). » Mitescere namque opus est pietatis, neque resistere divinæ Scripturæ sive intellectæ, dum aliqua vitia nostra percutit: sive non intellectæ, quasi nos melius sapere, melius præcipere possimus. Deinde venitur ad tertium scientiæ gradum, dum dicit: « Beati qui lugent (*ibid.*). » Nam ille timor, quo cogitat de judicio Dei, et illa pietas, qua non potest nisi credere et cedere divinæ Scripturæ, cogit eum seipsum lugere.
D Vera namque scientia bonæ spei hominem, non se jactantem, sed lamentantem facit. Tunc esse incipit in quarto gradu fortitudinis, de quo dicit: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*ibid.*). » Fortitudinis namque est, animum adeo ab omni mortifera jucunditate rerum transeuntium extrahere, ut vacet ei justitiam esurire ac sitire. Deinde in consilio misericordiæ purgat animam tumultuantem, et quodammodo obstrepentem sibi, de appetitu inferiorum conceptis sordibus. Unde et sequitur: « Beati misericordes (*ibid.*). » Hinc ascendit in sextum gradum intellectus; ubi jam ipsum purgat oculum, quo **112** videri Deus potest, in quantum

potest ab eis, qui huic sæculo moriuntur, in quantum A
possunt, de quibus subditur : « Beati mundo corde (*ibid.*). » In hoc gradu ita purgat oculum cordis, ut veritati nec seipsum præferat, nec proximum, quem diligit sicut seipsum. Talis Filius ascendit ad sapientiam, quæ ultima et septima est, qua pacatus tranquillusque perfruitur. Unde et subditur : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*ibid.*). » Octava beatitudo eadem quæ prima est. Dum ergo hæc dicit is, in quo manet et requiescit, velut columba Spiritus septiformis, hoc nimirum intendit, ut eodem spiritu regenerata Ecclesia talis sit, de qua ipse merito dicat in Canticis : « Una est columba mea, formosa mea, immaculata mea (*Cant.* v, vi). » Una quipe columba est, dum ex qualibet
multis hominibus collecta, unum habens spiritum, B
unanimis est Ecclesia, idipsum dicens, idipsum sentiens, nec se per sectarum scandala dividens (*I Cor.* i). Nam quicunque alio spiritu aguntur, corvi sunt, corvi rapaces, corvi litigiosi. Talis fuit Macedonius, qui in membris columbæ, id est Ecclesiæ computari indignus dixit, quia Spiritus sanctus non est Deus. Hic vere corvus, horribili facie de aquis baptismi, totus niger et sinister evasit : nec eum columba illa, quæ super Dominum apparuit, donorum suorum aliqua parte respexit, sicut scriptum est : « Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu (*Sap.* i). » Columba vero, id est Spiritus sanctus de illa mansione sua in qua requiescit, satis firmo probat argumento quod
Deus sit. Si enim Deus non esset, quomodo hu- C
mano vel angelico spiritui capabilis esset? Creatus namque spiritui alieno se infundere nullatenus potest. Valet quidem malignus spiritus occultus corporis cavernas irrepere, et hominis animam furiis agere : unde et dicitur homo dæmonio plenus esse, ipsam autem substantiam suam illius substantiæ nullatenus potest infundere. Solus namque Creator spiritus, subtilitate sua capabilis est rationali spiritui, veluti creaturæ suæ : ille autem nullius est capax, nisi divinæ atque creatricis substantiæ. Hic autem « Spiritus replevit orbem terrarum, et ipsum quoque replevit, quem totus non capit orbis terrarum (*ibid.*), » sicut supra dictum est, quia « Jesus plenus Spiritu sancto regressus
est a Jordane (*Luc.* iv). » Et ne forte objiciat hæ- D
reticus, quia carnem ejus implevit, non mentem, meminisse oportet quia hic « Spiritus Domini Spiritus est sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Domini (*Isa.* xi). » Ubi autem sapientia et intellectus, ubi consilium vel fortitudo, nisi in mente inhabitat? Ubi scientia vel pietas, sive timor Domini, nisi in corde regnat? Igitur hic qui rationali mente capitur, qui omnia scrutatur, Spiritus Deus est. Quapropter et hunc, scilicet Macedonium et cæteros omnes, quotquot sunt corvini generis, una columba, id est sancta Ecclesia respuit, et eorum laniantia dete-

stans oscula, communionem nullam patitur habere cum illis. Pacem amat, pacem amplectitur, utpote cui columba prior sanctus Spiritus, ramum attulit olivæ virentibus foliis, faciendo pacem per Christum, per quem nos Deo reconciliavit. Sed jam tribus his, quæ proposita fuerant, pro posse explicitis, audiamus quid Joannes testis et decertator veritatis evidentibus roboratus indiciis, ad summum libere proclamet in spiritu fortitudinis. « Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. » Non, inquit, salam famam audivi, non ex incertis conjecturis didici ; sed ego vidi columbam venientem de cœlis, ego vidi Spiritum Dei, non sola columbæ oscula porrigentem, sed totum seipsum huic homini inferentem. Et in hoc templo suo manet, unde ultra migratus non est, nusquam invenitur, nisi in hoc accubitu suo, quo in magna quiete mansurus receptus est. Et miro modo sic in hoc templo suo manet, ut inde semper egrediatur, videlicet ad hoc, ut de hujus plenitudine omnes accipiamus, « haurientes aquam, quæ, juxta Ezechielem, egreditur de hoc templo a latere dextro (*Ezech.* xlvii). » Templum enim magnæ civitatis, quæ illi ostensa est, templum verum sanctæ Ecclesiæ, hic ipse Dominus est ; sicut et in Apocalypsi testatur evangelista Joannes : « Et templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus (*Apoc.* xxi). » Hoc ergo templum, ut prædictum est, velut columba ingressus, velut aqua viva mundans et salvans, egredi prophetæ ostenditur : scilicet ut jam, sicut dictum est, « de plenitudine ejus nos omnes accipiamus. » — « Hoc, inquit, vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. » Dicat hoc dignus orator, amicus regis et curiæ cœlestis archisenator nobilis, dicat quia vir iste, « qui, ut supra dixi, post me venit, hic est Filius Dei. » Nihil enim libentius audiunt cives supernæ urbis, nullum citharœdum audire malunt pueri probi cantandi dociles, et ad bonum canticum saltare docti (*Matth.* xi). Nam quis manifestius hoc præcentore fidei Christum Deum et hominem esse potuit confiteri? Ubi enim virum post se venientem dixit, hominem post se natum evidenter expressit. Et magnificentius Agnum Dei virum, quam hominem dixit, videlicet eo respectu, quo de agno typico in lege dictum est : « Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus (*Exod.* xii). » Agnus namque masculus est hic homo, nulla mollitie resolutus, sed omni virtute constans, solidus atque perfectus. Virum ergo dicens, veram cum integritate virtutis expressit naturam hominis. Nunc autem testificans, quia hic est Filius Dei, veram nihilominus confitetur in illo naturam divinitatis. Filium namque alterius naturæ esse, quam Pater est qui illum genuit, rationabiliter non potest intelligi. Quando enim homo aliud generat quam hominem? Sic et omne animal, non aliud quam quod ipsum est aliquando generat. Sed nec ulla herbarum semen affert, nisi juxta genus suum, neque lignum faciens

fructum suum in semine aliquando excedit speciem (*Gen.* I). Sic enim Creator omnium illa statuit, « præceptumque posuit et non præteribit (*Psal.* CXLVIII). » Quanto magis ipse Creator, non aliud quam quod est ipse genuit, id est Deus Deum, lux lumen, immensus immensum, Omnipotens Omnipotentem? Istum quippe non adoptavit, sed genuit: sicut hic ipse Joannes evidenter exprimit, in eo quod superius ait: « Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » Clare igitur lucerna hæc ardens et lucens, lucem veram Christum Deum et hominem esse ostendit, quam non comprehenderunt tenebræ, scilicet Manichæus atque Photinus, ille verum Deum, hic verum hominem esse negans hunc Jesum Christum. Sed rursus cavendum nobis est hæresis Nestorianæ monstrum biforme, asserentis, sicut duas naturas vel substantias, sic duas nihilominus in Christo confitendas esse personas: ut alius Filius Dei sit, alius vero Filius hominis. Hoc sane nec ratio, nec ipse communis nostræ locutionis usus admittit, quod maxime norunt dialectici. Non est enim nomen aliquod speciale aut generale, præter hoc quod generalissimum est, scilicet substantia, quo simul Deus et homo possint appellari generaliter, v.g., quomodo Moyses et Aaron duo sunt homines, et hic bos et ille, vel duo sunt animalia, sive duo sunt animata corpora. Non **113** aliquo, sic pariter Deus, et homo prædicari poterunt uno speciali vel generali, nisi tantum eo, quod generalissimum est, id est, substantiæ vocabulo. Neque enim de Deo vero æque, ut de homine potest animal prædicari. Quia videlicet Deus verus corpus non est; quapropter nec animatum corpus aut animal est. Cum ergo masculino genere de Christo Deo et homine prædicaveris duos, quod subjectum secundum hoc prædicatum appones? Desiderat enim prædicatum habere subjectum, sive (quod pueri quoque norunt) semper mobile quod sit sui generis, numeri quoque et casus ejusdem, habere fixum. Et utique non quod diversas species, aut diversarum individua specierum significet quod fieri in genere masculino impossibile est. Nam, verbi gratia hominem et equum, quia diversarum nomina sunt specierum, uno masculini generis substantiali nomine proferre non potest. Quapropter de homine et equo melius dicis: hæc duo quam hos duos. Quia videlicet equus cum homine personarum non facit numerum, licet pluralitatem faciat substantiarum. Quid ergo subjicies, cum in Christo Deo et homine prædicaveris duos? Nunquid Christo subjicies? Nempe tale hoc est, ac si de uno equo et sessore ejus duos dicas equites. Christus enim non naturæ, sed officii nomen est. Siquidem Christi, id est, uncti fuerunt et alii, de quibus ipse ait: « Nolite tangere christos meos (*I Par.* XVI): » sed hic, in quo habitat « plenitudo Divinitatis (*Coloss.* II), » ut supra dictum est, præ consortibus suis unctus est (*Psal.* XLIV). Imo multo magis inæqualia sunt Deus et homo, quam equus et homo. Nam veri Dei et hominis hoc solum commune est, quod de utroque prædicatur, substantia: de homine autem et equo non solum substantia sed et corpus communiter prædicatur et animal. Si ergo persona sedentis in equo, sic equi personam absumit, ut cum ipso equus, cui tamen unitus non est, personarum numerum facere non possit, quanto magis in Christo, persona Dei, sic hominis personam absorbet vel absumit, ut nequaquam dicantur aut sint duo Christi, sive duo Filii, præsertim cum homini Deus inseparabiliter unitus sit. Igitur salva duarum veritate substantiarum, unus, id est, una persona est Christus unus: hic est vir sive filius hominis, unus idemque hic est Filius Dei. Cujus specie et pulchritudine delectatus ipse Deus Pater, dignum illud memoria verbum de cœlo super eum locutus est: « Tu es Filius meus dilectus in te mihi complacui (*Marc.* I). » Hoc utique a principio non dixit, cum universa conderet, cum cœli fabricam extenderet, vel mari terminum poneret, et omnia visibilia sive invisibilia mirabilis artifex componens, sua singula loco, vel ordine distingueret. Et quidem placebant illi « cuncta quæ fecerat, » quia « erant valde bona (*Genes.* I); » sed nusquam in omnibus illis seipsum sibi complacuisse insinuat. In hoc autem duo sibi complacet et dicit: « In te mihi complacui. » Quod longe aliud, quam si dixisset tu mihi complacuisti. Attendamus ergo quid in Christo factum sit, et videmus quod vere pro magnitudine vel qualitate operis, recte Pater in illo sibi complacuerit. Videlicet cum omnia fecisset Deus nihil omnino simile sibi vel æquale fecerat. Nec enim fieri poterat, ut in creato Deo similis vel æqualis formaretur creatura. Non ergo benevolentiæ Creatoris sufficiebat, quod ea quæ fecerat, erant cuncta valde bona, quia nihil inter omnia sibi simile vel æquale videbat. Sed ut jam dictum est, tale quid omnino qualis ipse est, creari non poterat. Quapropter multitudo creaturæ infirma utpote de nihilo facta, partim corruerat, neque suis viribus ullo modo restaurari valebat. Suggessit igitur ipsa, quæ nunc apparuit in specie columbæ, mitis et benevola Patris charitas, quatenus ipsam virtutem, ipsum verbum per quod omnia fecerat, quoniam nihil æquale sibi condiderat, facturæ suæ uniret, et sic unum quid, cui nihil deesset, in ordine vel natura creaturæ produceret. Quo facto, gratulatur omnipotens bonitas, et applaudit sibimet dilectio columbina, omnis invidentiæ nescia, quod ope sua compar sibi facta sit humana creatura: dignum laude judicans, quod inopi naturæ ejus, de suæ naturæ divitiis adeo subvenerit, ut totum regnum Patris regere, universam omnino cœli ac terræ rempublicam disponere, et in throno ejus dominari, æque ut ipse deinceps idonea sit. Hoc opus suum adeo collaudat, et in hoc sibi complacet in tantum, ut cuicunque non complacuerit, quicunque cum laude et gratiarum actione non aspexerit eum, velut ingratum et vere superbum et invidum, a salute sua, et ab ejusdem Christi Filii sui regno repellat. Sed jam narrationis evangelicæ sequentia videamus. « Altera die iterum

stabat Joannes et ex discipulis ejus duo. » Hoc loco A recte quæritur qualiter hic evangelista Joannes cæteris tribus evangelistis præsenti narratione non discrepet. Matthæus enim statim post jejunium Domini et tentationem diaboli ita subinfert : « Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam (*Matth.* IV). » Item et Marcus continuo post ejusdem tentationis narrationem : « Postquam autem, inquit, traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam (*Marc.* I). » Hoc isti consonanter astruere videntur, quod antequam Joannes traditus esset, in Galilæam non venerit Jesus, Lucas interim de traditione Joannis taceat, ita incipiens ; « Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Et egressus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam (*Luc.* IV). » etc. Hic autem, scilicet B evangelista Joannes refert, quia nondum tradito Joanne, veniens in Galilæam, vocavit Philippum et Nathanel (*Joan.* I), et tertia die invitatus ad nuptias in Cana Galilææ, de aqua vinum fecit, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus, et post multa dicit sic : « Erat autem et Joannes baptizans in Enon juxta Salim, quia aquæ multæ ibi erant, et veniebant et baptizabantur (*Joan.* III). » Et protinus subinfert : « Nondum enim missus fuerat in carcerem Joannes. » Quæritur ergo, quomodo non discrepent, quos contrarios esse sibimet nemo dicere audet, nisi qui animæ suæ contrarius est ? Et quidem solutio quæstionis nimium difficilis esset, si Christus in Galilæam semel tantum venisset, vel si cunctis evangelistis singillatim, cunctos ejus C actus, cunctos ejus egressus vel regressus describere propositum fuisset. Constat autem evangelica narratione quia plusquam semel Dominus noster, salutis noster mininister, ivit et rediit, et nulli evangelistarum, cuncta quæ gessit comprehendere, quod impossibile esset, propositum fuit. Sed unumquodque animalium cœlestium, ante faciem suam graditur (*Ezech.* I), id est unusquisque evangelistarum de innumerabilibus factis vel dictis ejus tantum describere proposuit, quantum et fidei testificandæ sufficeret, et lectori fastidium non afferret. Et Matthæus quidem, et Marcus, Lucas quoque de primo anno tacuerunt, quo adhuc prædicante Joanne, miracula quidem fecit Jesus, et seorsum aliquos docuit : sed publica prædicatione non adeo turbis innotescere voluit. Alioquin unde illa opinio nata D fuisset, ut quando publice prædicando innotuit, Joannes putaretur surrexisse a mortuis ? Sic enim in Marco scriptum est : « Et audivit Herodes rex (manifestum enim factum est nomen ejus) et dicebat : Quia Joannes Baptista surrexit **114** a mortuis, et propterea virtutes operantur in illo (*Marc.* VI). » Lucas quoque sic : « Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, et hæsitabat, eo quod diceretur a quibusdam, quia Joannes surrexit a mortuis (*Luc.* IX), » Igitur de primo anno tacuerunt, et a publica Prædicatione ejus, quam cœpit postquam traditus est Joannes, narrationes suas

A orditi sunt. Quod manifeste ex subsequentibus Matthæi vel Marci animadvertere promptum est. Nam uterque cum dixisset : venit Jesus in Galilæam, statim apostolorum subjecit vocationem. Lucas vero paulo tardius. Nam apud illum, ante vocationem apostolorum Jesus frequenter est in synagogis, et docet Sabbatis. In hoc vero evangelista Joanne, forte ad suscipienda illa quæ dicta sunt, scrupulum movet illud, quod antequam traditus esset Joannes, ad judicium ejusdem Joannis, Andreas sequitur Jesum, et adducit ad eum Simonem fratrem suum, et ipse Jesus in Galilæam exiens vocat Philippum, et Philippus adducit Nathanael. Sed amoto omni scrupulo, certius pedem figat ratio : quia profecto non est hæc ipsa, quæ citius quidem, ut dictum est, B apud Matthæum et Marcum, tardius autem apud Lucam occurrit, apostolorum vocatio. Nec enim consequens est, ut quia sequentes eum venerunt et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo, jam perfecti, jamque apostolico fastigio sublimati sunt. Nam tunc quidem cognoscere illum cœperunt : non autem jam tunc eumdem relictis omnibus secuti sunt. Oportet ergo primum ut sensum illum ab animo suo lector attentus amoveat, qui fere omnium evangelicam Scripturam audire incipientium animos confestim ultra præoccupat. Nam quia post tentationem supra memoratam in cæteris evangelistis, statim subjungitur prædicationis Christi narratio, sicut littera conjungitur, v. g., cum dicit Lucas : « Et egressus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam, et venit Nazareth, ubi erat nutritus (*Luc.* IV), » C sic temporis quoque vel rerum continuatam fuisse successionem negligenter opinantur. Quod profecto non ita esse ex ejusdem Lucæ vicina subjunctione manifestum est : Dicunt enim illi venienti Nazareth, ubi fuerat nutritus : « Quanta audivimus de te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua (*ibid.*). » Ante hunc ergo regressum ejus in Galilæam, a quo cæteri evangelistæ, præmissa tentatione, prædicationis ejus narrationem incipiunt, manserat et signa fecerat in Capharnaum : At vero postquam discipuli Joannem loquentem audientes secuti sunt Jesum, imo post miraculum, quo in nuptiis aqua conversa est in vinum, facta sunt illa signa in Capharnaum. Hoc enim fuit initium signorum, quo facto descendit Jesus in Capharnaum. Sic enim hic evangelista subjungit : D « Post hæc descendit Capharnaum ipse et mater ejus... et discipuli ejus (*Joan.* II). » Igitur hoc recte sentiendum est : quia ille regressus Jesu in Galilæam a quo cæteri incipiunt, ille est, quem Joannes longe inferius commemorat dicens : « Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quia Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus) reliquit Judæam et abiit iterum in Galilæam (*Joan.* IV). » Cum autem tam multa miracula ejus audire, imo et videre Petrus et Andreas potuerunt priusquam de navicula vocati, eumdem Redemptorem sequerentur, omnibus relictis, dictum est tamen a priscis doctori-

bus de his principibus et patribus nostræ fidei, nulla hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, et tamen ad unum Domini præceptum, hoc quod possidere videbantur obliti sunt. Quod nequaquam superioribus dictis debet videri esse contrarium. Nam hoc dictum est, respectu ejus narrationis cujus, secundum Matthæum, talis textus est : velut quod ante vocationem ipsorum nulla doctrinæ ejus, vel miraculorum mentio facta sit (*Matth.* IV). Itaque nihil a cæteris hic evangelista dissonans, post manifestationem Christi, quæ in baptismo facta est, narrationem suam sic inchoat, imo prosequitur ea quæ cœperat, divinitatis ejus testimonia. « Stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo (*Joan.* I). » Quod stetisse Joannem asserit, juxta litteram quidem situm hominis indicat stantis, et aliquid quod officii sui esset, instanter agentis vel dicentis. Juxta altiorem vero sensum, magnam ac semper suspensam ejus intentionem insinuat, qua videlicet ei, quem supradicto modo cognoverat, Domino nostro, non solum exterius officio suæ præcursionis deserviebat, sed et interius erecto mentis affectu jugiter astabat. Nam ubi illum baptizavit, et Spiritum sanctum super eum in specie columbæ descendentem vidit, statim idem Spiritus expulit eum in desertum, et erat in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana (*Luc.* IV). Quod hic evangelista, ut cætera multa, omittit, videlicet hoc intendens, ut in initio dictum est, quatenus testimonia proferat de divinitate Filii Dei, atque ideo, quasi de magno acervo eorum quæ dicta vel facta sunt, tantummodo splendidiora colligens, quæ intentioni vel proposito suo magis idonea cognoscit. Nec vero dubium est, quin ad reditum Domini nostri idem Joannes toto affectu tetenderit, ut iterum videret eum, quem videre salus agnoscentis, gloria prædicantis, gaudium erat demonstrantis. Stabat ergo in altitudine cordis speculator vitæ et salutis, nuntius redemptionis et pacis, judex gratiæ et veritatis. Stabat plane altior solis præcursore Lucifero, solem justitiæ prospectans in nube latentem, id est, Christum exspectans, in deserto tentationum objectiones perferentem, vel jam victo tentatore, adhuc se in umbra humilitatis suæ continentem. Incertum autem est, utrum antehac a deserto regressum illum Joannes viderit. Stabant et duo ex discipulis ejus cum eo, qui videlicet magistrum suum statu mentis imitabantur, et erant primitiæ plebis illius, quam non sibi, sed Domino parabat ille præcursor ejus. « Et respiciens Jesum ambulantem, dicit : Ecce Agnus Dei. » Notanda diligenter narrationis series, in superficie quidem brevis et lucida, intrinsecus autem (quod parvuli necdum attingere prævalent) mysteriorum pondere gravida. Quid enim est ambulans Jesus, nisi mutabilitatis nostræ particeps factus Dei Filius ? Qui hominibus non ante cognitus, ex eo cognosci atque diligi cœpit, ex quo ambulare cœpit, de cælo veniens in uterum Virginis, de utero in præsepe, de præsepi ad crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro rursus in cœlum. Ex tunc ille notus esse cœpit et dilectus, sicut eidem in Canticis canticorum dicitur : « Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te (*Cant.* I). » Quid enim « oleum effusum, » nisi verbum de corde Patris eructatum ? Si ergo nostræ animæ jam « adolescentulæ » sunt, jamque velut in adulta ætate Joannis, semper cum discipulis ejus firmo gradu stare didicerunt, per judicium ipsius in hoc evangelio loquentis, agnoscunt Jesum ex eo quod ambulat, et sequentes eum tandem perveniunt eo quo idem ipse per divinitatem manens inhabitat. Quod pulchre nobis innuitur ex profectu conversionis eorumdem discipulorum ejus. Ait enim secum stantibus illis : « Ecce Agnus Dei. » Secundum naturam hominis eum, ut superius dictum est, Agnum vocat. **115** Quia videlicet sicut per immolationem Agni Pharao quondam superatus, et servitus filiorum soluta est, quod per manum Moysi et Aaron, plagis immissis perfici non poterat, sic per passionem Christi princeps tenebrarum diabolus victus et redemptio generis humani facta est, quod per legis antiquæ præcepta, veterisque sacerdotii sacrificia perfici non poterat.

« Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. » Non soli auditu corporis audierunt, sed soli tunc obaudierunt [obedierunt], et testimonium ejus receperunt. Ille namque, ut testis fidelissimus, ea semper intentione de illo loquebatur, ut illum potius quam se auditores sui sequerentur, sicque fieret ad gloriam Dei, quod dixerat ipse : « Me oportet minui, illum autem crescere (*Joan.* III). » Hanc ergo ejus intentionem duo discipuli audierunt, et testimonium ejus, ut jam dictum est, receperunt, dum loquente illo, secuti sunt Jesum. Quando autem quisque conversus, Dominum Jesum ambulantem, ut prædictum est, mente et pii affectus mobilitate sequi incipit, meditando scilicet et memoriter humanitatis ejus vestigia tenendo, non continuo convertitur, et faciem suam illi ostendit Jesus, id est majestatis suæ divinam præsentiam, secundum quam nusquam ambulat, non statim in initio conversionis sequentibus aperit, quæ per faciem intelligitur, sed eumdem est, et ea quæ de illo ad tempus fuerunt, jamque præterita sunt, et finem habuerunt, scilicet quæ in carne gessit vel passus est, tenaci memoria tandiu ruminanda sunt, donec altissima ejus divinitas sese a sequentibus quæri sentiat, et huc unde excessit, quasi post dorsum suum respiciens, occulta inspiratione faciem suam aliqua ex parte ostendat. Nunc enim cœlo præsidens magis sentit perseverantiam sequentium fidem, quam olim inter homines ambulans sentiebat turbam comprimentem (*Luc.* VIII). Sequitur ergo :

« Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis : Quid quæritis ? et dixerunt : Rabbi (quod dicitur interpretatum *magister*), ubi habitas ? » Bene Jesus conversus esse dicitur. Quia videlicet antequam supradicto modo ambularet, a summo cœlo egressus, totus erat aversus, id est, propter pecca-

tum hominis universo generi humano iratus. Unde clamat ingemiscens propheta: « Peccavimus, et tu iratus es, et avertisti faciem tuam (*Isa.* LXIV). » Convertitur autem dum singulos eum in fide quærentium respicere dignatur. De qua ejus conversione dicitur in psalmo: « Deus tu conversus vivificabis nos (*Psal.* LXXXIV). » Item: « Convertere, Domine, et eripe animam meam (*Psal.* VI). » Convertitur ergo Jesus et videt eos qui se sequuntur, dum eos, qui incarnationis vel passionis ejus fidem confitentur, dignanter intuetur. Sed sunt inter eos multi, qui sequi illum videntur, et nesciunt quid quærant, id est, credunt quidem, ut sibi videtur, in illum, sed nesciunt cujus spiritus sint, vel quam intentionem habebant, quia « confitentur, inquit Apostolus, se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I); » et cum labiis Christum honorent, cor eorum ab ipso longe est (*Isa.* XXIX). Possunt enim et Christum sequi fidei promissione, et aliud quam Christum quærere, imo possunt et in vestimentis ovium incedere, et intrinsecus lupi rapaces esse (*Matth.* VII). Sic Judas cum cæteris apostolis Christum sequi potuit (*Joan.* VI), et aliud quærere; vocari apostolus et diabolus esse; prædicare vel baptizare, et fur dominicorum loculorum sceleratissimus esse (*Joan.* XII). Sic et Simon Magus potuit baptizari (*Act.* VIII), et in felle amaritudinis esse; potuit fidem Christi confiteri, et tamen nullam in sermone hoc partem aut sortem habere. Sic pene quotidie tanti cum electis reprobi Ecclesias intrant, ut præ multitudine illorum, valde parva videatur quantitas electorum, quomodo in magno acervo nisi propius accedas, vix grana parent præ multitudine palearum. Quia ergo non uno cuncti animo Christum sequuntur, recte nunc ipse his, qui illum primi sequebantur, dicit: « Quid quæritis? » Quod dictum quoties audimus, nos ipsi ad cor nostrum respicere debemus nostramque singuli interrogare conscientiam, ut sciamus qua Christum intentione sequamur. Quod enim duobus illis dicit, omnibus dicit: Quod si vere Christum quærimus, et ubi ipse est, illic et nos esse volumus, tunc desiderium nostrum, et præparatio cordis nostri hoc in auribus ejus loquitur: « Rabbi (quod dicitur interpretatum *magister*), ubi habitas? » Bene enim dicimus, magistrum illum vocantes; quia de disciplina ejus sumus, dum revera Deum quærimus. Dicimusque illi, « ubi habitas? » dum supernam cogitamus patriam, ubi sedet ad Patris dexteram, clarificatus claritate quam habuit, priusquam mundus esset apud Patrem (*Joan.* XVII); qui incola et peregrinus in hoc sæculo cum esset « non habebat ubi caput suum reclinaret (*Matth.* VIII). » — « Hæc recordatus sum, » inquit Psalmista, « et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei (*Psal.* XLI). » Hoc et nos recordari debemus, quicunque confessione fidei Christum sequimur, ne per intentionem vanam remaneamus cum illis, de quibus ipse: « Amen dico vobis, inquit, receperunt mercedem suam *Matth.* VI). » Quibus item Psalmista refugiens assimilari: « Unam petii, inquit, a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI). » Hoc autem jugiter petentibus et hoc modo dicentibus, ubi habitas, fiet aliquando, quod sequitur:

« Dicit eis Jesus: Venite et videte. » Ac deinde subjungitur: « Venerunt et viderunt ubi maneret. » Tunc enim dicit Jesus: « Venite et videte, » quando mentem per adjuvantem gratiam bene meritam, in contemplatione sublevat, et cœlestibus gaudiis ad horam admittit, ut dulcedinem illam gustare prævaleat, quam oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). Ita veniunt et vident ubi Jesus maneat, eisque videntibus Creatoris habitationem, angusta est omnis creatura. Quorum unus, ut ipse ait: « Raptus est usque ad tertium cœlum, raptus est usque in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII). » Et multi quidem sanctorum diversa gratia gloriam regni, in quo Jesus habitat, prægustantes viderunt. Hic autem tanta gratia vocatus est ad videndum, ut nesciret, utrum extra corpus sit omnimodo eductus, an in corpore manens, solummodo per extasim fuerit sublevatus spiritus ejus sicut ipse ait, « sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit (*ibid.*). » Sane hoc juxta litteram prætereundum non est, quod sequitur: « Et apud eum manserunt die illo. » Opportuna quippe determinatione usus, dicendo, die illo. Non enim tunc relictis omnibus illum secuti sunt, neque ex tunc semper cum illo manserunt, sed tantum die illo apud eum manserunt, et verba gratiæ, quæ procedebant de ore ejus, familiariter audire cœperunt. Jesus enim nondum tradito Joanne, ut superius dictum est, neque publice prædicabat, neque de relinquendo patre aut matre, vel cæteris necessariis abnegandis, cuiquam legitur nova dedisse præcepta. Sed jam spiritualiter cœpta prosequamur Et Paulus quidem excellenti magnitudine revelationis audivit, ut jam dictum est: « Arcana verba, quæ non licet homini loqui. » Cæterorum autem singuli in sua sublevantur mensura, scilicet ut alius sapientiæ vel scientiæ sermonem accipiat; alius generationis [genera] **116** linguarum, alius gratiam sanitatum, et his similia (*I Cor.* XII). Quod cum assecutus quis fuerit, jam idoneus factus est, qui et alios invitet, et prædicando Christi faciat sectatores. Quod et in his, de quibus præsens Evangelium refert, pulchre præsignatum est. Sequitur enim:

« Hora autem erat quasi decima. Andreas autem frater Simonis Petri, erat unus ex duobus qui audierant a Joanne, et secuti fuerant eum. Invenit hic primo Simonem fratrem suum, et dicit ei: Invenimus Messiam, quod est interpretatum *Christus*. Et adduxit eum ad Jesum. » Qui primus audierat, et Jesum secutus fuerat, fratrem suum postmodum invenit, et adduxit, jam tunc implens Scripturam, quæ per hunc ipsum Joannem dictura erat: « Qui audit, dicat veni (*Apoc.* XXII). » Sed cur interpositum est, hora erat quasi decima, ubi Jesus nostræ vocationis

carpebat primitias? Videlicet quia vocatorum salutem non aliquod ipsorum præcedens meritum, sed sola vocantis operatur gratia; et in omnibus omnino ætas non discernit, nec præjudicat, congrua significatione dictum est, hora quasi decima. Ipse est enim ille paterfamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, et circa tertiam et sextam, nonam ac decimam horam exiit, et fecit similiter, tandemque dixit: « Erunt primi novissimi, et novissimi primi (*Matth.* XX). » Hora decima vel undecima procul dubio prope est jam vespera, quæ humanæ vitæ occasum significat. Constat vero, quia magnus quidem Andreas, qui venit ad Jesum hora decima, maximus vero in ordine apostolorum Simon frater ejus, qui adducitur tardius, jam propinquiore vespera. Eadem namque die veniunt ad Jesum, primo Andreas cum altero, deinde frater ejus Simon, in crastinum vero Philippus et Nathanael, et absque mystica horarum interpositione, die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Igitur quod postea loquens in parabolis, significaturus erat verbis, jam in suis significat, dum illos, quos magnos esse volebat apostolos, per occultam inspirationem trahens, ultima diei parte, id est hora decima vocare incipit. Est et illud, propter quod magis placeat hunc Agnum Dei demonstratum, vel agnitum esse hora decima, Agnus quippe, per cujus immolationem cæsa sunt Ægypti primogenita (*Exod.* XII) et filiorum Israel soluta est captivitas, qui hujus agni typum præferebat, jussus est in domos filiorum Israel tolli luna decima, immolandus post quartam decimam lunam sequente vespera, quando luna est plenissima. Decima, ut dixi, luna assumi jussus erat agnus, decima quoque plaga attrita fuerat Ægyptus, decem nihilominus ad verberandum spiritualem Pharaonem postmodum data sunt legis præcepta (*Exod.* XX). Cum ergo audimus hunc Agnum Dei, digito Joannis esse hora decima demonstratum, hæc omnia nobis utiliter ad memoriam redeunt quia videlicet hora decima his, qui intelligere possunt, mysticam innuit esse consonantiam Scripturarum. Nunc enim revera verus Agnus ille tollitur in domos filiorum Israel, quando dicente Joanne: « Ecce Agnus Dei, » incipiunt illum sequi Israelitæ veri, quorum vita sic erat, veluti luna decima, scilicet nondum plena et rotunda, quia videlicet lex, sub cujus decem præceptis servierant, nihil ad perfectum adduxerat (*Hebr.* VII). Et Joannes quidem veluti alter Moyses, discipulos habens, et decem præcepta legis optime custodiens, quasi decem plagis Pharaoni, id est diabolo repugnabat. Sed illo nondum victo, digito demonstrans, dicebat: « Ecce Agnus Dei, » subaudis cujus sanguine cum fuerint nostrarum postes frontium signati, liberandi sumus in manu forti, et submergendus est princeps tenebrarum in aquis baptismi, quo nos ille misto sanguine suo baptizabit. Hoc igitur pertinuit ad evangelistam, ut designationem hujus agni referens decimam, quæ tunc erat, non taceret horam. Sed jam insequentia videamus. « Andreas qui, ut prædictum

A est, unus erat ex duobus, qui audierunt a Joanne, et secuti sunt Jesum, invenit Simonem fratrem suum. » Ecce nos aspicientes a longe, per hoc verbum quod dictum est, invenit, quasi per subvolantem scintillam agnoscimus, magnam in illis fuisse flammam sancti desiderii. Et revera in illis quos gratia præveniens ad tantam prædestinaverat gloriam magnum et omnis moræ impatiens erat desiderium videndi Salvatorem, cum venisse illum audirent a magistro suo Joanne testimonium perhibente, quia vidit Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem in ipso. Cum ergo ambulantem ut supra dictum est, Joannes iterum ostenderet eum, cumque secutus Andreas vidisset ubi maneret, procul dubio festinavit, cucurrit, quæsivit

B fratrem suum, ut qui erat socius desiderii, particeps fieret et gaudii. Quærens itaque « invenit fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam, quod dicitur interpretatum, *Christus.* » Invenimus, inquit, non clamantem, neque contendentem, quia nec audita est foris in plateis vox ejus, sed adhibita lucerna, scilicet testimonio Joannis, qui est « lucerna ardens et lucens (*Joan.* V), » in humilitatis et silentii latibulo se continentem, invenimus Messiam, Ille enim Agnus absque macula totusque candidus inter nigros latebat hædos nocte ista, in qua peccatorum oculi caligant; sed lucerna Joannes tenebras nostras dispulit, eumque nobis ostendens: Ecce inquit, Agnus Dei. Quod dicitur interpretatum *Christus.* » Hoc Andreas non dixit, sed evangelista, verbum Hebraicum volens aperire Græcis et Latinis de

C suo apposuit. *Messias* namque Hebraice, Græce, *Christus*, Latine dicitur, *Unctus*.

« Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Joanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur *Petrus.* » Magnum et ineffabile gaudium beato Petro præsignat, hoc primum intuentis et alloquentis eum Domini prædicamentum. Si enim cunctis apostolis et omnibus sanctis gaudendum est in hoc sæculo quod eorum nomina scripta sunt in cœlo (*Luc.* X), quanto magis huic beatissimo lætandum est, qui, ut ita dicam, in capite libri nomen suum invenit scriptum? Non enim aliquem adhuc Dominus proprio vocaverat nomine, nec postea quemquam tam familiari descripsit inspectatione, nec tam amica expressit intentione. Causam autem hujus nominis,

D ex alio secundum Matthæum cognoscimus Evangelii loco. Nam cum dixisset Petrus: « Tu es Christus Filius Dei vivi, respondens Jesus dixit: Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI). » Tanquam si quæreres cur Petrum illum nominaret, rationem, in humilitate sua pro tempore latentem, subdidit: « Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Claret ergo, quia Christus super seipsum, videlicet firmam petram, suam ædificaturus Ecclesiam, ubi vidit, imo intuitus est, ut ait evangelista, id est, di-

ligenter respexit illum, quem primum post se volebat ejusdem esse fundamentum Ecclesiæ. Hac de causa Petrum a seipso petra prima denominavit, utpote in quo post seipsum tota constituta erat fabrica spiritualis ædificii. Sed et ex fine præsentis capitui maxime idem potest intelligi. Sic enim finitur: « Amen dico vobis, videbitis cœlos apertos, et angelos Dei ascendentes et descendentes 117 supra Filium hominis. » Quod dum dicit, procul dubio mittit nos ad historiam, ubi « Jacob lapide supposito capiti suo, vidit in somnis scalam cœlos tangentem, et angelos Dei ascendentes et descendentes per eam. Surgensque mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo et erexit in titulum, fundens oleum desuper (*Gen.* XXVIII). » Ille namque lapis perfusus oleo ipsum significat unctum Spiritu B sancto. Unde et singulariter dicitur Christus: quia « præ consortibus suis est unctus (*Psal.* XLIV). » Sed de hoc plenius paulo post dicendum est. Igitur Simon, quod interpretatur *obediens*, quia primus petræ illi erat superponendus, super quam Ecclesia ædificatur, pulchre mutato nomine, Petrus ab ipsa petra denominatur: per quod significatum est quia cunctis, qui super illud fundamentum, quod est Christus ædificantur, juxta prophetam « vocandum sit nomen novum, quod os Domini nominavit (*Isa.* LXII). » In quo nec illud vacat, quod tali loco vel tempore dicitur filius Joanna. Quia videlicet sicut nomen illi commutatur, sic a carnali patre vel generatione ad spiritualem transfertur, ut deinceps sit pater ejus ille sponsus, qui de latere suo sponsam C sibi erat ædificaturus (*Ephes.* V), in qua, sicut primus lapis, sic et primus merebatur esse filius. « In crastinum voluit exire in Galilæam et invenit Philippum. » Ne casu accidisse putes, quod « Philippum invenit, » voluntatem ejus evangelista præmisit. Nihil enim per casum divinæ providentiæ occurrit, nihil temerarium, nihil fortuitum, cuncta videntibus oculis ejus se ingerunt. Bene ergo dicturus: « invenit Philippum, » præmisit: « voluit exire, » quod idem est, ac si dixisset: Volens invenire Philippum, imo volens de aqua facere vinum, ibique facere signorum initium, ubi postmodum, juxta Matthæum, primo prædicaturus erat et dicturus: « Appropinquabit regnum cœlorum (*Matth.* IV). » volens omnino prophetiam implere dicentem: « Primo tempore revelata [alleviata] est terra Zabulon et terra D Nephthalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium (*Isa.* IX), » Exivit in Galilæam, et invenit Philippum. » Invenit, utpote quem quæsivit: ipsum enim cum omnibus sanctis præscivit et prædestinavit. Atque idcirco exivit, ut vocare tunc, quem ante sæcula præscivit et prædestinavit. « Invenit » autem, non eo modo quo nos invenisse dicimur, cum quidlibet videmus, quod antea non videntes quærebamus. Sed quomodo dicit pastor bonus: « Inveni ovem meam, quæ perierat (*Luc.* XV): » quomodo dicit mulier: « Congratulamini mihi, quia inveni drachmam meam, quam perdideram (*ibid.*): »

A quomodo itidem invenit singulos nostrum, quando ad fidem suam nos colligit, qui fueramus perditi, eodem modo nunc eodemque pondere dictum est: « Invenit Philippum. Dixit ei: Sequere me; et surgens secutus est eum. » Et hoc ipsum præscierat, quia mox ut diceret ei: « Sequere me, » surgeret, et sequendo obediret. Jam enim gratia sua nescientem prævenerat, et antequam vocem ad aures dirigeret, manum suam ad trahendum illum in cor ejus miserat. « Erat autem Philippus e Bethsaida civitate Andreæ et Petri. » Hoc opus divinam maxime commendat gratiam, quod de civitate peccatrice, tres isti vocati sunt, magni Patres justorum atque credentium. Bethsaida namque peccatrix erat civitas, in tantum, ut et illi Dominus, sicut Matthæus refert, exprobret ac dicat: « Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, profecto in cilicio et cinere pœnitentiam egissent (*Matth.* XI). » Cum ergo de civitate illa, cui propter incredulitatem et impœnitentiam væ pronuntiat veritatis judicium, tanti Patres vocari ad gaudium et ad pacem universo mundo evangelizandam, eligi meruerunt: cujus opus, cujus est hoc donum, nisi gratiæ Dei, quæ suos præveniens et subsequens electos, indebitum illis præstat beneficium? Sequitur: « Invenit Philippus Nathanael. » Quærens utique Philippus Nathanael, invenit, ut eum participem præsentis faceret gaudii: et juxta nomen suum (Philippus enim intepretatur *os lampadis*), proximum suum illustraret, festinat lumine boni nuntii. « Et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus Jesum Filium Joseph a Nazareth Galilææ. » Ordo verborum est Jesum Filium Joseph a Nazareth Galilææ, invenimus ipsum esse, quem scripsit Moyses in lege et prophetis [propheta]. Hoc invenimus, ita esse didicimus, talem tantumque hominem, de tam humili loco, scilicet a Nazareth Galilææ, lucerna probabilium testimonium prodente, exortum agnovimus. Opportuna descriptione usus est, quia videlicet multi, vocabulo Jesu nuncupabantur, idcirco cum proprio nomine, ipsius civitatis quoque nomen posuit, et patris ejus qui erat Joseph, ut putabatur. In quo et veram tenuit legem historiæ, quæ est opinionem vulgi pro tempore et loco non omittere. Et mendacii notam non incurrit, patrem illum nominando, qui non erat pater ejus carnalis. Si enim hi, qui alienos sibi adoptant filios, non incongrue dicuntur patres eorum, quos paterno sibi affectu adoptaverunt, quanto magis hic unicus et singularis Domini nutritius, pater ejus non inconvenienter dicitur? Natus enim pupillus in hoc sæculo, id est absque carnali patre Dominus, illo beato viro pro patre in omnibus usus est, et in illa generationis scala, quæ per Matthæum (*cap.* I) texitur, eidem sancto Joseph omnis humanæ opis indiga humanitatis ejus natura tanquam gradui supremæ innixa est. Hoc ergo audito, « Respondit Nathanael, et dixit: A Nazareth potest aliquid boni

esse? » Nathanael, quia legis peritus erat. Unde et Philippus ei nuntiando prædixerat, quem scripsit Moyses in lege et prophetæ, invenimus Jesum, sciens quia de Bethlehem civitate David secundum Scripturas, et de semine David nasciturus esset Christus, dubitat vel quærit utrum a Nazareth possit aliquid boni esse ejusmodi. Nesciebat enim neque sibi fuerat indicatum, vel, si quando scivit, ab ejus memoria poterat esse oblitteratum, quod in diebus professionis « ascendisset Joseph a Galilæa in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore prægnante (*Luc.* II). » Et forte hoc sciebat quod Joseph, vel ipsa quoque Maria, quæ in Nazareth habitabat, de Bethlehemitico genere, et semine David esset. Et idcirco quomodolibet distinguatur, quod ait: A Nazareth potest aliquid boni esse, sive interrogando, sive affirmando, a vero sensu non discrepat. « Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo: Ecce vere Israelita in quo dolus non est. » Et hic plane Salvator apertis gratiæ suæ vidit oculis, illis nimirum oculis quibus nos omnes, antequam essemus, vidit et prædestinavit. Nec poterat ignorare quali mente veniret ad se, scilicet quod in simplicitate cordis quæreret Deum, juxta quod scriptum est: « Quæ sunt in corde hominum oculi tui vident, et in libro tuo omnes scribentur: Homo videt in facie, Deus autem in corde (*Psal.* CXXXVIII). » Quam ergo sententiam de illo sine errore scripserat in libro suo, statim protulit, dicens: « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est (*I Reg.* XVI). » Dignum utique spectaculo illum esse significat dicendo, ecce, facitque opportunam Israelitarum distinctionem, addendo, **118** vere, et, « in quo dolus non est. » Non enim omnes, qui secundum carnem ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ: sed hi tantum, in quibus dolus non est, qui recto corde sunt, et Deum videre sitiunt, reputantur Israelitæ (*Rom.* IX). At ille vultu alacer et mente alacrior, ut vere Israelita filius illius qui cum Deo luctatus est (*Gen.* XXXI). « Dicit ei Nathanael: Unde me nosti: » Qua percontatione hoc ipsum indicat, quod juxta veritatis testimonium verus sit Israelita. Falsi namque Israelitæ nimium delectantur laudibus suis, scilicet non attendentés utrum laus ipsorum ex hominibus an ex Deo sit. Hic autem audiens verum Israelitam se appellari (quod magnæ est laudis, magnique pretii.) « Unde, inquit, me nosti? » Subaudis, quem hactenus secundum hominem non vidisti? » Respondit Jesus, et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. » Hoc est, quod quærebat, scilicet Deum ac Dei Filium, qui secundum divinitatem ubique præsens, etiam illos videt, quibus corporaliter præsens non est. Attamen comparationem majorum, parvum hoc est, quod illum sub ficu se vidisse testatus est. Vidit enim non solum illum, sed et omnes electos suos, cum essent sub ficu: vidit misericordiæ suæ oculis, id est, cum primus parens illorum, factus mandati transgressor, consutis fici foliis, pudenda contegeret (*Gen.* III). Jam tunc vidit eos, et miseratus est: jam disponebat misericorditer, quo illos ordine a prævaricationis reatu liberaret. Verus ergo Israelita Nathanael, in quo dolus non erat, quia non more Pharisæorum, veritatem sciens impugnabat, sed cognitam simplici corde diligebat, cito ac breviter satisfactum sibi Christum quærenti, protinus indicat. Nam sequitur: « Respondit Nathanael, et dixit: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel, » Loco præsenti subsistit, et tenetur animus amator fidei, circumspiciens, et scire ardens, quo post tam sonoram confessionem Filii Dei dilectus iste Nathanael devenerit. Nusquam enim comparet, neque in hoc evangelista, neque in aliquo cæterorum, nisi quod post Dominicam resurrectionem, hic idem Joannes evangelista, ejusdem hoc modo facit mentionem: « Erant simul Simon Petrus et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, et duo filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo (*Joan.* XXI). » Et quis non optaret, ut lucerna tantæ claritatis nequaquam sub modio lateret, sed supra candelabrum poneretur (*Matth.* V), et omnibus, qui in domo Ecclesiæ sunt, luceret? Quis, rogo, non cuperet ut tantus confessor Filii Dei computaretur inter magnos apostolos Christi? Quod enim amplius Petrus confessus est, qui non solum apostolatum, sed et præ cæteris claves meruit regni cœlorum (*Matth.* XVI)? Quærenti hoc forte dicat aliquis: Petrus piscator erat: Nathanael legisperitus erat. Propositum autem Deo fuerat, ut per infirma et contemptibilia mundi, fortia confringeret, et per ea quæ stulta fuerant, confunderet sapientes (*I Cor.* I). Igitur in proposito persistens, piscatoris Petri fidem et confessionem non solum apostolatu, sed cœlorum clavibus remuneravit. Nathanaelis autem confessionem, nec apostolico remuneratam ordine, quia legisperitus erat, inferius dereliquit. Cum hoc dixerit quis, non sic omnino satisfaciet studioso lectori? Quia videlicet « spiritus scientiæ (*Isa.* XI), » qui unus est de septem spiritibus Dei, cum sit honorabile donum Dei nullo modo fidei veritatem vel meritum diminuit. Imo docta sanctam rusticitatem præcellit, testante angelo qui ad Danielem dicit: « Quia docti fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII), » ad summam maxime et illud repugnat, quod Saulum magnæ scientiæ sacrarium, et, ut ipse fatetur, ad pedes Gamalielis eruditum, Dominus ab apostolica gratia non repulit (*Act.* XXII). « sed qui operatus Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et huic inter gentes. Et creditum est mihi, inquit, Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis (*Galat.* II). » Quærimus igitur ubinam iste Deo amabilis Nathanael delituerit, quia, sicut jam dictum est, præter hunc et alium supra memoratum locum in cunctis evangelistarum diversoriis nusquam ulla vesti-

gia parent hujus nominis. Rursus autem aspicientes ad duodecim sedes, et sedentes in illis, videmus Bartholomæum Philippo, per quem Nathanael iste vocatus est, ubique cohærentem, quem ignoramus, quando vocatus sit, sicut nescimus Nathanael, postquam vocatus est quo devenerit. Et sicut hic evangelista Joannes qui de Nathanael scripsit, sparsim cunctos nominans apostolos, de Bartholomæi nomine omnino tacuit ; sic econtra cæteri evangelistæ, qui ubique Bartholomæum Philippo conjungunt, de nomine Nathanael omnino tacuerunt. Constat vero quia Bartholomæus non Hebraicum, sed Syrum nomen est, quod Latine dicitur, *filius suspendentis aquas*. Nathanael autem Hebraicum, et interpretatur *donum Dei*. Fortassis ergo hic ipse Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, Bartholomæus est, quod interpretatur *filius suspendentis aquas* : quia tertia die, cum nuptiæ fierent in illo vico suo Cana Galilææ, forte per occasionem ejus Dominus invitatus ad nuptias, aquas in vinum convertens, in admirationem omnium, illas suspenderat. Sed audiamus quid hic confessori suo Filius Dei, rex Israel unus idemque homo, responderit. « Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis ; majus his videbis. » Hoc plane de seipso sperare potest quisque fidelis. Cum enim parva, quæ sentit de Verbo Dei, fideliter et intentione bona depromit, dignum se exhibet, cui revelet majora Pater qui est in cœlis, quæ revelare non potest caro et sanguis (*Matth.* XVI). Unde scriptum est in Psalmo : « Os meum aperui, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII). » Os namque suum aperiens, scilicet confitendo ad salutem, quod corde credit ad justitiam, Spiritum sanctum attrahit, qui in ampliori cognitione veritatis, bonum ejus impleat desiderium. « Et dixit illis : Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et angelos Dei descendentes et ascendentes super Filium hominis. » Hoc illis dicto, illud quo [quod] nesciebant, videndum repromittit, scilicet per passionem suam cœlum esse aperiendum, futuramque angelorum et hominum concordiam, qui prius inter se discordes fuerant, clauso hominibus cœlo, et sub texto pariete inimicitiarum, propter originale peccatum. Non enim fuerat hactenus ille angelorum et hominum consensus, ut venientes sancti angeli, exeuntes de corporibus animas beatorum hominum, per patentes portas cœli inferrent, ut nunc faciunt, venerantes et adorantes in rege ac Deo suo naturam hominum, qui sine vehiculo angelorum potenter ascendit in cœlum, « ponens nubem ascensum suum, et ambulans super pennas ventorum (*Psal.* CIII). » Hoc plane videndum veris promittit Israelitis, ut quod in figura prævidit carnalis pater eorum Israel, (*Genes.* XXVIII) hoc in semetipso revera complendum esse pronuntiet. « Jacob » namque « egressus de Bersabee, et pergens Aran, cum venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supposuit capiti suo, dormivitque in eodem loco : viditque scalam stantem super

A terram, et cacumen illius tangens, cœlum, angelos quoque **119** Dei ascendentes per eam (*Gen.* XXVIII). » Jacob ille, qui postea dictus est Israel, vero significat Israelitas, qualis iste erat Nathanael, de quo paulo ante dixerat Dominus : « Ecce verus Israelita, in quo dolus non est. » Lapis autem ille, quem capiti suo supposuit, ut dormiret, hic eumdem Christum significat, « lapidem » angularem, « quem, » falsi Israelitæ « reprobaverunt, ædificantes (*Psal.* CXVII ; *Act.* IV). » Hunc enim quicunque supponit capiti, id est, cordi suo, dormit securus : quia mundi divitias contempsit, et ideo passionibus mundi non perturbatur, nihil habens in sæculo cur gaudeat, cur timeat, cur speret, cur doleat. Secura namque mens est, ubi propter Christum hæc desunt, dicitque is, B qui lapidi Christo sic superposuit caput, id est, cor suum, ut his passionibus careat : « Ego dormio et cor meum vigilat (*Cant.* V). » Fecerunt hoc illi maxime, qui tunc audientes vocem ejus, dicentis : « Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos » (*Matth.* XI) relinquentes veniebant ad eum, et discere ab ipso, quia « mitis » omnia est, « humilis corde, » ut in humilitatis cordis ejus, tanquam super solidum lapidem dormientes, et animabus suis requiem invenientes, mysteria regni Dei scirent, quæ scire non possunt superbi, inter quos semper jurgia sunt, qui ad lites et contentiones vigilant. Hi viderunt cœlum apertum clavibus illis, qua præcipuo vicario suo Petro Dominus tradidit (*Matth.* XVI) : viderunt exstinctum flammeum gladium, qui positus fuerat ad introitum paradisi C (*Gen.* III) : et expergefacti repentino sono advenientis super eos, Spiritus sancti, paventes et exclamantes annuntiaverunt nobis (*Act.* II). Qui et illum tollentes lapidem, super quem requieverant, erexerunt in titulum, ut omnes videremus, et crederemus in illum, et spirituali ædificio constructis super eumdem lapidem, sanctæ Ecclesiæ parietibus (*I Petr.* II), « quam terribilis est, inquiunt, locus iste (*Gen.* XXIII, » scilicet portis inferi, quæ non prævalent adversus eum (*Matth.* XVI). « Non hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli : » videlicet per quam ascendunt et descendunt angeli supra Filium hominis, ascendentes ad divinitatis ejus contemplationem, descendentes autem ad humanitatis vel passionis ipsius venerationem. Per hanc enim solam et unicam portam D descendunt angeli ad ipsum Filium hominis, Deum et regem suum, habitantem per fidem in cordibus nostris, et ascendunt pro illos scalæ gradus, quos moraliter intelligimus diversos virtutum esse profectus : quibus duo latera, scilicet corpus nostrum et anima insigniti sunt, cœlumque recta via contingunt : quo sanctis angelis suffragantibus, qui nobis per mortem Christi amici facti sunt, deportemur. Sequitur : » Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. » Gloriam Filii Dei præcedit semper humilitas unius ejusdem Filii hominis : quod agnosci promptum est fere in

A omnibus quæ fecit vel pertulit in terris, nostræ salutis voluntariæ intentus operationi. Natus de femina, virgineis lactatur uberibus; pannis involutus, ab angelis « gloria in excelsis Deo » canentibus collaudatur (*Luc.* II), et in præsepis angustia positus, in latitudine cœli stella fulgenti declaratur (*Matth.* II): ad templum, tanquam peccator deportatus, a Simeone lumen verum prædicatur (*Luc.* II): et inter peccatores ad servi sui baptismum veniens, voce Patris, et Spiritus sancti visibili specie super illum apparente, Sanctus sanctorum manifestatur (*Matth.* III; *Luc.* III): fraudes perfert tentatoris, et mox accedentes angeli ministrant ei (*Matth.* IV; *Luc.* IV). Sic et nunc, cum hominibus carnalibus ad nuptias invitatus, venire non dedignatur et mox aquam in vinum convertens Deus verus, elementorum Do- B minus et naturæ imperator comprobatur. Sic [sicut] enim gloriæ est miraculum hoc fecisse, et elementum supra naturæ suæ leges sola voluntate elevasse, quod utique ad divinam ejus majestatem credendam solum posset sufficere: sic magnæ et prædicandæ humilitatis insigne est, eum qui absque viro conceptus est, et salva matris integritate natus est, ad nuptias venisse, quibus virginitas amittitur, et in inferiori gradu conjugatorum tribulatio carnis acquiritur (*I Cor.* VII). Inferioris quippe gradus est, quamlibet honorabile conjugium et thorus quantumvis immaculatus (*Hebr.* XIII): altioris autem honoris et gratiæ sacra virginitas, quam pia commendat humilitatis venustas. Non ita contra quosdam hæreticos, qui nuptiis detraxerunt, conjugia defendimus, C ut aliis consentientes, virginitatis nuptias cæquemus ut etiam impudenti temeritate præferamus. Quis enim nesciat, bonum quidem et a Deo constitutum esse conjugium, sed ipsam vitiatam esse conjugum naturam? Nam, cum homini primo Deus uxorem fecisset in adjutorium scilicet propagandæ sobolis, benedixit eis, dicens: « Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam (*Gen.* I). » Eratque in benedictione sic data generationis facultas, ut absque omni injuria carnis superbientis et adversantis spiritui, absque omni prurilu libidinis, soli nascerentur electi, et ad decimi ordinis restaurationem prædestinati. At ubi veneno serpentis antiqui homo intumuit, dejectus est ab illa protestate suæ carnis (*Gen.* III): et qui in honore positus fuerat « comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est D illis (*Psal.* XLVIII). » Statim enim conjuges honesti, qui fuerant rationales conditi, cœperunt rationabiliter commoveri, cœpitque caro commovere spiritum, ut suis nutibus serviret, cujus erat conditio talis, ut ipsa spiritus imperio, sicut decebat, obtemperaret (*Rom.* VII). Unde semetipsos erubescentes, foliis fici consutis pudenda contexerunt (*Gen.* III). Pugnat ex tunc caro cum spiritu, in quamlibet sanctis aut justis conjugibus (*Gal.* V): et quantumvis sancte reliquo tempore vivant, carnemque spiritui subjiciant, dum sibi copulantur, superior caro, inferior spiritus est, totaque mentis acies sic obruitur,

ut Deum nequeat meditari, orationi vacare non possit. Unde Paulus cum dixisset secundum indulgentiam, non secundum imperium: Nolite fraudare invicem (*I Cor.* VII), » statim subdidit: « nisi forte ex consensu, ad tempus, ut vacetis orationi. » Vitiata ergo, ut prædictum est, conjugum natura, permanet quidem, quæ ante peccatum data est benedictio dicentis: « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I). » Sed bonum hoc imminuit vitium, quod per peccatum accessit: et quod valde dolendum est, illa tribulatio carnis non deficit in complexibus conjugii, quæ a Deo juste imposita est mulieri, quando dixit ei: « Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos (*Gen* III). » Multiplices namque conceptus de terra carnis, tanquam spinarum et tribulorum densitates excrescunt super numerum. Et tanti nascuntur reprobi, ut ad comparationem illorum pauci sint electi. At vero virginitas sollicita est quomodo placeat Deo et « cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta, et corpore, et spiritu (*I Cor.* VII), » quia non intercurrit caro media inter Deum et spiritum ejus, sed superior carne spiritus, carnem inferiorem regit, a superiore Deo regitur. Non quidem condemnat Apostolus inconjugatis licentiæ usum: sed confidenter licentiæ præfert illud quod utilius probat, de virginibus consilium. Igitur humilitatis est dignatio quod homo cœlestis, de Virgine natus, terrenis et carnalibus nuptiis interesse non renuit invitatus. Quod autem de aqua **120** vinum fecit, consequens est, post humilitatem gloria semper nova, semper eadem admiratione prædicanda. Nam licet in vitibus omni anno Deus idem eadem potentia, terræ gremio susceptam, in vinum transire faciat aquam, et noster sensus hanc illius comprehendere non possit efficaciam, maxime tamen ad hoc miraculum cuncti laudatores, nostram intendimus mentem, divinæ laudis avidam. Illo namque naturali usu monstratur id quod omnibus notum est, Deum esse omnipotentem: hoc autem novo miraculo probatur id quod solis fidelibus creditum est, Deum omnipotentem factum esse hominem. Præterea cæteris omnibus elementis cooperantibus efficitur hoc quod aqua vinum sit in vitibus. Primo namque terræ gremio aqua suscipitur, sine cujus ope nullam posset præstare pinguedinem, vitium sive herbarum, vel arborum radicibus. Dehinc aeris blanda temperie provocatur, ut erumpat in palmitibus; simulque beneficio caloris accedente, frondescit palmes, florescit botrus, et uva paulatim decoquitur. Hic autem ubi cunctus deest ordo naturæ, testatur vinum ex aqua factum, quoniam hic homo natura ipsa major est, naturæ Dominus est. Sic multo magis illam miramur virgam Aaron, quæ fronduit, floresque protulit, qui id amygdalas deformati sunt; magis omnino miramur, et veneramur, quam universas cedros Libani, cæterasque ligna revirescentia, fructusque aut semen, unumquodque in genere suo, singulis annis usitato cursu naturæ produ-

centi a. Non quia majora sunt hæc, sed quia, cum ipso miraculo, divinæ præsentiæ signum, atque voluntatis ejus et curæ vigilantis super nos evidens præstant indicium. Non enim miramur quod Deus potuerit ex aqua facere vinum, quantum gaudemus, quod is qui solus hoc potuit facere, factus homo, triginta annis inter homines ambulaverit, degens intra carnis latibulum. Igitur ut supra dictum est, gloriam Filii Dei præcedit in hoc quoque facto humilitas ejusdem Filii hominis, ut omni ordini ostendat in semetipso factis, quid [quod] docebat verbis dicens : Quia sicut omnis qui se exaltat, humiliabitur, sic econtra, omnis qui se humiliat, exaltabitur (*Matth.* XXIII; *Luc* XIV, XVIII). Meritum namque humilitatis præcedentis janua est gloriæ subsequentis. Sed jam ad lectionis evangelicæ verba veniamus, et primo littera per ordinem inspecta, deinde mysteria requiramus. « Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. » Conjunctio, quæ præponitur, ad superiora diligentem remittit lectorem, videlicet hoc modo : « Altera die stabat Joannes, » etc. « In crastinum noluit exire in Galilæam, et invenit Philippum, » « et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. » Diligenter animadvertere voluit nos evangelista quia non sine causa, sed certi gratia mysterii, Dominus noster duobus diebus posquam discipulos collegit vero die miraculum fecit, quo gloriam suam manifestavit, ut crederent in eum discipuli ejus. Ipse est enim qui duobus sæculi temporibus, scilicet ante legem, et sub lege, paucos de massa perditorum sanctos homines elegit, et tertio tempore, videlicet sub gratia, in mediis nuptiis hominum uxores ducentium et dantium ad nuptias, suisque omnino voluptatibus vacantium, sanctæ Ecclesiæ cœlestes nuptias intulit : « procedens » ipse tanquam sponsus de thalamo suo (*Psal.* XVIII), ut filii spirituales de illo nascerentur virginali conjugio. Sed hoc posterius dicendum : nunc, ut prædictum est, primo historiæ fundamenta jacienda sunt. « Et erat mater Jesu ibi. » Magnum, et cunctis sanctæ Ecclesiæ spectandum ordinibus humilitatis exemplum: verumtamen sacris virginibus non imitandum, quod mater Jesu, virgineum Domini templum, illibatum Sancti Spiritus sacrarium, non aspernata est carnalium interesse celebritati nuptiarum. Non enim sacris virginibus hoc imitandum est, quia videlicet tempus aliud, alia persona, locus alius est. « Omnia tempus habent (*Eccl.* III), » dicit Ecclesiastes. Virginibus Deo dicatis propositum, quod ardeat in mente, luceat in veste, radiet in ore, vel publica professione. Matris Domini virginitas cunctos homines latitabat, quia videlicet divulgari illam ratio temporis non sinebat. Neque enim libera tunc esse poterat virginitatis professio, vel hujusce exempli prædicatio, cum adhuc Moses sub velamine suo declamaret (*II Cor.* III) : Maledictus omnis, qui non facit semen in Israel (*Gen.* XXXVIII). Maluit ergo humiliter præsens cavere scandalum, quam futuris virginibus immaturum rigidi propositi præbere

A exemplum, quo plus attolleret supercilium virginum fatuarum, quam instrueret custodiam prudentium, matribus cæterisque, quæ cunctæ viros noverant : virgo mater se nulli præferens, matrem ubique se profitens, eo quod haberet filium, virginitatis autem suæ tacitum conservans in corde mysterium. Nam sicut incongruum, imo impossibile est, tectum domus stabilire, antequam fundamentum, sic impossibile erat ante susceptam fidem incarnationis Christi, præscribere ordinem, quo sacræ virgines sese a sæcularibus distinguere debeant. Nunc autem publicum est propositum, publice datum atque acceptum de virginibus consilium (*I Cor.* VII) ; et idcirco sacræ virgines majus eundo ad nuptias, quam talem refugiendo conventum, facerent Ecclesiæ Christi

B scandalum. Quapropter intus quidem habent prudentes virgines humilitatis vel charitatis oleum, scilicet non contemnendo, quamvis in inferiori gradu stantem legitimam licentiam nubentium ; foris autem et maxime ad eamdem frequentiam nuptiarum lucentes suas lampades non efferunt. Ubi enim citius vento miseræ vanitatis exstingui possunt ? Aut ubi properantius in oculis vel auribus suis periclitari queunt, juxta exemplum Dinæ filiæ Jacob, quæ idcirco a corruptore inventa et oppressa est, quia levitate puellari exivit, ut filias ignotæ regionis videret ? (*Gen.* XXXIV). Non enim ita securæ esse possunt, sicut illa beata regina cœlorum, quæ virginitatis thesaurum et hominibus habebat occultum, et filii sui forti præsidio, sanctorumque angelorum fida

C custodia præmunitum. « Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. » Et hoc procul dubio non temere spiritualis propositi viris est imitandum. Nam ubi ratio postulat, non solum ad nuptias ire, sed et idolium frequentare irreprehensibile est. Ubi vero causa idonea est, quæ prohibeat, non solum cum publicanis et peccatoribus manducare, sed vel fratri, Ave dicere, indignum est (*II Joan.* I). Quod nota similitudine discernere promptum est. Quandiu languidus sui met impotens est, scilicet phrenesim sive lethargum passus, aut certe paralysi dissolutus, tandiu prudenti et nobili medico laudi est, si ob visitandum ægrum ad locum sibimet indignum accedere, et lectulo paupertatis assidere non subterfugiat, interrogatusque imo et ab ægro percussus, opem gratuitam impendat. At ubi sensus

D menti, vel sanitas redierit corpori, si quid denuo inciderit, sive pituita, sive gravior tussis molesta fuerit, tunc demum suum medicus honorem agnoscens, ad sordidas pauperis ægri tabernas non descendit. Quia videlicet nota est domus sua, in qua requiri vel inveniri possit, jamque ille ambulare potest, pro seipso loqui novit. Ita nimirum, cum incarnatus Deus in hunc mundum venit, magnus et verus **121** medicus ad ægrotum jam desperatum descendit, qui non posset ad medicum accedere, nesciret opem ejus implorare, imo qui cum semivivus jaceret, sanum se putaret esse. Sicut ergo non expectavit, ut talis in cœlum ascenderet, seipsum dedu-

cere; sic postquam descendit, non exspectavit, ut peccatores venirent ipsum in Synagoga legentem, vel in templo docentem audire, sed ipse prior descendebat ad illos, cum publicanis et peccatoribus manducans et bibens, ita ut dicerent Pharisæi: « Ecce homo vorax, et potator vini, amicus publicanorum et peccatorum. (*Matth.* XI). » Sic et ejus apostoli fecerunt, ubicunque gentium doctores missi, tanquam ad ægrotos ignoti venere medici. At ubi languorem curaverunt, et vivendi præcepta dederunt, longius se ab eis sequestraverunt, in quibus per fidem curatis, vitia morum renovata sunt, dicente Paulo: « Scripsi in Epistola, non commisceri fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, » et cætera. Et paulo post: « Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere (*I Cor.* V). » Igitur postquam ad eos, qui male hàbebant, accessit medicus, et vocando peccatores ad pœnitentiam, sic per fidem curavit eos, ut sciant ipsi, vel possint venire ad Ecclesiam: jam non est spiritualis propositi viris eumdum, exemplo Domini, ad nuptias sæcularium; sicut ejusdem nihilominus exemplo, non est peccatoribus et publicanis communicandum cum ipsius apostolis, cum ejusmodi nec cibum sumere, nec ave eis dicere (*II Joan.* I), eodem Christo in se loquente, præceperint. Et non quod juxta Tatianum et Marcianum, aliosque nonnullos hæreticos, nuptiis detrahant, aut fornicationi comparent; sed, quia melioris ipsi votum propositumque habentes, bonum hoc post tergum dereliquerunt: quod tale est, ut non sine periculo respiciatur, quia non sine labore relinquitur. Sequitur:

« Et deficiente vino, dixit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. » Optat beata Dei genitrix convivantibus fieri janua cœlestis beneficii, ne illorum devotio, qui se invitaverant, fructu suo careret, neve hilaritatem præsenti rei competentem, importuna penuria contristaret. Credendum namque est, quod pia devotione Dominum Jesum matremque ejus, ac discipulos invitaverint; præsertim, cum famam illorum, quæ de ipso dici jam cœperant, non ignorare possent. Nam et ex eodem vico erat Nathanael, qui die præcedenti illum agnoscens, dixerat: « Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. » Unde et signanter Evangelista cum dixisset: « Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi, » distincte subdidit: « Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias. » Ut intelligas jam impletis nuptiis discumbentium, jam confidentibus convivis, consulto factum esse, ut vocaretur et Jesus, tanquam homo sanctus, velut propheta magnus, cujus benedictio posteritati nubentium, vel toto cœtui convivantium profutura frustra non speraretur. Igitur beata Virgo, ut illorum, qui se invitaverant remuneret devotionem, sciens in carne sua quam pepererat, rerum omnium

A creatricem habitare Dei virtutem, dicit Filio suo Deo suo: « Vinum non habent. »

« Dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. » Hoc duobus modis accipi, et utroque modo sensum potest ædificare recte credentis. Primum est, ut hæreticos illos, qui, ut sæpe dictum est, Christum ante Mariam fuisse negant, hac quoque sententia percuti arbitremur. Contra quos maxime præsentis Evangelii cuncta testimonia conscribuntur. Divinitas quippe, quæ in illo humanitatis suæ templo latebat, et nunc sese ad facienda miracula, paululum exerebat, veraciter hoc dicere poterat: « Qui mihi et tibi est, mulier? » Quia videlicet jam tunc in auribus ejus hæreticorum blasphemiæ personabant, qui dicturi erant: Quia B Christi totum initium ex Maria est. Itaque unius ejusdemque personæ naturam utramque duabus his exprimit brevibus sententiis; divinam scilicet. « Quid mihi et tibi est mulier? » Humanam vero, cum protinus subjungit: « Nondum venit hora mea. » Nam qui secundum divinitatem sine tempore et sine matre est, secundum humanitatem, tempora et horas (non fatales, secundum mathematicos, sed quas ipse sibi posuit) habere nascendo et moriendo dignatus est. Cavendus tamen est in hoc error Nestorii, qui duas in Christo confitendas esse personas arbitratus, vetuit beatam Mariam Theotocon, id est Dei genitricem nominari; dicens quod non Dei, sed hominis mater sit, ea quod humana tantum, non etiam divinam Christi natura ex illa sumpta sit, Sed procul dubio, sicut tenet catholica fides, Dei C et hominis mater credenda et confitenda est, Qua veraciter incorporeum Verbum Patris, aure cordis credendo concepit, et de corde suo corporatum, ex virgineo ventre peperit. Aliter: « Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.» Non ante hac invenitur matrem suam ignorasse Dominus Jesus, sed erat subditus illi, sicut quodam loco Lucas Evangelista testatur, de parentibus ejus loquens « et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis (*Luc.* II). » Nunc autem ubi miracula facere incipiens ad hoc se præparat, ut paulo post per civitates et castella circumeat, et regum Dei annuntiet, dicit eidem matri suæ: « Quid mihi et tibi est mulier?» Cui simile est illud, quod juxta alium Evangelistam, loquente eo ad turD bas, cum dixisset ei quidam: « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes loqui tibi. Respondens eis ipse dixit: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus et frater, et soror, et mater est (*Matth.* XII). » Itaque fecit ipse prior, quod nobis faciendum præcipit. Non enim alia cuiquam præcipit, quam quæ ipse primus opere implevit, sicut de ipso scriptum est: « Quæ cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I). » Præcipit autem ei, qui sese dignus esse cupit, ut propter Evangelium pa-

trem et matrem relinquat, et renuntiet omnibus quæ possidet (*Matth.* x). Hoc igitur primus ipse fecit, quia descendens a patre, cum dives esset, pro nobis pauper factus est, domum quoque et matrem, et affines carnis suæ deserens, ad evangelizandum pauperibus exivit (*Luc.* I; *II Cor.* III). Dicit itaque matri suæ in initio miraculorum paulo post successura suæ prædicationis functione: « Quid mihi et tibi est, mulier? » Quod utique nec ipse secundum carnem dicit, ut supra dictum est, sed secundum divinitatem (quæ existendi initium ex matre non accepit) cujus opus omnino præferendum est curæ carnis, nec ab aliquo secundum carnem dicendum est patri vel matri, sed secundum Deum, scilicet ubi opus Dei omnia, et propriam quoque animam negligere exigit. Et hoc modo nullatenus adversus legem facit, dicentem: « Honora patrem et matrem (*Deut.* v; *Exod.* xx). Nam, eadem lex quæ hoc dicit, rursus eadem auctoritate vel eodem spiritu loquitur: « Qui dixerit patri suo vel matri suæ: Nescio vos; et fratribus suis: Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt legem tuam et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel. Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum (*Deut.* XXXIII). » Magis ergo, ut legem perfecte implerem, matrem **122** suam salvo ejus honore nescivit; quia profecto nulla est exhonoratio patris ad matris, dum eis non quælibet causa, sed solius præfertur honor vel opus Dei. Cui videlicet magno ac necessaria salutis operi Jesus intentus, nesciturum se matrem suam profitetur, donec eodem opere peracto dicat ei: « Mulier, ecce filius tuus (*Joan.* XIX). Quod videlicet in hora mortis suæ dicturus erat. Unde et cum dixisset: « Quid mihi et tibi est, mulier; » protinus addidit: « Nondum venit hora mea. » Ac si diceret: Ex quo ad baptismum veni, et in desertum exivi, destitutam te esse præsentia mea, materno affectu suspirasti, nunc habes me in his nuptiis, et gaudes quod præsentia mea frueris, sed adhuc tempus imminet, ut magis ac magis te relicta, non desinam circuire per civitates et castella. Cum vita præsenti finiam opus quod cœpi. Ab hac expeditione redeuntem vulneratum me et morientem recipies. Nunc interim tantum impendet onus cœlestium negotiorum, ut non vacet perpendere quod maternis affectibus tuis debeam. Nec enim habeo facere voluntatem meam, sed impositam a Patre perferre obedientiam. Qualem mandati ejus necessitas adduxerit, talem me filium tuum in illa hora ostendam tibi. Ad hæc quidem dicta, non ad illud respondit, quod dixerat mater: « Vinum non habent, » Sed ad interni desiderii ejus clamorem vehementem, in aures suas alte personantem, quia faciem ejus ardebat semper videre præsentem. Nam convivas, quorum devotione invitatus fuerat, non minus quam ipsa suo volebat beneficio lætificare, maxime ob utilitatem illorum, quos hoc viso miraculo noverat in se credituros esse. Recte ergo sequitur:

A « Dicit mater ejus ministris: Quodcunque vobis dixerit, facile. » Voluntatis ejus conscia, et de potentia ejus non dubitans opportuna commonitione ministrorum animos præparat; videlicet, ne id quod præcepturus erat, amentiæ reputarent, nondum veram ejus experti virtutem. Nam et propinqui ejus, cum apostolos eligeret, et nomina quibusdam mutata imponeret, « exierunt, » inquit Marcus Evangelista, « ut tenerent eum, dicentes: Quia in furorem versus est (*Marc.* III). » Itaque sollicita præmonet, ut non diffidentes, aut etiam irridentes, indigni fierent gratia miraculi, sed præcepto parentes, viam facerent manifestandæ gloriæ Dei.

« Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Judæorum, capientes sin-
B gulæ metretas binas vel ternas. Et dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. » Purificationes Judæorum multiplices erant. Aliquæ a Moyse, plurimæ autem ex traditione Pharisæorum, de quibus et Marcus: « Pharisæi enim, inquit, nisi crebro lavent manus suas, non manducant, tenentes traditiones seniorum. Et a foro venientes, nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum (*Marc.* VII). » Ob hujusmodi purificationes, ut aqua esset in promptu, hydriæ ponebantur, quæ in hac domo nunc lapideæ fuisse referuntur, erantque vasa sic appellata, quod essent aquæ receptui præparata. Hydor enim Græce, *aqua* dicitur Latine. Cæterum abusive hoc nomen poni-
C tur, ut, ibi: « Hydria farinæ non deficiet, neque lecythus olei minuetur (*III Reg.* XVII). » Quarum quantitatem fuisse inæqualem, Evangelista curavit significare in eo quod ait: « Capientes singulæ metretas binas vel ternas. » Metretas dicit mensuras quasdam, tanquam si diceret, urnas, amphoras, vel si quid hujusmodi. Nomen mensuræ est metreta, et a mensura accepit nomen ista mensura. Metron enim dicunt Græci mensuram; unde appellatæ sunt metretæ.

« Et impleverunt eas usque ad summum. » Notandum quod Dominus nec de nihilo vinum, quo convivas lætificaret, nec de nihilo panem fecit, quo turbas esurientes satiaret, nec aliquid omnino in tota suorum serie signorum, de non existentibus fecit, sed vel existentia in manus et melius pro-
D vexit, faciendo de aqua vinum, et panes quinque aut septem multiplicando in satietatem multorum millium, vel corrupta in integrum reformavit, infirmos curando, vel destituta restituit, mortuos resuscitando (*Matth.* XIV). De nihilo autem non operatus est aliquid. Non enim mentitur Scriptura, quæ dicit: « Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (*Eccli.* XVIII). » Simul quippe omnia, id est, prima rerum elementa de nihilo creavit: sex autem diebus operatus rerum omnium species, non de nihilo creavit, sed ex eisdem elementis verbi imperio formavit. « Et die quidem septimo requievit ab omni opere quod patrarat (*Gen.* II), » scilicet ut nullam deinceps novam speciem produci jubeat;

operatur tamen usque modo, dum easdem gubernat et multiplicat, maximeque humanum genus, quod in melius commutat. Igitur quia et sicut Scriptura testatur, semel loquitur Deus, et secundo ipsum non repetit, vinum daturus incommutabilis Dei Filius, non de nihilo creavit, sed de competenti elemento fecit, scilicet de aqua, quam singulis annis, per vites a radicibus ascendentem in vinum convertit, « præcepto quod posuit, et non præteribit (*Psal.* CXLVIII). » Quod qualiter fecerit, credi potest, investigari non potest. Sed profecto mirabilius est, aquam de nihilo creasse, quam vinum de aqua fecisse. Mirabilius quippe est, quamlibet substantiam, quæ non erat, condere quam substantiæ jam existenti quodlibet accidens adjicere. Est autem omnis humor una generaliter substantia, unumque elementum, color autem sive sapor rite inter multitudinem ponuntur accidentium. Igitur dum aquam de nihilo creavit Deus, quia substantiam edidit, fecit mirabilius, cum autem vinum de aqua fecit, humori substantiæ solum accidens adjiciendo, ejusdem Dei Filius fecit, quod est venerabilius. Non enim tam est venerabile, ut supra dictum est, quod hoc facere potuerit Deus, quam quod is, qui hoc facere posset, Deus erat homo factus.

« Et dicit eis : Haurite nunc, et ferte architriclino. » Architriclinus dicitur is qui est sponsi amicus, qui sponso vacante, et a cunctis feriato negotiis, nuptiis præest, res necessarias providet, convivantibusque et universæ domui præeminet. Diciturque architriclinus, id est, princeps triclinii, eo quod in triclinio quiescentium sponsi et sponsæ consecretalis sit. Triclinium autem dicitur, quasi tertium reclinium, id est, cubiculum intra cubiculum, imo cubiculum intra primum et alterum cubiculum. Huic jubet primo propinari vinum ex aqua factum, ut lucerna tam splendidi ac jucundi miraculi non lateret, sed tanquam in fastigio nuptialis convivii posita, claritatem suam latius diffunderet totamque domum serenans, et universos convivas lætificans, fidem illorum propter quos maxime factam fuerat, alacrius accenderet quod et factum est.

« Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, » etc. Vere ergo, ut ait ipse Dominus; « ecce plus quam Jonas hic (*Matth.* XII), » et non solum plus quam Jonas, aut plus quam Salomon, sed et plus quam Moyses, aut aliquis omnino sanctorum et magnorum hominum. Nam ut taceam, quod quando vel quomodo voluit, natus est, quod quanto vel quomodo voluit, mortuus est, et resurrexit, et in cœlum ascendit, ut interim hæc majora taceam, **123** quis omnium sanctorum, per quos signa et ostenta facta sunt, sola voluntate vel imperio fecit aliquod signum ? Moyses namque clamando ad Dominum, ita ut diceret illi Deus : quid clamas ad me (*Exod.* XIV) ? fecit in Ægypto signa. Clamando ergo, id est, non sua potestate utendo, sed alieno imperio, virga percutiens divisit aquas, hic autem solo nutu sola voluntate sedens et tacens

A in vinum bonum convertit illas. « Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam. » Magnum sane ac præclarum signorum fecit initium, quo tanquam fulgur ea coruscatione terreret oculos hominum, ut ad considerandum cœli faciem attoniti levarent intuitum, id est ad consideranda cætera quoque, quæ facturus erat, ad credendum regni Dei adventum diligentes et attenti spectatores credulum converterent animum. « Et hoc, inquit, signo manifestavit gloriam suam, » scilicet ut viderent illi, et audiremus nos « gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I), » audiremus procul et crederemus ad justitiam et salutem nostram (*Rom.* X). Non enim idcirco venerat lucerna, ut lateret sub modio, sed ut posita super
B candelabrum, omnibus qui in domo sunt luceret (*Matth.* V). Sic et nos, ubi fructus dignus est, id est utilitas animarum, manifestare debemus coram hominibus eam quæ in nobis est gratiam ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est (*ibid.*). » — « Et crediderunt in eum discipuli ejus. » Dictum est hoc loco, quia crediderunt in eum ; sed non dictum est quod, relictis omnibus, secuti sunt illum. Nondum enim Joannes missus fuerat in carcerem, ipse autem Jesus antequam Joannes traditus esset, cursum publicæ prædicationis ingressus non est, neque matre et affinibus relictis circuibat, prædicando per civitates, et castella, a qua prædicatione ejus cæteri evangelistæ, ut superius dictum est, suæ post baptismum
C ejus sumunt narrationis exordia. Quapropter nec discipulis suis hoc præceperat, quod non nisi prior ipse fecisset, præcipere habebat, scilicet ut relictis omnibus, sua, quæ nondum illis præcedendo ostenderat, sequeremur vestigia. Inter quos et hunc Joannem evangelistam relictis nuptiis (ipsius enim istas fuisse nuptias, opinio fere omnium est) ipsum Dominum sequi cœpisse arbitramur. Tradunt namque historiæ, quod eum de nuptiis volentem nubere vocaverit, et propterea quem a carnali voluptate retraxerat, potioris amoris sui dulcedine donavit. Discipulos ergo jam quidem habebat, quos ad eum maxime Joannis testimonium dirigebat, quibus ipso Joanne cœptum cursum per publica ministeria peragente, privata miraculorum et doctrinæ suæ
D aperiebat initia. Unde et subditur : « Post hæc descendit Capharnaum, ipse et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus et ibi mansit non multis diebus. »

IN EADEM LECTIONE EXPLANATIO.

Secundum mysteria allegoriæ.

In his quæ circa salutem nostram acta sunt divinis operibus, ita mysticam inesse rationem credimus sicut in Patre qui usque modo operatur, Filium qui et ipse similiter operatur esse confitemur (*Joan.* V). Et hoc est dignum atque laudabile catholicorum Patrum in venerabilibus litteris studium, ut sicut Pater æternus sive Filio coæterno nihil opera-

tur,ita nihil eorum,quæ ad salutem hominum sive in lege, sive in Evangelio corporaliter acta sunt, a spirituali intelligentia vacare patiantur. » Hoc autem signorum ejus fuit initium,» et rura quæ facta sunt ab eodem Domino, id est a Verbo propter nos incarnato,majorem stuporem hominibus attulerunt: igitur quia Filium confitemur,ut ad Patrem habeamus, cum ipsius adjutorio, sanctorum quoque Patrum præeunte exemplo, in hoc magno et mirabili opere pulchritudinem speculemur spiritualis intelligentiæ. « Nuptiæ, inquit, factæ sunt in Cana Galilææ. » Hoc magnum et multis prophetarum præconiis prænuntiatum, atque patriarcharum factis fuerat præfiguratum, quod duæ naturæ, divina scilicet et humana conventuræ essent in uno Christo, essetque ipse « in sole positurus tabernaculum suum tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Factumque est in illo virginalis uteri thalamo sponsus sponsæ, id est Creator creaturæ magna conjunctus est dignatione. Cana vero *zelus*, Galilæa *transmigratio* interpretatur. Quod loci nomen multum operatur ad sensum spiritualem,quia videlicet magno zelo ductus est fortissimus spirituum Deus in adulterum diabolum,cum tali modo requirens suam, quam ille corruperat, creaturam,eidem auxit justi judicii pœnam,requisitæ vero et inventæ creaturæ indebitam sua gratia reddidit gloriam. « Nuptiæ ergo factæ sunt in Cana Galilææ. » Festum agit diem universa domus,quæ est sancta Ecclesia, non frustra credens se totam illi Deo conjunctam, a quo suam credidit naturam in veritate carnis assumptam. « Et erat Mater Jesu ibi. » Mater Jesu adest, ubi istæ nuptiæ celebrantur : quia profecto vera incarnationis Christi fides non deest omnibus, qui harum nuptiarum filii vel convivæ dici et esse merentur, Marcion, Cherynthus, Hebion, aliique hæretici, seorsum conventicula sua facientes, harum nuptiarum filii non fuerunt. Non enim ibi mater Jesu,quia diversis quidem erroribus,sed eodem malignitatis spiritu fidem Incarnationis ejus a suis cordibus et conventibus excluserunt. Illic tantummodo harum cœlestium nuptiarum solemnitas celebratur, ubi est mater Jesu, id est ubi est mater Ecclesia, videlicet ubi quotidie nubentibus Christo adolescentulabus, vera Incarnationis ejus fides prædicatur. Illic vocatus adest Jesus et discipuli ejus, sponsus videlicet et amici ejus. Quatuor itaque personæ sunt istæ,quæ in Canticis canticorum (*cap.* I, VI) de nuptiali loquuntur amore,scilicet adolescentulæ,quarum nuptiæ supersunt,vel quæ quotidie Christo nubunt ; mater Ecclesia,quæ illas parturit donec Christus formetur in eis : Christus ipse et discipuli ejus, videlicet sponsus et amici ejus. Quid ergo in his corporalibus nuptiis significatum est,quod ad istas spirituales pertineret ? Hoc videlicet, quod partim factam fuerat,partim autem et futurum erat : Nam per id quod vinum deficit,significatum est illud quod factum fuerat, scilicet quod beatitudo vel incorruptio, quæ humano generi data fuerat, peccante

A primo parente, defecerat. Sic enim homo conditus est, ut si vellet, posset non peccare et posset non mori, quandoque perventurus ad hoc quod melius et perfectius est, scilicet non posse peccare et non posse mori. Peccando autem eo decidit ut non posset carere peccato,et non possit non mori. Vinum ergo deficit, quia collatæ gratiæ beatitudine privata est miserabilis natura hominis. Illud quoque jam factum fuerat,quod signatum est per sex hydrias lapideas aqua impletas. Nam senarius hydriarum **124** numerus perfectus,sanctos Patres universos significat, qui diversis temporibus,id est sex mundi ætatibus divisi, suo quippe tempore, aqua sapientiæ salutaris impleti sunt (*Eccli.* XV). Mentes namque illorum veluti hydriæ lapideæ fuerunt, scilicet fide B stabiles,ingenio capaces. Capiebant autem singulæ metretas binas vel ternas : quia videlicet cum omnium fuerit una fides, non omnibus eadem vel æqualis data est sapientiæ quantitas. Plus enim indicatum est, verbi gratia Moysi quam Abrahæ, David quam Moysi (*Gen.* XII, XV). Quod ex ipsius sacræ Scripturæ verbis patenter ostenditur. Quis enim nesciat quia Abraham cum Deo locutus est ? Et tamen ad Moysen Dominus dicit : « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, et nomen meum Adonai non indicavi eis (*Exod.* III, VI). » Ecce plus Moysi quam Abrahæ innotuerat, qui illud de se Moyse indicat, quod se Abraham non indicasse narrabat. Psalmista quoque cum dixisset : « Quomodo dilexi legem tuam Domine,tota die meditatio mea est (*Psal.* XVIII),» subsecutus adjunxit : « Super C omnes docentes me intellexi (*ibid.*) ; » et iterum ; « Super senes intellexi (*ibid.*). » Qui ergo legem se meditari memorat, et super omnes docentes se et super seniores se intellexisse testatur,quia divinam scientiam plus quam Moyses acceperit, manifestat. Ita impletur Danielis sententia dicentis : « Quia pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia (*Dan.* II). » Igitur non una vel æqualis est hydriarum hujusmodi capacitas,quia divina nominis Trinitatem vel cætera divinitatis mysteria non omnes coæquali perceperunt gratia. Et omnes quidem illa sapientiæ salutaris aqua, de plenitudine hujus sumpta est, qui dixit nunc : Implete hydrias aqua, » sed tamen erat aqua pallens et frigida, neque naturam humanam in pristinum vigorem restituere poterat. D Illa namque Mosaica lex,illa Dei dona nihil ad perfectum adduxerant, quia peccatorum remissionem, et carnis resurrectionem generi humano conferre non poterant, solamque occidentem legis litteram, non vivificantem spiritum accipiebant (*II Cor.* III). Per hoc autem, quod aqua in vinum conversa est, significato est illa, quæ facta est, imo quæ tunc cœperat, per Jesum Christum, gratia et veritas. Nostræ quippe naturæ corruptionem divinitatis suæ fortitudine induerat (*Psal.* XCII): nec multa post passione mortis superata (*Matth.* XXVII), resurrectionis patriam in semetipso,multisque sanctorum secum resurgentium corporibus dedicaturus erat. Quo facto

nunc ascenso cælo desuper in subjectas omnes hydrias clarissime rutilat, et in sanctarum Scripturarum aquis, imaginem ac virtutem suam videndam sive degustandam repræsentat. Ita naturæ nostræ infirmitate sanata, quicunque baptizati Spiritu sancto jam prima resurrectione reviximus (*Luc.* XXIV), et in secundum beata spe transpositi sumus, ipso sensu nobis aperiente, spiritualem in eisdem Scripturis rationem intelligimus. Nunc de ipsis ætatibus parumper, quod ad ejusdem Christi nuptias vel sanctæ Ecclesiæ castitatem pertineat, dicendum est : Ecce in exordium [exordio] primæ ætatis dictum est : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una (*Gen.* II). » Hoc manifeste legitimi atque casti, sed tamen carnalis conjugii fidem atque unitatem commendat. Verumtamen, quandiu non nisi juxta carnem intelligebatur, non nisi aqua, quamlibet haustu dulcis, et ad potandum habilis erat.

At ubi desponsata sibi Ecclesia venit ad nuptias, « et vox ejus intonuit super aquas multas (*Psal.* XXVIII), » dicente illo per Apostolum suum, in quo ipse loquebatur : « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* V), » aqua in vinum conversa est. Hoc enim audito, sanctæ animæ spiritualium nuptiarum amore fervere cœperunt, alium cogitantes « hominem, scilicet novum, eum qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV), » qui quodammodo reliquit patrem suum, dum a Patre exiens et veniens in mundum (*Joan.* XVI), » semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philip.* II), » matrem quoque suam (scilicet Pharisaicam Synagogam totamque gentem Judaicam) et adhæsit uxori suæ, videlicet electæ de gentibus Ecclesiæ, cum qua jam unum corpus est, caput et membra, sponsus et sponsa, Christus et Ecclesia. Nam, sicut non undecunque, sed de ipsius viri substantia fecit Deus Evam, ut major esset naturalis dilectionis causa : « Tulit enim unam de costis ejus, dormientis, et ædificavit eam in mulierem (*Gen.* II), » sic et Ecclesiam non undecunque, sed de lateris sui sanguine et aqua fecit nasci : nec aliunde nisi de carne et sanguine suo eamdem pascit (*Joan.* XIX). Unde et major in utroque unius ejusdem carnis unitas existit. Hoc ergo intellectu, tanquam vino optimo, et sitis exstinguitur, et amor accenditur, et usque ad vigineæ castitatis appetitum plurimi inflammantur, ut non solum juga boum, quæ comparaverunt, et villas quas emerunt (*Luc.* XIV) sed et conjugia carnis negligant, quo magis nuptiis cœlestibus vacare prævaleant. Secunda ætas inchoatur a Noe. De hoc Scriptura refert, quia « plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo (*Gen.* IX), etc. Et hoc quidem secundum litteram acceptum, aqua est dulcis, et moribus apta purificandis : ne quis exemplo Cham, paternam contemnens, si quam novit, infirmitatem, similem illi juste incurrat maledictionem, sed honore et amore debito contegens, exemplo Sem et Japhet, dignam hæreditet benedictionem. In quibus illud considerandum est quod cum omnes eodem sinu arca servaverint super aquas, tam longe tamen apud patrem ipsorum distinxit eos multum diversa morum qualitas. Hujus scripturæ autem litteralis sensus, velut aqua in vinum convertitur, dum spirituali intelligentia filiis nuptiarum ita propinatur : Noe, quod interpretatur *requies*, scilicet Dominus noster, cujus dum jugum super nos tollimus, requiem animabus nostris invenimus (*Matth.* XI), plantavit vineam, videlicet illam quam de Ægypto transtulit (*Psal* XXIX) gentem Judaicam, bibensque ex ea vinum nimis amarum, imo acetum cum felle mistum (*Matth.* XXVII ; *Joan.* XIX), nudatus est in tabernaculo suo, scilicet in similitudinem hominum factus, vere passibilis, habitu et veritate mortis inventus ut homo (*Philip.* II). Quam ejus infirmitatem despicit Cham, quod interpretatur *callidus* id est contentiosus et impatiens promptusque ad rixam hæreticus, et quem ex passionis infirmitate hominem verum intelligit, dedignatur verum Deum confiteri propter quod sicut Cham in filio suo Chanaam (*Gen.* XI), sic et iste in posteritate, id est in anima sua maledicitur. At vero catholici viri, qui per Sem et Japhet figurati sunt, eamdem Patris infirmitatem dignis sacramentis venerantur, scientes « quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmius est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* I) ; » et idcirco in regno patris inclyti fiunt, et in æternis mansionibus dilatantur (*I Joan.* II). Sem enim *inclytus*, Japhet *dilatatus* interpretatur. Et quidem illi omnes, scilicet hæretici, cum istis in eadem arca Ecclesiæ baptismi aquis supernataverunt, sed ab alienati sunt retrorsum et a nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Ætate **125** tertia nascitur Isaac patre veterano, matre diu sterili eademque provecta. Nascitur autem de libera per repromissionem, nato prius Ismaele de ancilla secundum carnem. Hæc divi [divini] operis historica narratio limpida et dulcis aqua est, utiliter irrigans legentis animam, et fidei ejus per exempla augens incrementum. Quia fidei exstitit patris Abrahæ, quod non consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ, credens quia quæcunque promisit Deus, potens est et facere. Sed « hæc sunt, inquit, Apostolus per allegoriam dicta (*Galat.* IV). » Hæc enim sunt duo Testamenta, unum quidem a monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar, et cætera. Igitur auctore Apostolo, imo Christo qui in illo loquitur, sicut ipse ait : « An experimentum vultis ejus, qui in me loquitur Christus? » (*II Cor.* XIII.) Auctore itaque Christo hæc litteralis sensus aqua in vinum conversa est, quo ebriata pubescit fides, quam adamat Spiritus sanctus, et animarum nuptialis charitas multiplicatur. Sic et cætera, quæ illa ætate facta sunt, velut aquæ in vina mutantur, dum spiri-

ritualiter intelliguntur, quia omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* x), ut ait idem Apostolus. Quarta ætate præter facta figurativa, qualia sunt, victoria David de Goliath (*I Reg.* xvii), et Hierosolymitani templi constructio (*III Reg.* vii), mira sapientis regis architectura : præter hæc et alia his similia facta, plura quoque mystice dicta sunt, quorum pleraque juxta litteram, talem aquam sapientiæ, quæ nec satis liquida, nec habilis fit ad potandum, verbi gratia : quale est illud in Canticis canticorum : « Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus (*Cant.* vi), » et similia, quæ secundum litteram accepta (*II Cor.* iii), castos Ecclesiæ mores nullatenus ædificant. Accipiuntur ergo secundum spiritum, et sit ex aqua vinum bonum, « dignum, ut in eisdem Canticis dicitur, dilecto ad potandum, labiisque ac dentibus ejus ad ruminandum (*Cant.* vii). » Sic et illud quod cecinit David ; « Exi thalamum, » etc. Cantica psalmorum, sacra quoque volumina prophetarum, si solam sequamur litteram, pene in omnibus mortuam et insipidam bibimus aquam, spiritum vero sequentes, vivificantem optimi vini saporem miramur, et virtutem. Quinta ætate captivus populus Dei, sub rege Babylonis ducitur (*IV Reg.* xxiv), et electi de filiis captivitatis in domo eunuchi sunt (*Jer.* xxix), quibus ob summam vitæ continentiam, dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientiam, præcipue Danieli intelligentia omnium visionum et somniorum (*Daniel.* i). Hæc et cætera in superficie litteræ, dulcis aquæ præbent poculum, magnoque sunt exemplo, quod per munditiam vitæ pervenire quis possit ad honorem sapientiæ. Spiritualis autem homo illos intelligit præfiguratos eunuchos, « qui se, ut ait Dominus, castraverunt propter regnum cœlorum (*Matth.* xix), » et in præsenti captivitate, qua rex confusionis diabolus humanum genus in primis parentibus captivavit, scientes quia « tempus breve est (*I Cor.* vii) » et « dies mali sunt (*Ephes.* v), » illud approbant Apostoli consilium, ut sine conjugio sint. Talibus enim clarior datur intelligentia secretorum cœlestium ; verbi gratia, ut Joanni huic, cujus est hoc Evangelium et Apocalypsis cujus quot verba, tot pene sunt mysteria. Hæc ego aqua vinum facta est, quo miro modo inebriati luxuriam obliviscuntur, imo et eunuchizantur, ut veræ vineæ Christo arctius inserantur. Sextæ ætatis hydriam per semetipsum implevit Dominus de fonte aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* v). Et quidem incarnationis ejus mysterium, dicta quoque et facta ejus priusquam resurrexisset a mortuis, aquam interim quamvis limpidissimam sapiebant. Quia videlicet, et passibilis in illo erat nostra natura, et non clare intelligebantur ea, quæ dictis aut factis significabat regni Dei mysteria. Ut autem resurrexit a mortuis, aqua in vinum conversa est ; quia videlicet æterna incorruptione solidata est nostra, quæ in illo passibilis fuerat, natura, ut idem et in nobis speraremus, et ipse discipulis suis « aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* xxiv), » et spiritualiter intelligendos recordarentur sermones quos ab illo carnaliter audierant. Igitur cunctæ salutarium divisiones aquarum, quæ præteritis generationibus distributæ sunt, simul conferuntur in hoc cœlestium convivio nuptiarum, et ex aqua facto vino lætantur convivæ. Quia videlicet vinum hoc lætificat cor hominis (*Psal.* ciii), et hic « calix inebrians quam præclarus est (*Psal.* xxii). » Econtra in cunctis Judæorum atque hæreticorum conventiculis, quia Mater Jesu ibi non est, id est, non convivatur Dominicæ incarnationis fides, istæ aquæ vertuntur illis in sanguinem (*Exod.* vii), ut corruptas Scripturas corrupti atque corrumpentes bibant et vomant, imo bibant (*Jer.* xxv), et moriantur ; sitque « ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum (*Psal.* x). » De quorum pœna in Apocalypsi justitia Dei laudatur, dicentibus : « Justus es Domine, qui es, qui eras sanctus, quia hæc judicasti, quia sanguinem sanctorum et prophetarum fuderunt, et sanguinem dedisti eis bibere, ut digni sunt (*Apoc.* xvi). » Hauriunt nunc, jubente Domino, ministri, id est, tractores Scripturarum studiosi, et exponentes eas spiritualiter, ferunt architriclino, dum non sibi attribuunt, quod intelligunt, sed Spiritui sancto. Ipse namque harum nuptiarum architriclinus est, qui et beatæ Virgini superveniens, uteri ejus triclinium præparavit, ut in illo divina natura humanæ naturæ uniretur ; et singulis animabus opitulatur, ut intra secreta conscientiæ Deo Patri copulentur, ut eodem Verbo, quo Virgo felix impprægnata est, et ipsæ ex ejus complexibus fecundentur (*Luc.* i). Ipsius ergo laudi propinandum (*I Cor.* x), et cum ejus honore bibendum est hoc vinum bonum. Quod servatum est usque adhuc, quia prioribus temporibus non est datum, sed nobis, in quos fines sæculorum devenerunt. Quo tempore anni vel die factum sit signum istud auctoritate sanctæ Ecclesiæ dubitare prohibemur, quæ ipsa die qua idem Dominus adoratus est a magis (*Matth.* ii), et qua a Joanne baptizari voluit (*Matth.* iii), hujus quoque signi gloriam celebrare consuevit. Quod si eodem die revertente anno factum est, imo quia prædictæ auctoritati sanctæ Ecclesiæ indubitanter concedendum est, cogimur fateri, quia toto anno illo, cujus initio baptizatus est, qui ætatis ejus tricesimus annus exstitit, absque miraculis taciturnus deguit. Initio namque tricesimi anni sui, videlicet ejusdem anni die tertio decimo baptizatus est. Dicit enim Lucas : « Ipse autem Jesus erat incipiens quasi annorum triginta (*Luc.* iii). » Quod idem est, ac si dixisset : Quando baptizatus est Jesus, annus tricesimus ætatis ejus volvi tunc cœperat. Ubi vero toto illo anno fuerit, vel quid egerit, incertum est. Nam si exacto quadraginta dierum jejunio, statim a deserto rediit, et inter homines ambulavit, quomodo Joannes « qui illum cœlitus agnoverat, jamque ostenderat venientem ad se, dicens : Ecce Agnus Dei, » quomodo, quæso, lucerna lucens, quæ ad hoc

accensa fuerat, ut omnibus illum ostenderet, toto illo anno se continuit, nec solis saltem indicavit discipulis? Claret enim, quod eis anno 926 illo non judicaverit, qui nunc primum, id est, tertio die ante prædictas nuptias, illo iterum dicente: « Ecce Agnus Dei, » gratulantur se invenisse illum, et dicunt: Invenimus Messiam, » et cætera. Potest itaque recte intelligi, quod et post jejunium quadraginta dierum aliquantum in deserto perstiterit, Matthæo dicente: « Reliquit eum tentator, et ecce accesserunt angeli et ministrabant ei (*Matth.* IV). » Marcus quoque videtur expressius indicare moram A temporis dicendo: « Eratque cum bestiis, et angeli ministrabant ei (*Marc.* I). » Igitur, si sicut a majoribus diligenter observatum, nobisque traditum, tricesimo primo ætatis suæ anno jam inchoato, fecit gloriosum hoc signorum initium, dignum sequacibus suis; in hoc quoque providens exemplum, ne quis immature virtutes suas in publicum proferat, in periculo perniciosæ vanitatis, cum ipse Dominus (cui vanitas nulla unquam obrepere posset) legitimum tempus, id est, plenam viri ætatem, ad ostendendam omnipotentiæ suæ gloriam exspectaverit.

LIBER TERTIUS.

Qui magno feruntur pelago pavidi nautæ, placidam sibimet auram imprecati, fixa cœlo sidera respiciunt, terraque amissa, tenent cœlum, sedentesque ad clavum sideribus currunt. Erratica vero sidera sequi fugiunt, ne aut syrtes naufragosas incidant, aut in regiones ignotas devecti, portus optatos nunquam attingant. Idem nobis, qui Scripturæ hujus Evangelicæ profundum ingressi sumus, agendum est. Et primo placidius nobis ille Spiritus implorandus est, de quo Psalmista: « Spiritus, inquit, tuus bonus deducet me in terram rectam (*Psal.* CXLII). » Deinde doctores sacri mente ac vigilantibus oculis tenendi sunt, qui tanquam Arcturi nunquam occidentis lucida sidera, stabili fide semper fixi steterunt, et lucem fidei fundentes, erroris occasum nescierunt; hæreticorum vero lux erratica, longe fugienda est. Sunt enim, ut Apostolus ait, « sidera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum conservata est (*Jud.* XIII); » et quisquis de errore illorum qui ipsam sequitur, in nullius Scripturæ profundo majus quam in hoc Joannis Evangelio, naufragium patitur. Ipso ergo aspirante, a quo Scripturæ fideles universæ conditæ sunt, felicia sequentes doctrinæ catholicæ sidera, cœpto curramus navigio, nihil metuentes piratas hæreticos, quos hoc pelagus non alere, sed æterno demergere consuevit naufragio. Sequitur:

« Post hæc descendit Capharnaum ipse et mater ejus, et fratres ejus et discipuli ejus, et ibi mansit non multis diebus. » Magna moderatione Dominus noster adhuc post tantum miraculum, quo aquas in vinum convertit, paululum subsistit, et præcursorem suum Joannem adhuc prædicantem, usque ad debitum finem præire permittit, certo loco commanens, suamque prædicationem a publicis conventibus et a circuiendis civitatibus vel castellis suspendens. Hoc jam et superius dictum est, quia priusquam Joannes traditus esset, ipse publicum suæ prædicationis cursum distulit, in tantum ut dum prædicare incœpisset Joannes, putaretur surrexisse a mortuis. Sic B toto hoc anno (qui erat ætatis suæ XXXI) paulatim miraculis seorsum exhibitis, viam et ipse præparat futuræ suæ prædicationi. Post quem videlicet annum tradito Joanne, et ipse prædicare incipit, unde cæteri Evangelistæ exordium fecere suæ narrationis. Decollatus est autem idem Joannes (*Luc.* IX) IV kalendas Septembris ejus anni qui est XXXII Domini nostri. « Descendit ergo Capharnaum. » Hic descensus ejus non tam declivem terrarum situm quam humilitatis ipsius magnam innuit dignationem; quia videlicet Deus ad homines, sanctus descenderat ad peccatores. Capharnaum namque civitas peccatrix erat, in tantum ut huic quoque exprobaverit ipse postea dicendo: « Væ tibi, Corozain; væ tibi, Bethsaida. » Ac deinceps: « Et tu Capharnaum, nunquid usque C in infernum demergeris (*Matth.* XI). » Exprobrat autem civitatibus istis; idcirco, quod in eis multæ virtutes ab eo factæ fuissent et non credidissent. « Descendit ergo ipse et Mater ejus, » videlicet quam postmodum studio prædicationis occupatus, quodammodo erat nesciturus, in tantum ut juxta alium Evangelistam dicenti cuidam: « Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes, » dicat ipse: « Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? » (*Matth.* XII) et cætera. Fratres ejus, qui cum eo descendunt, cognati ejus sunt, quia videlicet mos hic frequens est in Scripturis ut fratres vocentur, maxime in illa gente, hi qui sunt juxta carnem propinqui, verbi gratia, fratrueles sive consobrini. Discipuli quoque aliqui jam illum sequebantur, quos quasi primis doctrinæ cœlestis imbuebat elementis, D ad eam perfectionem nondum adductos, ut eis jam cuncta relinquere præcipiendum esset; quod tunc maxime factum est, quando alios de navibus, alios de diversis negotiis vocans tandem fecit, ut (præter alios) duodecim essent cum illo. Est autem Capharnaum civitas in Galilæa Gentium (*Matth.* IV), sita in finibus Zabulon et Nephtalim, juxta stagnum Genezareth. Interpretaturque Carphanaum *villa consolationis*. Quapropter populum gentium recte significat

cui pro parte illorum quibus crux Christi stultitia visa 121 est, ipse Christus merito improperat; pro parte vero illorum qui eum Dei virtutem et Dei sapientiam credentes receperunt, relictis Judæis, consolationis suæ gratiam dat (*I Cor.* I). Quod manifestius secundum Lucam præfiguratum est. Nam cum dixissent illi homines civitatis suæ: « Quanta audivimus in te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. In veritate dico vobis, inquit, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam (*Luc.* IV). » Quibus dictis, cum illi duxissent eum ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut eum præcipitarent: « Jesus autem, inquit evangelista, transiens per medium illorum ibat, et descendit Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat eos Sabbatis (*ibid.*). » Quem ejus descensum hic evangelista Joannes post multa commemoratus est. Hoc enim facto præfiguratum est, quia sui, scilicet Judæi, quorum de carne natus est, ad præcipitium mortis illum perdituri [perducturi] essent, et propter hoc ipse transiturus ab eis, et ad fidem [fines] gentium descensurus esset, ut ibi fide Ecclesiæ pasceretur, sicut et in eo præfiguratum fuerat quod ad nullam viduarum, quæ multæ erant in Israel, missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam, vel in eo quod, cum multi leprosi essent in Israel sub Elisæo, nemo illarum curatus est, nisi Naaman Syrus (*IV Reg.* V.) Non enim frustra cum tam terribili juramento hæc præterita commemoraverat illis dicens: « In veritate dico vobis. » Ergo postquam vinum de aqua factum est, Dominus Capharnaum descendit, scilicet in villam consolationis. Quia postquam resurgendo a mortuis, mortalitatis nostræ aquam, in immortalitatis suæ vinum transtulit et dato Spiritu sancto aquaticum litteræ sensum, ad spiritualem promovit intellectum: relictis Judæis ad consolandas gentes transiit. Sequitur:

« Et prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. » Itaque non multis diebus, ut ait evangelista, mansit in Capharnaum, id est, forte non totis diebus trium mensium. Nam a die qua constat, ut supra dictum est, factum esse illud signorum initium, aqua conversa in vinum, usque ad sacram Paschæ vesperam, anno illo juxta lunæ rationem, octoginta octo, vel secundum veriora computistarum exemplaria, tantum octoginta dies fuerunt. Hoc omnino prætereundum non est, quia hic ascensus Domini nostri in Jerosolymam propter illa quæ ibi dicta vel facta sunt, inter testimonia divinitatis quæ maxime hic evangelista colligere solerter intendit, merito scribi debuit. Nam plerique arbitrantur quidem maximum esse signorum quod Lazarus suscitatus est (*Joan.* XI), quod cæcus ex utero lumen accepit (*Joan.* IX), quod ad Jordanem audita est vox Patris (*Matth.* III), quod transfiguratus in monte gloriam ostendit triumphantis (*Matth.* XVII). Prudentioribus autem, inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur esse mirabilius quod unus homo, et illo tempore contemptibilis, et in tantum vilis ut postea crucifigeretur, Scribis et Pharisæis contra se sævientibus et videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem mensasque subvertere, et cathedras confringere, et talia facere quæ infinitus non faceret exercitus. Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie. Hoc ergo testis Filii Dei, divinitatem testificans ejusdem Filii hominis, recte ad convincendos hæreticos omittere curavit. Sed quid sibi vult, quod hic evangelista nunc illum idem fecisse, scilicet vendentes et ementes de templo ejecisse asserit (*Matth.* XXI; *Luc.* XIX), quod secundum alios evangelistas tunc fecit, quando, turbis comitantibus, et pueris Hosanna clamantibus (*Marc.* XI), ad civitatem eamdem jam passurus advenit? Nunquid casu unumquodque sicut memoriæ primum occurrit, ita primitus describit; tanquam curandum non sit de factorum tempore, dummodo constet de rerum veritate? Hoc fortasse magis opinari liceret, quod secundum intentionem vel propositum suum colligens testimonia divinitatis Christi, quia factum hoc insigne magis cæteris exstitit, prius scribere dignum duxit. Sed hoc vel illud opinari sequens litteræ textus non sinit. Nam inferius scriptum est: « Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo (*Joan.* IV). » Nunquid cæteri evangelistæ in recordatione temporis quo istud actum est, omnes erraverunt? An casu concorditer omnes idem de eodem tempore falsum opinati sunt? Absit! An forte propter aliquod mysterium id quod primo anno factum est, ipsi ad ultimum transtulerunt? Sed hoc textus litteræ ipsorum suspicari vetat. Nam, secundum Lucam, cum jam passurus Jerosolymam adveniret, et videns flevisset super illam, ingressus templum, cœpit ejicere vendentes et ementes (*Luc.* XIX), ut videlicet quod futurum prædixerat, idipsum facto suo illos ejiciendo præsignaret. Marcus autem diem quoque magis determinat, quo illos ejecit, scilicet vendentes et ementes, videlicet sequenti die, postquam civitatem jam passurus ingressus est (*Marc.* XI) Igitur undique coarctamur ut illud plus quam semel factum esse fateamur, quod vendentes et ementes ejecisse de templo narratur. Et revera fidenter affirmare licet quod non solum novissime, quando passurus ascendit, sed et quoties ascendit ex quo miracula facere cœpit, quoties ejusmodi negotiationes, imo latrocinia invenit, zelatus est, et comedit eum zelus domus Domini (*Psal.* LXVIII). Nec vero frustra hic evangelista Joannes in eo diversus voluit esse a cæteris, ut quod illi novissime, hic primo anno factum esse assereret. Nam posset adversarius hoc dicere, quod non divinitatis nutu constricti vel attoniti scribæ et Pharisæi quieverint, et lucra sua perire permiserint, sed metu turbarum, quæ multæ

partim cum illo venerant, partim venienti, cum laudibus et ramis palmarum obviam exierant. Ut ergo totum quod factum est divinitatis ejus virtuti indubitanter ascribendum esse sciamus, illo quoque tempore hoc illum fecisse testatur, quo parum notus adhuc, nulla venerat turba comitatus. Sed jam Evangelii verba perscrutemur.

« Et invenit in templo vendentes boves et oves et columbas, et nummularios sedentes. » Sciendum quia, juxta legis mandata, augustissimo in toto orbe templo Domini et de cunctis pene regionibus Judæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiæ, maxime festis diebus, taurorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum et turtures offerentibus (*Deut.* xii). Accidebat plerumque, ut qui de longe venerant, non haberent victimas. Excogitaverunt igitur sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, et omnia animalia quibus opus erat ad sacrificia vendebant, ut et venderent non habentibus, et ipsa rursus empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra vendentium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, et non solum hostias non habebant, sed nec unde emerent quidem aves ac vilia munuscula. Posuerunt itaque et **128** nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia erat in lege præceptum (*ibid.*), ut nemo usuras acciperet, et prodesse non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet, et interdum forte perderetur, excogitaverunt et aliam tegnam [technam], ut pro nummulariis collybistas facerent. Cujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos quæ non appellamus tragemata vel vilia munuscula: verbi gratia, frixi ciceris uvarumque passarum, et poma diversi generis. Igitur quia usuras accipere non potuerant collybistæ, qui pecuniam fœneraturi erant, pro usuris accipiebant diversas species, ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent quæ in nummis coemuntur; quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicaverit dicens: « Usuram et superabundantiam non accipietis (*Ezech.* xviii). » Istiusmodi Dominus cernens in domo Patris sui negotiationem seu latrocinium, ardore spiritus concitatus, juxta quod scriptum est in sexagesimo octavo psalmo « Zelus domus tuæ comedit me, » fecit sibi flagellum ex funiculis, et tantam hominum multitudinem ejecit e templo. Hoc preter exterius factum vere magnum et in testimonium veræ et summæ divinitatis Christi predicandum, aliud portendit miseris Judæis, vere magnum et miserabile malum, vere dolendum, nisi merito accidisset, cruentæ civitatis et profanati templi excidium, totumque penitus abolendum ab oculis Dei præsignat veteris sacrificii ritum. Quid enim funiculus ille agit in manu potentis, in manu sapientis? quid nisi Romanum præsignat exercitum, durum ad cædendum, fortem ad ligandum et captivandum? Qui enim quondam per prophetam dixerat: « Væ Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est, in manus ejus indignatio mea (*Isa.* x); nunc per seipsum factus proclamat: Væ magnæ Romani imperii bestiæ quæ juxta Danielem comedit atque comminuit, et reliqua pedibus conculcavit (*Daniel.* vii). Funiculus iræ meæ lorumque ferreum, et captivandæ hujus gentis vinculum ipsa est. Hoc malum portendit illis infaustum prodigium, quod maxime claret ex Evangelio secundum Lucam. Nam (ut ille refert) ingressurus in templum et facturus hoc signum, prius videns civitatem flevit super illam et dixit: « Quia si cognovisses et tu quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo (*Luc.* xix), » etc. Cum ergo prius illud extremum pronuntiat excidium, et tunc ad ejiciendos illos de domo Patris sui, factum de funiculis adhibet flagellum, aperte innuit se facto præsignare ipsum, quod verbo prædixerat malum, quod et secundum naturæ humanæ compassionem deflet, et secundum justam divinitatis suæ censuram excercet. Et congrue vindicta, quia plectendi erant, funiculo præfiguratur. Nam ipsi longis peccatorum suorum funiculis circumdabantur (*Psal.* cxxxviii). Quorum longitudo rursus secundum Matthæum exprimitur. Nam cum dixisset: « Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem, » statim addidit longitudinem funium istorum, quibus circumdabantur dicens: « Ut veniat super vos omni sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam (*Matth.* xxiii). » Igitur in signum atque portentum miseriarum.

« Facto de funiculis flagello, omnes ejecit de templo; oves quoque et boves, et nummulariorum effudit æs mensasque subvertit. » Non curans, si sacerdotum latrocinantium populumque deprædantium lucra perirent.

« Et his qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. » Et hoc valde notandum quod in medio fervore districtionis, in ipsa flamma zeli ardentis, dum sine cura sacerdotum mercimonia projicit, pauperibus, scilicet his qui columbas vendebant (non enim divites, sed pauperes ejusmodi aviculas vendere solent) pauperioribus ergo parcit, ut non exturbet columbas quas vendebant, quas, cum exturbatæ evolassent, ipsi consequi non possent, et aliquando damno affecti angerentur, ac jure deplorarent. Illud quoque non prætereundum quod cum in alio evangelista de Scriptura dicat, proferens testimonium: « Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Matth.* xxi; *Isa.* lvi), » hic dicit: « Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. » Nam illud dixit scribis et Pharisæis, sive sacerdotibus, qui revera sub specie divini cultus quasi in

spelunca latentes, prædam et latrocinium, ut prædictum est, de populo faciebant; hoc autem pauperibus columbas vendentibus loquitur, qui nesciebant quid esset inter dextram et sinistram suam. Cæterum secundum mysticos intellectus, quotidie Jesus ingreditur templum Patris, et ejicit omnes, tam episcopos quam presbyteros, tam diaconos quam laicos, et universam turbam de Ecclesia sua, et unius criminis habet vendentes pariter et ementes. Scriptum est enim : « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x). » — « Mensas quoque nummulariorum subvertit, » id est altaria, videlicet propter avaritiam sacerdotum nummulariorum mensas appellata. Cathedras quoque vendentium columbas, juxta Matthæum (*ibid.*), evertit, quod juxta simplicem intelligentiam accipere absurdum est. Non enim columbæ in cathedris erant, sed in caveis; nec columbarum institores putandum est sedisse in cathedris, sed mystice in cathedris magistrorum dignitas indicatur, quæ ad nihilum redigitur, cum mista fuerit lucris. Quod de Ecclesiis dictum est, unusquisque et de se intelligat. Dicit enim apostolus Paulus: « Vos estis templum Dei, et Spiritus sanctus habitat in vobis (*I Cor.* III). » Non sit in domo precationis nostræ negotiatio, non vendentium ementiumque commercia, non donorum cupiditas; ne ingrediatur Jesus iratus et rigidus, et non aliter mundet templum suum, nisi flagello adhibito, ut de spelunca latronum et de domo negotiationis domum faciat orationis. Quomodo autem Judæi vel hæretici Hebionitæ, id est pauperes, videlicet sensu magis quam nomine, et cæteri, adversum quos maxime fulminat hæc secundum Joannem evangelica veritas; quomodo, quæso, non audierunt imperiosam vocem dicentis : « Et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis ? » Audierunt Mariam matrem ejus dicentem : « Fili, quid fecisti nobis sic ? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te (*Luc.* II). » Et idcirco prorumpunt, dicentes Christum ex Joseph semine esse natum (*Joan.* VI), et non audierunt quod hic ipse : « Nolite, inquit, facere domum Patris mei domum negotiationis. » Si agni mansueti mitem balatum non audierunt dicentis : « Quid est quod me quærebatis ? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse (*Luc.* II), » quomodo saltem hunc rugitum leonis non audierunt, in tempestate et turbine vias suas agentis, et omnia terrore aspectus sui subvertensis ac dicentis : « Domum Patris mei nolite facere domum negotiationis. » Non
129 enim leve aut parvum est, quod dicendo domum Patris addidit mei. Altius quippe est, quam si dixisset tantum : domum Patris. Hoc fere ubique in verbis ejus notandum est, quod cum Patrem nominans addidit meum, de paternitate agit naturæ, qua solus et unicus Filius est : et maxime alta sunt et divina quæ loquitur, ut illud : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* V). » Cum vero Patrem nominans non addidit, meum, de paternitate agit gratiæ quæ nobis communicatur, vel qua fratres ejus sumus. Et tunc magis humilia de seipso loquitur, ut illud : « Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XIV). » Sequitur : « Recordati vero sunt discipuli ejus quia scriptum est : Zelus domus tuæ comedit me. » Extunc recordati sunt hoc de illo esse scriptum, ex quo aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Recordati sunt ergo de illo fuisse scriptum, quia viderant impletum : « Zelus domus tuæ comedit me (*Psal.* LXVIII), » Quod longe sonorius dictum est, quam si dictum fuisset : Zelus domus tuæ inflammavit vel accendit me. Infirmitas namque humanitatis ejus orat in illo psalmo quæ cum divinitatem in se habitantem ita contegeret, ut inter homines ambulans, hominibus non appareret, repente sic illum commovit zelus Patris sui, ut ipsa infirmitas ejus quasi non compareret, quæ hactenus hoc agebat, ut divinitas lateret. Quid enim aliud facere potuisset, si naturæ nostræ infirmitatem non haberet ? Comedit ergo illum zelus domus Dei, dum divinitatis fulgurantis splendor se exercens naturam infirmam operuit vel abscondit. « Responderunt ergo Judæi et dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis ? » Quandiu cœlum detonuit, ranæ tacuerunt, quandiu Divinitas fremuit, de illo carnis suæ habitaculo proclamans : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, tandiu Judæi conticescentes, et in palude silentii sui se continentes, contra hiscere nihil ausi sunt. At ubi tonitruum quievit, rursus prorepentes, adhuc tamen quasi iracundo timore, timidaque iracundia trementes et palpitantes : « Quod signum, inquiunt, ostendis nobis, quia hæc facis ? » Judæi namque signa petunt, non ad Dei, sed ad suam gloriam : scilicet in vanitate sitientes illam qua lactata est antiquitus infantia gentis illius, miraculorum alimoniam; ut possint novis et ipsi prodigiis, sicut et patres eorum, superbire, et cunctis per circuitum nationibus spectaculo esse : non recogitantes quod patres ipsorum rebelles et increduli, et manna manducare, et in peccatis suis mori potuerint. Aiunt ergo : « Quod signum ostendis nobis ? » Ac si dicerent : Moyses signa et prodigia de cœlo ostendit, et manna dedit patribus nostris (*Exod.* XVI) : tu si Christus es, sicut Joanne testificante vulgo cœpit jam dici, « quod signum ostendis ? » Quid operaris, ut credamus quod Deus, cujus hæc domus est, pater tuus sit ? Hæc illis dicentibus vere non decebat sapientiam Dei ut illis signa daret, qualia vellent ipsi, nihiloque meliores effecti, semper magis ac magis quærerent curiositate insatiabili. Ait ergo : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud ? Ille autem dicebat de templo corporis sui. » Tria nobis hoc loco disserenda sunt. Primum, cur signum quærentibus cum multa signa fecerit, solam pro signo respondit virtutem suæ resurrectionis. Deinde secundum, cur eamdem resur-

rectionem vel mortem suam edixit quidem, sed ab A eorum, qui signum quærebant, intellectu abscondit. Tertium, cur non qualicunque figura, sed templi nomine vel similitudine uti voluit. Plane ad rem pertinuit, ut illis dicentibus, « quod signum ostendis nobis, quia hæc facit ? » illud signum responderit, quod ad discernendam magnitudinem vel eminentiam ejus sufficiens est. Nam idcirco quæstione pulsabatur, quia de templo illos ejecerat, domum esse asserens Patris sui : et hoc ab ipso quærebatur, quo signo credendum esset illi. Hoc ergo signum respondere debuit, quod sufficeret ad argumentum ejus divinæ majestatis, imo quo illis exhibito, cunctos eos de domo Patris et regno ejus expelleret, simulque captivos in omnes gentes disperderet. Unde enim magis veritas divinitatis ejus claruit? unde magis justitia damnationis vel dispersionis illorum constitit, nisi ex eo quod crucifixus ab illis resurrexit a mortuis? Moyses namque et cæteri sancti omnes mortui sunt, et nemo illorum resurrexit : hic autem crucifixus quidem est ex infirmitate nostra, sed vivit nunc ex virtute Dei (*I Cor.* I). Et huic quidem, quia « factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, donavit Deus nomen quod est super omne nomen ut in nomine Jesu omne genu flecteretur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II). » Illi autem, quia crucifixerunt eum, de domo Dei ejecti sunt, et tanquam oves et boves, quos in templo vendebant et emebant, in prædam et occisionem cunctis gentibus juste expositi sunt. Igitur huic percunctationi illorum, recte C pro signo respondit Jesus : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Dicis : Cur tanti signi gloriam sic edixit, ut tamen ab his quibus respondebat, non posset intelligi ? Vel, si nolebat intelligi, cur non omnino reticuit ? Videlicet idcirco non omnino reticuit, sed et hic et multis in locis, alias obscurius, alias manifestius præsignavit, ut hi qui jam erant vel futuri erant digni revelatione mysteriorum regni Dei, in tempore suo recordarentur verborum ejus, et ad cognoscenda vel credenda facta sequentia, dictis ejus præcedentibus adjuvarentur. Unde et subditur : « Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus quia hæc dicebat. » Idcirco autem hæc ipsa cum diceret, ab ipsorum quibus loquebatur intellectu removit : quia videlicet, sicut paulo post D evangelista narrat, ipse Jesus non credebat semetipsum eis. Tales quippe illos esse noverat, qualibus ipse mysteria consilii sui credere non habeat. Si enim his quibus maxime crediturus erat semetipsum, cum diceret : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur ad crucifigendum, et tertia die resurget (*Matth.* XX) : » si, inquam, cum hæc diceret, opportuna moderatione sensus eorum, ut non intelligerent, tenuit, et ut verbum istud absconditum esset ab eis, quanto magis insidiatoribus suis quibus nunquam semetipsum crediturus esset, verbum istud abscondere debuit ? Et si discipulos suos, nondum Spiritus sancti gratia reformatos, utres veteres esse dixit, et ideo vinum novum non esse infundendum illis (*Matth.* IX) : quanto magis in hæc sepulcra mortuorum, quæ pulchra deforis parebant, intrinsecus autem plena erant putredine (*Matth.* XXIII), sui puritatem consillii non debebat infunderere ? Recte igitur illis signa quærentibus, et hoc omnipotentiæ suæ signum, nec omnino reticuit, nec nudo sermone, ut palam intelligerent, edixit. Tertium eorum quæ proposita sunt illud est : cur non qualicunque figura, sed templi nomine vel simiilitudine, responsionis suæ sensum aperuit. Et quidem hoc dicto inimicos suos « errare fecit, quasi in invio et non in via (*Psal.* CVI) : » fidelibus autem suis reservavit ea quæ recordarentur, et tempore B opportuno intelligerent propositi sui mysteria. Errantes enim illi dicunt : « Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud ? » **130** Quasi vero ille dicendo : « Solvite templum hoc, » digitum intendisset in illos parietes magnos et pulchros, aut Deus non in alio quam in illo habitaret templo manufacto : cum econtra, templi illius constructor Salomon dixisset : « Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram ? Si enim cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi tibi ? » (*III Reg.* VIII.) Sed hæc isti surdi intus audierant, qui templum illud exterius videbant : multo magis vero illud attenderant, quod per os ejusdem incarnanda Sapientia de semetipsa dixerat : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX), » etc. Cum ergo sic in præsentia veritatis errarent, et oculi eorum sole præsente caligarent, « quadraginta, inquiunt, et sex annis ædificatum est templum hoc : » non primam, sed secundam ædificationem significantes. Primus enim Salomon templum in maxima regni sui pace, decentissimo septem annorum opere perfecit (*III Reg.* VII) : quod destructum a Chaldæis, post septuaginta annos (*IV. Reg.* XXV), ad jussionem Cyri Persæ laxata captivitate, reædificare cœptum est (*I Esdr.* I). Sed filii transmigrationis, opus quod principibus Zorobabel et Jesu jubentibus faciebant, propter impugnationem gentium vicinarum, ante quadraginta et sex annos implere nequiverunt (*I Esdr.* II, III). Et hi quidem hoc modo in verbo veritatis errabant. Nos autem non solum cum discipulis ejus Scripturæ credimus et sermoni quem dixit Jesus, sed in errore illorum dicentium, « quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, « invitis illis sensum veritatis extorquemus. Hic enim numerus non quidem annorum, sed dierum, perfectioni Dominici corporis aptissime congruit. Tradunt enim naturalium scriptores rerum, formam corporis humani tot dierum spatio perfici, quia videlicet primis sex a conceptione diebus, lactis habeat similitudinem, sequentibus octo convertatur in sanguinem, deinde duodecim solidetur, reliquis decem et octo, formetur usque ad perfecta linea-

menta membrorum, et hinc jam reliquo tempore A usque ad tempus partus magnitudine augeatur. Sex autem et octo et duodecim et decem et octo, quadraginta et quinque faciunt. Quibus si unum adjecerimus, id est ipsum diem quo discretum per membra corpus incrementum sumere incipit, tot nimirum dies in ædificatione corporis Domini, quot fabrica templi annos invenimus. Unde recte per templum illud manufactum, sacrosanctam ipsius carnem, quam sumpserat de Virgine figurabat. Sed et sanctæ Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, et de qua perfidos Judæos cum flagello justæ damnationis erat ejecturus, hic idem nihilominus recte congruit numerus. Ipsa enim de universitate generis humani ex Adam propagati construitur. Nomen autem Adam quatuor litteris, quibus scribitur, hunc ipsum nu- B merum, id est quadraginta sex efficit, si in computo Græco considerentur. Nam α unum, δ quatuor : et iterum unum, μ quadraginta significat : qui simul fiunt quadraginta sex. Illud quoque sciendum, quod eisdem quatuor litteris, id est, αδ : iterum α et μ : quatuor partes orbis designantur, in quas sparsus est Adam in filiis suis, de quibus universitas Ecclesiæ colligitur. Nam in principiis nominum partium mundi, hæ quatuor leguntur : videlicet ἄρκτος, quod est septentrio, ab α incipit : et δύσις quod est occidens, a δ : et ἀνατολή, quod est oriens, ab α ; μεσημβρίς, quod est meridies, a μ.

Mystice ergo, quadraginta et sex annos in adjumentum fidei sumentes, detestamur eos, qui hunc annorum numerum infideliter objecerunt. Quia C maledicti sunt, eo quod, sicut a patriarcha Jacob in typo Simeon et Levi fuerat prædictum, vasa iniquitatis effecti sunt. Quia in furore suo occiderunt virum et in voluntate sua suffoderunt murum (*Gen.* XLIX). Maxime enim hi, qui fuerant de tribu Levi, scilicet Scribæ et Pharisæi, talem occiderunt virum, tanti templi clavis, et lancea suffoderunt murum. His ita jam dictis, notanda est diligenter evangelistæ intentio, dicentis : « Hoc autem dicebat de templo corporis sui. » Cur enim hanc tandem intulit, nisi ut hæreticos hoc quoque dicto perculeret, Christo Dei Filio linguis vipereis detrahentes ; contra quos, ut sæpe dictum est, hoc evangelium maxime conscriptum est? Quod ut manifestum sit, quærere nunc licet ab eisdem hæreticis : Cujus, nisi Dei, templum est? Creaturæ quippe alicui templum, D nec aliquando factum, nec unquam faciendum vel dicendum est. Hic autem proprium templum corpus suum appellat Dei Filius. Quis enim nisi Dei Filius, nisi Verbum incarnatum loquitur: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ? » Deus ergo est, quia templum habet : quantumvis econtra gruniant crassæ sues, in suis se paludibus volutantes. Et procul dubio dignius est hoc templum Filii Dei templo illo Patris sui, de quo dixerat : « Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. » Hoc enim templum non manufactum, jam in æternum dirui non potest: illud manufactum, habitatorem non habens Deum, dirutum est. Et de hoc templo juxta Ezechielem « a latere dextro aqua egressa est, et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt (*Ezech.* XLVII). » De illo autem templo a Scribis et Pharisæis sanguis effluere non cessat, quem sibimet imprecati sunt dicendo : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » Sequitur : « Cum autem esset Hierosolymis in die festo, multi crediderunt in eum, videntes signa quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis. » Isti credentes in eum credendo quoque errabant : ita ut, sicut prædictum est, merito Jesus semetipsum illis non crederet. Nam credebant quidem, quod ipse esset Christus, qui talia coram ipsis operaretur : sed regnum ejus carnaliter æstimantes, humilitatis ejus vias vel regni ipsius mysteria percipere non merebantur. Talium vanitatem Spiritus sanctus redarguit in psalmo dicens : « Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis (*Psal.* CXXVI). » Nam ante lucem surgere, quod omnino vanum est, illi appetant, quia ante tempus exaltari quærunt, qui non recto ordine ad festivitatem gloriæ nituntur, id est, qui non prius humiliantur ut postea merito exaltentur. Sic nempe isti, qui videntes signa quæ faciebat Dominus noster, credebant in eum : sic vani volebant venisse et regnare Christum, ut illo rege ipsi, juxta carnalem intellectum suum, fortitudinem gentium comederent, et in gloria eorum superbirent : et hunc ipsum esse Christum credentes, nondum humiliati cum illo jam de exaltatione sibimet applaudebant. Sic et filii Zebedæi, quorum hic Joannes unus est, nondum humiliati jam exaltari volebant, dicentes : « Magister, dic ut unus ad dexteram et alius ad sinistram sedeamus in regno tuo (*Matth.* XX ; *Marc.* X). » In vanum ibant, quia lucem præire volebant, id est ante Christum exaltari quærebant, et alia via, nec servato ordine, quem ipsa lux disponebat, ad exaltationem properabant. Nam antequam humiliarentur secundum passionem Domini, jam sibi loca eligebant, ubi sederent, unus ad dexteram, et alius ad sinistram. Quare autem non æque his et illis semetipsum abscondit vel credidit ? Filiis namque Zebedæi statim semetipsum credere incipit dicendo : « Potestis **131** bibere calicem quem ego bibiturus sum ? (*Matth.* XX.) » Ac deinceps paulatim illis arcana cœlestia committit, maximeque huic Joanni, cui sempiterni secreta Principii, multosque revelationum cælestium thesauros ostendit. Istis autem qui crediderunt in eum, « ipse Jesus, inquit Evangelista, non credebat semetipsum. » Quare ergo hos et illos tam diversa sorte distinxit ? Sequitur.

« Eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. » Firmissima plane ratio atque ad satisfaciendum sufficiens ei qui ab Apostolo didicit, quod non dicat « figmentum ei qui se finxit: Quare me fecisti sic ? » (*Rom.* IX.) Primum vero dicendum, de hac eadem ratione, non

vana neque infirma, quia secundum sæpe dictam Evangelistæ intentionem, adversus hæreticos edita est. Quis enim novit omnes homines, nisi « scrutans corda et renes Deus ? » (*Psal.* VII ; *Jer.* XVII.) Cui non est opus ut quis testimonium perhibeat de homine, nisi Deo, cui veraciter dictum est : « Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum ? » (*III Reg.* VIII) Quis denique scit quid sit in homine, nisi Deus? De quo non vane dictum est : Homo videt in facie, Deus autem inspicit cor (*I Reg.* XVI). Igitur hic etiam Evangelista juxta propositum suum manifeste Christum esse Deum testatus est, dicendo : « Eo quod nosset omnes. » Si autem omnes novit homines, utique et illos noverat qui crediderunt in eum, signa videntes quæ faciebat. Ergo secundum quod eos noverat, discrete cum illis agere debebat, videlicet ut carnalia sapientibus recte spiritualia non objiceret, præsertim cum ejus consilii non sit « sanctum canibus dare, vel margaritas ante porcos mittere (*Matth.* VII). » Non enim (quamvis habeat figulus potestatem facere de eodem luto aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam (*Rom.* IX), idcirco existimandus est figulus noster erga nos hac uti libera potestate sine præeunte causa justitiæ, videlicet quod idcirco sint multi homines vasa contumeliæ, quia noluit illis honorem ostendere notitiæ suæ. Nempe potius idcirco non vult illis honorem suum infundere, quia sunt ipsi vasa contumeliæ. Et, ut manifestius dictum sit, non idcirco quisque male agit, unde pereat, quia Deus illum morti prædestinavit ; sed idcirco Deus illum morti prædestinavit, quia male acturum præscivit : sicut contra hæreticos liberum arbitrium negantes, copiose disputatum est ab adjutoribus Dei. Nam, teste Apostolo, sicut vocationem prædestinatio Dei, sic prædestinationem ejus præscientia præcedit (*Rom.* VIII). Igitur quod ait Evangelista : « Jesus autem non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine, » tale est ac si dicas de provido quovis homine : Noluit vasculis illis vel illis vinum suum infundere, eo quod illa sciret ipse cœno oppleta esse, et non erat illi opus ut quis pro se iret inspicere ; ipse enim per semetipsum curavit et potuit introrsum pervidere. Nunc sequentia videamus narrationis Evangelicæ.

CAP. III.—« Et erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. » Hic homo non tam pro natura quam pro ratione dici æstimandus est. Siquidem et illi, quibus Jesus non credebat semetipsum, omnes quidem natura homines erant ; sed, quia non rationabiliter quærebant ea quæ nesciebant, quodammodo homines non erant. Hic autem, Deo favente, in his quæ vidit et audivit rationis opus usus est, qua sola juvamur, ut brutis

A animantibus simus dissimiles. Videns enim signa quæ Jesus faciebat, et non intelligens ea quæ dicebat, non in stultam admirationem evanuit (quemadmodum illi qui dixerant : « Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud ? ») sed ut rationalis homo præparans se ad percipienda ea quæ Dei sunt, forti argumentatione constrinxit se, ita proponens : « Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister ; » ac deinde firmissimam rationem subjiciens : « Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. » Quid vero gratiæ, quid bonæ et prædicandæ indolis habet, quod venit ad eum nocte ? laudabilis Lictor et venerabilis Exsecutor, multum dissimilis Judæis (quorum princeps erat) B et Pharisæis (ex quibus erat) qui miserunt ad comprehendendum illum nocte, ad quem audiendum ipse venit nocte ! Miserunt illi nocte ut comprehenderent Jesum sine turba ; venit hic ipse nocte, ut audiret Jesum sine turba, cui Jesus semetipsum non credebat. Illi hora sua male usi sunt, et potestate tenebrarum ; hic doctrinæ aptum nocturni silentii bene captavit ostium. Et illi quidem comprehendendo et ligando amiserunt Salvatorem Christum ; hic interrogando et audiendo invenit et tenuit Christum Dei Verbum. Igitur homo hic erat princeps Judæorum ; ipsi autem Judæi genimina erant viperarum (*Matth.* XXIII.) Erat hic ex Pharisæis secundum nomen suum dividentibus et a Deo divisis ; sed ab illis exiens uni adhæsit ; uni verbo Dei se conjunxit. Unde et contigit illud voce Sapientiæ C prolatum beatitudinis præconium : « Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas, et observat ad postes ostii mei (*Prov.* VIII), » id est : Hic enim ad fores sapientiæ nocte vigilavit totis oculis, non minus animi quam corporis, nocte una hic ad fores ejus humano diei clausas vigilavit. Annon sapientiæ domus erat illud incarnati Verbi corpus, de quo paulo ante dixerat Judæis eadem Sapientia habitatrix ejus : « Solvite templum hoc et in tribus diebus ædificabo illud ? » Annon clausæ erant domus vel templi hujus fores illis maxime irreverenter pulsantibus ac dicentibus : « Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus ædificabis illud ? » cum et his qui crediderunt in eum clausæ essent, Evangelista dicente : « Ipse autem D Jesus non credebat semetipsum eis. » Sed hic reverenter accedens, remotis imo et dormientibus illis, quibus secretarium templi hujus non decebat aperiri, vigilans et observans amica voce pulsavit, et habitatricem sacri pectoris sapientiam, ad se per apertos oris ac linguæ postes evocavit. Beatus ergo est, quia et tenebrarum filios, quos forsitan adhuc timebat effugiens, lucem in nocte quæsivit et invenit, maximaque ab ore Sapientiæ hausit sacramenta nostræ salutis. Sed jam, isto interrogante, respondentis Domini scrutemur verba, nostrisque faucibus et ori nostro dulcia super mel et favum experiamur ejus eloquia.

« Rabbi, inquit, scimus quia a Deo venisti Magister. » Poterat sic scribi : Magister, scimus quia a Deo venisti magister. Sed opportuna linguarum varietate usus est, non solum pro ornatu dicendi, verum etiam gratia sensus elucidandi. Sic enim melius elucescet quod ita dixerit : Scimus quia ad hoc a Deo venisti ut sis magister. Dicitur autem Rabbi, pro excellentia magisterii, cum in Latinum (ut cætera verba Hebraica) verti potuerit, sicut et alia quædam non interpretata proferuntur, pro excellentia vel dignitate eorum quæ significantur : ut, Alleluia, Amen, et si qua hujusmodi reperiuntur. **132** Et quidem jure beatificamus rationabile studium hominis, quod deposito supercilio Pharisæorum (ex quibus erat), Dominum nostrum adiens, Magistrum illum vocavit vera intentione discendi ; sed hoc deesse notamus quod necdum illum Magistrum simul ac Dominum vocare novit, ut jam illis æquaretur, quos approbans ipse : « Vos, inquit, vocatis me, Magister Domine, et bene dicitis ; sum etenim (*Joan.* XIII). » Verum ignoscendum est illi, et exspectanda est ejus lactens et edentula fides, donec crescat et proficiat, moxque compleatur in illo quod scriptum est : « Et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus (*Deut.* XXXIII). » Hoc interim gratulamur, quod illum pedibus appropinquare videmus, dum dicit : « Scimus quia a Deo venisti Magister. » Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. » Illi qui ab hoc eodem magisterio sese elongabant, scilicet Pharisæi (ex quibus et hic erat) qui dicebant : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XI). » Attamen idem quod iste, idem plane et illi sciebant. Nam de se et illis ait hic : « Scimus quia a Deo venisti Magister. » Idcirco recte arguuntur illi : (Verbum dixisse contra Spiritum sanctum quod non remittetur eis, neque in hoc sæculo neque in futuro (*Matth.* XII) : quia scientes eum in digito Dei ejicere dæmonia, quod et Magi in Ægypto coram Pharaone, Moyse signa faciente, scire poterat. Dixerunt enim : « Digitus Dei est hic (*Exod.* VIII). » Scientes ergo illum in Spiritu sancto dæmones ejicere, dicebant : « In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia ? » quod idem est ac si dicerent (quod auditu quoque nefas est) : Spiritus sanctus Beelzebub est. Ergo, quia tantum ore confessus est, quantum corde intelligere potuit, vidit Jesus, imo et ante viderat quod semetipsum credere deberet huic, eumque veræ sapientiæ, quæ ipse est, secretis admisit. Nam sequitur :

« Respondit Jesus et dixit ei : Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. » — « Amen, amen, » id est, vere vel fideliter. Et congrua sibimet affirmatione incarnata Veritas dicta sua confirmat, ut somnolentum et de futuro non caventem excitet et attentum reddat. Notandum vero quod cum in cæteris Evangelistis alias crebrius, alias rarius, semper aut simpla hæc affirmativa dictiuncula ponatur, in hoc solo Evangelista

A sæpius et eadem semper duplicata reperitur. Quia videlicet quæ ab hoc referuntur, majora et diviniora sunt, et idcirco concitatiore, id est, geminato semper affirmationis clamore magis attentum efflagitant auditoris animum. Potest et sic recte intelligi quod Amen dictum sit, pro ipso nomine veritatis, quæ est ipse Filius Dei, juxta illud in Apocalypsi : Hæc dicit Amen testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei (*Apoc.* III) ; et sic dicat : Amen, amen dico vobis, ut intelligas eum dixisse, ego Veritas veritatem dico vobis. Sed jam ipsius verba tanto veritatis firmamento suffulta prosequamur : « Nisi quis natus fuerit denuo, inquit, non potest videre regnum Dei. » Hic jam attenti, quoniam non solos sacramentorum ruminare nucleos, sed et litterarum B vellicare corticem vobis [nobis] propositum est. Quærimus primum, ad quid Dominus hoc responderit ? Quia sicut se habet Evangelicæ textus litteræ, respondendo Nicodemo hæc intulit. At ille quæstionem nullam proposuisse videtur, ad quam de videndo regno consequenter responderit Jesus. Quod si ita dixisset : Scimus quia a Deo venisti Christus Rex : nulla de convenientia responsionis quæstio superesset. Igitur nos quoque nostræ noctem ignorantiæ discutientes, et cum hoc Nicodemo in adjutorio [auditorio] veritatis vigilantes, primum ab intentione ejusdem Nicodemi viam quærimus ad audienda, quæ dicuntur huic, magna et profunda mysteria regni Dei. Hoc primum nemo qui dubitet Nicodemum non defuisse multis illis, qui, ut supra dictum est, in die C festo crediderunt in eum, videntes signa quæ faciebat. Quid autem credebant in eum, nisi quod ipse esset Messias quem olim exspectabant venturum Regem magnum, Regem victoriosum ? Hæc ergo Nicodemi nocte venientis erat intentio, ut ab eo disceret quando vel quomodo in throno David resideret et restitueret regnum Israel. Nec vero ab hac intentione propositio ejus dissonare putanda est, dicentis : « Scimus quia a Deo venisti Magister. » Denique ipsi quoque qui Scripturas a Deo nesciebant, non solum Regem, sed et doctorem justitiæ Christum fore sperabant. Unde et loquitur ad eum mulier Samaritana : « Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus (*Joan.* IV). » Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Quanto magis hic, qui erat Magister in Israel, scienter imo recte, hunc D quem esse Messiam credebat, Magistrum vocare potuit ? Hæc igitur perpendentibus valde jucunda et admirabilis elucet ista responsio tam congrue quam vere reddita, ut eloqui summam decebat sapientiam ore proprio : « Amen, amen, inquit, dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. » Quid enim amplius admirari poterant viri barbari, jam filiis suis circumfusi, qui se putarent hæreditario propter patres regno Dei jam idoneos, jamque cordis avari sinum laxabant affluxuris (ut putabant) in illo regno divitiis, atque in contemptum omnium Gentium robustam cervicem erigere fuerant parati ? Quid amplius poterant admirari

A quam id quod, nisi prius nascerentur, non essent visuri regnum Dei? nonne facilius constare poterat apud illos, nullum fore regnum Dei, quam aliquem natum posse denuo nasci? Unde :

« Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire et nasci [*alias* renasci]? » Imo quia senex, quia vetus homo est : « Inveteravit enim inter omnes inimicos suos (*Psal.* VI), » idcirco oportet eum denuo nasci, oportet alterari, oportet alia generatione renovari. At ille terreno sensu cœlestis hominis dicta penetrare non poterat, idcirco dicebat : « Nunquid potest homo in ventrem matris suæ rursus introire et nasci? » Solam enim nativitatem vel generationem illam attendebat (*Joan.* I), B quæ ex sanguinibus et ex voluntate carnis, et ex voluntate viri fit ; unde non nascuntur ut sint filii Dei, aut, ut videant homines regnum Dei. Verumtamen hoc impossibile vel regno Dei inutile, non illa objiciebat intentione vel spiritu, quo illi dixerunt superius : « Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus ædificabis illud? » (*Ibid.* II.) Alioquin nec huic semetipsum crederet Jesus. Pulsabat potius ardore discendi, non obstrepebat livore adversandi. Se potius deficere sensu, quam illum proferre inania arbitrabatur.

« Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. » Non, inquit, impossibile est, quod proponitur, violentibus introire in regnum Dei. Nec enim dixi quod oporteat hominem C « in ventrem matris suæ rursus introire et nasci. » Alia nativitas est, qua possibile est hominem quemlibet senem denuo nasci. Possibile est namque aquam homini adhibere, Spiritum sanctum super aquam invocare. Invocatus autem statim adest, et familiare sibi elementum sanctificat, familiare, inquam, nam et « in principio ferebatur super
133 aquas (*Gen.* I). » Et omnino impossibile est invocationem nominis ejus irritam fieri, maxime ad hoc opus super aquas, cum nomine Patris et Filii invocati. Itaque non in ventrem matris suæ, sed in fontem gratiæ Dei potest homo introire et denuo nasci. Alius autem et vere in ventrem matris suæ rursus ingreditur, quando in sinum hujus gratiæ vera fide reducitur. Mater enim nostra gratia est, D mater nostra Dei et beatorum omnium angelorum ejus, una, concors, et dilecta civitas est. De cujus utero tunc male nati et foras projecti sumus quando in primo parente, deserta paradisi requie, propter peccatum expulsi in hoc exsilium decidimus. Cujus nativitatis infelicitatem vir sanctus mystice deplorat dicens : Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, conceptus est homo... Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? » etc. (*Job* III.) His enim dictis, quatuor originalis deplangit incrementa peccati, scilicet : suggestionem, delectationem, consensum, defensionem, quibus quatuor modis omne peccatum consummatur. Sic ergo nati ad mortem, recte renasci dicimur ad vitam, quando ejusdem matris nostræ, a qua per peccatum divisi sumus, videlicet supernæ Ecclesiæ sacramentis per baptismum immergimur. Sic enim a tribus sinistræ generationis gradibus, ad tres nihilominus dextræ generationis gradus transmigravimus, scilicet a diabolo ad Deum : a veteri Adam ad novum, id est, Christum : a propriis carnis nostræ progenitoribus ad sacros Catholicæ Ecclesiæ ministros vel sacerdotes, per quos ascendere incipimus. Igitur cum dixisset Nicodemus : « Nunquid potest homo in ventrem matris suæ rursus introire et nasci? » recte Dominus non negavit hoc posse fieri. Quia videlicet, non quidem secundum carnalem illius sensum potest fieri, sed secundum spiritualis sacramenti veritatem fieri potest, et fit. Sciendum autem non confestim hoc dicto cœpisse sacramenti hujus celebrari virtutem, sed nec quandiu idem Dominus noster Deus immortalis homo inter homines deguit, nostram indutus mortalitatem. At ubi resurgendo ipse a mortuis regnare cœpit, priorque in regni sui gloriam intravit, tunc primum cœperunt renasci, qui viderunt regnum Dei, videlicet per baptismum commoriendo et conresurgendo illi, data tunc primum regula baptizandi ab eodem dicente : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Non enim vel per baptismum Joannis, vel per aliquod aliud remedium cuiquam poterat aperiri hic, de quo nunc agitur, introitus regni Dei priusquam ipse rex per passionem suam acquireret regnum Dei : priusquam per aquam et sanguinem de latere suo profluentem, ipsum concederet sacramentum baptismi, universam Ecclesiam (quæ illum apud inferos exspectabat, sicut alio in loco dictum est) eodem sanguine redimens, eademque aqua abluens in peccatorum remissionem (*Joan.* XIX). Quoniam autem hæc homini circumciso locutus est, et sine ulla exceptione circumcisionis aut præputii, dixit universaliter : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, » res ipsa postulare videtur ut quærimus, imo et quærentibus cum Apostolo respondeamus : « Quid amplius Judæo, aut quæ fuerit utilitas circumcisionis? » (*Rom.* III.) Constat enim quia cum hæc diceret Dominus, nullus adhuc introiret in regnum Dei. Ergo dum sine exceptione dixit : « nisi quis renatus fuerit, » constat quod et illos oportuerat renasci « ex qua et Spiritu sancto » qui apud inferos detinebantur, quamlibet fuissent sancti aut justi, et, sicut alio jam loco dictum est, tunc est factum, quando Christus in cruce moriens, Adæ debitum solvit, universamque Ecclesiam, quæ hactenus fuerat, regeneravit (*Colos.* II), ubi mortuus mirabiliter sanguinem et aquam de latere suo profudit (*Joan.* XIX), unde illa renasceretur, sicut dormientis Adæ lateri costam subduxit, unde Eva fabricaretur (*Gen.* II). Igitur de causa vel

utilitate circumcisionis ita disserendum est ut pariter intelligamus quod recte ex tunc cessare debuerit, ex quo moriente Christo in cruce, baptismi sacramentum conditum. Circumcisionem pro signo justitiæ fidei datam esse, Paulus apostolus testatur, dicens : « Dicimus, quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est ? In circumcisione, an in præputio ? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei,quæ est in præputio patris nostri Abrahæ,ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam, et sit pater circumcisionis (*Rom.* IV), » etc. Hoc manifestum est ex serie libri Geneseos, quod Abraham ante circumcisionem justificatus est per fidem, eadem Scriptura dicente : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam, » et amicus Dei appellatus est (*Gen.* XV). Hic autem addit Apostolus, quia signo circumcisionis signatus est, dicendo ; « et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei (*Rom.* IV). » Signatus est quippe tanquam vas justitiæ, continens thesaurum fidei, quam Deo jam obtulerat in pretium promissionis, ut hoc signo testamentum ejusdem promissionis firmaretur, et jure teneretur debitor qui promiserat Deus. Cum enim dixisset Deus : « Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, » statim addidit : « ut sit signum fœderis inter me et vos (*Gen.* XVII). » Bene ergo Apostolus ait, quia « signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei (*Rom.* IV). » Quid autem Deus promiserat illi, vel quid credendo justificatus est, ut hoc fidei signum accepit ? Hoc utique promiserat Deus, et hoc ille crediderat, quod futurum esset semen ejus sicut stellæ cœli, et quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes terræ (*Gen.* XV). Quæ promissio de benedicendis gentibus in semine ejus, prima et ultima allocutione ejus firmata est. Prima namque apparitione præcipiens illi ut egrederetur de terra et de cognatione sua : Benedicens, inquit, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ (*Gen.* XII). Ultima vero, quando filium suum Deo obtulit, vocans illum de cœlo,cum interpositione juramenti benedictionem repromittens : « Possidebit, inquit, semen tuum portas inimicorum suorum, atque in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ (*Gen.* XXII). » Unde et repromissio dicitur, quia primo et secundo de benedicendis in semine ejus gentibus promissio facta est. Cum ergo fides Abrahæ, quæ illi ad justitiam reputata est, in eo fuerit, quod credidit in promissione seminis, et hanc fidem Deus signatam esse voluerit, ubi convenientius, quam in ea parte corporis, per quam semen trajicitur, signari debuit ? Solent enim irridentes objicere Judæi, cum dicimus eis,circumcisionem signum fuisse fidei : Cur, inquiunt, non potius in aure, vel in labiis, sive in alia qualibet nuda corporis parte, quam in ea, quæ semper operitur, positum est hoc signum, ut melius pateret, si, ut dicitis,pro signo fidei data est ? Attamen hoc ipsi negare nequeunt suæ Scripturæ auctoritate constricti, quin pro signo fidei, sicut prædictum est, a Deo data sit. Eis ergo dicimus : Cum circumcisio fidei signum sit, fides autem in seminis promissione fuerit, nonne **134** convenientius secundum causam in ipso seminis effusorio, quam in alia qualibet corporis parte poni debuit ? Igitur, ut prædictum est, cum auctoritate Apostoli, imo et Scripturæ veteris, circumcisio fidei signum est. At vero ipsa fides in promissione seminis est. Constat ergo quia circumcisio ejusdem seminis exspectandi professio est, et quisquis circumciditur,semen illud se exspectare profitetur, quod est Christus. Non enim promissio facta est de seminibus quasi de multis, sed de semine uno scilicet quod est Christus (*Galat.* III). Quisquis autem se hoc semen profitetur venturum exspectare, profecto negat venisse. Igitur quicunque Christum in carne venisse confitemur, abolita circumcisione, ejusdem Christi Domini nostri solo sacramento indigemus, de quo nunc agit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. » Qui si circumcideremur, Christus nobis nihil prodesset (*Galat.* V) : quia videlicet hoc signo venturum nos exspectare profiteremur, ac per hoc venisse negaremus. Sed dicit ad hæc Judæus : Quod Deus semel in sempiternum statuit, nunquam ipse mutari concedit, aut præcipit. Acquiescimus : Immutabilis enim est Deus. Subjungit itaque : Statuit circumcisionem in pactum sempiternum, in fœdus æternum. Sic enim de illo loquitur ad Abraham ; « Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te, in generationes suas, fœdere sempiterno (*Gen.* XVII). » Et post pauca : « Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. » Igitur non est hic a Deo, qui et per semetipsum Sabbatum non custodit,et per baptizatos vel baptistas suos, sempiternum circumcisionis pactum dissolvit. Ita Judæis argumentantibus illum psalmi versiculum opportune importune decantamus : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum (*Psal.* LXXXVIII). » Hoc enim in illis isto modo impletur,dum Scripturæ hujus cæterarumque sacrarum mensa lectionum fit eis in laquem, ut prave intelligentes illaqueentur, et digna retributione fiat eis, ut scandalizati ad lucem veritatis pervenire non sinantur.Quid enim ? Nunquid hoc Scriptura ista prædicat quod Deus circumcidendi ritum indixerit in æternum ? Nascendi et generandi successio æterna non erit, et circumcidendi lex æterna esse poterit ? Quid ergo ? Ipsa Scripturæ verba melius inspiciamus,ne ullatenus excusabiles illos esse suspicemur. Quid Deus voluit esse æternum ? Quid statuit ut esset sempiternum ? Pactum suum,fœdus suum.Quod est illud fœdus ? quod est illud pactum ? Nunquid ipsa circumcisio fœdus est aut pactum ? Non utique, sed est fœderis vel pacti signum. Cum

enim dixisset Deus : « circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri (*Gen.* XVII), » statim addidit : « ut sit signum fœderis inter me et vos. » Non ergo circumcisio fœdus, sed signum fœderis est. Quantum distat inter testatoris scriptum, et ipsius quod impressit sigillum, tantum distare certum est inter eam quæ ad Abraham facta est seminis, quod est Christus, promissionem, et ipsam circumcisionem. Promissio namque seminis, occurrente alacriter fide Abrahæ, pactum vel fœdus est ; circumcisio vero, signum fœderis est.

Et, pactum quidem dixit Deus fore sempiternum : cum autem dixisset, « ut signum fœderis inter me et vos, non addidit, æternum. Tunc enim fortasse recte intelligi utcunque posset, quod circumcisio in æternum exercenda esset : quod tamen sic impossibile est, sicut generandi vel nascendi successionem æternam esse verum non est. Nunc autem pactum quidem æternum est, quia semen æternum promissum et creditum atque datum est ; circumcisio vero, quæ pacti vel fœderis signum est, nec æternaliter exerceri potest : nec jam, postquam illud semen quod promissum fuerat venit, exerceri debet. Quæritur adhuc cur sancti Patres ante adventum Christi non introibant in regnum Dei ? Nonne per eamdem fidem fuerant justificati et ipsi ? Ad quod respondemus : Cur sacramenti sanctæ Ecclesiæ, v. g. corporis et sanguinis Domini communioni ad admittuntur catechumeni nostri ? Nonne corde credunt, et ore confitentur fidem Christi ? (*Rom.* X.) Videlicet, inquis, quia nondum sacro fonte sunt regenerati. Ita plane veteres sancti idcirco ab illa cœlesti Ecclesia non debebant in communionem gloriæ et visionis Dei recipi : nec fas erat ut inter candorem innocentiæ vel charitatis angelicæ reciperentur qualescunque humani generis justitiæ, quæ omnes, testante Isaia, sic erant, sicut « pannus menstruatæ (*Isa.* LXIV), » nisi prius lotæ essent sanguinis et aquæ de Christi latere profluentis inundatione. Adhuc nihilominus adversarius Judæus objicit : Cum ipse qui vobis baptismum dedit, Christus vester circumcisus sit, qua ratione circumcisionem excluditis, ut non exemplo ejus circumcidamini, priusquam baptizemini ? Cur illud nostræ religionis non admittitis, quod in carne sua Christum vestrum admisisse negare non potestis ? Mirum si non et illud objiciant, cur non et par turturum, aut duos pullos columbarum offeramus in sacrificium pro parvulis nostris primogenitis, cum et ipse Christus noster hujusmodi hostia, secundum legem Moysi, mundatus sit (*Luc.* XXII). Verum prædictam objectionem, et omnium imprudentiam hominum ignorantiam, sanus sermo fidei jamdudum obmutescere fecit. Primo namque dicimus cum Apostolo Christum ministrum circumcisionis datum propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum (*Rom.* V) ; qui et idcirco sub lege factus est, et recte legaliter circumcisus est, ut circumcisus legitimus et irreprehensibilis minister salutis suæ gratiam prædicaret (*Galat.* IV). Deinde et hoc subjungimus : quia semen, quod Abrahæ promissum est (*Gen.* XV), ipse Christus est, semen unum, propter quod, donec veniret, generationes computatæ sunt, tribus et familiæ, cognationes ac domus seorsum distinctæ et diligenter observatæ sunt (*Matth.* I ; *Num.* XXXVI), ne cum Christus veniret, incertum esset quin de semine Abrahæ de tribu Juda, de familia Phares, de domo David cujus fidei nihilominus fuerat repromissus, existeret (*Psal.* LXXXVIII). At ipse Christus neminem secundum carnem genuit, sed æterna virginitate carnem suam continens, generationes carnis Abrahæ in se uno semine, quod illi repromissum fuerat, consummatas ostendit. Et, si rite attendas, verbum promissionis ultra hoc semen Abrahæ, quod est Christus, nulla genealogia carnis ejusdem Abrahæ protendi jam debet aut supputari. Igitur sicut Christus neminem secundum carnem genuit, ita consequenter neminem secundum carnem circumcidere debuit. Ab eis, de quibus secundum carnem natus est, recte secundum carnem et circumcisus est, recte nihilominus neminem nostrum secundum carnem circumcidit, quorum neminem secundum carnem genuit. Ubi Christus hæres æternus datus est, protinus sicut generatio carnis in illo desiit, sic et circumcisio carnis jure deficit. Alterius, id est, spiritualis genealogiæ principium ipse, ac proinde alterius quoque sacramenti nobis auctor est. Secundo namque, imo jam tertio, nobiscum Deus in Christo pepigit fœdus. Et nota diligenter fœderis quod cum hominibus pepigit, fœderis, inquam, ejus ternarium nota diligenter incrementum. Primo namque cum Noe ; secundo cum Abraham ; tertio **135** pepigit cum semine ejus, quod est Christus. Et secundum rem fidemque singulorum variavit, vel magis ac magis prope fecit in singulis fœderis sui signum. Siquidem Noe, quia dicente Deo futurum credidit diluvium, credensque obedivit in fabricando arcam, et fecit omnia quæcumque præcepit ei Deus, accepit signum secundum rem fidemque suam congruum (*Gen.* VI), scilicet arcum in nubibus cœli positum, dicente Deo : « Ponam arcum meum in nubibus cœli et erit signum fœderis inter me et inter terram, et recordabor fœderis mei quod pepigi tecum (*ibid.* IX) ; » quia videlicet potissimum de nubibus defluxit ipsum quod, loquente Deo, futurum crediderat diluvium. Abraham vero, quia credens obedivit Deo præcipienti, ut egrederetur de terra et de cognatione sua, et promittendi quod benedicens benediceret, et multiplicaret eum, et quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes (*ibid.* XII), signum accepit fœderis Dei, non jam extra se (sicut Noe, qui accepit in nubibus), sed in semetipso ; verumtamen in carne exterius, in ea duntaxat corporis parte, per quam, ut supra dictum est, semen traducitur ; congrue scilicet, quia in seminis promissione non dubitaverat fide confortatus (*ibid.* XVII). Christus

tandem, quia non solum fideliter, sed et scienter serviens (nihil enim ignorare poterat), » factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II), » accepit, imo et dedit fœderis æterni signum sempiternum, jam neque extra hominem, nec in parte hominis ponendum, sed quo totus homo intus et exterius, visibili sacramento, pariter et invisibili virtute regeneratur et sanctificatur. De quo ut pertractemus, jam ad ipsa lectionis Evangelicæ verba redeamus.

« Nisi quis renatus fuerit, inquit, ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. » Et qui verba Dei ponderare novit, et claro intuitu splendorem divini agnoscit eloquii, longe circumspectius dictum esse liquet : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, » quam si dictum esset : Nisi quis fuerit baptizatus. Nam videtur quidem idipsum significare baptizatus, quod renatus ex aqua et spiritu, verum nonnihil differt. Etenim baptizatus quidem est omnis qui renatus est ex aqua et spiritu, sed non e converso, omnis qui baptizatus est, ex Spiritu quoque renatus est. Quod ut manifestum sit, quærenda est in primis definitio renati. Renatus vero ille est, qui spiritu mentis suæ renovatus est, qui veterem hominem cum actibus ejus exuit, et induit novum, qui secundum Deus creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes*, IV). Sed multi illorum qui baptizantur aqua, spiritu mentis suæ non renovantur, non deponentes veteris hominis actus, quamvis in aqua demersi, novum se hominem induere profiteantur. Provide ergo Veritas loquitur, dum mavult dicere : « Nisi quis fuerit renatus, » quam, nisi quis fuerit baptizatus.

Qua propter ut Simon Magus baptizatus quidem aqua est, sed Spiritu sancto baptizatus non est (*Act.* VIII) ; « sanctus enim Spiritus disciplinæ effugit illum fictum (*Sap*, I), » ac proinde baptizatus quidem, sed non renatus dici potest : sic et alii multi baptizantur quidem, sed non renascuntur, ac proinde malis fetibus recte comparantur ; qui utero quidem concipiuntur, sed non vivificantur, aut vitam inspiratam protinus amittentes abortivi projiciuntur, Et isti quidem illis quoque assimilantur, qui transito mari Rubro in deserto prostrati sunt, et repromissionis terram non introierunt (*Num.* XIV). Illi autem qui ex aqua et Spiritu sancto renati, regnum Dei perseveranter introeunt, illis similes sunt, qui mari Rubro et Jordane quoque transito, terram promissionis, præliorum virtutibus victores obtinuerunt. Illi quoque qui ab hæreticis baptizantur, baptizati quidem sunt, nec eis repetitur lavacrum carnis ; renati tamen nequaquam sunt, qui jam mortui prodeunt, sed nec unquam vixerunt (*Joan.* XII). Unde nec saltem illis fetibus comparantur, qui vivificati in materno utero moriuntur antequam proferentur. Qui tamen, si ad unitatem Ecclesiæ revertantur, et per confessionem Catholicæ fidei, matri unicæ Ecclesiæ subjiciuntur, tunc eo, qui in illa sola est, Christi Spiritu vivificantur, et sic inter eos qui ad videndum regnum Dei renati sunt, ipsi quoque computantur. Tantummodo quasi natalibus differunt ab eis, qui in Catholica fide et Ecclesiæ baptizati sunt ; sed ad regni ejusdem consortium perveniunt. Quemadmodum Gad et Aser, Dan et Nephtalim, de ancillis quidem obscurius nati sunt, sed tamen in divisione terræ, nihilominus æquum distributionis funiculum sortiti sunt. Jam nunc audita propositione, quia, quid necessarium sit ad videndum regnum Dei, Veritas exposuit (*Ibid.* XVI) ; rationem audiamus, quam subintulit eidem suo, quem erudiendum susceperat, auditori. Sequitur :

« Quod natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spriritu, spiritus est. » Bonus doctor, cui non opus est ut quis eum interroget, non exspectavit ut eum Nicodemus interrogaret : Quare nemo, nisi renatus, possit introire in regnum Dei, sed ultro subtilem valde subtiliter rationem reddidit : « Quod natum est, inquit, ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est. » Hæc ratio prudentem et acutum auditorem desiderat. Quia audita hac, tanquam cœlestis dialectici, propositione, protinus eodem spiritu, quo renatus est, suggerente, assumat, et dicat : Sed omnes homines ex carne nati sunt, ex carne peccatrice, Deum nesciente, mundum diligente, post concupiscentias suas eunte (*Rom.* VII). Regnum autem Dei totum in Spiritu sancto est, totum in spiritu constat et veritate (I *Joan.* II), nihil habet terrenum, nihil admittit caducum, nihil vanum habet aut ineptum (*Luc.* XVII ; *Joan.* IV ; *Rom.* VIII). Ante omnia tu qui hæc loqueris Rex atque Imperator hujus regni Dei, ex carne quidem natus est, sed non de carne sola. Nam de Spiritus sancto ex carne virginea conceptus et natus es. Proinde tu caro quidem et vera caro es, quia ex carne natus es ; sed et spiritus es, quia de Spiritu sancto conceptus es. Cæteri homines tantum caro sunt, quia de sola carne concepti et nati sunt. Cum ita assumpseris tu quisquis es, concludit ille sic : Ergo, inquit.

Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. » Non, inquit, mireris, nam potius mirandum esset, si dixissem hominem non renatum posse introire in regnum Dei : Homo enim non renatus caro est ; regnum vero Dei spiritus est. Hæc autem, scilicet caro et spiritus, contraria sunt, et hæc, inquit Apostolus, sibi invicem adversantur (*Galat.* V). Quorum altercantium et invicem adversantium rixam impacatam, homo non renatus non sentit ; quia videlicet totus caro est, nihil habens de spiritu adversario carnis. Ubi autem renatus est, et in hac nova generatione adolescit, graves experitur pugnas carnis ac spiritus. Quia condelectabatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, et captivum se ducentem in lege peccati, quæ est in membris suis, et ingemiscens dicit : « Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » (*Rom.* VII.) Quem sic jugiter claman-

tem, cum liberaverit gratia Dei, adhuc vivens jam non est in carne, nescit passiones, quæ per carnem ejus erant operantes, et si quid submurmurat ancilla superba, protinus a domina sua ratione **136** districtæ affligitur. Cum igitur homo non renatus, ut prædictum est, caro sit, Dei vero regnum spiritus sit, caro autem et spiritus contraria sint, et sibi invicem adversentur. « Non mireris, inquit Dominus, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. » Magis enim mirandum esset, si dixissem : hominem non renatum, qui ex carne natus est, et caro est, posse introire in regnum Dei, quod totum spiritus, id est, spirituale est.

Poterat Nicodemus (utpote rudis et hujus nativitatis gratiam non expertus) respondere ad hæc : Quid ergo poterit in regnum Dei introire ? Sic enim et discipuli Jesu, cum dixisset ipse : « Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitias habentem introire in regnum cœlorum (*Matth.* XIX), » audientes mirabantur, dicentes : « Quis ergo poterit salvus esse ? » Quorum spei fluctuanti statim subveniens, inquit : « Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt (*Luc.* XVIII). » Ita ergo poterat et hic decidere a spe regni Dei, putando impossibile esse de Spiritu sancto renasci. Unde enim possibile esse putaret homini visibili, ut nasceretur de spiritu invisibili ? Nam et hoc apud homines impossibile est. Igitur quia « apud homines quidem hoc impossibile est, apud Deum autem et hoc et omnia possibilia sunt, » protinus adjungit : « Spiritus ubi vult spirat. » Quo dicto gratiam simul et potentiam Spiritus sancti commendat. Nam quod non debet, et vult, gratia est ; quod « qui vult spirat, » omnipotentia est. Et revera nulli hominum quidquam debet hic Spiritus, quia cunctorum pater Adam primus prævaricatus est, et justa lege, Dei regno, de quo nunc agitur, exhæredatus est. Cumque omnibus regnum Dei juste clausum fuerit, quod quibusdam aperitur regenerante hoc spiritu gratuitæ misericordiæ, vel misericordis gratiæ est ; quod vero quibusdam non aperitur, justæ vindictæ vel vindicis justitiæ est. Ait ergo : « Spiritus ubi vult spirat. » Ac si dicat : Ne dicas in corde tuo, quis ascendet in cœlum (*Deut.* XXX), hunc Spiritum sanctum deducere, ut in illo possimus renasci, et sic in regnum Dei introire ? ipse enim gratis et ultro dignatur, et potest aspirare. Qui mox, ut virtute sua, qua « ubi vult spirat, » emiserit se super aquas, mirificum agit opus suæ potentiæ, ut elementum inanimatum vivificetur, non quidem vita animali, sed virtute spirituali, fiatque janua regni Dei, fiat torus cœlestis gratiæ, fiatque venter supernæ Matris Ecclesiæ.

Quod enim agunt viscera materna, ut susceptum semen coalescat et vivificetur, hoc agit elementum hoc superveniente sancto Spiritu, ut homo natus de massa perditionis et mortis, renascatur in cœlum viventium et populum acquisitionis (*Ephes.* II). Et hoc quidem modo æque cunctis aspirat, æque cunctos regenerat, æqualiter universis remissionem peccatorum dat (*I Petr.* II). » Deinde vero dona gratiarum non omnibus æqualia vel eadem dat, sed aspirat singulis quando vult, et quomodo vult, et dividit singulis prout vult, alii dans sermonem sapientiæ, alii genera linguarum, alii discretionem spirituum (*I Cor.* XII), etc. Quo facto, non cessat novus homo, qui renatus est, loqui de regno Dei, cui renatus est, invocare Patrem, a quo regeneratus est, annuntiare verbum, quo refectus est, confiteri in Spiritu sancto quo renovatus est. Unde et nunc Dominus, cum dixisset : « Spiritus ubi vult spirat, » statim addidit :

« Et vocem ejus, audis, sed non scis unde veniat, aut quo vadat. » Hoc tunc singulariter Nicodemo dictum est, et indubitanter vere dictum est. Vox enim ista quam tunc ille audiebat, dicentis : « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei, » etc., vox erat, imo vox est Spiritus sancti, de quo conceptus est hic homo novus, homo cœlestis qui hæc loquitur, hujus ad similitudinem nos omnes renasci oportet eodem Spiritu (*Ephes.* IV), ut regnum ipsius videre possimus. Vox plane hæc est Spiritus sancti. Non enim carnalia dicit, sed spiritualia ; non humana, sed divina ; non terrena loquitur, sed cœlestia (*I Cor.* XV). Nescit autem Nicodemus unde veniat, aut quo vadat ; quia videlicet quo ex tempore, quanta plenitudine super hunc per quem ista loquitur, idem Spiritus requiescat, quale ad regnum, vel quali ordine illum perducere disponat, penitus ignorat. Non enim novit adhuc quod ex ipso suæ conceptionis initio septiformi spiritu hic homo sanctificatus sit, quodque eo perventurus sit, ut per eumdem Spiritum sanctum semetipsum offerat Deo, pro omni mundo hostiam vivam in odorem suavitatis, et tali ordine hoc effecturus sit, ut ex aqua et eodem spiritu renati possimus introire regnum Dei. Bene ergo huic ait, « et nescis unde veniat, aut quo vadat, » quia mysteriorum ejus ignarus, spirituale regnum Dei carnaliter exspectabat. Veruntamen hoc et de singulis sentiendum est hominibus juxta rationem vel mensuram donorum, quæ operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult (*ibid.* [XII). Cum enim quempiam habentem aliquid donorum ejusmodi loquentem sive prophetantem audimus, vocem quidem Spiritus audimus, quia spiritualia esse quæ dicit, sentimus ; sed nescimus unde veniat, aut quo vadat, quia videlicet notum nobis non est quande vel quomodo is qui loquitur gratiam acceperit loquendi mysteria, vel quem ad finem sive fructum processura sit eadem, qua nunc videtur donatus esse, gratia. Unde et protinus subditur :

« Sic et omnis qui natus est ex spiritu. » Parum autem dictum est. Nam non solum is qui audit vocem ejus, nescit unde veniat spiritus, aut quo vadat ; verum ibidem ipse qui loquitur, nescit unde vel quibus ex meritis Spiritum acceperit. Nescit et quo vadat,

id est ignorat, utrum æternam accepturus sit gratiam pro ista temporali gratia. « Nescit enim homo finem suum (*Eccle.* x), » et omnia in futurum tempus reservantur incerta. Paulus quoque non arbitratur se comprehendisse (*Philipp.* III), et omnino « nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit (*Eccles.* IX). »

« Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo possunt hæc fieri? » Non ut incredulus, qualiter hæc fieri valeant, inquirit ; sed certus complenda esse, quæ a tanto magistro audiebat (quippe quem a Deo venisse magistrum modo confessus est) quo ista fieri modo vel ordine possint, sibi postulat exponi. Et quidem poterat Dominus omnia, quæ dixerat, ab eo loco quo ait : « Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud (*Joan.* II), » manifestius exponere huic discipulo suo, verbi gratia sic dicendo : Hoc corpus meum templum illud est, de quo dixi Judæis : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Solvent enim illud, non quidem jussi, sed permissi ; solvent, inquam, per violentiam passionis et crucis. Tunc lancea patefaciet latus templi hujus, et aqua cum sanguine egredietur, et omnes ad quos pervenerit aqua ista, salvi fient (*ibid.* XIX ; *Ezech.* XLVII). Perveniet autem et ad mortuos omnes electos invisibilis virtus ejus, videlicet quorum salutis causa et hoc templum corporis mei solvi permittitur. Et hæc aqua cum sanguine perveniet ad vivos quoque omnes, qui credoturi sunt in me. Ego cum in tribus diebus hoc templum excitavero, id est, a mortuis resurrexero, daturus sum hujus, de qua nunc loquor, necessariæ regenerationis regulam, dicendo : « Euntes, docete omnes gentes, **137** baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matt.* XXVIII). » Cum hujus nominis invocatione perveniet ad illos aqua ista, et salvi fient. Cum hac enim dabitur, tam mortuis quam vivis, spiritus remissionis : ut sicut et in corporeis cogitationibus et corporeis quinque sensibus peccatum admissum est, ita corporeo elemento aquæ, et incorporeo spiritu emundentur. Aliter enim aperiri non potest regni Dei introitus. Hoc nimirum modo sua dicta manifestius illi exponere poterat. Verum nec huic adeo credebat Jesus semetipsum, sciens quod nec ipse posset talia portare. Nam de hujusmodi suis quoque apostolis ait : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo (*Joan.* XVI). » His ergo pro tempore suppressis, ait : « Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ? » Opportune non hujus tantum, sed et omnium Scribarum et Pharisæorum, qui « sedebant super cathedram Moysi (*Matth.* XXIII), » supercilium decutit. Quia videlicet amantes primas cathedras in synagogis, et vocari ab hominibus Rabbi, ipsarum profecto, quarum profitebantur magisterium, verum non habebant intellectum Scripturarum. Si enim veri magistri essent in Israel, Scripturarum notitiam haberent, quomodo hæc ignorarent? Quid enim aliud legebant, v. g., et in Ezechiele dicente : » Tollam vos de

A gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et dabo vobis spiritum novum (*Ezech.* XXXVI). Quid, rogo, aliud scriptura hæc loquitur quam idipsum quod nunc ait Dominus : « Oportet vos renasci ex aqua et Spiritu ? » Quam vero terram promittit post effusionem aquæ et spiritus, dicens : Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris, nisi regnum Dei ? quod nunc ait, aliter introire non possemus, nisi sic renati. Idem ergo est ac si dixisset : Nisi prius effundam super ergo est ac si divisset ; Nisi prius effundam super medio vestri, non habitabitis in terra quam dedi patribus vestris : imo non introibitis in regnum Dei,
B quod dederam quondam primis parentibus vestris (*Gen.* II). Item in Ezechiele (*Cap.* XLVII), quæ sunt aquæ de templo a latere dextro egredientes, quibus cæteræ aquæ sanantur, et pisces magni creantur, nisi aquæ baptismi, et dona Spiritus sancti quibus de Christi et Ecclesiæ ejus templo profluentibus sanantur et renascuntur omnes populi, ut possint introire in regnum Dei? Omitto quod de hac eadem baptismi regeneratione loquens Zacharias : « Et erit, inquit, fons domus David potens in ablutionem menstruatæ (*Zach.* XIII), » et cætera talia quæ sparsim in Scripturis inveniuntur : quæ omnia Scribæ et Pharisæi, quorum unus hic erat, ignorantes, falso magistrorum nomen et locum arrogare comprobantur, dicente Domino : « Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ? Quod enim uni
C dicit, omnibus dicit ; quod idem est ac si diceret : Tu ignoras hæc, et magister es in Israel ? A quorum præsumptione discipulos suos reprimens ait : « Nec vocemini magistri, quia magistsr vester unus est Christus (*Matth.* XXIII). » Vere enim unus et solus magister noster est Christus, « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Col.* II), » qui discipulorum suorum sensu per Spiritum sanctum aperuit, ut intelligerent Scripturas, qui « abscondidit hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis (*Luc.* X ; *Matth.* XI). » De cujus magisterii sui veritate protinus subdit : « Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. » Notandum quod cum supra vel infra sin-
D gulariter loquitur : « Amen, amen dico tibi, » etc., in hoc duntaxat versiculo pluraliter loqui maluit : « quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, » etc. Videlicet quia testari se profitetur, et loquelam suam testimonium nuncupat : testimonium autem unius legitimum non est, sed in ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Recte ergo non ait : et quod vidi, hoc testor, et testimonium meum non accipitis ; sed « quod vidimus testamur, et testimonium nostrorum non accipitis,» seipsum et Patrem intelligi volens, sicut et alibi dicit : « Ego sum qui testimoinum perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater

(*Joan.* VIII). » Et est sensus : Non, inquit, sicut Magistri, Scribæ et Pharisæi, ex quibus es tu, qui tulerunt clavem scientiæ, et nec ipsi introeunt, nec alios introire permittunt (*Luc.* XI) : non ita nos ex conjecturali præsumptione, sicut hi, qui a semetipsis loquuntur, propriam quærentes gloriam, et de cordibus suis prophetant. Sed « quod scimus et quod vidimus » rem certam in veritate existentem, verum Scripturarum sensum (quarum profitemur magisterium) « loquimur et testamur. » Quid enim nescit, quid non videt una Patris et Filii Divinitas, in qua consistunt omnia, quæ regit et implet omnia ? Illud quoque non prætereundum, quod cum uni loquatur Nicodemo, non singulariter ait, ut in cæteris, et testimonium nostrum non accipis, sed « testimonium nostrum non accipitis, » inquit, subaudis : Vos Scribæ et Pharisæi, qui in hoc solum vos sapientes et magistros arbitramini, quod vocamini ab hominibus Rabbi, et famæ vestræ detrimentum pati metuentes, doctrinam audire, veritati acquiescere dedignamini. Videlicet hoc illi singulariter dicendum non erat, qui ex ipsis quidem erat, sed ex ipsis exiens, hunc ut magistrum qui a Deo venisset, audire desiderabat. Illos autem nolle suum accipere testimonium, argumentando probat, dicens : « Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis ? » Ac si dicat : Terrena sunt, templum manufactum solvi, et illud in tribus diebus reædificari. Terrena, inquam, sunt, vestro sensu, id est, sic accepta, quomodo verba sonant exterius, ultra quæ vester non ascendit sensus terrenus. Sed vos ista non creditis a me tam brevi temporis spatio posse fieri, videlicet nescientes me Verbum esse, per quod mundus et omnia quæ in mundo sunt in sex diebus condita sunt. Hoc, ut dixi, non creditis a me tam cito posse fieri, quod licet majori spatio, id est quadraginta et sex annis, ab hominibus factum, et idcirco opus terrenum est. Revera autem cœlestia sunt hæc, quia cœleste templum est, quia cœlitus ædificatum est, quia non manufactum, sed a Deo conditum est. Quomodo ergo, si dixero vobis, vos illud crucifigenda solvetis, et ego in tribus diebus reædificabo, resurgendo a mortuis, et extunc incipient homines renasci, resurgendo et ipsi a peccatis suis : si hæc et cætera his similia, quæ vere cœlestia sunt, dixero vobis, credetis ? Sequitur : « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. » Et hoc, inquit, « Amen, » id est, vere dico tibi, vel idipsum quod jam dixi tibi, neminem nisi renatum ex aqua et Spiritu sancto posse introire in regnum Dei : rursus æquipollenti ratione confirmo tibi quia « nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. » Idcirco expedit universis, ut renascendo ex aqua et Spiritu induant Filium hominis (*I Cor.* XV), vel incorporentur illi, ut quia ex carne nati sunt, quia caro sunt, idcirco in cœlum ascendere non possunt, leventur illuc ab eo qui solus ascendere potest in A cœlum : et quomodo caput membra **138** sequuntur, et « ubicunque fuerit corpus, illuc et aquilæ congregantur (*Matth.* XXIV ; *Luc.* XVII), » ita quicunque renascendo ex aqua et Spiritu sancto Christum induunt, et Christo incorporantur, vehiculo divinitatis ejus in cœlum subleventur, et cibo visionis ejus æterno pascantur. Hoc loco maxime Nestoriana hæresis geminato ictu percutitur : quæ Christum dividens, alium Filium Dei, alium volebat esse filium hominis. Quomodo enim filius hominis descendit de cœlo, cum quando missus est angelus Gabriel ad Virginem, et cum voce ejus Verbum Patris interiorem ejusdem virginis aurem penetravit (*Luc.* I), hactenus non filius hominis, sed erat tantummodo Filius Dei ? Et quomodo jam tunc erat in cœlo, ut B diceret, « Filius hominis, qui est in cœlo, » cum ista loquens duobus pedibus staret, aut forte complicatus sederet in terra ? Quomodo, quæso, et de cœlo descendit filius hominis, et in cœlo jam erat filius hominis, nisi quia cum Verbo, quod de cœlo descendit, una est persona, qui de terra sumptus est homo : et cum homine loquente in terra, Deus qui et in cœlo et ubique est, una eademque persona est ? Ergo qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos (*Ephes.* IV), unus idemque Filius Dei et filius homini : Qui et ex eo ascendere potuit, quia non, ut hæretici blasphemare ausi sunt, ex Maria initium sumpsit, sed de cælo, ubi ante Mariam fuerat, in illam descendit. Hæc autem omnia Nicodemo dicebantur, ut interim clausa, tanquam sub velamine tegerentur, quia modus quo hæc C fieri possent, illo etiam quærente, non exprimebatur. Nam revera nox erat, et ob hoc dicta hæc vel quæcunque similia congerebantur, ut orto die, id est clarificato Jesu per resurrectionem et ascensionem ipsius dicta factis, imo dicta et facta Scripturis conferrentur, et tunc demum opportune intelligerentur. Hoc sane in gratia labiorum ejus venerandum est, quod cum dicere potuisset : nemo ascendit in cœlum, nisi ego qui sum in cœlo, sicut in sequentibus ait : « ita exaltari oportet filium hominis, » cum dicere potuissst, ita me oportet exaltari, sicut et in cæteris pene omnibus locis, familiare est ori ejus, appellare se filium hominis. Et quidem cum hac appellatione, melius humilitatis suavitatem dicta ejus redolent. Quo exemplo docemur nos quoque D viciniores jactantiæ voces devitare. Verum et præter hoc est aliud, quod in hoc nomine filii hominis rememorantes amplius delectemur. Etenim proximum atque fratrum nostrorum sese vult intelligi, tam frequentem habens in ore suo appellationem filii hominis. Et procul dubio magis modo sese indicat nobis affinem, quam si se appellaret tantum hominem. Quod ut indubitanter pateat, operæ pretium est respondere his quærere solent : cur Deus ob restaurationem generis humani hominem assumens, non de terra plasmavit, quem assumeret, ex qua fecerat Adam, sed ex genere ejusdem Adam, ex massa perdita, veram sumpsit hominis naturam.

de semine Abrahæ, de stirpe David, de carne vel semine Mariæ, licet virginis? Ad hoc breviter respondere libet, quia poterat quidem de terra, quem sibi assumeret, plasmare novum hominem, et esse quidem caro et sanguis, sed non nostra caro, neque noster sanguis: homo quidem, sed non proximus nobis; homo plane, sed non filius hominis. Quapropter nec tam justa esset causa nostræ redemptionis: quippe, cum non eadem peccatum expiaret caro quæ peccatum admisit, nec tam recte nostra reputaretur justitia unius hominis, utpote ignoti et a genere nostro alieni. Nunc autem «misericordia et pax obviaverunt sibi (*Psal.* LXXXIV), » quia nos in uno eodemque Christo, et misericorditer divinitas requisivit, et juste nostra caro reconciliavit, cum idem Deus et homo, creator et proximus noster sit. Hoc igitur nobis congrue cognato affectu loquitur in gratia, quæ « diffusa est in labiis ejus (*Psal.* LIV), » cum tam crebro tamque familiariter se appellat filium hominis, ut uni et eidem Christo, tanquam Creatori nostro, debitum timorem et honorem exhibeamus: et tanquam proximo occurramus cum fiducia dilectionis. Sequitur: « Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. » Ecce qualem vitam, qualem introitum uni, exspectanti regnum Dei, et in illo uno omnibus qui exspectant, vel quærunt illud, paulatim Salvator ostendit. Dixerat, non nisi renatum posse quemquam videre regnum Dei: renatum autem non undecunque, sed ex aqua et Spiritu sancto spirante ubi voluerit, etc. Magna quidem et alta, quæ tamen nondum Nicodemum altius provexerant, ut plus de ido æstimarent, quam primo confessus est, dicens: « Scimus quia a Deo venisti magister. » Nunc autem quod se auditurum non sperabat audire incipit, scilicet quod hic idem magister, non homo tantum, sed et Deus sit. In quem enim alium, quam in Deum credere oportet, imo in quem, nisi in solum Deum credere perniciosum non est? Hic autem qui a Deo venit magister, oportere in seipsum credere, manifeste docet: « ut omnis, inquit, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Igitur palam de seipso testatur, quia Deus est. Ipse quoque divinitatis suæ attestatione perpende, quantam humilitatem redoleat, cum sit altissima professio: « Sicut exaltavit, inquit, Moyses serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis. » Serpentem in figuram sui factum fuisse consentit (*Num.* XXI), imo serpentem fieri se præcepisse testatur in figuram sui. Quis enim hoc et cætera fecit, vel fieri præcepit, nisi Deus, nisi Verbum Dei? Hic autem homo, hic ipse Christus, qui hæc loquitur, Verbum Domini est, quod ad Moysen et ad omnes sanctos prophetas factum est. Ipse idem ergo, qui fieri mandavit, factum esse testatur in similitudinem sui. Nota historia est: Locutus populus contra Moysen et Dominum, quia tædebat eos itineris, ac laboris: Cur, inquit, eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? (*Ibid.*) Quamobrem immisit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum morsus et plagas plurimum cum clamarent ad Moysen, et ille oraret ad Dominum: « Fac, inquit Dominus, serpentem æneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet; quod et factum est (*Ibid.*). » Hujus signi sui recordata humilitas, quæ ut nos ad cœlum levaret, semetipsam ad terram deposuit. » Sicut exaltavit, inquit, Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Signi ergo ejusdem similitudo, quæ illa nocte Nicodemo prædicta vel commemorata est, nobis in clara die perspicienda tunc est. Et quidem plura sunt quæ similitudinem exaltationis hujus filii hominis perficiunt. Primum, quod contra morsum serpentum signum datum est; deinde quod non qualecunque signum, sed serpentis simulacrum propositum est; tertio, quod non lapideum aut ligneum, sed æneum factum est; quarto, quod aspicientibus solo visu remedium conferebat. Hæc enim omnia Domini nostri Principis et Salvatoris, ad dandam pœnitentiam et remissionem peccatorum exaltati, quamdam similitudinem perficiunt. Morsus enim **139** serpentum, peccata sunt, quibus plagatum est humanum genus, ex quo primum hominem per serpentem decepit diabolus, quo contra signum datum est, scilicet ipse, qui hic de seipso loquitur Christus. De quo dixit Simeon cum teneret eum in ulnis suis: « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur (*Luc.* II). » Quomodo autem, vel a quibus huic signo contradictum est? Videlicet maxime a Judæis illi contradictum est, dicentibus illum esse magum, maleficum, seductorem (*Matth.* XXVII; *Joan.* VII) et hoc inclamando tandiu persisterunt, donec illum in crucem exaltatum, juxta quod propheta prædixerat, inter sceleratos reputarent (*Isa.* LIII; *Marc.* XV). Ergo serpentis similitudo quædam exstitit, quia nihil aliud de illo dici vel æstimari volebant, nisi magus est, seductor est. Et ipse quidem talis dici et judicari potuit, sed quemadmodum serpens ille forma quidem, imo effigie sola serpens erat, serpentis autem venenum non habebat, ita ipse in similitudine carnis peccati damnatus hominum judicio, et crucifixus est inter peccatores, aut maleficos, sed peccatum non fecit, « nec dolus inventus in ore ejus (*I Petr.* II; *Isa.* LIII). » Hoc idem intelligendum esset, si ligneus aut lapideus serpens factus fuisset. Verumtamen hoc ad mysterium amplius valet, quod æneus fieri jussus est; tum, quia ut tale simulacrum fieret, non ferro cædente, sed igni conflante actum est; tum, quia natura æri valde sonora est: præterea, quia diuturnum est et rubigine corrumpi difficillime potest. Nam Deus homo, non mortali opere, sed veri ignis conflatione, id est, sancti Spiritus operatone conceptus est; et cum hominibus loquens, non ut veri serpentes, id est, susurrones aut detractores, occulte aliquid

insibilabat, sed tanquam æneus ore clauso serpens, publice prædicabat. Sicut ipse de seipso perhibuit: « Ego palam locutus sum mundo, et in occulto locutus sum nihil (*Joan.* XVIII). » Et caro ejus, tanquam ærea, nulla cujuslibet vitii rubigine solubilis exstitit. Ad summum, totius perfectio similitudinis in hoc est, quod sicut de illo æneo serpente dictum est: « Qui percussus aspexerit eum, vivet (*Num.* XXI); » ita et hic de Filio hominis: « Ut omnis, inquit, qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. » Hæc similitudo in tantum valet apud fidelem populum, desiderantem vivere, abolitis spiritualium morsibus serpentium, ut, sicut serpens ille visibiliter pro signo exaltatus est, et corporalibus aspiciebatur oculis, ita corporaliter quoque Ecclesia exaltet signum hujus Filii hominis; et mente sequens atque explorans absconditum in cœlo, corporeis quoque oculis inhæreat visibili ejus signo. Quod Judæi videntes irascuntur, quia videlicet atroci conscientia dissecantur, dum scelus eorum hoc etiam modo maxime publicatur, et in nullo terrarum angulo latere sinitur. Irascuntur ergo et contra nos cantitant: « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. » Ac deinceps: « Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis (*Psal.* CXIII). » Et quidem Davidicum se putant cantare canticum. Sed revera, quoties hæc dicunt, secundum intentionem ipsorum serpentina sibila sunt (*Ibid.* CXXXIX). Sibilant adversus Dominum et adversus Christum ejus; contra Filium hominis et contra signum ejus. Sed non terreant nos, non nos absterreant, neque avertant oculos nostros, quominus aspiciamus mente Christum, et oculis reverentibus ejus signum, ut evadamus morsus serpentium, per ora ipsorum blasphema sibilantium (*Num.* XXI; *Jud.* V). « Simulacra, inquiunt, gentium argentum et aurum; » concedimus quia sunt argentum et aurum, id est, sine sensu, sine anima sunt, sicut argentum et aurum. Sed quid ad nos? imo quid ad exaltatum et jure exaltandum hoc Filii hominis signum? nunquid impugnatur per illud Davidicum canticum? Absit. Non enim est simulacrum gentium. Simulacra gentium fuerunt idola Beelphegor, sive Baal et Astaroth (*IV Reg.* XXIII), cæterorumque mortuorum, quæ patres istorum commisti inter gentes adoraverunt, mentientes, quia deos illos esse vel fuisse dixerunt. Item simulacra Jovis et Neptuni, Martis et Mercurii, sive Saturni ac Veneris, cæterorumque idolorum portenta, simulacra gentium fuerunt, tantummodo aurum erant et argumentum. Hoc autem exaltati Filii hominis est signum, quod gentes ignoraverunt, quod nesciebamus nos, cum essemus gentes, ad simulacra muta prout ducebamur euntes (*I Cor.* XII). Hoc vero signum non est tantummodo aurum et argentum, sed est veritatis signum (*Matth.* XXVII). Hoc illi balbutiant vipereis infantulis suis, quibus thesaurizaverunt sanguinem Christi. Hoc patres categorizent infelicibus puerulis suis, « sicut David, putantes se habere vasa cantici

A (*Amos.* VI) » et dicant: « Simulacra gentium argentum et aurum, » dictum intendentes in illas basilicas martyrum, ubi exaltatum esse sciunt tale Filii hominis signum, et dicant illis de hoc signo illud esse præcantatum, ut ab ore paterno perditi filii certatim imbibant odium Christi. Nobis autem idem Deus, cujus Propheta hoc dixit de simulacris gentium, nobis gentibus Deus idem per prophetam dicit de hoc signo Christianorum: « Ecce ego levo ad gentes manum meam, et ad populos, dicit Dominus, exaltabo signum meum, vultu in terram demisso adorabunt eum (*Isa.* XLIX). » Cantitent ergo quantum volunt, et sui [*alias* suo] ipsimet illaqueati cantico teneantur, dicentes: « Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis (*Psal.* CXIII), »
B sintque similes vitulo quem fecerunt in Horeb, et sculptili quod adoraverunt (*ibid.* CV). Quia vere mendacium coluerunt, et mendacium locuti sunt, dicentes: « Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti (*Exod.* III). » Illis jure similes sunt, videlicet oculos habentes et non videntes, aures habentes et non audientes (*Psal.* CXIII). Et ne se ab hoc maledicto immunes putent, et de aliis dictum existiment, non illis objicimus, quæ non recipiunt, Paulum apostolum dicentem: « Scimus, quia quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur (*Rom.* III), » potius Isaiam prophetam audiant, per quem loquitur Deus: « Educ foras populum cæcum et oculos habentem, surdum et aures ei sunt (*Isa.* XLIII). » Item. « Surdi, audite, et cæci, intuemini ad
C videndum. Qui cæcus, nisi servus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? » (*Ibid.* XLII.) Et ad summum, non solum simulacris suis, sed et Barabbæ latroni suo seditioso similes facti sunt, quem elegerunt, crucifigentes Regem suum pacificum, justeque homicidiis ac seditionibus pene consumpti ac dispersi sunt. Nos autem signo, quod adoramus, similes fieri non recusamus, videlicet ut sicut habitatores illorum dæmones, in aspectu hujus signi tremunt et fugiunt, ita cum quisque nostrum loquitur illis « inimicis suis in porta (*Psal.* CXXVI), » id est, in exitu vitæ præsentis, confundantur et subsistere non valeant, sed avolent longe corvi crocitantes, pœnamque nostram esurientes (*Isa.* IX), eamque consequi non valentes, cœlumque liberum ascendenti Christianæ animæ hoc signo insignitæ, eam
D citius derelinquunt. Igitur juxta aliud quoque prophetæ oraculum dicentis: « Et levate signum ad populos: Ecce Dominus auditum fecit ab extremis terræ (*Ibid.* LXII). » Visibiliter quoque exaltemus hoc signum, sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto ut non obliviscantur ejus populi, quia non expedit. Quid irascuntur? Ipsi quoque ab hoc dispersi **140** sunt in cunctis nationibus, ne quando populi Christum obliviscantur. Dicit enim ipse in Psalmo: « Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei. » Sed quid? « Disperge illos in virtute tua (*Psal.* LVIII). » Itaque licet irascantur, et captivitas ipsorum, et hujus

signi exaltatio ubique prædicabit Christum. Et ad hanc exaltationem maxime ivit scelus illorum. Si enim aliter Christum occidissent, nullo modo tam commode potuisset exaltari mortis ejus evidens signum (*Joan.* VIII). Si, ut aliquando conati sunt, lapidassent, aut de supercilio montis præcipitassent (*Luc.* IV), vel aliquo genere mortium, quibus prophetas occiderunt (*Matth.* XXIII), illum peremissent, longe minus evidenter mortis imaginatio proponi potuisset. Nunc autem in qualitate mortis et mentibus est miraculum audacissimi sceleris eorum, et oculis aptum atque evidens propositum imaginationis spectaculum. Vere igitur exaltatus est Filius hominis, quia sic oportuit, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Subjectam rationem contra hæreticos, quos maxime hic Evangelista destruens, divinitatis Christi testimonia conscribit, audiamus. Præmissa namque sententia, qua se exaltari oportere, et in se credendum esse pronuntiat, rationem auditor desiderat, quæ et Nicodemo præsenti satisfaciat, et hæreticorum, qui futuri erant, os obstruat. Ait ergo :

« Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. » Vix ex parte cognosci, vix per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII) potest videri nunc ars Magistri hujus, qui a Deo in eo venit, maxime dum insinuare vult, quis ipse aut unde natus sit, vel quam ob causam venerit. Cum enim dixisset se exaltari oportere, et in se credendum esse, rationem auditor tacitus exspectabat (qui in unum et solum Deum credendum esse non ignorabat ; quippe, qui princeps Judæorum erat) qua perdoceretur ut quid in Filium hominis credi oporteat. Nam si credendum in illo est, consequitur, quia Deus est. Hoc ergo consequebatur, ut diceret : « Quia Deus sum, quia Filius Dei sum; quia Dei Patris unigenitus sum. » Et hoc subjungit, sed cum tanto condimento sapientiæ et humilitatis, ut illum, non tam seipsum commendare vel gloriam propriam quærere, quam necessariam audientium salutem optare, manifestum sit. « Sic enim, inquit, Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » Nonne hoc dicens rationabiliter ostendit, idcirco in se Filium hominis credendum esse quia sit unigenitus Filius Dei, Patri consubstantialis ? Idcirco opportune repetit quod dixerat : « Ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. » Quantum habet gratiæ et pulchritudinis, quod dum causa necessaria poscit ut se fateatur esse Filium Dei, ostentationem declinans, imo declinando se esse quod erat insinuans, ad commendationem dilectionis Dei confugit dicens : Sic Deus dilexit mundum, » cum dicere posset : Tantus ego sum, ut credentem in me totum possim redimere mundum; tanta, inquit, dilectione Deus dilexit mundum, ut pro illo in pretium daret Filium suum unigenitum. Daret, inquit, id est traderet : Filio non parcens ut servum redimeret (*Rom.* VIII). Et quis dicere audeat illi : Quare sic fecisti ? Nunquid recte adversarius, qui mundum captivum tenuit, criminari potest, quod hæc tam misericors dilectio vel diligens misericordia sine justitia vel absque veritate sit ? Forte superbus angelus, cum dicimus : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas, audet movere pennam, et aperire os, et gannire (*Isa.* X) : » falsum est, inquiens. Nam quod « Deus sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, » misericordia sine veritate est, misericordia injusta est. Cui tam fortiter, quam fideliter in suam protervam et obscœnam faciem resistimus dicentes : Nunquid justum erat, ut Dei dilectio cujusquam hominis dilectione minor appareret ? Nonne pater noster Abraham, pater enim est noster, et omnium credentium, sive illorum qui ex circumcisione, sive illorum qui ex præputio sunt (*Rom.* IX ; *Gen.* XV) in quo justificatus est per fidem tradidit homo, erat ex illa massa, quæ tota in Adam perierat ? Ecce hic obtulit Deo filium suum, et non pepercit filio suo propter Deum. Nonne ergo salva justitia et veritate, Deus homini debitor esse voluit, ut et Deus propter hominem Filio suo non parceret, quia propter Deum homo filio suo non pepercit ? Ubi Deus accepta tanta justitiæ causa proclamat : « Per meipsum juravi, quia fecisti hanc rem et non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum, et possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, atque in te benedicentur omnes gentes terræ (*Gen.* XXII). » Quis dicere audet : Quare sic jurasti ? Quare apud hominem damnati generis juramento te obligasti, ut semen illi dare deberes, quod portas inimicorum suorum possideret, in quo benedicerentur omnes gentes ? (*Ibid.* XII). Nempe et si solius gratiæ vel misericordiæ est quod prius illum vocavit et hoc semen benedictionis promittens, de Hur Chaldæorum eduxit ; hoc sane jam veritatis quoque et justitiæ est, quod in tanta tentatione fideli et emerito, cum interpositione juramenti promisit atque complevit. Igitur tam verax quam misericors Deus, tam constanti veritate quam irreprehensibili misericordia, « sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, » id est, in altitudinem crucis exaltandum traderet, ut omnis qui credit in ipso, videlicet ejusdem patris Abrahæ fidem eamdem firmiter tenens, « non pereat, sed habeat vitam æternam. » Fide namque ille filium obtulit cum tentaretur ; et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est : « Quia in Isaac vocabitur tibi semen (*ibid.* XXI), arbitrans quia a mortuis suscitare potens est Deus (*Rom.* IV). » Qui igitur credit in Filium Dei unigenitum, quod Deus illum dederit, sicut promisit, et interemptum suscitaverit, et Principem ac Salvatorem exaltaverit, hic eamdem cum illo possidet fidem, eamdem consequitur benedictionem, « ut non pereat, sed habeat vitam æternam. » Mundum sane quem dilexit Deus, humanum genus accipimus, id est, vivos et mortuos. Mortuos scilicet, qui venturum in fide

exspectaverunt; vivos, qui in illum sive ex Judæis, sive ex gentibus credituri erant. Sic enim ait absque distinctione gentilis ac Judæi universaliter: « ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. » Quod quia Nicodemum vel cæteros tunc temporis auditores movere poterat, adhuc adstruit confirmatione subjuncta.

« Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. » Hoc profecto contra carnalem Judæorum opinionem intulit, quibus, ut jam dictum est, terrenum regnum et carnale sæculum Christo regnante sperabatur adfuturum, bellis et cædibus gentium cruentum, videlicet per occasiones hominum pacificam pararent sibi victoriam, essentque capientes eos, qui se cœperant. Quo sensu irridendo exspectabant et quidam hæretici mille annorum fabulam, et auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias partus, liberorum educationem, epularum delicias, et **141** cunctarum gentium servitutem, rursumque bella ac triumphos et superatorum neces. Contra hunc, ut dixi, illorum sensum quo talem exspectaverant regem Christum: « Non, inquit, misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. » Non, inquit, misit illum ut judicet, sed ut judicetur; non judicet vel disponat ea quæ in mundo sunt, sed ut judicetur et agat ea quæ salutis æternæ sunt. Unde cuidam dicenti sibi: « Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem, » respondit sic: « O homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? (*Luc.* XII.) » Cæterum in ipsorum potius judicium, qui veniente Messia mundum judicare, gentesque suo subjugare dominio, sperabant se venisse, alio loco testatur dicens: « In judicium veni in hunc mundum, ut non videntes videant, et videntes cæci fiant (*Joan.* IX). » Verumtamen nec ista spiritualia sic judicare tunc venerat, sicut judicaturus est in majestate sua; nec sæcularia vel carnalia ullo modo judicare habebat, sed ut salvaretur mundus per ipsum: judicandus potius quam judicaturus erat. Hac itaque judicii parte remota, de illo ad quod venit, judicio protinus subjungit: « Qui credit in eum non judicabitur; qui autem non credit jam judicatus est. » Ecce quem non misit Deus in mundum ut judicet mundum, quomodo sedens, imo jam quasi exaltatus et pro signo positus judicat mundum? Claret proinde quia non de omni judicio dixit: « Non misit Deus Filium suum ut judicet mundum. » Nam ecce judicat, ecce discernit: « Qui credit in eum, inquit, non judicabitur. » Recte, juste, fideliter. Qui enim credit in eum, hoc quoque quod supra dixit, quod præceptum est, credit scilicet quod nisi quis ex aqua et Spiritu sancto renatus sit, non possit introire in regnum Dei. Hoc ille credit, et credendo festinat renasci, renatus autem jam alius homo est, jam novus homo est; jam a vetusto patre recessit, et ad

A novum accessit, alienatus homo est, alterius semen est (*Galat.* III; *Ephes.* IV). Quare ergo judicabitur? Quare propter Adam morietur? Quare propter peccatum illius a Dei regno exclusus invenietur? Absit inquit. « Non judicabitur. Qui autem non credit, jam judicatus est. » Ubi? quando? In illo patre suo, in illo peccatore antecessore suo. Quando ille peccavit et judicatus est, quando tunica pellicea indutus et a regno Dei ejectus est (*Gen.* III), tunc et iste judicatus, et cum illo cujus « in lumbis erat (*Hebr.* VII), » a regno Dei expulsus est. Et quare, inquis, sic expulsus nunc et in æternum foris permanet? « Quia non credit, inquit, in nomine unigeniti Filii Dei: » id est, quia non credit quod oporteat eum renasci secundum unigenitum Filium Dei, ut possit

B introire in regnum Dei. Idcirco is « qui non credit jam judicatus est, » id est, in illa damnatione permanet. Ille autem qui credit, judicatus quidem et ipse tunc est, sed non judicabitur, id est, in illa damnatione non retinebitur.

Diligenter enim advertendum est, cum enim ait, « qui credit non judicabitur, » non hoc negat quin judicandus sit. Hæc ergo distinctio est: Qui credit judicatus quidem est in massa, sed non judicatur in propria persona: qui autem non credit, et tunc judicatus est in massa, et in futuro judicabitur in sua persona. Nunc in illum diem, quo is qui credit non judicabitur, et is qui non credit in illa qua judicatus est damnatione retinebitur, in illum scilicet extremi judicii diem mente transpositi, judicem ipsum percunctemur

C et hujus judicii causam vel æquitatem ex ore ejus audiamus. Ait: « Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. » — « Hoc, inquit, est judicium, » hinc homines inexcusabiles sunt, hinc illorum damnatio justa est, « quia lux venit in mundum, et dilexerunt magis tenebras quam lucem. » Si enim lux non venisset hodie, cum diceretur eis: « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth*, XXV); » pater enim vester primus Adam peccavit, qui diaboli consilium adversum me audivit, affectans esse similis mei, et vos in illo pariter judicati estis, quia in lumbis ejus eratis; cum, inquam, hoc diceretur eis, responderent dicentes: Domine, quando primi parentes nostri apertis oculis nudos se esse cognoverunt, quando lux venit ad eos

D requirens et arguens eos, et dicens primum Adæ: « Ubi es? et quis indicavit tibi quod esses nudus, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti (*Gen.* III)? » nunquid nos culpæ vel defensionis eorum conscii fuimus qui necdum nati eramus? Si ad nos lux venisset et peccata nostra nobis ostendisset, pœnitentiam egissemus, et mala opera recognoscentes ea reliquissemus. Hæc fortassis illi hodie dicerent. Nunc a Deo remota est omnis accusatio, et ab illis sublata est omnis excusatio. « Venit enim lux in mundum, » prosecuta est homines mox ut de regno Dei projecti sunt. Plurima illis accendit luminaria, ubi post paternam denudationem nati sunt, et nudi-

tatem suam recognoscentes et pœnitentiam agentes, vestitum vel ornatum suum recuperarent. Plurima ejusmodi illis ascendit luminaria et ante legem et sub lege, scilicet justos viros, quorum factis, scriptis, vel dictis lucentibus seipsos viderent et agnoscerent, tandemque venit in ipsa substantia lucis, paratum illis ostendens et facilem introitum regni Dei, sed « dilexerunt magis tenebras quam lucem. » Quare? « Erant enim eorum mala opera. » Quæ? Fornicationes, adulteria, homicidia, veneficia, comessationes, ebrietates, furta, perjuria, falsa testimonia, et his similia (*Galat.* v). Quibus omnibus lux ista inimica est, quæ committi prohibet, quibus convenire non potest. Idcirco dum ostendit illis aditum regni Dei, dum præcipit illis ex aqua et Spiritu sancto renasci, et generationem cœlestem ingredi, in qua non liceat scortari vel inebriari, polluere vel pollui, concupiscere et rapere vel furari, refugiunt ab ista luce, seque in tenebras suas recondunt, sicut Adam pater ipsorum, et foliis pravæ defensionis pudenda opera contegunt, blasphemantes insuper ipsam lucem, suasque defendentes tenebras, vocantes « tenebras lucem, et lucem tenebras (*Isa.* v). » — « Omnis enim qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem ut non arguantur opera ejus. » Non omnis qui male agit, « omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei (*Rom.* III), » sed omnis qui male agit instanter, studiose, perseveranter: omnis utique non qui per ignorantiam vel per infirmitatem peccat, sed qui diligit, qui diligenter defendit iniquitatem, odit istam lucem, et non venit ad eam, ut non arguantur opera ejus: veluti illi, quorum ego lucra dispersi ejiciendo vendentes et ementes de templo (*Joan.* II). Nam idcirco lucem istam non recipiunt, idcirco me non audiunt, quia nisi de cupidis et avaris atque rapacibus vel adulteris, munifici, largi atque operosi fiant, et omnino renascantur, ut alii sint, dico illis quod regnum Dei consequi non possint.

Isti tales videntes me ejicere dæmonia, et scientes quod illa in digito Dei ejiciam (*Matth.* XII), quem Magi quoque coram Pharaone (*Exod.* VIII) ex operibus cognoscere potuerunt, mentiuntur et dicunt: « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit **142** dæmonia (*Luc.* XI), » quia videlicet oderunt me veram lucem, et quod ad me venire nolunt, quod lucem præsentem fugiunt, videri volunt ex judicio rationis facere, non ex præsumptione odii vel invidiæ.

« Qui autem facit veritatem, venit ad lucem ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta ». — « Qui facit, inquit, veritatem, » id est, qui cum Deo sentit et judicet adversus suam, quam odit, iniquitatem, qui condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem, et videns aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivum se ducentem in lege peccati, quæ est in membris suis (*Rom.* VII), confitetur, clamat, et ingemiscit; qui taliter cum Deo tribunal ascendit, et sibi ipsi displicens seipsum judicat, et alius esse cupit: hic talis « venit ad lucem, » quid sit bonum sibi indicantem, et regni Dei aditum ostendentem, « ut manifestentur opera ejus, » piæ confessionis et veræ pœnitentiæ vocibus « quia in Deo sunt facta. » In Deo utique non contra Deum, non quo modo illorum, qui scienter et per industriam peccant, et peccata sua defendunt. Ipsi namque vel per ignorantiam, vel per infirmitatem peccaverunt, et peccata sua cognoscentes doluerunt, fleverunt, confessi sunt, et salutis suæ consilium receperunt, ut renascerentur ex aqua et spiritu, et regenerationem istam custodientes, regnum Dei ingrederentur.

A

Sane competenti similitudine pro re et tempore usus est. Nam quando hæc Nicodemo dicebat, noctis et tenebrarum tempus erat; quod sicut adulteri et scortatores amant noctem, diemque fugiunt, sic
B omnes impii præsens sæculum diligunt et futurum oderunt, ac mendacio protecti a veritate se abscondunt: econtra sicut operosi ac pudici noctem fastidiunt, diemque tardum æmulo lumine præveniunt; sic omnes qui ex Deo sunt peccata sua oderunt, justitiamque esuriunt et sitiunt, præsensque sæculum fastidientes, consciam ubique futuri regni Dei veritatem requirunt. Competenti igitur, ut dictum est, similitudine, per comparationem lucis et tenebrarum usus est, cunctos collaudans, qui, quomodo Nicodemus ut in tempore noctis lucem quærebat veritatis, ita vitæ præsentis obscuritatem S. Scripturæ illustratione solantur, attendentes illi tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris. Illos autem improbans, qui ut se de ignorantia excusent,
C nolunt intelligere ut bene agant: imo et juxta prophetam: « Dormientes in lectis eburneis, et lascivientes in stratis suis (*Amos* VI), » non inquietentur, neque dimidientur voluptates eorum comminationibus futuri judicii, « præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi (*Luc.* XXI). » Nunc in fine sermonis hujus Dominici prætereundum non est, quia quæri solet, cur Deus pro mundi dilectione, quod supradictum est, non legatum neque angelum, sed Unigenitum suum dederit. Aiunt enim aliqui: Nonne per Michaelem vel Gabrielem archangelum, sive per aliquem principatuum ac potestatum, thronorum aut dominationum, diabolum debellare potuisset? Cur consubstantialem Filium misit? cur tra-
D didit? cur mortis injuriam subire voluit? Hæc illis dicentibus si non aliquid certum respondeatur, quod cunctis claro fine constantissimum comprobetur, non potuisse hominem per creaturam aliquam quamvis fortissimam a diabolo liberari, nisi per solum unigenitum Filium Dei, fortasse nimis ultronea dilectio vel gratia Dei, nimis importuna videbitur ejus humilitas vel indignatio Filii Dei. Et quidem dicimus eis illud Apostoli: Decebat enim eum per quem omnia, et propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari (*Hebr.* II); » sed non illis est satis. Insequuntur enim et dicunt: Quomodo illum decebat, vel cur decebat, si adeo non

erat nobis necessaria incarnationis vel mortis ipsius injuria? Ad hæc multa sunt quæ dicantur: sed ei qui non ex contentione est, qui acquiescit veritati, sufficiunt pauca de pluribus. Primo dicendum, non aliter genus humanum neque vel justa redemptione potuisse salvari, nisi is qui ad redimendum vel ad salvandum propitiator accederet, prius ipsam quæ peccatum admiserat naturam induisset, ut in ipsa pro cunctis ejusdem naturæ reatibus dignam Deo satisfactionem offerret. Hoc autem angelicæ naturæ omnino impossibile erat, ut scilicet hominis naturam assumeret, ut humana se anima vestiret. Nihilo quippe angelicus spiritus humana subtilior est anima. Unde nec alter alteri, scilicet angelicus spiritus humano spiritui capabilis est, nec alter alterius est capax. Solus denique Deus, spiritus increatus, spiritus incircumscriptus, cum nullius ipse sit capax, omni rationali spiritui sive angelico sive humano capabilis est. Proinde cum quis diabolico dicitur plenus spiritu, non hoc existimandum est quod substantiam humanæ animæ substantia diabolici spiritus ingressa sit, sed quod in occultas corporis cavernas irrepserit, animamque in suis sedibus deprehensam, tartareis diverberet flagellis, inficiat venenis, vel inflammet incendiis. Quomodo ergo angelus humanam naturam assumeret? qualiter hominis animam qua non est subtilior indueret? Præterea nec angelica natura nostra comparatione, qui terra sumus, aurum optimum est, ac proinde quilibet angelus non tanto pretiosior est homine, ut venundatus hæreditatem æquiponderare posset. Quid enim est angelus secundum naturam, nisi creatura rationalis et immortalis? Plane et homo secundum animam creatura rationalis immortalis est.

Præterquam et pulcherrimam corporis fabricam possidet, et utroque scilicet corpore et anima, vitæ æternæ beatitudine perfrui potest. Et is cum angelus simplam habeat, homo duplam perennis gloriæ stolam habiturus est. Igitur hoc unum nostræ saluti erat necessarium ut Deus, qui dilexit mundum, non legatum mitteret, sed Filium suum daret unigenitum, qui divina potentia faceret quod neque legatus neque angelus facere posset, id est, humanam subtilitate divinitatis suæ penetraret animam, totamque sibimet in unam eamdemque personam conjungeret, vel uniret hominis naturam, quam et pro debito Adæ dignum pretium, utpote quovis angelo longe et incomparabiliter pretiosior, æterno Patri offerret, videlicet « electus ex millibus, » eo quod « caput ejus aurum optimum (*Cant.* V) » sit, id est, Pater ejus solus et verus Deus sit, et ipse ejusdem Patris unigenitus et consubstantialis Filius, ac proinde verus Deus sit. Nonne ergo hoc decebat illum? Nonne hoc opus vere divinum et sufficiens veræ Divinitatis argumentum? Nonne hoc opus non minus clementiæ quam potentiæ capiti ejus aureo gloriosum est insigne, quia voluit et solus potuit nostram assumere naturam, voluit et solus potuit totum genus nostrum in statera crucis gravissime præponderando comparare? Vere

A ergo, ut Apostolus ait, « decebat eum, per quem
143 omnia et propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem eorum consummari (*Hebr.* II). » Nunc ad Evangelicæ lectionem seriem redeamus.

« Post hæc venit Jesus in Judæam terram, et illic demorabatur cum discipulis suis et baptizabat. » Baptismi nomen ubicunque positum vel nominatum fuerit, tantæ magnitudinis est, ut totum auditoris animum confestim impleat, tantique splendoris, ut proprietatem faciei suæ vix perspici nisi ab exercitato inspectatore permittat. Siquidem plerique, lecta vel audita narratione hac, quia « venit Jesus in Judæam terram et discipuli ejus et illic demorabatur et baptizabat, » ita majestate nominis complentur, ut non vacet
B illis cogitare aut quærere, unde primum ejusdem sacramenti virtus aut utilitas exorta sit. His autem qui fidei sacramentis plenius imbuti sunt, dubium non est, quia baptismi Christi virtus vel auctoritas ab ipsius Domini nostri Jesu Christi morte et resurrectione initium sumpsit; quando jam mortuus sanguinem et aquam de latere suo lanceatus effudit, Paulo dicente quia « quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » De qua re supra in libro secundo plenius dictum est. Cum ergo nunc baptizasse legitur Jesus, quomodo vel qua virtute baptizaverit, quærimus:
C maxime propter eos, qui discretionem non habentes, et sola nominis hujus, id est baptismi, reverentia præoccupati, nullum esse ejus æquivocationem, nisi per litis molestias audire patiuntur. Et quidem difficilius quæstionis hujus finis inveniretur, nisi providus evangelista post aliqua diceret: « Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus (*Joan.* IV). » Nunc ex eo dicto facilior quæstionis exitus aperitur: quia videlicet, cum opposita sint hæc, baptizabat et non baptizabat, et utrumque simul esse non possit, liquet profecto quod Jesum baptizasse hoc loco secundum vulgatam opinionem dixit, quam et rursum ponit, ut destruat vel corrigat, cum dicit: « Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt pharisæi quia Jesus plures discipulos facit et baptizat quam Joannes, (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli
D ejus). » Hæc enim dum dicit, priorem sententiam destruit, qua Jesum baptizasse nunc ait, demorantem in Judæa cum discipulis ejus, famamque hanc per discipulos Joannis æmulantes dispersam fuisse innuit, maxime Judæis invidentibus et invidiam concitantibus. Sicut in sequentibus declaratur per quæstionem, quæ ex discipulis Joannis cum Judæis facta esse narratur. Discipuli namque Jesus baptizabant, quod ipsi revera imputandum erat, quia de ejus auctoritate baptizabant, imo et privilegium supra discipulos Joannis, pro tanti Magistri magnitudine non frustra vendicabant, quia Joannes quidem signum fecit nullum, hic autem tantus erat

ut multi crederent in eum, videntes signa quæ faciebat. Præterea, Joannes huic testimonium perhibebat, tantoque minor illo erat paulatim minuebatur, ut corrigiam calceamenti ejus solvere se indignum fateretur (*Marc.* I ; *Matth.* III). Ipsi ergo Jesu imputandum erat quod baptizabant discipuli ejus : verum non ab invidentibus vel calumniantibus, sed a fideliter credentibus, et in magisterio discipulorum digne Magistri gloriam diligentibus. Verumtamen, ut supra quærere propositum est, quo modo vel qua virtute discipuli Jesu, vel, si mavis, ipse Jesus per illorum ministerium baptizabat? Nunquid eadem regula vel efficacia, qua nunc discipuli ejus, imo per discipulos vel ministros suos ipse baptizat? Non utique eadem regula. Quia neque data fuerat eadem regula baptizandi sine qua nusquam potest agi baptismus Christi ; quia non ante, sed post resurrectionem suam tradidit illam, dicens : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Non ergo eadem efficacia baptizabant, quia necdum apertum erat, de quo jam superius dictum est, vivifici templi latus dexterum, ut inde cum sanguine aqua egrediens, juxta Ezechielem, Omnes aquas sanaret, et virtutem illis regenerationis afferret (*Ezech.* XLVII ; *Joan.* XIX). Nondum erat mare Rubrum, id est hujus baptismi sacramentum, Christi sanguine sacratum. Quomodo ergo, qui baptizabantur per hoc mare, quod nondum erat, transisse dicuntur? nondum Agnus erat occisus, et jam filii Israel per mare Rubrum transisse putantur ? utquid postea verus iste Agnus occiditur, ejusque sanguine postes consecratur, si jam Pharaonis et omnium Ægyptiorum primogenita interierunt, et omnes in mari Rubro submersi sunt (*Exod.* XII ; *I Cor.* X), id est, si hoc baptismo baptizabant discipuli Jesu, quo nunc, dum baptizamur, omne peccatum, tam actuale quam originale obruitur ? Sed dicit aliquis: Idcirco baptizabant discipuli Jesu, ut qui baptizantur, ad futuram Christi redemptionem pertinere mererentur. Hoc sane recte conceditur, dummodo remissionem peccatorum, quæ est ipse Spiritus sanctus, neque mortuorum, neque vivorum aliquis ante Christi passionem aliquo baptismate accepisse credatur. Unde in eodem hoc evangelista scriptum legitur : « Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*Joan.* VII). » Igitur, quia secundum auctoritatem evangelicam non habemus quod discipuli Jesu de præcepto vel regula baptizandi quidquam acceperunt, nisi hoc tantum quod novissime Nicodemo ad se venienti dixerat : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, » indubitanter tenendum est, quia, non expectata baptizandi traditione vel regula ; quippe quam nec interrogare noverant, nec ullam aliam esse putabant, nisi secundum quam Joannes baptizabat, scilicet in pœnitentiam : baptizabant et ipsi quodammodo ab eodem Joanne baptizati fuerant, scilicet absque catechizatione crucis, mortis vel

A resurrectionis Christi, absque necessaria distinctione personarum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : et hoc ipsum quandiu Joannes superfuit. Nam, postquam ille traditus est, et Jesus in prædicationis officium succedens, ut evangelistæ Matthæus, Marcus et Lucas evidenter attestantur (quod jam alio loco dictum est) in Galilæam venit, nusquam discipuli Jesu baptizasse leguntur (*Matth.* IV ; *Marc.* I, *Luc.* IV). Nec enim hoc illis ante resurrectionem suam præcipiebat ipse Jesus. Et quidem convocatis duodecim apostolis, cum daret illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, mittens illos ad prædicandum (*Matth.* X) ; item et cum alias mitteret septuaginta duos (*Luc.* X), nihil de baptizandi ministerio loquebatur eis, sed tantum ut prædicarent B dicentes : « Pœnitentiam agite : appropinquabit enim regnum Dei (*Matth.* IV), » quod extunc intra nos est, exquo per mortem Regis nostri Dei et hominis Christi : per mortem, inquam, et resurrectionem hujus magni Regis, princeps mundi hujus judicatus, et foras missus est (*Luc.* XXIII ; *Joan.* XVII), Ubi enim toto tempore prædicationis **144** Christi, id est, a traditione Joannis usque ad passionem ejusdem Domini nostri, discipulos ejus baptizasse, vel ipsum Jesum hoc illis invenimus præcepisse ? Igitur cum audimus quia baptizabat Jesus, imo discipuli ejus, non ita magnitudine nominis baptismi opprimamur, ut non discernamus rem ipsam vel faciem ejus, talemque baptismum agi putemus, qualem apostolis a Christo post resurrectionem ejus mandatum esse non dubitamus. Sane Judæam C terram, quo venit, vel ubi demorabatur Jesus et discipuli ejus, illam Judaici regni quartam partem hic appellat evangelista, quam Pontius Pilatus procurabat. In qua Jesus post illa, quæ Hierosolymis facta vel dicta sunt, demorabatur, ut dictum est, baptizabat.

« Erat autem et Joannes baptizans in Enon, juxta Salim, quia aquæ multæ ibi erant, et veniebant, et baptizabantur. » Enon locus est, in quo et Salim vicus octavo lapide a Scythopoli, in campo qui Salomias dicitur. « Ibi, inquit, erat et Joannes baptizans. » Utquid baptizare cœperit Joannes, superius jam dictum est, videlicet ut, illo baptizante, Christus manifestaretur in Israel. Sic enim ipse dixit : « Quia ego nesciebam eum, sed ut manifestaretur D in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans (*Joan.* I). » Cur ergo baptizandi officio non cessabat, quoniam quidem Christus manifestatus erat? « Nondum enim, inquit, missus fuerat in carcerem Joannes. » Opportunius atque rationabilius cesserat, cum in carcerem missus, baptizandi facultatem amisisset, etiam si vellet ac proinde neminem tanquam de mutatione sententiæ suæ sollicitum redderet, velut qui populum frustra tanto clamore permovisset nonnunquam baptismi usum magis propter unum hominem, quam propter regnum Dei, tam cito desiturus inchoasset. Et quidem hoc tempore opportune sciendum erat, quod propter manifestandum unum

hominem Christum baptizans in aqua venisset, sed tempus nunc loquendi non erat, ut hoc et cætera omnia jam diceret. Baptizabat itaque et pœnitentiam prædicabat tandiu, donec in carcerem mitteretur. Quo facto, nec discipuli ejus, nec Jesus vel discipuli ejus usquam baptizasse leguntur, donec ipse prior baptizaretur illo baptismo de quo ait : « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur? (*Luc.* XII). » Baptizandus namque erat passione sua, quoniam et ipse adhuc juxta prophetam sordida habebat vestimenta (*Zach.* III), scilicet membra carnis corruptibilia, passibilia atque mortalia, quibus ablatis, vel depositis per exspoliationem mortis, recuperaret eadem per gloriam resurrectionis candida facta, id est, impassibilia virtute immortalitatis.

« Facta est ergo quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione et venerunt usque ad Joannem. » Ecce nunc quoque tantus tamque vehemens flavit ventus, ut non solum arundo aliqua, sed et adulta tam arbuscula, cjus impulsu agitari posse videantur. Crescente namque Jesu, et isto jam incipiente minui (quod fieri oportere fuerat et ipse protestatus) æmulati sunt discipuli ejus, Judæis malitiose sollicitantibus et invidiæ flammam concitare volentibus, ut testimonium Joannis, quod perhibuerat de Jesu, discipuli ejus infirmare conarentur, extorquendo videlicet ab illo sermonem de Jesu, qui a priori testimonio dissonare videretur. Verbi gratia : Puta dixisse Judæos : Ecce habemus duos baptistas, cujus eorum baptismus melius purificat? Cujus, inquiunt discipuli Joannis, nisi ejus, qui aquas istas primus invenit, primusque mortalibus ostendit? Baptista noster non ab hominibus neque per hominem, sed per Verbum Domini, cum esset in deserto solitarius, baptizare didicit, atque inde huc veniens, juniorem illum (ad quem omnes modo veniunt) ut cæteros ipse baptizavit. Econtra Judæi : Nonne magister vester, inquiunt, baptismo suo purificationem baptismi illius prætulit, dicens : « Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igni? *Matth.* III). » Nonne se indignum dixit solvere corrigiam ejus calceati? (*Luc.* III.) Itaque facta quæstione hujusmodi, « venerunt, inquit, ad Joannem. » Nec mirum rudes catenus discipulos contendisse de purificatione baptismatum, vel dignitate magistrorum, cum et magni apostoli, jam instante passione magistri, contenderint quis eorum videretur esse major in regno cœlorum (*Matth.* XVIII). Usque ad Joannem venerunt. Multum instanter et animose quæstionem ventilarunt, qui ventosam ejusdem quæstionis machinam usque ad turrim illam perduxerunt, quæ fundata erat supra petram altissimam, longe eminentiorem multoque fortiorem arundinibus nostris, quæ hujusmodi vento solent quamlibet in partem leviter agitari. Nam, ut noverimus, quod usque ad illum venerint hac intentione, ut eum devocarent a testimonio Christi, verba ipsa satis evidenter hoc innuunt, quæ fuerunt hujusmodi: « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes currunt ad eum. » Summa eorum quæ ab illis dicta sunt, vel dici potuerunt, ita breviter expressa est, ut in singulis pene dictiunculis vis insita lateat, quæ permovere potuisset, nisi solidum, prudentem, et bene, ut prædictum est, in veritate fundatum animum offendisset. Primo (ut sæpe ventus urens blando susurro præludit,) blandiuntur, et dicunt : « Rabbi. » Quo prænomine gaudere sciebant molles auriculas Scribarum et Pharisæorum ; sicut et Dominus : « Amant enim, inquit, primas cathedras in synagogis, et salutiones in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (*Matth.* XXIII; *Marc.* XII). » Nusquam enim præter hunc locum invenimus eum vocatum esse Rabbi ; nec ab ipsis qui quærentes ab illo consilium salutis dicebant: « Quid faciemus et nos (*Luc.* III), » nec ab aliquibus in quibuslibet evangeliorum locis. Quod et si quando dici potuit, et ab Evangelistis, ut superfluum, recte prætermissum est, hoc tamen loco nullatenus omitti debuit, ob significandam magnitudinem præsentis adulationis. Hoc itaque magnifico prænomine præmisso quo ad consensum ipsorum putaretur posse deflecti, ut Domino Jesu studeret sese præferri [præferre] : « Qui erat, inquiunt, tecum trans Jordanem, » et cætera. Notandum diligenter quanta arte quamque accuratis agitur insidiis, ut Joannem pœniteat testimonii, quod Domino perhibuit. Duabus namque præcedentibus propositiunculis, duas obliqua excusatione subnectunt, hoc modo : « Qui erat tecum trans Jordanem, ecce hic baptizat, et cui testimonium perhibuisti, ecce omnes veniunt ad eum. » Qui trans Jordanem tecum erat, seque tuis manibus ut minor submiserat, ecce hic in Judæa super te est, et sub seorsum auctoritate baptizat. Et « cui tu testimonium perhibuisti » in discreta humilitate, nimiam te subjiciens illi et gloriam tuam dans alteri, ecce omnes, te neglecto, veniunt ad eum, tuumque baptismum parvipendentes, illum juniorem certatim expetunt. His et ejusmodi dictis Judaico livore concinnatis hoc agebatur, ut fidelissimi testis animas a veritate, cui testimonium perhibeat, averteretur, atque ita baptizantium rupta concordia, baptismi vel pœnitentiæ remediam facilius quasi rationabiliter contemni videretur. **145** Nam pharisæi et Judæorum quamplurimi « spreverunt consilium Dei, non baptizati (*Luc.* VII) » baptismo Joannis ; quippe, qui exspectabant falsi et fallentes, Messia regnante, in regno ejus superbire, non de peccatis suis humiliari, vel pœnitentiam agere, gentes universas spoliare, non duas tunicas, aut duplices escas cum gentibus dividere.

LIBER QUARTUS.

Quia revera Joannes lucerna ardens et lucens est (*Joan.* v), merito nos in lumine ejus exsultamus, si tamen ipsum lumen ejus agnoscimus, quod Judæi cognoscere noluerunt. Et ideo volentes exsultare ad horam, id est temporale terreni regni gaudium ab illo, quem Christum esse existimaverunt, festinantes præripere, competenter exsultare non potuerunt. Est autem lumen ejus, humilis veritas, et vera humilitas, qua totus in corde et in ore præfulgens, veras inanis gloriæ, (quæ stultis lumen esse videtur.) tenebras admittere non poterat. Cum ergo mittunt, imo et veniunt Judæi ad Joannem, quæstionem, ut prædictum est, de purificatione facientes, et ille testimonium perhibet veritati, bene et laudabiliter in lumine ejus exsultamus, non ad horam, sed verum et integrum diem; non ad tempus, sed ad intemporalem tendentes æternitatem, dum radiantem per os ejus libenter amplectimur veritatem. Hoc itaque loco quid responderit, audiamus:

« Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. » Ac si diceret: Quid me, o fautores importuni, tantopere vocatis Rabbi? quid majore, quam ego sum, vocabulo me quasi honorantes extenditis? Hoc nomen ejus est, et illi congruit qui solus nullius indiget, qui solus habet docetque hominem scientiam (*Psal.* xciii), dat præcepta vivendi, legemque vitæ ac disciplinæ subjecto sibi impertitur homini (*Eccli.* xlv). Et hic longe homines excellit, quorum « nemo accipere potest quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. » Omnes enim aliunde acceperunt, singuli de plenitudine alterius donum exspectant proprium (*I Cor.* iv). Omnis ergo homo prohibendus est, ne amet vocari ab hominibus Rabbi, quippe cum Moysen nusquam Scriptura, sacra hoc nomine appellare consueverit, quia videlicet legem non de suo dedit, sed aliunde, ut daret, ipse accepit (*Exod.* xxxvi). Quapropter nolite me vocare Rabbi; sed vocate me discipulum veritatis. Quia profecto, cum et ego sim homo, non potuissem quidquam accipere, nisi fuisset mihi datum de cœlo. Nunquid vero nunc primum dico, quod non sim ego Deus, sed tantum homo?

« Vos ipsi mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum. » Quando misistis ab Hierosolymis sacerdotes et Levitas, ut interrogarent me: «Tu quis es?» confessus sum et non negavi, et confessus sum: « Quia non sum ego Christus, » et dixi: « Qui post me venturus est ante me factus est (*Joan.* i), » et cætera. Quod ergo nunc ita dixerim; « Vos mihi nunc testimonium perhibetis, » in eo quod dicitis: « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu

A testimonium perhibuisti. » Nequaquam ergo nunc primum me purum hominem esse cognovi, quia vos scitis, vos memores estis, et nunc mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: « Ego non sum Christus. » Quod si dixissem, profecto plus quam hominem me esse affirmassem. Quia Christus plus quam homo est; quia non tantum homo, sed et Deus et homo est. Quapropter illi soli dicite Rabbi, quia » Magister vester unus est Christus (*Matth.* xxiii), » de quo et dixi jam, et audistis, quia « de plenitudine ejus nos omnes accepimus (*Joan.* i). » Illius itaque vos mecum estote discipuli. Quid enim habeo quod non de plenitudine ejus acceperim? Si autem accepi, quid me gloriari vultis, quasi non acceperim? (*I Cor.* iv.) Soli illi gloria est, quia de nullo accepit, quia plenus B est et non illi de cœlo datum est, quia cœlum ipsum ejus est. Jam nemo mihi molestus sit, si Spiritus potestatem habens ascenderit super me, locum meum non deseram. Locum, inquam, meum, modulum meum non excedam. Novi ego locum meum, hunc scilicet, quia non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Vultis audire quid ille, et quid ego sum? Vultis nunc istud cognoscere per simile quod vobis est bene cognitum?

« Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem ejus. Hoc ergo gaudium meum impletum est. » Nostis hoc quicunque aut nuptias egistis, aut nuptiis interfuistis, quanta sponsi et amici ejus distantia sit. Sed cur, o Joannes amice sponsi, non C aperte, sed quasi sub velamine utramque, scilicet divinam et humanam Christi, naturam commemorasti? Poterat enim sic dici: Qui Deus et homo est, ille Christus est. Nam illud quod dictum est: « Qui habet sponsam sponsus est, » non quidem sic accipimus ac si dictum fuisset: Non ego, qui purus homo sum (ut quisquis vestrum) Christus sum, quia Deus non sum; sed ille Christus est, qui et antequam homo esset Deus erat, sed postquam homo factus est, nihilominus secundum suam naturam Deus est, propter assumptam vero hominis naturam, Christus est. Quomodo quilibet sponsus, et antequam sponsam acciperet, vir erat; et postquam accepit illam, nihilominus natura, vel sexu suo vir est, propter conjunctum vero sibi sexum femineum sponsus dicitur et est. Nos ergo sic di- D ctum esse hoc accipimus, et inde Christum esse sponsum cognoscimus, quia non hominem tantum, sed Deum et hominem esse credimus et confitemur. Nam, nisi prius illud crederemus, hodie illud Davidicum præconium: « Et ipse tanquam sponsus **146** procedens de thalamo suo (*Psal.* xviii), » cæ-

teraque hujusmodi testimonia Scripturam nequaquam intelligeremus. At illi necdum credebant, necdum sciebant Christum Deum esse et hominem. Non sic exspectabant Messiam, ut Deum fore crederent, sed hominem, quamvis magnum, tamen hominem tantum. Cur ergo, o Joannes lucerna mundi, non saltem discipulis tuis aperte prius Christum Deum et hominem esse ostendis, quorum tarditatem ipse melius nosti, sed tanquam perfectis, et in fide Christi exercitatis mystica et alta proloqueris quorum superficiem vix advertere possint? Videlicet quia non jam ante passionem Christi expedit ista prædicari. Nec enim ratio divinitatis admittit eumdem Christum agnosci, quis vel quantus sit, et secundum dignitatem suam honorari vel adorari, priusquam, peracto quod a Patre injunctum est servitio, sedeat ad dexteram Majestatis in excelsis. Hic ordo necessarius erat nostræ salutis, ut priusquam sibimet exigeret ea quæ Dei sunt, ageret ipse, vel sibimet exigeret ea quæ Dei sunt, ageret ipse, vel pateretur ea quæ hominis sunt. Unde et cum duodecim apostolis daret virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent, et mitteret eos ad prædicandum, non seipsum illis prædicare jubebat, sed hoc tantum, ut pœnitentiam homines agerent, et hoc scirent quia, appropinquaret regnum Dei (*Matth.* x). Itaque et Joannes, quia quætionibus pulsabatur, ei ideo de magnitudine Christi (quæ est divinitas ejus) omnino reticendum non erat. Rursus vero [quia] sui non erat officii prædicare incarnationem ejusdem Filii Dei, sed tantum baptizare et dicere : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Dei, » sic testimonii sui dicta temperabat, ut et veritatem non taceret, et tamen vulgo dijudicandam aut conculcandam non exponeret. Ait ergo : « Qui habet sponsam sponsus est. » Quod præter hanc, de qua jam dictum est, latentis intrinsecus mysterii gloriam, quam, juxta Psalmistam cœli enarraturi erant, ita ut non essent loquelæ, neque sermones, quorum non audirentur voces eorum, quorum sonus in omnem terram, et verba in fines orbis terrarum exitura erant, dicendo : « In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal.* XVIII); præter hanc, inquam, interiorem gloriam, in superficie quoque utilitatis habet plurimus, quod præsentes quoque ædificare, et a sua poterat nimium cardinali æmulatione compescere. Si quidem nemo illorum erat, qui exsecrandum esse nesciret adulterium, ubi paranymphus, sponsum se esse mentitus, creditæ sibi sponsæ audeat commaculare thalamum. Verbi gratia : Pater Abraham servum suum fidelem esse arbitratus, per Deum cœli adjuratum dirigit, ut uxorem accipiat filio suo Isaac, dans illi quæ secum portet de omnibus bonis suis. Ille Rebeccam ad puteum inventam allocutus, et aquas haurientem contemplatus, quia speciosa erat, primo armillas tradens, et inaures appendens auribus, animo illius jam bene præparato, tandem a parentibus illius obtinet, ut fidei suæ credita domino suo Isaac transmittatur (*Gen.* XXIV). Nunquid iste cum servus sit Isaac, si ipsum Isaac se esse mentiatur, puellæ pulchritudine delectatus, et Domino suo præripiat ejus amplexus, impunitus dimittetur? Nemo utique illorum erat, qui nesciret exsecrandum hoc esse facinus, cujus ob magnitudinem servilibus pœnarum modis merito puniretur. At nunc, quia servilem conditionem fidelitatis honore supergressurus est idcirco magnus in domo nuptiarum sponsique domini sui paranymphus stans, et audiens eum et gaudio gaudens propter vocem ejus gratulantis super industria vel sedulitate sua, quod condignam sibi puellam adduxerit : plane huic simile Joannes illud asserit, quod venit ipse in aqua baptizans, parare Domino plebem perfectam. Cum enim dixisset : « Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem ejus, » conclusit sic : « Hoc ergo gaudium meum impletum est. » Quod gaudium ? Hoc videlicet, quod ejus qui habet sponsum, et inde sponsus est, amicus sum, et quod ante illum missus sum ; et, quod primitivam discipulorum ejus Ecclesiam, baptismi mei aquas haurientem allocutus, armillis bonorum operum adornavi et inaures appendi dicendo : « Appropinquabit regnum Dei, » et sic usque ad unigenitum Filium Dei Patris perduxi, dicendo : « Ecce Agnus Dei, » cui mox copulabitur matre sua Sara, id est Synagoga, mortua præ infidelitate, et implebit faciem orbis semine. « Hoc, inquit, gaudium meum est, et hoc impletum est ita ut altiusquid non ambiam. Quid mihi dicitas : Tu ipse esto sponsus ? Sponsus ille vocetur, et sit cui sponsa debetur. Meum quippe gaudium impletum est in hoc, quod sum sponsi amicus ; in hoc quod sto in triclinio et audio eum, gaudens propter vocem ejus, propter testimonium ejus, quod et vos auditur estis, quo me beatificat, dicens : « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* XI), » etc. Cum ergo hæc diceret Joannes eis, qui se supradicta quæstione pulsaverant, et de illo existimari volebant ipso auctore supra id quod ex ipso audiebant et videbant, alii quidem nimium faventes, alii vero malitiose testimonium quod Domino perhibuerat, imitatione vocis ejus infirmare, vel annullare molientes: cum idcirco illis similitudinem de sponso et amico objiceret, nonne semetipsos reprehendere discipuli ejus, qui magistro nimium favebant ? nonne intra semetipsos erubescere Judæi poterant, qui testimonium ejus de Christo, quod imminuere tentaverant, econtra potius augeri videbant? Proinde verus ac dignus sponsi paranymphus, integer amicus, digne in æterno cœli triclinio stat coram illo et audit vocem ejus, et gaudio gaudet quod ab illo non auferetur. Digne per omnia hic omnibus paranymphus in exemplum proponitur, id est omnibus qui sponsæ Christi, videlicet sanctæ Ecclesiæ, curam atque regimen sortiuntur, ut nequaquam adulterinis illam oculis contemplentur, et vero sponso

ejus copulam furentur. Nam quandiu catholicam illi fidem prædicant, sponsi amici, sponsi vicarii, viri quoque vocantur, et sunt, quia Christus in eis loquitur et ipsius semen est verbum fidei (*Luc.* VIII), quod per illos suscipitur. Ubi autem quidpiam eorum, quæ a fide Christi aliena sunt, auribus eorum inferre moliuntur, adulteri sunt, quia non Christus in eis loquitur, et velut alieno corpore sponsa commaculatur, cum talibus errorum magistris se submitti patitur. Quam ejus voluntariam passionem Paulus de præcipuis sponsi hujus amici unus, magno clamore redarguens : « Nunquid, ait, Paulus pro vobis crucifixus est aut in nomine Pauli baptizati estis ? » (*I Cor.* I.) Dicebant enim illi dissensiones habentes inter se : « Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ (*ibid.*). » Et hoc modo non quidem Paulus aut Cephas sive Apollo adulterabant sponsam Christi (erant enim fideles ejus ministri), sed pronæ in adulterium ejus animæ conabantur amicos sponsi sui ad adulterandum provocare. Verum quacunque ex parte, sive ejus quæ sponsa dicitur, sive eorum qui amici dicuntur, adulterii proveniat fomes, testimonium hoc verum est, et **147** dissolvi non potest. « Qui habet sponsam sponsus est, » id est, solus ille qui cum Deus esset, humanam sibi naturam unire dignatus est, solus ex omnibus ille, et non alius S. Ecclesiæ sponsus est, et quicunque alius [sese] ingesserit, adulter esse potest, sponsus esse non potest. Huic autem, quem sponsi hujus omnes imitantur amici, vero amico satis est, quia magnum est, quia plenum gaudium affert, quod dignus habitus est stare et audire eum, et esse conscius eorum quæ cum sponsa geruntur secretorum cœlestium. Quid ergo superest ? quid de reliquo faciendum est ? Ait : « Illum oportet crescere, me autem minui. » Hactenus, inquit, solo vocis testimonio clamaverim quod ille major me sit, et quod prior me fuerit, deinde rebus evidentibus oportet certum fieri quod non ego Christus, sed ante Christum missus sum : quod ille non ut ego homo tantum, sed et Deus. Hoc enim mihi minui et illi crescere est : non quod mihi collata mensura decrescat, vel ejus immensitas augescat, sed quod in notitiam vobis veniat longe inæqualis utriusque quantitas. Alias autem et vere secundum naturam hominis, quia paulo minor est ab angelis (*Psal.* VIII), crescere habet primo signis et prodigiis, deinde ordine mortis, resurrectionis et ascensionis, et sic accipere « nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philipp.* II), » et in omnes gentes pœnitentiam prædicetur, et remissio peccatorum (*Luc.* XXIV). Sic omnino fieri oportet, sic expedit, sic necessarium est humano generi, ut adoretur « sedens ad dexteram majestatis in excelsis (*Hebr.* III). » Interim me oportet minui, nec [ne] quis confidat in me, puro homine, et ponat carnem brachium suum. Quod mox fieri videbitis, quando traditus et decollatus ad inferos descendam, nihil dignum agens hoc

A nomine Christi, quod vos mihi importune imponitis. Quibus peractis tunc demum non solum vobis, sed toti mundo decantabitur comparatio mei, quem Christum esse putastis, et ejus qui vere Christus est, contra quem vestris quæstionibus depugnastis : tunc istud scietur et dicetur, quantum illo, quem Filium Joseph dicitis (*Luc.* IV ; *Matth.* XIII), minor ego sim quem Zacharias genuit (*Luc.* I), quod vos dissimulantes, pro eo quod ex deserto incognitus, et jamdudum oblivioni traditus adveni, Christum me esse arbitremini, qui de quibusdam secretis et invisibilibus locis advenerim. Nec dubita discretione mea parvitas ab ejus magnitudine distinguetur. Quem enim homo corruptibilis, mutus et loqui non valens, de carne sua genuit, procul dubio minor dicetur, ut B est, eo quem Deus incorruptibilis et invisibilis, eloquens et omnia dicendo faciens, de corde suo eructavit. Hæc, etc., ubi palam omni mundo cœperint prædicari, sonantibus cœlis et gloriam enarrantibus hujus Filii Dei (*Psal.* XVIII), tunc indubitanter apparebit quod monte quovis cœlum altius sit, quod dies nocte sublustri pulchrior sit, quod sol lucifero splendidior sit. Hoc ejus crementum, ipsa quoque nativitatis passionis ejus tempora, modus quoque et locus passionis ejusdem pulchre significant. Non enim natus est vel patitur, quibus temporibus dies minuuntur ; non, ut ego Herodes, aut Pilati infausto natalitio ; sed in paschali patitur plenilunio ; non ad saltationem unius puellæ, sed ad clamosam petitionem totius Synagogæ ; non in abscondito tenebrosi carceris, sed subdio, palam omni cœlo, teste omni C mundo, extra portam civitatis non decollatus et capite imminutus, sed patulo ligno exaltatus, et extensus (*Matth.* XIV ; *Marc.* VI), figura crucis sese orbem quadrifidum ad se trahere protestatur. « Qui desursum venit super omnes est. » Audiant et hoc, etc., quæ sequuntur ; audiant Judæi, et confusione operiantur hæretici, contra quos maxime hoc Evangelium, ut sæpe dictum est, conscribitur, qui Christum ex Maria sumpsisse initium diabolico commentati sunt spiritu : « Qui desursum venit, inquit, super omnes est. » Dixerat quod oporteret illum crescere : rationem subjungit, probans quod merito crescat, quod merito mundus omnis de illo majora, quam de se sentiat. Cur, inquis, ille crescit, cur tu illo crescente minueris ? Qui desursum D venit, ait, propter hoc ipsum quod desursum venit, quod non ex traduce in utero matris satus est, nec de nihilo, et non aliunde quam de carne Virginis prodiit, sed « in principio erat Verbum et apud Deum erat (*Joan.* I), » et Deus propter hoc digne super omnes est, major omnibus est, excellentior omnibus est, non loco, sed dignitate ; nondum corpore, sed honore ; nondum carnis impassibilitate, sed gratiæ et veritatis plenitudine. Omnes enim de deorsum sunt, et propter hoc ipsum, quod de deorsum sunt, et deorsum venerunt, de terreno patre, quod de terra sumptus est, cujus materia vel initium terra est, et cum gratia Creatoris cœlum fieri posset,

terra factus est, quem serpens comederet, propter hoc jure infra illum omnes sunt, et ille super omnes est. Unde et subditur: « Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. » Quid est enim esse de terra nisi existendi initium habuisse de terra? nihil amplius esse quam quod sumptum de terrena humani generis massa? Qui ergo est de terra, inquit, id est cujus esse cœpit ex terra, de terra est, id est terrenus est, quemadmodum et antecessor ejus, de quo Apostolus: « Primus, inquit, homo de terra terrenus (*I Cor.* xv). » Terrenus omnino est omnis, quia terrenum fundamentum, id est terrenum habet initium, ac proinde de terra loquitur, id est terrena sapit, terrenis sensibus involvitur. Quid ergo fieri oportet? quomodo illi subvenitur? Ait: « Qui de cœlo venit super omnes est, et quod vidit et audivit hoc testatur. » Qui de cœlo venit, et ideo cœlestis est, ut ait idem qui supra Apostolus: « Secundus homo de cœlo cœlestis (*ibid.*); » unde et super omnes est, ut prædictum est, iste; quod vidit et audivit hoc testatur, » videlicet, ut de plenitudine ejus nos omnes accipiamus, et aliquid de cœlo loqui sciamus, qui non nisi de terra loquebamur. Ecce aperuit quo tendat, id est ad quid dixerit: « Super omnes est, » vel quomodo, aut super quos omnes. At enim: « Quod vidit et audivit hoc testatur, » videlicet super eos omnes est, qui futurum esse testati sunt regnum Dei, qui aperiendum esse hominibus testati sunt introitum regni Dei. Hoc autem prophetæ et reges ante testati sunt, hoc patriarchæ et justi exspectantes et prænoscentes, a longe salutaverunt, et de illo posteris cohæredibus suis prælocuti sunt. Sed nunquid regnum illud viderunt, nunquid regni illius voces audierunt, et inde huc venientes sedentibus in tenebris captivis, qui vincti erant, visa et audita liberi annuntiaverunt? Nunquid de cœlo venerunt, et non potius in ista captivitate, qui antea omnino non erant, nati sunt, et toti de terra exorti sunt? Ergo super omnes regni Dei testes, hic testis idoneus est: quia videlicet erat jam antequam huc veniret, et de regno Dei, de regno suo, huc in nostrum exsilium venit. Et cum esset rex illius regni Dei, propter nos, ut illud nobis testaretur et aperiret, in forma servi nasci voluit (*Philipp.* II). Unde verissime nunc dictum est: « Et quod vidit et audivit, hoc testatur. » Et quidem prophetæ visiones quasdam **148** regni illius videbant, unde et videntes dicti sunt. Sed longe aliud est visiones regni Dei figurativas et ænigmaticas occulta inspiratione videre, aliud ipsum regnum vidisse, et inde huc veniendo, nobis, qui nunquam ibi fuimus, testari vel annuntiare. Ad quid autem dixit hoc discipulis suis, sive Judæis, cum quibus quæstio facta est de purificatione? Ad quid (illis dicentibus: « Rabbi, ecce hic baptizat et omnes veniunt ad eum ») hoc dixit nisi ut discipuli sui pro se æmulari desinerent, ut Judæi contra veritatem illi insidias machinari desisterent, et potius ad illum Baptistam verum submisso capite omnes venirent? Quod quia facere frigidi præ invidia detrectabant, protinus dolendo subjungit: « Et testimonium ejus nemo accepit. » O consilium malignantium, synagoga perdita, cœtus sceleratus! Ecce qualem legatum, quam legitimum testem, quam fidele testimonium non acceperunt. Indignitas rei præscivit [præscium] cor Joannis alte tetigit, acerbitas sacrilegii mentem tanti domini consciam percussit, ita ut dolens exclamaret: « Et testimonium ejus nemo accepit. » Vere enim testimonium ejus nemo accepit, videlicet quandiu inter homines ambulavit, quandiu præsentia corporali stans in concione hominum testimonium perhibuit veritati, sive in synagogis Judæorum, sive in prætorio Pilati. Clamat hoc injuria crucis, probat hoc indignitas mortis, qua punitus est velut falsus testis. Sed dicit aliquis: Nemo non accepit ejus testimonium, nam aliqui acceperunt, aliqui in eum crediderunt. Acquiescimus, non negamus, aliqui, utcunque crediderunt, quantumvis incerti et infirmi, dum illum esse Filium Dei confessi sunt, testimonium ejus acceperunt, verumtamen in illo articulo vel hora necessariæ testificationis, quanti contestari aut subscribere ausi sunt? Nonne omnes, relicto eo, fugerunt? Nonne percusso Pastore oves dispersæ sunt, et solum illum reliquerunt? (*Matth.* XXVI; *Zach.* XIII.) Igitur quandiu hic Dominus in forma servi testimonia regni Dei declamavit, quamvis non solum dictis secundum Scripturas, sed etiam mirabilibus factis eadem testimonia confirmavit, testimonium ejus nemo accepit. At ubi rejectus a concilio malignantium, contemptus a judicibus iniquitatis, et punitus ut falsus testis, resurrexit a mortuis, et ascendens in cœlum, Deo Patri suo qui illum miserat ea quæ perpessus est retulit, statim adjutor testimonii ejus, defensor idoneus Spiritus sanctus advenit, et exinde testimonium ejus nemo non accepit. Tunc comprobatus et agnitus est verus fuisse testis, tunc et exinde crediturus est verus esse Rex, imo Deus verax et vera detulisse jura regno Dei. Unde et subditur: « Qui autem accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est. » Quis enim est ille beatus, qui accepit ejus testimonium, nisi ille filius salutis omnis populus Christianus, Spiritu sancto insignitus per ministrorum manus quibus dictum est: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ? (*Act.* I.) Nam quicunque illos audivit, testimonium a superveniente Spiritu sancto in se ipsis habentes, et testificando prædicantes, verbi gratia cum dicunt: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I): hæc nimirum et cætera hujusmodi prædicantes, quicunque audivit et baptizatus est in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ille testimonium ejus accepit, et de illo qui eum non negavit, se esse Regem regni Dei, Regem verum et Filium Dei, cum interrogatus se esse non nega-

ret ante faciem Pilati, negatus est et punitus ut falsus testis, de illo utique protestatur quia Deus verax est, quia unus et verus cum Patre et sancto Spiritus Deus est. Hoc protestatur, hoc in corde suo signavit, hoc in fronte sua cum signo crucis depinxit, corde credens ad justitiam, ore confitens ad salutem (*Rom.* x).Insipiens Judæus vel hæreticus, qualis fuit Cerinthus, hanc veritatem solvere nititur dicens in corde suo : «Non est Deus (*Psal.* XIII).» Sed acceptor testimonii signavit, id est, digna memoria notavit verba testimoniorum ejus, quibus constanter Deus verax esse defenditur. Sic enim in Evangelio suo loquitur, quo modo Deus unde et protinus subditur : « Qui est ex Deo, verba Dei loquitur.» Quid enim est verba Dei loqui, nisi sic loqui, quomodo licet coli Deo loqui? Pene huic simile est in Actibus apostolorum de Herode, cum digna reprehensione legitur : Cumque sedisset, inquit, indutus veste regali, populus acclamabat,Dei voces et non hominis (*Act.* XII), id est voces, quibus juste et licito acclamandum est soli Deo et non homini ; verbi gratia: Rex in æternum vivens, semper potens,omnipotens,immortalis rex et Deus noster, et similia. Sed illum percussit angelus Domini, eo quod acquievisset immoderato favori populi, et non dedisset honorem Deo, hic autem cum loqueretur verba Dei, cum emitteret voces Dei, exempli causa : « Antequam Abraham fieret ego sum (*Joan.* VIII) ; » et : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.*X) ; » et : « Ego et principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VII),» cum iste hæc et his similia Dei, et non hominis voces emitteret, virtutum gloria comitabatur comprobans, quia ipse Deus verax esset, non ut prædictus Herodes, qui,cum Dei voces sibi acclamatas admisisset, percussusque et putrescens consumeretur vermibus, ait cum gemitu : Ecce Deus vester, scilicet falsus, id est homo non Deus. Ait ergo: «Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.» Ac si diceret : Qui non communi more naturæ in matris uterum ex traduce transfusus est,sed a Deo in hunc mundum venit, missus est, qui non, ut ego vel prophetæ omnes,ad hoc natus est, ut mitteretur, sed ad hoc missus est ut nasceretur, hic verba Dei loquitur, id est, sic loquitur quomodo Deus et acceptor testimonii ejus ex verbis ipsius corde credulo concipit, quia Deus verax est quod ex operibus verba consequentibus agnoscere promptum est, et eadem verba divinitatis ejus in sacculo cordis vel memoria signat, ut quoties superbus Goliath, id est Cerinthus vel Arius, sive alius quis hæreticus, blasphemat hunc Deum Israel,parata proferat verba hæc,tanquam de petra David,lapides limpidissimos et blasphemiam superbiæ frontem percutiat (*I Reg.* XVII), contestans quia Dei Filius Deus verax est. Non enim hic homo gregarius aut plebeius est, non communi mensura filiorum Adam, aut justorum hominum divisiva gratia circumscriptus est. Hoc est quod sequitur : « Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.» Vere non ad mensuram, quia totus, sicut per integrum columbæ speciem mihi demonstratum est, totus plane Spiritus sanctus cum omnibus donis suis super eum requiescit, quomodo columba super caput ejus ostendit se mihi cum omnibus membris suis (*Joan.*I). Non ita cuiquam in cunctis millibus, ex quibus hic unus electus est (*Cant.* V), Spiritus sanctus datus est. Nos omnes damnati capitis homines sola Dei clementia perditioni et morti superstites, miseri et egentes,nati infeliciter et a superno Patre extorres, qui rodebamus in solitudine squalentes calamitate et miseria, et esse sub sentibus delicias putabamus, nos **149** olim canes muti, et præ inedia latrare non valentes (*Isa.*LVI),pro magno habemus,et nobiscum bene agitur, quod Deus patrum nostrorum Deus appellari dignatus est, nos ipsos,cum canibus gregis sui posuit et refecti de reliquiis ejus (*Matth.*XV), aperire os et latrare valeamus. Cuique nostrum macræ scientiolæ tanquam panis siliginei semuncia projicitur, vel propheticæ gratiæ quadra dividitur,et sua singuli mensura contenti,bene nobiscum actum esse fatentes, foris excubamus. Huic autem homo nobilis, feliciter natus, et antequam in hac forma nasceretur,cœlorum Dominus et sanctorum angelorum Imperator designatus, nulla mensura circumscribitur, neque divisivum aliquod indicat munusculum Spiritus sancti. Sed quid? Brevi sententiola grandem vobis differentiam ejus exprimam.

« Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.» Quis nostrum habuit aures audiendi,et audire meruit hoc quod iste magnus præco dixit stans a longe et stans humiliter cedens majori, scilicet Filio Dei in confractione cordis sui? quid enim iste dicit contemplator viscerum Dei Patris? quid dixit,quid corde reverendissimo et ore religiosissimo profudit? «Pater,inquit, diligit Filium.» Pater juste, mirumne aut injustum est quod tu Filium diligis? quod tu Filium tuum dignum honore ducis? Si vere utique justitiam loquimur, recta judicemus nos filii hominum (*Psal.* LVII), quorum « nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam (*Ephes.* V). » Si enim carnem suam quisque diligit, et legitimus Pater Filium suum carne sua progenitum eodem quo seipsum honore dignum ducit, et hoc nemo reprehendit,quanto rectius suam Deus Pater in Filio suo substantiam diligit, et illum consubstantialem sibi eodem quo seipsum honore dignum ducit? Quid enim si corruptibilem nostræ mortalitatis pellem de sinu Patris exiens induit? num ideo minus honorabilis est et ipsi Patri, qui ad hoc illum misit, minus debuit esse amabilis? nonne potius ipsum hominem, quem suo jussu induit, ad dexteræ suæ consessum sublevare debuit? Ait ergo : « Pater diligis Filium, et omnia dedit in manu ejus.» Filium,inquit, qualis nunc est, scilicet servili forma indutum, cum ipsa servi forma sic diligit, ut omnia dederit in manus ejus,nec unquam judicaturus sit quemquam, sed judicium omne agere velit per illam servi formam. quam Filius suus jussu suo induit.Hoc ipsum

et Daniel propheta longe ante protestatur : « Aspiciebam, inquit, in visu noctis, et ecce in nubibus cœli Filius hominis venit, et usque ad Antiquum dierum pervenit et in conspectu ejus obtulerunt eum, et datum est ei regnum et honor, et omnis populus, tribus, et linguæ servient ei (*Dan.* VII). » Quid igitur æmulamini et dicitis : « Ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum ? » Omnes omnes, et ipsi et ipsi quoque qui ad eum venire nolunt, in manu ejus dati sunt. Cum exaltatus fuerit a terra, omnia trahet ad seipsum (*Joan.* XII). Omnes judicio suo faciet assistere, oves quidem ad dexteram, hædos autem ad sinistram, et hos qui intus, et illos qui foris sunt judicabit : tantum regnum, tantum honorem suum, tantam potestatem, æternam potestatem Pater dedit illi. Non enim ad mensuram Pater diligit Filium. Si novimus quid sit dilectio Patris, liquet profecto quia totum cor Patris plenum est dilectione Filii nec superesse potuit angulus aliquis in sinu pectoris immensi et incircumscripti, ubi a Filio excluderetur quidpiam minimum vel exiguum de immenso thesauro Patris. Quid enim est dilectio, qua Pater Filium, vel Filius Patrem diligit, nisi Spiritus sanctus Patri et Filio consubstantialis ? Hoc autem supradictum est : Quia « non ad mensuram dat Deus spiritum. » Ergo non ad mensuram, sed toto corde, tota virtute, tota dilectione, toto spiritu scio [suo] diligit Pater Filium. Quid igitur retineret, vel ubi reconderet quod non daret in manu ejus ? Si parentes thesaurizent filiis carnalibus, quanto magis talis parens tali Filio thesaurizasse credendus est cœlum et terram, et quidquid in eis continetur. Quanti vero, vel quales coram illo sunt isti thesauri ? sic sunt « quasi stilla situlæ, quasi pulvis exiguus (*Isa.* XL). » Angusti atque inopes mortalium animi adeo magna hæc æstimant ut dicant : Ubi erat, et quomodo se habebat antequam ista faceret Deus? In qua solitudine taciturnus absque ullis divitiis, et sine cunctis officialibus morabatur? Hæc ideo cogitamus, quia divitiarum ejus solam fecem, id est creaturam, ab illo in tempore et loco conditam, solam præ inopia sensus intuemur. At illi non magis per creaturæ multitudinem honoris vel divitiarum cumulus accrevit, nec magis per angelicæ vel humanæ creaturæ diminutus est ruinam, quam si una stilla plenæ excidat situlæ. Antequam ista faceret, magnus erat Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non erat numerus (*Psal.* CXLVI). Quid ergo, inquis, tantopere a præcone suo magnificatur Filius, quod omnia dederit Pater in manu ejus ? quid ipse Filius quodam loco exsultans : « Omnia, inquit, mihi tradita sunt a Patre meo (*Matth.* I), » Quanta est hic materia exsultationis et gloriæ; quod sibi dantur gentes in hæreditatem ab eo, coram quo sunt omnes sicut stilla situlæ ? Sed vere digna est exsultatio vel magnificentia. Quia non gloriatur avaritia, sed exsultat benevolentia ; quia non ipsi regnum, sed ipse regno proficit ; non ipse nostro servitio sublimatur, sed nostra servitus per ejus dominium liberatur. Ipse dum in nobis regnum accipit, inclinatur ; nos dum illi subjicimur colli nostri vincula solvimus. Igitur quod ait Joannes : « Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus, » idem est ac si dixisset : Nos omnes natura filii iræ fuimus, hic autem unicus dilectionis est filius, et Deus Pater omnium nostrum salutem per manum ejus operatur. Unde et subditur :

« Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. » Ite igitur omnes Ægyptii, ite omnes ad Joseph, et dicite illi : « Salus nostra in manu tua est (*Gen.* XLVII). » Hæc enim dicit præco Salvatoris mundi. Hæc dicit filii præcursor accrescentis, qui regium currum ejus cum voce præconia præcurrit : « Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam ; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. »

Quid est hoc ? Omnes homines in Adam peccaverunt, et ejecti de paradiso Dei ad tenebras devoluti sunt, et Ægyptii, id est tenebrosi, facti, ecce fame pereunt, ecce vitæ æternæ panem non invenerunt. Sed jam nunc iste dominatur in tota terra Ægypti. Et qui crediderit in illum, ipse cibabitur pane vitæ et intellectus, et potabitur aqua sapientiæ salutaris (*Eccli.* XV). Illi aperientur horrea paradisi, quæ clausa erant guloso homini propter morsum ligni vetiti, et de ligno vitæ comedens vitam æternam habebit. Qui ad illum non ierit, qui in illum non crediderit, « non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. » Ita præfinitum est in triclinio Trinitatis, ubi Filius iste natus præceptum obedienter accepit, ut fieret Salvator mundi. Omnis terra nostra sterilitate percussa est, cuncta humani generis massa spinarum et tribulorum maledictione damnata est Quid ergo comedemus nos omnes infelices Ægyptii? **150** Quisquis nostrum, quisquis omnium filiorum Adam, non crediderit in hunc Filium Dei, non confessus fuerit eum Salvatorem mundi, juxta edictum magni Patris, magni Regis Dei, qui illum in currum suum ascendere fecit, « non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. » Quæ ira Dei ? Illa utique quæ super prævaricatorem Patrem ejus descendit : Non enim ait, ira Dei descendit super eum, sed ait, « ira Dei manet super eum. » Olim namque super omnes hæreditario jure descendit, et « non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus (*Act.* IV ; *Rom.* IX) ; » per quod possit amoveri, nisi iste solus et unicus Filius Dei. Qui ergo incredulus est huic, manet super illum ira Dei, quia, ut dictum est, non nisi per istum potest amoveri. Hæc plane salutis aut vitæ conditio recens non est ; nam et Abraham Pater noster secundum fidem, eodem pacto justificatus est (*Gal.* III ; *Gen.* XII). Nisi enim in promissione seminis sui, quod est Christus, credidisset, quod in illo benedicerentur omnes gentes, nec justus nec amicus Dei appellatus fuisset, ac proinde salvus omnino non esset (*Rom.* V ; *Gen.* XVII). Similiter et posteri ejus eadem fu-

turi fide seminis, et ejusdem fidei signo quod erat circumcisio, de quo alias jam dictum est, salvi facti sunt. Quid enim si plurimi signum circumcisionis habentes causam ejusdem circumcisionis nescierunt? Nonne et nunc post abolitam circumcisionem, ex nobis, qui cruci Christi signamur, aliqui præter solum Christi nomen sacramentorum omnium ignari sunt, aliqui et ipsum Christi Filii Dei nomen per ætatis infantiam invocare nesciunt, tamen quia super eos invocatum nomen ejus in illa ætate morientes salvi sunt. Longe enim aliud est, doctum non esse atque incredulum esse. Igitur universaliter sentiamus dictum, id est, de universitate hominum, antiquorum pariter et novorum, « quicunque incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. » Hactenus arserit et luxerit lucerna hæc, viarum Domini præparatrix, nunc exstinguendum est homicidæ et adulteri Herodis sacrilegium (*Matth.* XIV), Deo permittente, quia videlicet lux ejus præsenti tempore opportuna non est. Expedit enim ut antequam Christus ejusmodi luce ubique publicetur, oculi Judæorum obscurrentur, et in tenebris insana mente discurrentes offendant ad istum lapidem offensionis (*Psal.* XC; *Rom.* IX), ad petram scandali (*I Petr.* II), ut conquassentur et conterantur. Igitur et venerabilis et sponsi amicus secedat jam probatus et emeritus, ut hoc tempore sponsus noster, Deus noster, Deus sit absconditus, et de illo tam sublimia nemo loquatur. Nec doleat, quod quasi indignus amoveatur a solvenda corrigia calceamentorum ejus (*Matth.* III), id est, quod non pertingat ad opportunum tempus prædicandæ incarnationis ejus. Nam et illi qui calceamenta ejus in Idumæam extenderunt (*Psal.* LIX), id est, qui fidem incarnationis ejus gentibus prædicaverunt, nati erant mulierum. Dixit autem universali enuntiatione ipse sponsus, cujus calceamenta portare desiderabat, quia « inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* XI). » Non ergo doleat quod velut indignus repulsus sit; nam ubicunque calceamenta ista deportata fuerint, sanguis quoque ejus de carcere et convivio Herodis clamabit, et fidem Christi atque testimonia castitatis magna voce prædicabit. Sequitur:

CAP. IV. — « Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi quia Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes, (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus,) reliquit Judæam et abiit iterum in Galilæam. » Facit prior ipse Jesus quod docturus est humilitatis magister, et venerando præmonstrat exemplo hoc ipsum quod per habitaculum gratiæ suæ Paulum dicturus nobis est, ut simus « honore invicem prævenientes (*Rom.* XII). » Nam quandiu lucerna hæc de qua prædictum est, lucerna clarissima Joannes ardere et lucere potuit (*Joan.* V), ut passi sunt filii tenebrarum, ut staret lucens super candelabrum suum, tanta illum honore dignum duxit hic Dominus omnium ut sicut ille non seipsum commendabat prædicatione sua sed Christum, sic econtra Christus Jesus, illo superstite, nusquam poneret in conspectu populi magisterii sui cathedram per publicæ prædicationis officium. Quod si facere voluisset magna utique claritate sua famam illius citius obscurrasset, sicut sole meridiano lucernæ fulgor exiguus operiri solet. Hoc omnino devitans exemplorum bonorum provisor, nec hoc saltem passus est, ut propter id quod sui quoque discipuli baptizabant, quæstiones augescerent, quæ jam, ut supra dictum est, fieri cœperant, sed loco et tempore sedere dignatus est, ut debito cum honore Baptista suus, ad consummationem cursus sui perveniret. Hoc est quod evangelista nunc refert: « Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quia Jesus plures discipulos facit et baptizat quam Joannes, (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus,) reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam. » Qui omnia novit antequam fiant, tunc primum istud cognovisse dicitur, quando quæstio, quæ prædicta est, ex discipulis Joannis cum Judæis facta est. Et recte tunc cognovisse dicitur, quando jam aliis cognoscentibus palam fieri debebat, quod falsis invidorum laudibus non delectaretur, videlicet eadem judicii sui maturitate, qua dæmonum testimonia clamantium (*Marc* I; *Luc.* IV). Scimus quia Sanctus Dei es, quia Filius Dei tu es, audire dedignabatur. Hoc enim quod Jesus baptizaret, et plures quam Joannes discipulos faceret, audierunt Pharisæi non habentes aures audiendi, sed omnino surdi ad audiendum verbum Dei, et cæci ad videndam rectitudinem consilii divini. Ipsi namque, ut superius dictum est: « Spreverunt consilium Dei, non baptizati baptismo Joannis (*Luc.* VII). » — « Excæcavit illos malitia ipsorum, et nescierunt sacramenta Dei (*Sap.* II). » Hoc isti tales audierunt quod Jesus baptizaret; malitiosa utique invidia, quod discipuli baptizabant in Magistrum referentes. Non enim Jesus baptizabat, sed discipuli ejus. Quod baptizabant discipuli ejus, hoc satis erat occasionem detrahendi contra Magistrum præripere festinantibus. Dicebant ergo: Ecce duos Baptistas habemus, nunquid uterque Christus est? Credibilius est, quia neuter. Quid ergo est, nisi erraticus favor indocti popelli, qui prius Joannem Christum esse nobis susurravit nescientibus et nunc eumdem satiata curiositate fastidiens, istum novum consectatur eadem temeritate vel incertitudine judicii? Videte nunc quam contentiose agant isti duo viri, ut contra se invicem nomina sua magnificent in populis. Uter illorum pertinacius apud turbam istam maledictam, quæ non novit legem, nomen Christi obtinebit? « Ut cognovit Jesus, » inquit evangelista, quia hoc quod supra dictum est, « audierunt Pharisæi, reliquit Judæam et abiit iterum in Galilæam, » non quidem timens illorum malitiam, sed suo secundum hominem priori cedens, et tempus suum, quod illo adhuc prædicante nondum advenerat (*Joan.* VII), decenter exspectans, « Iterum, inquit, abiit in Galilæam. » Signanter addidit, « iterum. » Quia videlicet dudum illuc ab-

erat post quam baptizatum a Joanne spiritus expulerat in desertum (Luc. iv); tunc scilicet quando invenit Philippum, et in Cana Galilææ aquas convertit in vinum (Joan. i, ii). Ut intelligas illum ejus reditum in Galilæam, a quo cæteri evangelistæ **151** incipiunt, non primum, sed alterum esse post ejus baptismum. Hunc ejus reditum diligenti contemplemur intuitu, quia totus figurativus est, et illius aquæ rivum, de quo dixerat in Judæa: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* iii); » illius vivæ aquæ flumina, quæ de templo suo egressura erat (*Ezech.* xlvii), ubi Judæorum sacrilegio solveretur, sicut ibidem tunc dixerat illis. « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (*Joan.* ii), » quo perducturus, quo ejus alveum deflexurus sit, rebus quæ præsens lectio commemorat, dictis et factis suis mystice præpingit, ductore et viarum ejus dispositore digito Dei. Quod evangelista sic incipit: « Oportebat autem eum transire per Samariam. » Quam ob causam? Illam utique quæ longe inferius post hunc ejus transitum his verbis subjecta est: Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia propheta in patria sua honorem [non habet. Ergo, ut verum comprobaret hoc testimonium suum, id est, non aliam ob causam se apud Judæos honorem non habere, nisi quia patria sua, contribules sui Judæi erant, et præ invidia notum hominem contemnebant, simulque hoc ex opposito, id est ex eo quod in patria non sua divinum honorem habiturus erat, aliam convinceret non subesse causam, nisi commune malum superborum invidiam, « oportebat eum transire per Samariam. » Hoc oportebat, hoc proposito vel consilio divinitatis ejus congruebat, ut per illos alienigenas iter faceret, et illud quod de nobis, qui alieni a Deo et hospites testamentorum eramus, consilium habebat præfiguraret. Samaritani namque a Judæis inter alienigenas reputabantur, Samaritanis Judæi non coutebantur. Longa retro series duplex causa dissensionis est: prima, quia per manum Hieroboam decem tribus a Juda et a domo David rescissæ fuerant, et relicto templo Domini, quod Salomon in Hierusalem extruxerat, vitulos aureos, quos fecerat Hieroboam, pro Deo coluerant, videlicet instinctu regis sui metuentis ne si juxta legem ter in anno Hierosolymam ascenderent, ut in conspectu Domini Dei sui apparerent, sollicitati a fratribus suis filiis Juda et Benjamin ab illo recederent (*III Reg.* xii). Alia causa erat, quia cum easdem decem tribus captivasset Salmanasar, et cum reliquiis illarum de diversis gentibus collectos incolas habitare fecisset, unaquæque gens fabricata est deum suum, et ita commistæ cum gentibus reliquiæ Israel, inimicis suis Judæis majorem contemptus materiam dederant, ut merito viderentur contemptibiles (*IV Reg.* xvii). Sed hoc erat propositum Divinitatis, ut Judæis, qui sacrosanctum corporis ejus templum soluturi erant, ut supra dictum est (*Joan.* ii), propter perfidiam relictis, salus ad alienigenas transiret. Bene ergo oportebat relinquentem Judæam transire per Samariam. Factis enim prius loqui volebat, quod postea dictis firmaturus erat. Dicturus quippe: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii), » jam nunc eamdem doctrinam mulieri Samaritanæ a se petendam esse innuit, sub nomine aquæ in vitam æternam salientis. Præsentis ergo lectionis mysteria, nobis advenis gentibus desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum; et dulciora super mel et favum (*Psal.* xviii), enucleare conemur ipso adjuvante, cujus intimam sub cortice litteræ gratiam veneramur. « Venit ergo in civitatem quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. » Sichar ipsa est Sichem, sed vitiose ut Sichar legeretur error inolevit, urbs Samaritanorum quæ nunc Neapolis dicitur. Samaria quippe civitas regalis erat, quæ nunc Sebaste nuncupatur: sed et omnis regio quæ circa eam fuit a civitate quondam nomen acceperat. Illic in videlicet Sichem dedit Jacob prædium Joseph filio suo, quando moriens in Ægypto dixit ei: « Dabo tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo (*Genes.* xlviii). » Dicendo se eam in arcu et gladio possedisse, arcum et gladium justitiam vocavit, per quam meruit peregrinus et advena, interfecto Sichem et Hemor propter Dinæ suæ raptum, de periculo liberari (*Genes.* xxxi). Timuit enim, ut in historia legitur, ne vicina oppida et castella, ob eversionem fœderatæ urbis adversus se consurgerent, et Dominus non dedit eis, ut nocerent illi. Vel certe sic intelligendum: Dabo tibi partem unam, quam emi in fortitudine mea, hoc est in pecunia, quam multo labore et sudore acquisivi. Quod autem ait, « extra fratres tuos, » ostendit abque sorte dedisse eam tribui Joseph. Siquidem eodem loco sepultus est Joseph et mausoleum ejus ibi hodie cernitur. Juxta prædium illud venit Dominus Jesus. « Erat autem ibi fons Jacob. » Fons iste, cum pro raritate fontium vi [vel] jugis aquæ, cujus in illa terra plerisque locis præter cisternas penuria est: tum pro dignitate vel memoria tanti patriarchæ insignis et notus erat præsertim ubi inflabatur alter adversus alterum, scilicet Judæus adversus Samaritanum, et Judæo de civitate David, temploque Salomonis gloriante Samaritanus de priorum patriarcharum mansionibus (*III Cor.* viii), qui illis in locis habitaverant, sese defendens anhelantem solabatur inopiam. « Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat hic super fontem. Hora erat quasi sexta. » Hic jam mysteria quærenda sunt; nam quo modo hic in fonte subjecto relucet solis imago, sic ista Domini Jesu fatigatio vel sessio, fatigationem sessionemque alteram spectat, quam ipse in arcano divinitatis suæ meditabatur consilio. Quam ergo fatigationem sui meditabatur? Judæis dixerat superius; « Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo

corporis sui (*Joan.* II). » Hoc utique futurum erat, et hoc illis facientibus Jesus ipse ex itinere humanitatis suæ, vera passione, veris doloribus, et vera morte erat fatigandus. Deinde ascenso cœlo venturus erat « ad prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo extra fratres suos, » id est, relictis Judæis venturus erat ad gentes, quas Deus Pater in hæreditatem daret sibi vero Joseph, cujus typum nomine et actibus gessit filius ille accrescens Joseph. Ad illam hæreditatem suam venturus erat Dei Filius, et post acerbam mortis fatigationem, sedendo in magna requie ad dextram Patris sessurus erat, et super hujus hæreditatis suæ puteum, id est, exsuperaturus universum humanæ cupiditatis vel philosophicæ sapientiæ profundum. Nam ubi quod stultum est Dei, sapientius esse hominibus comprobavit, et per stultitiam crucis sapientes mundi confudit et subjugavit (*I Cor.* I), hominumque cupiditates timore suo repressit, quid aliud quam super puteum sedit? Bene ergo postquam Judæis de templo suo ejectis dicit : « Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus suscitabo illud, » relinquens Judæam, super Samaritanorum sedit puteum. Quia postquam illos de domo et regno Dei expulit, quia sceleratissime solverunt templum corporis sui, et in agone mortis dicenti : « Sitio, » potum obtulerunt fellis et aceti (*Joan.* XIX), relinquens illis desertam domum suam, venit ut biberet fidem et salutem gentium, et daret illis aquam vivam, quam egredientem de templo corporis sui soluto Judæi ad se venire passi non sunt. Cum autem sic sedet Jesus, hora sexta est, quia videlicet nunc, dum ipse Dominus omnium ad dexteram Patris residens regnat, sexta **152** mundi solvitur ætas. Sequitur : « Venit mulier Samaritana haurire aquam. » Hoc profecto sitiens et arida gentilitas faciebat, currebat certatim ad illam inanem philosophorum hujus mundi disciplinam, ut vel secundum Stoicos curiositatem, vel secundum Epicureos omnem expleret cupiditatem, sperans in illis esse venam aquarum viventium, id est, in scholis illorum prædicari veræ et summæ beatitudinis viam. Quid enim Socratis vel Platonis academiam, cæterorumque sectas diversas philosophorum, nisi puteos viventium esse putabant aquarum? Veniens ergo mulier Samaritana haurire aquam, tandem aliquando invenit Dominum sedentem super puteum, quia philosophos suos diu mirata gentilitas, tandem aliquando reluctantem per apostolos suos audivit Dei sapientiam Christum. « Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. Discipuli autem ejus obierant in civitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana. Non enim coutuntur Judæi Samaritanis. » Non mulier Jesum, sed mulierem Jesus prior alloquitur, et dum ab illa bibere poscit, non se illam, vel ullum hominem communem aut immundum æstimare profitetur, cum utique et ipse causam eamdem ignorare non posset, propter quam mulier mirata est, quam et evangelista subnectens : « Non enim, inquit, coutuntur Judæi Samaritanis, » In quo parva quidem dignationis ejus scintilla prælucet, sed ejus judicio gratiæ ejus immensitas, quæ postmodum in cunctis gentibus eadem dignatione diffusa est, præsignata est. Nam quomodo tunc mulierem illam affatu suo prævenit, quæ nullam colloquii vel alicujus communionis copiam haberet in omnium gentium contemptoribus Judæis, et illam prior obsecrare dignatus est, qui sine ejus ope non solum aquam bibere, sed et totum puteum poterat in vinum convertere : sic omnium gentium merita misericordia ejus prævenit, quæ alienæ et immundæ reputabantur ab illo peculiari populo Dei, nimium de suis vel patrum suorum præsumente meritis, et obsecrare dignatus est ut communicarent sibi, maxime dicente Apostolo qui legatione fungebatur pro illo : « Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo (*II Cor.* V). » Quam reconciliationem dum ab Ecclesia de gentibus ultronea vel gratuita legatione petivit, profecto ab illo bibere poposcit, quia salutem ejus sitiens, totis visceribus charitatis illam revera in magna siti attraxit. Quod audientes illæ, scilicet gentes, plus quam ista mulier, admiratione et gaudio repletæ sunt; sicut in Actibus apostolorum (*cap.* XV) scriptum est, quia cum legissent apostolorum epistolam, gavisæ sunt super consolatione, scilicet quod salvari possent absque circumcisione cæterisque operibus legis, sola Christi fide. Nec illud vacat a mysterio, quod discipuli ejus abierant, de quibus et dicitur, quia « abierant in civitatem, ut cibos emerent, » et solus Salvator cum sola peccatrice et alienigena locutus est. Quando enim gentes primum allocuta est gratia Christi, quando angelum suum ad Cornelium misit (*Act.* X), apostoli Christi abierant, neque cum hominibus ejusmodi quidquam de verbo salutis locuti fuerant; sed extraneos illos arbitrati solos filios regni, scilicet Judæos sibi incorporare volentes, quasi circuibant civitatem, juxta Psalmistam : « Dispersi ad manducandum, et quia non erant saturati, et murmurabant (*Psal.* LVIII). » Igitur cum illa mulier admirata dixisset : « Quomodo tu, Judæus cum sis, poscis a me bibere, quæ sum mulier Samaritana? respondit ergo Jesus et dicit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. » Pulchre divisa sapientia humanæ facundiæ dignatur nunc uti elegantia, dum ab aqua visibili, cujus ad petitionem se inclinaverat latens in carne majestas, metaphoram faciens, mulieris mentem paulatim sublevando ad petendam Spiritus sancti gratiam leni introductione invitat. « Si scires, inquit, donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere. » Notanda diligenter series tenorque verborum. Non ait, si scires Deum, non solum quippe Samaritani, sed et plerique gentilium scire poterant, unum esse Creatorem Deum; sed ait : « Si scires donum Dei, » quod profecto non est aliud quam Spiritus sanctus donum Patris et Filii, quem ante Redemptoris adventum miser iste mundus non cognovit. Item non ait : Si scires, quis dicit mihi : Da mihi bibere; quod

utpote illis scire visu et auditu poterat, cumque sedentem super puteum protento digito Samaritanis convivibus suis demonstrare, sed ait : « Si scires quis est qui dicit tibi, » id est, qualis essentia ejus est, quantum a cæteris mortalibus differt, quia non filius hominis tantum, sed et Filius Dei est, non homo tantum, sed et Deus est. Et est sensus : Si scires Patrem et Filium et Spiritum sanctum, si audisses nominis ejus evangelium, tu forsitan crederes in eum et peteres ab eo donum Dei, scilicet aquam vivam, id est, baptizareris, ut per gratiam Spiritus sanctiæ acciperes remissionem peccatorum. Jam enim Patrem Deum plerique utcunque sciebant ; ipsum autem, qui nunc hæc loquebatur, Dei Filium et Spiritum sanctum nesciebant. Quod in exprobationem Judæorum dictum est, a quibus nunc reversus fuerat, quosque incredulos sciens de templo ejecerat, futurum præsignas quod illis ejectis alienigenas per aquæ et Spiritus sancti regenerationem introduceret in regnum Dei, quod postmodum evidenter Nicodemo dixit. Et est huic simile quod Judaicis civitatibus exprobrans dicit : « Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ in vobis factæ sunt, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent (*Matth.* x). » Quod enim de hac Samaritana muliere veritas protestatur, de idololatris universaliter sentiendum est gentibus, quæ ubi evangelica prædicatione audire et scire meruerunt donum Dei, et eum qui in apostolis suis loquebatur eis, Christum Filium Dei, pœnitentiam egerunt, et Salvatore Christo, donum Dei, vivam aquam, scilicet spiritum remissionis peccatorum petierunt, et in nomine Trinitatis baptizati sunt, sicque una de omnibus gentibus Ecclesia facta est, cujus hæc mulier typum gerebat, et qui in persona illius veritas testimonium perhibebat, quod non per malitiam, ut perfida Synagoga, sed per ignorantiam peccaverat. At illa mulier, adhuc circa nomen aquæ quam haurire venerat carnali sensu oberrans, « dicit ei : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est. Unde ergo habes aquam vivam ? Nunquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum et bibit ipse ex eo, et filii ejus, et pecora ejus ? » Errabat enim mulier hæc in vocabulo aquæ vivæ, nesciens rivum jugiter fluentem aquæ invisibilis, et indeficientem gratiam Spiritus sancti aquam vivam æquivoca appellatione nuncupari. Sed libet jam hujus objectionem Judæorum objectionibus conferre. Superius, cum illis signa petentibus dixisset quiddam, quod intellectibus eorum videretur impossibile : « Solvite, inquiens, templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud (*Joan.* II) ; » illi irreverenter objicientes : « Quadraginta et sex, inquiunt, annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitatis illud ? » (*ibid.*) tu autem, inquiunt, homo contemptibilis : dicendo enim tu, superbiam **153** et contemptum exprimunt : homo ergo contemptibilis et crucifigende, tu in tribus diebus excitabis illud ? hæc autem non hostili irrisione, sed amica percunctatione, reverendi compellatione præmissa : « Domine, inquit, neque in quo haurias habes, et puteus altus est. » Nisi humilem præmisisset vocem Dominum eum compellans, putassemus forte quod tanquam homini alieno utpote Judæo vasculum suum commodatura non esset ad hauriendam aquam. Nunc autem palam est quod non ipsa Judæum contemnebat, sed a Judæo contemni metuebat, quia videlicet Judæi potius evidentem superbiendi materiam habentes, nec vasculis Samaritanorum uti dignabantur : Samaritani vero conscientiæ morem gerentes, etsi interdum animosa contentione seipsos consolabantur, satis illis esset non contemni, et ab eorum, qui in se confidebant tanquam Israelitæ veri, communione non repelli. Rursus illa Samaritana mulier illi Judæo, scilicet Domino nostro, nullum aliud vasculum præter suum præsto adesse videns : « Domine, inquit, neque in quo haurias habes, et puteus altus est ; » tanta scilicet altitudine, quanta manu tua attingere non prævales. Altus quippe et quadraginta cubitis, ab ipso latere hominis usque ad summum digitorum extentis. Nonne ergo longius est a salute superbia Judæorum, quam humilis conscientia Samaritanorum ? Hic et illic Præses justitiæ Veritas in templo corporis sui residens, verborumque ac rerum causas in statera appendens, unam aquam de eodem templo corporis sui profluentem, Judæis non creditam, Samaritanis propinare venit ; imo cunctæ de Gentibus Ecclesiæ, quam, ut sæpe, jam dictum est, hæc mulier Samaritana præfiguravit. Quod illa nondum intelligens, et a Salvatore, quem non cognoscebat, ipsam Samaritanorum aquam Judaico fastu despici, existimans : « Unde ergo habes, inquit, aquam vivam ? nunquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum et bibit ex eo ipse, et filii ejus, et pecora ejus ? » Ac si dicat : Nunquid qualiscunque Hierosolymitanus major est, mundior aut religiosior patre nostro Jacob ? Non. At ille nobis hunc puteum, ille, inquam, non quivis alienigena, sed pater noster tam magnus, tam sanctus, tam mundus, et Deo charus, hunc « nobis dedit puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus. » Unde ergo tu, vel quicunque Judæus, habes aquam, quam in contemptum hujus aquæ, velut mortuæ aut immundæ, appelles aquam vivam, aut mundam ? Notandum quod non ait, qui fodit, sed « qui dedit » nobis puteum. Quia videlicet non legitur Jacob illic fodisse puteum, sed tantum emisse partem agri a filiis Hemor patris Sichem (*Gen.* XXXIII), quod prædium ex veritate veteris historiæ evangelista refert, ut supra dictum est, Jacob dedisse filio suo Joseph, subjungens de hoc puteo : « Erat autem ibi fons Jacob. » Omnis enim puteus fons, quamvis non e converso omnis fons puteus sit. Et quidem Abraham et Isaac certis locis puteos, fodisse leguntur, quorum etiam plerosque Palæstini invidentes obstruxisse et pro quibusdam tantum contendisse referuntur. Hunc autem puteum, de

quo cum Samaritana muliere tanta Salvatoris collatio est, nec Jacob, nec patriarcharum quisquam fodisse memoratur. Recte ergo non dixit, qui fodit, sed qui dedit nobis puteum, fortassis cum ipso prædio pariter a filiis Hemor coemptum, sufficere æstimans ad hujus aquæ defensionem, quod ille tantus patriarcha biberit, « et filii ejus, et pecora ejus. » Ad hæc Dominus noster mulieris tarditati condescendens, qui noverat se indoctarum magisterium suscepisse animarum, generalem propositionem aquæ vivæ, cujus nullas esse differentias aut species illa pervidere poterat, ipsam aquam vivam, quam se posse dare dixerat, et illam quam solam mulier ista noverat, propriis differentiis hoc modo determinat: « Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non B sitiet in æternum. » Hæ namque differentiæ, scilicet iterum sitire et in æternum non sitire, e contrario modo a se invicem discrepant; velut omnem sitim exstinguere et nullam sitim exstingure. Quos effectus contrarios in his Domini nostri dictis advertere promptum est. Nam aqua ejusmodi, quam hæc mulier haurire venerat, scilicet aqua elementaris, nullam omnino sitim exstinguit; quia qui biberit ex ea, solo corpore refocillato, cum iterum sitiat, inopiam naturæ non se explicuisse satis evidenter indicat. Aqua autem illa, quam Jesus dat corporis et animæ sitim æternam funditus exstinguit, ut apud inferos non sitiat ardens aut ardens sitiens, sed eodem, qui hæc loquitur, Agno duce pergat ad vitæ fontes aquarum (*Apoc.* VII), et æternæ beatitudinis haustu, cunctam corporis et animæ purgans inopiam, C non deficiat (*Isa.* LVIII) omni bono in æternum. Unde subditur:

« Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Quæ est enim hæc aqua viva, nisi illa quæ, ut supra dictum est, in baptismo Christi percipitur Spiritus sancti gratia? Aqua hæc Spiritus sanctus est, aqua hæc Deus est. Aqua hæc in corde Dei Patris fons vitæ est, in ore Dei Filii, gratiæ et pacis flumen est, in beatis angelis torrens gloriæ est, in electis hominibus inundatio vitæ est. Quæ a quocunque bibita fuerit, ad matricem suam, æternæ divinitas abyssum resilit, inferno profundior, terræ longior, mari latior, et cœlo altior. Illuc, inquam, resilit, inde venit, pariterque bibentis animam, etiamsi in infernum D descenderit, saliendo in vitam æternam sustollit: ubi non esuriat, neque sitiat, et non percuniat eam æstus et sol (*Isa.* XLIX). Et antequam illuc saliat fons in bibente fit, et per sinum cordis rivos sapientiæ et scientiæ diffundens animæque totum alveum implens, et paulatim in verbo vitæ per meatum oris prorumpens, hortos vicinos areasque longe positas affatim irrigat, talisque anima meretur audire: « Fons hortorum, puteus aquarum viventium (*Cant.* IV). » Recte ergo « qui biberit, inquit, ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. »

« Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam, neque veniam huc haurire. » Beata mulier hæc alienigena, imo beata Ecclesia de alienigenis collecta (cujus hæc typum gestat), merito surrectura in judicio cum generatione mala et adultera, ut condemnet eam (*Matth.* XII): « Si, inquit, terrena dixi vobis et non credidistis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis? » (*Joan.* III.) Terreni templi, terrenæ ædificationis similitudine usus dixerat: « Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud, » et illi terrena, quæ sola in his verbis intellexerunt, cum posse facere non crediderunt. Quomodo credidissent si cœlestia dixisset, si se cœlestem vitam dare posse, si se illos ita portare posse dixisset, ut in vitam æternam salirent? Sed hæc mulier credidit, et confessa est et non negavit. Dixit enim mulier hæc, dicit et nunc mulier magna per totum orbem dilatata anhelans et sitiens, sitiens et clamans: « Domine, da mihi hanc aquam. » Credidit ergo propter quod et sic loquitur (*Psal.* CVI), ac proinde generatio illa jure, ut prædictum est, hujus comparatione condemnatur. Quid tandem restat? quare tantum bonum differtur? Qui bonum tam optabile petendum **154** a se dixit non rogatus, postulanti simpliciter quare non contestim largitur? Audi quod sequitur:

« Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum. Respondit ei mulier: Non habeo virum. » Ecce quomodo mulierem peccatricem, quam sciebat non habere virum, quam noverat legitimum non iniisse conjugium, revocat ad cor suum, ut videat in testimonio conscientiæ suæ, quid facto opus sit, quatenus illud donum Dei mereatur accipere. Poterat dicere: Nisi pœnitentiam egeris et peccata tua confessa fueris, quia peccatrix es, et sic egisti; nisi, inquam, pœnitentiam egeris, ego hanc aquam non dabo tibi, quia videlicet non nisi pœnitentibus et peccata sua confitentibus, et eadem relinquentibus hæc sancti Spiritus gratia, hoc donum Dei tribuitur. Hoc Dominus dicere poterat, sed usa est arte sua nostræ salutis opifex Dei sapientia, quatenus nec illam molesta verecundia pulsaret, et tamen necessariam saluti ejus peccatorum confessionem eliceret.

« Vade, inquit, voca virum tuum, et veni huc. » Quid illa reputaret, nisi ad hoc virum suum debere vocari, ne mulier sine viro suo tanquam vitæ facultatem perciperet, et hoc a tantæ rei largitore recte pensari, quod vir tanti doni particeps esse deberet, cum quo mulier unum corpus esset? Et quidem protinus cucurrisset, si haberet quem virum suum legitime profiteri posset. Sed quid faceret, quæ virum non habebat, nec tamen virgo nec vidua erat? Quomodo jam dignam non timeret repulsam, quæ tali commonitione cogebatur agnoscere se mulierem non legitime nuptam? Stetit ergo suam agnoscens indignitatem, et confessa est dicens: « Non habeo virum. » Sufficit ista confessionis inchoato vocanti misericordiæ. Non exspectavit aut exegit,

totum diceret, sed clementiæ manum porrigens pepercit, ut levi, subvenit conscientiæ fluctuanti. Nam sequitur :

« Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir. Hoc vere dixisti. » Hoc illa mulier bene intellexit, quia vere dixit. Bene et vere nunc quoque Ecclesia dicit, quia quemadmodum illa quinque viris abusa fuerat, et nunc virum non habens, aliquem tamen habebat, quem virum suum nominare non poterat ; sic Ecclesia quondam cum Gentilis esset, quinque sensibus corporis luxuriata, in omni concupiscentia carnis et oculorum, quæ in mundo est, tandem ad hoc devoluta fuerat, ut pro viro suo legitimo, pro factore et amatore animarum Deo, diabolum reciperet ; et in ligno et lapide fornicans cum illo, qui non erat suus vir, sed naturæ suæ hostis, non amator sed interemptor, non sponsus amoris sed auctor mortis ; homicida, non medicus ; diabolus, non Deus. Hoc, inquam, vere dixit : Hoc dicendo veritatem locuta est, sicque semetipsam in principio accusans, abluta lavacro et vivam aquam in poculum salutis adepta est. Igitur Magister et Dominus hoc exemplo discipulis suis, hujus aquæ vitæ ministris imitandus, competenti arte ab ea, quæ vivam aquam postulabat, confessionem peccatorum exegit, eamque ad conscientiam suam revocavit dicendo : « Voca virum tuum et veni huc. » Quæ protinus peccata illa non abscondit, confessa est nec defendit. Nam quam veraciter eadem narranti consentiat, quam humili conscientia veritati concedat, respondendo manifestat :

« Domine, ut video, propheta es tu. » Quid enim amplius est dicere : Verum est, quinque viros ego habui ; aut dicere : « Domine, ut video, propheta es tu ? » Denique in hoc palam est quam non invita fateatur, quod inspectatorem conscientiæ suæ Domini, et prophetæ honorat nomine, nullam aliam ob causam vel experimentum, nisi quod secundum pronuntiationis ejus veritatem peccatricem se agnoscebat esse. Una eademque responsione et de se confessa est, quod erat, et de illo quod eum esse intelligere poterat. Minus quidem et longe minus quam illa est confessa, sed confitendo quantum perceperat, dignam se fecit, cui crederet Jesus totum quod erat. Hoc interim prætereundum non est, non tantum futurorum præscientiam, sed et præteritorum ac præsentium oculorum revelationem recte solere appellari prophetiam. Mulier ista Dominum nihil de futuris prædicentem audierat, sed tantum de præteritis ac præsentibus occultis cordis sui vera dicere illum sentiens, prophetam esse pronuntiabat. Adeo consuetum erat jam tunc, occultorum revelationem prophetiam nuncupari.

Imo vero, cum istæ tres prophetiæ partes sint, id est, de præteritis, de præsentibus et de futuris, ea plurimum valet ad comprobationem prophetici spiritus, qua præsentialiter quis ita convenitur, ut occulta cordis ejus manifestentur. Tunc enim dubitatio homini nulla relinquitur, quin in prophetante solus Deus loquatur præter quem corda hominum pervidere nemo potest alius. Quod Apostolus commendans ait : « Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta sunt, et ita cadens in faciem adorat Deum, pronuntians quod vere Deus sit in vobis (*I Cor.* XIV). » Ita plane mulier hæc, ubi foris audivit ab homine, quod seipsa noverat intus, secure pronuntiabat quod vere in homine illo esset Deus et indubitanter dixit : « Domine, ut video, propheta es tu. » Deinde sciens et hoc, quia prophetæ per figuras et tropologias loqui consuevissent, carnalem amovit intellectum ab ejus dictis, nec eo sensu quo prius ultra vivam aquam ab illo petivit, potius doctrinam veritatis ab eo quærere intendit, tanquam a propheta, tanquam ab eo, qui non de corde suo loquendo contentionibus inaniter efferretur, sed per quem, sicut experimento didicerat, loqueretur Deus. Nam præter sitim corporis ob quam venebat haurire aquam, habebat quamdam alia sitim, scilicet sitim audiendi verbum Dei, quam optime noverat ipse adaquator mentium, qui loquebatur ei. Nunquid enim sola peccata ejus noverat, et desiderium animæ ejus docilemque humilitatem cordis ejus non noverat ? Ut quid ergo dixerat ei : « Si scires donum Dei, et quis est quid tibi loquitur, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam ? » nunquid in incerto locutus est ? an quia dixit « forsitan petisses, » dubitasse putandus est Non utique in sermone omnia scientis, universa videntis, forsitan dubitantis significat incertitudinem, sed affirmantis admirationem, sicut et illic : « Si crederetis, inquit, Moysi, crederetis forsitan et mihi (*Joan.* V). » Nam et illic duritiam vel incredulitatem Judæorum, et hic in eorumdem exprobrationem, facilitatem ad credendum miratur alienigenarum. In hac ergo muliere sitim quoque præviderat audiendi verbum Dei. Cui videlicet siti suæ protinus satisfieri deposcit, ubi prophetam illum esse comperit. Nam dicit ei :

« Patres nostri in monte hoc adoraverunt ; et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi oportet adorare. » Ac si diceret : Domine, quoniam ut video propheta es tu, jam vero diebus multis propheta non est visus in Israel, loquere nobis ex ore Domini, da nobis consulentibus te responsum justitiæ in sermone Domini. Ecce vetus longumque certamen. Vos Judæi non coutimini nobis Samaritanis, et idcirco non coutimini nobis, quia non adoramus in Hierosolymis. Dicitis enim quia tantum in **155** Hierosolymis adorare oportet ; et hoc vobis dicentibus patrum nostrorum repugnat auctoritas, quæ non leviter contemnitur. Nam patres nostri in monte hoc adoraverunt, et, sine dubio, absque Hierosolymis in templo Salomonis Deum placaverunt, quem in monte

hoc adoraverunt. Hic erecto altari Pater noster Jacob invocavit super illud fortissimum Deum Israel, postquam reversus est de Mesopotomia Syriæ, et habitavit hic juxta hoc oppidum, emitque partem agri hujus, in qua fixerat tabernaculum, a filiis Emor patris Sichem centum agnis (*Gen.* XXXIII). Tu ergo, Domine, quoniam propheta es, quid dicis? Hanc proponendo quæstionem mulier sapiens jam profecto aquam vivam petebat magnique desiderii capacem situlam, inclinata super marginem fontis æterni, ad hauriendum immergebat plus inventura aquæ viventis quam adhuc ipsa posset æstimare. Verumtamen in hac ipsa sui inquisitione, non totum dicit, non totum proponit. Dicendo enim illud, unde locus ille poterat esse venerabilis, videlicet « quia patres nostri, inquit, in monte hoc adoraverunt, » dissensionis vel segregationis causas reticuit. Quia videlicet quod Jeroboam et decem tribus cum eo, ut recederent a Juda et a domo David (*III Reg.* XII) cui Dominus jurejurando dixerat: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI), » vitulos aureos fecerant, et adorantes dixerunt: « Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. » Quod factum esse in eadem civitate Sichar, quam Jeroboam reædificavit historia libri Regum narrat (*III Reg.* XII). Præterea commista fuerant, ut superius dictum est, inter gentes, quas Salmanasar, rex Assyriorum, translatis decem tribubus, reliquiis earum cohabitare fecerat, et, unaquaque gente fabricante Deum suum, didicerant opera eorum, et ob hoc majorem Judæis contemptoribus suis causam vel materiam contemptus præbuerunt (*IV Reg.* XVII). Has, inquam, causas, ista mulier in proposita quæstione reticuit. At illa propriæ culpæ maculas satis humiliter confessa fuerat. Non ergo vitio sed laudi potius illi est, quod communem gentis suæ ignominiam, satis omnibus notam, prædicare non properavit. Dominus autem judex æquitatis postulatus ita respondit:

« Mulier, crede mihi, quia venient dies, quando nec in hoc monte, nec in Jerosolymis adorabitis Patrem. » Veneranda et in timore sancto audienda sunt dicta hæc Verbi incarnati, de sancto corporis sui templo suavissime intonantis, et brevi quidem, sed gravi elocutione veram atque se dignam de adoranda Divinitate sententiam proferentis. Et Samaritanos quidem in præterita contentione inferiores fuisse Judæis, rationabiliter astruit, sed eosdem rursus in eo consolatur, quod omnem de locorum suorum prærogativa controversiam mox esse tolerandam indicat veris adoratoribus Dei. Cujus consolationis quoque dicta, tam in principio quam in fine distribuens, mira arte dividit illas, in medio collocans oratiunculæ suæ particulas, quibus Samaritanos absque scientia Deum adorare, dicendo, satis optime percutit. Nam et antequam diceret: « Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est, » repetivit et prosecutus est, quod præmiserat dicens: « Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, » etc. Adeo benevolentiam auditoris infirmi magna dignatione retinere curavit. Nunc singula verba gratiæ de ore ejus emanantia pertractanda sunt. « Mulier, crede mihi. » Tibi, inquit, o mulier, dicturus sum quod viris necdum dixi, tibi crediturus sum, qui non credidi meipsum Judæis, Scribisque ac Pharisæis sive sacerdotibus adorantibus, imo latrocinantibus in illo magno et pulchro templo Dei, et quod illis facto tantum præsignavi, ejiciens illos cum flagello de domo Patris mei (*Joan.* II), verbis autem aperiendum esse necdum credidi, tibi nunc dico: Tibi, o mulier, credo, tuæ fidei committo; tu tantum crede mihi nunc interim tanquam prophetæ, quoniam prophetam me esse dixisti: mihi, inquam, crede, et necdum dico ut credas in me, quod futurum est, quando aliquid de me quod supra prophetam, imo supra omnem gradum vel dignitatem sit incipies sentire. Hoc mihi crede, quia venient dies, et in proximo sunt, quos patres vestri qui in monte hoc adoraverunt, multi quoque prophetæ et reges qui in Jerosolymis adoraverunt et non viderunt, vestri autem beati oculi paulo post videbunt, quando vos qui nunc ut alieni a templo Dei despicimini, vos, inquam, et omnes quicunque de quibuscunque gentibus ad vitam prædestinati estis (*Luc.* X), adorabitis Deum, invocantes Patrem, eum scilicet confitendo et adorando pariter Filium, cujus Pater est, per cujus adorationem fiet ut Deus Pater ejus vester quoque sit Pater. Ita, inquam, adorabitis Patrem, non in monte hoc, neque in Jerosolymis, sed in omni loco dominationis ejus, quia videlicet non tantum in hoc aut solum in Jerosolymis, sed « a solis ortu usque ad occasum (*Psal.* CXII) magnum et horribile erit nomen ejus in gentibus (*Malach.* I). » In Jerosolymis autem qui nunc celebris est orationis locus, « lapis super lapidem non relinquetur, qui non destruatur (*Matth.* XXIV). » Jam exsultare poterat mulier pro favore suæ gentis, existimans quod auctoritate tanti hominis quem prophetam esse credebat, nihilo præferretur monti Samariæ sancta civitas David, templumque Salomonis. Quod tametsi de futuro verum erat, de præterito tamen futurum non erat. Quapropter humilianda erat de peccato quod in Samaria magis abundaverat, ne inepte lætaretur de superabundanti gratia. Sequitur ergo:

« Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. » Ac si dicat: Vos Samaritani, quod a domo David et a templo Dei recessistis, et in monte Samariæ confisi estis, non inde justificati estis quia patres vestri in monte adoraverunt (*Deut.* XII), sed inde coinquinati, quia Jeroboam urbem istam hoc est Sichem in monte ædificans, vitulos aureos fecit hic et dixit: « Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. » Vos, inquam, qui propter cultum vitulorum a templo Dei recessistis, adoratis quod nescitis, dum dicitis adorantes et quid dicatis nescientes: « Isti sunt dii tui, Israel. » Nos Judæi, qui regi nostro

adoremus, et in monte patrum nostrorum in loco quem elegit adoramus, non nescientes quid dicamus, sed optime scientes, quia salus ex Judæis est, quia de tribu Juda et de semine David Salvator repromissus est, et hoc scientes et ob hoc eidem David adhærentes, Deumque qui juravit ei dicens : « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI), » in templo, quod Filius ejus ædificavit adorantes, utique adoramus quod scimus : ad hoc reservati ipsi David, ut ex nobis salus, quæ illi repromissa est, oriretur. Sed hactenus in hac contentione adoraverimus : veniet dies, « quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. » Hoc est quod subsecutus repetivit.

« Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. » Jam venit hora et nunc est, venit et nunc est « tempus acceptabile, dies salutis (*II Cor.* VI), » « quando veri adoratores ; » veri, inquam, id est, non quid adorent nescientes, sed veram adorandi scientiam habentes, « adorabunt Patrem non in monte hoc, neque in Jerosolymis, » ut prædictum est, sed « in spiritu
156 et veritate. » Quid dulcius ? quid hac veri adoratoris definitione pulchrius ? Adorabitis, inquit, Patrem, Spiritum adoptionis filiorum ab ipso percipientes, et in filii ejus unigeniti membra venientes. Patrem enim in spiritu adorare quid est, nisi spiritum adoptionis filiorum accepisse, in quo clamamus : Abba Pater ? (*Rom.* VIII.) Quid est, adorare Patrem in veritate, nisi in Filio ejus manendo (qui dicit : « Ego sum veritas (*Joan.* XIV) ») Patrem invocare ? Idem ergo est ac si dixisset : Veri adoratores manifesta ac necessaria distinctione personarum adorabunt unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Cur hoc loco Spiritum veritati præposuit, nec dixit : Adorabunt Patrem in veritate et spiritu, sed dixit, « in spiritu et veritate ? » Videlicet quia sicut « nemo venit ad Patrem nisi per Filium (*ibid.*) ; » nemo agnoscit nisi per Spiritum sanctum. « Nemo enim potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto (*I Cor.* XII). » Ipsa quoque vera adoratio, propria sancti Spiritus operatio est : « nam quid oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » Proinde opus est, ut homo per prævenientem gratiam accipiat Spiritum sanctum, per quem agnoscat et confiteatur Dominum Jesum in carne venisse, quod est recta via per Filium ad Patrem venire. Bene ergo non dixit : Adorabunt Patrem in veritate et spiritu, sed « in spiritu, inquit, et veritate. » Cæterum, ubicunque invocavit hoc nomen recto ordine et evangelica traditione, primo continuatim Pater et Filius, et deinde tertia persona Spiritus sanctus, eo videlicet respectu quia ab utroque, id est, a Patre et Filio procedit Spiritus sanctus. Sequitur :

« Nam et pater tales quærit, qui adorent eum. » Crede mihi, inquit, quia jam illa « hora venit, et sic Patrem adorabunt veri adoratores. » Nam ecce nunc inpræsentiarum tales quærit Pater, qui adorent eum ; quærit accensa lucerna, quærit diligenter domo eversa (*Luc.* XV). Ecce lumen Divinitatis suæ posuit in testa carnis humanæ, et a sanctuario suo incipiens domum suam evertit, falsos adoratores ejiciendo, qui domum suam (quæ domus orationis est) fecerant speluncam latronum (*Matth.* XXI), et exinde quærit per totum mundum veros adoratores, qui adorent eum, non in carne, sed in spiritu ; non in latrocinio, sed in veritate. Evertetur templum et civitas Jerosolymorum (*Matth.* XXIV), non stabunt luci et delubra Gentilium, dividentur contra se familiæ populorum, rumpentur fœdera cognationum, et duo in tres, et tres in duos seperabuntur, filia adversus matrem, et nurus adversus socrum (*Matth.* X) ; et sic omnimoda commotione domo eversa, tales procul dubio Pater inveniet qui adorent eum. Non tales factos inveniet qui adorent eum, sed inveniet in lucis et in delubris idolorum, quos tales faciat, ut adorent eum. Nam idololatras inveniet rapaces, ebriosos, fornicarios, cæterisque vitiis obsessos, sed abluet eos, sed sanctificabit eos in spiritu suo et in veritate sua (*I Cor.* VI). « Non congregabo, inquit, conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea (*Psal.* XV). » Idololatræ sive fornicarii nominabantur, sed vocabit eos nomine alio, in quo qui benedictus est benedicetur super terram (*Isa.* LXV). Dices : Quare tales Pater quærit adoratores ? quare neque in monte hoc, nec in Jerosolymis adorabimus Patrem ? Audi quod sequitur :

« Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. » Quamvis ita recte possit accipi : Spiritus sanctus est Deus, videlicet ut spiritus subjectum, et Deus sit prædicatum ; rectius tamen hoc loco Deus subjectum, et Spiritus intelligitur prædicatum ; nec aliud esse quod dixit : « Spiritus est Deus, » quam si dixisset : Deus est Spiritus ; quomodo et ibi : « Et Deus erat Verbum ; » non aliud sine dubio intelligimus, quam si dixisset : Et Verbum erat Deus. Nunc enim non id igitur adversus Spiritus sancti blasphematores, et idcirco falsos atque impios Dei Patris adoratores, ut propria sancti Spiritus persona Deus esse defendatur, sed agitur adversus carnales et sanguinolentos adoratores, quod Deus verus, quem se legitime adorare jactitant, non sit caro, sed Spiritus ; et ideo non manducandis taurorum carnibus aut epotando hircorum sanguine delectatur (*Psal.* XLIX ; *Hebr.* IX) ; imo non in loco quærendus, sed in Spiritu sancto adorandus, et in veritatis confessione sit invocandus. Hoc ergo astruit, quia Deus Spiritus est. Vere enim Spiritus est non solum corporis sensus, sed et subtilitatem excedens omnis Spiritus ; Spiritus incircumscriptus, quia in nullo loco concluditur, neque ut Humaniformii putant, humanorum similitudine membrorum disterminatur. Spiritus enim omnium spirituum fortissimus, omniumque spirituum, quorum utique Creator ipse est, subtilissimus, nullius capax, capabilis autem præ subtilitate suæ naturæ, rationalibus, id est, tam angelicis quam humanis spiritibus.

Et hoc æqualiter de tota Trinitate sentiendum est, quia profecto tam Pater et Filius quam et Spiritus sanctus Spiritus est; nec idcirco tertia Divinitatis vice persona Spiritus sanctus dicitur, quod sola persona hæc sit Spiritus, sed quia procedit ab utroque, id est, Patre et Filio, idcirco nomen hoc ab utroque sortitur, ut dicatur Spiritus sanctus. Nam, ut prædictum est et Pater Spiritus, et Filius Spiritus est, et Pater sanctus, et Filius sanctus est. Atque inde mutato vel composito nomine Spiritus sanctus dictus est. Igitur quia « Deus Spiritus est, et, eos, inquit, qui adorant, in spiritu et veritate oportet adorare, » id est, in Spiritu adoptionis filiorum clamare: Abba Pater (*Rom.* VIII), in Filii confessione honorare Patrem, ut supradictum est. Oportet enim os in confessione veritatis aperire, et Spiritum attrahere, atque in illo dicere Dominum Jesum, atque confiteri illum in carne venisse (*I Cor.* XII). Alioquin « qui mactat pecus quasi qui excerebret canem; et qui offert thus quasi qui benedicat idolo (*Isa.* LXVI). » Sive Judæus, sive Samaritanus, vel quilibet schismaticus, præcidens se ab unitate Spiritus quia non est verbum veritatis in corde ejus et in ore ejus (*Rom.* X), id est, quia non credit corde ad justitiam, quod est adorare Patrem in spiritu, et non confitetur ore ad salutem, quod est adorare eum lem in veritate. Judæus, inquam, sive hæreticus æque ut paganus, nullatenus inter veros Patris adoratores reputantur.

Cum ergo, inquis, Deus a patribus nostris in carnibus et sanguine holocaustorum aut victimarum se adorari voluit, nunc spiritu et veritate mavult adorari, cur tunc alios vel diversos quam nunc quæsivit? aut nunc alios quam tunc adoratores requirit? Ad hæc, inquam: Permisit quidem, sed non jussit Deus in ejusmodi sacrificiis se adorari; permisit, inquam, non præcepit; pertulit, non voluit. Respexit interdum oblata, nunquam quæsivit offerenda. Jamdudum ab omni hujusmodi objectione Dominus per prophetas suos defendit se. Dicit enim per Jeremiam: « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc Verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam (*Jer.* VII), » etc. Item per Isaiam: « Holocaustomata, inquit, arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et
157 agnorum et hircorum nolui (*Isa.* I). » Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Igitur quales nunc quærit, quales nunc esse præcipit, tales Deus, qui spiritus est, semper adoratores quæsivit, nec voluit unquam aut dedignatus est aliter quam in spiritu et veritate adorari. Porro carnales erant homines filii Israel ex Ægypto egredientes, assueti secundum Ægypto cæterasque gentes holocaustomata victimis addere, carnesque comedere. Præterea nec Spiritus datus, nec veritas de terra orta fuerat, in qua deberent sicut oportet adorare. Concessit ergo pro tempore et pro hominum qualitate, ut adoratores qualescunque mactarent et comederent sacrificiorum carnes, posita lege de sacrificiis propter transgressiones, tanquam pædagogus (*Gal.* III) adolescentem petulantem cohiberet lex, donec gratia veniret, aleret figura, donec veritas illucesceret, faveret umbra, donec res clara succederet. Nunc Spiritus datur et in proximo est, nunc veritas adest, quia « gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I). » Nunc venit fides per quam verus adorator exstitit Abraham pater noster, et ipsa quæritur, amoto pædagogo, quæ ex spiritu et veritate est, in qua adoravit Abraham, ut prædictum est, in qua adorare oportet cunctos veros adoratores. Ubi non est Judæus neque Græcus (*Gal.* III), imo quod magis ad rem jam attinet, non est Judæus neque Samaritanus, non servus, neque liber, non masculus neque femina, sed omnia in omnibus cum spiritu suo veritas (*Col.* III). Sequitur:

« Dicit ei mulier: Scio quod Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. » Hoc interim memori mulier mente volvebat quod dixerat: « Venient dies, » et repetendo: « Venit, inquit, hora et nunc est. » Nec inscia erat quin de Christi adventu loqueretur, cujus in diebus justitia et abundantia pacis orietur (*Psal.* LXXI). Legem quippe et prophetas Samaritani recipiebant, ex quorum præconiis scire poterant venturum Christum doctorem justitiæ; primo Mose dicente: « Prophetam suscitabo eis, inquit Dominus, ne fratribus tuis similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam (*Deut.* XVIII). » Hinc illa: « Scio, inquit, quia Messias venit, » subaudis, qui nos doceat alia legislatione: eodem Mose loco supradicto attestante ac dicente: « Prophetam suscitabit vobis Dominus ex fratribus vestris, ipsum audietis tanquam me. » — « Cum ergo venerit, inquit, ipse nobis annuntiabit omnia. » Sane quod interpositum est: « qui dicitur Christus, » non mulier dixit, sed evangelista, ut nomen hebraicum interpretaretur, interposuit, quia Messias Hebraice, Christus Græce, unctus dicitur Latine. Unctus autem est regali pariter et sacerdotali gratiæ plenitudine, unctus præ consortibus suis (*Psal.* XLIV), id est præ cunctis filiis hominum. « Non enim illi ad mensuram dat Deus Spiritum (*Joan.* III). » Cum venerit, inquit, ille talis, ipse nobis annuntiabit omnia: ecce quomodo explorat quod audierat, ecce quomodo se audisse dissimulat, ut iterum et amplius audiat. Et quidem ait se scire quia venient dies, et quia Messias venturus est; dissimulat autem se audisse, ut iterum audiat, « quia venit hora et nunc est. » Sic ori suo parcendo melius interrogabat, sic modesta non molesta interrogatione melius pulsabat. Dicit autem ipse: « Omnis qui

petit accipit, qui quærit invenit, et pulsanti aperietur (*Matth.* VII; *Luc.* II). » Nonne Judæi superbus quæsierunt et pulsaverunt dicentes : « Quod signum tu ostendis nobis quia hæc facis (*Joan.* II) ? » et non invenerunt, nec aperte audire digni fuerunt. Quare ? quia non cum fide, sed infideliter quæsierunt ; non modeste, sed moleste pulsaverunt. Hæc autem humiliter quæsivit, fideliter petiit, modeste pulsavit. Sequitur ergo :

« Dicit ei Jesus ; Ego sum qui loquor tecum. » Ego, inquit, qui loquor tecum sum ille Messias ; ego vobis annuntiabo omnia. Ecce quomodo huic alienigenæ seipsum credidit, quem Judæis non crediderat, ostendit illi honorandum nominis sui thesaurum, quod in patria sua, scilicet in Judæa necdum prodiderat, ne mox quod futurum erat, pretiosam nominis ipsius margaritam porci conculcarent, et hoc sanctum canina rabie blasphemantes corroderent (*Matth.* VII). Hoc enim in exprobrationem illius patriæ suæ fiebat, in qua, sicut Evangelista posterius dicturus est, honorem se non habiturum perhibebat, videlicet ex opposito patriæ non suæ, id est, gentilitatis, in qua non solum tanquam propheta, sed tanquam Deus Dei Filius honorem divinum habiturus erat, quod jam a præsenti effectu comprobat. Honoratus est enim ab his alienigenis Samaritanis, ubi Christum se esse dixit. Inhonoratus est et crucifixus a contribulibus suis, ubi signa et prodigia fecit in eis, quæ nemo alius fecit (*Joan.* XV). Sequitur :

« Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea ? » Hoc miraculum tunc quidem cœpit facere discipulis suis Dominus Jesus, in eo, quod ex Judæis natus, qui non coutebantur Samaritanis, mulieri Samaritanæ in colloquia jungi dignabatur ; perfecit autem post resurrectionem suam, eo quod Petro per excessum ostensis aaimalibus, sive reptilibus et serpentibus dicendo : « Macta et manduca, et, quod Deus sanctificavit, tu commune aut immundum ne dixeris (*Act.* X), » neminem hominem commnnem aut immundum dicendum esse ostendit. Et tunc quidem tanquam Magistro et Domino reverentiam exhibentes tacuerunt, « et nemo illorum dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea ? » Cum autem in nationes gratia sancti Spiritus effusa esset, cum super Cornelium et cæteros gentiles, qui loquente Petro audiebant verbum, Spiritus sanctus decidisset, et loquerentur linguis magnificantes Deum (*Act.* X), tunc vero mulier magna, scilicet, Ecclesia de gentibus, quæ per hanc Samaritanam significabatur, magno testimonio defensata est, ut timerent, dicente Petro : « Ego quis eram qui prohiberem Deum, et glorificarent Deum dicentes : Ergo et gentibus pœnitentiam ad vitam dedit (*Act.* XI). » Nunquid enim Christo, vel Spiritui ejus dicere auderent : Quare introisti ad viros præputium habentes ?

« Reliquit ergo mulier hydriam suam, et abiit in civitatem, et dicit hominibus illis : Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci ; Nunquid ipse est Christus ? » Eleganter satis in hac muliere præfiguratum est qualiter Prophetam hunc patria non sua, scilicet Ecclesia de gentibus honoratura sit. Ubi audivit dicentem illum : « Christus ego sum qui loquor tecum, » continuo situlam suam, propter quam venerat haurire aquam, præ gaudio vivæ aquæ quam invenerat, oblita est, hydriam suam reliquit, ut expeditior curreret, totamque civitatem attonitam reddidit, clamando cujusmodi hominem reperisset, vel quid ab illo audisset. Audito namque Christi nomine, primitiva gentium Ecclesia, statim curam carnis in concupiscentiis facere oblita est (*Rom.* XIII), cupiditatem suam vel curiositatem, quam inanis philosophia (*Col.* II) seu fluxus rerum temporalium voluptatibus implere satagebat, abjecit, omnique onere deposito, solum Christi nomen pectore et ore bajulans, **158** mundum omnem clamore boni nuntii complevit, invitans ad credendum, festinans ad generandum spiritualium turbam filiorum. Et quidem tunc vix pauci admodum mirati sunt, aut attenderunt saltem, quod illa mulier præ festinatione felicis gaudii suam hydriam reliquisset. At vero ubi mater nostra Ecclesia, quæ prior nobis Jesum foris invenire meruit, et intrantibus, ut supra dictum est, apostolis, imo etiam indignantibus quibusdam ex circumcisione fidelibus gratiam ejus (*Act.* XI), id est spiritum accepit, ita protinus omne sæculi onus abjecit, ut miraculum grande fieret cunctis, mundi amatoribus, cunctis sæculi potestatibus, regibus, judicibus, gentibus universis, maximeqre suis secundum carnem cognatis vel affinibus, nec vero solummodo omnibus miraculum sed et pleræque parti, imo et toti diabolicæ civitati, cujus caput Roma, cujus superbiæ cornu Nero tunc erat, furoris fuit incendium, causa tumultus, et irarum occasio, seditionum et sævissimæ persecutionis incitamentum. Omnibus pœnis, omnimoda effusione sanguinis cogebant illam, ut reciperet suam, quam abjecerat hydriam. Prævaluit virtus aquæ vivæ, dulci ebrietate sopitam exsuperans carnem, mentemque lætificans vigilantem, ita ut non solum cupiditates abjectas rursus bibere non appeteret, sed et ipsa animarum vasa fictilia, scilicet corpora sua, penitus abdicarent. Sic multitudo martyrum coronata est. Interea clamore non cessante dicentium : « Venite et videte hominem, » credite in Christum Dei Filium, verum Deum et verum hominum, exierunt mali cives civitatis diaboli, et facti sunt boni cives civitatis Dei, Unde et subditur :

« Exierunt de civitate, et veniebant ad eum. » Hoc quoque in exprobrationem patriæ ejus positum est. Gens enim sua et pontifices Pilato traditum extra civitatem ejecerunt, et ab eis qui signa ejus multa et magna viderant, ejectus « extra portam passus est (*Hebr.* XIII), » hi autem alienigenæ et

Ignoti, qui nec verbum quidem ullum ab eo audierant, quando minus signa viderant, hi, inquam, propter hoc solum, quod ab una muliere audierant, dicente : « Quia dixit mihi omnia quæcunque feci, » multum honorantes eum, exibant de civitate sua, et veniebant ad eum. Amplius autem nunc, ubi jam a prædicta patria sua usque ad finem, id est usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II), inhonoratus est. Nos vero qui illum non vidimus, sed tantum in auditu auris didicimus, quod, sicut Apostolus ait, « Jesus ut sanctificaret per semetipsum populum, juxta portam passus est, eximus ad eum extra castra, improperium ejus portantes (*Hebr.* XIII). » Nunc, inquam, amplius exprobrandum est malis, et digne perditis agricolis, quod Dominum vineæ, Dominum suum extra vineam ejicientes occiderunt (*Matth.* XXI; *Luc.* XX), et idcirco recte ablatum est illis regnum Dei, et datum est genti, id est gentilitati facienti fructus ejus. Quia de civitate, « quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus (*Apoc.* II), » sive Babylonia meretrix, de civitate, inquam, diaboli, quæ civitati Dei supernæ Hierusalem semper adversatur, exivit populus Dei, deflens et confitens, quod peregrinus sit et advena super terram (*Hebr.* II), clamando ad alterutrum : « Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII). »

« Interea rogabant eum discipuli dicentes : Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. » Superstitionis Judaicæ hoc erat, quo discipuli Jesu mirabantur de illo, quia cum muliere Samaritana loqueretur, et tamen cibos quos a Samaritanis emerant, illi ad manducandum offerebant. Verum fuerit hæc carnalis vel qualiscunque, superciliosa tamen justitia Scribarum et Pharisæorum, ut ab alienigenis coemerent quidem, sed nullatenus præparatos ab illis cibos aut potum propinatum perciperent. Illud omittendum non est, propter quod hoc, cæteraque, ut jam dictum est acta vel conscripta sunt, videlicet quod Scribæ et Pharisæi gentes despectui habentes, et cuncti pene Judæi salutem earum odio habentes, gaudebant tamen quod ipsi reges et principes locum persæpe summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent, interdum et de suis reditibus præstarent sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. In hoc, inquam, gaudebant, cum haberent manus pollutas Christi sanguine, hujusmodi sacrificia offerentes, adhuc tamen fideles, qui erant ex circumcisione de illorum privilegio cum gentibus altercabantur Judæorum tantummodo conversionem, velut mundum cibum, Christo contendentes esse offerendum, gentiles autem, sicut Petro per visum ostensum est, velut immunda quadrupedia terræ (*Act.* IX), indignos reputantes. Cum interea quidam de hæresi Pharisæorum qui crediderant, surgentes dicerent : non solummodo circumcisionem, sed et totam legem Mosi oportere servari (*ibid.*), quid aliud discipuli Jesu, nisi cibos importunos offerentes, dicebant ei : « Rabbi, manduca ? » Sed econtra clamat ipse in psalmo : « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo (*Psal.* XLIX) ? » Nequaquam : « Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves. Cognovi omnia volatilia cœli, et pulchritudo agri mecum est. Si esuriero non dicam tibi ; meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus (*ibid.*). » Sed quid ? « Immola Deo sacrificium laudis (*ibid.*). » De quo perfecto vero sacrificio, ciboque sibi congruente protinus dicit : « Ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis. » Revera namque nesciebant, quo abjectis cibis et potibus, variis baptismatibus et justitiis carnis (*Marc.* VII), veri adoratores adoraturi essent Patrem in spiritu et veritate quod vere est verum sacrificium laudis Deo Patri et Filio et Spiritui sancto immolare. Nesciebant, inquam, nam hoc illis non præsentibus, sed absentibus dixerat Dominus mulieri Samaritanæ. Unde et mirantes dicebant ad invicem.

« Nunquid aliquis attulit ei manducare ? » Eodem modo in verbis ejus carnali sensu caligabant, cum diceret eis : « Ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis, » quo et Samaritana mulier, cum de aqua viva a se petenda vel danda loqueretur ei. Non ergo mirum quod illa in aquæ vocabulo hæsitavit, cum isti in cibi nomine nihil velociores ad intelligendum fuerint. In hoc sane miram dignationem operæ pretium attendere sapientiæ Dei, quæ sic parvulis condescendit, ut non omittat qualemcunque rem occasio sibi objecerit, quin per ejus similitudinem illis introducenti studio, quasi præ oculis exibeat invisibilia mysteria regni Dei. Quid enim omittit qui non regum nuptias, nec piscatorum sagenas, non margaritas negotiatorum (*Matth.* XIII), nec veteres uteros vinariorum (*Luc.* V), non ficus (*Marc.* XIII) aut vineas, neque granum sinapis (*Luc.* XVII), nimirum inter minuta præterit olera ? Ita de singulis similitudines cœlestium carnalibus explicat, ut tanquam in notis et vulgaribus speculis solis imaginem videant, qui ejus splendore ægris oculis ferre non sustinent. Sic nunc mulieri aquam haurienti sub nomine aquæ de gratia locutus est Spiritus sancti, ut ex commoditatibus aquæ visibilis quam hauriebat, virtutem perpenderet aquæ
159 invisibilis, quam nesciebat. Sic nihilominus cibos offerentibus incorporeos, de corporeo loquitur cibo, ut ex corporea refectionis similitudine, ostendat voluntarium, imo et optabile sibi esse operari opus salutis nostræ. Quod quia non adverterunt prima ejus dictione, dixerunt enim : « Nunquid aliquis attulit eis manducare ? » protinus subsecutus adjungit : « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, ut perficiam opus ejus. » Quo dicto patenter indicat quam spontanea in ope-

rando salutem nostram Deo Patri obedientia deservivit, et quod magis delectetur in hac obedientia, quam aliquis esuriens, dum oblatis cibis dicitur ei: Manduca. Et recte plus. Nam corporeis cibis sola caro quæ defecerat reficitur, iterum defectura; per hanc autem obedientiam sic refici habebat mortalis et passibilis in Christo natura humana, ut resurgens a mortuis jam non moriatur, « mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Quæ est enim voluntas Patris, nisi illa de qua paulo ante mulieri Samaritanæ dixit: « Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum? » Quid, inquam, vult aut quid quærit Pater, nisi veros adoratores habere qui adorent eum in spiritu et veritate? Sed tales per Filii passionem inventi sunt, tales adoratores per crucem et sanguinem Filii Deo Patri acquisiti sunt. Cum ergo dicit: « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, » hoc, ut prædictum est, per congruam similitudinem magnifice exprimit, quanto desiderio consummando operi salutis nostræ intentus sit. Et quidem constat sanctos homines, qui spiritum adoptionis filiorum acceperunt (*Rom.* VIII; *Gal.* IV), cum magna dilectionis dulcedine operati opus fraternæ salutis, et si quidem a timore servili incipiunt in amore filiorum consummari, quod est juxta Psalmistam dilatato corde currere viam mandatorum Domini (*Psal.* CXVIII). Verumtamen nemini illorum adeo dulcis est labor operis, ut omnino recte dicat: « Meus cibus est » quod facio voluntatem Dei. Non enim quidquam impassibile habet substantia hominis, cujus respectu dicere possit laborem vel afflictionem in opere Dei sic sibi delectabilem esse, ut cibus suus debeat appellari. Constat quippe, tam ex anima et corpore, quod utrumque est procul dubio passibile. Ideoque cum quis tribulatur, patienter et suavitate conscientiæ suæ reclinatur, quia pie vivit in Christo (*II Tim.* III), necdum recte dicitur cibo suo vesci, quia nondum ipsa merces operis reficit, sed sola consolatur cum spes, in alio repositæ mercedis, ut non deficiat, sive lacescat [lassescat] sub illa qua totus, id est in anima et corpore, premitur vi tribulationis. At vero Christus non totus erat passibilis, neque tantum ex anima et corpore, quæ utraque passibilia tunc erant, sed ex divinitate quoque constat impassibili. Et cum subiret acerbam passionem mortis, faciendo voluntatem Patris, non totum, quod Christus est, id est divinam simul et humanam naturam, transverberabat viris doloris, sed natura quidem hominis vero dolore cruciabatur, natura vero Dei charitate sua cum Patre suo pascebatur, qua et semper pascitur. Pascebatur, inquam, et saturabatur opprobriis, non ut martyres sancti in gaudio spei, sed ut martyrum et sanctorum omnium Deus, in præsentia sempiternæ et incommutabilis rei. Quid enim unquam speravit? quid unquam non habuit is, per quem omnia facta sunt, Filius Dei? Nunquid operarius conductus fuit? Nunquid præmium sperans evangelizavit? Nunquid usquam tale quid dixit, quale apostolus Paulus? « Necessitas, inquit, mihi incumbit; væ enim mihi est, si non evangelizavero; si enim volens hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est (*I Cor.* IX). » Quapropter et hoc usquam de illo dictum est, quod præmium acceperit, sicut solet dici de omnibus sanctis, quibus Deus mercedem laborum suorum reddidit (*Sap.* X), quia videlicet ipse sanctorum omnium remunerator et remuneratio est sedens ad dexteram Patris: ubi quamvis natura humana gloria et honore, quem non habebat, coronata sit (*Psal.* VIII), natura tamen Divinitatis, quæ illam naturam provexit, ita nos jure tenet reverentia sui, ut recte fateamur quia Christus Dominus quidquid secundum hominem accepit, non aliunde, sed de insita sibi divinitate accepit, ac proinde mercede donatum illum dicere fas non sit. Igitur sancti omnes, quamdiu hic exsulant, ubi a divinæ visionis convivio gementes jejunant, quamlibet voluntarie, quantolibet cum amore, quod bonum est ad omnes operentur (*Gal.* VI), sive inviti pro dispensatione credita, sive volentes, et ideo mercedem apud Deum repositam habentes, evangelizent (*I Cor.* IX), nemo tamen illorum recte dicit: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Dei, » solus autem ille non aliunde mercedem sperabat, sed in seipso habebat, dicente propheta: « Ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo (*Isa.* XL), » solus, inquam, ille, qui in opere suo jam divinitate sua pascebatur, veraciter dicere potuit: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus, » quia videlicet Dei Filius impassibilis in ipsa passione carnis, quam voluntate Patris assumpsit, dum perficeret opus ejus, opus nostræ redemptionis, opus nostræ salutis, plene atque perfecte delectabatur cum illo propter nos in plenitudine charitatis. Nostra quoque qualiacunque bona opera, nostra fides et dilectio, cæteraque talia, nunc interim cibus ejus sunt, postmodum vero noster cibus erit visio ejus, ubi implebit quod promittere dignatus est, « ut edatis, inquit, et bibatis super mensam meam in regno meo (*Luc.* XXII). » Unde ordinate in Apocalypsi loquitur: « Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, introibo ad illum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Cibamus enim eum, quoties eamdem voluntatem Patris usque ad finem, scilicet ædificando alterutrum facimus, donec ipse qui est caput super omnia membra Ecclesiæ quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus omnia in omnibus adimpleatur (*Ephes.* I). Sicut enim adimpletur imperator, si quotidie ejus augeatus exercitus, et fiant novæ provinciæ et populorum multitudo succrescat, ita et Dominus noster Jesus Christus, in eo, quod sibi credunt omnes, et per dies singulos ad finem ejus veniunt ipse adimpletur in omnibus, et quicunque hanc voluntatem Patris cum illo faciunt, ipsi illum cibant, et juxta alium evangelistam faciunt illum proficere ætate et sapientia et gratia, non solum apud Deum, sed etiam apud homines (*Luc.* II). Cur autem nunc primum hujusce cibi sui mentionem fecit? Nam si hactenus discipu-

lis suis cibos sibi offerentibus consuevisset ista commemorare, non utique nunc errassent in verbis ejus, dicendo : « Nunquid aliquis attulit ei manducare ? » Cur ergo nunc primum dixit, « meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, » nisi quia nunc primum tempus et locus commonuit, videlicet exeuntibus de civitate, et venientibus ad eum alienigenis, scilicet Samaritanis, erga quos et omnes gentes hæc erat voluntas Patris, ut operante Filio, fierent veri adoratores sui ? Grabatulatur namque Filius in illo cibo suo, in illa voluntate Patris, licet patriam suam, in qua inhonorandus erat, scilicet Judæos, quorum detrimento sibi parabatur ille cibus, ut est gentium salus, Judæos, inquam, falsos adoratores, templo diruto, et civitate Jerosolimorum **160** subversa, ejiciendos humano fleverit affectu (*Luc.* XIII). Itaque cum Samaritanos exeuntes et venientes ad se videret, permanens in metæ hora gratulabundus, ad modum divitis, cui jam matura messis cibos plurimos pollicetur, hoc modo cœpta prosequitur :

« Nonne vos dicitis quia quatuor menses sunt, et messis venit ? Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Ecce nesciebamus, quo tempore Dominus relicta Judæa, ut supra dictum est, postquam ascenderat Jerosolimam instante solemnitate paschali, reversus sit in Galilæam, transiensque per Samariam, hæc fecerit vel dixerit, quæ præsens Evangelii lectio commemorat. Sed nunc ex eo, quod ait : « Nonne vos dicitis quia quatuor mensis sunt, et messis venit, ex hoc inquam, colligimus quia circa mensem, qui apud nos Februarius dicitur, hunc transitum fecit. Mensem siquidem, qui apud nos Maius dicitur, plena messis in illis est regionibus. Unde et in festivitate Hebdomadarum, quæ et Pentecostes dicitur, novum sacrificium, id est, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ ex omnibus habitaculis secundum legem offerri jubebantur (*Lev.* XXIII, *Num.* XXVIII, *Deut.* XVI). Igitur ex quo Dominus aquam in vinum convertit in Cana Galilææ, et nunc quando revertitur iterum in Galilæam, annus exactus est, qui est ætatis ejus tricesimus primus. Joanne adhuc superstite de quo supra dictum est quia « erat baptizans in Enon, juxta Salim, ubi et quæstio facta est ex discipulis ejus cum Judæis de purificatione (*Joan.* III). Quando autem vel quo hujus anni tempore sequentis idem Joannes traditus, aut quandiu ab Herode custoditus sit, certum non habemus, quia de Scripturis colligere non possumus. Nunc ad expositionis ordinem redeamus. « Nonne, inquit, vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, et messis venit ? » Sic tanquam eos refellere velit, more coarguentis acrius, sub interrogatione proponit, ac si præter suam spiritualem messem, nullam aliam, nullam omnino noverit. Et revera nullam messem aliam sua vel discipulorum suorum commemoratione dignam judicat, quamvis per ipsum, per quem omnia facta sunt, hoc etiam fiat, ut messis illa, de qua dicebat, hæc singulis annis provenit. Si enim propter Evangelium patrem, et matrem, fratresque, ac sorores oblivisci ac relinquere præcipit ei, qui se dignum esse cupit (*Matth.* X, *Luc.* IV), ne pro affectu carnali retardetur ab intentione cœlesti, quanto magis eamdem ob causam vel studium recte discipulos suos scire aut recordari nolebat, quando illa messis veniret : Quæ profecto, nec si inde tacerent, tardius, nec si inde loquerentur, citius maturesceret ? Aliter quippe veraciter dicere non possumus : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Phil.* III), » nisi cœlestium meditatione ita occupati simus, ut non vacet nobis cogitare aut loqui de terrenis, ita intenti agriculturæ Dei, ut superfluum arbitremur loqui de naturalibus terrenæ agriculturæ incrementis, ita inhiantes faciendæ voluntati Dei, ut negligamus cibos corporis. Recte ergo quasi coarguens : « Nonne, inquit, vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, et messis venit ? « Et protinus adjungit : « Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. » Oculos vestros, inquit, oculos interioris hominis, levate ab hac messe, quam ego comedere non veni, ad quam ego vos operarios non conduxi, et videte, non regionem unam, non Judæam solam, patriam meam, in qua ego Domini aut possessoris honorem habiturus non sum, sed videre plures regiones gentium, regiones omnium nationum, quam albæ sunt jam ad messem. Quia sicut dominis regionum cibi ipsorum præsto sunt, quando regiones ipsæ albæ sunt ad metendum messem, ita mihi, cui postulanti a Patre gentes in hæreditatem datæ sunt (*Psal.* II), cibus copiosus, quem habeo manducare, nunc in promptu est, quando gentes ipsæ tractabiles sunt jam ad suscipiendam fidem. Notandum in sermonibus Domini duas messes inveniri : Unam de qua nunc loquitur, scilicet prædicationem Evangelii, cujus messores sunt apostoli (*Matth.* IX ; *Luc.* X) ; aliam, de qua idem alibi loquitur, quam et appellat consummationem sæculi, cujus messores angeli sunt (*Matth.* XIII). Quas, cum in pluribus differant, in eo quoque differre manifestum est, quod illa, quam appellat finem sæculi, messis tantummodo est, hæc autem alio quidem respectu messis, alio autem satio dicitur. Satio namque dicitur, futuræ messis respectu, id est consummationis sæculi. Quia sicut homo paterfamilias seminat bonum semen in agro suo, cum autem dormirent homines, inimicus homo superseminat forte zizania, et utraque sinuntur crescere usque ad messem, et tunc zizania ligantur in fasciculos ad comburendum, triticum autem reconditur in horreum, sic Filius Dei prædicans Evangelium, filios regni Dei fecit, cum quibus diabolo superseminante, succrescunt filii nequam. In fine autem sæculi per ministerium angelorum colligentur, et a bonis mali, tanquam zizania a tritico, separabuntur. Messis vero dicitur eadem Evangelii prædicatio, temporis anterioris respectus quando patriarchæ et prophetæ sancti « euntes ibant et flebant mittentes semina

sua (*Psal.* cxxv). Quia videlicet quantum lætitia metentium suavior est labore seminantium, tantum beatitudo apostolorum, qui Christum præsentem viderunt, et loquentem audierunt, et sic nobis annuntiaverunt, longe plenior atque jucundior exstitit beata spe patriarcharum et prophetarum, qui venturum præfiguraverunt aut prædixerunt. Et in hac quidem messe, paleæ simul cum granis deferuntur ad aream (*Mal.* III), in illa autem tenebit Dominus messis ventilabrum suum in manu sua, et mundabit aream suam, paleas igni inexstinguibili tradens, triticum autem suum purum in horreum suum recondens (*Matth.* III). Igitur quod ait : quia regiones jam albæ sunt ad messem, idem est ac si dixisset : Quia jam dociles sunt ad suscipiendam Evangelii prædicationem. De qua messe et alibi dicit : « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam (*Luc.* x). » Hujus messis operarios discipulos suos esse volebat, et ad hoc opus excitabat cum diceret eis : « Levate oculos vestros, et videte regiones, quoniam albæ sunt jam ad messem. » Et adjecit :

« Et qui metit, mercedem accipiet, et congregat fructum in vitam æternam. » Æquam Dominus messis messoribus suis legem præscribit. Operarius, inquit, qui metit pro labore suo, et mercedem accipit, « et fructum congregat in vitam æternam. » Primum, mercedem accipit, et deinde congregat fructum in vitam æternam. Hæc nempe merces illa est de qua et alibi dicit : In quamcunque domum intraveritis, ibi manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua (*ibid.*). » Quam cibi legem robustissimus messor Paulus defendens, quamvis potestate uti nollet, ne quod offendiculum daret Evangelio Christi (*I Cor.* IX). « Quis, inquit, militat suis stipendiis unquam ? Quis plantat vineam et de fructu ejus non comedit? Quis pascit gregem, et de lacte ejus non manducat ? An et lex hæc non dicit ? Scriptum est enim in lege Mosi : Non alligabis os bovi trituranti (*ibid.*). » Ac deinceps : **161** « Si nos vobis, inquit, spiritualia séminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus ? Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt edunt? qui altari deserviunt, cum altari participant ? » (*I Cor.* IX.) Ita et Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ergo « qui metit et nunc mercedem accipit, » scilicet necessariam vitæ præsentis alimoniam, « et fructum congregat in vitam æternam, » id est, in futuro quoque æternam accipit mercedem, « unusquisque propriam secundum suum laborem (*I Cor.* III). » Alioquin veritas Dei non staret, non confirmarentur promissiones patrum. Unde eadem similitudine; quæ proposita est, adhuc subditur :

« In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit ; ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. » In hoc, inquit, Verbum verum est, in hoc veritas Dei permanet, in hoc promissiones patrum confirmatæ sunt, quia semen regionum, quæ, sicut dixi, jam albæ sunt ad messem, id est, benedictionem universarum gentium, quæ jam in adventu meo præsentem habent eamdem benedictionem, alius quondam seminavit, alius nunc metit. Quod enim est hoc verbum, nisi quod ad Abraham, ad Moysen et ad omnes sanctos prophetas factum est, quod in semine eorum benedicerentur omnes gentes? (*Gen.* XVII.) En in quo verum est hoc verbum, nisi quia sicut illis promissum et ab illis creditum est, sic me adveniente completum est ? Illi namque credentes et sperantes, credendo et sperando, fidem et spem suam in propagationem carnis suæ, tanquam in bona terra gratiæ Dei committentes, seminaverunt euntes et flentes, et semina sua mittentes (*Psal.* LXXI). Flendo et seminando profitentes, quod peregrini essent et advenæ super terram (*Psal.* CXXV), et non haberent hic manentem civitatem, sed futuram inquirerent (*Hebr.* XIII). Hoc modo laboriosam hiemem passi, seminaverunt et non messuerunt. Etenim defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed a longe aspicientes salutaverunt eas, et ecce nunc alii metunt, scilicet vos, qui promissionum, quæ ad illos factæ sunt, præsentem habetis effectum. Non; inquam, illi messuerunt, non illi repromissiones acceperunt, Deo pro vobis aliquid melius providente, ut ne sine vobis consummarentur. Hoc est enim quod sequitur : Ut et qui seminat, simul gaudeat et qui metit (*Hebr.* XI). » Unde et eos beatificans protinus subjungit :

« Ego misi vos metere, quod non seminastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. » Sententia hæc cum illa congruit, qua idem Salvator ait : « Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quia multi reges et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt ; et audire quæ vos auditis, et non audierunt (*Luc.* x). » Vere enim beati oculi discipulorum, qui nunc videbant regiones quod albæ essent jam ad messem, qui hoc audiebant, quod in hoc opus conducti essent, ut meterent, quod alii seminaverunt :

« Ego, inquit, misi vos metere, quod non seminastis. » Id est, ad hoc vos elegi et posui vos, ut eatis et fructum afferatis quem non seminastis. Nunquid enim vos tale quid passi estis, qualia pertulerunt Abraham et cæteri patres, qui seminaverunt. Nunquid vos de terra et de cognatione egressi estis, et peregrini vel hospites in terra aliena fuistis, ea spe ut vobis extra civitatem domumque vestram seminantibus, surgeret messis, id est *benedictio*, qua universæ cognationes terræ benedicuntur? (*Gen.* XII). Nunquid vos scientiam, sive prophetiam habuistis, aut hujus benedictionis semen prophetando seminastis ? Non est ita, sed alii laboraverunt, et vos homines sine litteris et idiotæ (*Act.* IV), qui hactenus agrum Dei, nec verbo, nec opere excolere sciebatis, in labores eorum introistis, ut quod ab illis est seminatum, per vos conferatur in horreum,

id est, quæ illis promissa est universarum benedictio gentium, a vobis prædiceretur impleta esse et annuntietur per universum mundum. Sequitur:

« De civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis : Quia dixit mihi omnia quæcunque feci. » Locus iste cum illo comparandus est, quo longe superius dictum est : « Cum autem esset in Jerosolymis in die festo, » videlicet in patria sua, inter contribules suos, « multi crediderunt in eum, videntes signa quæ faciebat (*Joan.* II). » Hic et illic multi crediderunt in eum, inquit evangelista, causasque subjecit longe diversas. « Illi, inquit, crediderunt in eum, videntes signa, quæ faciebat ; » isti propter verbum mulieris testimonium perhibentis. Quod omnino in suggillationem Judæorum legendum est, quemadmodum et illud quod ait Apostolus : « Quia Judæi signa petunt, et Græci sapientiam requirunt (*I Cor.* I). » Quia videlicet Judæi dum signorum vanitatem quærerent, decepti sunt ; gentiles vero, dum rationabili sapientiæ sermone delectati sunt, veritati libenter acquieverunt. Quid si coram eis aquam in vinum convertisset vel tale quid apud illos fecisset, qualia multa fecit in patria sua, scilicet in Galilæa vel in tota Judæa ; si castella vel civitates eorum circuiens docuisset, et non potius præcipisset apostolis suis, cum mitteret eos ad prædicandum : « In viam, inquiens, gentilium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis (*Matth.* x), » videlicet ne occasionem daret Judæis, quasi rationabiliter contemnendi Evangelium, quibus missum fuerat hoc verbum salutis ? Unde non mirum quod quidam Samaritanorum postea sic offensi sunt, ut quadam die non receperint eum, pro eo, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem ; non tamen omnes illi, vel discipulis ejus inhospitales fuerant : Nam « abierunt, inquit evangelista, in aliud castellum (*Luc.* IX). » Denique Judæi nullam vel levem occasionem blasphemandi prætermittebant. Siquidem cum improperantes dicere cœperint illum Samaritanum (*Joan.* VIII), propterea quia locutus est cum eis, et mansit nunc apud illos biduum, antequam Joanne tradito, publicum suscepisset prædicandi officium ; multo magis, si apud illos prædicans et miracula faciens cum discipulis suis commaneret, occasionem quasi legitime contemnendi Evangelium præbuisset. Quid ergo, inquam, quantam putas messem de gentibus collegisset, si eo tempore tam Samaritanis quam cæteris gentibus, per seipsum prædicare decrevisset? Quapropter cum patriæ suæ civitatibus exprobraret, poterat idem, quod de Tyro et Sidone, de Samaria quoque dicere, quia « si in Samaria factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent (*Matth.* XI). » Ergo, quia non propter signa quæ nulla viderant, sed propter id quod dictum est, crediderunt in eum. Audi quod sequitur ;

« Cum venissent ergo ad eum Samaritani, rogabant eum ut ibi maneret, et mansit ibi duos dies. » Et hoc, ut cætera, manifeste in comparatione Jerosolymorum dictum est (*Joan.* XII). Cum enim civitatem ultro introisset (*Matth.* XXI), et in templo docuisset, et multi credidissent in eum (*Luc.* IV), « videntes signa quæ faciebat, non tamen Jesus credebat se ipsum illis (*Joan.* II). » Hoc nempe sciendum quod tantæ fuerit paupertatis, et ita nulli adulatus sit, ut in urbe magna, nullum hospitem, nullam **162** inveniret mansionem, sed in agro parvulo apud Lazarum, sororesque ejus habitaret, scilicet in Bethania, qui eorum viculus erat, jam tunc utique reipsa experimento capiens, quod in patria sua, cujus civitas illa erat præcipua, nullum habiturus esset honorem. In illa quippe civitate, vel patria sua, vulpes foveas habebant, et volucres cœli nidos ; id est malitiosi ac superbiæ pennis elati spiritus maligni, mentium infidelium hospitia compleverant et in illis cubilibus habitabant. Filius autem hominis non habebat ubi caput suum reclinaret (*Matth.* VIII), id est, quorum fidei, divinitatis suæ nomen vel sacramentum crederet, et propter hoc in eadem civitate, ubi erant sancta, patriæ suæ recte nec una saltem nocte hospitari aliquando dignatus est. At vero gentes, audito ejus Evangelio, vulpes illas et volucres de foveis et nidis, id est, de cordibus suis templisque et aris effugare habebant, et ita demum capiti Filii hominis reclinatorium præparare, et idcirco nunc apud illos alienigenas tali ordine, imo tali præfiguratione dignatus est commanere. Mansit autem apud illos duos dies. Quia videlicet Ecclesiæ suæ duo præcepta charitatis insinuans, et in præsenti et in futuro sæculo semper commanet, et in utroque sæculo, tanquam in duobus totis diebus ejus, illi gratia non defutura est.

« Et multo plures crediderunt propter sermonem ejus, et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus ; ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi. » Non frustra hic evangelista, cui sublimiora quæque scribere propositum est, hæc quæ leviora videntur, tam diligenter prosecutus est. Supra dixit : Quia propter verbum mulieris crediderunt, nunc multiplicatis credentibus, dicebant, inquit mulieri : « Quia jam non propter tuam loquelam credimus. » Utrumque scribere curavit, et quia propter verbum illius crediderunt, et quia jam non propter loquelam ejus credere se dixerunt. Cur hoc, nisi quia de illo per mulierem quidem primitus audierunt, sed ne levitate duci et omni vento doctrinæ circumferri viderentur, ipsius Salvatoris verba judicio propriæ rationis diligenter examinaverunt (*Ephes.* IV). Propter quid autem credimus si non jam propter tuam loquelam credimus ? « Ipsi enim audivimus, et scimus, quia hic est vere Salvator mundi. » Notanda sane magis ac magis rationabilis celeritas alienigenarum ad credendum. Nec propter verbum mulieris, nec idcirco quod signa viderunt, scire vel credere

se audierunt. « Sed audivimus, inquiunt, et scimus. » Quid enim audierunt nisi ex ore ejus sapientiæ sermonem, nisi ex gratia diffusa ejus labiis veritatis verbum? Quid audierunt nisi veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, propter quæ mirabiliter illum dextera sua deducit? (*Psal.* XLIV,) Audierunt veritatem docentis, mansuetudinem ad credendum invitantis, justitiam non accipientis personam Judæi sive Samaritani, neminem aspernantis, velut immundum judicantis quacunque ex gente sit. Nonne ergo manifesta nobis hæc res gesta per omnia congruit; nobis, inquam, qui non vidimus, sed tantum « audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi? » Nonne ipse Salvator de nobis adversus patriæ suæ duritiam contestatur et dicit: « Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi? » (*Psal.* XVII.) Nonne illa patria sua jam nunc, sicut per Moysem Deus prædixit (*Deut.* XXXII), incipit ad æmulationem adduci in non gentem, in gentem insipientem, et in iram mitti? Hinc enim cœperunt magna, et maligna æmulatione alienigenis irasci, dicentes illi: « Non Judæorum tantum Deo, sed et gentium (*Rom.* VIII;) » non Judæorum tantum, sed et totius mundi Salvatori, uti nunc Samaritani confessi sunt: « Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? » (*Joan.* VIII.) Sed æmulentur quantum volunt, irascantur et maledicant quantum ex diabolo per odium nostri conceperunt. Nam Christus (quem nos secundum carnem non novimus) secundum spiritum apud nos resquiescit, et duos dies, id est, in præsenti et in futuro sæculo permansurus, caput suum reclinavit, quia nos audivimus, et solo auditu credentes, « scimus quia hic est vere Salvator mundi. » Et verum utique canticum illi mulier nostra ad puteum, ubi aquam vivam accepit, ubi hydriam suam reliquit, et voluptates suas oblita est, imo et sanguinem suum fudit; verum, inquam canticum illi decantavit, dicens: « Dilecte mi, apprehendam te, et ducam te in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis præcepta Domini (*Cant.* VIII). » Vere enim martyrum nostrorum multitudo, quæ civitatem diaboli omnia relinquendo, vitam quoque ipsam corporalem contemnendo, egressa est, nunc illum in domum matris suæ, in cubiculum genitricis suæ introduxit, dum in communem cœtum ritumque gentilitatis, in ipsa secreta templorum, ubi cum illa cubitabat turba malignorum spirituum, nomen et cultum ejus abduxit, et ut susciperetur, ejectis illis clamando, testificando et moriendo evicit. Sequitur:

« Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilæam. Ipse autem Jesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet. » Diligenter advertenda est hæc ratiuncula, sicut in exordio lectionis hujus dictum est, ut certissime pateat, cui propositioni sit subjuncta. Nec enim respondet illi versiculo, cui in serie litteræ conjungitur; illi, inquam, quo dictum est: « Post duos dies exiit inde et abiit in Galilæam. » Nam si ita continuare velis, quare inde exiit et in Galilæam abiit. « Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia propheta in patria sua honorem non habet » profecto rationem nimis a propositione discordem, eique repugnantem intulisti, cum Galilæa omnisque Judæa, quæ non coutebatur Samaritanis, ejus patria fuerit. Ita ergo continuandum est: « Dixi superius, inquit evangelista, quia reliquit Jesus Judæam, et abiit iterum in Galilæam, » et adjeci: « Oportebat autem eum transire per Samariam. » Dicis itaque mihi: Ad quid eum illo transire oportebat? Ad hæc, inquam: Pro magno negotio oportebat, pro magnæ rei experimento oportebat. Rem ipsam præsenti oratione aperui, rem, inquam, ipsam ita subjunxi: « Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia propheta in patria sua honorem non habet. » Hanc utique rem si recte attendis, liquet profecto, quod utiliter et oportune per Samariam, per illam patriam non suam transire voluerit, et duos dies apud illos alienigenas commanens, honorem sibi ab eis impensum pro experimento testimonii sui admiserit. « Propheta, inquit, non habet honorem in patria sua. » Alius evangelista, ut sensum magis exprimeret, paululum commutavit hujus testimonii verba, dicens: « Quia propheta non est sine honore, nisi in patria sua (*Matth.* XIII). » Idem ergo est, ac si dicat: Me prophetam, imo prophetarum Dominum, non aliam ob causam hæc patria inhonorat, nisi quia est patria mea. Nam si in Tyro et Sidone facerem virtutes, quas facio in hac patria mea, profecto in cinere et cilicio, pœnitentiam agendo me honorarent (*Matth.* XI). **163** Hoc testimonium perhibuit Jesus. At illi testimonium hoc, ut cætera non accipiebant, verbis ejus non credebant. Ut ergo sicut alibi de alio testimonio dicit: « Si verbis meis non creditis, operibus credite (*Joan.* X). » Item et de hoc eodem testimonio possent illi irrefragabiliter audire, oportebat eum transire per Samariam, et experimento locum dare, quo comprobaretur verum esse testimonium ipsius, et juxta hoc honorem illum habiturum esse in gentibus, ut qui invidebant, viderent et confunderentur, viderent inquam, invidentes, et inviderent adhuc. Qui autem credebant, viderent et lætarentur: viderent, inquam; et magis ac magis credendo justificarentur. Sequitur:

« Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo. Et ipsi enim venerant ad diem festum. » Hoc jam ipsius testimonio repugnare videtur quod eum Galilæi excepisse dicuntur. Honorem quippe hæc locutio resonat. « Exceperunt, inquit, Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo. » Sed hujus honorationis qualitatem vel finem ex alio evangelisto colligamus. Iste quippe regressus Jesu in Galilæam ille est a quo cæteri evangelistæ præmissa tentatione ejus initium faciunt. Quomodo eum, vel quo fine excipiendo ho-

noraverunt ? Ait Lucas : « Et omnes testimonium A illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus (*Luc.* IV). » Ecce honorifica exceptio. Sed protinus additur : « Et dicebant ; Nonne hic est filius fabri ? » (*Ibid.*) Item : « Quanta audivimus de te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua (*ibid.*), » id est, in civitate Nazareth, ubi natus et nutritus es. Quorum curiositati quia non satisfaciebat, « repleti sunt, inquit, omnes in synagoga ira, et surrexerunt et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum (*ibid.*). » Igitur cum vano honore, id est, sine amore illum exceperunt, non ut illum honorarent, sed ut miraculis ejus suam ipsi curiositatem pascerent. Quam et hic evangelista non præterit. Cum enim dixisset : « Exceperunt B eum Galilæi, » protinus causam exceptionis hujus addidit, dicens: » Cum omnia vidissent, quæ fecerat Jerosolymis in die festo. » Ob hoc, inquit, exceperunt eum, imo et, sicut ait prædictus Lucas evangelista, « omnes testimonium illi dabant. » Ubi notandum quia non dixerunt : quanta audivimus de te facta in Jerosolymis, fac et hic in patria tua, ne se tantæ civitati æquare velle viderentur, sed « quanta audivimus de te facta in Capharnaum, » ubi videlicet non multis diebus manserat antequam imminente Pascha Jerosolymam ascenderet. Verum quocunque modo, tamen exceperunt eum. Quid ergo sequitur:

« Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam in vinum. In hoc quoque dicto sacratissimam dispositionem hujus orationis, scilicet evange- C listæ Joannis recte miramur, imo incarnatam Dei sapientiam, quæ hoc primo suæ manifestationis anno tali ordine processit, qualem hic non immerito scriptis commendare curavit. Qui videlicet annus, nunc fere exactus est, ex quo imminente Pascha, Jesus Jerosolymam ascendit. Nam et paulo post, eadem instante solemnitate, rursus illuc ascensurus est. Quid enim toto hoc anno, quo necdum tradito Joanne, publicum prædicandi officium non exercuit, quid, inquam, hoc anno, nisi futuræ prædicationis, sive instantis salvationis, a tempore suæ passionis usque ad finem sæculi ordinem, quo processura esset, in suis actibus præpingit, et quasi extensis quibusdam disterminat lineis ? Habebat quippe in proposito, in æterno divinitatis consilio, fixum atque immobile decretum, legem de Sion et verbum Do- D mini educere de Jerusalem (*Isa.* II), scilicet ut pateretur, sicut oportebat, et resurgeret a mortuis tertia die, atque exinde prædicaretur in nomine ejus pœnitentia et remissio peccatorum in omnes gentes, incipientes ab Jerusalem (*Luc.* XXIV), ut quia cæcitas eventura erat in Israel interim plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI). Hoc plane per totum hunc annum in seipso præfiguravit. Nam ascendens Jerosolymam in solemnitate paschali, eamdem passionem et resurrectionem suam, per templi solutionem ejusque excitationem in tribus diebus maturandum præsignavit (*Joan.* II). Deinde pœnitentiam et remissionem peccatorum, quæ in nomine ejus prædicanda erat, loquens cum Nicodemo definivit dicens : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III), » etc. Postea commanens in Judæa, ut cognovit quod detraherent sibi ; jam enim cæcitas contingebat in Israel, reliquit Judæam, et ad Samaritanos divertit, quos inter alienigenas reputabant Judæi. Ecce tandem in Galilæam redit, tandem iterum ex Cana Galilææ venit ubi vinum de aqua fecit. Nota diligenter : Non de Samaria ad templum Jerosolymorum redit, unde vendentes et ementes ejiciendo, vetus sacrificium abjecit, licet et illa civitas prima ejus fuerit, sed ab alienigenis, ubi duos dies commoratus est in Galilæam, imo, in Cana Galilææ rediit, ubi vocatus ad nuptias aquam in vinum convertit. Nam ad Israel salus revertetur, cum plenitudo gentium subintroierit ; ad templum autem, id est ad hostiarum sanguinem suscipiendum, vel circumcisionis ritum, Christus nunquam rediturus est. Nonne ergo salutis nostræ opifex, rerum, quas facturus erat, toto hoc anno, quasdam secundum hunc evangelistam umbras præmisit ? Ad patriam autem suam, de qua naturam hominis natura Dei assumens, nuptias fecit, et « tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII), » aquam nostræ corruptionis in vinum vertit incorruptionis, revertetur circa finem sæculi, ut nunc circa finem hujus anni in Cana Galilææ rediit. Quid ergo nunc illic fecerit, audiamus, et in exteriori ejus opere interius mysterium perquiramus.

« Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet et sanaret filium ejus. Incipiebat enim mori. » Regulus iste, qui accessit ad Dominum Jesum, rogans ut descenderet et sanaret filium ejus, a superiori anno nosse poterat quod illum ad sanitatem conferendam, prout vellet comitaretur effectus. Nam et hic superius evangelista dixit quod, antequam ascenderet Jerosolymam, imminente Pascha, mansit in Capharnaum aliquantis diebus (*Joan.* II), et cæteri evangelistæ non tacent quod ibi multas virtutes fecerit (*Matth.* XI), in tantum quod dicerent ei concives sui : « Quanta audivimus de te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua (*Luc.* IV). » Cum ergo de virtute illius bene comperta non dubitaret, cur eidem dicenti : « Domine, descende, ut sanes filium meum, dicit Jesus : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. » **164** Non enim leviter accipiendum est quod gravissima Veritas patriæ suæ dixit, quod uni regulo loquens, toti suæ genti pluralis numeri verbo dixit.

Cum ergo credere et fidem habere paria vel idem sint, primum ponenda et aperienda est definitio fidei, statimque liquebit quod regulus iste et sanitatem filii quærere, et tamen nondum credere potuerit. Paulus apostolus cum de fide plura diceret,

eamdem fidem definiens : « Est autem fides, inquit, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* xi). » Non, inquit, fides earum quæ præsentes sunt, et corporaliter videntur, sed « sperandarum est substantia, » id est possessio, rerum non apparentium, sed earum, quæ nondum apparent, est argumentum, id est, certitudo rerum. « Quod enim videt quis, quid sperat ? » (*Rom.* viii). At vero signa illa quæ faciebat Dominus Jesus, quæ videre potuerat iste regulus, quæque sibi impartiri precabatur, res erant præsentes, res erant apparentes. Ergo illarum rerum fides non erat, id est signa illa videre, illa signa scire, et de illis dubitare non posse, credere non erat, fides non erat. Quæ autem erant res non præsentes, res non apparentes, quarum fidem volebat haberi dicens : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis ? » Videlicet illæ, de quibus loquebatur, quas annuntiabat nescientibus, pro quarum annuntiatione (quia apparentes non erant, quia corporaliter non videbantur), prophetam se dicebat : « Propheta, inquiens, in patria sua honorem non habet. » Verbi gratia : « Appropinquabit, inquit, regnum Dei (*Marc.* i) ; » et : Messias jam venit (*Joan.* iii) ; » et : « Sic dilexit Deus mundum ut Filium suum unigenitum daret (*ibid.*) : » et : « Ego sum, qui loquor vobiscum (*ibid.*) ; » et : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam (*ibid.*). » Hæc et hujusmodi res, partim quidem præsentes, partimque futuræ erant, sed corporalibus oculis non videbantur et ideo non apparentes erant. Has ergo res auribus audiendi audire, auribus cordis suscipere, de his præeunte rationis judicio non hæsitare, credere erat, fidem habere erat. At illi non audiebant, et cum loqueretur quod sciebat, cum testaretur hoc quod viderat, illi testimonium ejus non accipiebant, licet signa multa ab eo fieri viderent (*Matth.* xiii). Bene ergo non ait tantum « nisi videritis, » sed « nisi signa et prodigia videritis, non creditis. » Quod profecto cum acerba, ut dignum est, vituperatione dixit, quia comparatione illorum justificati fuerint Samaritani supra memorati, quibus non dignabantur couti, quia paulo ante apud illos fuerat non sine honore, quia crediderunt in eum, non propter signa et prodigia (nulla enim viderunt), sed propter prophetiam quidem credere cœperunt, qua dixerat mulieri omnia quæcunque fecit, sed deinde propter sermonem ipsius sanum et verum, multo plures crediderunt, dicentes : Non quia signa vidimus, sed quia audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi. Nonne ipsi scilicet contribules sui maxime audierunt, imo et quotidie audiebant, et proinde scire poterant ? Nonne saltem testimonia Joannis satis facere illis debuerant, quem omnes sciebant esse prophetam ? Recte igitur hoc illis in tempore improperabat, quia Samaritani, ut jam dictum est, comparatione illorum de proximo justificati fuerant, imo et omnes gentes paulo post magnifice justificandæ erant.

Ipsi namque a fide patrum nimium degenerabant. Nunquid enim Abraham propter signa et prodigia credidit ? Nunquid, quando dicit ei Deus : « Egredere de terra et cognatione tua, et benedicam tibi, et multiplicabo, atque in semine tuo benedicentur universæ cognationes terræ (*Gen.* xii, xxii) : » nunquid, inquam, dixit Abraham : Quod signum tu ostendis mihi, quia hoc præcipis, vel hoc promittis mihi ut credam tibi ? Quod si objicias quorumdam scripta, quæ non sunt authentica, quibus fertur de igne Chaldæorum divinitus eductus fuisse, et hoc illi pro signo potuisse sufficere, dic quæ signa et prodigia Deus illi ostenderat, ut fiduciam habens in ignem se projici intrepidus permitteret ? Quod signum aut prodigium acceperat ? ut Deo sæpius promittente semen, in quo benedicerentur omnes gentes terræ, non infirmaretur fide, nec considераret corpus suum emortuum, et sterilem vulvam Saræ (*Rom.* iv). Nunquid saltem hoc pro signo, sive spei suæ solatio acceperat, ut ambo grandævi, ille centenarius, illa nonagenaria, non senescerent, aut frigescerent ? Denique saltem hoc, ut Saræ sterili muliebria, id est menstrua fieri non desinerent ? Ergo degeneres, inquit, vos, ergo tanto patre indigni, ergo deteriores omnibus alienigenis, qui nisi signa et prodigia videritis, non credetis. Sed dicitis: Visne ut frustra vel leviter credamus tibi ? Num credere debemus omni spiritui (*I Joan.* iv) ? Te dicente quod Christus sis, quod Filius Dei sis, qualiter experiemur quod verum dixeris ? Ad hæc inquam : Plane experimini, sed quomodo lex præcipit. Probate, sed legitime. In lege enim quid scriptum est ? Quomodo legitis ? » Quod in nomine Domini, inquit lex, propheta prædixit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum (*Deut.* xviii). » Nunquid autem et lex itidem non dicit : « Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, et prædixerit signa atque portenta, et venerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos, non audies verba prophetæ illius aut somniatoris (*Deut.* xiii). » Fateor, inquam, quia et hoc dicit, sed de somniatore, de propheta, qui suadet tibi post deos alienos ire, hoc dicit : Alius locus est, aliud mandatum est prophetæ, qui confitetur se in nomine Domini venire, et verum prophetat cum ista professione. Sic enim ait : « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Oreb (*Deut.* xviii). » Ac deinceps : « Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam (*ibid.*). » Et subinde : Quod si tacita, inquit, cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum, quod non est locutus Dominus? hoc habebis signum. Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit,

et non evenerit, hoc Dominus non locutus est, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum (*ibid.*). » Itaque secundum legis mandata non per figmenta, neque prodigia, sed per verbum verum experire, ut scias, o patria mea, quod credere debeas, verbi gratia, cum dico tibi : « Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud, » imo cum aptius [apertius] dico, et dicam, quia occisus, post tres **165** dies resurgam (*Matth.* XXVII), si non evenerit quod dico, hoc Dominus non locutus est, imo ego qui loquor Dominus non sum. Interim antequam illud fiat, cum dico vobis, quod « cogitatis mala in cordibus vestris (*Matth.* IX), » et cætera talia cum dico, redeuntes ad cor vestrum, si intelligitis ita esse rem in cordibus vestris, ut dico, scitote quia Dominus locutus est, et vera sunt cætera, quæ omnia in nomine Domini vobis loquor. Sic enim legitime Samaritani paulo ante veritatem examinaverunt una muliere prædicante : « Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. » Quis enim alius, nisi Dominus Deus occulta cordium perspicit ? Alumni legis sapite legem, Propheta tam ille qui loquitur quidem in nomine Domini, sed mentitur, quam ille, cujus quidem verbum quod locutus est evenerit, sed locutus est in diis alienis ; hic, inquam, et illæ pariter centemnentur, imo et occidentur. Qui autem et in nomine Domini loquitur et verum verbum loquitur, hic timendus est, huic per omnia credendum est. Sed voces econtra signis et prodigiis experiri vultis, aliqui, imo pene cuncti signa de cœlo quæritis, videlicet ut si Christus ego sum (*Matth.* XXIV), si propheta ille ego sum, de quo dixit Moyses, ut prædictum est, « Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus de fratribus vestris, ipsum audietis tanquam me (*Deut.* XVIII); » si, inquam, propheta ego ille sum, hæc signa et prodigia quæritis et rursus idem vel simile quod propter vos fiat Romanis signis et portentis illis, quæ propter patres vestros facta sunt, interemptis Ægyptiis. Et quidem generationi huic malæ et adulteræ, quæ tentando hujusmodi signa « quærit, signum non dabitur, nisi signum Jonæ prophetæ, ut sicut ille fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus (*Matth.* XII), » et tunc demum illo prædicante, triduanam pœnitentiam, egit Ninive, et illa reservata exaruit cucurbita, quæ obumbrabat super caput Jonæ (*Jon.* III), ita sit « filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus (*Matth.* XII) » et tunc demum in nomine ejus pœnitentia et remissio peccatorum prædicetur in omnes gentes (*Luc.* XXIV), illisque trina mersione baptismatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII), et ita salvatis, ista patria mea, hæc generatio mala disperdatur.

Attamen vobis paucis quicunque residui estis, qui non tentantes, sed necessitatem habentes, signa quæritis, signa fient plura et majora, quam petitis, ut audiant gentes, quæ solo auditu contentæ erunt. et dicant : « Audivimus et scimus, quia hic est vere

A Salvator mundi. » Igitur cum dixisset Dominus : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis, » dicit ad eum regulus ; « Domine descende priusquam moriatur filius meus. » Quid aliud perito diceret medico regulus iste ? medico, inquam, qui cum sit homo et non Deus, opus habet per semetipsum ad lectum ægroti accedere, et tam visu oculorum, quam tactu venarum, genus morbi dignoscere, et secundum morbum antidotum dare. Accesserat ad Dominum, rogans eum ut descenderet, et sanaret filium ejus, et illo differente : « Domine, inquit, descende priusquam moriatur filius meus. » Videlicet non credebat, quod ab illo resuscitari posset, si moreretur, nec tantam fidem aut humilitatem habebat, ut disceret, velut ille beatus Centurio, qui

B non erat de Israel : « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur filius meus (*Matth.* VIII). » At Jesus non descendit, sed mansit in eodem loco, et tanquam Deus, qui « omnia quæcunque voluit, fecit (*Psal.* CXIII), » sanitatem filio ejus sola voluntate, in qua universa sunt posita, restituit, et tanquam Propheta verbum verum dicit, quo secundum legem prædictam probari debeat, quia de corde suo confingat nihil.

« Ait enim : Vade, filius tuus vivit. » Hoc denique unum idemque dictum, et vera de præsentibus prophetia est, et sicut ex servis suis idem regulus postmodum comperit, imperium vitæ est. Constat vero, quia de minori miraculi hujus parte, id est

C de prophetiæ veritate sancti Prophetæ digne secundum legitimam probationem, de qua supra dictum est, magni habiti sunt. Verbi gratia : Samuel, quando dixit Sauli inventas esse asinas, et verum dixit, quas tamen ipse non invenit (*I Reg.* X). Itemque Elias qui regi Achab multam pluviam mox affore dixit, et verum dixit, nec tamen illam opere suo, aut dedit aut fecit (*III Reg.* XVIII) Igitur cum incomparabiliter majus sit opus vitæ, et virtutis, et potenti imperio facere, et vero verbo annuntiare, quam apus non suæ virtutis, vero tantum verbo nuntiare, merito generation malæ et adulteræ improperatur, quia sepulcra prophetarum honorabant, quos patres illorum occiderant et Dominum prophetarum verbis blasphemis inhonorabunt, quem et implendo mensuram patrum suo-

D rum occisari erant (*Matth.* XXIII). Quanta enim majora his ostendit illis opera et non crediderunt ? Attamen regulus iste prophetiam simul et potentiam operis hujus diligenter investigans, seram licet fidem habuit. Sequitur enim : « Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et ibat. » Credidit nunc interim sermoni ejus, paulo post comperta non sola virtute sermonis, sed et potentia loquentis, non solum sermoni ejus credidit, sed et in idipsum tanquam in Deum, Dei Filium credit. Nam et hoc sequitur :

« Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et annuntiaverunt dicentes : Quia filius ejus vive-

ret. » Jam ex hoc præmio scire poterat regulus iste, quod fidelis Jesus propheta esset Domini, quem videlicet juxta legalem institutionem (*Deut.* XIII), et nihil loquebatur in diis alienis, sed potius invitabat auditores ad dilectionem Creatoris, et verum sibi vitam dixerat de vita filii sui. Hoc, inquam, scire poterat, etiamsi casu aliquo vel medicina te absente illata, filius suus convaluisset. Sed non eo contentus fuit. « Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. » Videlicet scire cupiebat, utrum eodem verbo quo dixerat ei Jesus : « Filius tuus vivit, » eodem, inquam, verbo virtutis suæ salutem porrexisset, ut ad ultimum suum febre fugata tam cito rediret. Sciebat quippe horam illam, et diligenti memoria tenebat, ex industria notatam certoque tenore opere animum suum defixerat, ut si hora recuperatæ sanitatis illa esset, in qua dixit ei Jesus : « Filius tuus vivit, » jam de divina illius magni prophetæ potentia non dubitaret, quod esset ipse Filius Dei, quod esset Rex Israel. « Et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater quia illa hora erat, in qua dixit Jesus : Filius tuus vivit, et credidit ipse, et domus ejus tota. » Bene quidem quod per occasionem unius filii, salus patri et toti domui facta est. Sed quid magnum fuit quod pro tali vel tanto signo credidit tota domus unius reguli? Non enim signum hoc parvum fuit, per quod se ubique esse, ubique posse et sola voluntate cuncta perficere satis evidenter ostendit. Nam et idcirco ab hoc evangelista **166** præteriri non debuit, qui pene sola divinitatis Filii Dei testimonia, pro causa sæpe dicta congessit. Quid ergo tantus hic evangelista nunc os suum ampliavit, ut declamaret nobis, quia credidit ille et domus ejus tota, nisi quia domus illa erat de incredula hujus magni Prophetæ patria? « Ipse enim Jesus, ut supra dictum est, testimonium perhibuit (*Joan.* II), quia propheta in patria sua honorem non habet. » Hic autem regulus et tota domus ejus, ad hoc luce rationis perduci potuerunt, ut invidentiæ tenebras evaderent et hominem patriæ suæ non tantum ut prophetam, sed ut prophetarum Dominum credendo honorarent, et honorando crederent. Similiter quando convertit aquas in vinum : « Crediderunt, inquit, in eum discipuli ejus, » cum pro quantitate miraculi fructus esset valde exiguus. Ergo et quod hic ait evangelista : « Credidit ipse et tota domus ejus, » et illic : « Crediderunt in eum discipuli ejus, » pro quantitate quidem operum, parvum cum commoverat fructum, veruntamen non contemnendum respectu patriæ suæ, quod erat nimium difficilis ad credendum. Et hoc quidem Salvatoris beneficium, in uno reguli filio, ut legitur, ita factum est. Cæterum, sicut archisynagogi filia quæ tunc mortua est, quando mulier a fluxu sanguinis liberata est (*Matth.* IX), recte Synagogam significat, quæ tunc per incredulitatem et invidiam vitam suam reliquit quando gentilitas a peccatis suis, in Christum credendo, revixit ; ita nihil prohibet in filio reguli mystice eumdem populum Judaicum accipi, cum supradicta mulier Samaritana manifeste typum Ecclesiæ de gentibus prætulerit, qua in Dominum credente hic incipiebat mori. Nam sicut archisynagogus, in procidens ad genua Jesu, rogavit pro filia, ita et regulus nobilem fidem patrum, Abraham, Isaac et Jacob recte significat, quæ pro salute illius populi ad Christum et Dominum Patrem, antiquis meritis intervenit. Quam illorum fidem, dum in fine sæculi respicit in eo, quod reliquiæ Israel salvæ fient (*Rom.* XI), recte illis dicit : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. » Nisi enim prædicantibus Henoch et Elia, instantis jam jamque subsecuturi judicii signa et prodigia viderint, multo majora quam nos, qui neque Redemptoris signa vidimus, neque venturi judicii signa et prodigia adhuc videmus, non credent (*Apoc.* XI). Quapropter tunc illorum minoris laudis vel gratiæ fides erit, ut eidem populo recte dicatur et illud, quod in typum ejus Apostolo Thomæ dictum est ; « Quia vidisti me, credidisti ; beati qui non viderunt et crediderunt (*Joan.* XX). » Sed et illud, quod dictum est ; « Quia heri hora septima reliquit eum febris, » quod et mulier Samaritana sexta hora in Dominum sedentem super puteum credidit, pulchre huic mysterio congruit. Quid enim est hora septima, nisi post solis ascensum ejusdem solis descensus? Sexta quippe hora sol altissimus est, nec nisi descendendo septimam facit horam. Igitur sexta hora mulier Samaritana Dominum agnovit et credidit : Hora vero septima filium reguli febris reliquit, quia videlicet, ascendente in cœlum Christo sole justitiæ, Ecclesia de gentibus credidit. Judaicus vero populus, illo descendere incipiente, id est, signa et prodigia descensus sui præmittente, crediturus est.

LIBER QUINTUS.

Hunc evangelistam Joannem per aquilam significatum esse (quod pene cunctis notum est) recte Spiritui sancto placet. Christum quippe solem justitiæ gyrantem per circuitum et in circulos suos revertentem (*Eccle.* I), id est, omnia disponentem, et in secreto consilio cuncta prævidentem, claro intuitu contemplatus est, viasque ejus in hoc Evangelio, tanquam in horlogio, lucida rationabili un-

gula [virgula] depinxit, ut sapientiæ ejus circuitum, consiliorumque ejus circulos diligens lector, quanquam lippientibus utcunque speculetur oculis. Ita quippe itinera, et facta quædam describit Filii hominis, ob insinuandum consilium ejusdem Filii Dei, quemadmodum ob investigandum ascensum, seu descensum solis, geometricales quosdam circulos sibi depingere solent astronomici. In quo illud maxime notandum, quod nullum Paschale festum præterit, et veluti si ab Orientali linea sursum versus progressionarios solis gradus computes, ita semper ab hoc festo secundum facta et dicta, et circa maxima et necessaria versatur sacramenta Christianæ fidei. Sunt autem quas commemorat, tres trium annorum solemnitates, quarta solemnitate excepta, in qua passus ipse ac sepultus, resurgensque a mortuis, eadem quæ superioribus annis docuerat, perfecit; et de seipso condidit salutis nostræ sacramentum. De Pascha primi anni jam dictum est, quia Ierosolymam ascendens primum, et maxime necessarium vitæ nostræ tantum verbis aperuit instrumentum, dicens: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III) », et **167** cætera. Ac deinde commoratus in Judæa, detrahentibus Judæis, invidentibus Pharisæis, divertens in Samariæ civitatem tandemque rediens in patriam suam, mystice præsignavit, quibus vel quo ordine ejusdem regenerationis, ut supra dictum est, derivaret gratiam. Ecce hoc secundo anno, eodem festo ascendens Jerosolymam, veniens ad probaticam piscinam, eamdem quam præterito anno verbis tantum commendaverat, factis quoque præfigurat baptismi sui potentiam ac deinde per occasionem factorum ejus, adversantibus et calumniantibus Judæis, dum veritatem divinitatis suæ defendit, firmum nobis fidei verbum contrahit, in quo tota ejus baptismi virtus consistit. Tertio, nihilominus anno circa solemnitatem eamdem, facto convivio de quinque panibus et duobus piscibus, ita quinque millia hominum per occasionem cibi illius, non minus necessarium saluti nostræ commendat sacramentum, dicens: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI), » et cætera. Quarto anno in eadem solemnitate, ut prædictum est, patitur, videlicet ut superioribus annis docuerat, ut nos in morte ejus baptizaremur, et carnem ejus ad manducandum, et sanguinem ad bibendum acciperemus. Adeo sanctam et veram veteris Paschæ rationem comprobat, ut in qua veterum fulgebat memoria Dei beneficiorum, in eadem solemnitate novorum conderet veritatem sacramentorum. Igitur hoc mense principio mensium, qui juxta solem istum visibilem primus est in mensibus anni, quid fecerit, quid dixerit iste festivus nobis sol justitiæ, in hoc (ut cœptum est) evangelicæ lectionis speculo contemplemur.

CAP. V. — « Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. » Hic evangelista paschale festum non aperte exprimit, dum dicit indefinite: « Erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam, » sed ex superioribus festum Paschale fuisse colligitur. Nam aliam ob causam superius (ubi mulieri Samaritanæ est locutus) dixit discipulis suis: « Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? » (*Joan.* IV.) Constat vero, quia ubi non plus quam quatuor menses ante messem intersunt, paschalis festivitas non plusquam duobus mensibus longe abest, quo utique spatio temporis alia festivitas nulla occurrit, qua secundum præceptum Legis, omne masculum deberet apparere ante conspectum Domini (*Exod.* XXIII; *Deut.* XVIII). » Igitur et hoc paschale festum est, quo nostrorum, ut prædictum est, et posterius liquebit, sacramentorum principium repetitur.

« Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. » Piscina non a pisce dicta est (sicut nec fiscina a fisco, nec mutina a multo) nisi forte per antiphrasim, eo quod pisces minime habeat. Erat autem aqua gemino lacu insignis, quorum alter plerumque impletur imbribus hibernis, alter rubris est discolor aquis, unde [in qua] hostiæ lavabantur. Quamobrem probatica quoque dicta est. Græce namque *probata*, Latine *oves* dicuntur. Unde, ut prædictum est, piscina hæc probatica dicitur, eo quod ibi hostiæ lavarentur. « Quæ cognominatur, inquit, Hebraice Bethsaida. » Notandum quod non ait: quæ cognominatur probatica. Quod si dixisset, videretur idem dici Græce, probatica, quod Hebraice, Bethsaida; sed est, inquit, probatica, id est, lavandis hostiis accommodata, quem sensum sermo Latinus uno verbo non resonat: « Cognominatur autem Bethsaida, » quod Latine dicitur domus frugum. Cujus nominis secundum res subsequentes magnum est mysterium. « Quinque, inquit, porticus habens; » in hoc tantum continetur mysterium, ut quamvis per homines factum, tamen a Deo recte credatur provisum, quatenus hujus numeri porticus illic haberentur. » Cur enim illic habebantur? Sequitur: « In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, surdorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. » Id est, ad hoc piscina hæc porticus istos habebat, ne multitudo languentium ad cœlestis remedii opificem piscinam excubans, tectum non haberet, ne opem supernam exspectare non liceret, æstu urente, vel turbine aut pluvia de sub uvido urgente. Longa enim erat supernæ visitationis exspectatio, de qua protinus subjungitur:

« Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam, et movebatur aqua. Et quicunque primus descendebat in piscinam, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. » Ideo tunc evidenter præsentes sanctæ civitati, et templo præsides aderant virtutes, antequam [*add.* ob] admissum in Salvatorem crudele necis sacrilegium, re-

recessisse ab eo omne cœli præsidium, quo facto, ut Josephus quoque testatur, auditæ sunt eædem virtutes conclamantes : « Transeamus ex his sedibus (L. VII, cap. 12, *De bell. Jud.*). » Notandum vero, quod non ex hostiarum quæ illius piscinæ aqua lavabantur, sed ex eadem qua et hostiæ lavabantur, aqua sanabatur unus, quicunque post motionem ejus primo descendisset infirmus. In his, inquam, ut prædictum est, tantum continetur mysterium tantumque præfiguratum est sacramentum, quanto opus habebant, quæ cœlesti templo inferendæ erant hostiæ vivæ, scilicet animæ et corpora sanctorum, quanto opus habemus omnes nos homines, qui universi ex primo parente nostro verum languorem, veram et omnimodam tam corporis, quam animæ contraximus infirmitatem. « Scimus enim et credimus ; » credimus, inquam, « propter quod loquimur (*Joan.* III), » quia Dominus noster Jesus Christus, qui vocatur juxta prophetam magni consilii Angelus (*Isa.* IX), de cœlo venit, id est, non de deorsum, ut cæteri homines, sed de sursum, non de terra, ut primus homo terrenus, sed de cœlo venit homo cœlestis (*I Cor.* IV) ; quia non de matre, juxta quosdam abortivos hæreticos initium habuit, sed a Deo venit, a Patre exivit, apud quem erat antequam formaretur terra et orbis (*Psal.* LXXXIX). Venit, inquam, in populum Judæorum, de illo carnem assumens et eodem de sensu suo, dum prædicat et annuntiat salutem et pacem, mota est gens inquieta, et gravissimæ veritatis ejus impatiens, et versa in seditionem, tradidit morti vitæ æternæ largitorem (*Rom.* VI). Qua ille morte sua, vitæ mundo condidit sacramentum, ut in morte ejus baptizaretur genus humanum, id est, omnes qui diversis retro temporibus collecti, quinque libris Mosaicæ legis testificatam hactenus exspectaverunt gratiam Dei (*Gen.* XLIX ; *Deut.* XXXIII). Hujus plane mysterii figuram præferebat illa magna et divina res. Unde et hic evangelista Joannes, supernæ charitatis diligens inspector, recte illam non prætereundam arbitratus est. Piscina quippe illa sacra, in qua, ut prædictum est, hostiæ lavabantur, universas populi Judæorum cæremonias, universum veterum sacrificiorum ritum significat. Quæ cum umbræ essent futurorum (*Coloss.* II), ita, antequam Christus descenderet et in semetipso legem impleret, neminem justificare vel ad perfectum adducere poterant (*Hebr.* 7), sicut piscina illa ante descensum **168** angeli neminem sanare poterat. Quæ, sicut quinque porticibus cingebatur, in quibus jacebat multitudo languentium, motum aquæ exspectantium ; ita lex Moysi, cujus quinque libri sunt, peccatores interim cohibebat, sacrificiis illis obumbraticis emundari non valentes, donec veniens Christus ea, quæ sacrificiis eisdem præfigurabantur, in veritate perficeret. Vel certe, quia non solum illos, qui sub lege Moysi fuerunt, sed et cunctos, qui ante legem et ab initio mundi electi per fidem Deo complacuerunt, Christus Dei Filius salvare venit, et omnibus erat necessaria passio Christi, bene « quinque porticus » erant, et in omnibus languentes jacebant, exspectantes « aquæ motum ; » quia videlicet ante adventum Christi, a quo sexta mundi ætas incipit, quinque ætates fuerunt ; quarum in nulla defuisse credendum est fideles et justos viros, qui circa eamdem spem repositi, salutarem nostri Redemptoris exspectabant adventum. Quorum omnium unam eamdemque fidem recte significabat ille unus (*Ephes.* IV), quia prior descendebat in piscinam, et sanabatur. Nam unus Dominus, una fides, unus in omnibus electus est Spiritus, et idcirco electorum omnium, sive mortuorum, sive vivorum, sive ante, sive post passionem Christi vocatorum, una Ecclesia et unum corpus est (*I Cor.* X). Igitur in hoc loco tam pulchra, tam splendida suæ passionis figura illustrato, Dominus quid fecerit audiamus. Sequitur :

« Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua. » Recte quidem, ut a sanctis doctoribus expositum est, hic homo tanto tempore languidus, peccatorem significat scelerum suorum enormitate pressum ; cui, quia dilectio Dei et proximi deest, et idcirco per pœnitentiam convalescere non potest, bene hujus infirmitas triginta et octo annos habet, et a quadragenario numero, qui pœnitentiæ dicatus est, binario differt. Verum, quoniam per hujus occasionem Sabbatum Judæorum solvitur, et eadem Sabbati carnalis solutio magna, et Christianæ fidei necessaria ratione defenditur, non contenti sumus scire quod peccatorem significet ; sed et quem, qualem, quantumque, id est, quam late diffusum figuret, nosse oportet. Quia videlicet, dum ille grabbatum suum Sabbato portat, non leve est, quod Dominus ipse, qui jusserat, advocatus ejus factus est, disputando adversus illos robustos legis æmulatores Judæos, quasi pro Sabbato Dei æmulantes, revera autem præ invidia seipsos dissecantes, dum unius saluti detrahunt, alterius virtuti vel gloriæ invidentes. Igitur sicut ille unus, qui post motionem aquæ primus in piscinam descendere poterat, priorem populum recte significat, id est Israelitas, quorum est adoptio, et testamentum, et legislatio, quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem (*Rom.* IV), qui est super omnia Deus benedictus in sæcula ; ita nihilominus iste, qui hominem non habebat, ut cum mota fuisset aqua, mitteret eum in piscinam, populum significat gentilium, qui cum et ipse in Christum crederet, et baptizari vellet, nemo apostolorum, sicut in actibus apostolorum de Cornelio legitur, unitati illorum, qui ex circumcisione erant, illum admittere audebat. (*Act.* X). Cujus rei mysterium, quia nostra res est, in præsenti lectione subtilius perscrutandum. « Erat, inquit, quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate. » Ubi aqua illa mota fuerat et unus descendebat in piscinam, ibi erat et homo iste. Quia videlicet, ubi et passio Christi celebrata

est et baptismi sacramentum illi priori populo tradebatur, jam ex tunc gentilis populus, fama tantæ salutis audita, gratiam eamdem postulabat, triginta et octo annos habens in infirmitate, id est, olim desperatus, perdita corporis et animæ temporali et æternali salute, fraudatus vitæ præsentis pariter et futuræ veritate. Nam per triginta annos, qui numerus annorum plena viri ætas est, vitæ præsentis perfectio; per octo annos, vitæ futuræ æternitas (cujus octo sunt beatitudines, quæque octava mundi ætate perficietur) recte figuratur. Sed gentilis populus, et præsentem vitam se non posse retinere sciebat et futuræ nullam spem habebat. Igitur magnus iste languidus triginta et octo annos in infirmitate habebat; quia et præsentem vitam laboribus et oneribus cito consumebat, et futuræ B resurrectionis spem nullam habebat. Ut autem iste languidus tam verus, tanquam a salute remotus, calamitatem suam agnosceret, magisque ac magis ingemisceret, grandis illum commotæ aquæ sonus excitabat, magnumque gaudium illius, qui ante se descendens curatus fuerat. Nec vero tantum ex eo quod in omnem terram sonus ille exivit, et in fines orbis terræ (*Psal.* XVIII) descensus illius magni Angeli auditus est, illud cognoverat; verum et ex eo quod penes eamdem piscinam et intra porticus ejus, idem languidus aderat. Illo quippe tempore, quando hic nostræ pacis nuntius, hic Dei Filius de cœlo descendit, et seditione contra illum excitata, ut passione sua salvos nos faceret, intraverunt aquæ usque ad animam ejus, et venit in altitudinem maris, et tempestas demersit eum (*Psal.* LXVIII); C illo, inquam, tempore Romanorum militum centuriones, quinquagenarii et decuriones intra Judææ sinus habebantur. « Erat ergo quidam homo ibi, triginta et octo annos, » ut prædictum est, « habens in infirmitate. »

« Quem cum vidisset Jesus [*textus addit* jacentem] et cognovisset quia multum tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri? » Quibus putas oculis illum, qui per hunc hominem significabatur, magnum languidum Jesus vidit, quos vel quantos habet oculos in capite suo? Septem. Ipse est enim lapis ille, in quo septem oculos Zacharias propheta se vidisse testatur (*Zach.* III), qui sunt septem spiritus Dei, quorum omnis plenitudo corporaliter habitans in illo requiescit (*Col.* II). Istis oculis gratiæ vel D misericordiæ, quæ non est alia quam ipse Deus noster Spiritus sanctus, vidit istum languidum cum ascendisset in cœlum, prospiciens « de excelso sancto suo, de cœlo in terram aspiciens, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum (*Psal.* CI). » Tunc, inquam, prospexit, tunc vidit et cognovit, quia multum tempus haberet, id est, sensum pietatis suæ se sensisse probavit quia tempus miserendi ejus adesset. Quem ejus respectum pulchre per hoc innuit, quod prædicto homini familiariter dicit: « Vis sanus fieri? » Et quidem desiderium pauperum jam exaudierat et præpara- A tiones cordis eorum audierat auris ejus (*Psal.* IX). Quomodo ergo patentem omnibus unius languidi voluntatem nescire poterat? Verum ad hoc interrogat, et ad hoc solum dicit: « Vis sanus fieri? » ut ostendat quod de homine nihil amplius debeat quæri, id est, non qualis persona, vel ex qua gente sit, sed hoc solum, utrum peccata sua relinquere justitiamque velit operari. Nam « in omni gente qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X). » — « Dicit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut, cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. » Homo iste necessarius, qui languidum **169** mittat in piscinam, id est peccatorum ad Dominicæ passionis applicet sacramentum, ipse Christus vel aliquis vicarius est, verbi gratia, Petrus vel Paulus, in quo loquitur Christus (*II Cor.* XIII), imo totus concors apostolorum vel sacerdotum chorus, quorum est officium docere et baptizare: quod profecto est languidum in piscinam passionis Christi fecundam æternæ salutis dimittere. Sed hunc hominem languidus gentilium populus revera non habebat, quippe contradicentibus his qui ex circumcisione erant fidelibus, et contensiose asserentibus Christum non pertinere ad gentes, sed ad solum genus Abrahæ cui repromissus est. Hoc profecto languidus iste tunc dolebat, quando Cornelius orans et eleemosynas faciens regnum Dei quærebat (*Act.* XI), quia nec ad Simonem, qui cognominatur Petrus, mittere noverat vel audebat, nec eidem Petro adhuc reptilia vel serpentia terræ de cœlo fuerant ostensa, quod in ejusmodi piscina lavare, et sic mactare et manducare deberet omnia (*Act.* X). Bene ergo ait languidus, « quia hominem non habeo, ut, cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. » Et quasi quæreretur ab eo cur hominem quem optabat, hominem tam necessarium non haberet, protinus adjungit:

« Dum venio enim ego, alius ante me descendit. » Quod profecto secundum illius causam, cum quo tunc loquebatur Jesus, non satis rationabiliter videtur subjungi. Non enim quia, dum veniret, alius ante illum descendebat, idcirco hominem non habebat, sed quia hominem non habebat a quo mitteretur, ideo in piscinam descendere non poterat. Melius ergo secundum id quod per illud significabatur, ipse litteralis sermo procedit, quia videlicet gentilis populus idcirco hominem non habebat qui mitteret illum in piscinam, quia, dum veniret ipse, alius ante ipsum descendebat, id est idcirco Christi gratiam percipere non poterat, nec apostolis illum admittere licebat, quia, dum rogaret sibi aditum salutis aperiri, hi qui ex circumcisione erant, moleste nimis obviabant, dicentes, « quia, nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri (*Act.* XV), » neque ad Christi gratiam admitti, et ita dura conditione repellebantur, dum diceretur eis ipsos ad Christum non pertinere, nisi prius universæ legi Moysi subjicerentur. Sed adversus hanc illius prioris populi invidentiam opportune adest prolocutor Christi, magnusque gentium advocatus Spiritus sanctus,

et antequam gentiles in illam Dominicæ passionis piscinam, id est baptismum ejus, quo in morte ipsius baptizamur (*Rom.* vi), sacramentum descendissent, cecidit super eos, et erant loquentes linguis, et magnificantes Deum (*Act.* x). Ac deinceps, sicut visum est eidem Spiritui sancto ejusque apostolis, definitum est ne quis ulterius tentaret imponere jugum cervicibus discipulorum, quod neque ipsi portare potuerunt, neque patres eorum (*Act.* xv). Recte ergo Dominus, dum ista futura, imo per semetipsum disposita et mox facienda, prævidet, dicit illi languido qui in piscinam descendere non poterat, ubi alius sanatus fuerat :

« Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus surrexit, et sustulit grabatum suum et ambulabat. Erat autem Sabbatum in illo die. » Cur enim Sabbato, illi « quem omnipotens verbum imperio suo sanat, grabatum suum portare imperat, quod apud Judæos fieri non licebat, dicente lege de die Sabbati : « Non inferetis onera per portas vestras (*Jer.* xvii). » Cur, inquam, hoc imperat, nisi ut ostendat inimicis suis Judæis mox adfuturum ut sicut per prophetam prædixit, non solum Sabbati, sed et omnium solemnitatum illorum stercus super vultus illorum projiciat (*Mal.* ii). Hoc enim postmodum cœpit fieri auctoritate Spiritus sancti, signa et prodigia facientis, ubi omnes a servitio legis absolvit, interpretibus voluntatis ejus sanctis apostolis, dicentibus : « Quia visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato et fornicatione. A quibus custodientes vos, bene agetis. Valete (*Act.* xv). » Sed cum Sabbatum carnalem non curandum esse Dominus opere injuncto innuit, cur tali modo, id est deportatione grabati, quam alio quolibet modo istud significare maluit? Plane nonnihil aut parum boni operis per illam grabati vectationem significavit. Non enim quidpiam ejus laboris aut oneris in hoc fas est suspicari, sub quali laborantibus quodam loco dicit : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* . xi). » Siquidem labor ille et onus illud infirmorum est qui non sunt sanitatem consecuti, non alius sine dubio labor quam amor hujus mundi qui nondum curatos multis oneribus curvat et deprimit. Igitur onus illud hic significat quod quisque portat, Sabbatum Domini legitime celebrat. Proinde primo sciendum est, quia, sicut in homine illo qui curatus est populum gentilium intelligimus, quondam absque fide in peccatis suis jacentem, nunc autem in fide stantem et in bonis operibus ambulantem, ita in grabato ejus universum apostolorum et prædicatorum Christi ordinem recte accipimus. Nam sicut homo et cum ægrotat grabatum suum portat, et cum jam sanus est, in eodem diurno labore competenti sumno recreatur, ita populus gentilium et cum infidelitate langueret, per apostolos et prædicatores sanctos ad Christum magna

A dilectionis suavitate deportatus est, et cum jam per justitiam fidei sanatus est, eorumdem hominum meritis vel exemplis, doctrinis quoque vel monitionibus in opere bono, ac dilectione, confortatur, et a quotidianis solvitur excessibus. Hoc autem ita vicissim portat, ut cum illi spiritualia seminaverint, jure carnalia metere debeant (*I Cor.* ix). Huic ergo magno languido jam sanato cum dicitur : « Tolle grabatum tuum et ambula, » idem est ac si dicatur : Da operam ut grabato tuo non ingratus appareas. Eos quippe in quorum spirituali prædicatione requiescis, tua carnali sustentare debes substantia: « Dignus est enim operarius mercede sua (*Luc.* x). » Fecit homo imperata, sanus factus confestim surrexit et sustulit grabatum suum, et ambulat. Qui ve-

B rius? quid manifestius? Palam omni mundo grabatum suum portat et ambulat. Sanctos apostolos vel apostolicos viros, in quorum fide meritisque et exemplis requiescit, non solum in vita ipsorum suscepit, et competenti alimonia supportavit, sed etiam post obitum illorum memorias ipsorum debito cum honore veneratur, et amplius possessionibus dilatat, ut successoribus vel imitatoribus eorum nihil [in] corporalibus desit, in quorum spirituali ministerio suam animam reclinavit. Ita profecto huic homini grabatum suum portare jubebat Jesus, cum diceret Paulus, imo ipse qui Paulo loquebatur Christus Corinthiis [Romanis], de ministerio quod fiebat in sanctos Jerosolymis : « Placuit, inquit, eis et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum parti-

C cipes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis (*Rom.* xv). » Igitur cum languido illi Dominus secundum magnitudinem potentiæ suæ dixisset :« Surge, » recte juxta beneplacitum voluntatis suæ hoc addidit, ut diceret : « Tolle grabatum tuum et **170** ambula. » Imperium ejus, et velox sanitas, et sanitati prompta comitatur obedientia. Erat autem, inquit, Sabbatum in illo die.

« Dixerunt ergo Judæi illi qui sanus factus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. » Hoc revera dixerunt, ut hypocritæ, de quibus bene prophetavit Isaias : « Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longe est a me (*Isa.* xxix ; *Matth.* xv). » Nam nisi, ut in cæteris, ita et in isto cor eorum longe esset a Deo, non tam male honorem ejus dividerent, labiis pollutis stercus

D solemnitatum suarum prædicantes, corde autem splendidæ divini operis gloriæ invidentes. Quid enim? Unde hic homo sanitatem receperat? Ex Sabbato illorum, an ex virtute ejus cujus præcepto grabatum suum portabat? Imo, ut ad illum magnum languidum per totum orbem diffusum, sermo recurrat, gentilis populus unde spiritum accepit, ex operibus legis, an ex auditu fidei ? Sic enim Apostolus Judæis et pseudoapostolis fascinantibus illum magnum et famosum grabati sui portatorem, et dicentibus: Sine circumcisione et legalibus cæremoniis, licet baptizati sitis, non potestis salvi fieri, cum suum jam pene esset oblitus hic homo curatorem,

a quo sanitatem receperat, sic, inquam, ingemiscens : « O insensati, inquit, Galatæ, quis vos fascinavit, non credere veritati ? Ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus. Hoc solum volo a vobis discere : Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei (*Gal.* III.) Spiritum enim se accepisse sciebant, quod manifestum erat ex operatione virtutum. Unde et protinus subdidit : « Qui ergo tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei ? » (*Ibid.*) Item post aliqua : « Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire ? (*Gal.* V.) Videlicet currebant accepta sanitate, qui ante jacebant, portantes jugum suave et onus leve (*Matth.* XI), id est opera justitiæ, quibus nullo modo debuisset homo sanus Sabbata Judæorum, quæ Deus odit, præponere, veridico propheta Isaia testante : « Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri, Kalendas vestras et Sabbata vestra odivit anima mea, facta sunt mihi molesta (*Isa.* I). » Ac deinceps ; « Manus enim, inquit, vestræ plenæ sunt sanguine (*ibid.*). » Verum ille homo sæpe dictus, scilicet gentilis populus, jam sanatus, id est in Christo baptizatus, sed rudis et Scripturarum imperitus (unde et partim fascinari potuit non credere veritati) nesciebat hæc et cætera testimonia prophetiæ et Scripturæ ignorabat, quod tanto odio Deo festivitates et Kalendæ cunctæque Judæorum cæremoniæ, ex quo de sanguine Christi, quo plenas manus Judæi habent, sunt pollutæ, et idcirco non poterat de ea quæ in Christo est fide, rationem reddere, nec vero poterat ipsum Christum præsentia corporali adire, aut audiret vim patiens, quod in tali contentione respondet pro se. Bene ergo subditur :

« Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille dixit mihi : Tolle grabatum tuum et ambula. Interrogaverunt ergo eum : Quis est qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum et ambula ? Is autem qui sanus effectus fuerat nesciebat Jesum quisnam esset. » Vide nunc in primis adversarios Christi, quam insipientes in ipsa interrogatione sua sint, et iniqui. Ille homo qui sanus effectus fuerat, et de tam longæva infirmitate repente tam perfecte convaluerat, ut grabatum suum valentibus humeris et collo irreflexo portaret, bimembrem illis responsiunculam reddiderat, dicens : « Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum et ambula. » At illi partem unam vel membrum ab auditu suo excluserunt, hanc scilicet qui me sanum fecit. Aliam vero partem, id est ille mihi dixit : « Tolle grabatum tuum et ambula, » protinus ex ore ejus rapientes, linguarum suarum sagittis confodiendum pro signo sibi posuerunt. Non enim dixerunt : Quis est qui te sanum fecit ? sed dixerunt : « Quis est ille qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum et ambula ? » Illud quippe manifestum tantæ virtutis beneficium disparere mallent, utpote laudis et gloriæ ejus causam vel materiam non levem, hoc autem sciri, hoc audiri vel publicari idcirco studebant, quia videbatur eis quod quasi legitima accusatione in calumniam trahere possent. Similiter postmodum cum diceret gentilis populus sanatus, id est per fidem Christi justificatus qui me sanum fecit, qui mihi spiritum dedit (*Act.* XV), et in me virtutes operatur (*Gal.* V), ille mihi dixit per apostolos suos : Judaicas non cures cæremonias, nec eorum observes Sabbata, tamen diligas Dominum Deum tuum toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum sicut teipsum (*Matth.* XXII), quod est revera surgere et tollere grabatum tuum. Cum, inquam, hæc diceret, econtra non dicebant adversarii Christi, Judæi vel pseudoapostoli : Quis est qui operatur in vobis virtutes ? nullam quippe rationem inde audire, vel mentionem fieri volebant, sed hoc dicere audebant : Quis est qui vobis præcipit non observare Sabbata, vel cunctas Mosaicæ legis respuere cæremonias ? et non timebant detrahere Christi gratiæ, sanctorum apostolorum contemnere personas. Verbi gratia dicentes : Petrus idiota et homo sine litteris est (*Act.* IV), et Paulus de Christi apostolis nullus est (*Gal.* II), et his similia. Quorum fabulas et genealogias et profanas vocum novitates, stultas quoque et sine disciplina quæstiones, quæ generant lites et ad nihil sunt utiles, nisi ad subversionem audientium (*I Tim.* I; *II Tim.* II), quia nec divitare studuerunt, nec per scientiam Scripturarum evacuari potuerant, recte et hoc dictum est, quia is qui sanus fuerat effectus, nesciebat Jesum quisnam esset. Si enim fecissent [scivissent], nequaquam potuissent ab illo fascinari non credere veritatem. Quam imprudentiam iste culpans Apostolus : « Evigilate, inquit, justi, et nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reverentiam vobis loquor (*I Cor.* XV), » etc. Proinde recte dicimus ignorationem Scripturarum ignorationem Christi esse. Quia videlicet absque Scripturis, Novi pariter ac Veteris Testamenti, impossibile est hominis animam stare, ut nullo circumferatur vento doctrinæ (*Ephes.* IV). Nesciebat ergo quamvis sanus factus, id est in Christo baptizatus primitivus gentium populus, quisquam esset Jesus, id est quantus, quam potens, quam vere Deus, quam vere etiam Sabbati Dominus (*Matth.* XII). Cur vero nesciebat? Ait evangelista:

« Jesus enim declinavit a turba constituta in loco. » Valde notandum quod non idcirco Jesus declinaverit, quod ille eum nesciebat, sed idcirco Jesum ille nesciebat, quia Jesus declinaverat. Unde enim Jesus declinaverat ? A turba, inquit, constituta in loco. Non a loco in quo erat et in quo virtutem sanitatis operatus fuerat, sed a turba quæ in loco erat declinaverat. Nihil verius. Quis enim locus est, in quo salutem operatur Jesus, nisi sancta Ecclesia ejus ? Sed a nullo loco Jesus declinat, nusquam localiter declinat. Ubique enim est, cum sit Deus, in omni loco est. Quanto magis ab Ecclesia sua, quæ locus ejus est, nunquam declinat : Deus, inquit Psalmista, in loco sancto suo (*Psal.* LXVII), id est in Ecclesia sancta sua. Sic enim sequitur : « Deus qui inhabitare facit unius moris in domo (*ibid.*). »

Ergo non a loco Jesus declinaverat. **171** Sed quid ait evangelista? « A turba, inquit, constituta in loco declinaverat, » id est, ab illis declinaverat qui turbam faciebant in loco suo, in domo sua, in Ecclesia sua. Non ergo mirum, si is qui sanatus effectus fuerat nesciebat Jesum quisnam esset, cum et Jesus propter turbam declinasset. Verbi gratia cum alius diceret: « Ego sum Pauli; alius: Ego sum Apollo; alius: Ego vero Cephæ (*I Cor.* I), » et propter hæc schismata, cæterasque hæreses non poterat simplex fidelis scire quis Jesus esset, non poterat cito rationem certam obtinere, quam de Christo teneret, vel quam contra veros adversarios Christi, et falsos æmulatores legis redderet. Quid tandem fecit Jesus turba sedata? Quid in pace fecit, qui in turba et tumultu mentium scissuram declinavit? Sequitur:

« Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. » Interim dum turba est in loco, et Judæi de Sabbato suo calumniantur, is qui sanus effectus est, templum ingreditur, ubi videat Jesum, vel videatur a Jesu. Quia videlicet dum ab hæreticis vel pseudoapostolis pulsatur quæstionibus novus credentium populus, necessitate urgente Scripturarum thesaurus discutitur, et fidei veritas aperitur, et in pace Ecclesiæ, qui fuerant hospites et advenæ, jam cives sanctorum, jamque domestici Dei conversantur (*Ephes.* II). Non enim deerant hospitibus istis, vel advenis ardentis dona naturæ, præclara scilicet ingenia, quæ Spiritu sancto adjuta, ex lectione Scripturarum via recta possent templum veritatis adire, ubi certa fide offerrent victimas justitiæ. Nam quemadmodum ignis interdum consopitus, suisque cineribus obrutus, flatu agente recandescit, et quanto vehementius urgetur, tanto efficacius convalescit, sic eadem novæ Ecclesiæ bona indoles, quanto plures et majores adversantium lites pertulit, tanto magis profecit, et tanto Scripturarum notitia præclarius enituit.

Hoc quoque non prætereundum quod illum hominem sanum quidem Dominus per semetipsum fecit, sed non per semetipsum in templum introduxit. Quia videlicet per semetipsum quidem peccata dimittit et super gentiles primo tempore, ut supra dictum est, gratiam suam ostendit (*Act.* x); verum non per semetipsum vel per angelum suum, sed per hominem Petrum in Ecclesiæ suæ communionem, per baptismum aquæ, omnes, qui jam Spiritum sanctum acceperant, intromittere voluit. Igitur ubi illum populum suum per medias turbas hæreticorum vel contradicentium Judæorum in omnem fidei plenitudinem adduxit. Dicit ei: « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. » Hoc a principio non dixit quando sanum illum fecit, quia profecto, cum adhuc tenera esset gentium fides, non pulsanda minis, sed lactanda erat blandimentis, et multa de vetusta consuetudine per discretionem dissimulanda erant ad tempus, in spi-

A ritu mansuetudinis, quæ tunc opportunius virga ferirentur postquam Christus plene formaretur in illis (*Gal.* IV). Sic populo Israel non in Ægypto Dominus legem dedit, sed signis et prodigiis suis oblectavit, quibus captivatorem ejus Pharaonem verberavit (*Exod.* VII), donec illos educens per mare Rubrum traduceret submersis Ægyptiis (*Exod.* XIV), et tunc demum legem exeruit dicendo: Qui fecerit hoc, morte moriatur, et sanguis ejus super caput ejus (*Exod.* XXI). Ita plane renascentem in Christo infantiam animarum, nutricula vel mater Dei gratia primo lactavit, ut præcedentem remissionem peccatorum gratanter acciperent; deinde forti districtione coercuit, ne confitentes se nosse Deum, factis negarent (*Tit.* I). Bene ergo non a principio, sed

B nunc tandem dicit homini in templo, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Quia procul dubio melius fuisset nunquam veritatis viam agnoscere, quam post agnitionem retrorsum redire (*II Petr.* II). Sed et illud notandum quod cum triplici ob causam soleat Dei voluntate infirmitas evenire, videlicet aut ut probetur patientia meritumque augeatur justi, aut quia peccavit ut purgetur camino molestiæ corporalis, aut ne peccet obstante vel renitente vinculo infirmitatis. Hic homo, de quo præsens lectio commemoravit, idcirco tot annos habuisse in infirmitate sua credendus est, quia peccaverat, cum ei dicat Dominus, « jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. » Quod et ipsum ad prædictam similitudinem populi gentium patenter accidit. Ipse est enim minor ille filius, qui pec-

C cavit in cœlum, et coram patre, dum accepta portione paternæ substantiæ, quæ eum contingebat, peregre profectus, devoravit omnia vivendo luxuriose, tandemque uni civium adhæsit, et porcos pavit. Cui revertenti, et adhuc longe agenti pater occurrit, et in osculum ruens super collum ejus incubuit (*Luc.* xv), dum, ut supra dictum est, gentilibus adhuc foris positis, id est necdum baptizatis, Spiritus sancti gratiam manifeste tribuit (*Act.* x). Bene ergo ille talis homo propter peccata sua in infirmitate jacens, tali modo Judæis irascentibus, sanus factus est, quia filius iste, qui suam ob culpam mortuus fuerat et perierat invidente fratre suo, revixit et inventus est (*Luc.* xv). Quid tandem fecit iste, qui prius interrogantibus Judæis respondere

D nescivit, quis vel quantus esset ille qui dixit ei: « Tolle grabatum tuum et ambula, » id est bene operando ne cures Judæorum Sabbata? Quod fecit nunc, postquam salvatorem suum cognovit verum esse Deum, verum esse Dei Filium. Sequitur:

« Abiit ille homo et nuntiavit Judæis quia Jesus esset qui fecit eum sanum. » Melius et fidelius quam Judæi rem iste divisit. Illi namque cum audissent ab eo: « Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula, » partem illam quam criminari non poterant silentio suo præciderunt, quia non dixerunt: Quis est qui te sanum fecit, sed dixerunt: « Quis est ille qui dixit tibi: Tolle

grabatum tuum et ambula? » Hic econtra partem eamdem quam criminabantur illi, silentio præterit, et partem nulli patentem reprehensioni nuntiat insidiatoribus illis, dum annuntiando non dicit quia Jesus esset, qui dixit illi, « Tolle grabatum tuum, » sed quia Jesus esset qui fecit eum sanum. Hoc plane nunc facit, nunc annuntiat Judæis fidelis populus Christi, nomen et virtutem Salvatoris sui ejusdem Christi Filii Dei, nunc etiam nolentibus et invitis, importune Scripturarum veritatem impingit. Et si non proficit ut convertat eos, exsultat tamen quia, scienter et constanter proloquens, eosque convincens de lege ipsorum et prophetis confundit, et obmutescere facit imprudentiam perfidorum, ut videant recti et lætentur, et omnis iniquitatis oppilet os suum (*Psal.* CVI). Et notandum quia non in templo erant Judæi, quibus ille homo nuntiavit. Sic enim dictum est: « Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis. » Nunc abiit, imo quia abiit, cum eo non erant in templo Judæi. Nunc enim quando sumus nos in templo Dei, quando sumus in Ecclesia Patrum et justorum omnium qui ab initio mundi fuerunt veri adoratores Dei, Judæi foris sunt, Judæi magno flagello iracundiæ Dei ut mali negotiatores, ut male negotiantes latrones, foras ejecti sunt. Nos interdum eximus ad eos, et rogamus ut veniant nobiscum in templum. Sed frustra. Ipsi enim, dum nos intus vitulum saginatum comedimus, **172** foris persistentes, et audientes symphoniam et chorum, solo auditu cruciantur, pertinaci livore torquentur, donec ipse pater exeat et per semetipsum rogare dignetur (*Luc.* XV). Nunc ad rem tempore illo gestam redeamus, et nos qui secundum illam præfigurationem in veritate sanati sumus, nostræ, qua sanati sumus, fidei firmamenta ex ipsius qui nos sanavit, ore colligamus. Sequitur:

« Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hoc faciebat in Sabbato. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. » Summum deinceps silentium, et cum attentione benevolentiam ab omni docili et reverenti anima res postulat, quia vere in hac oratione sua non sibi, sed nobis consulens, propria seipsam ratione propter nos defendit summa Dei sapientia. Vere etenim in communi adjutorio totius mundi, tali nobis et propter nos perorat defensione, cum elocutione grandi pariter et humili, ut et sapientibus vel eloquentibus sæculi non desit in contextu divinæ orationis artificium quod demirentur, et idiotis fidelibus majestas vel claritudo sensuum nuda sit, qua illorum infantia, vel simplicitas competenter ædificetur. « Propterea, inquit, persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in Sabbato, » etc. Ecce in his verbis evangelista syllogismum compegit, cujus nobis distinguere partes operæ pretium est, non ut syllogisticæ artis nugas in tanto opere magnificemus,

A sed ut ejus intentionem sensumque nostro utcunque intellectu consequi possimus. « Propterea, inquit, persequebantur eum Judæi, quia hæc faciebat in Sabbato. » Quid hic evangelista proponit, nisi Judæos mirabiliter faciles et pronos fuisse in necem Salvatoris, in tantum cæcos et veræ rationis expertes, ut hujusmodi opus salutis et requiei, manifestum opus solius divinæ virtutis pro transgressione computarent Sabbati sui, pro transgressione, inquam, non qualicunque, sed tali vel tanta, ut salutis auctorem dignum prædicarent morte, non aliam ob causam, nisi quia salutem operaretur Sabbati die. Quid enim est Sabbatum, nisi requies, vel quam ob causam datum est, nisi ut operarius, fessus cæteris septimanæ diebus uno die requiesceret, et B tamen victum diurnum a suo patrefamilias ex debito perciperet? Sic enim in lege scriptum est: « Sex dies operaberis, septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus, ut refrigeretur filius ancillæ tuæ et advena (*Exod.* XX). » Ergo non nisi ad requiescendum miseris servientibus, et ad reparandos artus solutos Sabbatum datum est, id est requies. Sed hoc opus Domini, et cætera ejus opera requiem vero labori languentium miserorum optatissimam succedere faciebant, veris angoribus diu desideratum refrigerium substituebant. Ergo cæci et cæca crudelitate sævi homicidæ perditi, multum a vera requie longe recesserant, multum a pietate disparati erant; qui talem ob causam persequebantur salutis opificem, Dei gratiam. Ubi evangelista sic proposuit, C protinus assumpsit. « Jesus autem, inquit, dixit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. » Illud, inquit, quod hæc faciebat in Sabbato, jam sufficiebat ad exacuendam illorum crudelitatem, ut tanquam bestiæ erectæ vaderent intentæ atque inhiantes ad bibendum ejus sanguinem. At ille hoc dixit eis, quod valde majus, quod illorum invidenti superbiæ longe esset intolerabilius: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor. » Hoc assumpto protinus concludit sic: « Propterea ergo magis quærebant eum interficere. » Si, inquit, propter illud invidentes persequebantur eum, multo magis invidere et persequi habebant, si quid majus ex illo acciperent. Sed hoc longe majus est Patrem suum Deum dicere quam tale quid in Sabbato facere. Perpende ergo qui minoribus majora conferre nosti, D quantum istud filios hominum, malos filios malorum, tota humanitate exuerit, ut dentes eorum et arma et sagitta ad invicem præ furore colliderentur, et lingua eorum gladius acutus (*Psal.* LXI), sanginem sitiens, longe extra dentes et labia protenderetur. Sed jam nunc ipsa verba lectionis explananda sunt.

« Propterea, inquit, persequebantur eum Judæi, quia hæc faciebat in Sabbato. » Revera satis faciles ad malum, satis et nimium veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem (*Psal.* XIII). Attamen cur ista tam sæpe faciebat Dominus in Sabbatis? Nunquid ut provocaret eos, hanc illis dabat offensionem? Nunquid quia mortem suam fore sciebat

utilem idcirco provocabat eos ad effundendum suum sanguinem? Absit! Sed ipse lucerna erat, et idcirco ut luceret in tenebris, in mundum venerat. Constat vero quia sicut ipse ait : « Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, sed super candelabrum, ut omnes qui in domo sunt, vel ingrediuntur domum, lumen videant (*Matth.* v). » Bene ergo in oculis omnium lucem operum suorum propalare debebat, bene in synagogis et in templo, quo omnes Judæi conveniebant, operari et docere illum decebat. At illi non qualicunque die, sed Sabbatis, neomeniis, aliisque festivitatibus, celebres conventus agebant. Oportebat ergo ut Sabbatis quando domus plena erat, id est templum vel synagoga, quando ingrediebantur omnes feriati, ad quos lucerna hæc missa fuerat. Oportebat, inquam, ut tunc super candelabrum suum B stans, operaretur opus suæ claritatis ut expanderet lumen corporaliter inhiantis [inhabitantis] in se plenitudinis divinitatis (*Col.* II), ut oculi simplices in lumine ejus gauderent, et oculi nequam excusationem de peccato non haberent (*Joan.* XV). Hæc enim lucerna nullum oculum ob sui præsentiam nequam esse faciebat, sed tantum a simplici oculo distinguebat, quemadmodum tu, quilibet bonus artifex, per ostensionem artis tuæ neminem invidum esse facis, sed tantum ab effectis deprehendis et discernis, quis invidus, quis erga te benevolus sit. Cum igitur in præsentia lucis, oculi nequam totum corpus tenebrosum haberent (*Matth.* VI), adeo ut lucem in tenebris lucentem non modo non comprehendere, sed etiam exstinguere vellent, persequebantur enim illum Judæi, propterea quia hæc faciebat in Sab- C bato, dicit eis : « Pater meus usque modo operatur et ego operor. » Brevis sententia, mirabilis causa, quia et persecutores suos in jus vocabat, et nos benevolos sibi, sicut lucerna fulgoris illuminat. Benevolos namque sibi nos bonis operibus effecit, quorum unum illud, quod nunc languidum sanavit, ad captandum benevolentiam pertinuit. Nam quod ait : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor, » nostri oratoris pro nobis perorantis, sapientiæ Dei narratiuncula est, verbis lucida et brevis, sensu magna et mirabilis, cujus partem illam quæ est « et ego operor, » toto sequenti sermone argumentosa veritas ob confirmationem nostræ fidei constanter et veraciter defendit. Audite, Judæi, audite legem æquitatis, postulat homo iste quem vos D persequimini, quem vos ob hujusmodi causam interficere quæritis, qua senatum orbis terræ benevolum sibimet effecit. Die Sabbati reprehensus de opere qualicunque non se de qualitate operis quamlibet [quamvis] laudandi defendit, sed **173** de jure suo secundum natales suos causam legitimam constituens, vestrum, imo totius orbis publicum auditorium non subterfugit. Vos omnes ex Abraham nati, et omnes post Abraham estis; his autem ex Abraham quidem natus est, sed et ante Abraham est, et non sic operatur in Sabbatis, ut vos, cum bovem vel asinum adaquatis, nonnihil negligentes in

A hoc Sabbatum, id est, requiem ancillæ vel advenæ vestri vestrum pecus solventis et adaquantis, et idcirco non vult sub æquali vobiscum lege teneri (*Matth.* XII). Habetis legem, estis quidem legisperiti; habetis judices, si vere utique justitiam loqui et recta judicare velitis (*Psal.* LVII). « Pater meus, inquit, usque modo operatur. » Non indicat nunc primum quis vel ubi Pater suus sit, sed hac re jamdudum vobis intimata, maxime per testimonium Joannis id quod sequitur, « et ego operor, » defendere intendit. Et illud plane concedere oportet. Nec enim negare potestis quin ille talis Pater ejus, qualem jamdudum audistis, « usque modo operetur. » Nonne ille usque modo in Sabbatis vestris fecit « solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super ju- B stos et injustos ? » (*Matth.* v) Nonne, cunctis diebus nullis festivitatibus exceptis, occidit et vivere facit (*I Reg.* II)? percutit et sanat, et quacunque die apprehenderit hominem dignum morte, quacunque die peccator in manu ejus inciderit, non est Sabbatum quod illum de manu ejus eruere possit (*Num.* XIII). Nam ut hoc taceam quod a substituendis animalium fetibus vel nutriendis terræ fructibus, non magis Sabbato quiescit, quam prima vel secunda Sabbati. An putatis quod vos, dum in Sabbatis vestris onera peccati per portas vestras (*Jer.* XVII), id est, per sensus vestros infertis, qui utique cum sint portæ et fenestræ corporis, ingredietur mors per ipsos usque ad interiora ventris, cum, inquam, ejusmodi onera portatis et longis iniquitatis feniculis trabitis (*Isa.* v), putatis dum vos ista facitis in Sabbatis, et dum C in Sabbato homicidium adversum me pertractatis, quod Pater meus tunc interim otiosus sedeat (*Psal.* LXVIII), quia Sabbatum et non vos de libro suo deleat ; imo peccatum vestrum « stylo ferreo in ungue adamantino (*Jer.* XVII) » scribat forti opere et profunda Scriptura quam in sempiternum nemo deleat ? Palam ergo est, quia « Pater meus usque modo operatur, » et quod non ita requieverit die septimo ab omni opere, ut cuncta quæ creavit desinat magis Sabbato quam alia die gubernare ? Defendam itaque meipsum, dicens : « Et ego operor ; » si adversamini, vera ratio, rationalis veritas vinculo suo conatus vestros alligabit. Vos enim a Joanne, quem consulendum esse judicastis, quasi propositum, audistis quod Deus Pater meus sit, vos a me assum- D ptum refellere non potestis, quin ille Pater meus operetur usque modo in die Sabbati. Concludo ergo, dicens : Igitur « et ego operor. » Quid enim ? num ita vos insanire audebitis, ut odio vel despectu Filii Patrem quoque condemnetis et persequamini, quia non vacat ab operibus vitæ vestræ necessariis vel a regimine totius mundi in die Sabbati ? Rursus legaliter astruere non poteritis quod Filius minus liber Patre suo sit, quod Filius Patre suo minus legitimus etiam Sabbati Dominus sit. Quis enim filius legitime natus patri suo natura vel conditione postponitur ? Nunquid Pater alterius vel diversæ substantiæ quam ejusdem, cujus et ipse est, Filium generare potuit ?

Facere quidem aliud potest quam id quod ipse est, sicut vestrum quidlibet dum pingit vel plasmat, aliud profecto quam quod ipse est facit; sed dum generat, profecto aliud quam id quod ipse est, generare natura non concedit. Me autem solum Pater non fecit, sed genuit; sicut vobis idem Joannes qui supra dixit: « Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit (*Joan.* I). » Ille unigenitum Dei me esse perhibuit. Igitur et ego operor in Sabbato, quoniam minus liber, minus legitimus non sum Patre meo. « Propterea ergo, inquit, magis quærebat illum Judæi interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo, » videlicet dicendo: « Pater meus usque modo operatur, » æqualem se facit scilicet subjungendo: « Et ego operor. »

« Respondit itaque Jesus, et dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. » Hæc dicta quamdam impotentiam insufficientis naturæ resonare videntur, sed si recte advertas veram, certam stabilemque Filii Dei omnipotentiam prædicare comprobantur. Quæ cum vero sensu fuerint perspecta, clarebit, et quam recte quamque optime responderit ita Jesus quærentibus se interficere. Et hoc primo sciendum quia fecunda oratrix sapientia Dei, ab hoc loco usque ad id quod longe inferius dicit: qui vero mala egerunt in resurrectione judicii, firmissimis argumentis utitur, utpote nobis verba faciens ad confutandas adversarias partes Judaicæ vel hæreticæ pravitatis, et id ad confirmandam veritatem suæ divinitatis, necessariam omni Christiano homini. « Non potest, inquit, Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. » Quis unquam angelorum aut hominum hoc de seipso protestari potuit? quid enim Deum Patrem videt quis facientem, nisi omne bonum? quid vero aliud est quod ille non facit, nisi omne malum? Quod videlicet qui facit, a semetipso facit, quia solus facit, quia seorsum extra Deum et Patrem facit. Quis ergo sive angelorum, sive hominum, ita castum cor potest se habere gloriari, ut dicat quod a seipso quidquam facere non possit? Nam et angelica malum potuit facere et facit; et humana natura malum potuit facere et fecit. Et quidem sancti angeli firmati sunt, et quia, malo angelo quidquam a seipso faciente, id est, malum faciente, ipsi Deo principi suo adhærere maluerunt, hoc in remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non possint, quia, cum possent, noluerunt facere. Verum hoc non est per naturæ ipsorum potentiam, sed per divinæ voluntatis remunerantem gratiam. Proinde, etsi recte dicatur quod jam a seipsis quidquam facere non possint, attamen non illud verum est adjungere quod facient quæcunque viderint Patrem facientem. Te igitur, o Ari, cujus mortui quoque et in inferno sepulti, nomen fetori et honori est, toti magnæ et sanctæ civitati Dei; te, inquam, Filii Dei defensione præsens oppugnat; te hæc vox ejus accusat, te verum hoc ejus

A testimonium verberat; te hic ejus clamor æterna decollatione condemnat. Tu enim eumdem Filium Dei creaturam dixisti; tu factum esse inclamasti; tu, tempus erat, quando non erat adinvenisti; tu, convertibilem (heu pollute et immunde!), id est, de bono ad malum æque ut angelicam vel humanam naturam deflexibilem esse delatrasti. Denique cum hæc Judæis diceret, jam hic horrisonus furor tuus in auribus ejus erat; jam te inter illas Judæorum turbas tumultuantem et vesanientem audiebat; jam adversus blasphemias tuas seipsum defendendum suisque fidelibus succurrendum esse sentiebat. Ait ergo: « Amen, amen dico vobis, non potest Filius a seipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. » Quid est hoc, o Ari, nisi idem ac si
B dixisset: Non est Filius convertibilis, id est, de bono ad **174** malum flexibilis? Quid enim unquam vidit Patrem suum intus vel foris in cœlo et in terra facientem, nisi valde bona (*Gen.* I)? Sed ipse non potest quidquam a seipso « facere, nisi quod viderit Patrem facientem. » Ergo, non nisi omne bonum Filius facere potest, ergo de bono in malum mutabilis aut flexibilis non est, ergo convertibilis non est. Et vos itaque, o Judæi, quod illum quasi absque Patre suo quidquam facientem, solum propter Sabbata vestra persequimini? Cum Patrem ejus usque modo operantem culpare non audeatis, cur Filium interficere quæritis? Forte dicitis: Deus Pater, quoniam lege Sabbatorum non tenetur, semper operetur, quia nonnisi bonum unquam operatur, nec evenire potest, ut malum operetur: Amen,
C amen, inquit, dico vobis nec Filius unquam nisi bonum operatur, nec fieri potest ut aliud vel aliter quam Pater operetur. Ergo consequens est ut et ipse semper liber operetur, ut nulla Sabbati lege teneatur, ut etiam ipse Sabbati sit Dominus. Sed adhuc parum est. Nam hac prima propositiuncula concessa, constat quidem quod Filius nihil nisi bonum facere queat; sed nondum consequi videtur quod nullum bonum factum sit a Patre absque Filii cooperatione. Rationem ergo subjungit, ex qua constet quod in prædicta propositione nihil omnino exceperit.

« Quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. » Hoc diligenter intuendum est quia non solum id quod prædictum est, sed tria pariter ma-
D gnifica nobis hac brevi oratiuncula perscribit, scilicet quod hæc ipsa faciat quæ Pater fecit, et non alia, et non partem aliquam ex eis, sed omnia, et quod non dissimiliter, id est, quod Patre faciente, per naturalem omnipotentiam, non faciat Filius per accidentalem, vel indultam sibi gratiam; quod Patre faciente impassibiliter, non faciat Filius passibiliter quod Patre faciente inconvertibili imperio, non faciat Filius convertibili artificio. Hoc, inquam, diligenter intuendum est quia non dixit: Facit alia, sed hæc; quia non dixit: Similia, sed similiter. Proinde non sic accipimus Patrem et Filium, quemadmodum duos artifices, magistrum et discipulum,

illum Deum esse, sicut in alia materia magistri opus imitantem, sed Deum Patrem omnia facientem, et cum illo Deum Filium eadem cuncta componentem. Ipse enim Filius Patris sapientia Dei est ac proinde non aliter sine dubio intelligendum est id quod nunc de seipso dicit Filius, quam illud quod alibi Dei sapientia de seipsa loquitur: « Quando præparabat cœlos aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ; cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII). » Igitur cuncta quæ Pater facit, non minus Filii quam Patris opera sunt. Sed et adhuc parum dictum est. Nondum enim satis aperte claret unde sit illa tam concors societas tamque socialis concordia, ut alter sine altero, id est, Pater sine Filio, vel Filius sine Patre nil faciat. Sequitur ergo:

« Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit. » Hoc jam alio loco in testimonio, quod perhibuit Joannes, dictum est quia Pater diligit Filium, scilicet non alia dilectione, nisi Spiritu sancto, qui Spiritus sanctus Patris et Filii dilectio est: « Diligit, inquit, Pater et Filium, et demonstrat ei omnia quæ ipse facit. » Ut quid illi demonstrat? nunquid ut sciat quod prius nesciebat? absit! Quomodo enim a quoquam sua potest instrui sapientia? Et nunc enim dictum est et omnibus notum est, quia Filius est Dei sapientia. Utquid ergo demonstrat ei omnia quæ ipse facit? Plane non ut sciat, sed ut dijudicet omnia. Et quidem aliud quoque dicendum est, sed hoc verum est, quia non ad hoc ut sciat, sed ut dijudicet, demonstrat illi omnia. Non enim facere quidquam vult, nisi quod Filio suo primum placeat antequam faciat. Quid ergo? Num istic derogatur Patri, tanquam Filii dijudicationem in operibus suis exspectanti? absit! Imo plurimum laudis ascribitur. Quis enim non laude dignum ducat sapientem quempiam opere sibimet proposito, quod bona voluntas facere suggerit, vel ad quod agendum bonum studium protrahit, sedere sibimet apud se, et cum mente sua vel ratione pertractare opus quod præparat sciat, ut quod fine vel fructu illud faciat? Quin etiam postquam aliquid fecit, quod accuratum, vel irreprehensibile esse velit, rursus sensui suo non nunquam ingerit ut adunguem perficiat, si quid abesse deprehenderit. Quid autem est Filius Patris, nisi ejus sapientia, quæ, ut prædictum est, quando præparabat cœlos aderat, cum eo componens omnia? Bene ergo et laudabiliter Filio Pater demonstrat omnia quæ ipse facit, quod profecto aliter intelligendum non est quam illud quod alibi in laude ejus Scriptura dicit: « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII). » Hanc demonstrationem digitus Dei per scriptorem legis Moysen in initio libri Geneseos aperte exprimit. Singula namque opera Deus primum ipse facit, deinde singula videt et de singulis judicat, quia bonum est. Videlicet Pater in sua persona operatur, in Filio suo (utpote qui est sapientia sua) singula videt, in bona voluntate sua, scilicet in Spiritu sancto delectatus dicit, quia « bonum est. » Cumque omnia sapientiæ ejus, id est, Filio demonstrata placeant et singulorum facta dierum bona judicentur in solo secundi diei opere tacetur, scilicet ubi aquæ superiores a subterioribus dividuntur, maximeque illud quod præmissum est, « divisitque lucem et tenebras (*Gen.* I), » et laude boni secluditur. Nam antequam dicat: « Divisitque lucem et tenebras, » laudatio solius lucis præmittitur, dicente Scriptura: « Et vidit Deus lucem quod esset bona, » atque ita sine laude extrinsecus subjungitur, « divisitque lucem et tenebras (*ibid.*). » Denique in hoc mundanæ fabricæ, visibili opere, cum divideret Deus lucem a tenebris vel ab aquis aquas, damna invisibilis patriæ respiciebat, ubi mali angeli peccando tenebræ facti, a luce, id est, a bonis angelis divisi sunt, et multitudines adversæ a multitudine angelorum in supernis persistentium, velut istæ elementares aquæ, æterno firmamento divisæ sunt. Cujus divisionis imago est eadem divisio aquarum, eadem divisio lucis et tenebrarum visibilium. Itaque cum cætera demonstrata sibi quæ Pater faciebat, bona judicaret sapientia Dei, de hoc solo, ut prædictum est, divisionis opere tacuit, quia videlicet in divisione nullius erat significatio boni. Igitur « Pater diligit Filium et demonstrat ei omnia quæ ipse facit, » quia profecto cum omni diligentia sapientiæ suæ ad honorem ipsius omnia facit et secundum beneplacitum illius universa distribuit. Attamen notandum quod non de præterito tempore dixit, et demonstravit ei omnia quæ ipse fecit. Quod si dixisset, de prædicta solummodo creatione dixisse putaretur quod tunc illi demonstraverit, quando illas ut essent creavit. Sed præsenti tempore: « demonstrat, inquit, et omnia quæ facit, » quod utique non arbitrandum est dictum **175** esse ab eo sine magno rei pondere ad præsens tempus pertinentis. Quid enim nunc dum ista dicit incarnatus Filius, facit Pater ejus? Facit utique instaurationem omnium, quæ in cœlis et quæ in terra sunt. Per quem, nisi per ipsum Filium? Quem proposuit ipse, sicut Apostolus ait: « Ipse dispensationem [dispositionem] plenitudinis temporum instaurare in Christo omnia quæ in cœlis sunt, et quæ in terra sunt in ipso (*Ephes.* I). » Quomodo ergo non demonstrat ei hoc ipsum, quod non facit nisi per ipsum? quomodo non demonstrat ei nostram salutem, per cujus obedientiam proposuit faciendam esse salutem? Nonne de his quæ facienda sunt, mandatum dare idipsum est, ea quæ facienda sunt demonstrare? Plane neque grammaticos, neque oratores sive dialecticos arbitramur posse cum oratione refragari, quin omnis præceptio demonstratio sit. Nam et demonstratores artium, præceptores

appellare solemus. Multo magis ergo præcipientem dicimus demonstrare. Omnis enim qui præcipit vel mandatum dat, utique demonstrat, sed non econverso, omnis qui aliquid demonstrat, præceptum vel mandatum dat. Dicit autem ipse Dominus alio loco : « Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XIV). » Quod cum diceret, utique ad passionem ibat, qua instauranda erant « omnia, quæ in cœlis et in terra sunt in ipso, » scilicet ruinæ angelorum in cœlis, de hominibus, qui prius restaurantur in terris. Igitur bene et proprie, secundum communem quoque sermonem : « Pater, inquit, diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit, » quod non est aliud quam si dixisset : Et per obedientiam ejus restaurationem omnium facit. Honestius quoque et magis proprie dixit, demonstrat ei, quasi dixisset : Præcipit vel imperat ei. Solemus enim inferioribus et servitium jure debentibus imperare, comparibus autem rem quam oporteat ab uno nostrum fieri, rectius dicimur demonstrare quam præcipere aut imperare. Est autem Patri compar Filius, quia videlicet in Trinitate omnium creatrice et gubernatrice nihil omnino dispar est. His igitur pro posse explicatis, sequentia videamus. Sequitur :

« Et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. » Quoniam, inquit, de his quæ me nunc videtis facere, male admiramini stulta [stultitia] quippe dementati, et hostiliter invidentes, me occidere quæritis, propterea quod, me jubente, languidus in Sabbato sanus surrexit et sustulit grabatum suum et ambulavit. Propterea dico vobis : « Majora his demonstrabit Filio Pater opera, ut vos miremini, » id est, digna admiratione fiant in vobis. Demonstrabit, inquam, nunc mihi et omnibus meis, in rei evidentia, quod olim demonstrabit mihi in præscientia. Deus enim ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Et ego respondebo illi : « Disperge illos in virtute tua, et depone eos protector meus, Domine (*Psal.* LVIII). » Hoc, inquam, ostendit, hoc demonstravit, hoc præcepit mihi, et ego sic respondi et sic petivi, et ipse effectum ejusdem petitionis demonstrabit mihi, id est, faciet me quoque faciente pariter. « Quæcunque enim ille fecit, hæc et ego, ut supra dixi, facio similiter. » Sed ipsa majora jam audite opera. Dixi vobis : Quia majora in his quæ nunc videtis, mihi Filio suo demonstrabit Pater opera. Et vere majora. « Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. » Magnitudinem demonstrationis, qua Filio demonstrat Pater vivificare quos vult ; magnitudinem, inquam, vel onus, quod Judæi ferre non valentes, malo suo mirantur, intellectu nostro apprehendere non possumus, nisi primum noverimus, qui vel quales sint mortui, quos Pater suscitat et vivificat, et Filio demonstrat ut similiter faciat. Nunquid de Lazaro dicit vel cæteris, quos iterum morituros suscitavit ? Et quidem majus fuit illos suscitari quam A languidum triginta et octo annos habentem in infirmitate sua sanari, sed ea longo majora sunt, ad quæ nos mittunt hujus sequentia lectionis, quæ nescire non possunt Judæi, quæque, velint nolint, coguntur mirari. Nam totum pondus hujus oneris in eos vertitur his duabus clausulis, quas ita interposuit in præcedenti versiculo, cum dixisset : « Et majora his demonstrabit ei opera, » mox adjungens : « ut vos miremini, » in sequenti cum dixisset : « Sic et Filius quos vult vivificat. » mox rationem hanc subjiciens : « Neque Pater judicat quemquam, » etc. Igitur isti quos Pater suscitat et vivificat, illa morte mortui intelligendi sunt (*Rom.* V), quæ invidia diaboli per peccatum introivit in mundum (*Sap.* II), qua omnes per unum hominem mortui in anima mortales B et quotidie morientes in corpore et in utroque æterna digna nascuntur condemnatione (*I Cor.* XV). Ab ista duplici morte per gratiam Dei salvantur electi, quorum patres et principes, Abraham, Isaac et Jacob, fuisse scientes Judæi, de illorum superbiebant meritis, sibi solis vitam deberi ; gentes autem omnes ad eamdem non pertineri arbitrati. Jamque vitam eamdem redditam patribus suis sibique repositam autumabant secundum promissiones Dei Patris quem videlicet dicebant, quia Deus noster est, absque notitia vel nomine Filii, sine quo Pater nihil facit, nam « demonstrat ei, ut supra dictum est, omnia quæ ipse facit. » Ait ergo ; « Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. » Quo dicto utramque percutit erroris partem, scilicet, et quod patres suos jam absque C necessaria Filii operatione consummatos esse et quod se solos ad Deum vel hæreditariam vitam autumabant pertinere. Ac si dicat : Qua gratia simul et omnipotentia mortuos et de mortuorum congerie natos Pater vocavit ad vitam, ante manifestationem Filii (prius enim Pater quam Filius hominibus innotuit) eadem gratia simul et omnipotentia Filius in hoc tempore suæ manifestationis, quos vult ad vitam revocat, de eadem perdita massa generis humani. Auscultate quid vel quomodo dixi : Non enim dixi : Sic et Filius ipse filios Abrahæ vivificat (*Gen.* XII), ne vanam opinionem vestram confirmem, quod Judæorum tantum salus aut vita sit, sed dixi : « Quos vult vivificat, » scilicet sive Judæi sive gentiles sint, sicut Pater quos voluit de gentilibus, de Chaldæis, ante Filii D demonstrationem, videlicet patres vestros, nullo ex debito ad sui notitiam vocavit. Nam et patres de communi massa, de gentibus in primo parente damnavit, ad gratiam suam vocavit. Sane prætereundum non est quod eos qui fuerunt ante adventum Filii, recte Pater suscitare et vivificare dictus sit ; quia, tamen si Pater illos non sine Filio vocavit, tametsi aliqui ex eis prophetico spiritu cognoverunt Filium Patris, tali tamen vocatione vocati, tali lege instructi sunt, ut nequaquam per illam patenter agnosci et publice prædicari, Dei Filius potuerit. Et notandum quod de Patre duo verba, scilicet suscitet et vivificat dixit : De Filio autem unum

Verbum, id est, vivificat, inquit, Pater quippe non eodem tempore quo patribus innotuit, non, inquam, eodem tempore salutis opus perfecit in illis, dum melius aliquid pro nobis disponit, inquit Apostolus, « ut ne sine nobis consummarentur (*Hebr.* xi). » Filius autem eodem tempore, quo mundo innotuit, salutem nostram cœpit facere **176** simul et perfecit. Unde illi recte dicuntur primum beata spe suscitati, et deinde longo post tempore reipsa vivificati. Nos autem qui in plenitudine temporis sumus, solummodo vivificati recte dicimur et sumus. Quia videlicet uno eodemque tempore credimus, et vitam quam in Adam perdidimus, per Spiritum remissionis peccatorum regenerati accipimus. Bene ergo de Patre loquens : « Suscitat, inquit, et vivificat. » De Filio autem solum ait : « Et vivificat. » Et sine ulla exceptione gentilis, aut Judæi : « Quos vult, inquit, vivificat, » nulli quidquam debens, sed sola voluntate gratuita, vel voluntaria gratia juste morti addictos, misericorditer ad vitam revocans: Quod non dissimiliter a Patre se facere subjecta ratione comprobat.

« Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio. » Proinde, inquit, Filius nec in hoc dissimiliter a Patre quemquam facit, quod absque distinctione gentilis ac Judæi (*Malach.* i), circumcisionis et præputii : « quos vult vivificat » quia nec ipse Pater secundum genus, aut secundum carnem quemquam judicat, id est, discernit vel distinguit, quod vel maxime ex eo patet, quod Abraham cum in præputio esset, amicum suum illum appellavit, et Esau cum circumcisus esset, odio habuit (*Rom.* ix ; *Malach.* i). Sed quid ? « Omne, inquit, judicium dedit Filio, » videlicet ut tam in præsenti quam in futuro judicio præsideat. Et in præsenti quidem occulta ejus divinitas ; in futuro autem manifesta judicet ipsa, quam assumpsit, et quæ tam a malis quam a bonis videri possit forma servi. In quo ergo apud ipsum discernimur ? Quænam est lex judicii, vel quod edictum judicis et regis hujus ? Sequitur :« Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. » Ecce quanta cum suavitate rationis fortitudinem judicii sui loquitur sapientia Dei Jam incipit judicare superbam atque injuriosam præsumptionem Judæorum, convincens illos inhonorare Deum suum, quem multum se honorare putabant in stercore Sabbatorum cæterarumque solemnitatum suarum, quod jamjam juxta prophetam projiciendum erat super vultus eorum (*Malach.* ii).

« Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. » In quorum concione hominum sententia hæc non staret, prolata ore senatoris sive causidisci, spectare ad gloriam patrum honorem filiorum, et econtra, lædi patres in injuriis filiorum : Patres quippe filios diligunt, et affectus eorum in illis reconditi sunt, unde et suavius in filiis honorem suum sentiunt et in eisdem acerbius injurias suas recipiunt. At ille cum in templo manufacto Patrem de carnibus taurorum, quos offerebant, et sanguine hircorum (*Hebr.* ix), honorare se dicerent, et Sabbata ejus

A prædicarent, sævo sacrilegio Filium, in templo corporis sui non manufacto habitantem, persequebantur et interficere quærebant, præsertim cum ipsi misissent ad Joannem, et testimonio quod ille perhibuit veritati, scirent ipsum esse Filium Dei, quamvis ille testimonium ab hominibus non acciperet, ex operibus quæ ipsi faciebant in nomine Patris sui, testimonium habens majus Joanne. Mentiebantur ergo, quia non solum secundum cœlestem veritatem, sed et secundum communem sensum hominum vel morem, quia non honorificant Filium, non honorificant Patrem qui misit illum. Proinde nequaquam arbitrentur quod ad Deum Patrem pertineant, imo nec ad ipsum, quem Patrem suum esse mentiuntur Abraham. Non dicant, suffi-

B cit nobis sic adorare quomodo adoraverunt patres nostri (*Joan.* viii), qui absque isto Filio Deum unum adorantes, amici ejus appellati sunt et cœlestia beneficia cum signis et prodigiis multis et magnis consecuti sunt. Ne, inquam, cæca superbia falsi hoc dicant : Nunquid enim aliqui patrum sine fide et spe seminis, quod Abrahæ promissum est, in quo benedicerentur omnes gentes, Deo placuerunt ? Quod autem hoc semen est nisi Christus ? Nonne fidem habentes seminis hujus in carne sua, qua parte semen ipsum naturaliter traducitur, signum circumcisionis acceperunt, ut illo tali signo testimonium haberent, quod hoc semen benedictionis se exspectare profiterentur ? Sed de hoc jam alio loco plenius dictum est. Non ergo seipsos decipiant. Non enim Pater illos de manu Filii liberabit. Ille quippe omnium judicium

C Filio dedit, Psalmista testante qui dicit : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* LXXI), » videlicet lege præscripta, quam subjunxit, dicens : Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Omnes, inquam, qui vivificari volunt, qui cupiunt sublevari de congerie mortuorum. Quisquis ille sit, sive Judæus sive gentilis, si vivere cupit, nihil diminuat, nihil detrahat Filio de universo honore Patris. Neque hanc faciat injuriam Patri, ut dicat eum aliud genuisse quam id ipsum quod ipse qui genuit. Qui enim jussit « ut terra proferret herbam virentem et afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque semen suum secundum speciem suam, itemque ut homo gigneret ad imaginem et similitu-

D dinem suam (*Gen.* i). » Qui, inquam, hæc jussit et statuit, præceptumque posuit et non præteribit (*Psal.* CXLVIII), » quomodo sine sacrilegio dici potest, quod extra speciem suam vel contra genus suum solus ipse Filium generaverit ? Si enim (ut Arius incontinenti ore dicere præsumpsit) cum sit ipse inconvertibilis vel incommutabilis, Filium convertibilem sive commutabilem genuit ; profecto contra genus speciemve suam fructum protulit, nec in semetipso retinere potuit id quod rebus omnibus, quis ipse creavit, potenter indulsit. Sed his omnibus malitiæ et nequitiæ vocibus jam dudum explosis, quas antiquus persecutor Filii Dei diabolus pa-

ter mendacii ex propriis locutus (*Joan.* VIII), nequissimis auditoribus suis insusurravit, quæcunque sunt honoris, quæcunque gratiæ et veritatis, quæcunque veræ integritatis et perfectæ charitatis vocabula cum sensus veritate, Patri et Filio communicamus. His exceptis, quæ personarum necessaria distinctio singulis propria reservare postulat, ut uterque Deus verus et Dominus, increatus, immensus, æternus, omnipotens, sine initio et sine fine, inconvertibilis atque incommutabilis, a cunctis fidelibus vitam desiderantibus corde ad justitiam credatur, et ore ad salutem æternam prædicetur, pari honore, æquali gloria, indissimili laude (*Rom.* X). Igitur per hanc honorificentiam Filii facta et completa voluntate Patris adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (*Hebr.* IV), testimonium habentes salutis nostræ necessarium, quod non consentanei simus antiquo peccatori, qui consurrexit adversus hunc Filium Dei, et primum hominem eadem præsumptione consurgere fecit, dum eumdem Filium, qui solus vere est similitudo Dei Patris, quique solus Altissimo similis est, non honorificarunt, dicentes : « Altissimo similes erimus et nos (*Isa.* XIV). » Qua intentione cum præceptum transgressus esset Adam, Deus unus, Pater et Filius, et Spiritus sanctus cum lugubri ironia sic loquitur : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum (*Gen.* III), » id est, revera vacuus a veritate scientiæ, nihilque habens veræ sapientiæ, dum plus appetit sapere quam oportet sapere. Diabolo quoque sub eadem **177** ironia Ezechiel propheta sic improperat: « Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Tu cherub extentus et protegens (*Ezech.* XXVIII), » etc. Nam quia aureæ, id est divinæ substantiæ se esse præsumpsit, et cum foramina ejus præparata essent, id est rationalitas, qua Dei capax esse poterat, maluit aurum falso videri quam pretiosus esse lapis, et auro vero ligari maluit cherub, id est, plenitudo scientiæ videri, et super consubstantiales spiritus, a seipso tanquam ad propagandum eos extendi, quam coæqualis esse illis et cum eis laudare veram sapientiam, in qua Deus omnia facit. Unde cum ironia, ut prædictum est, dicitur ei : » Tu cherub, extentus et protegens, » cum revera infatuatus sit, et quantum cum cæteris habere potuisset de vera sapientia perdiderit, sicut paulo post propheta idem exprobans illi : « Elevatum est, inquit, cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo (*ibid.*). » Non enim nunc primum diabolus huic Filio Dei detrahere cœpit, cum per ora Judæorum et hæreticorum tantas adversus illum blasphemias evomit, sed ab initio homicida exstitit odio, quo occiderat Filium Dei et quod implevit per Judæos (*Joan.* VIII; *I Joan.* III), ubi illum in eo natura invenit, in qua posset actu quoque perpetrare scelus homicidii. Item, non nunc primum hoc præceptum datur hominibus, omnes hono-

A rificent Filium, sicut honorificant Patrem. Quid enim est quod dixit Deus primo homini : « De ligno scientiæ boni et mali ne comedas, nisi quod sub velamine litteræ carnalibus ejus temporis, quo hæc scripta sunt, hominibus absconditum est, dixisse Deum, adversus sapientiam Dei, sicut diabolus se extulit, non te extollas ? Non enim revera in illo ligno illa virtus erat, ut gustato fructu ejus tantam scientiam haberent homines, ut essent « sicut dii, scientes bonum et malum » (quod ab effectu palam nimis datur agnosci), sed mendacii pater ista confinxit et mentitus est, quia non sic aperti sunt eorum oculi, ut essent « sicut dii, » sed in hoc duntaxat aperti sunt oculi eorum, ut se nudos, id est, honore pristino spoliatos esse cognoscerent eo quod divinum

B honorem præripere gestissent. Sed et illud diabolicæ blasphemiæ est, quod non dixit : Eritis sicut Deus, sed « eritis, inquit, sicut dii (*Gen.* I), » videlicet inseparabilis Trinitatis odio, quo nunc usque per ora Judæorum vel hæreticorum, Deum Patrem et Filium ejus Deum nobis confitentibus, oblatrat, dicens nos plures colere deos. Potest quidem sic intelligi dictum esse lignum scientiæ boni et mali, eo quod gustu ejus per inobedientiam præcepto, futurum erat ut experimentum haberet homo, non solum boni, sed etiam et mali. Verum non ea spe homo comedit, ut experiretur mala, id est ut subjaceret malis, sed ut juxta promissum serpentis similis fieret Deo, quem nil potest latere boni aut mali. Quapropter illud quoque lignum ironice dictum est « lignum scientiæ boni et mali. » Igitur non novo consilio nunc primum in-

C dicitur hominibus, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, verum mirabili cum fenore nostræ humilitatis præceptum redditur, quo Filio Dei debitus honor exigitur, ut summæ sapientiæ Dei sensum nostrum inclinemus et subjiciamus. Nam quia subesse contempsit homo sapientiæ Dei, cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt creanti (*Psal.* CXLV; *Prov.* VIII), et cuncta cum Patre componenti, nunc ab eodem exigitur, ut se subjiciat de femina nascenti, et sic honorificent in cruce pendentem, sicut honorificandum esse sentit Patrem in sua majestate, absque carnis susceptione, vel mortis passione rutilantem. Sed hujus honorificentiæ præmium vel utilitas ex subsequentibus diligentius pensanda est. Non enim adhuc ex superioribus satis

D aperte liquet, qualiter, id est, qualem ad vitam mortuos æque ut Pater, vivificet ; quæ profecto tota honoris impensi Filio Dei remuneratio est. Sequitur ergo :

« Amen, amen dico vobis : Quia qui Verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transiet a morte ad vitam. » Verbum ejus, id est doctrinam ejus, sic accipere debemus adversus supradicti diaboli mendacium, velut antidotum medici viri et optimi contra mortiferum serpentis haustum, jamque imbibitum medullis omnibus venenum. Ille namque homicida noverat, quod si homo consilium ejus au-

diens, non crederet illi qui dixerat : « Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini (*Gen.* II); » et hoc sciens persuasit ut comederet, et comedenti cum morsu pomi venenum æternæ mortis infudit. Hic econtra e converso quisquis homo avertit aurem suam ab illa lingua coinquinata, et ab illo verbo mendacii (*Ezech.* V; *I Petr.* V), et humiliter sub potenti manu Dei, credens illi semper verum dicenti, vitam recuperare possit, quam in primo parentes perdidit, ait ergo : « Amen, amen dico vobis, quia qui Verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam. » Ecce qualem honorem suum quærit Filius Dei, ecce quomodo cum Patre vult æqualiter vel similiter honorificari. Verbum suum audiri, Deo Patri vult credi. Quo fructu suo vel commodo? Nullo, sed ut vitam æternam suus habeat auditor. Ergo gratia pro homine laborat. Notandum enim quod tanquam in conflictu stans testes duos profert, videlicet seipsum et Patrem dicens : « Qui Verbum meum audit et credit ei qui misit me. » De quibus alibi sic dicit: « Nonne scriptum est in lege vestra quia duorum hominum testimonium verum est? » (*Deut.* XVII.) « Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater (*Joan.* VIII). » Hos, inquam, duos testes nunc audiendos offert. Operabatur, vera secundum Scripturas loquebatur. In loquela veritatis seipsum, in operibus mirabilibus præsentabat Patrem suum. Sic enim alibi, dicit : « Pater autem in me manens ipse fecit opera. » Item : « Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa testimonium perhibeat de me, quia Pater me misit (*Joan.* XIV), » vel certe in præsenti Evangelio seipsum in antiquis Scripturis, quas illi refellere non poterant, testem adhibet Deum Patrem suum. Sic enim paulo inferius dicturus est : « Opera quæ dedit mihi Pater, ipsa testimonium perhibent de me, » quæ profecto opera sunt, quæ per ipsum prædicantem et a mortuis resurgentem, et deinceps per evangelizantes ejus apostolos facta sunt. De Patre autem confestim subjungit : « Et misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. » Quod testimonium? Scrutamini Scripturas, etc. Igitur magna dicturus, magna et necessaria expositurus illa scilicet de quibus supra dixerat : « Majora his demonstrabit opera ei, ut vos miremini, » satis opportune duos testes idoneos contra suos oblocutores statuit, statisque magnam et optabilem pro solo auditu testium remunerationem promittit. Totus mundus, cujus contra principem foras ejiciendum judicium nunc agitur, cœlestis hujus rhetoris rationem, semetipsum nostri causa legitime defendentis, intentis cordis auribus exaudiat. « Qui, inquit, Verbum meum, » id est, præsens audit Evangelium, « et credit ei qui misit me, » videlicet quod sicut promisit Abrahæ et sicut per prophetas suos prædixit, Pater Deus miserit me. Qui, inquam, audierit quod nunc dicturus sum, et cum Pater, qui in me manens ipse facit **178** opera, verum Verbum me dixisse comprobarit, a mortuis resuscitandum me, credet ei et suscipiet me, jam ille, quisquis sit, « habet vitam æternam. » Et ut certius sciat quid dixerim, ne hoc suspicetur quis, quod dixerim ego non illum carnem suam corruptibilem unquam depositurum; plus et melius est quod dicam, quia in judicium non veniet, id est, in damnationem generi humano, propter peccatum Adæ debitam, non incidet. Illud quoque sciat non me dixisse quia ad judicium non veniet ; omnes enim præter illos, qui legem non acceperunt, ad judicium venient, tribus ordinibus distinctis : scilicet, alii judicandi et damnandi, alii judicandi et salvandi, alii nullatenus judicandi, sed judices et senatores cum Domino suo sessuri : quarta parte hominum, id est, illis qui sine lege, ut prædictum est, peccaverunt sine lege condemnatis; sed hoc me dixisse noverit, quia in judicium non veniet, id est, debitam ex paternæ prævaricationis præjudicio damnationem non incidet. Sed quid ? Transit a morte in vitam. Nec dico nunc quod transiet a morte in vitam, sed hoc dico quia Verbum meum audiendo et credendo ei qui misit me, jam transit a morte animæ. Non dico ad vitam, ut stet secus illam, sed a longe prospiciat et salutet illam, sic ut Abraham, Isaac et Jacob, et cæteri patres, qui a longe prospexerunt et salutaverunt illam defuncti sunt omnes, non acceptis promissionibus hujus; sed hoc dico, quia transit in ipsam vitam brevi transitu, quippe cum ipsum transire non sit aliud quam renasci ex aqua et Spiritu sancto. Credendo enim dum baptizatur transiit et regeneratus est, et veteri novus (*Ephes.* IV), de perdito inventus de mortuo vivus factus est (*Luc.* XV). Nam et si corpus mortuum, id est, mortale est, propter peccatum, spiritus jam vivit propter justificationem (*Rom.* VIII). Sed dicitis: Quis te audiet ? aut quando istud quod loqueris fiet? quis denique nostrum auditu tuo, quis vita indiget? Ad hæc, inquam. « Amen, amen dico vobis quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent. » Si mortui estis, imo cum mortui sitis, mortem vestram agnosceretis, vos primi ex mortuis audieritis et audiendo primi a morte animarum vestrarum resurgeretis. Nunc autem dicitis, quia vivitis, jam nunc aliis mortuis, ut ipsi audiant inclamandum est. Et hoc erit mirabile quod illi qui tanto profundius in mortem descenderunt, quanto longius a Deo vivo recedentes, deos mortuos adoraverunt, audientes vivent, et uno eodemque auditu excitati, tam originalis peccati quam omnium actualium peccatorum æternam mortem effugient et de tam longinquo mortis barathro, unum breve fidei Verbum confitendo, in arcem salutis, in medium vitæ exsilient. De hujusmodi mortuis nunc dico, de hoc transitu illorum ad vitam nunc loquor. Alioquin si de mortuorum universali resurrectione nunc loquerer universaliter, omnes mortui audient, dixissem ; neque ita determinassem, dicendo : « Et qui audierint vivent. » Non enim in illorum arbitrio est audire et vivere, sed ex necessitate desuper veniente, erit omnibus audire et resurgere. Nunc autem non om-

nes audient, « non enim omnium est fides (*II Thes.* III), » sed plerique audient, « et qui audierint vivent. » « Illa hora jam venit et nunc est. » Olim in prophetis loquens Pater dicebat : Quia veniet, nunc in Filio suo loquens dicit : « Quia venit et nunc est. » Audient, inquam, vocem Filii Dei, non autem videbunt formam servi, formam Filii hominis. Vocem, inquam, audient non solum Patris, aut vocem Dei, sed « et vocem Filii Dei, » id est, vocem simul Patris et Filii Dei ; et idcirco nunc recte dixerim : « Vocem Filii Dei, » cum alias me appellare consueverim Filium hominis, quia videlicet non secundum hominem ad illos pergam, sed secundum divinam majestatem ubique præsentem, et non in Deum tantum, sed in me Filium Dei credent, atque ita Verbum Dei « audientes, sicut prædictum est, vivent. » — « Sicut enim Pater vitam habet in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. » Præsentis loci sensus lucidissimus, ita pravas hæreticorum mentes obnubilat, quemadmodum sol quanto splendidior est, tanto magis sordidos oculos, lipporumque palpebras putres reverberans, pene excæcat. Quid enim pulchrius aut jucundius hac ratiocinatione sanis effulgeat oculis, ubi præmissa vivificantis mortuos potentia Filii Dei, talis ratiuncula succinit? Hac namque bene perspecta, liquet etiam, quam rationabiliter omne judicium dederit Filio Pater.

At vero hæreticus malitiæ pulvere cæcatus, ubi legit. Quia Pater Filio vitam dedit habere in seipso, et quia potestatem dedit ei judicium facere ; unde, inquit, æqualis est Patri Filius, qui non viveret, nisi Pater illi vitam daret ; qui non judicaret, nisi Pater potestatem faceret, judicium illi concederet. Qui hæc dicens, utique ignorat qua de re agatur : nescit omnino intentionis caput, nec videt totius rationis corpus, cujus membra violenter discerpere conatur. A quo si perconteris, quomodo Pater in semetipso vitam habere dicatur, cum ipse vita sit, profecto respondere idoneum nil poterit ac proinde suomet judicio convincetur, quod consequenter nec illud intellexerit, quomodo vitam eamdem Filio in semetipso habere dederit. Igitur ad elucidandam præsentem sententiam, cum ipsius qua deprompta est, divinæ rationis ope accedendum est : « Sicut enim, inquit, Pater vitam habet in seipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. » Nequaquam illud nostræ considerationis præterire debet oculum quo [quam] diligenter litteræ lineamenta compaginata sunt, dum non ait absolute : Sicut habet Pater vitam in semetipso. Quod patenter nobis innuit, scientiam hanc præcedentis esse subsecutivam, et causa illius approbandæ, quod apud rhetores maxime usitatum est, rationabiliter esse subjunctum. Præcedens autem sententia hæc erat. « Amen, amen dico vobis quia venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent. » Denique ad hanc ejus propositionem illi auditores, imo adversatores insanire poterant cur non dixisset : Mortui audient vocem Dei, sed cum diligenti distinctione personarum, « Audient, inquit, vocem Filii Dei. » At illi in hoc stabat, ut vitam mortuorum non minus de Filio quam de Patre pendere comprobaret, nec posse quemquam suscitari, nisi Filium æque ut Patrem honorificaret. Hoc, inquam, intendebat, non illud quomodo ipse Pater viveret, aut quomodo Filium vivificasset, quod vel in præsenti sententia suspicari, qua dicit : « Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, » stultum et erroneum est. Non enim de vita Dei, qui ipse sibi vita est ; non de vivificatione Filii Dei, qui æque sibi vita est, sed de suscitatione et vivificatione mortuorum sermo est. Cum ergo dixisset : « Mortui audient vocem Filii Dei, » videlicet Filii æque, ut Patris vocem, ad vivificandos mortuos necessariam esse perhibens, rationabiliter subjunxit, dicens : « Sicut enim habet **179** Pater, in semetipso vitam sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. » Ac si dicat : Idcirco dixi, quia « mortui audient vocem Filii Dei, » in qua dictione clara est distinctio personarum Patris et Filii, quia « sicut Pater habet vitam in semetipso, » scilicet vitam hominum, id est, virtutem vel operationem effectivam vitæ hominum mortuorum, et non aliunde petit, nec alicubi habet nisi in semetipso, « sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, » id est, partem maximam operationis ejusdem illi imposuit, ut et ipse mortuos vivificaret in semetipso, videlicet non ut Paulo, aut Cephæ, sive Apollo, quibus et si datum est vitam habere, id est vivificare, mortuos nulli tamen eorum datum est eamdem vitam habere in semetipso. Nec potest qui quemquam vivificare per injunctum sibi vitæ officium ; nisi cooperante Deo. Quod per similitudinem Paulus exprimens : « Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum (*II Cor.* III). » Æqualis igitur Patri Filius est, cui Pater dedit vitam habere in semetipso, id est, quem misit vivificare mortuos de semetipso. Et quia multum laboris illi imposuit, plusque in vivificandis mortuis persona Filii laboravit : « est enim Filius hominis, » id est, homo factus est solus in persona sua Filius Dei, idcirco potestatem quoque dedit ei judicium faciendi. Cum enim Deus hominem faceret non ignorans, sed optime sciens quod peccando moriturus esset, opus ejusdem hominis beata Trinitas ita sibimet distribuit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret. Non enim absque magno consilio (quod cum summa reverentia dicendum est) sancta Trinitas hominem facere dignata est, distributa propria parte operis cuique personæ, quamvis inseparabilis Trinitas inseparabiliter operetur, tam plasmationem quam redemptionem, quam et instructionem vel illuminationem humanæ substantiæ. Hanc distributionem in eo debemus intelligere, quod dictum est in consilio Trinitatis individuæ : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I ; *Psal.* CIII). » Patris quippe opus

proprium exstitit prima creatio hominis quam partis operis sibi assumpserit; nullatenus tamen absque cooperatione Filii, cum hominem sicut et in omnia sapientia fecerit, quæ est hic Filius Dei, neque absque cooperatione Spiritus sancti, cum per illum in faciem cordis ejus spiraculum vitæ inspiraverit (*Gen.* II), ut conderetur homo non solum ad imaginem Dei, id est æternus sive rationalis, sed etiam ad similitudinem Dei, id est, ut haberet unde esset Deo similis vel imitator bonitatis Dei. Redemptio vero hominis, cujus ministerium Pater Filio dedit, proprium est opus ejusdem Filii Dei. Solus quippe Filius in persona sua incarnatus vel homo factus est, solus pro redemptione hominis passus et mortuus est, et resurrexit, cooperante tamen utraque persona, Patris et Spiritus sancti. Nam et Pater illum de secretis suis misit in uterum Virginis, et de Spiritu sancto, id est, de operatione Spiritus sancti eumdem illum Virgo concepit. De Spiritu sancto vel ejus operatione propria dicendum erit in aliis hujus Evangelii locis. Hæc distributio vitæ hominum hic intelligenda est, quam videlicet vitam « sicut Pater in semetipso, sic et Filius nullius indigens, habet in semetipso. Quod profecto ex Scripturæ sacræ verbis patenter innuitur. Cum enim dicitur, « quia Deus formavit hominem de limo terræ, » et subjungitur : « et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ (*Gen.* II), quid aliud innuitur, nisi quia substantiam quidem hominis aliunde, quam de seipso fecit, sed bonam et beatam vitam in semetipso habens, de semetipso in faciem cordis ejus inspiravit? Cum autem Filius hominem redimens, sacramenta salutis et vitæ ejus, id est, sanguinem et aquam de semetipso effudit, jamque redivivus in faciem discipulorum suorum insufflavit (*Joan.* IX), nonne et ipse vitam nostram in semetipso se habere potenter ostendit ? Igitur quia vita nostra, quæ cum Christo abscondita est in Deo (*Coloss.* III), sicut in integrum a Filio restituta est post mortem, quæ invidia diaboli in mundum introierat (*Sap.* II), sicut a Patre ante mortem illam constituta fuerat; et dante, id est præcipiente Patre factum est, dicente alibi Filio : « Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,» recte nunc dictum est, quia : « Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.» Et quia Filius in persona sua majore opera non sine crucis et mortis injuria, redemit hominem, cujus et lutum ipse assumpsit homo dignatus fieri (*Joan.* XIV); majore, inquam opera in eo quod hæc obedienter pertulit, quam Pater in eo quod hominem de luto plasmavit, recte nunc additum est : « Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.» Unde et hæres dicitur, non mortui Patris, sed mortuæ hæreditatis quam, quia Deo Patri perierat, Filius resuscitans iterum possidet jure illa ejus hæreditas dicitur et est, cujus vitæ dispendio reparata est. Cum autem dicit : « Et potestatem dedit et judicium facere, quia Filius hominis est, » et nihilo dominatio Patris diminuta est, quin potius honori ejus proficit Filio data potestas judicandi, dum Filius judicando regnum, ut ait Apostolus, tradat (*I Cor.* XV), id est, acquirat Deo et Patri, primum acto judicio mundi, quo princeps mundi hujus, illo per mortem suam triumphante, foras ejicitur (*Joan.* XII); deinde peracto finali judicio, post quod erit finis, ut idem Apostolus ait, cum tradiderit et acquisierit regnum Deo et Patri (*Joan.* XXI), et tunc ipse Filius subjectus erit ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus; subjectus, inquam, non subjectione servili, sed amore inseparabili, non specie diversitatis, sed unitate individuæ charitatis : inferior quidem secundum naturam hominis, compar secundum naturam Dei, et sic honorificandus semper, sicut et Pater gloria et honore æterni imperii. De quo finali judicio mox subditur :

« Nolite mirari hoc, quia venit hora, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus. Et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. » Nolite, inquit, mirari hoc, quia non bona vestra est admiratio ; non enim hæc admiramini, tanquam verba vitæ et virtutis, sed tanquam insaniam dæmonium habentis. Nolite ergo mirari, quia parva sunt hæc comparatione majorum, quæ visuri estis, ut vos miremini, ut videntes turbemini timore et stupore horribili (*Sap.* V), ut juxta prophetam videatis, et ignis devoret hostes manus Domini (*Isa.* XXVI). Magnum quidem est venisse horam illam et nunc esse, quam videre voluerunt et non viderunt multi reges et prophetæ (*Luc.* X); magnum, inquam, et mirum est, mortuos audire vocem Filii Dei et vivere. Magnum, inquam, hoc est; sed multo majus est, venire horam de qua non dico, quia nunc est ; sed dico tantum, « quia venit, » id est, imminet jam et appropinquat, et sine dubio futura est, « in qua omnes, qui in monumentis sunt; » omnes, inquam, sive mortui sive vivi, id est, sive peccatores sive justi, qui in monumentis sunt sepulti, et solutis vel aridis corporibus in cinerem suum reversi, audient vocem ejus, » in jussu imperiosæ suæ majestatis, in voce archangeli et tuba Dei de cœlo descendentis (*I Thes.* IV), virtutibus cœlorum commotis (*Matth.* XXIV), cœlique ac terræ cardinibus concussis **180** et ita manifeste venientis igne in conspectu ejus ardente, et in circuitu ejus tempestate valida, et cœlos desursum, et terram ad discernendum populum suum advocante (*Psal.* XLIX). Quid tum ? Nunquid mortui illi, qui modo vocem Filii Dei audire et vivere, id est, a morte animæ per fidem et per lavacrum regenerationis et invocationem sancti Spiritus. (*Tit.* III) resurgere nolunt et ideo non resurgunt (*Eph.* IV) : nunquid, inquam, isti vocem ejus tunc non audient, aut quia resurgere nollent, non resurgent ? Non est ita, sed omnes tam inviti quam et volentes, horamque illam desiderantes, et in illo

die judicii fiduciam habentes, resurgent et procedent.

Paulo ante cum de resurrectione prima, id est de conversione peccatorum loquerer, sicut non dixi tantummodo, « venit hora, » sed addidi, » et nunc est ; » sic non dixi, omnes mortui audient, sed tantum « mortui audient vocem Filii Dei et vivent. » Nunc enim non omnes mortui me audiunt, non omnes ab infidelitate ad fidem, ab iniquitate ad justitiam resurgere volunt. Et quia non volunt, non resurgunt. Nunc autem cum de resurrectione secunda loquor (*II Cor.* v), universaliter dico, quod « omnes vocem Filii Dei audient, omnes, qui in monumentis sunt, » procedent. Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, videlicet quia nunc prima voce audita, id est primo adventu Filii Dei suscepto, B prima resurrectione vivere incipiunt, et tunc in ipsam rem vel speciem vitæ pervenient, cujus in spe nunc ambulant per fidem. Qui vero mala egerunt, resurrectionem judicii, id est damnationis, procedent, ut damnationis sententiam recipiant, eadem justitia et veritate, qua prædamnati sunt in Adam, quia vocem primam Filii Dei nunc invitantis, ut ab illa hæreditaria morte per fidem resiliant, dum tempus est, audire recusant. Sequitur:

« Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico, et judicium meum verum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » Hic danda opera videtur, quatenus distinctas partes confirmationis vel confutationis hujus, tanquam bene discreta pulcherrimi C corporis lineamenta propius sub lectoris oculos admoveamus Ecce enim ad caput redit et argumentationis partes ex una complexione cingit, dum dicit: « Non possum ego a meipso facere quidquam. » Nam et in capite hujusce defensionis dixerat : Non potest Filius a seipso facere quidquam. Ut ergo totum litteræ corpus magis conspicuum, sensuumque vel intentionis clarior sit aspectus, ad intelligendum, prætereundum non est, quia quod solent elaborare et vix consequi studiosi rhetores, ubi rem locupletam et omni amplificatione dignam nacti fuerint ; hoc in præsenti sermone adversus illos fortes Sabbatorum defensores, et salutis accusatores ultro importat cœlestis sapientiæ comes et famulatrix eloquentia dives, sed ita majestate re- D rum, de quibus agitur, operta, ut pene non compareat. Non enim sicut in rebus humanis, ubi effertur illa pomposa et astuosa domina ; ita in divinis rebus ipsa eadem eloquentiæ facultas condecorat, maxime ubi ipsa Deo coæterna sapientia per semetipsum eis, qui sibi eloquentes videntur colloqui, et humana dignatur contexere verba. Res quippe humanæ tenues atque exiles, et interdum obscuratæ vel turpes splendida elocutione illustrantur, aut utcunque palliantur ; res autem divinæ grandes et fulgurantes, desuper elocutionem quamlibet pulchram suis abscondunt splendoribus. Adeo tamen, A ubi res postulat, invenitur communita, ut in occursum ejus muta vel insipiens appareat omnis hominum eloquentia. Perpende igitur quia præsenti in negotio, dum causa posita confutat adversarios, ostendit cur Sabbatorum lege teneri non debeat, et confirmat quod rectissime, cum dixisset : « Pater meus usque modo operatur, » subjunxerit, « et ego operor. » Absolutissimam enim, id est, quinque partibus perfectam argumentationem edidit, scilicet propositione, ratione, confirmatione, exornatione, complexione.

Propositio est, qua dixit. « Amen, amen dico vobis, non potest Filius a seipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. » Ratio est sententia quam protinus subditit : « Quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. » Confirmatio est ea quæ mox sequitur : « Pater enim diligit Filium et demonstrat ei omnia quæ ipse facit. » Exornatio est ab eo quod ait : « et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini ; » usque ad id quod novissime tractatum est : « Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. » Exornatio, inquam, non tam verborum quam rerum, non tam sententiarum quam cœlestium fulgurum nihil habens accurati leporis, sed tota terribilis, et divini plena timoris. Hæc autem sententia qua dicit : « Non possum ego a meipso facere quidquam ; sicut audio, judico, et judicium meum verum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, » prædictarum partium complexio est, partes easdem breviter ad sensum docilis, attenti ac benevoli auditoris, cui hæc dicanda vel scribenda esse noverat, recolligens. Ac si diceret : Si ergo non facio ego, nisi quod videro Patrem facientem ; si quæcunque ille fecerit, hæc et ego similiter facio, si denique Pater omnia demonstrat Filio quæ ipse facit, et si adeo « majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini ; » videlicet ut « sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificet, » et cætera, etsi adeo inconvertibilem atque incommutabilem novit eum, ut omne judicium illi dederit, et hoc reipublicæ suæ tutum fore comprobavit, ut potestatem daret illi judicium facere. Ergo, inquam, verum est, credibile et dignum fide jam quod sicut in prima propositione dixi ; et nunc iterum dico : « Non possum ego a meipso facere quidquam, » id est extra Deum, seorsum extra verum per semetipsum divisa voluntate mea a voluntate Dei Patris, « non possum facere quidquam, » sicut angelus refuga vel sicut primus homo prævaricator facere potuit et fecit. utpote qui erat uterque creatura, et proinde convertibilis : factura, et idcirco mutabilis.

Nam sive angelus sive homo, quandiu aliquod accidens admittit ab essentiali bono aversus, tandiu a semetipso operatur ; verbi gratia : cum dicit malum bonum, et bonum malum, cum inique judicat, condemnans justum et justificans impium,

unde enim hæc nisi a semetipso facit, cum in essentia rerum alter sit (*Isa.* v)? Et hæc quidem et cætera hujusmodi homo, si multum est justus, cum possit facere non vult; si autem parum justus est vel ad justitiam nunc primum dispositus, nec adhuc ejusdem justitiæ habitum indutus; parum, inquam, justus si est, facere non audet, Deus autem sicut nulli vitio nullisque omnino accidentibus subjacet, ita summe justus tale quid omnino facere non potest. Igitur cum dico : « Non possum ego a meipso facere quidquam, » tale est ac si dicam : Non possum facere quidquam iniquum, non possum pervertere aut supplantare judicium. Sed quid? « Sicut audio, judico ; » id est, secundum causæ judicandæ meritum, vel rei quæ judicatur, essentiam judico ac
181 proinde cum in judicando nihil a meipso faciam, judicium meum verum est, videlicet dum, ut prædixi, me judicium faciente, procedent ex monumentis, « qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.» Proinde quicunque bona egit, sive ille Judæus sive gentilis sit, non vereatur quod me judicante, a meipso quidquam procedat in ressurrectionem judicii; et quicunque mala agit, nihilominus, sive ille Judæus sive gentilis sit, non se decipiat inani spe, quod me quidquam a meipso faciente procedat in resurrectionem vitæ, « quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » Sicut nunc, quando videns miseram civitatem Jerusalem, fleo super illam humano affectu (*Luc.* XVI), nec tamen quæro voluntatem meam, ut propter fletum meum ab illa mali dies avertantur, sed « sicut audio, judico. » Clamor enim illorum, vehementior clamore Sodomorum (*Gen.* XVIII; *Math.* XI), ascendit ad me, et idcirco magis attendo quid justitiæ debeantur, quam quid meus humanus velit aut defleat affectus, sic in illa processione mortuorum ex monumentis, non quæram voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, id est, non condescensionem sequor naturæ humanæ, sed rectitudinem teneo divinæ justitiæ. Igitur apud animos eorum, qui hanc evangelicam lectionem sapienter legunt vel audiunt, confutata falsitas et confirmata veritas est. Unde consentit ratio, judicat fides, ut Patre operante usque modo, qui nulla Sabbatorum lege tenetur, ipse quoque Filius licenter et potenter operetur, qui a semetipso quidquam facere non potest, qui malum quid vel injustum admittere non potest. Unum adhuc superest magnæ oratrici sapientiæ Dei, quæ nobis et propter nos verba facit nobis, et propter nos artem adversus artem componit, ut habeat veritas fidei sanum non sine arte sermonem, adversus artificis mendacii loquacitatem. Unum, inquam, adhuc superest, id est, conclusio vel epilogus, qui et protinus sequitur per amplificationem rei, illustrandæ veritatis et adaugendi Judaici criminis causa sequitur.

« Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me. » Hoc enim et cætera quæ sequuntur veritatis hujus firmamenta, maxime ab auctoritate sumpta sunt, quibus commemorat defensionem vel testificationem sui curæ fuisse et esse Deo Patris, qui illum testificatus est, et antequam veniret testimonio Scripturarum, id est, legis et prophetarum, et nunc præsentem commendat et defendit evidentibus testimoniis operum mirabilium; simulque et horrendum scelus deinceps ostendit Judæorum, qui venientem illum in nomine Patris sui non susceperunt, alium autem venientem in nomine suo suscipient. Ait ergo : « Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum. « Ac si dicat: Ecce omnia palam audistis. Ego apud vos verba faciens et hæc dicens, ut vos salvi sitis, non vestro vel aliorum more hominum, verbis accuratis benevolentiam vel favorem vestrum captare studui, sed exhibito veræ virtutis opere, cunctorum hominum benevolentia digno, id est, sanato toto homine a longæva infirmitate, auditorium postulavi, et qualescunque vos esse scirem ad audiendum, non propter vos tantum, sed propter eos qui audituri sunt, causam meam dixi. « Pater meus usque modo operatur, et ego operor, » eamdemque causam dividens, id solum quod in controversia est, scilicet quod et mihi æque ut patri liceat in Sabbato operari, tam consueta hominibus argumentationis firmitate quam cœlesti veritate defendi. Nunc et deinceps examinate legitime, id est, sicut lex præcipit, verba hujus testimonii. « Si ego testimonium perhibeo de me, » id est, si a meipso veni, si non veni et loquor in nomine Domini, sed solus ego meipsum proprio et solo defendo testimonio, testimonium meum non est verum, id est, verba quæ loquor non habebunt effectum, et tunc sicut lex dicit, hoc habebitis signum, quod verbum quod dico, Dominus non locutus est (*Deut.* XVIII). Sed non est nec erit ita. « Alius est qui testimonium perhibet de me, » videlicet Deus Pater, ipse de quo vobis nunc dico. « Pater meus usque modo operatur et ego operor. » Alius, inquam, id est, alia ejusdem, cujus et ego sum substantiæ persona est. Alioquin non recte diceretur alius; non enim de diversis, impariumque substantiarum individuis dicitur unius et alius, sed hoc unum et hoc aliud. Dico autem quia ille est alius, ut in pluribus personis, unitas substantiæ personarum pluralitas intelligatur. Ille, inquam, alius testimonium perhibet de me. « Et scio quia verum est testimonium ejus, quod perhibet de me. » Scio, inquam, et testimonium perhibenti de me testimonium perhibeo, quia testis verax est et verum testatur de me. Non enim suum sicut cæteri homines quorum nemo scit, utrum amore an odio dignus sit *Eccle.* IX), et cui omnia in futurum reservantur incerta. Quinimo et si spiritum adoptionis filiorum acceperunt (*Rom.* VIII), et ipse Spiritus testimonium reddit spiritui illorum, quod sint filii Dei, testimo-

A nium illud, non tam verum aut justum quam gratuitum et indebitum dicendum est ; quia non est debiti sed gratiæ, non justitiæ sed misericordiæ, non est enim testimonium comparium,sed inclinatæ dignationis monimentum. « Ego autem » non « in iniquitatibus conceptus sum » — « etenim » non « in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L), » « nec possum a meipso facere quidquam,nisi quod video Patrem facientem.Ergo testimonium quod perhibet de me, verum est, » justum est, debitum est et utique testimonium comparium atque ideo legitimum, sed nondum aperte dixi quis ille sit.

« Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati. » Et fortassis idcirco nunc existimatis quod hic sit ille alius, de quo nunc dixi : Quod non ab alio majore quam ab illo testimonium ha- B beam. « Ego autem nonab hominibus testimonium accipio ; sed hæc dico, ut vos salvi sitis. » Notate quod dico, « quia testimonium ego ab hominibus non accipio. » Quid enim ? nunquid hoc dico quod velim claudere ora hominum testimonium perhibentium ? nunquid ego aspernor angelum meum ad hoc missum ante faciem meam, ut testimonio suo præpararet viam meam ? (*Malach.* III ; *Marc.* I.) Non est ita, sed diligenter animadvertite, quæ dico. Non dico, quia testimonium hominis, vel per homines perhibitum non accipio, sed « testimonium ab hominibus non accipio ; » nam testimonium hominum bonorum et veracium, non ab ipsis hominibus sed a Deo est, et per homines quidem perhibitum, sed Dei testimonium est. Quid est enim ab C hominibus vel secundum homines testimonium accipere,nisi laudem,quæ non ex Deo profecta, sed ex hominibus nata et conflata est, quærere. Hoc autem testimonium Joannis, quando misistis ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad eum; ut interrogarent eum : « Tu quis es ? » (*Joan.* I.) Joannis quidem testimonium fuit, sed non ex Joanne fuit, id est, per Joannem quidem depromptum, sed a Deo Joanni insinuatum fuit. Dico ergo : « Et testimonium ab hominibus non accipio,sed hæc dico ut vos salvi sitis, » id est, **182** non propter gloriam meam dico, quis alius meus testis sit, sed propter salutem vestram, ut credentes testimonio Dei salvemini. Cui simile est, si dicas vir justus, et alienus ab omni hypocrisi. « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit (*Matth.* VI). » Ego D non idcirco faciam justitiam meam coram hominibus ut videar ab eis, sed idcirco lucet lux mea coram hominibus, ut videant opera mea bona et glorificent Patrem Meum qui est in cœlis (*Matth.* V). Alioquin similis essem vobis, quorum totus Judaismus in carne,et manifesta tota in carne circumcisio est, cujus laus non ex Deo, sed ex hominibus est. Sed « maledictus homo, inquit propheta, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, ut a Domino recedat cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto (*Jer.* XVII), » videlicet quibus nomen est ab amaritudine et nascuntur in solitudine. Erit, inquam, sicut myricæ, id est, carebit divinæ bonitatis dulcedine, procul foras ejectus a sanctorum hominum conversatione, et non videbit, cum venerit bonum et habitabit in solitudine in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili. Hæc siccitas et salsugo longe est a me. Nam ego habitabili charitate et fertili semper virens veritate, idcirco hæc dico, « ut vos salvi sitis ; » idcirco, inquam, ut vos credentes salvemini, legitima defensione utens, illum qui testimonium perhibet de me, profero vobis in publicum auditorium totius mundi. Idcirco sicut jam cœpi persistam adhuc in eodem quod apud vos vel apud cæteros homines fortissimum est, genere loquendi, faciendo tanquam syllogismum, id est, argumentosum et indissolubilem sermonem veritatis. Ut venerabili argumento instructi cognoscatis, quia « testimonium ab hominibus non accipio » quia « claritatem ab hominibus non accipio, » sed ea solummodo intentione testimonium vel testem meum profero, ut vos credentes salvi sitis ; non ut vos homines me in solio regum vestrorum inthronizare festinetis ; ecce dico vobis, quia « vos misistis ad Joannem, et ille testimonium perhibuit veritati. » Tanti apud vos ille habitus est, ut consulendum illum judicaretis,tanquam revera accepturi testimonium ejus, et quidquid ille dixisset proculdubio credituri. Ab illo ergo judicio vestro nunc vos convenire incipiam, ut si non credideritis, inexcusabiles sitis. Dico itaque : « Ille erat lucerna ardens et lucens. » Revera mittendum fuit ad illum ad quem misistis, et cum ejus testimonio quærenda et indubitanter agnoscenda erat præsens facies veritatis. Magnus enim ille, et major illo inter natos mulierum non surrexit (*Matth.* XI). Verum tanta magnitudo ejus sic propter me ab illo est, « qui testimonium perhibet de me, » quomodo causa viæ tenendæ vel rei agendæ, testa nocturnis in tenebris illuminatur, participatione igneæ substantiæ.Nam sicut testa non suapte lucet natura, sed aliunde flammam capit, ut lucerna sit, sic Joannes non ille alius erat, « qui testimonium perhibet de me, » sed ab illo missus erat,ejusdem testimonii verba suo gestans in corde flammato et lucido ore.Inde « erat lucerna, » non lux ipsa vel ipsius lucis substantia;«lucerna,inquam,ardens et lucens,» ardens intrinsecus testificandæ veritatis amore,lucens extrinsecus,verbo et opere,quandiu filii tenebrarum passi sunt, qui nunc lucernam talem intra claustra tenebrosi carceris abdiderunt. Lucens quippe per publicam virtutis prædicationem invitabat vos ad veram et æternam exsultationem. « Vos autem voluistis exsultare ad horam in luce ejus. » Hoc interim negari nequit, hoc oportet concedi, quia magnus ille erat et fideli sermone lucidus ; quia testimonium vel baptismum ejus, vestra quoque æstimatione de cœlo erat, non ex hominibus.Vos autem in hoc reprehendo (nec enim studio captandæ benevolentiæ vel favoris vestri, ut ad consensum veri testimonii vos alliciam, vitia vestra prætereo) re-

prætendo, inquam, quod dum lucerna hæc ad æternum futuri regni gloriam vos invitaret, « voluistis potius exsultare ad horam in luce ejus, » id est, temporalem præsentis regni præripere felicitatem, videlicet regnum Christi quem vos illum esse, vel certe præcursorem Christi Eliam existimatis, carnali sensu terrenum fore sperantes. Attamen qualiscunque vestra de Christo opinio sit, vel qualiscunque exsultatione vos tali lucernæ applaudere volueritis, nunc interim nihil mea interest. Illud a me propositum a vobis concedi oportet, quia refelli non potest, quod cum vos, ut prædixi, misistis ad illum, magnus utique vestro quoque judicio habitus est, et quem vos digne consulendum judicastis profecto respondentem, auditu indignum, rationabiliter judicare non potestis.

« Ego autem habeo testimonium majus Joanne. » In hac assumptione mea tota victoriæ palma consistit, ut cum rationum firmamenta contentiosum auditorem, vel acquiescere, vel obmutescere fecerint, protinus concludam dicens : Quia claritatem ab hominibus non accipio. Quod non est aliud quam quod supra dixi, et probare cœpi : « Quia ego testimonium ab hominibus non accipio, » nec enim opus habeo. Dico ergo subsequenti probaturus ratione : « Quia ergo testimonium majus habeo Joanne : » — « Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit. » Pater, qui, ut supra dixi, dedit Filio vitam habere in semetipso, sicut ipse vitam habet in semetipso, dedit mihi eidem Filio quædam opera, ut perficiam ea, videlicet jam cœpta, quæ cum perfecta fuerint audient ea surdi, et videbunt cæci (*Luc.* XVIII), si vos audire et videre nolueritis, et clamabunt lapides, si vos loqui recusaveritis (*Luc.* XIX ; *Psal.* X). Quæ sunt illa opera ? Magna utique et exquisita in omnes voluntates Patris mei opera sunt hæc, prædicto homine multo majora : opus incarnationis ; opus nativitatis, opus miraculorum, quæ in vobis feci et quæ nemo alius fecit ; opus passionis ; opus resurrectionis ; opus ascensionis meæ et effusionis Spiritus sancti, quæ omnia cum ego perfecero, vos abscondere non poteritis, cœlis enarrantibus hanc gloriam Dei, et annuntiante firmamento hæc opera manuum mearum, ita ut non sint « loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, ut in omnem terram exeat sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Hæc opera dum ego facio in nomine Patris mei, id est, in ea professione quod ego Filius Dei sim, et Deus Pater meus sit, verum utique et legitimum habeo testimonium quod ille revera sicut dico Pater meus sit, neque vos contemnentes me, ullam idoneam vel legitimam excusationem habebitis, cum fiat verbum quodcunque loquor in eodem quod profiteor in nomine Domini. Præterea : « Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. » Quando autem vel ubi testimonium perhibuerit de me, paulo post dicam. Prius enim ut describam personam illius Patris, ut exprimam dignitatem testis et tunc demum exponam antiquitatem vel constantiam testimonii. Non enim hic, de quo loquor, est ille pater meus Joseph, quem vos patrem meum dicitis, quem videre ut hominem potuistis, cujus vocem audire et non magni pendere potuistis (*Luc.* III, IV). Sed quid ? « Neque **183** vocem ejus unquam audistis, neque speciem vidistis. » Ecce quanto major Joanne hic. Joannis quippe, et vocem audire, et speciem utpote hominis mortalis atque corruptibilis videre potuistis ; vocem articulatam, et aere plectroque linguæ formatam, speciem circumscriptam atque visibilem ; et præter horridam eremitici vestitus asperitatem pene in nullo vestri dissimilem. At ille Pater meus neque vocem elementarem, neque speciem habet circumscriptam aut visibilem (*Exod.* XXXIII). Deus enim est non homo, spiritus est et non caro. Nam et si patres aut prophetæ vocem ejus audierunt, et si quidam eorum facie ad faciem Deum viderunt (*Num.* XII), nunquam tamen illum sua substantia videre potuerunt, nunquam propriam ejus vocem aut loquelam, nisi mente audierunt. Ille talis testimonium perhibuit de me.

« Et Verbum ejus non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis. » In hoc reatus vester est, in hoc peccatum vestrum manet, quia « Verbum ejus non habetis in vobis manens, » quod ex eo liquet, « quia quem misit ille, huic vos non creditis : » Nam et si « neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis, » attamen verbum ejus audistis, legem ejus accepistis, prophetas ab eo missos habuistis, et illos quidem legendo, eum de quo loquor, qui misit illos, qui per illis locutus est, et legem dedit, labiis honoratis, cor autem vestrum longe est ab illo (*Matth.* XV ; *Marc.* VII). Quia verba ejus ore quidem profertis, sed non ea in corde vestro (*Isa.* XXIX), quasi in libro scripsistis ; propter quod dico, quia verbum ejus in vobis, id est, intrinsecus in libro cordis vestri, in internis animæ vestræ sensibus non habetis. Hujus rei manifestum indicium in eo est quod vos « huic, quem misit ille, non creditis. » Huic, inquam, non alii, sed huic, id est, mihi qui nunc præsens sum, qui cum illo quondam locutus in lege et prophetis, ecce adsum. Hic enim ego sum, quem ille misit ; non ut essem, qui non eram, sed ut visibilis fierem, qui æque ut ille invisibilis eram ; ut corpus assumerem, qui incorporeus eram ; ut homo fierem, qui Deus eram. Sed « huic vos non creditis. » Ne ergo putetis quod Verbum ejus in vobis manens habeatis, dum contra me Sabbata vestra defenditis, habentes in cordibus vestris putredinem laboriosæ iniquitatis. Proinde sic estis, ut sepulcra dealbata, quæ foris pulchra parent oculis videntium, intrinsecus autem plena sunt ossibus mortuorum (*Matth.* XXIII). Nam sicut illa deforis pulchra esse, et intus plena esse possunt putredine, sic vos et in Sabbatis vestris

vacare, et totam legem Moysi ore lectitare, et Verbum Dei potestis in vobis manens non habere. Ecce dixi vobis quis « ille sit alius, qui testimonium perhibet de me, » major utique homine, major incomparabiliter Joanne. Dicitis nunc mihi : Quando ille, vel quale testimonium perhibuit de te? Ad hæc inquam : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. » O surdi et cæci, qui ad audiendum et videndum adducti, et sedentes in synagogis, ubi omni Sabbato testimonium illud personat, nubes discurrentes manu attingitis, et earum tonitruum non auditis, et discurrentia fulgura non videtis (*Isa.* IX). Utquid volumen legis magnum inerti collo bajulatis et pulchros prophetarum codices delicatis manibus levigatis? vultis introrsum aspicere, non vultis audire, imo et videntibus dicitis, nolite videre ; et audientibus, nolite intelligere (*Psal.* XXXV). O igitur rei judicii, rei superni concilii, rei gehennæ ignis (*Matth.* V), « Scrutamini Scripturas » falsi et fallentes ; « quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, » id est, hoc vobis ad vitam sufficere, quod illas legendo labiis, Deus honoratis alieno corde. Non est ita, sed scrutamini eas, consulite illas, voluntatem illarum quærite, intentionem earum attendite, audite et videte, qua vobis vitam promittant conditione, qua via, quo duce. Illæ vobis respondent, « et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. » imo ipsæ sunt testimonia quæ Pater perhibet de me. Sed quid ego dico scrutamini illas? Jamdudum scrutati estis, et me monitorem audire dedignamini, cum ex vobis sint magistri sedentes super cathedram Moysi, Scripturas optime perscrutati, ut nec iota unum, nec unus apex de omni lege illos effugerit, unde sua possint lucra venari, sive mentam, sive anethum, sive cyminum decimandum sit (*Matth.* XXIII). Non ita cæci estis ut oculos non habeatis, non ita surdi estis ut aures vobis non sint. Unde dixi per prophetam, imo et paulo post rebus dicturus sum ipsis eamdem prophetiam : « Educ foras populum cæcum et oculos habentem : surdum et aures ei sunt (*Isa.* XLIII). » Scrutati ergo estis Scripturas, et hoc scitis, quia « illæ testimoniam perhibent de me, et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. » O igitur Pharisæi, vere secundum nomen vestrum divisores, sed male dividentes, scilicet culicem liquantes, et camelum glutientes, quomodo in Scripturis vos vitam habere putatis, dum in exiguis lucrosæ justitiæ minutiis, decimando videlicet mentam et anethum (*Matth.* XXIII). dilatando phylacteria et magnificando fimbrias curam omnem impenditis, et in his fiduciam habentes, tanquam inde vivere possitis, ad me camelum oneriferum venire non vultis, ut me portante morticina peccatorum vestrum, vitam habeatis? Impii et cæci, desertores vitæ et salutis, ubi hæc duo constant, unum quia « illæ, » scilicet Scripturæ sunt, « quæ testimonium perhibent de me ; » et aliud, « quia non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. » Ubi, inquam, hæc duo constant, quomodo tertium stabit, scilicet, in ipsis vitam æternam habere, quod vos putatis? Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. Alioquin clamabo lapidibus istis, et ipsi audientes et videntes respondebunt. Dicamque eis : Quomodo tacent isti filii Abrahæ, saltem vos, o lapides, clamate, vos justitiam loquimini, vos recta judicate, ut possint de vobis suscitari filii Abrahæ (*Luc.* III ; *Matth.* III), dicite, inquam. Scripturæ illæ, in quibus isti se putant vitam æternam habere, « illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. » Quod si se scire dissimulent, coarguet eos Herodis sacrilegi homicidium, cui quærenti me ad perdendum, nativitatis meæ locum ostendentes optime scierunt (*Matth.* II), verum de prædictis Scripturis proferre testimonium. Clamamus, inquiunt, eos non nescire, quia Scripturæ illæ sunt quæ testimonium perhibent de te, et nobis durantibus hoc ipsi diffiteri non poterunt. At illi nolunt venire ad me, ut vitam habeant. Quid ergo? quis, inquiunt, concludere hic illos nesciat? quis non videat validis repugnaculis vanam spem illorum dirutam esse, qua putant se in Scripturis vitam æternam habere, « potiusque illos Verbum Dei in semetipsis manens, » sicut ipse dixisti paulo ante, non habere? Nunc ad rem redeam. Plane et firmissime id confectum est, « testimonium me habere majus Joanne. » Superius quoque jam dictum fuerat, nullo abnuente, Joannem, ad quem vos misistis, vestro quoque judicio magnum fuisse, lucernam ardentem et lucentem **184** exstitisse, et illum mihi testimonium perhibuisse. Causa autem hæc posita fuerat, ut me demonstrantem vana hominum gloria non delectari, me dicente : « Ego testimonium ab hominibus non accipio, » sed hæc dico, « ut vos salvi sitis. » Igitur sicut dixi, testimonium ab hominibus non accipio, » sed hæc dico, « ut vos salvi sitis, » sic nunc eodem sensu concludo.

« Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. » An putatis quod idcirco me prædicem esse Filium Dei, quia vestris suffragiis attolli, vestrisque festinem laudibus commendari? Existimatis quod unquam idcirco me zelus comederit, vel quod propter hoc increpem duritiam cordis vestri, quia non jamdudum super solium David et super regnum ejus me sedere fecistis, celsoque tribunali extollendo (uti regibus terræ mos est fieri) regem Christum me esse voce præconia declarastis? Non est ita, sed idcirco iram thesaurizatam repono vobis, « quia cognovi vos dilectionem Dei non habere in vobis. » Nunquid ergo claritatem a vobis accipere contendo? videlicet soli lucere in cœlo et mundum illuminare non licebit, nisi vos illi candelabrum cœli fabricaveritis, miseri homines, tenebræ et non lux tenebræ, inquam, et exiles umbræ, nonne ego, ut jam demonstravi, testimonium habeo majus lucerna ardente et lucente Joanne? At ille claritatem a vobis

adeo non accepit, ut volentibus exsultare ad horam in luce ejus, et claritatem ejus supra quam erat vestris adulationibus augere (existimabatis enim illum Christum esse) flatus vestros inanes repelleret dicendo : « Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? » (*Matth.* III ; *Luc.* III) Quanto magis ergo ego claritatem a vobis non accipio ? An quia me vobis negantibus ego fidelis permaneo, et meipsum negare non possum, idcirco vanæ gloriæ non deservio, nec vobis aliter placebo, nisi viæ veritatis et vitæ, quæ sum ego, radios hominibus abscondero ? Quæ est ita tam malitiosa vestra intentio? nunquid venit lucerna, ut in abscondito ponatur, vel sub modio, et non potius super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt ? (*Matth.* V). Igitur neque « claritatem ab hominibus accipio, » neque claritatem quam dedit mihi Pater hominibus abscondo, sed sicut lucerna fulgoris stans super candelabrum meum, et omnem simplicem oculum illustrabo, ut totum corpus ejus lucidum sit (*Matth.* VI), et omnem oculum nequam publicabo, ut appareat omnibus totum corpus ejus quam tenebrosum sit, quales estis vos, quos ego cognovi, quia dilectionem Dei non habetis in vobis, quia : « Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. » Hic enim fructus malæ arboris, hic malus thesaurus est cordis. Quid ergo ? Nisi prius malum gustassem fructum, non cognovissem radicem arboris malæ, non cognovisem amaritudinem vitis alienæ? (*Jer.* II.) Nisi prius diceretis, non est hic a Deo, qui Sabbatum non custodit et dæmonium habet, et insanit ; postremo nisi persequeremini et occidere me quæreretis (*Joan.* VIII, IX), nescirem adhuc, quia Verbum Dei non habetis in vobis manens, vel quia dilectionem Dei non habetis in vobis : imo et antequam sepulcrum gutturis vestri pateat, et os vestrum maledictionem et amaritudinem despumet, quæ sunt in corde vestro, oculi mei vident, et in libro meo omnia scripta sunt (*Psalm.* V, XIII ; *Jer.* XV). Nunquid hoc solum, quod non facitis, non accipientes me, video nunc in corde vestro et in libro meo scribo ? Nempe et hoc et aliud quod nondum fit, jamdudum vidi et scripsi. Dico enim : « Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. » Adeo scio vos expertes Verbi Dei, adeo judicio cordium cognovi vos exsortes dilectionis Dei, ut et hoc jamdudum noverim, quia quanto nunc odio persequimini et occidere quæritis me, qui « veni in nomine Patris mei, » id est, in hac professione, quod Deus Pater meus sit, et ille me miserit et hoc palam facio, dum non gloriam mundi quæro, sed gloriam Dei, tanto stultitiæ vestræ tripudio suscipietis hominem peccati, filium perditionis, qui veniet in nomine suo, id est, efferet se præsumptione sua, dum adversatur et extollitur, supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur (*II Thess.* II), ita ut in templo Dei sedeat tanquam sit Deus. Illius enim spiritus estis « et ego novi, » ut cito acquiescatis mendacio, qui ad veritatem surdi, indociles et cæci estis, amici tenebrarum et rebelles luminis, amantes gloriam mundi, quam per homicidia vobis ille dilatans odientes gloriam Dei, qua ego verbo et exemplo prædicans vobis odio sum gratis. Et vos quandoque criminis vestri magnitudinem videbitis, qui nunc non accipitis me venientem in nomine Patris mei, venientem benedictum in nomine Domini, ita extolletur ille, quem vos suscipietis ; et hoc tantum dicens, hoc solum professum cum testimonio vestræ legis, quia est in me nomen Domini. Ego enim sum angelus ille, de quo dicit Deus et Dominus legis Moysi : « Ecce ego mitto angelum meum qui præcedat te et custodiat in via et introducat ad locum quem paravi. Observa eum et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo (*Exod.* XXII). » Et, inquam, ille angelus sum, angelus pacis et consilii, angelus vitæ et veritatis (*Isa.* IX). Et est in me nomen Domi (*Matth.* VI ; *Marc.* XII. Nam excepto eo, quod ille Pater et ego sum Filius ; ille genitor et ego genitus : quodcunque ejus est nomen, in me est, et æque ut ille nuncupor Dominus, Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, et quodcunque aliud nomen de vero Deo prædicatur, quem vos dicitis, quia Deus noster est, et non cognovistis eum. Vos ergo peccatum vestrum apprehendet, et peccatum vestrum vos invenietis, quia non accipitis me testem veritatis (*Luc.* XVI), suscepturi autem estis principem vanitatis, utpote qui toti carni et vanæ gloriæ dediti estis (*Prov.* II). Proinde crimen ejusdem vanæ gloriæ, quod in me falso intorsistis, nunc ego retorqueo veraciter in vos cum pœna peccati. Dico enim : « Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem quæritis, et gloriam quæ a solo est Deo, non quæritis ? Peccatum quippe est quod gloriam ab invicem quæritis. Sicut et magistri vestri Scribæ et Pharisæi, qui omnia faciunt ut videantur ab hominibus amantes primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (*Matth.* XIII ; *Luc.* XI) ; imo quod gloriam ex vobismetipsis turpem et immundam quæritis, velut omnes ethnici, quorum Deus venter est, et gloria in eorum pudendis, quorum Deus Mammon est (*Matth.* VI), et gloria in rebus pessimis. Lætantur enim et exsultant cum malefecerint. Peccatum, inquam, vestrum hoc est, pœna autem peccati hæc redditur, quia per inde excæcati credere non potest et « venire ad me ut vitam habeatis. » Credere vel venire ad me gloriamque ab invicem quærere, valde sibi invicem adversantur et repugnant, simulque esse non possunt. Consequuntur **185** autem se invicem, gloriam ab invicem quærere et gloriam quæ a solo est Deo non quærere ; sic contra sibi consentiunt, seque invicem consentiunt, credere vel venire ad me, et gloriam quæ a solo est Deo quærere. Quæ enim est illa quæ a solo Deo est gloria, nisi testimonium bonæ conscientiæ ? (*II Cor.* I.) Hæc utique vera gloria est quia non potest fallere. Quæ autem ab invicem es

gloria, faillit semper unde et falsa et vana est. Ergo illam gloriam veram, scilicet bonam conscientiam; gloriam, inquam, et honorem vobis thesaurizare, id est, credere vel venire ad me non potestis, quandiu ab invicem quæritis; nec aliam ob causam ad me venire non vultis, nisi quia in vanitate longe a Deo gloriamini. Igitur falso suspicamini me testimonium vel claritatem accipere vel ab hominibus, a quo tam longe est gloriæ cupiditas ut ad me venire non possit quicunque ab hominibus gloriam quærit, et ego in vos veraciter et juste retorqueo crimen hoc, qui gloriam ab invicem quærendo ita cæcati estis, ut veritatem audire non possitis, imo et gloria Dei vobis odio sit. Quid deinde? putatis, accusante conscientia, quod vobis talionem redditurus sim? Vos enim observatis me, et circuitis observantes, ut inveniatis unde accusatis me, et in hoc exacuitis, ut gladium, linguas vestras et intenditis arcum rem amaram, ut sagittetis in occultis immaculatum (*Psal.* VII); et non invenitis quod de regno vel gloria vestra tantum habeam cupiditatis, quantum possit sagitta pungi, id est, legitima accusatione ante cæsares vel præsides vestros declamari. Ego autem habeo multa de vobis loqui et judicare. Quid ergo? et ego vos æquali vicissitudine accusaturus sum? Non.

« Nolite putare quod ego accusaturus sim vos apud Patrem. » Putate, imo et scitote causam vestram longe in pejus cecidisse, quia non misit me Pater accusare, sed judicare. Non mihi ut accusatori verba dedistis, non a qualicunque exploratore perspecti estis, sed incidistis in manus judicis, sed apud me estis rei majestatis, sed incidistis horrende in manus Dei viventis. Hic Filius Dei, cui vos non creditis, ad quem vos venire non vultis ut vitam habeatis, cui Pater omne judicium dedit, quia Filius hominis est, ecce ad audiendas causas processit. In judicium enim in hunc mundum venit, ut principem mundi foras ejiciat et omnes ejus sequaces in diem malum reservet, in diem occisionis (*Jer.* XII), sicut propheta prædixit. Ecce, inquam, Judex idemque Rex ad audiendum processit, vosque vincti peccatis, ante conspectum ejus adducti estis. Nolite ergo putare quod ego accusaturus sim vos apud Patrem. Servabitur quoque vobis apud me idem, qui in judiciis vestris mos est, ut non sit unus idemque accusator et judex. Ego autem, sicut jam dixi, quod vos credere non vultis; ego, inquam, ego sum Judex. Accusatorem ego attendo contra quem nullus aderit defensor. Non enim accusator deest. « Est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis. » Me judice præsidente, Moyses accusat vos. Nova res nunc a me, vobisque inopinata, dicta est. Vos enim in Moyse speratis. Quidni? Vos etenim, Discipuli Moysi nos sumus (*Joan.* IX), dicitis; vos de cathedra Moysi pendetis (*Matth.* XXIII), et cum surdis auribus audiatis dicentem: « Diliges Dominum Deum tuum et toto corde tuo, et ex tota mente tua et ex totis viribus tuis, et proximum tuum sicut teipsum (*Deut.* VI), totamque legem in his duobus mandatis pendentem

A et prophetas (*Matth.* XXII), post dorsum vestrum projeceritis, in solis phylacteriis dilatatis et magnificis fimbriis totos Mosaicos vos esse putatis (*Matth.* XXIII). Itaque et hoc speratis, quod, si ego apud Patrem vos accusavero, et Pater quidpiam durum super vos molitus fuerit, stabit Moyses pro vobis, et antiqua fortitudine Deum tenebit, et cum dixerit Pater: « Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos (*Exod.* XXXII), » confortabit Moyses brachium suum, et tandiu complexu stringet illum, dicens: Dimitte peccata populi tui, donec respondeat: Dimisi propter verbum tuum. Non est ita. Non enim hic agitur judicium, ut Pater judicet, et me accusante Moyses excuset; sed ego Judex, Pater enim non judicat quemquam. Ego, inquam, Judex;
B Moyses autem accusator est, crudelis et clamosa conscientia vestra testis unus, sanguis meus, quem vos persequimini (jam enim interficere me quæritis), sanguis, inquam, meus clamans in cœlum de terra, quæ aperiet os suum (*Gen.* IV,) et suscipiet illum de manu vestra, testis alius est, et econtra defensor nullus est. At vos in Moyse speratis, quasi ille peccatores et impios, vestri similes fovere consueverit. Nonne et quando Deum tenuit, ut prædictum est, stans in confractione, idem in nimia mentis humilitate in conspectu ejus, ut averteret iram ejus; nonne, inquam, priusquam manus suas ad Deum expanderet, suas manus manusque omnium filiorum Levi consecravit in mortibus vestris, qui soli de tanto numero accesserunt ad eum dicentem: Qui Domini est, jungatur mihi? Nonne et tabulas scriptas digito
C Dei, valde iratus confregit, vitulumque vestrum, Deum vestrum aureum, coram quo salutantes lusistis, contrivit et minuit, et in fluvium projicientes, ex eo vobis potum maledictionis dedit, et viginti tria millia de numero vestro occidit? Quis igitur sic iratus est, ubi coram vitulo vestro vidit vos saltantes, et ludentes, chorosque ducentes, quanto magis nunc vos rebelles et incredulos populumque duræ cervicis, ille idem justa accusatione confringet, quemadmodum tabulas illas lapideas (quibus utique duriora vestra sunt corda) justo zelo confregit? Sceleratius enim nunc Barabbam latronem, homicidam, seditiosum mihil præferre habetis (*Matth.* XXVII), quam tunc Deo, qui vos eduxerat de terra Ægypti, vitulum conflatilem prætulistis (*Psal.* CV), et mutastis
D gloriam vestram in similitudinem vituli fenum comedentis, tunc ludentes atque cantantes, nunc tumultuantes, et crucifige, crucifige conclamantes. Quapropter sicut illæ priores tabulæ manibus Moysi confractæ, et aliæ denuo de monte, instar priorum incisæ sunt, sic accusatione Moysi vos prior populus jamjam condemnabimini, et alia gens major et melior in talibus cordis carnalibus æternam excipiet Scripturam digiti Dei (*II Cor.* III). Nos enim in vanum Moysi tunc dictum est: « Cerno quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam, quæ hac major et robustior est (*Exod.*

xxxiii). » Audiet quippe denique Moysen alia gens, velatisque abjectis et justa damnatione confractis, cujus facies decorior hic erit, non in obscuritate litteræ, sed in spiritus claritate (*II Cor.* iii). Nam sicut cum prioribus tabulis facies ejus non refulsit, sed cum acceptione tabularum posteriorum splendida facta est ex collocutione Dei (*Exod.* xxxiv), ita ut patres vestri admirantes timerent et fugerent, ita nunc in doctrina novi populi vobis præferendi, ex collatione Evangelii glorificabitur lex, radiis gratiæ et veritatis, quamdiu prædicabitur, vobis [vos] ferre non valentes, toti adversi fugietis. Et hoc scitote, quia quod **186** tunc dictum est illi de peccato vituli, verumtamen in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum nunc implebitur, ita ut cum omni sanguine justo, qui effusus est super terram, veniat B et illud peccatum super generationem istam. Est igitur qui accuset vos Moyses, in quo vos ore superbo speratis et corde incredulo ab illo receditis, cum illo vobis, imo cunctis gentibus, contra vos clamet : Qui Domini est, jungatur mihi. « Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit. Quia si litteris illius non creditis, quomodo verbis meis credetis ? » Ecce qualem ad conclusionis finem disputatio veritatis delectabilis et victoriosa pervenit, ecce qualiter adversarias partes, et si non vicit, ut flecteret, vicit ut confringeret. Putabant se esse filios Abrahæ, dicebant se Judæos esse, sperabant in Moyse, adeo prompti fautores Moysi, ut quærerent interficere Filium Dei (*Exod.* xxxii ; *Matth.* xiii). Nam propterea perseque- C bantur eum, quia hæc faciebat in Sabbato. Confregit illos, ita ut non possint stare, convicit illos Moysi non credere, nec Judæos esse, sed esse in synagoga Satanæ. « Si crederetis, inquit, Moysi (*Exod.* xxxii), crederetis forsitan et mihi. » Exposuit cur a Moyse vel unde essent accusandi, videlicet quia non crederent Moysi. Et miro modo dicit : « In quo vos speratis, » subdendo : « Si enim crederitis. » Sperare namque non potest, qui non credit. Mirum ergo videri potest, quod hinc illos non negat credere, hinc rursus eosdem causatur non credere. Proinde res nunc exigit illam quæ a sanctis Patribus recte perspecta est, non prætermittere distinctionem fidei. Audenter dicunt, quia sine fide neque infidelis vivit. Nam si infidelem percunctari velis, D quem patrem vel quam matrem habuerit, protinus respondet illum atque illam. Quem si statim requiras, utrum noverit quando conceptus sit vel quando natus, nihil horum se nosse fatebitur, et tamen quod non vidit credit. Nam illum patrem illamque se ma-

A trem habuisse, absque dubitatione testatur. Itaque fatentur, quod et infidelis habeat fidem. Habent etenim infideles fidem, sed utinam in Deum ; quam utique si haberent, infideles non essent, cum itaque sit et fides, quam infideles quoque habere possunt ; et fides, quam qui habent, infideles non sunt, recte Judæi et sperare in Moyse et Moysi redarguuntur non credere. Nam secundum fidelium, quam et infideles habere possunt, optime tenebant et nunc tenent Judæi, nobiles et sanctos patres se habuisse, Abraham, Isaac et Jacob, principes ac duces, reges quoque ac sacerdotes, et turgidam spem magno vento superbiæ gestabant, de illorum meritis nimium præsumentes, cunctasque gentes et immundas et ignobiles rigida nimium cordis cervice despicientes. At B vero spem in Deum vel fidem, per quam Abraham cæterique patres justificati sunt, illos non habere vel habuisse satis usque hodie, manifestum est. Recte igitur cum dixisset Dominus : « Est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis, » protinus adjecit : « Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. » Ubi dicendo *forsitan*, acerrime duritiam cordis eorum ad credendum expressit. Quippe cum et electi ex illis, apostoli bene credentes Moysi, et exspectantes promissum per prophetas regnum Dei, tam difficiles ad credendum sibi fuerint, ut et ipsos increpaverit dicens : « O stulti et tardi corde ad credendum in his quæ locuti sunt prophetæ (*Luc.* xxiv). » Itaque licet posito hoc antecedenti : « Si crederetis Moysi, » consequens sit : « crederetis et C mihi, » tamen quia potuit in discipulis quoque ejus fieri, ut credentes Moysi, non statim crederent et huic, sed ingenti opera strui oportuit, ut crederent hunc esse, de quo Moyses scripsit, recte ait : « Crederetis forsitan et mihi. » Unde et subsecutus, non dixit : Quod si verbis meis non creditis, quomodo litteris ejus credetis ? Potuit enim fieri, ut credens quis litteris Moysi, necdum continuo verbis ejus crederet, sed firmisse dixit : Quod se litteris ejus non creditis, quomodo verbis meis credetis ? Sicut enim litteris Legislatoris jamdudum sepulti non credunt, verbi gratia dicentis : « Ecce ego mitto angelum meum, » et cætera usque : « et est nomen meum in illo (*Exod.* xxxii), » quomodo verbis ejus præsentis, de ipsis nati, et inter ipsos nutriti crederent, ipsum nomen in seipso esse profitentis, id D est, Deum Dei Filium se esse asserentis, cujus respectu Deus Pater nominandus sit aliquod nomen proferentis, quod non est, nisi solius Dei : verbi gratia, cum diceret : Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* viii). »

187 LIBER SEXTUS

Prælibati anni curriculo, quod deinceps fecerit, quæque dixerit Dominus Jesus, ab hoc Evangelista prætermittuntur ; quia videlicet eorum satis multa in cæteris evangelistis habentur. Hic namque annus

ille est in quo initium Dominicæ prædicationis ordiuntur. Sequentis ergo anni, qui ultimus est, vitæ mutabilis, vitæ incommutabili semper in se viventi narrationem ingreditur, tanto plus splendoris habentem quanto vicinius spectat, mox affuturam post finem ejusdem anni Dominicæ passionis et resurrectionis sempiternam lucem. Tunc enim vere vobis omni nube discussa, benigna solis æterni claritas emicuit, quando verus iste Agnus, ut auferret peccata mundi, mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit (*I Cor.* xv). Hujus autem beneficii claritatem præsentis anni præmittit, in eo maxime quod Dominus noster necessariam vitæ nostræ, suæ carnis escam, suique sanguinis potum commendans : « Nisi manducaveritis, inquit, carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI).» Igitur habito cum Judæis fideli et omni acceptione digni sermonis conflictu, hæc evangelicæ narrationis lectio sequitur.

Cap. VI.— « Post abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, et sequebatur eum multitudo maxima, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.» Non præpositive, post hæc abiit, sed absoluto adverbio, « post abiit,» legendum. Non enim ab Jerosolymis, ubi facta vel dicta fuerant ea, quæ supra memorata sunt, abiit Dominus Jesus trans mare Galilææ, ut faceret vel diceret ea quæ præsenti continentur lectione. Nam et quando post abierit illuc et hic Evangelista patenter innuit, dicendo : « Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum,» videlicet circa finem anni prælibati, et unde quo vel cur abierit et ista fecerit, evangelista Matthæus evidenter aperit. Videlicet unde nisi de patria sua, Nazareth, ubi « non fecit virtutes multas propter incredulitatem illorum (*Matth.* XIII). » Cur autem inde abiit, nisi quia scandalizabantur in eo? Dicebant enim : « Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et Joseph, et Simeon, et Judas? et sorores ejus ; nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic ista omnia?» (*ibid.*) Herodes quoque tetrarcha fama ejus audita: « Hic est, inquit, Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo (*Matth.* XIV).» Propter hæc a patria sua discedens, qualem in locum « abiit trans mare Galilææ? » In locum, inquit, desertum seorsum. In his omnibus mysteria continentur, nunc interim litteram prosequamur. « Abiit, inquit, trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. » Primo dicendum juxta historiam, quia mare Galilææ, quod multis pro diversitate circumjacentium regionum vocabulis distinguitur, illis tantum in locis mare Tiberiadis vocatur, ubi Tiberiadem civitatem, aquis, ut aiunt, calidis salubrem ab occidente præmonstrat. Siquidem interfluente Jordane, duo de viginti passuum millibus in longum, et quinque extenditur in latum. Solum hoc miraculum de omnibus, quæ ab aliis dicta sunt, ab hoc Evange-
A lista iteratum est. Quare? Videlicet, ut secundum auctoris intentionem et opus pariter et causas operis perscriberet. Nam cum hæc visibilia faceret Dominus invisibilium instantia rerum miro modo, ut ait ipse, coarctabatur usque dum perficerentur, et quemadmodum ex abundantia cordis os cujusque nostrum loquitur, sic ipse secundum divinæ majestatis suæ opera, quæ intus meditabatur, foris miranda operabatur. Denique cum cibus suus esset, facere voluntatem ejus qui miserat illum (*Luc.* XII ; *Matth.* XII ; *Joan.* V), et perficere opus ejus, nunquid oblivisci aliquando poterat eumdem cibum suum, quin semper dictis et factis ruminaret illum? At nunc prope erat ; prope, inquam, id est, post annum futurum erat, ut secundum prædictam volun-
B tatem Patris, mare Galilææ, id est, amaritudinem iniret transmigrationis suæ, videlicet transeundo ex hoc mundo ad Patrem per amaram passionis et mortis tribulationem (*Joan.* XIII), ac deinde sequentes se per fidem turbas populorum secundum animas refecturus erat sanctarum cibariis Scripturarum simulque secundum corpus et animam, ut utrumque vitam haberet, daturus in escam necessarium corporis et sanguinis sui sacramentum. Hoc manifeste præsenti facto prophetavit, manifestiusque scilicet sequenti sermone confirmavit. Unde constat homines istos tanto miraculo refectos, non a semetipsis, sed nutu divino dixisse : « Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum,» ipsumque Evangelistam hoc ipsum intendere, cum præmittit,
C dicens : « Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum,» quia videlicet in Paschali solemnitate transeundo, ut jam dictum est, ex hoc mundo ad Patrem relicturus erat nobis sequentibus se, in escam et potum, ut prædictum est, corpus et sanguinem suum. Bene ergo miraculum hoc, cum ab aliis dictum esset, ab hoc evangelista iteratum est, ut causas ejus per subsequentia Domini verba plenius exponeret. Sed jam ad mysteria veniendum est. « Abiit, inquit, terans mare **188** Galilææ quod est Tiberiadis. Ecce palam est quia abiit, quia reliquit domum suam, dimisit hæreditatem suam. Reliquit, inquam, domesticos suæ carnis, falsos et semetipsos fallentes discipulos Moysi, quibus supra dixerit : « Quod si litteris ejus non creditis, quomodo verbis meis credetis?» et longe abiit quo voluit, ad susci-
D tandos mortuos quos voluit, ad dandam vitam omnibus a quibus æque ut Patrem honorificandum se novit (*Joan.* V). « Abiit autem trans mare Galilææ,» id est transmigravit amara via et difficili navigatione, scilicet portatus ligno crucis, qua tamen et triumphavit omnes fructus suæ passionis, quod videlicet mare est Tiberiadis. Quia quod omnibus notum est, passus est sub Pontio Pilato præside Tiberii Cæsaris, nobisque magnæ gentium multitudini, ejusdem crucis navigium, ad sequenda vestigia sua dereliquit. Quicunque enim illum sequimur in morte ejus baptizamur, consepulti cum illo per bap

tismum in mortem (*Rom.* vi), ut quomodo surrexit ipse a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Quare autem nos tantæ multitudinis populus illum sequimur? «Quia videbant, inquit, signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.» Quis ex nobis omnibus qui illum sequimur, non infirmabatur? Quis non in originali peccato Adæ, sine dubio additis et suis actualibus peccatis moriebatur? Nam et si propter peccatum originale æque omnes, sive Judæi, sive Gentiles moriebamur, etenim de Judæis quoque fuit «fuimus, inquit Apostolus, filii iræ sicut et cæteri (*Ephes.* ii), » et si, inquam, omnes infirmabantur homines, nos maxime infirmi eramus, cum spem non habentes longe essemus a Deo. Unde et de nobis recte dictum est: « Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt (*Psal.* xv).» Illa utique non curiositati, sed saluti nostræ data signa, signa misericordiæ et gratiæ vidimus; quia ubi abundavit peccatum superabundavit gratia (*Rom.* v); nos idololatræ, quorum multiplicia fuerunt peccata, multipliciora per Spiritum sanctum ejus accepimus gratiarum dona, ut sanati expediti curremus, et currentes non lassaremur, laborantes non deficeremus. Equidem sunt plerique qui religionem Christianam non idcirco sequuntur, viderunt videlicet quia hujusmodi signa, quibus infirmæ animæ curantur, magisque illecti sunt temporalibus commodis, quæ cum sint officiales sacramentorum Christi, de altario consequuntur, quam delectati spiritualium pietate donorum, quibus, ut jam dictum est, infirmæ animæ sanantur, fuerunt et in illa multitudine magna quam plurimi, qui Dominum non revera sequebantur, propter signa quæ faciebat super his qui infirmabantur, nec tam delectabantur pia congratulatione quam trahebantur Judaico more ad ea capienda, quæ postmodum ab ipso Domino murmurantes quæsierunt, vel quærentes murmuraverunt. Quod ipse illis paulo post exprobrans: « Venitis, inquit, ad me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis. » Attamen qualibet diversa mente, magna tunc secuta est, magna nunc sequitur multitudo Dominum Jesum.

«Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.» Ergo, inquit, quia trans mare abiit, idcirco ipse quoque in montem subiit, quia videlicet propter hoc illum Deus exaltavit, quia «factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip* ii); » et idcirco super omnes cœlos cœlorum caput exaltavit, quia de torrente passionis in via bibit (*Psal.* cix). « Ibi sedebat cum discipulis suis,» procul dubio in magna solemnitate contemplationis, habens coram se opus suum, et religioso corporis habitu exprimens præparationem gloriæ et honoris, in quo sedere habebat « ad dexteram majestatis in excelsis (*Hebr.* i). » et quod ubi foret ipse, illic essent simul et discipuli sui. Si enim omnis vita sapientis meditatio mortis est, cum utique nesciat homo finem suum (*Eccl.* ix), quanto magis ipse qui noverat et pro velle suo disponebat cursum suum, et finem suum, quem latere non poterat, quæ utilitas esset in sanguine suo, dum descenderet in corruptionem (*Psal.* xix), cunctas humanitatis suæ vias secundum eumdem finem suum coram se habebat? Quam congruo autem tempore procedebat Evangelista pulchre innuit, ita subjungens: « Erat autem proximum Pascha dies festus Judæornm. » Festo quippe Judæorum die, qui dicitur Pascha (*Exod.* xii), id est *transitus*, quando Agnus brutus, in figura hujus veri et rationalis Agni immolabatur et ejus sanguine postes consecrabantur, et sic transitus filiorum Israel per mare Rubrum celebratur, tenendus erat hic idem Dominus et omnibus sequentibus se viam maris Rubri, id est baptismi, per mortem suam paraturus, et omnia quæ nunc tam præeunte miraculo significat quam et subsequenti sermone commendat, in semetipso completurus. Bene ergo secundum intentionem operantis Domini pertinuit ad diligentiam scribentis ut diceret: « Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum.»

« Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. » Ut conjunctionis interpositæ vim teneas, memoriter illud sciendum est quod idcirco transierit et in montem subierit, ut turbæ sequerentur; imo idcirco mortis amaritudinem passus sit, et in cœlum ascenderit, ut nos ejus vestigia sequentes ad thronum gratiæ per ipsum fiducialiter accederemus (*I Petr.* ii; *Hebr.* iv). « Cum ergo sublevasset, inquit, oculos. » Sublevati oculi Jesu fenestræ salutis, et patentes misericordiæ januæ sunt, per quas gratia et veritas emittitur; sublevatio oculorum Jesu, præsens miserorum compassio est. Quo contra Psalmista de his, quorum viscera crudelia misereri nolunt et parcere nesciunt: « Oculos suos, inquit, statuerunt declinare in terram (*Psal.* xvi). » Et quidem peccata patrum nostrorum (« qui peccaverunt et non sunt, nos autem iniquitates eorum portavimus (*Thren.* v)» hoc merebantur, ut Jesus oculos suos, in iram juste depressos, minime sublevaret, sed extra debitum justitiæ misericorditer de nobis recogitans, cum esset in sinu Patris, « prospexit de excelso sancto suo,» et postmodum cœlo iterato receptus, aspectus erat de cœlo in terram, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum (*Psal.* c).» Unde et alibi Psalmista: « Oculi, inquit, ejus super gentes respiciunt (*Psal.* lxv). » Sublevatis igitur gratiæ suæ oculis, quid dixit aut quid fecerit? Unde, inquit, ememus panes, ut manducent hi? Equidem tunc unum ex discipulis, quos ad justitiam magister pietatis erudiebat, hoc modo tentavit, non ut sciret, quantum fidei jam haberet; quippe qui juxta hunc eumdem evangelistam sciebat quid esset in homine, et idcirco « non erat ei opus ut quis testimonium per-

hiberet de homine (*Joan.* II); » sed ut manu inquisitionis suæ tentando et per vocem responsionis eliciendo ignorantiam ejus ipsi ostenderet, quomodo benevolus cujusque artis præceptor, interdum discipulum interrogat, non quod de ignorantia illius dubitet, sed ut ad interrogationem evigilet, et ipse jam attento efficacius demonstret. Cæterum **189** omnium doctorum cunctum ordinem, qui sanctæ Ecclesiæ vice ejus præsunt, nunc usque acrius interrogat et tentat. Cum enim eis, utique servis suis tradit « bona sua, et uni quidem dat quinque talenta, alii duo, alii vero unum, et unicuique secundum propriam virtutem (*Matth.* XXV), » vel cum aliquem « constituit super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram (*Luc.* XII), » quid aliud quam interrogat et tentat, id est, re ipsa indicat, qui bonus et fidelis, quis autem nequam servus sit? Nam si nihil accepissent hi, qui nunc probi vel qui suomet judicio reprobandi sunt, semetipsos nescirent. Sunt autem plerique qui, dum libenter vacant otio, de auditorum tarditate causantur. Quorum modicam, quam in spiritualibus habent, fidem, adhuc in corporalibus habens:

« Dicit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficerent eis, ut unusquisque modicum quid acciperet. » Tale namque est hoc ac si dicant hi quibus Evangelii dispensatio credita est: Omnium magistrorum veterum pariter et novorum doctrina non quidquam efficiet, ut gens stolida et antiqua, fame audiendi Verbum Dei præmortua, modicum quid fidei vel Christianæ religionis accipiat. « Dicit ei unus ex discipulis ejus Andreas, frater Simonis Petri: Est puer hic unus, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos? » Quis iste puer fuerit, vel cujus in obsequium, utrumne Christi et discipulorum ejus, an quorumlibet e turba, venalia hæc portaverit, juxta historiam ignoramus. Cæterum quacunque in solitudine, quæcunque in deserti, id est, sæculi hujus regione, turba gentium Christum sequitur trans mare baptismi ejus, ut videat signa quæ facit super his qui infirmabantur, diversis peccatorum languoribus, illuc adest puer stultitiæ magnitudine cunctis notus, scilicet ille Judæorum « populus, qui pro eo quod non habuit scientiam, captivus ductus est (*Isa.* V); » populus, inquam, dissipatus, puer sensu, sed malitia veteranus, qui sanguine Christi pollutus, cecidit in ore gladii sub Tito et Vespasiano imperatoribus, et in omnes gentes captivus ductus est. Quocunque Christum turba credentium secuta est (*I Cor.* XIV), illuc iste puer deportavit se, cum integros quinque Mosaicæ legis panes, id est totidem libros; duos quoque pisces, id est prophetas omnes et Psalmos, Legem simul et Evangelium testificantes, vel unum eumdem Christum regem simul et sacerdotem, claris præconiis concinentes. Illos Scripturarum panes ac pisces, collo servili bajulat nec manducat, sudat sub onere litteræ, nec attingit manu vel dente medullam spiritualis intelligentiæ. Non ergo sibi sed omni mundo portat, ut omnis homo vel quæque gens testimonia Christi, quam antiquissima sint, de vicino audiat: ut non dicat paganus sive hæreticus, a nobis conficta esse quæcunque de Christo contra eos proferimus testimonia; quæcunque de rege et sponso suo Catholica contra omnes veritatis adversarios prædicat Ecclesia, nec negare queat idem puer stultus, suo convictus onere, id est lege sua. Nam quemadmodum filii Ruben, Gad, et dimidiæ tribus Manasse, nolentes transire cum cæteris filiis Israel ad habitandum trans Jordanem, et citra ipsum caulas ovium fabricantes et stabula armentorum, nos ipsi, inquiunt, armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua, usque dum possideant hæreditatem suam, nec quidquam quærimus trans Jordanem, quia jam habemus possessionem nostram, et ita egerunt (*Num.* XXXII); sic iste populus, qui noluit nobiscum transire Christi baptismum, tamen hic inter nos est, portans non sibi, ut prædictum est, sed nobis omnes Scripturas legis et prophetarum, quæ uno eodemque sensu cibus et arma nobis sunt, neque dimittunt nos, donec perveniat ad victoriam auditorium nostrum, sive contra paganum sive hæreticum, sive etiam contra ipsum armaturæ nostræ portatorem quidquam dicendum sit vel agendum. « Est igitur puer unus hic, habens quinque panes hordeaceos et duos pisces, » id est quinque Moysi libros, sub tenacissima litteræ palea, granum spiritus continens, Prophetasque et Psalmos Christum testificantes. Sed hæc quid sunt inter tantos? Videlicet si ita permaneant, quomodo iste puer illos circumportat, permodicum et nimis parum est. Esurientium quippe multitudo magna est, et in ipsa multitudine aliqui sunt magni, id est, magnæ capaces scientiæ, oratores atque philosophi. Nam et de ipsis nonnulli veniunt ad fidem Christi. At illæ Scripturæ secundum litteralem sensum non valde magnæ sunt. Quid enim magnum apponeretur avido convivæ, id est, cuilibet philosopho vel oratori, vocato et sedenti ad mensam Christi, cum non nisi secundum litteram legeretur illi, quia « Abraham duos habuit filios, unum de ancilla et unum de libera (*Gen.* XII; *Galat.* IV); » vel quia minor ex filiis Isaac, scilicet Jacob, astu matris majori filio benedictionem præripuit, contectus hirsutis hædorum pelliculis? (*Gen.* XXVII.) Sic et in plerique gestis, mandatis, sive holocaustis adeo macra littera est ut quamlibet esurienti vel Dei Verbum desideranti, in ipso desiderio fastidium generare possit, nisi ad Christi manus implenda hæc Scriptura pervenisset.

« Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. » Conjunctio litteræ quæ sic posita est: « Dixit ergo Jesus, » illi assumptioni ut conclusio respondet quam supra Evangelista posuit, dicens: « Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus. » Statimque aliud assumit sic: « Erat autem fenum multum in loco. » Mox iterum per conclusionem sub-

jungitur : « Discubuerunt ergo viri. » Sed quanti, cum panes essent tam pauci ? Sequitur : « Numero quasi quinque millia. » Nam revera, quia tentando dixerat : « Unde ememus panes, ut manducent hi ; » et quia sciebat quid proposuisset, vel « quid esset facturus, » consequebatur, ut postquam tentavit illum, faceret homines discumbere, et quia « fenum multum erat in loco, » commodius ibidem homines poterant discumbere. Remque per conclusionem sequitur : « Accepit ergo Jesus panes. » Nam quia tanti erant homines et tam pauci panes, utique oportebat, ut ipse illos suis manibus acciperet, ut gratias ageret, aut juxta alios evangelistas benediceret. « Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. » — « Cum, inquit, gratias egisset, » (videlicet ut nos de perceptis vel percipiendis cœlestium gratiæ donis, exemplo suo gratias agere prædoceret), « distribuit discumbentibus. » Quotidie quidem Dominus Jesus sequentibus se, unicuique juxta beneplacitum gratiæ suæ panem cœlestis doctrinæ distribuit, hoc præcipiens universis, ut discumbant super fenum, id est, ut reprimant vitia carnis. Quia videlicet « omnis caro fenum et omnis gloria ejus tanquam flos feni (*Isa.* XL), »

Quando autem sacram Scripturam, quæ ut prædictum est, per panes istos figuratur, in manibus suis acceperit, recte quæritur et citius invenitur. Tunc enim illam, videlicet sanctam Scripturam, qua nos pascit, in manibus suis accepit, quando ipse juxta Joannis Apocalypsim **190** verus Agnus assistens in medio throni, et quatuor animalium et seniorum, id est, in medio Ecclesiæ, homo factus apparens in testimonio doctorum omnium veterum pariter et novorum, tanquam occisus, imo revera occisus, sed denuo vivus, habens cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram, ab ipso recepto in cœlum, venit per incarnationis mysterium et passionis ac resurrectionis suæ triumphum, usque ad dexteram sedentis super thronum ; et sic veniendo vel eundo accepit librum de dextera sedentis super thronum, et aperuit illum (*Apoc.* V), id est, universam Scripturam sanctam divinitus inspiratam, de divina potentia suscepit in semetipso complendam, cujus videlicet tota circa salutem nostram in natura hominis assumpta, dispensatio prædicti libri apertio, id est, sanctarum Scripturarum adimpletio est. Non enim intelligerentur Scripturæ, nisi in illo fuissent impletæ. Tunc ergo Scripturarum panes in manibus suis accepit Dominus Jesus, quando secundum Scripturas incarnatus passus est, et resurrexit : tunc, inquam, acceptis panibus gratias egit, quando ita, ut dictum est, Scripturas implendo, semetipsum obtulit Patri, in sacrificium gratiæ et veritatis. Igitur acceptis panibus « cum gratias, inquit, egisset, distribuit discumbentibus. » — « Similiter et ex piscibus quantum volebant. » Item tam de Moyse quam de omnibus Prophetis et Psalmis, populum suum sufficienter instruxit, « aperiens illis sensum, ut intelligerent

A Scripturas, primum illis apostolis, deinde per ipsos (*Luc.* XXIV), » imo qui eamdem gratiam, qua et ipsis successoribus vel auditoribus eorum sufficientia de Lege et Prophetis et Psalmis adinventa subministrant evangelicæ fidei. Unde in cæteris evangelistis signanter expressum legimus : « Quia cum benedixisset et fregisset, dedit discipulis suis panes, discipuli autem turbis (*Matth.* XIV ; *Marc.* VI ; *Luc.* IX.) »

« Ut autem impleti sunt, dixit discipulis : Colligite, quæ superaverunt fragmenta ne pereant. » Magnum quidem in facto exteriori divini beneficii est miraculum, verumtamen quotidianis operibus Dei non magis admirandum. Majus enim totius mundi gubernatio est miraculum, quam de quinque panibus saturatio quinque millium hominum. Itaque B non tam mirandum erat vel est, hoc facere potuisse Deum, quam gaudendum illum, qui hæc facere posset, venisse in hunc mundum, hominemque factum esse verum Deum Dei Filium. Illud quoque reverenter audiendum et diligenter observandum est, quod ait : « Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant, » non solum in dispensatione Verbi Dei (in quo maxime cavendum est, ne nimis importune et absque discretione infirmis aut fastidiosis auditoribus ingeratur) verum etiam in usu vel victu panis hujus visibilis, quo corpus pascitur, curandum est ne nobis saturatis pereat, quod esurientibus potest prodesse pauperibus. Cujus enim, nisi Dei donum est panis quoque iste, quo carnaliter reficimur ? Non ita simus incauti pensatores divinæ altitudinis, ut cum dicimus Patri secundum instituC tionem Filii sui : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Luc.* XI), » non arbitremur panem istum visibilem quo sustentamur in corpore, et hanc solemnem petitionem vel ad curam tanti Patris pertinere. Quis enim vice ejus habet curare, si curam ipse habere non dignetur de sustentatione hujus miseræ vitæ nostræ ? Proinde cum dicimus : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » triplicem debet panem nostræ devotionis humilitas intendere. Primum, scilicet panem (*Deut.* VI ; *Matth.* IV) spiritualem, id est omne verbum quod procedit ex ore Dei, quo noster homo interior vivit. Deinde panem Dominicis corporis, quo interior simul et exterior homo in vitam æternam convalescit, et subinde panem carnalem, quem et ipsum idem Deus et Pater D omnium, homini immerito de terra producit, operanti terram in sudore vultus sui (*Gen.* III), qui nisi peccasset poterat absque labore frui ultroneis paradisi deliciis. Siquidem et ipse Dominus præsentibus turbis omnem hujus triplicem panis largitatem eodem tempore aperuit. Loquebatur enim illis de regno Dei, quod est panem spiritualem frangere esurienti. Refecit eos carnalibus epulis, et deinde prædicavit eis ut esurirent et sitirent cibum et potum sanguinis sui. Igitur quod nunc ait : « Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant ; » reverenter, ut prædictum est, audiendum et diligenter est observandum in omni pane quem tripliciter, ut jam dixi-

mus, vitæ nostræ et saluti gratia ejus providit, videlicet ne sublimia nimium et fortia prædicemus infirmis, ne indignis indiscrete tradamus Eucharistiam Dominici corporis et sanguinis, ne abundantiam nostram in carnalibus cibis, quæ aliorum inopiam supplere possit, aut in superfluitate abutamur, aut per incuriam perire patiamur.

« Collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum et quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerant his qui manducaverant. » Redarguta ergo discipulorum est tarditas et fides adhuc permodica, qui dicebant : « Ducentorum denariorum panes non sufficere eis, ut unusquisque modicum quid acciperet ; » et de quinque panibus ac duobus piscibus, « sed hæc quid sunt inter tantos? » Imo et juxta alios evangelistas, consilium incompetens dabant omnipotenti misericordiæ et misericordi omnipotentiæ dimittere turbas ut irent in castella villasque proximas, et emerent sibi escas (*Matth.* XIV ; *Luc.* IX). Acrius vero et multo maxime redargutus est ille nullius fidei puer, Judaicus populus, sensu parvulus et malitia nimium vetus, ut ad æmulationem adduceretur in non puerum, in puerum insipientem, dum videt panes divinæ Scripturæ, quos volebat solus portare, nec tamen curabat manducare sibi abbatos et toti mundo communicatos. Juxta quod idem Dominus noster alibi dicit : « Amen dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI), » videt et invidet, saturatas esse suis panibus gentes, quarum refectionem, id est, æternam refectionem odit, et inter comedendum ora manusque crescere jugiter medulam hordei, ita ut armaria conviventium plena sint explanationum libris, cujus videlicet plena sint explanationum libris, cujus videlicet hordei paleam asperrimam ore languido famelicus lambit et puerili dente rodit. Cur autem in duodecim cophinos magis quam in alium numerum fragmentorum abundantia succrevit? videlicet quia duodecim erant apostoli, numero suo præfigurantes universos sanctæ Ecclesiæ doctores, quorum fideli ministerio tractandus erat vitalis iste Scripturarum panis (*I Cor.* III). Constat vero nec dubium esse sinit veritas promittentis, quod omnis « servus fidelis et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis cibum in tempore (*Matth.* XXIV), » cum ita fecerit, præmium condignum reportabit. Et, juxta aliam parabolam quia habuit, « dabitur ei et abundabit (*Luc.* XIX). » Igitur quia et « unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (*I Cor.* III ; *V. Psal.* LXI), » recte saturatis omnibus duodecim fragmentorum cophini superfuerunt, ut unusquisque discipulorum **191** qui ministraverant, suum reportaret cophinum. « Illi ergo homines, cum vidissent, quod fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum. » Et nos igitur de quibus scriptum est : « Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum (*Psal.* XXI) ; » nos, inquam, qui requisivimus eum

A trans mare baptismi sui illum secuti, nunc interim in hac regione deserti, triplici, ut prædictum est, pane ab illo quotidie refecti, laudemus illum vera laude dicentes : « Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum, » quia magnum et evidens fecit nobis signum (*Psal.* XXXIX), superatis aquis, quæ intraverunt usque ad animam ejus, id est, victa morte, quia ressurrexit, et in cœlum ascendit, misitque nobis famelicis gratiam suæ benedictionis, scilicet Spiritum sanctum quo panes suos multiplices nobis manducabiles, id est, Scripturas sanctas intelligibiles fecit, et hoc modo misit in os nostrum vocem confessionis, canticum laudis, hymnum novum gratiarum actionis. Nos enim adventitiæ et peregrinæ gentes, id est nos, inquam, sumus illi
B quibus Psalmus dicit : « Dicant nunc (*Psal.* CXVII), » qui redempti sunt a Domino, quos « redemit de manu inimicis (*Psal.* CV), » de regionibus congregavit eos : Nos denique errabamus in solitudine, in inaquoso (*Psal.* CVI), soli sine Deo, procul a civitate Dei, in siccitate, aquam non habentes supernæ sapientiæ, viam civitatis, id est, auditum regni Dei, non invenientes, sed nec quærere scientes, esurientes et sitientes, et animæ nostræ in malis tabescebant, ipsam suam inopiam nescientes præ turbatione et ebrietate, qua omnis sapientia nostra devorata est. Dicamus itaque : « Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. » Vere enim non cecidit in terram unum verbum ex omnibus quæ locutus est, quæ de seipso prædixit, quæ nobis pollicitus est. Et ex his quæ jam facta sunt, scimus
C indubitanter et illud quod futurum est, quia « venturus est in mundum, » scilicet ad judicandum omne sæculum, ad regnandum in sæcula sæculorum (*II Tim.* IV). Attamen illi homines, qui viderunt hoc signum et hæc de illo dixerunt, non eo sensu dixerunt ; sed cum essent carnales, temporali ejus beneficio delectati, quod tamen mirabiliter fecit, ita dixerunt : « Qui venturus est in mundum, » ac si dicerent : Qui hujus mundi gloriam, et temporale jamjam nobis viventibus accepturus est regnum Judæorum. Nam sequitur :

« Jesus ergo cum cognovisset quod venturi essent, ut raperent eum et facerent super se regem, fugit iterum in montem ipse solus. » Videlicet dili-
D gentes hoc sæculum, et sapientes ea quæ carnis sunt, hoc in illo amaverunt, quod prædicto miraculo experti sunt, scilicet posse illum omni ubertate rerum pascere populum suum, locupletare regnum Judæorum, totumque divitiis vincere vel acquirere mundum, et ad hoc venisse illum quondam promissum et expectatum Regem magnum, Regem invictum, dominaturum « a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (*Psal.* LXXI). » Et audebat turba quinque millia hominum inconsultis principibus (si tamen consulendi essent, et secundum Deum consulere scirent), audebat, inquam, unius Agni fiducia, qui et ipse longe aliud intendebat, conspirare ad incursandum universum

mundum, magnam atque silvam ferarum frementium, illamque terribilem et fortem nimis bestiam se posse capere præsumebat, quæ juxta Danielem comederat atque comminuerat, et nunc reliqua pedibus suis, nemine resistere audente, conculcabat (*Daniel.* VII). At ille non venerat reges occidere, sed regibus ipsis regni cœli scientiam prædicare; non regna terrarum tributis et vectigalibus premere, sed quod deerat regibus et populis, de thesauro regni cœlorum vitæ æternæ donaria proferre. Longe alium debellaturus erat hostem, quam Tiberium Cæsarem, aliamque capturus bestiam quam Romam, tunc temporis Judæorum dominam. Igitur veram quidem laudem illi homines declamaverunt dicentes : « Vere hic est Propheta qui venturus est in mundum, » sed « beatus populus qui scit jubilationem (*Psal.* LXXXVIII). » Illi, qui gustaverunt bonum Dei verbum quod per illum panem significatum est, unde isti homines saturati sunt (*Hebr.* VI); qui, inquam, gustaverunt virtutes futuri sæculi, quo iste Propheta magnus revera « venturus est in mundum, » alio sensu laudem eamdem ructuant, aliter ad Deum currunt, alio longe desiderio festinant ad ejus regimen, et alio modo regno Dei vim faciunt, et per violentiam diripiunt (*Matth.* XI), quotidie dicentes in oratione. « Adveniat regnum tuum (*Luc.* XI). » Cæterum non valde mirum, homines populares illius temporis (quod et apostoli sperabant, quod ipse esset restiturus temporales regnum Israel) ita sensisse de illo magno rege Israel (*Act.* I), cum usque hodie quam plurimi ex eis, qui magnifice prædicant spirituale Christi regnum, et optime per scientiam noverunt, quia regnum ejus non est hinc, persæpe propter solum temporalem cibum qui perit, currunt et rapiunt Christum, et inclamant eum regem suum jurgantes fortiter, et ejus domui, quæ est Ecclesia, vim inferentes (*Matth.* XIV; *Joan.* XV). Quantas enim turbas hujusmodi homines regi Christo, et regno ejus præsenti Ecclesiæ fecerunt? Videas plerosque sacerdotes cæterorumque ordinum sacri altaris ministros, tanto tumultu ac strepitu officia regni Dei præripere, quanto vix solent chiliarchi, centuriones sive pentarchi, pro temporalibus regni honoribus strepere, invicemque adversari et invidere. De qualibus utique tam acerrime quam verissime potest dici, quia omnes, quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Jesus ergo illud præsens tunc cognoscens, et istud prænoscens quid fecit? « Cum cognovisset, inquit Evangelista, quod venturi essent, ut raperent eum, et facerent regem super se, fugit iterum in montem ipse solus. » Plane hoc faciendo, et illos quidem homines de manu Cæsaris vel tetrarchæ ejus Herodis liberavit, contra quos illis advocatus esse non deberet, si extra fidelitatem debitam quidquam, tanquam pro se facerent, præsertim cum diceret eis : « Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo (*Matth.* XXII), » et seipsum calumniam pati non permisit. Quam etiam pro nulla occasione sagittarii malitiæ compo-

A suerunt, ut sagittent in occultis immaculatum (*Psal.* LXIII), dicentes Pilato : « Quia regem se fecit, omnis qui seipsum regem facit, contradicit Cæsari : si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX). » Quanto magis, si non præoccupasset eos fugiens, si sustinuisset donec illum raperent et regem conclamarent, occasionem calumniæ rapuissent adversarii? Plane hoc adjecissent, dicentes, quia ut secum conjurarent, illos in desertum locum eduxisset. Verum per hoc ipsum quod fugit, altius quid mystice innuit. Quia qui Christum propter aliud, quam propter ipsum sequuntur, fugit ab eis Christus, fugit veritatis Spiritus, sicut ab illo damnato Simone fugit, offensus eo, in quo totus erat, felle amaritudinis (*Act.* VIII). Quo autem fugit ab istis? in montem, in summam, cœli altitudinem. Illuc fugit, illic

B se abscondit ab his, illic se continet a raptoribus et grassatoribus istis, non quod illuc ante impetum ipsorum non ascenderit, sed quia non inde super illos ulla donorum suorum parte respicit, **192** et circa viles sarcinulas occupatos, scilicet ventri et turpi lucro deditos (*I Cor.* VI), despiciens solis illis se impendit, nec nimis alte se ab illis submovet, qui dicere possunt : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*I Tim.* III; *Philipp.* III). » Nec mora palam omnibus est, quod ab illis Christus fugerit, quod illos Spiritus Christi reliquerit. Turbatur namque turba, et facit hæreses et schismata : sed hæc postmodum melius declarabunt sequentia. Sequitur :

« Cum sero autem factum esset, descenderunt discipuli ejus ad mare. Et cum ascendissent navim,

C venerunt trans mare Capharnaum. » Alius evangelista refert manifestius, hoc factum esse jubente Jesu. « Jussit, inquit, Jesus discipulos suos ascendere in naviculam, et præcedere cum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare (*Matth.* XIV). » Ascendentibus navim discipulis, et tempestatem passuris (*Psal.* LXVIII), ipse Christus, quem trans ipsum mare fuerant secuti, simul non ascendit, sed in montem remanet, quia videlicet postquam semel fluctus nostræ mortalitatis transiit, et aquæ mortis semel intraverunt usque ad animam ejus, jam ad ipsas passionis aquas non revertitur : « Resurgens quippe ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* IX). » At vero nos, qui illum

D transeuntem aquas secuti sumus, baptizati videlicet in morte ipsius, consepulti cum illo per baptismum in morte (*I Cor.* X); nos, inquam, aquas adhuc multas transire et mare longum arare debemus, id est, tempestates tribulationum aut certe vitiorum pati, quas et constanter ferre et superare jubemur, ad omnes tentationes præparati. Bene ergo, ut Matthæus evangelista testatur (XIV), hoc ipsum jussit Dominus Jesus significans, quod et illi discipuli ejus, et quicunque vellent illum pie vivendo imitari, se recepto in montem cœli, laboraturi forent in fluctibus sæculi, probandi ad aquas contradictionis, et exaudiendi in abscondito tempestatis, ad quos

videlicet fluctus non esset ipse reversurus cum eis, A nisi per præsentem omnipotentiam auxilii sui. Quia vero et hoc idem evangelista non solus dixit, quia orare in montem ascendit, prætereundum non est, quia nec tunc, cum adhuc mortalis esset oravit, nec modo cum immortaliter regnat a dextris Dei, interpellat pro nobis (*Rom.* VIII) absque maxima distantia omnimodæ orationis qua homo orare Deum debet (*I Tim.* II), aut unquam debuit. Quam videlicet orandi distantiam Lucas quodam loco exprimens: « Et erat, inquit, pernoctans in oratione Dei (*Luc.* VI), » videlicet cum esset Filius, Deum Patrem reverenter orabat, Deus ipse reverendus et pro sua reverentia exaudiendus, cujus vita et mors sacrificium pro nobis et jugis oratio exstitit (*Hebr.* II). Immortalitas autem ejusdem nunc idoneum nostræ fiduciæ patrocinium est, in qua non jam, ut oret, B prosternitur, sed sedens ad dexteram majestatis in excelsis (*Hebr.* I), in eo pro nobis recte interpellare dicitur (*Rom.* VIII), quod in semetipso nostram Deo Patri substantiam semper præsentat fidelis perorator, justusque ac potens advocatus (*I Joan.* II). « Cum, inquit, ascendissent navim, venerunt trans mare Capharnaum. » Hoc secundum regulam quam Tichonius recapitulationem appellat, intelligendum est. Prius enim anticipatur quod trans mare Capharnaum venerint, deinde narratur qualiter venerint. Sic illud in Genesi per anticipationem dicitur: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos (*Gen.* I). » Posterius namque narratur qualiter primo hominem de limo terræ formaverit, ac C deinde unam de costis in mulierem ædificaverit. Item cum dixisset Scriptura (de generationibus filiorum Noe loquens): « Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguas et familias in nationibus suis (*Gen.* X), » inferius narrat qualiter divisæ sunt, dicendo: « Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem. Cumque proficisceretur de oriente (*Gen.* XI), » etc. Sic, inquam, et hoc loco rei gestæ anticipatur, moxque ipsa res gesta hoc modo narratur.

« Et tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad eos Jesus. » Ac si dicat, sicut dixi: Quia cum sero factum esset, ascenderunt discipuli ejus in navim, item et nunc dico: Quia tenebræ factæ erant quando ascenderunt in navim, « et non venerat ad eos D Jesus, » quia videlicet in monte remanserat, quo, sicut ante jam dixi, propter turbam fugerat ipse solus. « Mare autem, magno vento flante, surgebat. » Hoc et tunc factum est, et sæpe fit, ut vento elementari flante, mare exsurgat, et quanto vehementior flatus inhorruerit, tanto magis intumescat, vagasque undas collidat et involvat. Tunc deprehensa in fluctibus navicula, nunc in cœlum erigitur, nunc in abyssum demergitur (*Psal.* CV), et, ut ait quidam:

Nubila tanguntur velis, et terra carina.

At vero tempestas illa, tanto miraculo Domini super aquas ambulantis sedata, sæculi turbines significat quas nunc Salvator calcat et mitigat, quando clamanti ad se Ecclesiæ pacem et quietem in tempore opportuno reformat. Igitur ventus magnus, ventus urens, est diabolus, quem et per ventum Aquilonem sancta Scriptura significare consuevit, qui tunc habens iram magnam vehementius flavit (*Jer.* IV), et corda malorum amplius furore suo turbavit, quando naviculam discipulorum Christi, scilicet sanctam eius Ecclesiam, vidit agi per mare hujus sæculi.

« Cum ergo remigassent quasi stadiis viginti quinque aut triginta, vident Jesum super mare ambulantem, et proximum navi fieri, et timuerunt. » Matthæus evangelista dicit, quia quarta vigilia Dominus ita venerit (*Matth.* XIV). Est autem quarta vigilia noctis fere pars ultima, quia videlicet quatuor sunt vigiliæ, tribus horis per singulas deputatis, quas castrorum vigiles lege militari commutando excubias, et vicissim vigilando servare consueverant. Igitur et in hoc mysterium est, quod discipuli tempestatem passuri vespere ingrediuntur, et mane Salvatoris adventu visitantur. Quia a vespera persecutionis vel peccati adversitate, mane vero pacis vel justitiæ passim in Scripturis significat prosperitatem, juxta quod ait Psalmista: « Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia (*Psal.* XXIX), » id est, secundum peccatum Adæ (*Gen.* III), qui post meridiem declinante jam die, requisitus et peccator inventus est, demorabitur adversitas mortalitatis, et secundum Christi justitiam, qui destructo peccato per mortem suam (*Hebr.* II), matutino surrexit, lætitia succedit immortalitatis et incorruptionis. Sane quod ait: « Cum remigassent quasi stadiis viginti quinque aut triginta » magnitudinem spectat miraculi, quod cum illis ascendentibus navim Jesus non venisset ad eos, tanto spatio usque ad illos super mare ambulaverit. Nam cum littora curva sint, et nonnullis in locis latus continentis tenuem producat in æquore linguam, quocunque ex tractu littoris Jesus mare ascenderit magno satis spatio super aquas ambulavit. Si de sinuoso littoris secessu ascendit, triginta stadiis ambulavit, si magis introrsum productum littus tenuit, viginti quinque stadiis mare ambulando calcavit.

Item si mysticum sensum hic in istis numeris attendere libet, quando in tentationibus subvenit, sive a perfectione boni operis sive a fide quoque sanctæ Trinitatis, ut persecutionibus exturbatos visitet, grandem cursum suæ dignationis **193** perficit, et a longe dejectos in profundum animos de longinquo æternæ stabilitatis suæ littore, auxiliatrix gratia procurrit. Nam viginti quinque stadiorum numerus, cum totus sit quadratus ex quinario in se ducto compositus (quinquies enim quinque viginti quinque faciunt) perfectionem boni operis intrinsecus significat, quod quinque sensibus corporis perficitur, et quinque libris Moysi commendatur. Tricenarius autem numerus, quem secunda unitas, id est, denarius perficit, tertio re-

petitus, evangelicam Trinitatis fidem recte figurat. Itaque dum Christiano vi persecutionis vel occultæ tentationis a bono opere depulso Christus subvenit, quasi viginti quinque stadiis elongato et abstracto subvenit: cum autem ei, qui fidei quoque damna incurrit, miseratus appropinquat, quasi triginta stadiis longe jactatam naviculam liberat. Et timuerunt, inquit, imo præ timore clamaverunt juxta alium evangelistam, quia putaverunt, quod phantasma esset.

« Ille autem dixit eis : Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo eum accipere in navim, et statim fuit navis in terra ad quam ibant. » Hoc loco hic evangelista prætermittit, quod Matthæus non tacuit, quia Simon Petrus magnæ fidei et dilectionis ardens erga Dominum Jesum : « Domine, inquit, si tu es, jube me venire ad te super aquas, » et illo dicente : « Veni, descendens de navicula ambulabat super aquas, ut veniret ad Jesum (*Matth.* XIV). » Hoc contra suos inimicos quosdam hæreticos (qui ab erroris sui qualitate, Phantastici dicti sunt) veritas utiliter providit, ne deesset Christianæ fidei os aut spiritus, quo phantasticam quoque blasphemiam leviter exsufflare posset. Fuerunt autem hæretici, qui Dominum nostrum non verum et solidum, sed phantasticum corpus habuisse dicerent, hoc argumento nimis infirmo abutentes, quia super aquas ambulavit. Si, inquiunt, super aquas ambulavit, phantasticum et non verum corpus fuit. Hoc dixerunt tam imperiti quam impii, tam hebetes quam audaces. Nam ejusdem auctoritatis veritas, ejusdem et eadem veritatis auctoritas, Petrum refert ibidem super easdem ambulasse aquas, et non ante cœpisse mergi quam timeret (*Matth.* XIV), videns ventum validum venientem, fortassis in signum et portentum futuræ negationis, quia dicturus erat, flante magno vento diaboli in prætorio diaboli : « Non novi hominem, nescio quid dicis (*Matth.* XXVI). » Consequitur ergo, ut Petrum quoque verum fuisse hominem, verumque corpus habuisse denegent, quia et ipse super aquas ambulavit easdem. Sed Petrum verum fuisse hominem, imo purum hominem, id est, solummodo hominem, non etiam Deum fuisse, negare non poterant. Consequebatur ut hostes et negatores veræ humanitatis Christi obmutescerent, quia non poterant uno eodemque pro facto, de Christo et Petro contraria rationabiliter prædicare, scilicet unum ambulantem super aquas, verum et purum hominem exstitisse, alium autem, quoniam idem fecisset, verum hominem non esse, verum corpus non habuisse. Tandem discipulis Jesu tranquillitate reddita, optato littore potitis, cum enim vellent eum accipere in navim, « statim, inquit Evangelista, fuit navis ad terram ad quam ibant. » Notandum diligenter est, quadrifariam distinctas miserorum necessitates, et nihilominus quadrifariam distinctionem misericordiarum Domini confitentium illi (quas in psalmo centesimo propheta contexuit) in his Domini nostri factis eodem ordine præfiguratas esse, quo idem propheta illas dulcisona digessit confessione. Propheta namque spirituali oculo prævidens gratiam Dei, in tempore beneplacito vocantis, justificantis et magnificantis eos, quos præscivit et prædestinavit (*Rom.* VIII), conformes fieri imaginis Filii sui, nosque intuens, qui « a solis ortu usque ad occasum, ab aquilone et mari, » longe a Deo eramus dispersi, primam vocationem nostram Domino confitens : « Erraverunt, inquit, in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos (*Psal.* CVI). » Quod utique in eo fit quod per regenerationem aquæ et Spiritus sancti deducimur in viam rectam, ut eamus in civitatem habitationis quam aliter invenire non possemus, sicut ipse ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* III). » Hoc autem præfiguratum in eo supra dictum est, quod abeuntem Dominum trans mare Galilææ, multitudo magna est secuta. Secunda distinctio misericordiarum in psalmo hæc est : Quia « contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit (*Psal.* CVI), » id est, actualia peccata quæ post baptismum quamplurimi lethaliter incurrunt, præ suæ fortitudinis spiritu ad pœnitentiam peccatores excitando dissolvit, suscipiens eos de via iniquitatis eorum, mox ut propter injustitias suas humiliantur et assumunt pœnitentiæ luctum. Item et hoc in eo præfiguratum est, quia « faciebat signa Dominus noster super his qui infirmabantur, » ut videntes turbæ, celerius se sequerentur. Tertia nihilominus earumdem misericordiarum confessio illorum est, qui famem simul et tædium habentes audiendi verbum Dei, cum fuerint prius et per baptismum ab omni peccato, et postmodum per pœnitentiam ab iteratis criminibus justificati, rursus appropinquant morti, obliviscentes manducare panem suum, id est, præ tædio non valentes aspicere illum, in quo vere vivit homo, panem Scripturarum (*Deut.* VI). De quibus continuo Psalmus prædictus ita subjungit : « Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis (*Psal.* CVI). » Non enim sicut fames panis ejus, quo solus exterior homo vivit, sic se habet fames quoque panis spiritualis, qui est sermo Dei. Siquidem in fame panis hujus corporalis grave desiderium est, in saturitate fastidium ; in fame autem panis illius, id est verbi Dei, grave est fastidium, in saturitate desiderium. Bene ergo de ejusmodi dictum est : « Omnem escam abominata est anima eorum, quia videlicet siliquas gentilium poetarum, aridumque et vacuum Tullianæ facundiæ fenum, tanquam grandes delicias esuriunt, Scripturas autem prophetarum et sanctorum Patrum tanquam inanem paleam fastidiunt (3). » Quod quidam magnus Divini conviva sermonis jam effectus, si quando, inquit, in memetipsum reversus, Prophetas legere tentassem, sermo horrebat incultus,

(3) Verba Hieronymi.

quia lumen cæcis oculis videre non poteram, quod A tamen non oculorum culpam putabam esse, sed solis. Sed de hujusmodi quoque necessitatibus ac tribulationibus Dominus, ut in his quoque confitentur illi misericordiæ ejus, liberavit eos : « Et misit, inquit, verbum suum et sanavit eos et eripuit eos de interitionibus eorum (*ibid.*), » ut panem Scripturarum et ipsi manducantes et aliis frangentes, sacrificarent sacrificium laudis et annuntiarent opera ejus in exsultatione. Et hoc maxime in supradicto miraculo significatum est, dum de paucis panibus refecti homines illi hoc opus laudaverunt et annuntiaverunt, « quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum. » Quartum necessitatis periculum, vel quarta confessio misericordiarum, rectorum vel prælatorum sanctæ Ecclesiæ est, qui dum inquietis turbis præ- B sunt, multis curarum persecutionumque **194** fluctibus tribulantur, tandemque auxilio Domini visitantur, et de necessitatibus educti suis magnifice lætificantur. Ipsi namque sunt de quibus continuo Psalmista : « Qui descendunt, inquit, mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo (*ibid.*). » Horum periculum, id est spiritus procellæ, dicente, id est, permittente Domino, stat et invalescit ut exaltentur fluctus ejus, ut qui nunc per contemplationem ascendunt usque ad cœlos, repente descendant usque ad abyssos seditiosis turbis agentibus, turbenturque et moveantur sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devoretur (*ibid.*). Nam et Moysi sapientia tali conturbatione devorata est, quia C exacerbaverunt spiritum ejus, et distinxit in labiis suis, quia videlicet solita fide tunc non est locutus ad aquas contradictionis. Horum, inquam, periculum et subvenientium misericordiarum laudabile miraculum in eo significatum est, quod discipulis navigantibus, ut prædictum est, « mare magno vento flante surgebat, » et Dominus ambulans super aquas, veniensque ad eos, statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus, et lætati sunt, quia siluerunt, et deduxit eos in portum voluntatis eorum (*Psal.* cv). « Statim » enim, ut prædictum est, « fuit navis ad terram ad quam ibant. » Sequitur :

« Altera die, turba quæ stabat trans mare vidit, quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis in navim, sed soli discipuli ejus ascenderant. Aliæ vero supervenerunt D naves a Tiberiade, juxta locum ubi manducaverunt panem, gratias agentes Domino. » Vidit, inquit, turba quia navis alia non erat ibi, nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Jesus. Hoc aperte dictum est. Sed quando hoc turba illa vidit? « Altera, inquit, die, » videlicet quando nec ipsa navicula jam ibi erat, utpote quam præcedente vespera discipuli sui ascendentes, ut supra dictum est, venerunt Capharnaum. Ergo non corporali tunc visioni, sed visu vidit memoriæ. Igitur simplici quidem elocutione, sed aperta satisque clara significatione sanctus Evangelista nobis innuit turbam illam multum attonitam, valde sollicitam trans mare stetisse, et comperto a supervenientibus quod Jesus cum discipulis suis esset trans mare in altera parte, conjecturali collatione miraculum quod non viderant investigasse, videlicet præterita respiciendo, scientes nullam aliam naviculam ibi stetisse, Jesum autem, cum discipulis suis non ascendisse. Igitur aut pedibus illum super mare ambulasse, aut in modum Eliæ, quem Spiritus Domini plerumque de loco ad locum transferebat (*I Reg.* xviii), istum quoque, quem vere magnum Prophetam esse paulo ante dixerant, Spiritu Domini trans mare raptum fuisse.

« Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt naves et venerunt Capharnaum quærentes Jesum. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti? » Ergo, inquit, quia aliæ naves supervenerunt, et sic transfretandi facultatem habuerunt ad quærendum Jesum, ascenderunt ut quærerent eum, et invento : Quando, inquiunt, huc venisti? non ausi dicere : Quare huc tam cito venisti? Nam intentionem qua illum quærebant, vel consilium quod in deserto conceperant, ut raperent eum et facerent regem super se, tutum fore nondum arbitrabantur, in civitatibus prodere, quippe nondum confirmati, nec consensu ejus animati, ut postulabat negotium tantæ rei. Maluissent ergo tardasse illum in deserto, donec acclamato vel sublimato super se rege, datisque sacramentis militaribus, bellicisque ordinatis functionibus, primum in ipsum tetrarcham Galilææ Herodem, deinde in cæteros regni Judaici tetrarchas armati signa inferrent, sicque liberato regni Davidici solio, Romam ipsam cum toto, quod sub illa erat mundi imperio, tanti principes facti rege suo præeunte subjugarent, sicque implerent prophetiam dicentem : Et possidebit domus Jacob, qui se possederant. « Respondit Jesus et dixit : Amen, amen, dico vobis, venistis ad me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis. » Fidei quærenti intellectum eorum quæ ab hoc Veritas dicere incipit, ante omnia scire convenit (in quantum possibile est) qua intentione ea dixerit, illamque præ oculis habere, ut in luce ejus faciem agnoscat, ejusque verbi qualis sit, et adversus omnem corporis et sanguinis Christi inimicum, hæreticum judicare vel discernere queat indubitanter, qualis non sit. Est autem hoc in ejus intentione considerandum quod eadem via, per quam vita exclusa, morsque admissa est, mortem excludere, vitamque homini reducere parat, scilicet per credulitatem rei, quam constat invisibilem esse, nec humana ratione posse comprehendi. Scimus enim quia primi parentes nostri acquieverunt diabolo mendaci, et mendacium (cujus ipse pater est) loquenti ac dicenti: « Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quia quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*Gen.* iii). » Nunquid dixerunt, Quomodo potest hoc lignum oculos nostros aperire, scientiam boni et

mali afferre, deos nos efficerent? Hoc igitur sciendum est quia quemadmodum peritus medicus secundum morbi naturam, quam novit, antidotum temperat, et dicit ægrotanti, quia tale venenum bibisti, vel talem herbam aut quamlibet rem malam comedisti, nisi hoc illi contrarium sumpseris, vivere non poteris. Sic Auctor vitæ, cum dicit : « Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. » Hoc per summam justitiam intendit ut, quantum homo mendacio credidit, tantum credat veritati ; quantum credidit deceptioni superba præsumptione, tantum credat redemptori humili subjectione, tanto fide comedat panem, et bibat calicem Christi, quanta infidelitate comedit fructum vetitæ arboris, ut de isto credat plus quam videre possit, qui de illo plus quam videbit, et omnino plus et aliud quam esse poterat, nulla ratione adductus credidit. Sed jam ad ipsa vitæ æternæ verba veniendum est : « Amen, amen dico vobis, inquit, venistis ad me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis. » Rex iste, qui non ab hominibus fit, sed homines ad regnum suum colligit, non reges de soliis suis ejicit, ut sedeat ipse pro illis, sed cupiditatem evertit, et charitatem construit in cordibus nostris. Nam quod istis hominibus dicit, omnibus cupiditatis satellitibus dicit ; in quibus tametsi Christum sequi vel Deum quærere videantur, tamen tunc vere cupiditas regnat, si Deum propter aliud quam propter ipsum quærunt aut sequuntur. Cum igitur audimus dicentem regem istum : « Venistis ad me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis, » ad cor suum quisque nostrum redeat et interroget semetipsum, qua mente ad thronum vel mensam ejus adeat, id est, quid desiderans ad sanctum altare ejus accedat. Sunt illic signa quæ fecit Jesus, sunt et panes quibus qui accedunt, pascuntur, et qui nihil aliud esuriunt, saturantur. Signa quæ facta sunt super his qui infirmabantur, illa sunt **195** quibus sanamur, mysteria incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Qui propter hæc veniunt gaudentes et gratias agentes, quod ea videre meruerunt tempore quidem præterita, virtute autem semper præsentia, et sancto desiderio pascuntur in his, non illos tanquam raptores suimet rex Christus refugit, sed ille cives et domesticos suos agnoscit (*Ephes.* II), ut faciat illos invenire quod quærunt, quia jam intra illos est regnum Dei (*Luc.* XVII), jam sunt ipsi intra regnum charitatis. Panes autem regis ejusdem Christi ; panes, inquam, multi non unus panis ; non enim de illo uno pane qui est ipse Christus, sed de panibus ejus nunc agitur. Panes ergo Christi regis sunt illi, qui pro mercede constituti, justa et antiqua lege debentur his qui altario deserviunt (*Deut.* XXV). Qui soli huic mercedi inhiant et ob hanc solam sacri altaris ministerio se ingerunt, raptores regis et pervasores regni sunt, importunum ornantes solium, intempestivum por-

A tantes subsellium (*I Cor.* IX). Dicit ergo Rex tam acriter quam sapienter : « Amen, amen dico vobis, venistis ad me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. » Ac si dicat : Vos utique non me, sed mea diligitis ; non quod ego sum, sed quod est sub me, quæritis, non mei sed mensæ meæ vos estis amici. « Manducatis ex panibus » meis, et sufficit vobis, « saturati estis. » Non enim justitiam esuritis aut sititis, sed solo ventre ducimini, solam curam carnis facitis in concupiscentiis (*Rom.* XIII). Et hæc est beatitudo vestra, totaque saturitas, ingredi pompatice domum Domini, comedere « agnum de grege, et vitulos de medio armenti (*Amos.* VI). » Cum nihil aliud quærentes canitis ad vocem psalterii, sicut David putavit vos

B habere vasa cantici, et nihil patimini super contritione Joseph. Vere enim non compatimini ; neque compassione charitatis pascimini in contemplatione signorum quæ videtis, id est mysteriorum quæ in altari commemoratis, nihilque omnino patimini super contritione dicentis : « Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis (*Matth.* XXVI). » Quid igitur dicam, quo facto, regem, quem quæritis, non rapaci cupiditate, sed ordinata charitate apprehendere possitis.

« Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. » — « Operamini, inquam, non cibum qui perit. » Cibus ille quo saturati estis, propter quem vos ad me venitis, ut iterum saturemini ; quia iterum esurienti quotidie perit, et quoties intrat in os, toties in ventrem vadit ; « in ventrem »

C inquam, et non in mentem « vadit, et in secessum emittitur (*Matth.* XX), » et sic perit. Talem cibum non dico, ut operemini, non commoneo ut pro illo solliciti sitis, non invito vos, ut propter illum ad me veniatis. Non enim ad hoc, in hunc mundum veni, ut impleam horrea vestra saturitate hujusmodi, et vino torcularia redundent, ut de amplius « graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis sæculi (*Luc.* XXI ; *Matth.* VI). » Jam quippe sufficit diei vestro malitia sua hæc, ita ut diem illum prævidere non possitis, qui tanquam laqueus superveniet universo orbi, sed illum potius cibum dico ut operemini, « qui permanet in vitam æternam, » id est, qui in hac mortali vita manducatus, ad hoc valet, ad hoc proficit, ut vitam det mundo æternam. Hunc talem

D cibum operamini, « quem Filius hominis dabit vobis. » Dabit, inquam, non debit, ne forte talem cibum vel tales cogitetis panes, quales manducastis, ut prædixi, et saturati estis, quia videlicet non aliud esuritis, quia vos esuriem sitimque justitiæ non habetis (*Luc.* XXI). Illum vobis cibum benedictione sua multiplicatum dedit, non dabit, nec assuescetis, hoc rege, in otio, ciborum abundantia crapulari, remota jam a vobis pœna, qua juste operatur homo terram in sudore vultus sui (*Gen.* III), hunc autem cibum non dedit, sed dabit, cum vos opus eo cibo dignum operati fueritis. Tunc, inquam, et non ante vobis dabit. Quare ? « Hunc enim Pater signavit [*textus addit*

Deus]. » Idcirco non nisi operantibus dabit hunc cibum Filius hominis, quia « Pater hunc signavit, » hunc a communibus signis certo et proprio signo suo distinxit, ut cum alios cibos omnes bonis ac malis operantibus et otiosis communes fecerit, eadem largitate, qua solem istum visibilem facit « oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v) ; » solum hunc panem, hunc cibum, de quo nunc loquor vobis, nunquam dare velit nisi dignis, id est, operantibus opus Dei. Ita signavit, ita clausis omnibus cœlorum portis apud se continuit, ut non cum cibis communibus patiatur a canibus vel porcis inveniri. Quo autem signo, hunc signavit? Magno plane et reverendo signo, scilicet nomine suo. Dixit enim de hoc pane vivo : « Et est nomen meum in illo (*Exod.* XXIII). » Nomen quod est Dominus Deus ac Dei Filius, hujus panis proprium signum est. Cui enim angelorum et hominum dixit aliquando : « Filius meus es tu, ego hodie genui te ? » (*Hebr.* I ; (*Psal.* II.) Hæc et hujusmodi nomina quæcunque sunt divinæ naturæ, proprie panis hujus signa, imo unum proprium signum sunt. Præterea signavit hunc eumdem nondum quidem in re, sed jamdudum in prædestinatione, mox autem signabit in re, signo quod omnes videbitis, quando coquetur hic panis igne passionis, ut absque signo suo quod est sua crux, non detur ad manducandum alicui, nec ab aliquo possit nisi per hoc signum agnosci aut inveniri, capi vel manducari. Igitur cum dixisset Dominus : « Operamini cibum qui permanet in vitam æternam, « jam nil superesse videbatur operariis illis tam promptis, qui quæsierant rapere illum, et facere regem super se, nisi ut designato sibi opere admitterentur ad promerendum cibum, qui non posset perire. Nam in se moram nullam fore, avida spe præsumebant, quin facerent quidquid præciperet largitor tanti stipendii Rex.

« Dixerunt ergo Judæi : Quid faciemus ut operemur opus Dei ? » Sed istis tam fortibus tanquam humerosis regni Dei operariis, quam non asperum jugum, quam non grave onus Rex iste imponat audiamus. « Respondit Jesus et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit. » Hoc opus Dei tantæ suavitatis ac lenitatis jugum vel onus est, ut ei nulla sæculi libertas, aut otium valeat comparari. Deliciosum opus certe, et dulce omni homini, si scirent omnes filii Adæ dulcedinem ejus experiri, evaporato sensu carnis, vel inflatione miseræ vanitatis, quæ ex prima radice, id est, ex primo parente in cunctos humani generis ramos et fructus nimis pertinaciter sese effudit. Hoc enim opus et non aliud, datum est primo homini, quando « tulit eum Dominus et posuit in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret eum (*Gen.* II). » Quid enim laboris arbitramur illi fuisse injunctum ab eo quod dictum est, « ut operaretur et custodiret eum? » Putamusne quod impositum fuerit illi hoc operis, ut operando, in sudore vultus sui vesceretur ex omni ligno paradisi, aut ut poma paradisi custodiret ne dirutis sepibus aliquis prædo nocturnus illa decerperet ? Ergo quod dictum est : Ut operaretur et custodiret eum, » hoc esse intelligere debemus, ut Creatori suo in laude et gratiarum actione fidelem animum gereret, plusquam Deum quam **196** ullam Dei creaturam diligeret, et credendo consilio ejus, paradisum servaret sibi, ne peccando habitationem ejus amitteret. At ille ingratus, cum antequam operandi præceptum accepisset, mercede operis donatus esset (prius enim in paradisum tulit eum Deum foris plasmatum quam operandi daret illi præceptum), ingratus, inquam, suave jugum, et leve onus abjecit Dei et Domini Creatoris sui. Quid enim asperitatis aut gravitatis habebat, imperio credere dicentis : « Ex omni ligno quod est in paradiso comedes, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedatis. Quacunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini (*ibid.*). » Igitur opus Dei omni otio suavius, hoc est, « ut credatis, inquit, in eum quem ille misit. » Hoc maxime et ipsa definitio credendi in eum palam dabit intelligi. Quid est enim in Deum credere, nisi Deum non propter sua, sed propter seipsum diligere ? Nam qui Deum propter aliud quam propter seipsum quærent (quemadmodum isti, qui veniebant ad Dominum Jesum quia non signa viderunt, sed quia manducaverunt ex panibus, et saturati sunt) nec Deum diligere, nec in Deum credere, dicendi sunt. Aliud enim est credere Deo, credere Deum, et credere in Deum. Possunt quidem credere Deo vel credere esse Deum, sed credere in Deum nullatenus dicendi sunt. At illi, qui Deum non propter temporale emolumentum, sed propter ipsum diligunt, vere in Deum credere dicendi sunt (*Rom.* VIII). Et hi profecto gustaverunt gustuque suavi experti sunt hoc opus Dei, quod est credere in Dei Filium, opus esse sine labore, jugum sine asperitate, onus sine gravitate. Ergo quod ait : « Ut credatis in eum quem ille misit, » idem est ac si dixisset : Ut non propter panes quos manducastis, sed propter meipsum ad me veniatis. Sed omnes amici hujus mundi non eo spiritu aguntur, ut confitentes Christum dicere possint ei : Non tua, sed teipsum quærimus.

« Dixerunt ergo Judæi : Quod ergo signum tu facis, ut videamus et credamus tibi ? quid operaris ? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit illis manducare. » Nonne ergo Veritas verum dixit, quod isti homines veniebant ad eum, non quia viderant signa, sed quia de panibus manducaverant, et saturati fuerant, id est, quia non illud propter quod signa faciebat, sed ipsa signa quærebant ea maxime, quæ non animæ sed ventri proficerent. Cum enim dixissent : « Quod signum tu facis, ut videamus et credamus tibi ? quid operaris ? » continuo quasi Jesus interrogasset : quod signum vultis ut faciam vobis ? « Patres nostri, inquiunt, manducaverunt manna in deserto, » videlicet quidquid fecisset aut dixisset ad veram pertinens vitam, nihil actum crederent, nisi ultroneis divitiis impleret eos usque ad omnem

in ... Et vide nunc quam irreverenter pulsent A Dominum vani tentatores, quasi jam illum in consortium adduxerint suæ vanitatis, a conclusione incipiunt sic: « Quod ergo signum tu facis? » Ac si dicant: Dixisti hoc esse opus Dei, ut credamus in eum quem ille misit. Magnam profecto gloriam quæris, nec parvo signo tibi debet concedi. « Quod ergo signum tu facis? quid operaris? An quia de quinque panibus hordeaceis quinque millia hominum semel satiasti? Hoc valde parum est ad hoc ut credamus tibi. Majus fuit quod « patres nostri manducaverunt manna in deserto, » non panem de terra creatum, sed de cœlo datum, non quatuor aut quinque millia hominum, sed exceptis parvulis et mulieribus, sexcenta millia pugnatorum, non semel aut bis, sed totis quadraginta annis (*Exod.* XVI). Quid tale tu operaris? Nunquid tu mandasti nubibus desuper et januas cœli aperuisti, et pluis nobis manna ad manducandum et panem cœli das nobis, ut panem angelorum manducet homo, et cibaria habeamus in abundantia? (*Psal.* LXXVII) Nonne hæc contulit nobis Moyses, et tu majora quoque conferre debes, si te, ut asseris, « misit Deus Pater. » Non minoribus, imo majoribus signis ut credamus tibi efficere debes. Hoc modo tentantes, ipsa tentationis pressura putabant extorquere se posse quidquid ille facere poterat, quasi se continere non valens et festinans ad gloriam, mox talis facturus esset signa, qualia superba ipsorum cupiditas ambiebat. Equidem nec nunc cum homo factus esset, manus ejusdem Domini qui coram patribus eorum illa fecit mirabilia, C erat invalida, ut iterum plueret super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata et cætera faceret talia, sed, sicut illi tentatores horum tentatorum patres non potuerunt satiari a miraculis, nisi solis moribus suis, tentantes et murmurantes tandiu, donec desertum implerent cadaveribus suis; ita isti filii illorum nullo miraculorum genere vel multitudine satiari potuissent, nisi solo signo Jonæ (*Matth.* XII), quo ita contriti et destructi sunt, cum templi et sacerdotii sui veteribus umbris, quomodo cucurbita, quæ obumbrabat capiti ejusdem Jonæ, sub uno solis ictu exaruit (*Jon.* IV). Si enim postquam Filius hominis tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ fuit, in statu suo Judæa vel Synagoga permansisset, non magis quievissent adversus Dominum et adversus Christum ejus D insanire, quam patres eorum, nisi in deserto prostrati fuissent, cessassent tentando, murmurando, adversus Deum consurgere. Quid ergo saturatis illis et superflua quærentibus æterni ac necessarii Dominus convivii dicat: Omnis famelicus exaudiat, qui non propter cibum pereuntem, sed propter eum qui « permanet in vitam æternam » ad tantum Regem accedere, et coram illo semper assistere desiderat. « Respondit ergo Jesus et dixit eis: Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. » Non, inquit, patres vestri, non Moyses patrum vestrorum illorum omnium, qui manna manducaverunt, maximus, « dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus; » non dico dedit sed præsenti tempore: « dat vobis panem de cœlo verum; » verum, inquam, verum, id est non pereuntem, sed permanentem in vitam æternam. Sicut scriptum est, dicitis, panem de cœlo dedit illis manducare (*Psal.* LXXVII). Vere dico vobis, non sicut hæc scriptura prophetice dicit, tunc factum est, quando manna manducaverunt patres vestri, sed sicut futurum erat ut aperirentur januæ cœli quæ propter peccatum antiquum clausæ fuerant humano generi; et ut panem angelorum manducaret homo, tunc præfiguratum est, quando illo pane patres vestri aliti sunt in deserto (*Exod.* XVI). Nam sicut aqua illa, quæ tunc de petra B percussa profluxit, ut biberent patres vestri (*Exod.* XVII), tromphæam quæ ante paradisum posita est non exstinxit (*Gen.* III), sic illud manna nec cibus angelorum exstitit, nec vitam angelicam patribus vestris dedit. Hoc loco silendum non est, male quosdam ignotos, sed absconditi nominis homines opinari, enis quoque defendere dictis et scriptis, panem verum et potum quem in sancto altari sumimus nihilominus patres illos manducasse tunc temporis et bibisse, et nihilo magis hoc esse verum corpus et sanguinem Christi, quam fuit illud manna quod ille populus comedit, et illa aqua quam de petra **197** productam non solus populus, sed jumenta biberunt. Huic errori suo pro maximo argumento adhibent auctoritatem Apostoli dicentis: « Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » Itaque cum præsenti veritatis auctoritate, dicentis: « Amen, amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de cœlo sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, » adversus hanc detestabilem præsumptionem, quamlibet paucis respondendum est. Primoque dicendum, Apostolum non eo sensu dixisse quo isti accipiunt, « et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt, » neque dictiunculam relativam, scilicet eamdem escam vel eumdem potum ita posuisse, ut referri velit ad illam escam illumque potum, de quo ipse Dominus: « Hoc est, inquit, corpus meum; hic est sanguis meus (*Luc.* XXII; *I Cor.* XI). » Sed eamdem, inquit, escam manducaverunt, et eumdem potum biberunt Dathan et Abiron, quam Moyses et Aaron, eamdem utique Core quam Caleph aut Josue. Hoc enim intendit Apostolus ea lectione, ut sollicitum reddat omnem hominem, ne se arbitretur jam comprehendisse, quia consecutus est sacramenta fidei Christianæ. Nam hæc omnia, inquit, in figura facta sunt nostri, videlicet ut antiquis sciamus experimentis, quod, licet omnes baptizati simus in eodem nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et omnes manducemus idem corpus et sanguinem Christi, non tamen arbitrandum nobis sit, quod æque omni-

A bus nobis beneplacitum sit Deo, quomodocunque vivamus, qualiacunque post baptismum operemur. Quia, quemadmodum cum omnes illi eisdem signis, eisdem, inquam, mali, quibus et boni fuerint glorificati, in pluribus tamen eorum non beneplacitum est Deo, ut introduceret eos in terram repromissionis; sic nimirum non complacebit ei, ut introducat nos in regnum Dei, si fuerimus concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt: si fornicati fuerimus, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt; si tentaverimus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt; si murmuraverimus, sicut quidam ex ipsis murmuraverunt. Igitur textus apostolicæ litteræ nemini succurrit, volenti accipere sic eamdem escam et eumdem potum esse dictum, ut referat ad identitatem cibi et potus vivifici, quem sumimus in com- B memorationem Domini nostri Jesu Christi. Sed neque illud, quod escam et potum spiritualem idem apostolus dicit. Nam si aliter velis accipere escam et potum spiritualem, quam in figura spirituali contingentem, et idcirco non naturali rerum ordine, sed spirituali virtute prodeuntem; ipse apostolus in eisdem litteris te constringit, quantumvis recalcitrantem. Dicit enim paulo post: « Hæc autem omnia in figuris contingebant. » Si omnia, utique et illa esca et ille potus in figura contingebant, proinde non magis illud manna panis iste verus erat, nec magis ille potus idem erat, quod iste vitalis potus, quem vere Christi sanguinem credimus et confitemur, quam illa « petra Christus erat; » petra utique inanimata et insensibilis, quam Moyses virga percussit. Nam universa, ut jam dictum est, contingebant in figura, C quæ profecto nusquam valet idem quod ipsa res quam figurat, sicut umbra non est idem, quod ipsa rei vel corporis substantia. Sed dicit adversarius: Nimirum et iste panis quem in altari consecramus, figura est panis vivi, qui de cœlo descendit, non ipse panis vivus. Cujus, quæso, auctoritate canonica fretus, Catholicis hoc infers auribus? Nunquid ubi dixit ipse panis vivus de pane quem tenebat in manibus: « Hoc est corpus meum, » dictum est aliquid tale quale dixit Paulus, ubi cum dixisset: « Petra autem erat Christus, » etc. « Hæc autem, inquit, omnia in figura contingebant illis? » Nempe si ipse Christus aut evangelista vel apostolus auctor esset dictionis hujus, non tu esses redarguendus. Etiamsi dicat quis figuratam esse locutionem, qua D dicetur posterius: « Nisi manducaveritis carnem Filii et hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, » non nobis adversatur, quia videlicet ista figuratio locutionis veritatem rei non perimit, quemadmodum in parabola seminantis, verba parabolica rem non perimunt vere seminantis. Quæ enim est definitio figuratæ locutionis? Nempe cum aliud in voce sonat, aliud intelligendum est, figurata locutio est. Plane ergo etsi prædicta locutio figurata est (aliter enim Judæis sonuit, aliter Christus sensit) rem ipsam figuratio non perimit, sed ipsa potius figuratio re permanente perimitur, cum de pane et vino signanter dicitur. « Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus. » Ibi enim sensus Judaicus perimitur, quia luce clarius est, quod sicut intelligebant, Christus manducandus non est. Putabant enim, quod concidi vellet carnem suam, et manducari, in qua contuebatur quinque sensibus, quemadmodum conciditur caro agni, et comeditur. Ibi, inquam, figuratio hæc perimitur et permanet sensus verbi consonus, scilicet quod panis in veram substantiam corporis ejus divina virtute convertatur. Quod si cuiquam impossibile esse videtur, scilicet ut panis, qui hoc anno crevit e terra, corpus Christi fiat, et quod vinum, præsentibus expressum acinis, vertatur in sanguinem Domini, consequitur, ut aquam quam paulo ante de Rheno ac Tiberi, vel quolibet fonte hausit, crucis et passionis Christi sacramento signatam, non credat illam esse, quæ de latere ejus lanceato cum sanguine fusa cucurrit (*Joan.* XIX), ad hoc, ut per baptismum suum lavaret nos a peccatis nostris, ut cum hoc quoque negaverit, si ex toto corde ethnicus et publicanus, sit homo hæreticus, post primam et secundam admonitionem a cunctis devitandus (*Luc.* XVIII; *Tit.* III). Sed illud cur non credat, cum omnis aqua, sive maris, sive fluminum, aut fontium, cisternarum aut paludum; omnis, inquam, aqua undecunque sumpta vel producta, secundum substantiam sit una? Cum igitur, undecunque sumpta sit, crucifixi Domini sacramento admota fuerit, rationi fidelium nulla dubietas subest, quin ipsa eadem sit, quam, ut supra dictum est, Dominus noster de latere suo profudit. Quid autem secundum substantiam nisi aqua est? Aqua nempe a radicibus imbibita, per vites ascendit, et calore solis paulatim vegetata, vinum fit. Item cum ex quatuor elementis homo compositus sit, sanguis utique in illo ex aquæ substantia est. Itaque vinum et sanguis ex eadem substantia sunt humoris, et neutri horum ignis quoque deest elementum. Nam et sanguis calidus, et vinum fervidum est. Solummodo colore et sapore differunt, quæ profecto cum accidentia sint, nullius in divinis actibus momenti sunt. Substantiæ quippe non accidentia computantur in numero creaturarum. Cum igitur vino verbum crucis et passionis Christi accedit, quæ ratio vetat, ut non idem sanguis, qui pro multis in remissionem peccatorum fusus est, debeat credi? An quia non colorem, saporem assumit sanguinis, quemadmodum quando corrumpitur in intestinis corruptibilis hominis, et **108** sanguis horridus visui quoque fit? Nempe incorruptibile verbum, jamque incorruptibilis et immortalis Christus, sic vinum suum sanguinem effecit, ut rei visu et gustu blande nihil inferat corruptionis. Nihilominus substantia panis quatuor elementis confecta, multo magis cognata est vere humano corpori Christi, quam fuerit manna, quod in aere jussu Dei concretum supra castra Israel pariter cum rore descendebat (*Exod.* XVI). Frumentum de terra natum est et blandis favoribus aeris aspiratum permaturuit, non sine

aqua, pluvia, et calore solis. Sed ut hoc taceam, rursus ut fieret panis, aqua commistum, et igne decoctum est, et ita substantia panis peracta est. Cum ergo panis ille vivus, qui de cœlo descendit, quem ut supra ipse dixit, Pater signavit, cum, inquam, eodem signo quod ipse est, signat hunc panem, qui ut omnes novimus, nuper crevit in terra, et signanter dicit : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur (*I Cor.* XI), » audes dicere aliud esse quam Christi corpus ? Veritas dicit : « Hoc est corpus meum, » et addit, « quod pro vobis tradetur, » et tu dicis non est idem corpus ? Nempe si non est idem corpus, si non est idem qui de cœlo descendit panis vivus, non est hoc corpus quod pro vobis traditur. Sed jamdudum liquet omnibus, in quo sensus tuus hæreat carnalis totusque animalis, ideoque non percipiens ea quæ sunt Dei (*I Cor.* II), videlicet quia nec panis, nec vinum, aliquid de exteriori specie mutavit, idcirco sapere non potes, nec vis, quod vere factum sit corpus et sanguis Domini. Consequitur ergo, ut cum albus episcopus te forte Maurum hominem baptizaverit, non credas te ipsum apud Deum factum esse, quod est is qui te baptizavit, scilicet quod de filio diaboli, factus sis filius Dei (*Rom.* VIII) ; de filio mortis, filius vitæ ; de filio iræ (*Ephes.* II), filius gratiæ sempiternæ (*Gal.* VI) ; pro eo quod capillus tuus niger non refloruit, faciesque tua totiusque corporis cutis æthiopica, secundum colorem ejus, qui te baptizavit, non retinuit [renituit]. Quod si concedere perhorrescis, ne infideli deterior sis, et mavis confiteri quod quamvis de exteriori specie nihil mutaveris, vere de alio corpore diaboli (quod est omnis massa perditorum) in aliud corpus Christi, quod est Ecclesia, transieris, crede et hoc, quia panis iste visibilis, et vinum, quibus ex rebus temporaliter vivis, quamvis nihil de exteriori specie mutatum sit, in alium transierint, et in illum cibum potumque conversa sint, qui angelorum victus est, quo pascuntur immortaliter, quia videlicet tam in hoc, quam in illo sacramento, verba quæ loquitur nobis Dominus, spiritus et vita sunt, id est, non carnaliter, sed spiritualiter, non secundum crassitudinem carnis, sed secundum mentis nostræ spiritum, renovationem et resurrectionem totam perficiunt. Sed quid dicemus magnis et magnificis parvulorum magistris, quibus interdum suavius redolet Platonis Academia quam hæc vivifica Domini mensa ; quid, inquam, dicimus eis, ubi totis viribus intenti ad expugnandam veritatem Dominici corporis et sanguinis, magnorum sententias doctorum coram attulerint, dicentium : Hunc panem significavit manna ; hunc panem significat altare Dei, sacramenta illa fuerunt, sacramenta hæc sunt ; in signis diversa sunt, in re quæ significatur paria sunt, itemque aliud illi manducaverunt, aliud nos sub specie visibili, quod tamen idem significat virtute spirituali ? Hæc enim et his similia de non contemnendis sumere videntur auctoribus. Secundum quos et Apostolum audi, inquiunt : « Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos Petra : Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » Quid igitur respondebimus eis ? Et quidem jam superius dictum est, eamdem escam et eumdem potum nequaquam Apostolum ad hanc escam et ad hunc potum, quem de Christi mensa sumimus, referre voluisse, habitatoremque ejus spiritum veritatis et gratiæ longe alio sensu verba hæc protulisse, videlicet, ut intelligas quod eamdem escam manducaverint, et eumdem potum biberint Datan et Abiron, quem Moyses et Aaron ; eumdemque Chore, quem Caleph aut Josue. Alioquin si dicas, vel Apostolum dixisse intelligas, eamdem escam illos in illis umbris manducasse quam et nos manducamus hoc tempore revelatæ gratiæ, et dicas cum supradicta quorumdam auctoritate, manna illud, et hunc panem mensæ Christi, in signis diversa, et in re quæ significatur paria esse (et cætera quæ supra dicta sunt) ac proinde fatearis, hunc panem non magis quam illud manna corpus esse Christi, nec plus spiritus habere virtutis, consequitur plane, ut dicas sacrificia agnorum et arietum, novo sacrificio panis et vini fuisse sanctiora, veteresque panes propositionis digniores hoc pane, qui ponitur et sacratur in mensa (*Levit.* XXI ; *I Reg.* XII). Prædicta namque sacrificia longe sanctiora fuerunt quam illud manna (*Exod.* XXI), vel aqua illa, quæ de percussa fluxit petra ; quippe cum de sacrificiis, vel propositionis panibus non nisi mundis, et sacerdotibus, aut Levitici generis hominibus edere liceret ; illud autem manna indifferenter cuncti manducare, et illam aquam, utpote nulla divini nominis invocatione sanctificatam, licet spiritualem, id est, non naturali ordine, sed spirituali virtute productam, vel spiritualis potus significativam, jumentis æque ut hominibus bibere, et canibus quoque lambere impune licuerit. Scriptum est enim : « Egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populas biberet ac jumenta (*Num.* XX). »

Sed per Christi gratiam non eo usque altissime sapiant isti sapientes, qui tantis objectiunculis mensam Domini diverberant ; ut prædicent jumentis, non dico et brutis animalibus, quæ aquam illam et ipsa biberunt, sed jumentis, quæ « computruerunt in stercore suo (*Joel.* I), » et canibus qui revertuntur ad vomitum suum (*Prov.* XXVI), suibus quoque lotis in volutabro luti (*II Petr.* II), hunc panem vel potum Dominicum indiscrete tradendum esse prædicent, quomodo, ut prædictum est, illo pane, cui comparatum esse volunt hunc panem Dominicum, et illa aqua populus ac jumenta communiter uti potuerunt, neque hoc modo irritum faciant ejusdem quoque Apostoli judicium dicentis : « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit ? » (*I Cor.* XI) In collatione sententiarum de corpore et sanguine Domini beati Ambrosii sententiam di-

gne palmam obtinere indicatum est, dicentis inter A cætera : « Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem virgo generavit, et hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus Christus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi est, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, verum ergo carnis illius sacramentum est. » Item : « Sicut verus est Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accepimus, et verus potus est. » Igitur etiam si angelus de cœlo nobis evangelizet supra dicta **199** Apostoli verba, quoniam « patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et B omnes in Moyse baptizati sunt (*I Cor.* x), » et cætera, sic exponendo, quod hæc ipsa quæ tunc in illa umbra vel in illa nocte facta sunt, ejusdem fuerint virtutis, cujus ista sunt sacramenta, quæ nunc in die salutis fide Christi rutilante fiunt (*Gal.* I), vel eo cibo potuque sive baptismo, quo baptizati sunt in Moyse, nunc et in mari, magis illos consummatos fuisse quam posteriores, inter quos Samuel et David, qui per mare non transierunt, neque manna manducaverunt ; si inquam, etiam angelus de cœlo hæc evangelizet, non illum tanquam lucis angelum, non in hac sententia, tanquam Christi audiemus Apostolum. Quod et si quis sanctorum Patrum tale quid alicubi dixit, quod a præsumptoribus in adversum præripi potuerit (sicut mos eorum est, qui cum venando aliquid apprehendere quiverint, quod vi- C brare queant ex adverso veritatis, adversarii magis exsultant quam sicarius cum civem aut collegam conciderit), sunt ejusdem alia pleraque scripta, quæ fidelis lector diligenter conferens periclitanti fidei citius subvenire valeat, verbi gratia, idem quem tenent adversæ quasi patronum sententiæ, dicit in David, quia commutans vultum suum ferebatur in manibus suis (*I Reg.* XXI), nihil aliud sine dubio, quam seipsum tulisse, ait, verum David, id est Christum in manibus suis, cum tenens panem et vinum diceret : « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI) ; » qui et paulo post dicturus est in hoc eodem Evangelista, « et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita (*Joan.* VI). » Nonne hic idem evangelista Joannes dicit D in Apocalypsi : « Si quis apposuerit ad hæc, apponat super illum Deus plagas scriptas in libro isto, et si quis diminuerit de verbis prophetiæ libri hujus, auferat Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto ?» (*Apoc.* XXII.) Nunquid vero minus timenda est hic illa maledictio, ut non detrahamus vel apponamus quidquam verbis dicentis : « Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ? » (*Matth.* XXVI.) Cum enim illo dicente, «hoc est corpus meum,» nos subauditionem apposuerimus, dicentes, figurativum vel per similitudinem dictum. Cum, inquam, illo dicente, « hoc est corpus, nos dixerimus, hoc significat corpus, nonne multum est quod apponimus vel prava demutatione detrahimus, et sensum generamus, quem tantus auctor, Deus et homo, nusquam et locutus, nec ascendit unquam in cor ejus? Nempe cum objicit quis, suisque scriptitat in schedulis, quod itidem dixerit eadem Veritas : Ego sum vitis ; tam audacter quam imperite in argumentum mendosum illud attrahit, cum statim subsequentia verba dicentis : « Sicut palmes non potest fructum ferre a semetipso nisi manserit in vite ; sic noc vos nisi in me manseritis (*Joan.* XV), » manifeste per similitudinem dictum compellant intelligi, præsertim cum non signanter dixerit : « Ego sum hæc vitis, » sicut signanter dixit : « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, » apposita protinus descriptione veræ proprietatis, de corpore inquiens, « quod pro vobis tradetur : » De sanguine autem, « qui pro multis effundetur. » Igitur ne veniant super nos plagæ novissimæ, neque apponimus neque diminuimus quidquam divinæ definitioni vel descriptioni, quam incarnatum Verbum ore proprio deprompsit; imo quia perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* II), non tam plagarum timore quam veritatis amore confitemur, quia panis iste corporeus, postquam signaverit eum Pater, et vinum hoc expressum acinis præsentibus, mox ut eodem signo signatum est, per manus Ecclesiæ dicentis : Ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, » etc. usque « in mei memoriam facietis : » Corpus et sanguis ejus, qui hujus traditionis auctor est, et hoc sacrificium ipse Christus est, cujus passione, ut sacrificium fieret, a Deo Patre in veritate signatum est. Dicat nunc aliquis : Quid ergo manducaverunt veteres sancti, ut vitam æternam haberent ? Si non præterito tempore dedit, sed præsenti dat Pater panem de cœlo verum, quem nisi manducaverimus non habebimus vitam in nobis, quomodo nunc vitam habent beati patriarchæ, vel prophetæ sancti, omnesque anteriores electi, qui antequam Pater hunc panem daret, defuncti sunt, non accepta promissione, et idcirco non potuerunt manducare? (*Hebr.* XI.) Quid enim? Nonne per unum idemque peccatum, mors in omnes homines transiit (*Rom.* V) ; et tam illi qui præcesserunt quam hi qui subsequuntur Christi adventum, in uno omnes peccaverunt? Num ergo peccatum emundari mortemque aboleri oportuit aliter illis quam nobis? aliter nobis quam illis? Aut « nunquid Dominus supplantat judicium, vel omnipotens subvertit quod justum est (*Job* VIII), » ut non secundum modum communis culpæ adhibeat communem omnibus medicinam justitiæ, sed secundum mutabilitatem voluntatis suæ variet ordinem vel effectum vitæ æternæ ; verbi gratia ut dicat : Vos primi, sola fide perficimini ; vos alii, per circumcisionem consummamini ; vos tertii, nisi baptizemini, et nisi carnem meam manducetis et sanguinem meum

bibatis, non habebitis vitam in vobis? Huic objectioni A opportune respondendum est : Cum primum nemo sit, qui dubitet, sanctos omnes ab origine mundi exspectasse hunc Redemptorem generis humani, nec aliter eos potuisse Paradiso restitui, nisi venisset prius hic Agnus tollere peccata mundi, illud quoque, scire oportet, quod ob causas antiquas, certas et notas, cum his duobus salutis nostræ sacramentis necessariis, scilicet baptismo corporisque et sanguinis sui cibo potuque illum venire oportuerit. Nec enim aliud tunc intendit, cum secundum justitiæ simul et misericordiæ suæ concilium immutabile, primum hominem lapsum per cibum vetitum requisivit, dicens : « Quare hoc fecisti ? » (*Gen.* III) videlicet stirpem ejus tamdiu persecuturus, donec culpam eamdem humiliter recognitam, eo pia confessione damnatam, B ipse gratiæ suæ flumen aboleret, et sic demum verum vitæ lignum, quod ipse est adversus cibum illum quem præsumpsit, comedendum apponeret. Aliter quippe destrui non poterat peccatum illud quod homo credens diabolo plus quam Deo, cibum vetitum superba intentione comedit, nisi ut iterum plus credens Deo quam diabolo, econtra cibum imperatum humili subjectione comederet idem homo.

Ut ergo justa ratione peccatum destrueret justitia sempiterna, peccatorem ejectum e vestigio subsecuta est inexhausta misericordia, nec ante revocare destitit, donec in filiis hominum fidem inveniret et humilitatis voces sibimet respondentes audiret. Cœperunt enim homines miseriis eruditi, malitiam serpentis deceptoris agnoscere (*Gen.* IV), et cum C exsecratione refugere, et in condemnationem cibi illius, quem ab illo persuasus homo contra Deum comederat, sacrificia decimasque, et hostias pacificas Deo Creatori offerre, cupientes cibi illius maledictionem talium comestione sacrificiorum, cum invocatione divini nominis expurgare. Sed non poterat **200** brutum pecus, verbi gratia, simplex et innocens agnus, quem in condemnationem malitiosi et noxii serpentis obtulit Abel ; non poterat, inquam, pro offerente se homine brutum pecus loqui, justitiam non poterat offerenti se conferre, quam non habebat vitam æternam. Ita ergo præparatis esurientibus, cum sinus Abrahæ jam ex ipsis esset impletus, patefactis in plenitudine temporis cœli januis, dedit Pater hunc panem vivum et verum, panem signatum, D panem angelorum. Qui causam habens eamdem cur veniret, quam habuit in paradiso, cum primum hominem requireret, scilicet ut cibo, per quem homo periit, oppositum cibum daret, præcedente merito humilitatis et fidei, præcepto Patris adversus lignum scientiæ boni et mali ipse fructus vitæ æternæ in ligno crucis pendere voluit, et per passionem mortis, mortuorum simul et vivorum cibus fieri, ut suo quique modo comederent eum, tam mortui quam vivi. Decerptum quippe illum de arbore crucis manu Patris, ipso dicente : « Pater, in manus tuas commodo spiritum meum (*Luc.* XXIII), » comederunt illum animæ sanctorum, eo videlicet modo, quo et angeli eumdem comedunt ; comederunt, inquam, veram divinitatem, et vere aperti sunt oculi eorum, et extunc viderunt Deum, quem antehac nemo vidit unquam (*Joan.* I). Corpora quoque illorum in monumentis jacentia, virtute cibi hujus non caruerunt, mox ut eodem ventre quo tenebantur et ipsa, receptum est corpus ejus, sicut Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus (*Joan.* II). Nam virtute hujus cibi factum est, ut multa ex ipsis resurgerent in testimonium futuræ universalis resurrectionis. Qui utique (non ut quidam existimaverunt) iterum morituri resurrexerunt, de quibus ait Evangelista : « Quia venientes in civitatem sanctam post resurrectionem ejus apparuerunt multis (*Matth.* XXVII). » Quod videlicet absurde diceretur de iterum morituris, verbi gratia, de Lazaro (*Matth.* XI) vel de filio viduæ, qui non apparuerunt multis, sed omnibus visibiles et contrectabiles, atque omnino consimiles sive compassibiles fuerunt sub conditione mortali, comedentes atque bibentes, et habitantes in domibus suis. Vivi autem comedunt modo, ut prædictum est, sibi congruo, comedunt ejusdem passionis salutem secundum traditionem ipsius Domini signantis panem et vinum, ut edant pauperes et saturentur, et laudent Dominum, qui requirunt eum (*Psal.* XXI) ; edent, inquam, pauperes grandem eleemosynam Regis regum, quam dat ipse non aliam quam seipsum, nondum in sua specie. « Per fidem enim nunc ambulamus, et non per speciem (*II Cor.* V), » ut vera fide manducantes cibum vitæ æternæ, culpam evadamus parentum nostrorum, qui manducaverunt decepti vana spe et nimia credulitate divinitatis præripiendæ. Igitur non alio remedio veteres consummati sunt sancti, et alio subvenitur, novis, sed quo sanguine simul cum aqua profluente de latere Christi emundata est universitas illorum in ipsa hora Dominicæ mortis (*I Joan.* I), eodem nos emundamur singuli, et eodem aquæ elemento undecunque sumpto cum verbo ejusdem crucis et sanguinis, « in quo nos, inquit Joannes, lavit ille a peccatis nostris (*Apoc.* I), » Et quem illi agnum in ara crucis torridum, illa sacratissima vespera, simul omnes in inferno positi velociter comederunt (*Exod.* XII), impleta prophetia, quæ dicit : « O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne (*Ose.* XIII). » Etenim non active dictum est, mordebo te, vel ero mordens te, sed passive : « Morsus tuus, inquit, ero, inferne ; » quem, inquam, agnum in inferno mortui comederunt, nos eumdem suum quique temporibus, et locis manducamus, ut cum illo in æternum vivamus. Quod si quis a nobis quærat : Quomodo panis, qui hoc anno de terra creatur, corpus Christi sit, quod in cruce pependit, et vinum, quod præsentibus expressum est acinis, ille sanguis ejus sit, quem de latere suo fudit? (*Joan.* XIX.) Interrogemus eum, quomodo Filius hominis, qui utique de femina conceptus, et de terra natus est, de cœlo descenderit ! vel quomodo antequam in cœlum ascenderet, jam in cœlo esse potuerit, juxta veritatem ipsius dicentis : « Et nemo

ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius A hominis qui est in cœlo (*Joan.* III).» Hoc profecto, si quid sapit, respondere poterit, quod propter unitatem personæ Dei et hominis Christi illud rectissime dictum sit, quia videlicet unus est Christus, Filius hominis cum Filio Dei, « qui de cœlo descendit, » quique cum esset in terra, nihilominus et in cœlo, et ubique erat; quippe quem locus nullus concludit, quia incircumscripta est natura Divinitatis. Ergo verbis paululum demutatis dicamus ei: « Nemo te sublevat in cœlum, nisi « hic panis, qui descendit de cœlo, » hoc corpus Domini quod pependit in ligno, et hic sanguis ejus qui effusus est pro omni mundo. Nempe, si priorem sententiam videt, de isto non video quid dubitet. Unitas enim Verbi, unum efficit corpus Christi, ut illud quod tunc in cruce B pependit, et istud quod nunc Ecclesiæ fides ore sacro conficit, unum corpus sit; una, inquam, caro, et unus sanguis sit. Proinde de non ita simus incauti adulatores beati Augustini, ut cum dicat ille, sacramentum et rem sacramenti, unitatem corporis Christi, quod est Ecclesia, rem dicens esse sacramenti, panem autem Dominicum hujus rei sacramentum: statimque acquiescamus eis, qui hanc divisionem in patrocinium sui sensus arripiunt, dicentes: Sacramentum, id esse sacræ rei monimentum, et hoc modo nullum faciamus locum Dominicæ definitioni quam ita est elocutus: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.» Etenim Ecclesia quidem corpus Christi est, sed non illud corpus, quod pro vobis C traditum est; siquidem Ecclesia non pro seipsa tradita est. Quod si panis mensæ Domini, non nisi hujus sacræ rei, scilicet unitatis Ecclesiæ monimentum est, multo magis, nec ipse corpus illud est, quod pro nobis traditum est. Itaque quantascunque, volunt similitudines hinc accipiant dicentes: Quia sicut multis ex granis conficitur unus panis mensæ Domini et sicut multis ex acinis confluxit vinum calicis Christi, sic ex multis hominibus consistit, et tamen una est Ecclesia Dei, vel quæcunque talia et apte inveniant, et utiliter proferant, dummodo fundamentum permaneat quod positum est (*I Cor.* III), præter quod aliud nemo ponere potest, ab ipso dicente de pane et calice vini: « Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur (*Matth.* XXVII). » Hoc D fundamento fidei non bene custodito, illam prædicationem Domini dicentis: « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo (*Joan.* VI); » quidam ita reciprocant: Qui manet in me, et ego in eo, hic manducat carnem meum, et bibit sanguinem meum: illo sensu præoccupati, quod manere in unitate fidei, hoc sit manducare carnem, et bibere sanguinem Christi, et adeo non necessariam sibi arbitrantur esse ad salutem corporalem Dominicæ mensæ communicationem. Sed quid si omnes hoc idem dicant, et omnes hoc idem sapiant? Nonne otiosa reputabitur illa traditio Domini,

201 et ad nihilum redigetur, ut nusquam observetur modus ille, manducandi, et bibendi, quem ipse ore suo prædocuit, sub ipso articulo sacrosanctæ passionis? Pereat igitur a corde Christiano hic sensus, quem importat hæc inutilis reciprocatio. Hoc plane Christus non docuit, « sed qui manducat, inquit, carnem meam, et bibit sanguinem meum,» eo videlicet modo quo traditurus sum, corde credendo ad justitiam et ore manducando ac bibendo ad salutem, hic « in me manet et ego in eo, » ita ut jam non sint duo, sed una caro (*Ephes.* II). Manducare namque et bibere, causa efficiens est, effectum autem, ut « in me maneat et ego in eo; » at ille « qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI). » Non nemo indigne manducare potest, sed nemo indigne manducare debet. Panis namque semel consecratus, nunquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit, sed non prodest quidquam (*Joan.* VI) indigno, cujus « fides sine operibus mortua est (*Jacob.* II), » et idcirco Spiritum qui vivificat (*Joan.* VI), non habet, quo ore percipiat. Quid enim mirum est, si terra terram comedat? Quid autem caro Christi, remota Divinitate, nisi terra nostra est? Proinde quicunque carnem Chiristi comedat, non expavescimus, certi, quid de nostro sumpserit, quid de suo sit Dei Filius. Quo ergo devenit, quod indignus manducat et bibit? Hoc certe, sicut ante nos dictum est, pium sit et salutare credere per membra diffundi, ita ut non sit obnoxium secessui. Sed hoc plus habet dignus ab indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad judicium.

Nunc ad ordinem cœptum sermo revertatur, et cum veritate præsentis lectionis evangelicæ escam potumque Dominici corporis et sanguinis, ut cœptum est, pertractando manducemus, manducando pertractemus. « Amen, amen, inquit, dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. » Siquidem illum qualemcunque panem, quem patres vestri in deserto manducaverunt (*Exod.* XVI), panem utique vel cibum periturum, et quotidie pereuntem, non ipse Moyses aliis dedit sed cum aliis ab eodem Deo accepit, « qui dat escam omni carni (*Psal.* CXXXV). » Quare ergo verum panem de quo loquor, Moyses dare non potuit, sed Pater meus dat vobis? Sequitur: « Panis enim [verus] Dei est, qui descendit de cœlo et dat vitam mundo. » Vera et firma ratio plane comprobans, quod vere panis hic Moyse major sit, nec ab illo dari potuerit, sufficiensque ad demonstrandum panis ejusdem substantiam definitioni tribus perfecta incrementis, videlicet quod Dei sit, quod de cœlo descenderit, quod vitam det mundo. Si dixisset: Panis enim Dei est, nec plus addidisset, non illum a communi pane decrevisset; nam et omnis panis, quem terra prefert, Dei donum est, Dei creatura est. Etenim « Domini est terra et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII). » Addidit ergo: « Qui descendit de cœlo.» Sed et si non plus adjecisset, necdum sa-

t[illegible]s istum panem definisset, nam et Judæi cum dixissent: « Patres nostri manducaverunt in deserto manna, » protinus adjecerunt: « Sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare. » Et quidem illum panem pluit Dominus de cœlo, non tamen æthereo, sed de cœlo aerio, per quod volantes aves, volucres cœli dicere solemus. Et verbo [verbum] quoque descendit, quod hic positum est, de illo pane dictum est, quia cum descenderet ros mane super castra, descendebat pariter et manna (*Exod.* XVI). Adjecit ergo et tertiam hujus panis differentiam, quæ non sinat illum communem intelligi cum pane aliquo, dicens: « Et dat vitam mundo. » Quod vitam dat, et non uni genti, sed universo mundo vitam dat, hoc maxime pondus pretiumque panis hujus commendat, et singularitatem demonstrat. Quid enim est vitam dat, nisi mortuos vivificat? Hoc certe manna non magis facere potuit, quam panis ille quem singulis annis terra profert seminanti. Nec enim pani illi vel aquæ quam petra produxit, ulla vita inerat, quamvis fabulose quidam dixerunt, quod petra sequeretur de loco ad locum castra filiorum Israel, ex occasione dictionis apostolicæ, qua dixit: « Bibebant autem de spirituali consequente eos petra (*I Cor.* X). » Etenim non lapis inanimatus post castra volvebatur, sed torrentis alveus de petra productus, populum secundum viam qua ituri erant, nutu Dei derivatus consequebatur (*Num.* XXI). Igitur panis hujus veri, quem Pater dat, plena definitio est; et nec plus nec minus dictum est quam oportet. Panis Dei est, id est, non ex hominibus, sed ex Deo est, imo et angelorum quidem et hominem cibus est, sed nec angelorum nec hominum donum est, et non ex ipsis, non pro ipsorum meritis, sed pro gratia Dei. Et hic sponte sua descendit de cœlo, quo ascendere non poterat Moyses, ut inde illum deferret huc. « datque vitam mundo, » id est angelis et hominibus, ut viventes angeli comedant, et nunquam moriantur morte qua mortuus est diabolus; comedant homines mortui et a duplici morte corporis et animæ resuscitentur. Multo ergo major Moyse panis hic, satisque constat, quia talis ab illo dari non potuit. Sed isti convivæ terreni a ventre et cibo qui perit, oculos non sublevantes, panem hunc, panem Dei, « qui de cœlo descendit, » et vitam dare mundo jam venit, non attendebant, utpote surdi et indociles auditores legis dicentis: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei (*Deut.* VIII). » Unde hæc reputabant quod spirituale quid loqueretur eis.

« Dixerunt ergo Judæi: Domine, semper da nobis panem hunc. » Hunc, inquiunt, videlicet qualem te intelligimus habere, panem semper da nobis, ut non necesse habeamus in sudore vultus aratro terram vertere, semina sulcis credere, et in saturitate panis et otii securitate non sit opus penuriam ullius rei præcavere. Attamen talis propositio qualicunque spe attentos illos fecerat, nec enim solummodo concesserant verum esse panem, quem a Patre dari

A Dominus dixerat, sed et nimis avide audientes acceperunt, venisse panem Dei de cœlo, qui daret vitam mundo. Jam ipse doctrinæ ordo postulabat, ut panem ipsum clara et evidenti assumptione demonstraret, ut vel murmurantes illi et non credentes, in æterna semetipsos fame concluderent, ut credentes et ad ipsum venientes, vitam æternam manducarent. « Dicit autem eis: Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam. » Ac si dicat; Ecce quia de vero pane audistis inhianti desiderio, sinus vestros laxastis dicentes: » Domine, da nobis semper panem hunc, » et nolite rursus claudere vel constringere, dum dico vobis, quis panis ille sit, et longe aliud ostendo, quam vos speraveritis. « Ego sum B panis vitæ. » Jam in vestro arbitrio est, accipere et habere panem hunc. » Nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri (*Psal.* XCIV); » sed venite ad me, et non esurietis; credite in me, et non sitietis. Paravit Pater in conspectu vestro mensam (*Psal.* XXII), si vos verum panem esuritis, si veram refectionis aquam sitiitis. « Sed dixi vobis, **202** quia vidistis me, non creditis. » Hoc, inquam, dixi vobis, novi enim vos, quod non propterea, quia signa vidistis, sed propterea quia « de panibus manducastis, et saturati estis, » venistis ad me, et nunc dico: « Quia vidistis me, » et audistis verba æternæ vitæ, et « non creditis, » sed tantummodo signa videre, non illud C propter quod signa fiunt, videre vel credere vultis, tantummodo panes manducare ciboque perituro saturati, et non cibum « qui permanet in vitam æternam, » curatis operari. Quid ergo? Quid faciet hic verus panis, quoniam vos ad illum manducandum venire non vultis? Audite jam: « Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, et eum qui venit ad me, non ejiciam foras. » Poteram ego dicere: Omnis quem dat mihi Pater ad me veniet; sed vos fastidiosi Judæi, quorum saturitas et crapula Pharisaicæ superstitionis verum panem fastidit, de vobis solummodo me dixisse arbitremini, videlicet tanquam vos habeat solos exspectare hic panis Dei, quoniam filii Abrahæ estis, et manducatores alios, nisi vos habiturus non sit.

Dixit ergo: « Omne quod dat mihi Pater; » D omne, inquam, sive bonum, sive malum, sive mundum, sive immundum, sive circumcisio sive præputium, omnis sexus, omnis conditio ad me veniet, « et eum qui venit ad me, » undecunque veniat, qualiscunque veniat, dummodo veniat, id est credat, « non ejiciam foras. » Faciam quod fecit homo ille, qui cum fecisset cœnam magnam et vocasset multos, quoniam illi cœperunt simul omnes se excusare: « Exi, inquit, in vias et sepes, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos introduc huc (*Luc.* XIV). » An putatis quod panis iste verus frustra de cœlo descenderit, nisi vos illum comederitis, et quod a pransoribus derelictus ad mensam cœli, frustrato propter

vos consilio suo referendus sit? Non est ita sed implebit mihi Pater domum turba famelicorum, hoc pane saturari cupientium, et quotcunque ille mihi dederit, quicunque illo revelante, panem istum agnoverit, licet catellus veniat sub mensa colligere micas, non eum ejiciam foras. « Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » Quod ergo descenderim de cœlo, quod panis vivus et verus sim, hoc dixi vobis, et adjeci : « Quia vidistis me, et non credidistis (*Matth.* XI). » Hoc sane, « ut non faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, » vos reprehendere non potestis, quem profecto Deum esse non dubitatis. Nam et si de cœlo me descendisse non conceditis, attamen a Deo missum, id est Prophetam magnum, qui venturus sim in mundum, paulo ante confessi estis. Hoc, inquam, non reprehenditis, ut « non faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » Quid est enim non voluntatem ejus, qui, ut dico vere, misit me, sed voluntatem propriam facere, nisi propria utendo potestate, injuste aliquid disponere, non rerum merita pensare, sed præjudicia faciendo, bonum malum, vel malum bonum dicere, tenebras pro luce, et lucem pro tenebris ponere (*Isa.* V). Hoc ergo vos improbare non potestis quod « non faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » Proinde cœptam prosequar causam, ut rationabiliter vos ab æternæ vitæ convivio seclusos, et alios admittendos esse ostendam.

« Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. » Sed hoc vobis adhuc forte clausum est, nec intelligitis quid sit illud : « Omne quod dat mihi Pater. » Dico ergo idem manifestius : « Hæc enim est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam. » Quod dixi : « Ut omne quod dedit mihi, » idem est quod nunc dico : « Ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum. » Sed idcirco sic et sic dixi, ut sciatis non magis circumcisionem, quam præputium, signum esse illorum, « quos dedit mihi Pater, » quos vult, ut non perdam, quos vult habere vitam æternam, sed sola fide discerni, solo amore filii recognoscendos esse quos ille mihi Filio suo salvandos dederit. « Omnis qui videt Filium, » qui oculos cordis non claudit contra illum, sed videt, et videns gaudio gaudet, « et credit in eum, » ipse est illud quod « dedit mihi Pater. » Et cum sit « voluntas ejus qui misit me, Patris, » ut non perdam quid ex eo quod ipse mihi dederit, sed resuscitem illud in novissimo die, ego non ita econtrario faciam voluntatem meam, ut respuam quemquam, eo quod non sit semen Abrahæ, vel quia non sit insignitus circumcisionis charactere? Si autem omnis, qui videt et credit, vitam habet æternam pro voluntate Patris, quanto magis, qui non viderunt et crediderunt æterna vita digni sunt? Omnis ergo, sive qui corporali præsentia

A me habens videt opera quæ facio in nomine Patris mei, et credit, sive qui rationis intuitu videbit et credet, videlicet cum sibi annuntiatum fuerit, jam habet vitam æternam, jam ex eo quod credit, transiit, ut supra dixi, de morte in vitam, « et ego resuscitabo eum in novissimo die. » Et nunc jam habet vitam æternam, videlicet resuscitatus secundum animam et in futuro quando omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei et procedent, ego ex nomine vocans, resuscitabo eum, et de massa vel congerie morte æterna mortuorum, in resurrectionem judicii procedentium, discernam illum. Ego enim sicut panis vitæ, sic et resurrectionis quoque corporum dator sum. Ad hoc valebit ei venisse ad me, vel credidisse in me, ut a duplici corpo-
B ris et animæ morte resurgat, et, sicut supra dixi, amplius non esuriat, neque sitiat (*Joan.* V).

« Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis, qui de cœlo descendi, et dicebant : Nonne hic Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? quomodo ergo nunc dicit : Quia descendi de cœlo ? » Hoc est peccatum illorum, de quo excusationem non habent. Nam nescire quod descenderit, vel quomodo descenderit de cœlo, non adeo mirum erat, præsertim cum vulgata opinione putaretur esse filius Joseph, sed de illo murmurare, et non potius cum illo agere, vel ab illo quærere, ut scire mererentur, de illo, inquam, murmurare peccatum erat, per quod merebantur viam veritatis nunquam invenire. Non enim hoc erat notitiam ejus
C quærere, sed invidiæ flammam adversus illum superbiæ et indignationis spiritu conflare. Sic et patres eorum non ex eo Deum provocaverunt, quod escas petierunt, sed ex eo quod tentando et murmurando petierunt, sicut ait Psalmista : « Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis, et male locuti sunt de Deo, et dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto (*Psal.* LXXVII) ; etc. Igitur et hi tentatores filii tentatorum, id est, murmuratores filii murmuratorum, non ex eo Christum Dominum offenderunt, quod illum esse filium Joseph opinati sunt, sed ex eo quod cum opera cœlestia faceret, et se de cœlo descendisse diceret, maluerunt ad invicem de illo murmurare, **203** quam ab illo descensus ipsius mysterium intentione discendi humiliter quærere. Non enim
D parvum superbiæ contemptum redolet, quod eum hoc loco ex nomine feriunt dicentes : « Nonne hic est Jesus filius Joseph, » videlicet multum adversa sibique repugnantia noverant hæc esse, de cœlo, ut aiebat ipse, descendisse, et, quod vulgo opinabantur, filium Joseph esse. Rursus omnino sibi consentiebant, et consequentia erant, de cœlo illum descendisse, et Dei Filium, qui de Patre multa illis supra dixerat, existere. At illa diabolica conflagrati invidia Patrem Deum, cujus auctoritatem contemnere non possent, in verbis ejus se advertisse dissimulabant, et quod solum sciri volebant, Jesum videlicet hominem filiumque Joseph et Mariæ esse, importune et mendose describebant.

« Dixit ergo eis Jesus : Nolite murmurare invicem. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum. » Murmurantes corripiens, quia forte non intellexerint magnifice Patrem alium, majorem quam est Joseph, illis, imo contra illos se habere astruit : « Nemo, inquit, potest venire ad me, « videlicet ad quem cum venerit quis, ut supra dixi, non esuriet, neque sitiet; nemo, inquam, potest venire ad hoc, ut « non esuriat neque sitiat, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum. » Hoc plane majus est quam Joseph. Quia dixerant: « Nonne hic est filius Joseph ? Imo et omni homine hoc majus est. Quis enim hominum quemquam attrahere potest ad manducandum, sicut manducari oportet hunc panem vivum et verum? Ipsum attrahi quid sit quæramus, et liquido patebit, quod nemo quemquam attrahere possit, nisi solus Deus. Attrahi ad Christum panem vivum et verum, id est, esurire ac sitire justitiam, tantumque habere fastidium vel odium omnis injustitiæ, ut talem vacet illi esuriem sitimque tolerare. Ad hæc autem quis idoneus? Cujus in manu cor cujusquam est, ut hoc in illo possit, efficere ? Nunquid Pauli ? nunquid Apollo ? nunquid Cephæ ? Nunquid in manu est cujusdam omnium verbo Dei ministrantium, ut dum prædicando Dei verbum, quasi frangit panem vivum, det mortuis manducandi et vivendi desiderium ? Nempe sicut Paulus plantavit, Appollo rigavit, Deus autem incrementum dedit (*I Cor.* III), et sicut: « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam (*Psal.* CXXVI), » sic in vanum prædicatores frangunt panem, vivum, nisi Deus in mentibus auditorum, sanctum ejusdem panis excitet desiderium. Igitur ad Christum quemquam attrahere, id est, esuriem sitimque justitiæ cuiquam dare, cum nemo possit nisi Pater, ac proinde majus sit hoc omni homine, scilicet quemquam ad Christum attrahere, satis magnifico ab effectu probare incipit, quod Pater suus longe major quam Joseph sit. Verumtamen et hoc sciendum, quia hæc attractio non minus Filii quam Patris gratiæ opus est. Nam, et de seipso hic idem Filius : « Et ego, inquit, si exaltatus fuero, omnia traham ad me (*Joan* XII). » Et eidem sponsa sua, scilicet Ecclesia, dicit in Canticis: Trahe me post te (*Cant.* I). » Cur ergo nunc de sola persona Patris dixit, quod oporteat eum qui ad se venit, ab illo trahi ? Videlicet quia de Patre Jesu murmuratio suborta, vel ventilata est a dicentibus : « Nonne hic est Jesus filius Joseph ? » Opportune primum de Patre ait : Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me attraxerit eum, » quod idem est ac si diceret : Nemo potest hunc panem manducando vitam æternam habere, nisi credendo amaverit, vel amando crediderit : non Joseph, sed Deum Patrem meum esse, et ab illo me esse missum de cœlo, ut nascerer de matre virgine. Deinde de non inæquali cum Patre sua potestate protinus subjungit : « Et ego resuscitabo eum in novissimo die. » Hoc supra dixit se facturum, cum ejusdem voluntate Patris, quia videlicet quod illic dixit : « Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet ; » et hæc est voluntas Patris mei, « qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. » Hoc idem murmurantibus illis graviori pondere repetiit : « Nemo, inquiens, potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum ; » murmurantes et invidos terribili prænuntiatione excipiens ab illis quos Pater sibi daturus sit. At illi quos Pater iste non trahebat, eo videlicet modo quo jam dictum est : non enim idcirco venerant ad eum, quod esurirent ac sitirent justitiam, sed quia, sicut ipse ait, manducaverant de panibus et saturati fuerant, adhuc indignantes murmurare poterant, et ad invicem dicere : « Et quis ille Pater est, vel quis ex vobis omnibus, qui homo sit, ad istum, ut credat in eum attrahendus vel cogendus est? » Adversus hujusmodi contemptum illorum, insigni propositione subjungit:

« Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. » Hoc maxime in Jeremia scriptum est his verbis : « Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam ; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens : Cognosce Dominum ; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus (*Jer.* XXXI), » etc. Nunc enim postquam impletum est, quod idem propheta præmiserat dicens : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum non secundum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt (*ibid.*), » etc. Nunc, inquam, postquam dedit legem suam in visceribus nostris ; et in cordibus nostris Spiritu sancto scripsit eam (*II Cor.* III), non docet ultra vir Judæus proximum suum, ut facit proselytum, dicens : Cognosce Dominum. » Omnes enim a minimo usque ad maximum, id est, a rusticano usque ad scribam doctum, cognoscunt id, de quo nunc agitur, quid talis vir nescit, scilicet Deum Patrem habere, et in hunc mundum misisse Christum Filium, et sic docibiles Dei sunt. Hoc enim nunc agitur, ut prædictum est, adversus illos murmuratores, quod Deus Christi sit Pater, dicentibus illis: « Nonne hic est Jesus filius Joseph ? » Ait ergo : « Est scriptum in prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. » Et ut manifestius fiat in quo docibiles Dei futuri sint, protinus adjungit : « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. » Ac si dicat : Et omnes quicunque docibiles Dei fuerint, hoc ab illo discent, ut credant in me. Omnis enim « qui habet aures audiendi (*Matth.* XIII), » quas exigit doctrina Dei, et intrinsecus discit (ubi non vox hominis perstrepit, nec penetrat caro et sanguis, sed sola revelatio Patris, qui est in cœlis), non potest se avertere a Filio Dei, sed « venit ad me, » inquit, credit in me, astringitur mihi insolubili vinculo

dilectionis, festinat inter membra reca computari, ut idem, cujus ego natura filius sum, ipse quoque in spiritu adoptionis filiorum « abba Pater (*Rom.* VIII) » clamare possit, quo videlicet Spiritu præveniente, docibilis Dei modo supradicto factus est. « Non quia Patrem vidit quis, sed [nisi is] qui est a Deo, hic vidit Patrem. » Non, inquit, ex eo quod dixi : « Omnis qui audiit **204** a Patre, et didicit, venit ad me, » consequitur aut colligi debet, quod Pater meus visibilis sit, aut corporaliter, ut homo adiri potuerit, et audiri, quomodo vos indignationis et invidiæ fumantes nebulam murmuratis, quod dixerim : « Quia descendi de cœlo, » cum Joseph pater meus sit, quem vos scutum cordis arripuistis, ne a Patre meo quidquam audire vel discere possitis. Pater meus ille est « quem vidit hominum nemo, nec videre potest, qui lucem habitat inaccessibilem (*I Tim.* VI). » Nam et si patrum aliqui Deum vidisse leguntur, non in sua tamen substantia viderunt, aut videre potuerunt, sicut Moysi dicenti : « Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum, ut videam te manifeste, responsum est : « Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII), » cum utique Scriptura eadem de eodem Moyse præmisisset : « Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum (*ibid.*). » Sane de beatis angelis hoc intelligendum non est, quia visione Dei perfruantur. Non enim hic de illis agitur, sed de hominibus, quorum nemo Deum vidit unquam ; quia stabat paries inimicitiarum, id est, originale peccatum inter homines et Deum, solvendus in carne Christi per passionem mortis (*Joan.* I), ut posset ab hominibus Deus videri. Ait ergo : « Non quia Patrem vidit quis ; » et adjecit : « Nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem (*Ephes.* II). » Hic, inquit, qui non est ab homine, cujus esse non incœpit ab Joseph, sicut vos dicitis, adversum me murmurantes ; hic, inquam, scilicet ego, vidit Patrem ex cunctis filiis hominis, quia solus ab illo sum, videlicet natus, non factus. Alioquin non valeret hæc differentia, quia dixi : Nisi qui est a Deo, cum omnes homines a Deo facti sint, quorum tamen illum vidit nemo. Notandum quippe est quoties ita absolute positum invenitur, a Deo vel ex Deo esse, ut non sit additum, factum vel creatum, subaudiendum esse natum, etiamsi de hominibus sermo sit, ut illud : « Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* VIII). » Subaudiendum est enim, nati, imo renati, videlicet ex eo quod nativitate regenerantis gratiæ quis indignus est, verba Dei audire non potest. Cum ergo dicit : « non quia Patrem vidit quis, nisi hic qui est a Deo, » subaudiendum est natus vel genitus illa videlicet generatione vel nativitate, quæ non gratiæ, sed naturæ est, non enim ait : Nisi hi qui sunt a Deo, sed de uno seipso, hic, inquit, qui est a Deo, subaudis, solus per naturam natus vel genitus, solus coæternus et consubstantialis Filius. Nam nisi propriam

A hic accipias Filii Dei generationem, in eo quod ait : « Nisi, qui est a Deo, hic videt Patrem, » consequitur quod omnes qui ex Deo sunt, viderint Deum. Sed nos omnes, qui spiritum adoptionis filiorum accepimus (*Rom.* VIII), ex Deo nati sumus, et filii Dei nominamur et sumus (*I Joan.* III, VII), sed nondum apparuit quid erimus, et tamen nemo nostrum vidit Deum. Ergo hic qui est a Deo, et proinde vidit Patrem, hic ita a Deo, quomodo unigenitus, quomodo solus consubstantialis, Filius unicus, filius, inquam, solus naturalis. Nam cæteri omnes adoptivi sunt. Sequitur :

« Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. » Postquam in asumptione qua dixerat : « Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non
B esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam, » consistens veritas murmurantes, et concedere nolentes usque ad victoriam redarguit, Cerinthum quoque et alios qui nondum erant, hæreticos prædamnans, quia, dicturi erant, Christum non de cœlo descendisse, sed de Maria existendi initium habuisse, vel etiam ex Joseph genitum fuisse, nunc tandem forti conclusione majestas Verbi æterni cœpta perficit, impios confundens, pios autem ad manducandum seipsum panem vitæ æternæ alliciens : « Amen, amen, inquit, dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. » Hoc utique ex præcedentibus constans, et verum esse fidelibus perspicuum, infidelibus autem inexpugnabile est. Si enim « Pater det panem de cœlo verum, qui descendit de cœlo, »
C et dat vitam æternam, et ego ille sum panis vitæ, ergo « qui credit in me, habet vitam æternam. » Idcirco superius vobis dicere cœperam : Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam : hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit. Interturbastis dicentes : « Quod ergo signum tu facis, ut videamus et credamus tibi ? quid operaris ? Patres nostri manducaverunt in deserto manna. » Proinde dixi vobis, quia « ego sum panis vitæ, » nunc iterum dico : « Ego sum panis vivus [vitæ]. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. » Conferte effectus, videte panis utriusque distantias. « Patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt ; » patres vestri, inquam, mali, patres
D malorum, murmuratores, patres murmuratorum, infideles, patres infidelium, quamvis omnes eumdem escam spiritualem manducaverint et eumdem potum spiritualem biberint, quem et boni patres bonorum (quales fuerunt Moyses et Aaron) « manducaverunt manna et mortui sunt, » imo cum essent mortui mala morte peccati, manducaverunt, et manducando non revixerunt, sed illo cibo saturati ad inferos descenderunt, in tantum mortui secundum interiorem hominem, ut quidam eorum, vitam retrahentes adhuc exteriorem, absorpti a terra, et operti humo de medio multitudinis perierint (*Num.* XVI). Quid ergo, inquis : Illi qui manducant hunc panem

non moriuntur? Dixisti enim: « Hic est panis de A cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. » Nonne et omnes qui manducant hunc panem de quo dicis: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, » et qui bibunt calicem quem de quo dicis: « Hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI), » nonne, inquam, isti manducantes et bibentes omnes quidem secundum carnem, multi vero etiam secundum animam moriuntur? in quo ergo panem hunc præfers illi, quem patres manducaverunt, pro eo quod manducantes manna et bibentes aquam de petra mortui sunt omnes quidem secundum carnem, aliqui vero etiam secundum animam? Concedimus enim multos ex eis mortuos esse secundum animam, sicut ait Spiritus sanctus in David: « Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea; Si introibunt in requiem meam B (*Psal.* XCIV). » Quamvis etenim dixerit, aliqui illa morte qua prostrata sunt cadavera illorum in deserto consumptum fuisse peccatum eorum (*Num.* XIV), sic intelligentes quod scriptum est: « Non judicabit Deus bis in idipsum (*Nahum* I, *sec. LXX*), » quod temporali morte puniti omnes evadunt mortem æternam, aliorum tamen meliorem tenemus sententiam dicentium, quia quosdam flagella damnant et non liberant, videlicet eos, de quibus per prophetam dicitur: « Percussi eos nec doluerunt, attrivisti eos et renuntiaverunt accipere disciplinam (*Jer.* V). » His, inquiunt, flagella ab hac vita inchoant, et in æterna percussione perdurant. Unde per Moysen Dominus dicit: « Ignis succensus est in furore meo et **205** ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* C XXXII). » Itaque et juxta prophetam eumdem dicentem: « Et duplici contritione contere eos (*Jer.* XVII), » plerosque illorum in corpore simul et in anima periisse concedimus: præsertim cum illis exacerbantibus Deum exacerbatione tentationis in deserto et cognoscere nolentibus via ejus, juraverit ipse, ut prædictum est, in ira sua, quod non introirent in requiem suam (*Psal.* CXIV). In quo igitur hunc panem, quem qui manducant, nihilominus moriuntur, præfers illi quem manducaverunt patres illorum, et mortui sunt. Ad hæc inquam: Attende diligentius, nunquid ullam fecit exceptionem patrum malorum sive bonorum? Nonne universali enuntiatione dixit: « Patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt? » Patres enim vestri, D inquit, non solum murmuratores vel infideles mortui sunt, sed etiam justi, et quantolibet fideles patres omnes vestri mortui sunt, ea videlicet ex causa qua omnes homines moriuntur in Adam. (*I Cor.* XV.) Et hoc dico, quia, quamvis manna manducaverint, nihilominus omnes eadem in morte detenti sunt, sicut et antiquiores illorum patres, vel ipsorum juniores, qui manna non manducaverunt, quia diebus illis non fuerunt. Dixi ergo: Quia patres vestri manna manducaverunt et nihilominus mortui sunt (*Gen.* XLIX), quam illi qui non manducaverunt, nihilominus apud inferos propter originale peccatum detenti sunt, quam illi qui ante vel post illud manna, hinc ad populos suos per viam universæ carnis adducti sunt (*III Reg.* II). Non per illud manna liberati sunt, neque ascenderunt ad convivium angelorum, ut visione Dei perfruerentur, qua beati angeli æternaliter vivunt, quam in patre suo Adam omnes homines perdiderunt. Sed « hic est panis de cœlo descendens. » Et ad quid de cœlo descendit? « Ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur. » Nam qui non manducaverit morietur, imo jamdudum mortuus in Adam, ab illa ejus hæreditaria morte non liberabitur. Et quidem mortuorum multitudo plurima est a corporibus separatorum, hunc panem exspectantium apud inferos, quo fraudavit eos peccando pater ipsorum. Magna deinceps ventura est multitudo gentium hunc panem dum adhuc in corpore sunt flagitantium, jamque dum adhuc in carne vivunt manducaturi sunt. Utrisque scilicet et illis qui jamdudum defuncti sunt, et his qui adhuc viventes in carne sunt vel erunt, ecce parata est a Patre meo mensa in conspectu ipsorum (*Psal.* XXII). Dico enim vobis: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. » Quoniam convivæ Patris mei per mortem dissipati sunt, propter vetitum cibum quem manducavit pater psorum, et animæ quidem apud inferos, corpora vero in sepulcris sunt; dissipabor et ego panis angelorum, et secundum illam substantiam qua pascuntur angeli, pergam ad inferos, ubi animæ esuriunt, et secundum corpus eodem terræ ventre reconditus, quo recondita sunt corpora illorum, illic ego tribus diebus et tribus noctibus, sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus (*Matth.* XII; *Jon.* II), unde et animæ visione Dei recreatæ reviviscent, corpora vero nunc quidem multa, in futuro autem cuncta resurgent (*Matth.* XVI). Deinde residuis, id est, quos præsens adhuc sæculum in carne retinet, dabitur hic idem panis in ea specie quæ viventibus congrua est, id est, in vero sacrificio panis et vini secundum ordinem Melchisedech.

« Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Summa hæc sit consolatio pauperibus quibus spiritus Domini veniens super me, evangelizare misit me (*Isa.* XVI; *Luc.* IV); summa, inquam, et incomparabilis congratulatio sit hæc gentibus terminisque terræ (*Psal.* II) quos in hæreditatem vel possessionem postulans accipiam a Patre. Quia nihil minus habebunt de hoc pane vitæ, quam antiqui patres, quibus hunc panem signavit, « et dedit Pater qui misit me. » Nam descendens ad illos ut reficiantur ex me, cum infernus me momorderit, et ego morsus ejus factus fuero (*Ose.* XIII), mors mortis in visceribus ejus conclusus, additus esurientibus sanctis vel justis, ut vivificentur universi, tunc ego dabo panem istis residuis, in quo non deest veritas ejusdem carnis meæ vel corporis, quod eductum de ventre ceti, salvum et integrum residebit æternali-

ter ad dextram Patris. Panem eumdem angelorum A me tribuente manducabit vivens homo, modo sibi congruo, quem dat Pater his qui recesserunt, ut manducent et resurgant, nunc quidem animæ, corpora quidem in die novissimo. Animadvertendum est hoc loco, cum utrobique valeat, et nunc vertibilis [convertibilis] sit hæc propositio : « Et panis quem ego dabo caro mea est. » Etenim sive carnem de pane prædices hoc modo : Et panis, (quem ego dabo dicens, accipite et comedite,) caro mea est, vel corpus meum est ; sive carnem de pane prædices, ita et caro mea, quæ mortua ventre terræ glutienda est, panis est, quia refectis mortuis vitam et resurrectionem datura est, cum, inquam, quocunque vertas, sententia vera sit, ordo tamen litteræ personarumque vel temporum mutatio exigit, B ut panis subjectum, et caro prædicatum debeat accipi. Nam hactenus de persona Patris dixerat, quod ille panem verum daret, et ipse Filius panis esset. Nunc ipse panis vivus et verus ad suam personam per futurum tempus verbi ejusdem transitione facta : « Et panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Et revera quem Pater dedit panem angelorum, ut carnem assumeret et moreretur, quatenus vivificaret, ipse panis cœlestis panem terrenum nobis dat, quem viventibus et quibus manducari potest, vitam det æternam in carnem suam transmutat. Et sic Verbum quod est panis angelorum, caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem ; sic idipsum Verbum jamdudum caro factum, panis visibilis fit, non mutatum in C panem, sed assumendo, et in unitatem personæ suæ transferendo panem. Proinde sicut de carne nostra, quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem personæ, quæ [quia] Deus est, sic nihilominus de pane isto visibili, quem ejusdem Verbi invisibilis Divinitas assumens, in carnem suam transfert, vere et catholice confitemur, quia corpus Christi est. Ait ergo : « Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, » videlicet ut mundus redemptus manducet et vivat, emundata prius per baptismum ceteris quem serpens dedit et persuasit, sibi macula. Igitur ab effectis liquet, quanto melior hic panis sit illo, de quo dixerant : « Patres nostri manducaverunt manna et mortui sunt. » Hic autem est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Sane cum dicit : « Qui D manducat hunc panem, vel qui manducat meam carnem, » semper *digne* subaudiendum est. Quemadmodum quoties dicitur in Scripturis sanctis : Angelus Domini, vel Spiritus Domini, nec additur malus, sine dubio bonus angelus, vel bonus Spiritus intelligitur. Ita nimirum quoties dicitur : « Qui manducat et bibit, » et non *indigne*, procul dubio *digne* subaudiendum est. Proinde et quod dixit : « Patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt, » quoniam absque bonorum vel malorum patrum
206 distinctione, dixit, sciendum est quia quantumcumque bene manducaverint aliqui ex illis, tamen omnes mortui sunt, id est, ab hæreditaria morte, qua in Adam omnes moriuntur, per illud manna liberati non sunt, sed per hunc panem omnes vivificantur electi, qui vel antequam hic panis de cœlo descenderet, fuerunt mortui, vel postquam descendit nati sunt, eidem morti obnoxii. Sequitur :

« Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? » Et supra quando dixit : « Ego sum panis vitæ, » murmurabant, et nunc quando dicit : « Et panis quem ego dabo caro mea est, » rebelles et increduli Judæi ad invicem litigant, nusquam duram eruditi sunt flectere cervicem, ad interrogandum veritatis Magistrum, videlicet eo modo, quo percontari solent hi qui scientiam veritatis esuriunt ac sitiunt, sed murmurant, sed litigant, sed verba æternæ vitæ blasphemantes, insaniæ deputant. Num ergo istis diceret, quomodo posset carnem suam dare ad manducandum ? Litigabant ad invicem, murmurabant ad invicem, et consilium sapientiæ Dei, non ab ipsa Sapientia Dei, sed murmurando et litigando quærebant ad invicem : quid nisi malum discerent ab invicem ? « O homo, inquit Apostolus, tu quis es, qui respondes Deo » ? (*Rom.* IX.) Talibus enim qui non amore discendi interrogant, sed intentione adversandi disputant, nihil aliud dicendum est, nisi ut tanquam indigni sapientiæ responso procul absistant. « Dicit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Ergo, inquit, quoniam vos nequaquam esuritis, animas sursum in cœlum suspenditis, unde panis iste descendit, ut revelet vobis Pater qui est in cœlis, quod revelare non potest caro et sanguis (*Matth.* XVI), sed litigatis ad invicem cordibus impacatis, hoc tantum vobis dixerim, quod « nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Quis autem est modus manducationis, non meum est aperire vobis. Sanctum enim hoc est, quod litigiosis canibus dandum non sit ; margaritæ sunt, quæ videlicet ne conculcentur, ante porcos mittendæ non sunt (*Matth.* VII). Nondum saltem servi estis, qui reverentem aurem Domino præbeatis : nedum amici, quibus solis notum facere habeo ritum vel ordinem, causasque divinas hujus epulationis. Hoc ergo tantillum scitote, quia « nisi manducaveritis non habebitis vitam in vobis. » De hoc cibo corporis et potu sanguinis Domini, hæc a sanctis doctoribus data est sententia, quam et velut pro maxima vel prima definitione adversus idem corpus et sanguinem Domini, nimium festini lectores et immaturati præripuere doctores. Hunc, inquiunt, cibum, et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia, in prædestinatis, et vocatis, et justificatis, et glorificatis sanctis et fidelibus ejus. Quid enim ? Nunquid ab eisdem patribus ibidem tacitum est, hujus rei unitatis corporis Christi quod est Ecclesia, sacramentum esse

panem et cibum quod in Dominica mensa præparatur, et de mensa Domini consumitur? Quid autem est vel unde dicitur sacramentum, nisi a sacrando, eo quod rem istam, id est, corpus Christi quod est Ecclesia consecret, et consecrando efficiat unitatem? Nam sicut dicitur ornamentum hoc vel illud, eo quod ornat, et vestimentum eo quod vestiat, et cætera similia; sic Domini corpus quod in altari sumimus, et sanguis ejus, prædictæ unitatis recte sacramentum dicitur, eo quod illo cibo potuque visibilii in unam Christi Ecclesiam, quæ sit corpus ejus, plenitudo ejus, invisibiliter consecremur. Igitur prædictam sententiam nullatenus pro maxima definitione vel descriptione manducandi carnem et bibendi sanguinem Domini accipimus, præsertim cum ipse ore proprio, quando voluit, quibus voluit, quosque dignos judicavit, tam diligentem definitionem vel descriptionem dederit, ut nemo dialecticorum vel philosophorum unquam diligentius definire substantiam, vel quodlibet individuum quiverit. Nam quod solent facere illi, cum primarum quamlibet rerum substantiam designare volunt, verbi gratia, cum æquivocationem determinantes, contra argumentorum sophisticas importunitates dicunt, Alexander rapuit Helenam (cogimur enim nunc talium in tanto negotio meminisse nugarum, et sagittantes parvulos repercutere sagittis parvulorum), cum, inquam, dicunt : Alexander rapuit Helenam, quoniam potest opponi : Alexander non rapuit Helenam, Alexander Philippi rex Macedo, non rapuit Helenam ; determinantes dicunt : Alexander is de quo nunc agitur Trojanus Priami filius, rapuit Helenam ; hoc idem summa sapientia fecit, ubi ostendere voluit, quomodo carnem suam nobis ad manducandum dare possit : « Hoc est, inquit, corpus meum. » Et addidit : « Quod pro vobis tradetur. » Item : « Hic est sanguis meus, » et adjecit : « Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Totumque modum manducandi carnem suam et bibendi sanguinem suum perscribens : « Hoc, inquit, facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII). » Proinde cunctis figurarum vel similitudinum nebulis amotis, non corpus quodlibet, non corpus Christi quod est Ecclesia ; sed illud corpus Domini, quod pro nobis traditum est, nos manducare, et illum sanguinem, qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum, nos bibere indubitanter credimus et quod fecit ipse, hoc idem in commemorationem ipsius scimus et bene scimus nos facere, id est, carnem ipsius manducare et sanguinem bibere. Et quamlibet sancta Ecclesia corpus Christi sit, et sic ex multis hominibus consistat, quemadmodum panis ille, quem vere dicimus corpus Christi, multis constat ex granis; et vinum illud quod vere dicimus sanguinem Christi, ex multis confluxit acinis; non tamen idipsum corpus Christi est Ecclesia quod pro nobis traditum est, quam propriam differentiam sæpe dictum corpus, quod est panis vitæ æternæ, semper auctore Christo retinet. petur : « Nisi manducaveritis, inquit, carnem meam, et biberitis sanguinem meum, » hoc videlicet quod dicturus sum facientes in meam commemorationem, non habebitis vitam in vobis. Sane qui vel tenerrima cohibentur infantia, priusquam ex hac luce migrant, quam mandicare aut bibere possint, vel qui articulo temporis constringuntur, sicut nonnulli confessores, quos nec baptizari aqua, persecutionis et mortis instantia permisit, non præjudicantur hac sententia veritatis. Nec enim judicatur apud Deum non manducasse, nisi qui manducare noluit, qui non curavit, qui neglexit. De sensibus enim et de voluntatibus judicat Deus, quæ in infantibus edentulis malæ esse non possunt, et in ejusmodi confessoribus cum bonæ sint, non fraudantur effectu, quia manifeste Christi communicant passionibus. Proinde nec parvulos, quos ætatis impotentia manducare vetat, qui mox ut baptizati fuerint, ab hac luce migrant æternæ vitæ exsortes arbitramur, nec præventos a persecutore **207** confessores pios, in sanguine suo baptizatos, corpori Christi communicasse, vel calicem Domini hibisse, quod ad vitam æternam proficiat dubitamus. Sequitur :

« Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in novissimo die. » Non, inquit, vos vestrisque similes, quinque murmuratores et litigiosi, vitam habebitis in vobis, sed ille unus populus meus, qui mihi unitur unitate spiritus, una Ecclesia mea, quæ « manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Hæc enim summa est causa æternæ vitæ effectiva, manducare carnem meam et bibere sanguinem meum, non manducare autem carnem meam et non bibere sanguinem meum, antiquæ perfidiæ est argumentum, qua primi parentes hominum, serpenti quam Deo credere maluerunt. Nec enim differt in culpa, non credidisse, quod manducantes de ligno vetito morerentur, et non credere, quod manducantes carnem meam et bibentes sanguinem meum, ordine præscripto, ab eadem morte liberentur. Qui ergo manducat et bibit recte antiquæ mortis pœna se exuit, et qui non manducat aut non bibit, nihilominus juste relinquitur in antiquo judicio paternæ prævaricationis. Notandum vero, quod cum superius dixerit : « Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die ; » hic itidem sub eadem distinctione, prius, inquit, « habet vitam æternam, » et deinde subjungit : « et ego resuscitabo eum in novissimo die : » videlicet ne quis existimet se absque corporis et sanguinis ejus cibo potuque visibili vitam utramque corporis et animæ, sola fide recuperasse, et isto Sacramento non egere, hoc ipsum repetivit, procul dubio contestans, quod non vere credat, quisquis manducare et bibere contemnit. Nam quantumvis fidelis, et Catholicæ professionis homo sis,

si manducare et bibere recuses de hoc cibo potuque visibili, eo ipso quod tibi hunc necessarium non esse præsumis, a societate membrorum Christi, quod est Ecclesia, te præcidis, neque recte credis in eum, cujus in hoc cibo potuque ab ipso tam diligenter commendato, derogas auctoritati. Nonne primi parentes nostri, et prius intrinsecus invisibiliter corrupti spiritu diaboli, contra Creatorem suum intumuerunt, et deinde per serpentem suasi, visibili quoque cibo perierunt? Ita plane oportet pœnitentem hominem, ut prius invisibili fide subjici Creatori, corde credendo ad justitiam, et ore confitendo ad salutem, et deinde visibili quoque cibo, et potu vitæ æternæ necessariam perficere justificationem (*Rom.* x). Nec illud quoque vacat ab ordine justitiæ, quod prius dum manducat, jam habet vitam æternam, scilicet in anima, Deo vivens per justitiam, et deinde: « Et ego resuscitabo eum, inquit, in novissimo die. » Nam et sæpe dicti primi parentes nostri, et prius æterna morte animæ intrinsecus, et deinde morte quoque corporis extrinsecus mortui sunt. Etenim « quacunque die comederitis ex eo, morte, inquit, moriemini (*Gen.* II), » sine dubio morte animæ, ac deinde sententiam quoque corporeæ mortis acceperunt ab ipso Deo dicente: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia terra es, et in terram ibis (*Gen.* III). » Recte ergo, et servato ordine justitiæ: « qui manducat, inquit, carnem meam, et bibit sanguinem meum, jam habet vitam æternam, » quia jam vivit secundum animam, secundum carnem vero morietur quidem, sed « ego resuscitabo eum in novissimo die. »

« Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Verus, inquam, cibus, et verus est potus, quia verum est quod pollicetur, quia vera spes est, qua manducatur et bibitur. Unde et constat cibum hunc, cibo illi contrario modo esse oppositum, quem homini primo serpens obtulit, quia videlicet cibus ille, cibus fuit mendacii, quia falsum fuit, et falsum est, quod ille cibus pollicitus est, quia cum vana promissione datus, et vana spe divinæ similitudinis consequendæ manducatus est. Sed nondum manducatoribus carnis suæ, et bibitoribus sanguinis tantum promisit ista veritas, quantum in persuasione cibi vetiti pollicita est ista falsitas. Nam divinitatem promisit: « Aperientur, inquiens, oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*ibid.*). » Sequitur ergo: « Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. » Hic perspicue divinitatem pollicetur carnem suam manducantibus et sanguinem suum bibentibus et illusionem nequissimi nebulonis qui dixit: » Comedite et eritis sicut dii (*Ibid.*) » non sine magno cruciatu ejusdem illusoris, serio loquens in verum effectum convertit. Quid enim nobis hoc dicto hic Dei Filius unicus pollicitus est, nisi ac si aperte dixisset: Dii eritis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). Et notandum quod non ejusdem verbis deceptoris usus est dicentis: « Eritis sicut dii, » nec omnino sic dicere debuit: « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, » erit sicut Deus, vel erit similis Altissimo; sed « in me manet, inquit, et ego in eo. » Quis enim est, vel esse potest sicut Deus? Ille namque nullius indiget, nullius ope vel gratia Deus est. Sed quis ita præter illum, naturæ suæ sufficientia Deus esse potest? Sic angelus voluit esse Deus, et factus est diabolus. Sic deitatem appetere suasit homini, et hominem hominis honore spoliavit. Tam hic quam ille, cum voluit esse sicut Deus, voluit sine gratia vel adjutorio melioris esse Deus, et hac voluntate uterque a Deo divisit se. Quid ergo esset, nisi Dei adversarius? E contra, consortium vel gratia Dei deos efficit, et filios Excelsi. Gratiam ergo et communicationem Dei commendans ei, qui manducat carnem suam et bibit sanguinem suum, « in me maneat, inquit, et ego in eo. » Quis autem ego, nisi Deus, nisi Dei sapientia, nisi vera, summa et sempiterna Divinitas? Ergo is, in quo maneo ego, Divinitatem in se transfusam habens, Deus factus est, filius Excelsi renatus est. Non est sicut Deus, quia videlicet unus et solus est Deus, neminem habendo in se, unde factus sit Deus, sed est Deus me habendo in se manentem, unde fit Deus. Nam audi quid sequitur. « Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, ipse vivet propter me. » Ecce Deorum adoptivorum et Dei unici dissimilitudo similis, et similitudo dissimilis: « Sicut, inquit, misit me vivens Pater, et ego vivo propter » ejusmodi « Patrem, sic et ille qui manducat me, vivet propter me. »

Sed quomodo misit me vivens Pater, vel quomodo ego vivo propter viventem Patrem? Misit me dico vivens Pater, id est, genuit me immortalis Pater. Nam in eo me misit, quod genuit. Si vestræ paterentur incircumcisæ aures, cum dico misit, dicerem apertius genuit, sicut in psalmo testatur ipse, dicens ad me: « Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II). » Dico ergo quia misit, quod et ipsum vos audire vix patiamini: « Misit, inquam, vivens Pater me, » quod non est aliud quam genuit et incarnari voluit me: « Et ego vivo propter Patrem, » id est, propter hoc Deus vivens, Deus immortalis sum, Deus **208** impossibilis, Deus incommutabilis sum, quia talem habeo Patrem, quia talis Pater me misit, quia talis Pater me genuit. Et « sicut ego vivo propter hujusmodi Patrem, » sic et is, « qui manducat me vivet propter me, » id est, idcirco sempiterne et beate vivet, idcirco Deus et filius Excelsi est, quia « manducat me, quia maneo ego in eo, et ipse in me. » Ecce, inquam, similitudo Divinitatis, similitudo vitæ et æternitatis, similitudo deorum adoptivorum et unici Dei. Sed hæc, ut prædictum est, similitudo dissimilis est. In quo? Videlicet quia causæ diversæ sunt. Quare « ego vivo propter Patrem? » Quia vivens

ipse Pater misit, id est, genuit me. Quare vivet homo propter me? Quia manducat me. Non ego manducavi Patrem ut viverem, sed vivo propterea, quia Pater in seipso vivens et nullius indigens, genuit me, nihilominus in meipso viventem, et nullius indigentem. Homo autem non propterea vivit, quod Pater illum genuerit, sed idcirco ut vivat, manducat me, quem solum Pater genuit. Est ergo, ut prædictum est, dissimilitudo similis, et similitudo dissimilis, unici Filii multorumque filiorum Excelsi, dum hic vivit, quia genitus est; illi autem vivunt, quia manducant eum qui genitus est. Attamen nihil hac differentia perdunt, quoniam etsi nati dii non sunt, manducante me, qui natus Deus sum, mecum unum corpus fiunt. Proinde non suspiret homo, qui æternum vivere vellet, quod abegit Deus hominem prævaricatorem factum, ne sumeret de ligno vitæ, et viveret in æternum. Nam ecce « habet panem verum, » de quo « si quis manducaverit, vivet in A æternum, » imo gaudeat, quod non est permissus, ut comederet tunc de ligno vitæ, et viveret in æternum. Si enim tunc comedisset, sic viveret in æternum, quomodo vivit ille cujus suasu comedisset. Econtra, si nunc vivet in æternum, quomodo vivo ego propter quem vivet, quo tribuente manducat ut vivat propter me. Sequitur : « Hic est panis de cœlo descendens, non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum. » Brevi epilogo colligit atque enumerat partes superiores et commemorat quibus de rebus hactenus verba fecerit, ut earum memoria renovetur atque redintegretur in animo auditoris. Hæc enim eodem ordine quo nunc in conclusione recolligit superius exposuit; videlicet, quod panis B ipse verus de cœlo descendit, quod non fuerit manna, quod manducaverunt patres illorum, et mortui sunt. His ergo pro posse decursis reliqua sequenti volumine transigenda sunt.

LIBER SEPTIMUS.

De Domino nostro Jesu Christo in servo ejus David, eodemque Patre ipsius secundum carnem Spiritus sanctus prælocutus est, dicens : « Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in C æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX) ; » hujus autem Melchisedech ordo fere nulli incognitus est, scilicet quia regresso Abraham a cæde regnum, protulit, non carnes sanguinemque hircorum aut vitulorum, sed panem et vinum (*Gen.* IV): « Erat enim, inquit Scriptura, Sacerdos Altissimi, et benedixit ei, » hoc videlicet dicto magnifice innuens quod tali ordine ritum socerdotii Altissimi præcurrerit. Hujus ordinis sacramentum præfulgidum, sub velamine legis reconditum, hoc loco dum Dominus noster, rex et Sacerdos verus retegit, tantis oculos hominum radiis ferit, ut intendere non volentes, toti fugiant aversi, quemadmodum in typum talium hominum olim fugerunt patres ipsorum, non valentes ferre claritatem vultus Moysi, quia splendida D facta fuerat ex collocutione Dei (*Exod.* XXXIV). Si etenim reverberati sunt claritate hujus veritatis isti filii illorum murmuratores et litigiosi, non quod claritas sempiterna rationali creaturæ naturaliter noxia sit, sed quia creaturæ ratio suos irrationabiliter polluit et sordidavit oculos terrenis concupiscentiis, ita ut lumen suum videre non possit. Nam qui se averterunt, quantum cum auxilio Dei possunt, ab ea quæ in mundo est, concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum (*I Joan.* II), his amica et dulcis est Divinitatis claritas ; et si ex parte infirmantur atque reverberantur, non tamen fugiunt, non murmurant, non litigant, sed exspectant donec « veniat quod perfectum est, et evacuetur quod ex parte est (*I Cor.* XIII), » Hæc jam tunc in illis hominibus præcurrentia fuerunt, qui audiebant Dominum Jesum, sicut sequentia declarabunt. Sequitur: « Hæc dixit in Synagoga, docens in Capharnaum. » Synagogam illam murmurosam et litigiosam, in qua dixit hæc Dominus noster, illis qui audiebant econtra dicentibus: « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum, » non incongrue magni doctores aiunt, per illum regem Achis præsignatam fuisse, ad quem venit supradictus David, fugiens Saulem, qui et vocatur Abimelech, secundum titulum psalmi XXXIII, quando et commutavit vultum suum, et dimisit eum, et abiit. Namque dixit Synagoga illa : « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? « Recte intelligitur in isto prædicti regis nomine Achis. Achis enim interpretatur *quomodo est.* Quia vero Synagoga eadem, quæ Filium Dei non recipiebat, eumdem ipsius Patrem, Deum suum esse profitebatur, recte Filius idem in prædicti psalmi titulo mystice appellat eam Abimelech, quod interpretatur, *Patris mei regnum*. Quod immutavit vultum **209** suum David, illud nobis innuit, quia veterem ordinem sacerdotii secundum Aaron, immutaturus erat hic verus David, Rex et Sacerdos noster secundum ordinem Melchisedech. Achis autem, quod interpretatur *quomodo est*, istius, ut jam dictum est, Synagogæ typum gessit, dicentis, quomodo hic nunc dicit, quia de cœlo descendit, quomodo carnem suam ad manducandum et sangui-

nem suum ad bibendum nobis dare poterit. Nam A hæc rebellione fidem illius pulsantis, in corda sua dum non admittit, quasi tympanizantem et impingentem in ostia civitatis David dura incredulitate repellit. Quapropter dimisit eum, scilicet Achis sive Abimelech, dicentem : « Quare adduxistis hominem insanum ? dimitte illum hinc, et ne egrediatur domum meam (*I Reg.* xxi). »

Nam revera dimisit eam et abiit; dimisit, inquam, Synagogam, et ad Ecclesiam de gentibus abiit, pro eo quod immutationem vultus ejus, id est prædictam veteris sacerdotii, translationem ferens, insaniæ deputavit, ita ut per illud quod ibidem de eodem David dictum est, et defluebant salivæ in barbam, nihil melius intelligi queat, quam quod infantilia vel inepta, more infantium, quibus dum lo- B qui conantur, salivæ in mentum defluunt, Dominus noster illis videbatur loqui, cum diceret : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, » unde lectionis hujus evangelicæ sequentia sic habent : « Multi ergo ex discipulis audientes, dixerunt : Durus est hic sermo, quis potest eum audire ? » In Psalmo prædicto, cujus in titulo per immutationem vultus Davidici mutatio nobis, ut jam dictum est, innuitur veteris sacerdotii. Dicunt pauci illi, qui aliis retrocedentibus, adhærent hic vero Sacerdoti : Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* xxxiii). » Isti autem multi, et omnes quos nomine multitudinis sancta Scriptura denotare consuevit, ut ibi : « Multi vocati, pauci vero electi (*Matth.* xx. » C Itemque : « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* xxxix) ; » isti, inquam, multi et multarum palearum cumuli, dicunt : » Durus est hic sermo, quis potest eum audire ? » Videlicet sicut contrario spiritu aguntur in mente, et resistunt Spiritui Dei, sicut verba bonorum verbis de hoc sacramento dicunt contraria. Dicunt illi ; « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, » dicunt illi ; « Durus est hic sermo. » Ecce quam contrarii sunt, et quam contraria dicunt. Sicut [sic] enim contrarius est sermo durus suavi, sicut amaro dulcis, sicut aspero mitis. Plane usque hodie contraria ista non desunt, quæ tunc in illa Synagoga dicta sunt. Illis quidem durus erat hic sermo, quo dixerat : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in D vobis. » Primum quia sic intelligebant secundum carnem, quam soli sapiebant, quod concidi et sic manducari oportere dixisse carnem suam quemadmodum consueverant concidere et manducare carnes agni, seu cujuslibet bruti pecoris, et bibendum esse sanguinem suum, quomodo nec animalis cujusquam sanguinem gustare lex permittit, dicens : « Non comedetis cum sanguine (*Gen.* ix ; *Lev.* iii), » et juxta sensum vel doctrinam ejus neminem posse vitam habere in se, nisi fecisset. Quod tam auctoritate legis divinæ quam communi sensu omnium hominum constabat horrendum et exsecrandum facinus esse, atque ideo non modo ad consequendam vitam non valere, sed etiam eidem vitæ omnino contrarium vel repugnans existere. Deinde et hæc illos movere poterat cum ejusmodi sensum haberent, quod, etsi ullo modo fas esse potuisset, sic illum concidi et manducari sanguinemque ejus ebibi, vix paucis sufficere, ut unusquisque modicum quid acciperet, atque ideo vix centum homines ad vitam peringere posse, cum copiosa multitudo hominum ad vitam pertinentium nulli, nisi soli Deo, numerabilis sit. Et quidem non adeo mirum fuerit rudes discipulos tantum mysterium capere nequivisse, cum adhuc pueri essent (*I Cor.* iii ; *Hebr.* v), eisque lacte magis quam solido cibo tunc temporis opus esset, sed inde culpandi erant, et inde judicium pro temeritate incidebant, quia non sui sensus tarditatem vel impotentiam, sed Magistri sermonem incusabent et duritiæ arguebant. Illis, inquam, isto sensu durus hic sermo videbatur, istis autem qui hodieque murmurant et litigant cum veritatem corporis et sanguinis Domini defendimus, alias ob causas magnam videmur sonare duritiam. Nam præter superius dictas, et pro posse repercussas difficultates, non sermonis, sed cordis ipsorum, quibus bonus et suavis sermo iste durus esse videtur, cum argumentosa fide per auctoritatem evangelicam arctati fuerint, ut negare non possint, hoc Domini corpus illud esse, quod pro nobis traditum est, et hunc ejus sanguinem illum esse, qui pro nobis effusus est, cum, inquam, hoc illis constanter astruxerimus, ergo, inquiunt, si non figurate, sed revera panis iste Christus dicitur vel est, quotidie Christus patitur; et toties moritur, quoties panis iste in commemorationem ejus frangitur. Et « hic, inquiunt, sermo durus est, » etiam si Paulus non diceret : « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* vi), » quis hunc sermonem possit audire ? Hæc et hujusmodi dicere illos experimento dicimus [didicimus]. Econtra quibuscunque revelat non caro et sanguis, sed Pater, qui est in cœlis (*Matth.* xvi), quoscunque attrahit ille ad Filium dulci attractione, id est revelatione Spiritus sancti, dicunt, ut supra dictum est, et sentiunt non durum, sed suavem esse sermonem hunc, quia videlicet gustaverunt et viderunt, et nobis dicunt : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* xxxiii). » Illi quidem qui tunc erant necdum scientes quomodo fieri possent ea quæ audiebant, tamen sermonis ejusdem suavitatem sentiebant, ita ut postmodum dicant : Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes (*Joan.* vi.)» quia videlicet humili benevolentia sanatum habentes cordis palatum, hoc de illo sapiebant, quod adipe et pinguedine veritatis et sapientiæ non carebant, ea quæ jam reverendæ auctoritatis magister dignabatur proponere, et submissa mente exspectabant, donec eadem ipse dignaretur exponere. At vero, postquam et ipse sub ipso suæ passionis articulo manducandi corpus et bibendi sanguinem suum, modum illis vel ordinem tradidit,

et deinde Spiritum veritatis misit, qui doceret illos omnem veritatem (*Matth.* xxvi; *Act.* ii; *Joan.* xix); deinceps et ipsi sermonis hujus suavitatem gustaverunt et nobis gustandum dictis pariter et scriptis apposuerunt. Adjuvante autem eodem spiritu, ut nos quoque gustare et sapere possimus, sicut cætera, sic et illam supradictam objectiunculam jure explodendam improbamus, qua dicunt nobis, quia si revera panis iste Christus est, ergo contra prædicti Apostoli sententiam et contra omnem fidem, toties Christus patitur vel moritur, quoties hic panis in mensa Dominica frangitur. Non ita consenuit fides nostra, neque adeo caligaverunt oculi ejus, ut non videat se frangere panem Dei, et integrum servare Filium Dei, quomodo senex Abraham videre potuit, ut et arietem percuteret, **210** et filium aræ superpositum non læderet.

Licet panis iste visibilis cum invisibili Filio Dei unum factus sit, aries autem ille cum Isaac, pro quo eidem aræ impositus est (*Gen.* xxii), unum esse vel fieri non poterit; nam Dei Filius, id est Deus et homo, habet in se virtutem effectivam, qua sibi uniat panem istum visibilem. Isaac autem illum sibi concorporare, salva utraque substantia, non poterat arietem. Proinde illic in figura immolatus est Isaac in ariete, hic in pane et vino immolatur Dei Filius in carnis et sanguinis sui veritate. Nonne, sicut eodem gladio pater Abraham immolavit arietem, quem eduxerat ad immolandum filium, sic sacerdos cum astante populo panem et vinum in altari positum ejusdem, qua Christus passus est, crucis et passionis verbo transverberat? Nesciant hoc, qui non credunt eumdem Dominum nostrum, tunc maxime in medio nostrum adesse, et cum ipse dixerit: Ubicunque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; tum vero multo magis in medio nostrum adesse et altari suo incumbere, ubi non quocunque, sed ad faciendam hanc propriam et maximam commemorationem ejus, tota fide suis instrumentis, armata convenimus. Nam nos gustavimus et vidimus, ideoque murmurantes ac dicentes: Durus est hic sermo, » non audivimus, econtra respondentes nequaquam, sed revera, « suavis est Dominus. » Igitur eadem quæ hactenus in Ecclesia toleratur discordantium et contraria dicentium permistio, ita tunc in illo discipulorum parvo cœtu multum diversa mente Dominum nostrum audiebat. Nam et qui dicebantur discipuli, deterius murmuraverunt cæteris Judæis. Magis quippe diffidentiam suam exprimunt, dicendo: « Durus est hic sermo, » quis potest eum audire? quam illi dum dicerent: « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » Hoc videlicet quod discipuli dicunt, non solum murmurosæ vel litigiosæ contentionis, sed et rebellantis desperationis est. » Sciens autem Jesus apud semeptisum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Apud semetipsum, inquit, id est nullo egens indice, sciebat, qui et qui essent murmurantes; non tunc primum scivit, cum jam murmurarent, sed antequam diceret mysterium hoc, propter quod murmuraverunt, sciebat ut Deus, qui discipulorum suorum dociles Dei essent, et benevolentiam debitam habentes digna in cœlesti magisterio reverentiam intimo cordis auditu gererent. Attamen pro exprimenda indignitatis magnitudine, quasi tunc primum comperta illorum infidelitate, sub admiratione interrogans: « Hoc, inquit, vos scandalizat? » Nonnulla enim admiratione dignum est, quod panis vivus et verus, et secundum se vitalis atque suavis, secundum illos lapis et petra sit, « lapis utique offensionis et petra scandali (*II Petr.* ii), » ita ut offendentes in illum conquassentur, et sic eodem desuper veniente conterantur et sic eodem quoad vitam nutriri pane debuerant, tanquam de illo lapide offensionis usque ad mortem scandalizantur (*Matth.* xxi; *Luc.* xx). Proprie namque vel maxime scandalizari est, a bono proposito per alicujus occasionis offendiculum retrorsum converti. Hoc enim maximum scandalum in illo tantæ suavitatis pane percussi sunt, quippe qui, ut paulo post subditur, abierunt retrorsum, et jam non cum illo ambulabant. Hoc ergo recte admirans suavis Dominus: « Hoc, inquit, vos scandalizat? »

« Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius. » Deficit hoc loco congrue sermo, quasi iratæ mentis scandalum illorum motu illo vel animadversione dignum exprimens, cui sermonis defectio congruit: Ergo, inquit, quoniam et vos, qui dicebamini discipuli mei non secundum disciplinæ ordinem appropinquantis pedibus magistri, ut aure submissa exspectantes de doctrina vitæ æternæ accipere digni judicemini, sed econtra scandalizamini, et propositionem meam indisciplinate calumniamini, idcirco non ego vobis eamdem propositionem aperiam, cujus solutionem vos nequaquam digna quæstione pulsando consequi meremini. Hoc nunc dico quod vobis ipsis consentientibus constat valde repugnare vestro carnali sensui, scilicet ascensurum Filium hominis ubi erat prius. Nam Filium hominis ascendere in cœlum, et carnem ejus sic manducari, sanguinemque ejus sic bibi, quomodo vos intelligitis, omnino repugnantia sunt, simulque esse vel fieri nullatenus possunt. Et Filium hominis dico, non Filium Dei, ne me existimetis dixisse, quod carne devorata morsibus vestris, id quod residuum est, scilicet, incorporea natura sola in cœlum ascensura sit. Quod si videritis imo, quia videbitis, nam, et si retrorsum abeuntes, videre non mereamini, ascendam in cœlum videntibus illis, qui mecum perseverabant usque in finem discipulis meis (*Matth.* x, xxiv). Attamen ascendisse me videbitis tunc, quando venientem cum nubibus (*Apoc.* i), cum tota carne sua, hunc eumdem Filium hominis videbit omnis oculus, tunc intelligetis quod injuste sermonem hunc duritiæ coargueritis, quod male senseritis; quod pejus (non exspectata magistri doctrina) nimis cito retrorsum scandalizati abieritis. Notandum quod cum illa na-

tura, secundum quam est filius hominis, de matris utero initium habuerit, et Christus ante illam Incarnationem nequaquam homo vel filius hominis, sed tantum Deus Dei Filius exstiterit, tamen Filium hominis prius in cœlo fuisse asserit, quo iterum ascensurus sit, videlicet tam hoc dicto, quam illo, quo ait : « Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). » unitatem personæ in se uno Christo Deo et homine voluit commendare. Quod ignorans Nestorius, et ideo jure ignorandus, beatam Mariam vetuit vocari Dei genitricem, eo quod Christi, non divina sed humana tantum de carne ejus sumpta sit natura. Ita Christum unum in duos christos, alterum Deum, alterumque hominem male divisit, cum idem Filius hominis, et prius fuerit in cœlo, quo postmodum ascendit, et jam esset in cœlo secundum divinitatem, cum adhuc in terra loqueretur secundum humanitatem. « Qui descendit, inquit Apostolus, ipse est et qui ascendit (*Ephes.* IV). » Sequitur :

« Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. » Hæc sententia priorem illam nequaquam destruit aut infirmat, qua dixit : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, » et cætera, sed sensum carnale male intelligentium castigat, nihil manducandæ carnis suæ veritati detrahens. Sed, eidem carni spiritum quoque carnis ejusdem simul manducandum superadjiciens. « Spiritus est, inquit, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. » Ac si dicat : Eo modo, quo vos intelligitis illud quod supra dixi : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, » nullius animantis caro cum vita sua potest manducari, vel sanguis ebibi. Hoc ab homine ut possit fieri, vel a bestia dum fit, notum est animal trucidari. Ego nulli hoc pacto carnem meam ad manducandum daturus sum. « Caro » enim mea, nisi vivens et cum spiritu **211** suo manducetur, « non prodest quidquam. » Caro sola, caro sine spiritu « non prodest quidquam ; » nam « spiritus est qui vivificat. » Cum ego hæc dixit, nunquid sensum destruit scriptum in superioribus dictis ? Imo supplet et perfici, ne talia carnis ejus frusta nos in fractione panis Dominici manducare arbitremur, qualia membra ejus deposita de ligno, et posita sunt in monumento, scilicet carnem sine anima, sine spiritu, sine vita. Talis « caro non prodest quidquam, » imo et majori sacrilegio ventres suos Judæi polluissent, si, postquam crucifixissent, cum dentibus suis exanime corpus invasissent, permittente illo qui daturus non erat, « Sanctum suum videre corruptionem (*Psal.* XV), » et sic eum manducarent, quomodo intellexerant isti, qui scandalizabantur, non valentes ferre quasi durum sermonem. Talem omnino, id est, exanimem carnem et sanguinem existimare nos vetat in pane et calice suo dicens : « Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. » Quis autem est spiritus, qui carnem istam, ut manducantibus prosit, vivificat ?

A Ait : « Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Verba, inquam, quæ locutus sum et loquor vobis, quæcunque sunt de me, ex quo descendit Filius hominis, usquequo descendat ubi erat prius, verba incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis meæ, spiritus est vita sunt, spiritus vivificans, vita vivens, et verum vitæ verbum. Hæc in pane, de quo dicturus sum : « Hoc est corpus meum, » et in vino, de quo dicturus sum : « Hic est sanguis meus, » invisibiliter operantur, ut vera caro mea sit, et sanguis meus, non mutata specie exteriori. sicut et in singulis hominibus spiritualiter, id est, nihilo immutato de extrinsecus corporis accidentibus, hoc agunt ut membra mea sint, renovati scilicet spiritu mentis, et de multis a corpore B diaboli separatis una fiat Ecclesia, quæ alio respectu corpus meum, plenitudo mea, dicatur et sit. Hæc tria sunt sermonis hujus incrementa, quorum intelligendorum sola fides est meritum. Nam ipsorum intellectus veræ et magnæ fidei dignum est præmium. Primum est illud, in quod isti fidem non habentes tanquam in durum lapidem offenderunt. « Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. » Sequens est illud, quo carnalem sensum illorum percutit, reputantium, quod carnem suam sine spiritu suo manducari vellet, videlicet quomodo manducatur caro cujuslibet pecoris, quæ nullatenus cum spiritu suo, nullo modo, nisi mortificata, viventibus manducantium intestinis proficit ; « Spiritus est, inquit, qui C vivificat, caro autem non prodest quidquam. » Tertium est, quo spiritum et vitam ipsam, quæ sola manducabilis est, desinit. Nulla enim vita præter hanc vitam viventibus captabilis est, nec ejus spiritus aut vitæ quisquam nisi rationalis spiritus capax est : « Verba, inquit, quæ locutus sum vobis ; spiritus et vita sunt. » Hæc, inquam, tria quæ dixi, quæ et nunc latius reciprocanda sunt, ut magis ac magis perspicuum fiat, quam pulchra et rationabili veritatis are gradatim connexa sint. Hoc jamdudum intelligimus quia « verba quæ locutus est, spiritus et vita sunt. » Sed qualis spiritus, qualis vita ? Primum et hoc dicendum quia verba, quæ multa locutus est, unum verbum sunt ; unum, inquam, verbum, quod et ipsum caro factum est. Illud unum verbum multis verbis, id est, multis elementaribus et articulatis D sonis locutus est, multis mysteriis incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis suæ in ora nostrarum animarum immisit. Hæc verba ejusmodi sunt imo hoc unum verbum ejus virtutis est quod semper manducari, et nunquam possit consumi, videlicet, quia Verbum Domini manens in æternum (*Isa.* XL), ubi comestum fuerit, de bona terra animæ rursus pullulat et in magnam segetem resurgit ; sicut et aqua illa quæ est Spiritus sanctus, cum bibita fuerit, statim fons in potoris pectore scaturit, et in vivæ aquæ flumina profluit. Et, ut prædictum est, hujusce spiritus aut vitæ solius, solus est capax rationalis spiritus, soli hæc vita rationali spiritui capabilis est. Propter quod recte et vere

cibus et potus ejus dicitur. Sed hoc Verbum caro A factum est, et nunc in carne visibili quinque sensibus functa, apud illos multos murmurantes et litigantes, paucos autem credentes præsentia verba faciebat (*Joan.* IV, VII). Igitur jam neque spiritus, id est Verbum ; Verbum enim æque uti Pater et Spiritus sanctus, unus Deus spiritus est, jam, inquam, neque spiritus, id est Verbum sine carne, neque caro sine spiritu potest manducari : quia nec potest Verbum sine incarnationis suæ debita laude amari vel adorari. Sed rursus nullius animantis caro, ut supra dictum est, cum spiritu suo manducari potest. Cum enim manducatur, vel ut manducetur, a spiritu suo separatur, id est, occiditur. Ab hac ergo tali manducatione auditores suos repellit : « Spiritus, inquiens, est qui vivificat, caro non prodest quid- B quam. » Restabat utique in eo quod ait : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, » etc. modum quemdam exspectare manducandi et bibendi, quo simul caro cum spiritu, spiritus cum carne possit manducari ut homini carne et spiritu mortuo simul utrumque prosit. Quem illi modum exspectandum esse intellexissent, si crederent, quia vero increduli erant, impatientes fuere ad discendum. Nam sequitur :

« Sed sunt quidam in vobis qui non credunt. » Ac si dicat : Non quia durus meus sermo, idcirco quosdam vestrum scandalizat, sed quia vos aliqui infidelitate obdurastis corda vestra, idcirco sermoni meo videtur inesse duritia. Et non ideo non creditis quia non intelligitis, sed ideo non intelligitis quia non creditis. « Si enim non credideritis, inquit Scri- C ptura, non intelligetis. » Proinde et nos, non quia intelleximus, credimus, sed credimus ut intelligamus. Quia revera sicut Deus et homo unus est Christus, sic et iste panis visibilis consecratus, cum ille carne quæ pependit in cruce, una caro est, unum est Christi corpus. Et quia sicut in vera carnis morte divinitas nihil passa est, sic ubi in altari verum Christi corpus immolatur, frangitur et manducatur, eadem Christi humanitas, quæ semel passa est et resurrexit, « nihil patitur, nec enim jam moritur, mors illi ultra non dominabitur » (*Rom.* VI). Quantum potuimus adjuvante Deo, panem sanctum et calicem, quem de altari sumimus, verum et vivum Agnum Dei esse suomet ex balatu comprobare curavimus, ad hoc se jugiter inibi præsentantem, ut nos et lanis suis operiat, et carnibus reficiat. Co- D medimus quantum potuimus, scilicet caput cum pedibus et intestinis, id est, tam divinitatem quam humanitatem, et subtilia mysteriorum ejus dicta vorantes, nihiloque omnino quod solido fidei dente consequi valuimus, relinquentes. Si quid tamen residuum est, igni comburimus, id est Spiritui sancto committimus, quia videlicet hujus Agni omnia mysteria nequaquam ratione omnimoda comprehendere possumus. Nobiscum ejus gratia bene agitur, si quantum ad æternam salutem necessarium est, consequi et certum tenere valemus. Sequitur :

« Sciebat autem Jesus qui essent credentes, et quis traditurus **212** esset eum. » Plane hoc sciebat ut non ex eventu aliquo, vel casu, sive conjecturæ humanæ momento, sed ab initio, id est ab æterno. Nam ante mundi constitutionem præscivit et prædestinavit eos, qui vocandi erant sancti, et immaculati in conspectu ejus (*Ephes.* I; I *Petr.* I). « Et dicebat eis : Propterea dixi vobis : Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. » Quia sunt, inquit, quidam in vobis, qui non credunt, et ego hoc sciebam ad initio, propterea dixi supra : « Quia nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, » attraxerit eum : et nunc iterum dico idipsum verbis paululum immutatis, sensu permanente : « quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. » Idcirco autem nunc idipsum repetivit, quia, quod tunc dixit, profecto nunc verum esse liquet ab isto affectu quod illi scandalizantur. Nam, si Pater illos attraxisset, si eis ut ad Filium venirent, a Patre datum fuisset, id est, si discipulos ejus fieri benevolentia divinitus inspirata persuasisset, credentes et credendo gustantes suavitatem illam, quam, qua trahuntur omnes electi, magis ac magis traherentur et ipsi. « Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam uno cum illo ambulabant. » Ecce audiant hoc illi, qui maxime ecclesiarum localium, id est cœnobiorum, archimamdritis detrahunt, quoties gregis sui patiuntur detrimentum, et cum ipse vacent otio, temere operarios Dei dijudicant, ubi aliquos ex eis, qui hortatu ipsorum conversi sunt ad sæculum relabi conspiciunt. Videte, inquiunt, quam indiscreti sunt, quam temere et inconsiderate homines vocant, et accedentes suscipiunt, et votivis promissionibus apud Deum obligari compellunt, quanta rursus nimietate vel duritia susceptos et sibi subditos scandalizantes (*Matth.* XIII), in deterius cogunt præcipitium, per omnia Pharisæorum similes, qui circuibant mare et aridam, ut facerent unum proselytum, et denuo faciebant eum filium perditionis duplo quam seipsos (*Matth.* XIII). Quid isti dicerent, quomodo laborantibus et animarum lucra quærentibus insultarent, quoties quidpiam detrimenti in ejusmodi sustinent, si non et Christo tale quid contigisset? Quomodo derogarent retia mittentibus piscesque, tanquam malos bonos concludentibus, si solos pisces bonos admisissent, et eorum imprudentiæ vituperantes imputarent, quod tales admisissent, quorum discordibus tumultibus retia rumperentur, aliis seditiones facientibus, aliis ebrietates, fornicationes, et his similia sectantibus, aliis per hæreses quoque et schismata sese ab unitate fidei præcidentibus? Bene ergo hoc et Christo contigit, imo Christus hoc et sibi contingere voluit, ut bonos malosque permistos haberet et tandiu sustineret, donec malos a bonis, tanquam paleas a granis proprii vitii ventus auferret, quod nemo comprehendere auderet, ut quando bonæ voluntatis homines, bonos a malis discernere nescientes, bonos simul et malos admitterent, tandiu perpessuri, donec illos supremum judicium adinvi-

cem discernerent, nemo reprehendere deberet. Hominis namque est clamare et strepitum extrinsecus ad aurem facere, Dei autem solius, manu invisibili cor audientis apprehendere et ad Christum attrahere. Nunquid exigendum est ab aliquo, ut ipso Christo ad lucrandas animas verbo et opere sit efficacior? Propterea quoties tale quid nobis contingit, quia et Christo contingit, dicimus cum eo: « Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. » Sequitur:

« Dixit ergo Jesus ad duodecim: Nunquid et vos vultis abire? Et vos, inquit, quos dedit mihi Pater, quos attraxit Pater ad me, quibus datum est a Patre meo ut veniretis ad me, « nunquid vultis abire? » Quod utique non interrogat ut sciat, sed sub interrogatione attentius confirmat, quod ex eis quos dedit sibi Pater quemquam non perdat, simulque confessionem necessariam opportune, aliis diffidentibus, exigit ab eis qui credentes erant, quia videlicet, sicut « corde creditur ad justitiam, » sic « ore confessio fit ad salutem (*Rom.* x). » Respondet Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes; et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. » Plane hoc futurum erat in Christi Ecclesia, ut scandalizatis et scandala facientibus Antichristianis qui multi ex nobis exierunt (*Joan.* IV), sed non erant ex nobis, excuterent se et invicem cohortarentur dilectores Christi, et seditiosa perfidorum importunitate inquietati, largius atque sonorius confessionem vere fidei, dictis et scriptis declamarent universo orbi, non ante defuturi, donec Satanam cum illis satellitibus suis, « sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* x), » scriptis veridicis atque authenticis confutarent et pia sui profusione sanguinis enecarent. Hujus autem Ecclesiæ fidelis unitatem fidemque, hic et alibi Petrus exprimit, voces primus emittit, unde et a petra (supra quam eadem Ecclesia fundatur) nomen sortitur, et magna laude suæ confessionis honoratus, simul regni cœlorum claves accipere meretur (*Matth.* XVI). Igitur et hoc quod ad duodecim apostolos emissa interrogatione solus pro omnibus respondet, toti universaliter unicæ Ecclesiæ ascribendum est. Dicit enim una perfecta et formosa (*Cant.* I) dilecto suo Christo sponsa Ecclesia, turmis adolescentularum stipata: « Domine, ad quem ibimus, » videlicet in tantis Arianæ nequitiæ cæterarumque pestium seditionibus non indicabis ubi pascas, ubi cubes, revelante nobis veritatis tuæ spiritu, et post greges sodalium tuorum vagari incipiemus? « Verba vitæ æternæ habes, » id est, verba vitam æternam portantia tu habes, « et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi. » Non ante cognovimus et post credimus, sed primum credimus et exinde cognovimus, quia videlicet non cognitio fidem, sed fides præcedit cognitionem. Fides namque meritum, cognitio autem Filii Dei præmium est fidei. « Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est? » Quare Agnus mansuetus mul-

A tis discipulorum relabentibus, in paucos qui remanserunt, tam acriter invehitur: Nunc enim potius familiariter viderentur esse collaudandi, præsertim cum accepisset ab eis eamdem confessionem magnæ fidei, quam alibi digna laude beatificaverat, dicens: « Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis (*Matth.* XVI). » Et quidem beatificantis gratiæ præconium est, quod dicit: « Nonne ego vos duodecim elegi? » Sed magnæ severitatis et increpationis est, quod et hoc ipsum sub interrogatione pronuntiat, et protinus adjungit terribiliter, « et ex vobis unus diabolus est. » Quare ergo in tali articulo, cunctos tam terribili unius denotatione percutit; quem dum nominatim non exprimit, universos premit, unum-
B quemque pro semetipso nimis ægre sollicitum reddit? Non enim illum talem conscientiarum judicem sæpe compertum, falli existimare poterant, non proximorum conscientias singuli comprehendere valebant, non sua quique merita (cum de futuro incerti essent, et tam multos desipere viderent magni pendere audebant. Quare, inquam, hoc voluit, nisi quia sic expediebat eis? Nullius quippe peccati mortificatione sic indiget humana infirmitas, quam illius, ubi ceciderunt **213** qui operantur iniquitatem, qui expulsi sunt, nec potuerunt stare. Quod autem est illud peccatum, nisi pes superbiæ? « Non veniat mihi, inquit Psalmista, pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me (*Psal.* XXXV). » Nam ubi venerit ille vagus et instabilis superbiæ pes, qui utique venire solet ex nimia
C securitate vel præsumptione justitiæ, statim vanum et improvidum hominem manus, antiqui peccatoris foris invenit, ubi illum a bono proposito, Deo, « (qui superbis resistit (*Jac.* IV), » averso, celeriter movere possit. Ut igitur « filii hominum in tegmine alarum Domini sperent (*Psal.* XXXV), » et de semetipsis humiliter sentientes non exaltent, animam suam, opportune in casu aliorum sollicito timore deprimuntur, nosque omnes exemplo erudimur, ut cum paries proximus ardet de nostra re timeamus, id est, dum cadunt qui nobiscum stare videbantur, nos, qui adhuc stare videmur, similem nobis casum evenire posse, humiliter consideremus.

« Dicebat autem de Juda Simonis Iscariotis. » Judas Iscarioth, vel a vico in quo ortus est, vel a
D tribu Issachar vocabulum sumpsit. Dicitur autem et Simonis, subauditur filius vel propinquus, ad distinctionem Judæ alterius, qui et ipse ad distinctionem hujus, dicitur Judas Jacobi, subauditur frater, qui et alio nomine vocatur Thaddæus apostolus. Hunc vero Judam evangelista recte diabolum appellatum esse comprobare volens, idoneam rationem subjungit, dicens. « Hic enim erat eum traditurus, cum esset unus de duodecim. » Etenim diabolus, non naturæ, sed pessimi accidentis Græcum nomen est, et interpretatur *deorsum fluens*. Quo nomine recte appellatur angelus ille damnatus et perditus, qui, cum bene esse conditus, spirituum in altitudine

cœli conversantium maximus, vitio suo deorsum fluens per superbiam ad profundum inferni devolutus, factus opere et dictus est nomine diabolus. At vero Judas deorsum fluxit, et ipsum ejus defluxionem Evangelista patenter expressit, dicens : « Hic enim erat eum traditurus, cum esset unus de duodecim. » Quis enim nesciat gradum apostolorum excellentem esse cunctis ordinibus sanctorum, tam videlicet quam minorum ? Item qui ignoret traditionis, qua infelix ille tradidit Dominum, scelus esse profundissimum ? Igitur cum et Sapientia dicat : « Cum maledicit impius diabolum, maledicit animam suam (*Eccli.* XXI), » videlicet, eo quod anima impii deorsum fluxerit et non aliter nisi deorsum fluendo, impia facta sit, recte Dominus istum impietatis signiferum, cujus anima totis conatibus in perditionis suæ locum profundum, a sublimi apostolici culminis honore defluebat, diabolum appellat, quo adhuc in hypocrisi apostolicum munus exsequente nequior nemo retro abierat. Hunc perditionis filium cur Dominus ad apostolatum elegerit, plerique disputant, si malæ intentionis illum esse noverat, quem utique, qualis esset, ignorare non poterat, qui novit omnia. Et sunt nonnulli qui bonum illum fuisse contendant ante ruinam, alioquin non decuisse Dominum nostrum, ut vocaret illum ad tanti ordinis gratiam. Si enim inquiunt, in ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei reprehensibile et illicitum judicatur eis, quos indignos esse noverint, manus imponi (*I Tim.* V); præcipiturque illis, ut nemini manus cito imponant, id est, nisi ex bonis operibus præcedentia merita videant ; quando magis summe justus, et summa justitia, nulli indigno committere debebat sacra apostolici ordinis ministeria ? Ergo, inquiunt, ante ruinam bonus erat; apostolico fastigio non minus cæteris coapostolis dignus erat. Nec enim, inquiunt, aut falli potuit, ut indignitatem ejus nesciret, aut indigna agere ut indigno sanctum ministerium delegaret, suosque illi familiarius loculos committeret. Utrisque una responsione satisfaciendum est. Primum quærimus ab eis : Utrum hodie Judas aliquis ad apostolicum, id est, episcopale officium pertingat ; imo, quia Judam ante apostolatum, nonnulli, ut prædictum est, bonum fuisse contendunt, utrum nemo nisi bonis apostolicis sese sacramentis immergat. Plane diffiteri nequeunt, quin plurimi et mali esse, et tanto munere fungi, Deo permittente, prævaleant. Qui et Judæ in nullo dissimiles, pecunias, quarum cupiditate Christo adhærent, sibimet aggregant, et sacros loculos in potestate habentes, Ecclesiæ redditus sacrilego raptu exportant. Quid ergo ? nunquid ignorans aut injuste disponens tales admittit Christus et sacramenta sua per eos operatur ? Itaque, cum hodie nonnullus admittere comprobetur, quos malos esse certum est, ex ipsorum fructibus claret, infirmum esse argumentum, quo dicunt, bonum fuisse Judam ante ruinam, cum illum apostolum fecerit Christus. Verumtamen solertius indaganti necdum satisfactum est. Nam adhuc objicere potest sic : Recte quidem Christus Judam persequentem sustinuit, cujus casu statum aliorum firmius in timore et humilitate fundaret, quippe cujus præceptum est, ut boni malos quos corrigere non valent, tollerent æquanimiter (*Matth.* V, *Rom.* XII). Abel enim esse renuit quem Cain malitia non exercet (*Gen.* IV). Sed rursus ejusdem præceptum est, ut sanctum canibus non demus (*Matth.* VII), et qui correptionem non recipit, sit nobis sicut ethnicus et publicanus (*Matth.* XVIII). » Ipse autem Judam, non qualemcunque carnem, non qualemcunque ethnico similem, sed diabolum esse noverat. Nunquid ergo sancta illi vitæ sacramenta tradere debuerat. Ad hæc, inquam, salutis nostræ sacramenta, in Christi passione, morte et resurrectione condita sunt. In passione quippe, id est, sub ipso passionis ejus articulo, corporis et sanguinis ipsius eucharistia primum ab illo loco consecrata est. De baptismo quoque quærentibus perspicuum est (sicut ubique et maxime contra quosdam Græcorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ defendit auctoritas), quia conditum est in morte et resurrectione ejus, in qua juxta Paulum et nos baptizamur « et sepelimur per baptismum, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Nunquid antehac discipulos suos baptizare misit, aut prædictum corporis et sanguinis sui sacramentum illis tradidit ? Baptizasse quidem non Jesum, sed discipulos ejus legimus, adhuc Joanne superstite et baptizante (*Joan.* IV), sed postquam ille traditus est, et Jesus in opus prædicationis successit, nec ipse nec quisquam jussu ejus baptizavit, nec baptizandi regulam ipse ante resurrectionem tradidit. Sed Judas ad horam illam non pervenit qua Christus pro suis passus est ; quibus ipse ait : et ego vadam immolari pro vobis, nec apostolatus signaculum, id est, Spiritum sanctum cum eis accepit, quem tunc primum in remissionem peccatorum dedit, quando resurgendo glorificatus est, insufflans et dicens : « Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Luc.* XXII ; *Joan.* XX). » Et de hoc quidem haud dubium est quia Judas non interfuit, scilicet neque dum Christus immolatus est pro suis ; neque dum resurgens Spiritum suum dedit illis. De participatione autem corporis et sanguinis ejus potest aliquis opinari, quod ille interfuerit. Sed profecto diligentius evangelistarum narratione doctorumque considerata diversitate, citius deprehendi potest, **214** huic quoque sacramento illorum nequaquam interfuisse. Nam, cum accepisset buccellam, qua traditor designatus est, exivit continuo : quam utique buccellam, nec evangelistarum, nec doctorum quisquam consentit panem fuisse Dominici corporis ; cum autem continuo exierit (*Joan.* XIII), profecto constat quia, sicut prædictum est, corpori et sanguini Christi non communicavit. Nam non ante, sed post typicum Pascha, cujus buccella denotatus est, fuerat impletum, et Agni carnes cum apostolis comederat, assumpsit panem, qui confortat cor ho-

minis, et ad verum Paschæ transgressus est sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens, fecerat, ipse quoque in veritate sui corporis et sanguinis repræsentaret. Quod cum ex cæteris evangelistis ordine manifesto perspicuum sit, solus Lucas quibusdam aliter sentiendi occasionem dedit, non quod typici Paschæ (*Luc.* XXII) et sacræ eucharistiæ prædictum ordinem præposteravit, vel minus aperte dixerit quam cæteri, sed quia verba, quæ de traditore suo Dominus in cœna dixit, iste solus tardius scripsit, quam cæteri, id est, anticipationem sacræ eucharistiæ traditionem præscribens, verba quæ in priori cœna dixerat, verbis quæ post dicta sunt, contexuit. Cum itaque Judas dispositus quidem ad apostolatum fuerit, sed per nulla vitæ sacramenta ad ejusdem ordinis habitum pervenerit, universa bonitas ejus argumenta deficiunt, et nihil est in quo Christi, Judam ad tempus admittentis, recte gradientibus obsit exemplum. Igitur hic filius perditionis nunquam bonus fuit, nec de bono electo malus factus est, sed quia malus erat, idcirco ad opus necessarium ab eo, qui malis bene ut novit, electus est, et apud illum semper pro malo habitus est; malo, inquam, non nequitia naturali, sed vitio accidentali. Quod si quis officio prædicandi, et signa faciendi bonum illum fuisse dicat, concedimus ei. Nam et episcopi mali, quatumvis moribus mali sint, quandiu fidem catholicam tenent, officio, quod agunt, bonæ arbores sunt. De quorum electione, qua et Judas judicio divino electus est, sunt mala quæ dicantur, sed fastidiosam prolixionem [prolixitatem] devitantes, evangelicam seriem prosequamur.

CAP. VII. — « Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam. Non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. » Christum Dominum suæ pariter ac nostræ vitæ et mortis habentem imperium, eo tempore et ordine voluisse pati, et intrare in gloriam suam quo passus et mortuus est, et resurgendo ad paternæ gloriæ profectus est dexteram, lex et prophetæ testantur, quod ipse præmisit, quos ipsius producit Spiritus, quorum testimonium non tacc, quandiu evangelica Christi gloria prædicatur. Nec enim aliud prophetæ prædixerunt, quam quod in voluntate ejus præfixum, in Spiritu sancto prævidenunt, nec aliam mortis speciem potestas ejus admittere habebat, nisi quam eisdem sanctis prophetis speculantibus jamdudum apud se præordinaverat. At vero Judæi nequaquam mysterium voluntatis ejus scientes, sed cæcum furorem suum sequentes, quærebant eum quomodocunque interficere; verbi gratia: Nunc præcipitare (*Luc.* IV), nunc lapidibus illum volentes obruere (*Joan.* VIII), non curantes aliud dummodo de medio tolleretur, et hoc solum dicentes : « Quando morietur, et peribit nomen ejus ? « (*Psal.* XL) Igitur quia pertinebat ad eum mortis suæ tempus, modumque necessarium, nostræque causæ competentem prævidere, « ambulabat Jesus, inquit evangelista, in Galilæam. » Non enim volebat ambulare in Judæam, quia quærebant eum Judæi interficere. » Equidem litteræ superficies infirmitatem sonat non contemptibilem, quam fideles ejus imitari debeant rationabiliter, dum tempus vel causa postulat, declinando mortem ; sed sequentia lectionis magis aliam quæ prædicta est, innuunt ipsius se subtrahentis intentionem, quam evangelista mox incipit commendare, dum dicit : « Erat autem in proximo dies festus Judæorum Scenopegia. » Ac si dicat : Non mori metuens, sed, sicut ad Psalmista, « sol cognovit occasum suum (*Psal.* CIII), » tempus aliud mortis suæ præfixum habens, in Judæam ambulare et interfectoribus suis locum dare nolebat. De quo tempore suo paulo post ait : « Tempus meum nondum advenit. » Scenopegiam quippe, id est tabernaculorum festivitatem in septimo mense, non suum, sed præcursoris sui Joannis tempus esse noverat, quo ille parti Zachariæ per angelum prænuntiatus, et postmodum sterili utero conceptus est. Suum autem tempus ipse verus Agnus Dei Paschalem primi mensis solemnitatem, in quo Deo Patri pro omni mundo sacrificium fieret, jamdudum prospexerat, quo nihilominus tempore idem ipse ab angelo annuntiatus, et in utero virginis conceptus fuerat. Nam revera secundum regulares cunctorum computistarum circulos constat, quia sexta feria, quota die primus homo conditus est, mense Paschali, id est, luna jam nova, octavo Kalendas Aprilis, Jesus Christus Dominus noster, Agnus Dei, pro reparatione universæ salutis conceptus est, evangelizante angelo beatæ Virgini. Hoc igitur tempus, suæ vitæ et mortis suæ dispositor Dominus recte sustinens, nolebat ad hunc diem festum Scenopegiæ ascendere, id est, eo tempore transeundo ex hoc mundo ad Patrem, gloriam suæ immortalitatis intrare (*Luc.* XXIII). Cum autem dicat Evangelista singulariter : « Erat dies festus Judæorum, » non tamen uno, sed pluribus illam festivitatem diebus agendam fuisse, intelligendum est. Sic enim de ipsa in lege scriptum est. « A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebratis ferias Domini septem diebus. Die primo, et die octavo erit Sabbatum, id est requies. » Et de causa ejusdem festivitatis paulo post subjungit : « Mense septimo festa celebrabitis, et habitabitis in umbraculis septem diebus. Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis, habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti (*Levit.* XXIII). » Faciebant itaque Judæi tabernacula ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitaverant, cum educti de Ægypto peregrinarentur in eremo, et celebrabant diem festum, magnam solemnitatem velut reminiscentes beneficia Domini, qui Dominum erant occisuri.

« Dixerunt ergo ad eum fratres ejus : Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ tu facis. » Isti fratres Jesu, propinqui vel

[illegible] consanguinei sunt, qui gloriam hujus mundi amantes, et veram cœlestis hominis gloriam suo sensu terreno metientes, vanum illi dilatandæ gloriæ dabant consilium, ut videlicet festinans innotescere cunctis, daret operam tam solemni non deesse conventui, nec ostentandis parceret miraculis. Nam festivitas una de tribus erat, in quibus omne masculum Israel coram Domino apparere lex jusserat (*Exod.* XXIII). Suo ergo sensu sapientiam Dei præcedere, viamque illi ostendere præsumentes. Cum hoc dixissent, sinistram intentionem suam perversa ratione conati sunt **215** firmare, dicentes : « Nemo quippe in occulto quidquam facit, et quærit ipse in palam esse. » Vera quidem sententia est, neminem ratione utentem adeo sibimetipsi dissidere. Nam revera manifeste repugnantia sunt, velle hominibus innotescere, et facta nobilia celare, quemadmodum si quis velit pariter, et in nocte esse, et solem habere ; sive lucernam Domini clare ardere, et lumen ejus videri a nemine. Sed hæc eadem sententia non suo tempore dicta est : Nam Dominus noster, nec in occulto quidquam faciebat, quia nihil quod occultum esse vellet agebat, nec eo modo quo illi arbitrabantur, in palam esse quærebat. Quia non ab hominibus claritatem accipere, sed hominibus claritatem dare volebat ; non hominibus placere, sed homines ad placendum Deo erudire venerat. Igitur vera quidem, sed vana, imo et perversa, atque alieno spiritu prolata est. Quam et adhuc illi confirmare nituntur, subjungentes : « Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. » Id est, si non hæc facis, non manifestas teipsum mundo. Adhuc ea quæ dixerunt isti, talia videri poterant, qualia dicere debuerunt fratres boni ac fideles, nec indigni fratribus illis, quos novimus apostolos Christi, viros utique apostolicæ sanctitatis et fidei. Sed adversus hanc opinionem audi, quid evangelista subjunxit : « Neque enim fratres ejus credebant in eum. » Utique illi dignæ memoriæ fratres ejus, quos, ut jam dictum est, apostolos novimus, scilicet Jacobus Alphæi, qui cognominatus est Justus, Simon quoque Chananæus, et Judas qui et Thaddæus dicitur, credebant in eum. Nam apostolorum omnium, solo Juda diabolo excepto, fuit paulo superius illa vox Simonis Petri, etenim pro omnibus ille unus respondit : « Domine, ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes, et nos credimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei. » Sed isti « fratres ejus, inquit evangelista, non credebant in eum. » Igitur hæc verba illorum non tam benevolentiam testantur quam invidiam, quia non multum curantes, si interficeretur, qui utique odium Judæorum adversus illum ignorare non poterant.

« Dixit ergo ei Jesus : Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum. »—« Omnia tempus habent, ait Ecclesiastes. » Ac deinceps : « Tempus flendi, tempus ridendi, tempus plangendi et tempus saltandi (*Eccle.* III). » Audiant hoc stulti, qui concionantem in plateis sapientiam despiciunt, et qui nec aures, nec oculos habent in capite suo, sed in finibus terræ non discernunt tempora hæc, quod non dixit tempus ridendi et tempus flendi, sed primum tempus flendi, deinde tempus ridendi; prius tempus plangendi, et postea tempus saltandi (*Prov.* I; *Eccle.* III). Hæc, inquam, tempora, quia non discernunt, intempestivos præripiunt risus, et injussis atque immaturis tripudiant atque lasciviunt saltationibus, et ideo nondum status rerum commutatur. Oportet enim præsentem statum decedere, aliumque longe diversum et contrarium succedere, necesse est de risu ad fletum, de saltatione transire ad planctum. At vero illæ futuræ civitatis Rex, cujus « regnum de hoc mundo non est (*Joan.* XVIII), » novit sibi et suis prius flendum et post ridendum; prius plangendum, et postmodum esse exsultandum. Ait ergo : « Tempus meum nondum advenit, tempus vestrum semper est paratum. » Quid igitur ? Cum venerit tempus tuum, quæres in palam esse, et manifestabis teipsum mundo ? Ita plane faciam, sed ipsa manifestatio mea longe alterius gloriæ et honoris erit quam vestra gloria, et brevis honor vestri hujus temporis. Vos enim ad gloriam tenditis, malis operibus mundi adulando : ego ad gloriam proficiscar, nulla mundi opera detestando. Hoc est quod sequitur :

« Non potest mundus odisse vos. Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt. Nullo magis contrario modo differre possunt quæcunque differentia sunt. Sunt autem hæc manifeste contraria, quæ sic opposuit, dicens : « Non potest mundus odisse vos, me autem odit. » Et utique mundus hoc loco haud dubium, quin significet dilectores mundi, qui (ut epistola sua hic idem Joannes asserit) pro eo quod sunt dilectores mundi, constituuntur inimici Dei (*I Joan.* II). Item cum causam odii talem subjungerit : « Quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt ; » constat sine dubio, quod econtra, cur eo mundus odisse non possit, illa causa sit, quia testimonium perhibent, quod opera ejus bona sint. Igitur illorum consultores suos multum a suo sensu dissentire, tam fortiter quam suaviter ostendit sapientia Dei, ita ut duo quælibet magis ab invicem differre non possint, simulque quod futurum est innuit; scilicet, manifestationem suam sic processuram, quomodo potest admittere odium, videlicet quod antequam exalte caput de torrente in via bibiturus sit (*Psal.* CIX). Et adjungit illud quod [quo] consequentibus talibus nil potest dici: « Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo ad diem festum istum, quia tempus meum modum impletum est. » Et, o quantum pondus est fortitudinis in hac suavitate conclusionis ! Revera nunc quoque meminit quod in Ecclesiaste dixerit, hæc ipsa sapientia Dei : « Tempus tacendi et tempus loquendi (*Eccle.* III). » Nam cum tempus fuerit, loquetur talibus. Illud in eodem asperrime dixit : « Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt ! » ut econtra de semetipso et suis subjungeret : « Beata

terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum et non ad luxuriam ! » (*Eccle*.x.) Quid enim sunt isti dilectores mundi, quorum tempus paratum est in stoliditate terrenæ ambitionis, quid, inquam, sunt, nisi terra quam serpens comedit ? (*Gen*. III.) Et quis puer terræ illius rex, nisi ille tam vetus quam fatuus stultitiæ pater, cujus cor matura sapientia Dei nequaquam ulla ex parte possidet ? Principes vero qui mane comedunt, potentes et superbi dilectores mundi sunt, de quibus Dominus : « Principes quidem exstiterunt, et non cognovi (*Ose*. VIII), » qui dum hac in vita sua bona recipiunt, et in futuro crucientur, quasi mane comedunt, ut hora cœnæ a consortio comedentium secludantur. Econtra terra illa, terra viventium (*Psal*.XIV), quam Dominus super maria et flumina, id est, super amaricantes populos et sævientes sæculi principes, fundavit in fide et præparavit in operibus bonis, beata est, cujus rex nobilis, utpote verus et consubstantialis Filius Dei idemque secundum carnem filius David, solusque filius Virginis. Cujus principes, quos idem rex nobilis exemplo suo sic disposuit, ut mane operentur sobria mente negotia regni, et in tempore suo comedant ad reficiendum et non ad luxuriam, quia videlicet in hoc alieno tempore non luxuriati sunt, sed laboraverunt, audiunt regem suum dicentem sibi, dum discumbere parat ipse in tempore suo : « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo (*Luc*. XXII). » Istis igitur et cunctis vanæ gloriæ matutinis ascensoribus, quia non desunt præconia Scripturarum, ex quibus audiant quid eos consequantur, satis est hunc regem **216** nobilem in sua persona graviter et parce dixisse : « Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo ad diem festum, quia tempus meum nondum impletum est, » id est, ut voslibet [vos ut] exaltamini quantum potestis, antequam humiliemini, et humiliemini postquam exaltati fueritis. Nam « ego non ascendam » in præsenti, neque exaltabor, antequam humilier « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip*. II). » Sequitur :

« Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus tunc et ipse ascendit, non manifeste, sed quasi in occulto. » Actus diversos uno verbo accensionis hoc loco æquivocari perspicuum eum, id est, alio sensu dictum esse a Domino : « Vos ascendite, ego non ascendam, » et alio nunc ab evangelista dici : « Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit, » videlicet ipse secundum illorum sensum, qui dixerant : « Ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis, et si hæc facis, manifestas teipsum mundo, » Respondit se non ascensurum, id est sublime de seipso spectaculum, gloriam quærendo præbiturum. Evangelista vero simpliciter viam communem, ut solet, eodem verbo expressit, secundum terræ situm, eo quod venientibus Jerosolymam, in montana Judææ foret ascendendum. Qui et distantiam ascensus hujus et illius, quem prædicti fratres intenderant, curavit apponere, dicens : « Non manifeste, sed quasi in occulto » Quare autem non manifeste, sed quasi in occulto ? Videlicet quia tempus ejus nondum advenerat, quia tempus ejus nondum impletum fuerat. Quid ergo ubi venit, impletum est tempus ejus, quomodo ascendit ? Plane non in occulto, neque quasi in occulto, sed manifeste. Tunc enim turba multa, quæ convenerat ad diem festum, cum audisset, quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Utique tunc impletum erat tempus ejus, quia collecto concilio pontifices et Pharisæi dixerant : Quia « expedit ut unus moriatur homo pro populo (*Joan*. XII), » et ab illo die cogitabant eum interficere, videlicet quasi cum judicio legitimo, et ea morte qua volebat ipse, scilicet, crucis patibulo definierant eum interficere. Nam antea quæsierant eum quidem Judæi multoties interficere, sed non ita ut implerentur Scripturæ, et ideo, sicut paulo ante dictum est, « nolebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. » Et cum tamen ambulasset illuc et vellent eum, sicut post dicendum est, Judæi lapidare, noluit mortem admittere, quia non sic implerentur Scripturæ (*Joan*. VIII). Tunc ergo impletum est tempus ejus, et idcirco non ascendit in occulto, sed manifeste, acclamantibus turbis, magno Regi, magno Filio Dei, magno et nobili filio David. Quid ergo ? ergone prædictum tunc patrum suorum consilium approbavit, et juxta sensum illorum mundo manifestari voluit ? minime, quia laus ista non ex hominibus, sed ex Deo fuit. Cui enim nisi Deo dictum est in psalmo : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem (*Psal*. XIII). » Hæc autem prophetia tunc adimpleta est. Cum enim indignantes Pharisæi dicerent : « Audis quid isti dicunt ? » respondit eis : « Utique. Nunquid legistis : Quia ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem (*Matth*. XXI ; *Luc*. XIX). » Igitur neque tunc quando cum publicis laudibus ascendit, sed quodam quidem respectu in occulto, quodam autem manifesto, et non in occulto. Nam quia sicut in tempore suo facturus erat, non ita et modo cum regiis laudibus ascendit, in occulto ascendit. Quia vero non sic ascendit, ut latere vellet, non in occulto ascendit. Bene ergo cum hac temperativa distinctiuncula quasi in occulto dictum est. Sequitur :

« Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille ? » Ergo, inquit, quia non viderunt eum cum fratribus suis, id est, cum cognatione sua venisse, quærebant eum male solliciti « Judæi, qui quærebant eum interficere. » Et dicebant : « Ubi est ille? » Vide nunc genimina viperarum (*Matth*. III), quanto sæviant veneni præcordialis ardore, dum non dicunt, ubi Jesus, sed, ubi ille ? Nunquid enim ejus quem quærebant interficere, poterant nomen

nescire? Ergo cordis illorum habitator homicida diabolus, sic eos agebat, ut, odio dictante, nomen salutis non possint, imo nollent attingere. « Et murmur multus de eo erat in turba. » Murmur multus, id est, multa erat dissensio; multa, inquam, quia multorum rumoribus susurrata, sed non tam vehemens tamque animosa, ut et seditio fuerit recte dicenda. Nam seditio recte dicitur, ubi partibus adversus alterutrum conflictantibus divisa respublica hostili discordia periclitatur, ita ut laborante officio non leviter præsidiali possit sedari tumultus. Unde et juxta etymologiam seditio, quod sit sine divisione, dicta sit. Quæ ubi accidit, perimitur persona, propter quam evenit. Datur enim ei inimicis occasio major accusandi, et judici necessitatis fit audiendi. At vero puer iste electus, super quem Deus Pater posuit spiritum suum, ut judicium gentibus proferat, non contendit neque clamavit, nec audita est foris in plateis vox ejus (*Isa.* XLII), et omnimoda mansuetudine egit ac providit, ut propter se nulla unquam oriretur causa seditionis (*Luc.* IV). Non igitur seditio facta est, sed timida dissensio submurmuravit ad sonum odii vel invidiæ Judaicæ, dum velut anathematizati nominis hominem quærerent eum, dicentes: « Ubi est ille? »

« Quidam autem Judæi dicebant, quia bonus est; alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas. » Ex hac sensuum discordia murmur multus erat. Quid si isti qui dicebant, « quia bonus est, » hoc etiam dicere scirent vel auderent, quia Filius Dei est? Utique non jam utcunque murmur multus, sed animosa fuisset oborta seditio. Sed hoc solum dicebant, et vix dicere audebant, « quia bonus est; » nam sequitur:

« Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. » Nemo, inquit, videlicet eorum qui dicebant: « Quia bonus est, » palam loquebatur de illo propter metum Judæorum, scilicet eorum qui dicebant, « Non, sed seducit turbas. » Et notandum quod cum hi pariter atque illi Judæi sint, eos tamen qui Dominum quærebant interficere, tam hic quam in omnibus persecutoribus ejusdem Domini nostri, evangelista Judæos appellare consuevit, ad distinctionem turbæ, quæ vel ipsum consequebatur, vel adversus eumdem nihil iniquum moliebatur. Quorum causa ut manifestior fiat, sciendum et illud est quia tribus significationis recte hoc Judæorum nomen æquivocari, et hanc esse deterrimam, quam hoc loco evangelista vult intelligi. Dicuntur enim recte Judæi, quicunque sunt *confessores* veritatis, videlicet secundum interpretationem hujusce nominis. Judæus enim *confessor* interpretatur. Unde divinitus provisum non dubitamus, ut hæc Domini causa crucifixi super caput ejus scripta, Græce, Hebraice et Latine poneretur: « Jesus Nazarenus, rex Judæorum (*Joan.* XIX), » quia maxime tribus illis linguis testimonia sua personat per totum orbem catholica fides Christianorum confessorum, contraria huic intellectui significatione Judæos dicimus istos incipientes malignos, homicidas, **217** effusores sanguinis Christi, qui usque hodie maledicunt Christum in synagogis suis, hæreditariam a parentibus suis super se portantes eumdem sanguinem Christi. Dicimus enim eos Judæos, non quia sunt, sed quia Judæos se esse dicunt, mentientes, cum sint in synagoga Satanæ (*Apoc.* II). Media significatione, id est, quæ nec bona nec mala sit; nam in Christo Jesu nec circumcisio, nec præputium nec gentilis, nec Judæus, sed sola fides requiritur (*Galat.* V). Media, inquam, significatione Judæos dicimus omnes, quicunque carnali generatione sunt Judaici generis, simulque eos qui cum essent Benjamine stirpis remanserunt in parte Davidici regni, ad quorum distinctionem cæteri Israelitæ dicti sunt Samaritani, quibus, ut in hoc evangelista dictum est, non coutebantur Judæi. Qua significatione hic appellatos esse Judæos non conceditur in hoc multo murmure turbarum, cum, ut prædictum, illi quoque fuerint Judæi, quorum nemo palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. Sequitur:

« Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. » Ille qui, ut paulo ante dictum est, « nolebat ambulare in Judæam, quia quærebant eum Judæi interficere, » quique tamen ascendit, sed quasi in occulto et non manifeste, ecce « ascendit, » non in remotum civitatis angulum, sed « in templum; » non saltem privata die, sed « die festo mediante, » non saltem clauso ore sub silentio absconditus, sed in splendida doctrinæ auctoritate conspicuus. Nunquid hoc in loco vacat illi perfidiæ, Dominum majestatis Christum timiditatis arguere vel impotentiæ, videlicet quod mortem timens, et quantum poterat declinare studens, noluerit in Judæam ambulare? Aut nunquid mutabilitate usus est, fuitque in illo, est et non, ut prius noluerit illuc ambulare, et postea propter verba talium fratrum suorum mutatus est ut ascenderet, quo noluisset ascendere. Ergo magis in hoc quoque facto dicamus de Deo, Dei Filio, quia apud ipsum est sapientia et fortitudo (*Job.* XII). Nam sapientiæ solius divinæ est quam hominum nemo potest comprehendere, quod tempus mortis suæ novit nondum advenisse, et idcirco non vult in Judæam ambulare, mortisque ministris licentiam vel opportunitatem sceleris permittere. Fortitudinis vero est, quod in medium inimicorum suorum ascendit, et docet in festo mediante quodammodo jubens morti inhianti, ut foris excubet, suumque promissum exspectet, morituri arbitrio frenata, et imperii ejus capistro ligata. Nec enim errabit in tuta potestatis suæ conscientia qua et Herodi mandaverat quærenti se occidere. « Ita, inquiens, dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio, hodie et cras et tertia die consumor (*Luc.* XIII), » et nunc docens in domo Patris sui, sua quondam habitatione, quæ nunc sibi facta erat spelunca hyenæ (*Jer.* XII), quodammodo dicebat morti importunæ. Ecce inservio do-

ctrinæ præsenti festo scenopegiæ, et postmodum futuro festo Enceniorum, et in tertio Paschæ festo tecum mors agonizor.

« Et mirabantur Judæi dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ? » Admiratio Judaica pœnalis impatiens ad audiendum, detrahentis invidiæ livor est, qua urgente, dum sapientiæ docentis, nequeunt obviare, saltem ex præsumptione magisterii nituntur personam illius premere. Quod si talem patremfamilias hi maxime, qui clavim scientiæ tulerant (*Luc.* XI), ægerrime ferebant, omnes scientiæ thesauros obtinere (*Coloss.* II) et indignabantur quod quidquam sciret is qui non per ipsos introisset, quanto magis domesticos suos ab illis infestandos esse noverat, quando in eodem doctrinæ miraculo inciperent majora facere, seipso tamen illis dona tribuente? Nam ipse in templo illorum docens una tantum lingua, nihilominus ad unam tantum loquebatur gentem, credentibus autem in se, vadens ad Patrem, hoc daturus erat, ut omnibus linguis omnium gentium magnalia Dei loquerentur, nec solum loquerentur, sed etiam quod majus est scriptis homines quondam sine litteris et idiotæ (*Act.* II) ; scriptis, inquam, cuncto mundo ipsum annuntiarent inexpugnabilibus, et post ipsos eorum sequaces viri orthodoxi, gratiam donationum habentes a Spiritu sancto dividente singulis prout vult (*I Cor.* XII). Proinde quoniam et domestici ejus talia multo magis erant audituris a notis suis egregiam ipsorum scientiam fastidientibus tale responsum oportebat ab illo dari, quale sufficienter et vocem formaret, et dignam defensionem pararet illis quoque invidiam sustinentibus. Sequitur ergo :

« Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit. » Quid hac responsione verius ? quid ad descendendam sanæ doctrinæ dignitatem fortius ? et ad leniendam invidiam (si tamen leniri possit) suavius ? « Mea, inquit, doctrina non est mea, » subauditur, sicut doctrina Pharisæorum (*Matth.* XV), doctrina sua est, quia videlicet doctrinam, sensumque suum in plerisque doctrinæ Dei non communicant docentes servare mandata hominum (*Rom.* VII). Dei quippe traditiones propter suas traditiones deliquerunt legemque sanctam, justam et bonam, lucris suis, et voluptatibus propriis servire compellunt. Prophetia quoque pseudoprophetarum prophetia sua est, quia profecto non spiritui Dei spiritum suum, vel voci Dei, vocis suæ commodaverunt organum, sed prophetant de corde suo dicentes : « Hæc dicit Dominus (*Jer.* XXVII), » cum Dominus non miserit eos, talium ex opposito liquet quantum ad rem attineat quod ait : « Mea doctrina non est mea. » Simul namque intelligi vult quod subaudiendum sit contrario, vestra doctrina non est Dei, sed vestra. Et omnino quoniam et mea doctrina, et non est mea dixit, sic intelligendum est, ac si dixisset : Mea doctrina non ex homine, sed ex Deo est. Alioquin locus non esset adversativæ conjunctioni, cum qua subjunxit, dicens : « Sed ejus qui me misit. » Igitur hodie quoties de infimis quilibet aliquem assequitur doctrinæ gradum, ut valeat cum Jesu ascendere in templum, et in medio Ecclesiæ aperire os suum, si qui vitio Judaico fastidiant illum, quia forte magnos et insignes Cathegetas, longa terrarum spatia non circuivit, nec quærendo peregrina studia relegit, et ob hoc dicant : « Quis est hic, vel quomodo litteras scit, cum non didicerit ? » sufficit illi ad defensionem, si verum dicere queat quod sua doctrina non sit sua, sed ejus cujus est omnis vera doctrina. Hac enim magna distantia catholicam profitens doctrinam, universas hæreses anathematizat. Hæreticorum quippe (qualis fuit Arius vel Macedonius, sive Donatus) cæterorumque professio ista non est, quibus contra « aquæ furtivæ dulciores sunt (*Prov.* IX) » illis fontibus vel aquis, quas juxta Psalmistam emittit Deus, et quæ inter medium montium pertranseunt (*Psal.* CIII), id est, singulis illis magis placet propria, quam illa quæ omnium sanctorum communis est catholica atque apostolicæ fidei doctrina. Dicat itaque unicus Dei Filius qui extra Patrem nihil docet atque operatur ; dicat, inquam, ipse, quod unumquemque doctorem sanctæ Ecclesiæ dicere vult : « Mea doctrina non est mea, » id est non facit hæreses et schismata, quomodo faciunt eorum doctrinæ, qui novitates vocum amantes (*I Tim.* VI), derelinquunt traditiones Dei **218** propter traditiones suas (*Matth.* XV). Amplius autem ex subsequentibus sensus iste declaratur. Ait enim : « Si quis voluerit voluntatem ejus facere, agnoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. » Ut ergo præeunti sententiæ sequens ista manifestius concordet, primum quid sit a semetipso quemque loqui, pervidendum est. Philosophorum sententia est, quorum definitiones contrariæ sunt, et ipsa esse contraria quam et ita convertere licet, ut dicas, quæ contraria sunt, eorum definitiones esse contrarias. Sunt autem hæc manifeste contraria, nec simul possunt esse, scilicet quemq a semetipso loqui, et doctrinam ejus ex Deo esse. Contrario namque modo hæc ipsa Sapientia nunc opposuit, cognoscet, inquiens, de doctrina, « utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. » Igitur definitiones a semetipso loquentis contrarias esse oportet definitionibus ex Deo loquentis. Est autem ex Deo loqui, sic loqui quomodo spiritus veritatis suggerit, id est non de corde proprio quidquam confingere, sed sicut corde sentitur, ita et ore veritatem proferre. Igitur econtra a semetipso quemque loqui, mendacium loqui est ; prophetare quemque de corde suo quæ non mandavit Dominus, nec ascenderunt in cor ejus a seipso loqui est (*Jer.* XXIII). At vero Deus noster cum dixisset : « Et mea doctrina non est mea, » data experiendi via, « cognoscet, inquit, de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. » Igitur quod ait : « Mea doctrina non est mea, » idem est ac si dixisset : Mea doctrina non est fallens sive

falsa. Nunc demum videndum est, qualem dederit facultatem experiendi, utrum, sua doctrina; sua, id est, fallens sive falsa sit, an ex Deo, id est, vere et veridica sit. « Si quis, inquit, voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. » Hoc audiat consilium, qui discretivum quærit veritatis intellectum. Velit facere voluntatem Dei, ut cognoscere possit voluntatem Dei, optet ambulare viam Dei, ut mereatur videre viam Dei. Cæcus enim est, nisi primo simplici benevolentia cordis oculum purgaverit: « Collyrio, inquit Dominus, inunge oculos tuos, ut videas (*Apoc.* III). » Nam quod videre non potest excæcatus in splendore veritatis, oculorum est culpa, non solis. Igitur doctrinam Dei, quia non discernunt, excusationem non habent, qui videlicet ex ipso errore suo sibi testes sunt, quod desiderium non habeant faciendi Dei voluntatem, quod utique si haberent doctrinam quæ ex Deo est, ultro amarent. Sequitur :

« Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est. » Harum sententiarum singulæ singulas in subauditione habent sibi contrarias. Nam lecto, qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, subaudiendum est, qui autem a semetipso loquitur, eo quod doctrina ejus ex Deo sit, hic Dei gloriam quærit. Itemque subaudiendum est : « Qui gloriam propriam quærit, hic mendax est, et injustitia in illo est, et deinde legendum : « Qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est ;» hæc enim sibi invicem repugnantia sunt, simulque esse non possunt, scilicet, a semetipso quemque loqui et veracem esse ; itemque gloriam propriam quærere, et justitiam in illo esse ; sicut econtra, doctrinam cujusque ex Deo esse, et mendacem illum esse ; itemque gloriam Dei quærere et justitiam Dei in illo non esse, omnino repugnantia sunt, et nusquam simul esse possunt. Diabolus quippe, qui a semetipso loquitur, cum enim loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejusdem mendacii (*Joan.* VIII), quod loquitur, verax esse non potest, et quia gloriam propriam quærit, non enim voluit cum Deo, sed econtra Deum gloriari, dicens : « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV), » et idcirco justitia in illo esse non potest. Similiter homo inquantum, vel quandiu a semetipso loquitur, in tantum, vel tandiu verax esse non potest. Et in quantum vel quandiu gloriam propriam quærit, vel Arius, vel alius quilibet hæreticus, in tantum, vel tandiu justitia in illo esse non potest. Econtra « Christus quia non a semetipso loquitur, sed quod vidit et audivit hoc testatur (*Joan.* V), » idcirco mendax esse non potest, et quia non propriam gloriam quærit, sed et Patris et Spiritus sancti æque, ut suam communiter gloriam quærit, idcirco injustitia in illo esse non potest. Similiter homo in quantum, vel quandiu non loqui-

A tur a semetipso, mendax recte dici non potest, et in quantum vel quandiu non suam, sed Dei gloriam quærit, in tantum, vel tandiu injustus recte dici non potest. Igitur tam valido quam vero divinæ rationis monumento Dominus noster perversos suimet miratores repellit, dicentes : « Quomodo hic litteras scit cum non didicerit, » et omnem hominem, doctrinam sive psalmum, sive apocalypsum habentem, et spiritu ac mente mysteria loquentem (*I Cor.* XIV), quomodocunque sciat vel undecunque didicerit, defendit opportune, neque quis dicere audeat eo præsente, quis est hic ? Et hactenus quidem sapientia, quæ plane litteras scit, cum non didicerit, secundum illorum dicta respondit, jam vero quæ sequuntur, cogitationibus quoque tacitis,
B quæ illum latere non poterant hoc modo respondere curavit.

« Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem ? Quid me quæritis interficere ? » Nam revera cum alia dicerent, alia cogitabant, id est, cum litteras ejus mirarentur, mortem ejus mente tractabant. Et vide quam mirabilem illis talionem reddidit. Mirantibus eis quomodo litteras sciret, cum non didicerit, miratur ipse, quomodo nemo ex illis faceret legem, cum legem acceperint. Quod in eo mirabantur illi, laudanda erat potentia Divinitatis : Quid miratur ipse illis [in illis] detestanda erat audacia prævaricationis. Laudabile namque erat scire litteras cum non didicerit, detestabile erat legem non facere, cum legem acceperint. Quid autem irrationabilius quam quod ubi dixit :
C « Et nemo ex vobis facit legem, » statim subjecit : « Quid me quæritis interficere ? » Sine ratione enim videretur, prævaricatores legis addicere et prævaricationis modum non exprimere. Bene ergo cum dixisset, et nemo ex vobis facit legem, mox subsecutus ait : « Quid me quæritis interficere ? » Repugnantia quippe sunt, nec simul esse possunt, et legem facere, et hominem velle occidere. Lex enim ait : « Non occides (*Exod.* XX). » Sed rursus eadem lex jubet reum interfici, verbi gratia ; prophetam deceptorem ubi convictus fuerit falsum locutus esse in nomine Domini (*Deut.* XIII). Recte igitur providus legis et defensor, idemque legis Dominus et auctor, crimen probaturus, quod objecerat dicens : « Et nemo ex vobis facit legem, » non ait enuntiando,
D quia quæritis me interficere. Interdum quippe licebat et justum erat, cum lege interfici, videlicet damnabili causa præeunte, sed ait interrogando : « Quid me quæritis interficere ? » Ac si dicat : Concedo legem facere eos qui occidunt, ubi causa non deest, cur legitime occidant. Sed qualem ob causam me quæritis interficere ? nunquid me prophetam arrogantia depravatum esse comprehendistis loquentem in **219** nomine Domini, quod Dominus non præceperit ? (*Deut.* XIII,) aut nunquid ex nomine deorum alienorum locutus sum vobis ? Nunquid in nomine Domini prædixi verbum quod non evenerit, et hoc vel illud signum habetis legitimum quod me Deus

non miserit? Cum dico regulo : « Filius tuus vivit (*Joan.* IV), » cum dico de cæco nato : « Neque hic peccavit neque parentes ejus (*Joan.* IX), » sed ut manifestantur opera Dei in illo, et cætera quæcunque prædico eveniunt, quæ et ipse prædicens facio, faciens prædico. « Quid ergo me quæritis interficere ? »

« Respondit turba et dixit : Dæmonium habes ; quis te quærit interficere? » Ecce isti sunt canes, de quibus hic opprobrium hominum et abjectio plebis propter nos factus, in psalmo dicit : « Quoniam circumdederunt me canes multi (*Psal.* XXI). » Frustra laborat hic intentio describentis. Neque enim hunc latratum nequissimorum canum verbis posset ullo modo consequi. Sed hoc mirari licet, qualiter isti B homicidæ insipientes et maligni, homicidium quod mente pertractant, cum tanta responsionis amaritudine, et negando confitentur, et confitendo negant. Ita sibi contrarii sunt, tanta si veneni ardentis insaniunt. Quæ enim res generare solet homicidium nisi odium ? Quando autem aliquod homicidium majori odio perpetratum est, quam quod indicat hoc amarum et nequissimum convicium ? Igitur superfluum fuisset ad convincendum eos verbis contendere dicendo : « Ego dæmonium non habeo, » sed verum dico, quia vos me quæritis interficere, cum ipsi satis aperte grassantes odio venenum evomerent tali responsione. Proinde quod cœperat dicendo : « Quid me quæritis interficere, » prosequitur subjungendo : « Unum opus feci et omnes miramini. » Quo de opere dicat, paulo post ipse manifestat dicendo : « Quia totum hominem sanum feci C in Sabbato. » Hoc opus illi mirabantur, id est, magnifice inter se quærendo velut magnum et inauditum scelus, tanquam pro lege Dei, magno zelo indignabantur. Nam quod hic ait : » Et omnes miramini, » paulo post repetens eamdem admirationem vocat indignationem, dicendo : « Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato. » Ait ergo : « Unum opus feci, et omnes miramini. » Percontante illo atque dicente : « Quid me quæritis interficere? » id est quam causam habetis, unde possitis accusare interficientes me ? poterant secundum machinationes suas respondere illi : Quia non es tu a Deo, qui Sabbatum non custodis. Sed jamdudum experti fuerant, hoc ipsum ab illo multo D magis in seipsos posse retorqueri, quia multoties dixerat eis : « Hypocritæ, quis vestrum non solvit bovem vel asinum, et ducit eum ad aquandum die Sabbati ? » et similia (*Luc.* XIII ; *Matth.* XII). Proinde irati tacuerunt, imo et tacendo pejus insanientes iracundam odii flammam vomuerunt. Opportune ergo ipse causam eamdem, ut rationabiliter defendat, illis tacentibus indicat, et protinus eamdem defensionem hoc modo inchoat.

« Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, et in Sabbato circumciditis hominem. » Tota causæ defensio in ultima clausula constituitur qua dicit : « Et in A Sabbato circumciditis hominem. » Propterea, inquit, quia « unum opus feci, et omnes miramini, et mihi indignamini ; » propterea, inquam, jam nunc legitima defensione utens, dico vobis : « Moyses dedit vobis circumcisionem, » id est, sicut cætera, sic et hoc mandavit vobis, ut circumcidatis hominem. Non dico quia ex Moyse est, nam ante Moysem, ex patribus est, scilicet Abraham, Isaac, et Jacob ; ex patribus, inquam, id est, ex eo quod sunt patres, quod crediderunt semen se accepturos, in quo benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XVII). Similiter et Sabbatum Moyses dedit, non quia ex Moyse est, sed ex Deo, id est, ex eo quod requievit Deus die septimo ab omni opere suo, et benedixit die septimo (*Gen.* II), cum ita diversis ex causis circumcisionem et Sabbatum, unus idemque Moyses scripto dederit vobis, et antiquior Sabbati quam circumcisionis causa sit, et circumcisio quidem ex patribus, Sabbatum vero ex Deo sit, in Sabbatis circumciditis hominem, ut non solvatur lex Moysi, absque ulla exceptione Sabbati, jubet hominem die octavo circumcidi. Ad hæc inquam :

« Si circumcisionem homo accipit in Sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato ?» Totum, inquam, hominem sanum feci in Sabbato, circumcisio vera, quanquam bonum opus est, et ideo non est violatio Sabbati, non tamen totum hominem sanum facit. Nam, et si interiorem sanat hominem in his duntaxat, qui causam tenent, cujus circumcisio signum est, scilicet Abrahæ fidem, non tamen exteriorem sanat, sed potius lædit et dolore afficit hominem. Ego autem dum hoc opus facio in Sabbato, propter quod mihi indignamini, verbi gratia, dum dico huic : « Tolle grabatum tuum et ambula (*Joan.* V), » alii vero : » Extende manum tuam (*Matth.* IX), » alii vero : Cæco nato lutum super oculos pono (*Joan.* IX), « totum hominem sanum facio, » quia videlicet dum extrinsecus redintegro, intrinsecus ad fidem informo videntibus cunctis, quod non humano vel communi medicorum opificio, sed divina virtute rem perficio. « Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. » Et quidem vir despectus, et novissimus virorum ego consideratus sum, et aspectus meus in me non est (*Isa.* LIII). Moyses vero vir magnus, et spectandæ memoriæ, vir antiquus, et primus populi Dei dux, cujus facies ex collocutione Dei splendida facta est (*Exod.* XXXIV). Sed enim præcepit lex quam dedit idem Moyses, non considerandum personam pauperis, nec honorandum esse vultum potentis ; sed « juste, inquit, judica proximo tuo (*Levit.* XIX). »

Igitur, « nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate, » id est, non faciem Moysi, faciemque vel præsentem personam Filii hominis, sed merita rerum pensate. Circumcisio, quam dedit vobis Moyses, ut prædictum est, filios Abrahæ (*Gen.* XVII), qui fidem ejus sequuntur, interius quidem sanat, ne pereat anima illa populis

suis, sed exterius vulnerat : Non ergo totum hominem sanat. Unum autem et solum opus quod feci in Sabbato, interius hominem et exterius sanat, probante exteriori sanitate, quod habebat Filius hominis in terra potestatem dimittendi peccata, quæ est interior sanitas, cujus et remissio spem per promissum semen Abrahæ, quod est Christus, præstat. Quid igitur quæritis me interficere, nullam aliam habentes causam, nisi « quia totum hominem sanum feci in Sabbato ? » Quod ad hæc illi tacuerint et infirmitatem causæ suæ, licet inviti, considerantes iras suas ad tempus continuerint, sequentia patenter innuunt. Nam sequitur :

« Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis : Nonne hic est quem quærunt occidere ? Ecce nunc palam loquitur, et nihil ei dicunt. » Ac si aperte diceretur : Judæi quidem quibus dixerat Jesus : « Quid me quæritis interficere ? » responderunt : « Dæmonium habes, quis te quærit interficere, » et nunc eodem Domino Jesu pro se rationem reddente, tacebant, et eo palam loquente nihil ei dicebant ; sed adeo verum illud erat, ut quidam ex Jerosolymis qui utique non per famam didicerint, vel per opinionem sciebant, sed præsentes, ipsi præsentium **220** conspirationes et conventicula oculis viderant et auribus audierant, mirarentur quod nunc eo præsente et palam loquente nihil ei dicerent. Et dicebant « Nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus ? » Tanta quippe mutatio, tanta Judæorum taciturnitas videbatur non evenisse sine causa maxima : Nunquid ergo, inquiunt, principes se errasse intellexerunt, et ipsis resipiscentibus, Judæi qui quærebant hunc occidere, nihil dicunt ac faciunt, quemadmodum post magnam tempestatem, ventis cessantibus, fluctus feri maris sedato fervore conquiescunt. Adhuc existimari poterant isti Jerosolymitæ, qui hæc dicebant de illis esse, qui credebant in eum, et sic dixisse : « Nunquid vero cognoverunt principes quia hic est Christus ? » ut subaudiendum esset, sicut et nos cognovimus, nisi repugnaret, quod sequitur : « Sed hunc scimus unde sit. Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. » Et paulo post de eisdem dicitur : « Quærebant ergo apprehendere eum, et nemo in eum misit manus, quia nondum venerat hora ejus. » Igitur non credendo dixerunt : « Nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus. » sed argumentando obsistere conati sunt, ne Christus esse crederetur Nam velut metuentes, ne forte principes cognoverint et acquieverint credere quod ipse esset Christus, protinus assumunt id quod essentiæ Christi repugnare videatur : « Sed hunc scimus unde sit ; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. » Cui assumptioni si concessum sit, continuo conclusioni datur locus, ut dicatur. Igitur et principes errant, si videntur sibi cognovisse quod ipse sit Christus. Verum hæc sententia constans aut firma non est qua assumpserunt, unam solam Christi naturam, scilicet humanam considerantes, juxta quam dicere poterant : « Sed hunc scimus unde sit Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. » Nam et si revera homo erat Galilæus de civitate Nazareth, non tamen erat, ut putabant, filius Joseph, de quo et sæpe improperabant ei dicentes : « Nonne hic est filius fabri ? » (*Matth.* XIII) sed erat filius Virginis Dei. Ergo non recte neque constanter assumpserunt dicentes : « Sed hunc scimus unde sit » quippe qui solam in illo naturam carnis attendebant, nec ipsam bene noverant. Ergo ne inexpugnati ad conclusionem procurrentes, viderentur sibi inexcusabiles, obviandum erat eis velociter. Quod et factum est. Nam sequitur :

« Clamabat ergo Jesus in templo dicens : Et me scitis, et unde sim scitis, et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. » Hæc dicens Jesus, non frustra clamabat, quia videlicet clamore, id est forti prædicatione, res digna erat. « Et me, inquit, scitis, et unde sim scitis, » etc. Ac si diceret : Secundum hominem quidem et me Jesum esse scitis, et hominem Galilæum esse scitis, sed est alia in Christo, id est, in meipso natura, secundum quam nemo vestrum scit unde sim, et secundum illam naturam nunc dico, quia « a meipso non veni, » videlicet quomodo venturus est ille iniquus homo peccati, filius perditionis, cujus adventus erit secundum operationem mendacii, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis, quia videlicet, sicut alio loco jam dixi : « Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis (*Joan.* V). » « Ego scio eum, qui ab illo sum, et ipse me misit, » scio et bene scio eum, utique ab initio antequam, talis ego fierem, qualem me vos scire potestatis, dicentes : « Sed hunc scimus unde sit. » Et unde hoc mihi quod scio eum ; videlicet, quia ab illo sum, utique non eo modo quo et vos ab illo estis, qui tamen, ut prædixi, illum nescitis. Vos enim ab illo estis facti vel creati, ego autem simpliciter et absolute sum, quia non me creavit aut fecit, sed genuit, et ut talis fierem, quem scire vos possetis, ipse me misit. Ne igitur dixeritis, vel me hoc solum esse quod scitis unde sim, vel Christum illum solum esse quod nemo sciat unde sit, id est nec solum filium hominis, nec solum Filium Dei, sed utrumque simul, et quod scire potestis unde sit, et quod nemo sciat unde sit, id est, Filium hominis pariter et Filium Dei. Hæc dicens Dominus, æstimationem illorum de Christo non solum non diminuit, sed et in majus auxit. Illi namque non eo respectu dixerunt : Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit, nec eo sensu legere soliti erant : « Generationem ejus qui enarrabit (*Isa.* LIII), » ut sentirent illum esse consubstantialem Filium Dei, sed in cæteris plerisque traditiones suas præferebant traditionibus Dei, sic et hanc opinionem suam, qua dicunt isti : « Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit, » prætulerant Scripturis propheticis. Traditio quippe illorum erat, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægypti temporis, quando Pascha celebratum est

(*Exod.* XII), et exterminator venit, et Dominus super tabernacula transiit, et sanguine agni postes consecrati sunt, et sic eum venturum, non tanquam Deum et hominem, sed tanquam purum, licet magnum, hominem. In hac opinione occupati, suo sensu dixerant : « Christus autem cum venerit nemo scit unde sit, » licet principes sacerdotum et Scribæ percontanti Herodi, ubi Christus nasceretur, respondere noverint. « In Bethleem Judæ ; sic enim scriptum est per Prophetam (*Matth.* II), » et cætera. Insipientes et maligni, qui scire poterant unde esset Christus tunc quando quærebatur ad occidendum ; nunc autem nesciunt, et nescire volunt unde sit Christus, dum quæri inciperet ad credendum. At vero Christus non se de ignotis vel secretis regionibus, ubi olim translatus fuerit, sed ab eo venisse asserit, et illic prius fuisse, quam de Maria nasceretur, vel in Galilæa conversaretur, quo respicientes dicebant : « Sed hunc scimus unde sit. » Igitur æstimationem illorum non minuit, sed plus quam de Christo æstimare poterant, de seipso pronuntiavit.

« Quærebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. » Quamvis cæci et surdi essent, et ideo forte non satis clare advertere potuissent in prædicto clamore veritatis, utramque scilicet divinam pariter et humanam commendatam esse naturam Christi ; quippe, cum hodieque plerisque nostrum hujusmodi sermo non adeo sit ad intelligendum facilis; summam tamen ejus vel intentionem facile erat intelligi, videlicet hoc eum dixisse quod Christus ipse deberet credi. Sed hoc solum magnæ invidiæ et odio ingenti exasperando suffecit, quemadmodum camino ardenti permodicum olei satis est injecisse, ut flamma furens repenti exundari ac diffundi possit. « Ergo quærebant eum apprehendere, » videlicet ut vincerent sua rabie, quia vincebantur ejus ratione. Sed « quia nondum venerat hora ejus ; » hora, inquam, non fatalis, ut mathematici putant, sed hora a seipso vitæ et mortis Imperatore præfinita, « nemo misit in illum manus, » — « De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant : Nunquid Christus, quando veniet, plura signa faciet, quam quæ hic facit ?» Multitudines, quæ de regionibus vel exteris civitatibus convenerant ad diem festum, turbam hic appellat, videlicet ad distinctionem eorum, qui ex Jerosolymis erant, qui et supradicto **221** modo altercantes et clamante Jesu, ut jam dictum est, amplius insaniente, eum apprehendere quærebant. Illi quia erant stipula, et principes eorum vel Pharisei ignis, pariter succensi ardebant in Salvatorem. Turba vero prædicta, quæ convenerat, pro quanto ad hoc incendium longius vel proprius accedebat, pro tanto magis vel minus odii furentis igne calebat. Itaque, multi, quos quasi longius stantes illic ignis invidiæ non afflaverat, crediderunt in eum, et dicebant. « Nunquid Christus quando veniet, plura signa faciet quam quæ hic facit ? » Ac si dicerent : A Christus quando veniet, utique ex signis magnificis quæ facturus est, cognoscendus est. Sed, nunquid plura vel majora his quæ hic facit, vel ipse facturus est, vel exigi ab ipso opus erit? Igitur, quoniam et Christum se esse dicit et hoc tantis comprobat signis, rationem non videmus, cur in eum credendum non sit : « Audierunt turbam murmurantem de illo hæc, et miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. » Audierunt principes et Pharisæi turbam murmurantem, id est, non excitatam in seditionem, sed leniter submurmurantem eo quod ab eorum invidia diversam generent voluntatem At vero ipsi ad omnem ventum hiabant, quasi idoneam desiderantes occasionem, ut haberent unde illum apud Romanum præsidem quasi legi- B timo accusarent. Igitur audito, quod de turba multi crederent in eum, et de illo diversis sententiis partes divisæ murmurarent, quia supradicto conflictu de Sabbati solutione, illo defendente se, ipsi causa ceciderant, suamque rationem infirmam esse cognoverant, nunc respiraverunt quia seditionem propter illum factam criminati se posse sperabant, licet prædicum turbæ murmur, longe a seditione distaret, unde civitatibus vel rebus publicis solet timeri periculum. Itaque « miserunt ministros, ut apprehenderent eum : — Dixit autem eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui me misit. » Judæis quærentibus eum, ut supra dictum est, apprehendere, principibus et Pharisæis nunc mittentibus, ministris quoque venientibus illum C apprehendere, hæc invictæ majestatis suæ conscius locutus est Jesus. « Adhuc, inquit, modicum tempus vobiscum sum. » Conscius, inquam, potestatis suæ, nec ignorans quibus vinculis ligotum vel quo circulo naribus infrenatum teneret (*Job.* XL), cubantem in cordibus illorum præpositum mortis diabolum, dixit hæc et cætera quæ sequuntur. Ac si diceret : Tam cito vultis me comprehendere, sic festinatis occidere (*Luc.* XIII), et quia gravis sum vobis ad videndum, jam nunc in cœtu viventium properatis excidere me. Sustinebitis et exspectabitis paulisper, donec perficiam sanitates et impleam tempus meum, et interim velit nolit agitator vestri, dux mortis et inferni, vivens ego cum viventibus, mortalis cum mortalibus vobiscum ero, inter vos ambulabo (*Deut.* XXXII). Cum perfecero opus meum, mala D voluntas vobis innata est, facultas danda est. Facitote ut libet. Sed cum feceritis, nolite gaudere, nolite exsultare. Nam vestro scelere ab hac vita ejectus, « vado ad eum, qui misit me. » Qui deinde? Jam nunc dico vobis.

« Quæretis me et non invenietis, et quo ego vado vos non potestis venire. « Vos qui nunc me quæritis, vos qui nunc tantam stimulante invidia causam habetis, ut me quæratis : nolite putare quod, postquam me occideritis, causa hæc cessare debeat, propter quam me nunc quæritis. Non ita erit. Sed tunc multo magis ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos

mittam. Jam nunc una quidem turba unius gentis vel terræ hujus plebecula submurmurabat, quibus jam credentibus et dicentibus: « Nunquid Christus cum venerit, plura signa facturus est quam quæ hic facit; » tunc autem « a solis ortu usque ad occasum, laudabile erit nomen Christi Domini (*Psal.* CXII), » et laudabunt eum omnes gentes, laudabunt eum omnes populi (*Psal.* CXVI), et tunc implebitur quod scriptum est: « Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum; coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent (*Psal.* LXXI), » etc. Tunc utique majori quam nunc invidia quæretis me, cupientes nomen meum exstinguere, sed frustra. Nam « quo ego vado, vos non potestis venire. » Nunc « ubi ego sum, vos potestis venire, » imo, quia ego ad vos veni, vos me potestis invenire, et post modicum etiam poteritis apprehensum de vestra terra viventium conterendo ejicere. Verum hoc vobis facientibus, « ego vado, quo vos non potestis venire, » sed nec saltem lapidem illuc poteritis jacere. Quæretis tamen me ardentissima persecutione, et servos meos quidem occidetis, flagellabitis, crucifigetis, lapidabitis, et de civitate in civitatem persequemini (*Matth.* XXIII). Me autem contingere non poteritis, sed sospes ego, cum alios occideritis, alios substituam testes meos, ut magis ac magis gens insipiens æmulemini.

« Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? quis est sermo quem dixit, quæretis me et non invenietis, et ubi ego sum, vos non potestis venire? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? » Ad semetipsos hoc dixerunt et non ipsum interrogaverunt, nec enim in humilitatis arcem, quæ superbis mentibus ardua nimis est, saltem tantillum, aspirare poterant, ut ab ipso quidquam intentione discendi quærerent. « Nunquid autem in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? » O Judæi, vitæ desertores et salutis inimici, timor quem timetis, vobis eveniat et quod veremini vobis accidat! Adeo ne timetis ne si post Christum totus mundus eat, et gentibus Deus innotescat, vestra singularis gloria depereat? Hoc enim vobis præsaga mens vestra prædicabat, quod si juxta prophetiam Jacob Christus venisset (*Gen.* XLIX), qui exspectatio gentium foret, vestra de unius Dei cultu tanquam unicornium, singularis superbia super terram se ultra magnificare non apponeret. Igitur et vos abundatia cordis ad vosipsos locuti estis, quia quod timebatis propter quod Christo invidetis, et nequaquam non videndo sed invidendo persequimini, ore maligno eructastis nequitia crapulati. Ibit in dispersionem gentium, et docebit gentes, et dum vos hoc præcaventes quod avertere volentes ipsum occideritis, tunc super equos suos et quadrigas salvationis ascendens, tota salute secum a vobis transmigrante, in dispersionem gentium æquitabit (*Habac.* III). Mors ipsa via est vitæ ad gentes proficiscenti. Sic Jonas non per aridam transivit in Ninivem civitatem magnam (*Jon* II; *Matth.* XII), sed mare ingressus, moxque abysso vallatus et pelago coopertus atque post triduum de ventre ceti revocatus, tandem ambulavit in Ninivem magnam, et prædicando commovit et conturbavit illam, ut sanaretur per pœnitentiam triduanam, et ita, salvata Ninive, exaruit cucurbita quæ obumbraverat capiti Jonæ, videlicet in typum vestri, quorum Synagoga templumque vel Sancta sanctorum, quondam Dei tabernaculum Gentilium Ecclesia florescente exaruit.

Sic **222** Hæmorroyssa tangente fimbriam vestimenti Domini et a fluxu sanguinis liberata confestim archisynagogi filia mortua est (*Matth.* IX), quæ tunc profecto nata fuerat, quando in infirmitatem incidit mulier prædicta. Nam et puella erat annorum XII. Et hæc mulier habebat in infirmitate annos XII. Quid sibi vult hoc? videlicet quod tunc Synagoga in Abraham, Isaac et Jacob nata est, quando gentilitas in idololatriam defluere incipiebat, et ecce gentilitate ab ejusdem idololatriæ fluxu sanata per fidem Christi, retro accedendo et fimbriam vestimenti ejus tangendo, id est, post ascensionem ejus in eum credendo; gentilitate, inquam, per fidem sanata, emoritur in infidelitate Synagoga præ invidia. Igitur verum est, quia in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes. Et quoniam vos per timidam invidentiam quasi divinantes ejus rei mentionem fecistis, jam nunc in semetipso præfigurare non distulit, qualiter vel in quo in dispersionem gentium iturus, et gentes docturus sit. » In novissimo autem die magnæ festivitatis, stabat Jesus et clamabat, dicens: « Si quis sitit, veniat ad me et bibat. » Novissimus hujus festivitatis dies octavus est. Sic enim de hac festivitate scriptum est: « Primus et octavus dies erit celeberrimus atque sanctissimus (*Levit.* XIII). » Significat autem nunc in mysterio Domini stantis et clamantis eodem anno secuturam Paschæ festivitatem, utique novissimam Veteris primamque Novi Testamenti; quia profecto post illam Paschalem vesperam, qua Dominus cum discipulis suis typicum Pascha mox tradendus manducavit, quidquid Judæi celebraverunt, non jam festivitas aut solemnitas, sed, juxta prophetam stercus solemnitatum debet nuncupari (*Malac* II). In illa namque novissima festivitate magna, stetit Jesus in conspectu Patris, preces supplicationesque, ut ait Apostolus, offerens cum clamore valido et multis lacrymis (*Hebr.* V); dum percussus violentia passionis, sicut præfiguratum est in illa petra, quam Moyses virga percussit (*Exod.* XVII; *Num.* XX), effudit nobis de semetipso, quod biberemus, primum aquam qua ablueremur, et sanguinem suum quo potaremur deinde insufflando Spiritum sanctum dans apostolis (*Joan.* XX), et juxta alium evangelistam, « aperiens illi sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV): » quod est vere bibere salutares aquas. Deinceps persistit clamans vehementer, clamans gentibus cunctis, et quodammododicens: « Si quis

sitit, veniat ad me et bibat, » dum receptus in cœlum, dato Spiritu sancto cœlos commovit, qui enarrarent gloriam Dei, ita ut non essent loquelæ neque sermones quorum non audirentur voces eorum, ut in omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). Totus quippe sonus sive narratio eorum, clamor erat Jesu, invitantis ut omnes sitientes venirent ad aquas, et accipere properarent gratiam Spiritus sancti, in remissionem peccatorum, et deinde, dividente prout vult (*I Cor.* XII) eodem spiritu, biberent de lege et prophetis, per fidem Evangelii salutarem, quam prius non habebant, abundantiam Verbi Dei. Igitur bene in novissimo die magnæ festivitatis stabat Jesus, et clamabat dicens : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat, « quia cunctis hominibus cujusque gentis vel conditionis desiderantibus salvari, extunc non solum aperuit salutis aditum ; sed etiam altisona prædicatione cunctos invitavit ad bibendum vitæ salutis poculum. Et adjecit : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Scriptura Proverbiorum est, quæ sic dicit sensu eodem, verbis paululum diversis. Nec solum hoc, sed et quod præmissum est eidem Scripturæ concinit. Nam quod hic dixit : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat ; » hoc ibi sic dictum est : « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui (*Prov.* v). » Et quod hic subjunxit : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » hoc ibidem sic subjunctum est : « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide (*ibid.*). » Ergo sic Scriptura dicit : « Flumina, inquit, aquæ vivæ fluent de ventre ejus, qui credit in me. » Ac si dicat : Quid male solliciti estis, dicentes : « Nunquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes ? » An putatis quod si me occideritis, illud præcaventes, jam non sit, qui gentibus salutem, quam illis invidetis, annuntiet ? Non est ita. Nam qui credit in me, per ipsam mortem, qua vos me occidetis, accipiet spiritum sapientiæ et scientiæ et implens mundum abundantia doctrinæ evangelicæ, non sinet, uti vos vultis, nomen meum perire, vel dispersioni gentium Dei notitiam deesse. Quod et factum est. Ecce quam multi credentium biberunt aquam sapientiæ salutaris de cisterna legis, et fluenta viva de puteis Evangelii, et derivati sunt fontes eorum foras, et largis expositionibus in plateis aquas suas diviserunt. Illi qui jam tunc in eum primi credebant, scilicet apostoli, primi biberunt, et de illo primitivæ Ecclesiæ paradiso, primum quatuor Evangeliorum flumina fluentia, et Epistolarum fontes derivati, totum mundum notitia Divinitatis impleverunt, et postmodum tanti doctores bibendo impleti sunt, et scribendo refuderunt, ut Judæi dolentes satis videant esse impletum, quod invidentes, divinarunt, scilicet Christum venisse in dispersionem gentium. Hæc autem aqua viva sancti Spiritus gratia est. Nam protinus subjunxit evangelista : « Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. »

A Etenim Spiritus sanctus usitato in Scripturis vocabulo aqua, et interdum cum additamento aqua viva nuncupatur. Humana vero anima terra dicitur, videlicet pro similitudine : quia, sicut aqua terram irrigat et infusione competenti germinare eam facit, sic sancti Spiritus gratia substantiam humanæ animæ, per semetipsam inopem et sterilem, donorum suorum fruentiis necessariis irrigat, et beneficio suæ visitationis infusam, fide et bonis operibus fecundat. Quam visitationem Psalmista per hanc similitudinem postulans dicit : « Anima mea sicut terra sine aqua tibi (*Psal.* CXLII). » Et bene dona sancti Spiritus, non modo aquæ vivæ, sed fluminibus aquæ vivæ assimilavit, dicens : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Nam quomodo aqua viva propriam B certamque habet venam, et de fonte suo nascitur, flendo autem nomen accipit, ut flumen vocetur ; sic donorum distributiones, quæ in sancta Ecclesia sunt, omnes ab uno Spiritu tanquam ab uno fonte prodeunt, sicut ait Apostolus : « Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Perseverando autem in eadem Ecclesia per succedentes generationes, ab ipso Christo usque in finem sæculi, tam per doctrinam quam per manuum impositionem eo operante occulta inspiratione, et sic de aliis, vel per alios emanando in alios, quasi flumina longos alveos efficiunt. Et singulari quidem numero cum dicitur flumen ut Psalmista : « Fluminis, inquit, impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV), » ipsa substantia vel persona C sancti Spiritus intelligitur. Plurali autem numero flumina cum dicuntur ut hic : « Flumina de ventre ejus **223** fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII), » donorum ipsius distributiones apte significantur. Flumina quoque, non solum aquæ, quæ possit intelligi qualiscunque sed flumina vivæ aquæ dicuntur, videlicet ut hac propria differentia distinguantur ab aquis pharisaicæ vel hæreticæ doctrinæ, quæ revera sunt mortuæ ; nec flumina, sed cisternæ veteres rectius sunt appellandæ. De quibus per prophetam Dominus dicit : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas veteres, quæ aquas non valent continere (*Jer.* II). » Hoc ergo, inquit evangelista, dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nam revera credentes in eum, scilicet Dei Filium, sic erant accepturi hunc spiritum, ut D dona ejus de ventre illorum fluerent, tanquam flumina, quod hactenus ab initio sæculi non fiebat. Quamvis enim dona sancti Spiritus antiqui patres haberent, non tamen de illis fluebant, tanquam flumina in illam de qua nunc agitur, gentium dispersionem ; sed una in gente ista dona gratiarum, tanquam uno in vase continebantur exceptiones aquarum. Isti autem credentes in eum, scilicet apostoli, et post illos apostolici viri, sic acceperunt hunc Spiritum sanctum ut prædicando, baptizando, manus imponendo, maxima de ventre suo flumina profunderent per mundum universum. « Et fluent, inquit, de ventre ejus ; » de ventre inquam, id est,

de intimis animæ, ubi Deus interno sentitur amore, A seipsum infundens conjugi castæ, ubi spiritum hunc imbibit anima de viri sui Dei se impraegnantis pectore. Quod dum fit, multum differt ab eis quorum solo ex ore verbotenus fluit ubertas doctrinæ; corde intrinsecus suimet oris verba, per amorem non sentiente, de qualibus recte dicat Dominus : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX ; *Matth.* XV). » Notandum vero quod non ait, « de spiritu » quem acceperant, sed « quem accepturi erant, credentes in eum. » — « Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. » Glorificatio Jesu, ob quam, donec facta esset, differebatur datum Spiritus, illa intelligenda est quæ opposita sit ignominiosæ nuditati Adæ, propter quam ab humano genere adversus B fuerat hic idem Spiritus gratiæ (*Gen.* III). Scimus autem quæ causa illum ignominiæ impleverit, et nudum inter hostes, imo nudatum ab hoste, inimicum Dei constituerit, videlicet inobedientia præsumptuosa, qua lignum vetitum temeravit, dum Deo subesse diffugit, et affectat similitudinem Dei. Igitur obedientia Jesu Christi, qua Deo Patri semetipsum pro omni mundo obtulit, glorificatio ejus est (*Ephes.* V), quia vere sic illa passione glorificata est, nudata quondam, humana natura, quomodo glorificatur quis, dum pontifex factus sancto altari assistit in veste sacrata (*Hebr.* V). Et quidem veste adhuc corruptibili, id est carne mortali adhuc assistens Patri Pontifex noster, semetipsum ad horam obtulit, sed nunc eadem immortali carne resumpta eidem Patri suo pro nobis assistit. Ab hinc de ventre ipsius qui C hoc ipsum loquitur dicens : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » de ventre, inquam, id est de profunda divinitate ejus, cœperunt fluere duo vivæ aquæ flumina, id est hujus sancti Spiritus duo data : primum videlicet, quod est remissio peccatorum ; alterum, quod est diversarum distributio gratiarum. Nam ipsa die qua resurrexit, sero apparens apostolis, « insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX), » etc. Assumptus autem in cœlum, ubi captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Ephes.* IV), non omnibus eadem, sed alios quidem apostolos, alios evangelistas, alios doctores, alios ponens prophetas in Ecclesia sua (*ibid.*), eisdem usque in finem sæ- D culi perseverantibus donorum suorum fluminibus eodem ordine, ut primum baptizati remissionem peccatorum per sanctum Spiritum accipiamus, quod datum æqualiter operatur in omnibus : deinde diversarum dona gratiarum, quæ non eadem sunt omnibus, sed « unus atque idem Spiritus dividit singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Non enim, ut plerique existimant, tunc illos apostolico Christus ordine consecravit, quando ante passionem suam, « convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem (*Matth.* X), » quod non ita esse, multis argumentis comprobatur. Primo, quia non est hæc tota definitio apostolici ordinis, potestatem habere dæmones ejiciendi, languoresque sive infirmitates curandi, et cætera hujusmodi signa faciendi. Alioquin et alii septuaginta duo discipuli omnes apostoli fuerunt [fuissent], qui videlicet ipsi quoque potestatem eamdem acceperunt, unde gloriabantur, quando reversi sunt cum gaudio magno dicentes : « Domine, etiam dæmonia nobis subjiciuntur in nomine tuo (*Luc.* X). » Deinde quia apostoli Novi Testamenti, primi pontifices vel episcopi sunt, ipsum autem Novum Testamentum, non nisi Christi sanguine et morte conscriptum vel confirmatum est (*Hebr.* X). Quomodo ergo Novi Testamenti episcopi ordinarentur, antequam ipsum Novum Testamentum conscriberetur? Vel quomodo summus Pontifex, Christus, alios pontifices vel episcopos consecraret sibi vicarios, antequam suo prior ipse fungeretur officio ? Nempe si illos ante passionem Christi consecratos esse velis, tale est ac si dicas congruum fore, si quilibet pontifex noster, quoniam ipse jam consecratus est, ubicunque vel quomodocunque presbyteros aut episcopos suos consecrare velit, extra legitimum tempus vel ordinem sacrificii absque vestibus sacris. Nempe Dominus noster plane quidem erat antequam pateretur, magnus pontifex unctus sancto Spiritu et virtute, ab ipso initio conceptionis suæ (*Isa.* LXIII ; *Luc.* IV), sed sacras vestes sacerdotii sui non induit, priusquam sacrificium ipse fieret, id est immortalitatis gloria non se vestivit, priusquam per passionem mortis, membra corruptibilia deponeret. Antea, juxta typum propheticum, ipse « Jesus indutus erat sordidis vestibus (*Zach.* III), » sed in ipsa passionis suæ hora sic a Patre de ipso dictum est : « Auferte vestimenta sordida ab eo. » Dictumque est ei : « Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis. » Item : « Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus (*ibid.*). » De hac sordidorum vestimentorum, id est mortalium membrorum exspoliatione, et glorioso immortalitatis vestitu, ait hic ipse magnus Sacerdos Jesus : « Ignem, inquit, veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur (*Luc.* XII) ; » statim subjungens : « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur ? (*ibid.*) » Videlicet ut subaudias, quod ignis ille, id est Spiritus sanctus, non ante sit dandus quam illud perficiatur. Itaque sacris vestibus nondum indutus erat Jesus. Rursus nec ante hoc erat tempus vel ratio, sacrum oleum, vel chrisma, super illos effundendi, sicut petra illa in deserto, non ante flumina vel torrentes inundantes fundere habebat quam ex jussu Dei percuteretur virga (*Exod.* XVII ; *Num.* XX). Nihilominus et apostoli necdum talem induerant vestem, in quo sancto altari assistere, et ab illo magno Pontifice sacri olei vel chrismatis **224** unctionem id est sancti Spiritus effusionem,

ratio vel ordo consentiret illos accipere. Nati quippe ut essent in delicto paternæ prævaricationis, necdum remissionem peccatorum acceperant, quod nemini dubium est, nisi forte quis putet quod aliter quam per Christi mortem potuerit ulli homini, sive gentili, sive Judæo dari peccatorum remissio. Sed hoc a fide Christi alienum est. Proinde constat quod apostolicæ vel omnes ecclesiasticæ ordinationes, et omnino cunctæ Spiritus sancti donationes, non ante, sed post glorificationem Jesus effusæ sunt, quia videlicet hic erat ordo necessarius, ut prius passione Christi redimerentur, et post ab eodem Pontifice suo, sancta immortalis gloriæ stola vestito A apostolica illis gratia conferretur, per geminam, de qua jam dictum est, effusionem sancti Spiritus. Igitur, ut ait evangelista, « Spiritus nondum fuerat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. » Non, inquam, datus erat ullo [illo] modo ea largitione, qua peccata remittuntur. Ea tamen qua divisiones gratiarum distribuuntur, datus quidem fuerat prophetis vel patribus, sed non eo modo ut recte flumen vocaretur. Nam quantulacunque illa donatio, non in gentium dispersionem valebat fluere, sed in una continebatur gente, largitatem istam, quæ per Christum danda erat, prænuntians spiritus prophetiæ.

LIBER OCTAVUS.

Agones Domini nostri Jesu Christi egentibus nobis intelligentia opus est: « Beatus enim, inquit Psalmista, qui intelligit super egenum et pauperem (*Psal.* XL), » ipsum utique intelligi volens, « qui, cum dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII). » Ipse namque in eodem psalmo loquitur, quod nunc tractare cœpimus: « Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus? » (*Psal.* XL.) Ipse manifeste seipsum exprimit dicens: » Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem (*ibid.*), » Quis autem misericordia vel charitatis compassione purgatum habens cordis oculum, non intelligat quam non parvi aut levis sit certaminis hoc ipsum, quod stans in medio superborum ac divitum inimicorum suorum, mala sibi dicentium, egenus et pauper iste apud cogitationes illorum, pro sua contemptus paupertate, divinitatis suæ divitias ore proprio cogebatur prædicare, et de seipso testimonium perhibere? Si enim sub silentio semetipsum absconderet, frustra nobis advenisset, quia videlicet sine prædicante nemo nostrum audisset, nemo credidisset (*Rom.* X), atque ita nemini adventus ejus profuisset: laborabat ergo sustinens semeptisum prædicare, Hoc enim faciens apud superbos, quantæ putas subjacebat invidiæ? Quicunque ab ipso didicit mitis esse et humilis corde (*Matth.* XI), et idcirco tanto magis gravatur suam virtutem prædicare, quanto magis humiliter sentiens odit ventum jactantiæ, ipse sentit utcunque quanti laboris sit huic egeno et pauperi stare in illo tali templo, et coram inimicis mala sibi dicentibus quis esset vel unde opprobria exprobrantium sibi recepturus edicere (*Psal.* LXVIII). Igitur, ut veræ beatitudinis participes simus, super hunc egenum et pauperem intelligere studeamus, et tunc nos verum lectionis intellectum assecutos arbitremur, cum mala, quæ audit vel patitur, compatienti corde perceperimus. Sequitur: « Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus dicebant: Hic est vere propheta. Alii dicebant: Hic est B Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa Christus venit? Nonne Scriptura dicit quia ex semine David, et Bethlehem castello, ubi erat David, Christus venit? (*Mich.* V). Dissensio itaque facta est in turba propter eum. « Sanctis viris nonnunquam dissensio multitudinis occasio fuisse legitur evasionis. Nam et Paulo apostolo pene tale quid contigit, qui dum staret medio multitudinis, et sacerdotes atque omne concilium convenissent adversus eum, » sciens quia una pars esset Sadducæorum et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione ego mortuorum judicor. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio, et soluta est multitudo. Jussitque tribunus milites descendere, et rapere C Paulum de medio eorum (*Act.* XXIII), » videlicet volente Domino ut servaretur: « Sicut enim, inquit, testificatus es de me in Hierosolymis, sic te oportet Romæ testificari (*ibid.*). » Imo sic vel universaliter sanctæ Ecclesiæ contigit, quia, dum universæ iniquitatis et multitudo in multas hæreses divisa est, et adversus alterutrum discordans semetipsam impugnat, evadit per medias divisiones fides catholica. Quod etiam veteri miraculo præfiguratum est, salvo altioris quoque sacramenti intellectu, quando ad ingressum filiorum Israel, mare Rubrum divisum est (*Exod.* XIV). Traditum namque est majoribus quod in illa digressione maris, singulis quibusque tribubus filiorum Israel, singulæ aquarum divisiones factæ sint, et propria unicuique tribui in mare D aperta sit via. Idque ostendunt ex eo quod in psalmo scriptum est: « Qui divisit mare Rubrum in divisiones (*Psal.* CXXX). » Per quod plures divisiones docentur factæ secundum singularum tribuum viam. Quod ergo in Ecclesia sua futurum erat, videlicet ut inter dissidentes hæreticorum sectas catholica fides incolumis persisteret, hoc in seipso Christus præfigurare dignatus est, dum ubi miserant principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum, ad prædictum clamorem ejus dissensio

225 in turba propter eum facta est, et ipse apprehensus non est. Nam et hoc sequitur: « Quidam autem volebant apprehendere eum, sed nemo misit super illum manus. » Nam revera volentes eum tenere timebant, « ne forte tumultus fieret in populo (*Matth.* XXVI), ne de manibus eorum, populi liberaretur auxilio. Quod timentes, et maxime divinitus coerciti, tandiu sunt a conatu suo repressi, donec eis « Judas illum traderet sine turbis. » — « Venerunt ergo pontifices et ministri ad Pharisæos. » — « Ergo, » inquit, quia dixerat Dominus, qui necdum pati dignabatur: « Adhuc modicum vobiscum sum (*Luc.* XXII), et volebat adhuc et dictis et factis implere, quæ supererant, implere oculos et aures eorum, et sufficienter inexcusabiles eos facere, quibus gravis etiam erat ad videndum; « venerunt » ministri immunes a crimine, pleni admiratione. « Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis eum? » Non parvam exspectationem, vel attentionem evangelista innuit pontificum et Pharisæorum, tam prompta percontatione dicentium, « quare non adduxistis eum? » — « Eum, » inquiunt, superfluum habentes dicere Jesum, cui protinus adducendo, ut putabant, palam erat præsentem inhiare conventum. « Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo loquitur. » Vere « nunquam sic homo locutus est. » Homines quippe quicunque sapientiæ vel scientiæ sermonem habuerunt, de plenitudine hujus omnes acceperunt (*Joan.* I). Sed eo magis inexcusabiles sunt, quia tantam sapientiam audierunt, et non obaudierunt, qui talem hominem viderunt et inviderunt. Quid igitur retributionis habebunt? Illud utique quod per os David pronuntiat spiritus prophetarum, vel omnium justorum, qui minus quidem hoc homine, sed tamen bona et salutaria locuti sunt: « In salicibus, inquiunt, in medio ejus, » scilicet Babylonis, » suspendimus organa nostra, quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum (*Psal.* CXXXVI). » Isti namque homines, filios quidem Hierusalem se esse putant, oculos quoque ad videndum, et aures habere ad audiendum, legitimumque Mosaicæ sive propheticæ cantilenæ rationabiliter discernere, vel comprehendere sonum. Sed revera salices sunt Babylonis, vitiosa radice ripis hærentes fluminis, id est decurrentibus voluptatibus sæculi, solum habentes in verborum foliis virorem Judaicæ professionis, a fructu autem boni operis steriles, ita ut terram quoque tanto tempore frustra occupaverint (*Luc.* XIII). Suspendentur ergo in eis, id est propter eos tacebunt organa prophetarum et omnium veritatis prædicatorum, ne audiant verba cantionum, quæ vane interrogaverunt, et cum isto summæ divinitatis organo, cum isto homine qui sic loquitur quomodo nunquam locutus est homo, ad gentes ibunt et ipsis cantabunt. Nam isti nimis impatientes sunt ad audiendum, nullum de illo bonum volentes audire testimonium. Unde et subditur: « Responderunt eis Pharisæi: Nunquid et vos seducti estis? » Et vos,

A inquiunt, qui ex nobis estis, quos arbitramur aliquid prudentis habere ingenii, nunquid tam cito seducti estis? Quasi vero jam legitimo deprehensum esse judicio seductionem esse quidquid audissent ab homine isto, sic loquente quomodo nunquam locutus est homo. Cui malignæ intentioni, quia nulla est quæ suppeditat rationis vis, protinus sub interrogatione obliqua illud intorquent, quod pro ratione volunt accipi, vere seductores, et ipsi a maligno spiritu seducti. « Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? » Ac si dicerent: Seductos vos esse in eo quod ejus estis sermonibus delectati ex hoc solo constans est, quod nemo credidit in eum ex principibus aut ex Pharisæis. Quæ ratio quam infirma, vana et inepta sit probari nullis B opus est argumentis. O ergo cæci, duces cæcorum, cæci, inquam, cæcis ducatum præbentes, ut pariter in foveam cadant (*Matth.* XV). Nonne principes isti, Isaia testante, principes sunt Sodomorum, et populus iste populus est Gomorrhæ? (*Isa.* I.) Exspectandi ergo sunt tanquam scientiæ clavim habentes, ut nemo quamvis oculos habens introeat (*Luc.* II), nemo quamvis aures habens audiat nisi hujusmodi principes ad videndum vel audiendum habeat præcessores? « Nunquid, aiunt, aliquis in eum credidit ex principibus aut ex Pharisæis? Sed turba quæ non novit legem, maledicti sunt. » Videlicet pro hoc ipso quod legem nesciunt, maledictionibus illis illo subjacere judicant, quas Moyses in Deuteronomio legem non custodientibus præscribens: « Maledictus, inquit, qui non permanet in sermonibus legis C hujus, nec eos opere perficit (*Deut.* XXVII), » etc. Sed profecto turba illa verius contradixisset. Istud vanitatis consilium et hæc Ecclesia malignantium (*Psal.* XXV), quæ non facit legem, maledicti sunt. Turba enim hæc, ut supra dictum est, multitudo, quæ de civitatibus et regionibus convenerat ad diem festum, hic intelligi debet, quos falsi illi et fallentes Hierosolymitani, penes quos erat templum, et Sancta sanctorum, velut agrestes in sui comparatione æstimabant. « Dicit ad eos Nicodemus, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, et cognoverit quid faciat? » Cur non hic aperta defensione dixit quod sentiebat, et quod dudum veniens ad eum nocte dixerat, videlicet quod D non seductor esset, sed Magister a Deo venisset (*Joan.* III), etc. Videlicet, quia timiditatis nos adhuc in corde ejus erat, et necdum securitatis dies illuxerat. Nec mirum, « nondum enim, ut prædictum est, erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus, » et idcirco necdum de ventre ejus, sive apostolorum flumina aquæ vivæ saltem usque ad publicum circuitum unius Synagogæ fluere poterant, quæ Jesu glorificato et Spiritu dato usque in dispersionem quoque gentium fluere habebant. Ergo causam, vel invisam non ausus palam defendere personam, sed rursus non ferens impudentem malitiam tantum usurpare qui d,

ait, lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, et cognoverit quid faciat ? » Non utique, sed econtra præcipit non facile credendum esse quod audieris. Videlicet hoc dicto coargui non potest, velle defendere hominem, cum verba sonent potius justæ ac sanctæ legis defensionem. Justa quippe non esset lex, si præjudicia fieri juberet aut permitteret. Itaque timidus quidem, sed providus in tutam confurgit arcem, dum pro homine loquens pro lege videtur patronam ferre sententiam. Attamen quoniam intentio ejus callidam audientium nequitiam latere non poterat, hostiles assultus non omnino evasit. Nam sequitur : « Responderunt, et dixerunt ei : Nunquid et tu Galilæus es ? » Nonne ergo verum est quia « dixit injustus ut delinquat in semetipso (*Psal.* XXXV), » id est, sciens et videns, proposuit cœtus Pharisaicus permanere in peccato suo ? Nonne et hoc verum est, quia « noluit intelligere ut bene ageret ? » (*ibid.*) Hoccine est velle intelligere audiendi suggestionem, vel legalis judicii mentionem non posse sustinere ? Homo Pharisæus et princeps Judæorum, ausus in tali causa facere legitimi judicii mentionem, uno dicto suum coram illis odorem fetere fecit, et hostili calumniæ patuit. Non enim parvam odii spirat abundantiam, quod tam cito **226** dictus est Galilæus, eo quod homini Galilæo favere videretur. Jam quippe propter odium Jesu, ipsum nomen Galilææ putabat illis, nares subsannantes habentibus. « Nunquid, aiunt, et tu Galilæus es ? Scrutare et vide, quia propheta a Galilæa non surgit. » Ecce in retributionem et scandalum sic quoque impletur illud, quod Propheta prædixit : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum (*Psal.* LXVIII), » Scriptura, quam scrutati sibi esse videntur, locum prædixit, ubi nasceretur iste propheta magnus, de quo Moyses scripsit (*Deut.* XXIII) : « Et tu, inquit propheta, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel (*Mich.* V). » Sed illud tacuit, quod exiturum esset edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, et ituri essent omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem, et quod ascensurus esset Joseph de Galilæa in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante, et cum essent ibi, implendi forent dies ut pareret (*Luc.* II). Hoc modo mensa sua nunc eos illaqueavit, quia videlicet oculos suos compresserunt ne viderent, et aures suas aggravaverunt ne audirent (*Isa.* VI). Ecce enim præterita non respicientes, et præsentia tantum oculis nequam aspicientes, laqueum sibimet hoc modo texuerunt. Christus secundum Scripturas ex semine David et castello Bethlehem nasciturus est, hic autem Jesus homo Galilæus est. Igitur hic homo propheta non est, Christus non est. Hoc modo obscurati sunt oculi eorum, ne videant (*Psal.* LXVIII). Quid enim : Nunquid repugnantia sunt hæc, Christum ex semine David, et castello Bethlehem nasci debere, et eumdem in Galilæa nunc habitare ? Scrutentur ergo Scripturas ipsi, ut videant quia non sic scriptum est per prophetam : In te enim natus habitavit, sed « ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel (*Mich.* V). » Sequitur : « Et reversi sunt unusquisque in domum suam. » Quia telas araneæ texuerant, idcirco leviter solutum et dissipatum est eorum conventiculum, et ad unam objectiunculam infirmæ causæ conscientia diverberati, unusquisque in domum suam reversi sunt, et iterum in cubilibus suis aliud ineuntes consilium, ova rumperent aspidum et confoverent quod erumperet in regulum (*Isa.* LIX).

CAP. VIII. — « Jesus autem perrexit in montem oliveti, et diluculo iterum venit in templum, et docebat. » Et hoc quoque futurorum umbra est, et quod adversariis dissipatis et in domunculas suas abeuntibus, pergit in monte Oliveti Jesus, et iterum redit in templum, et docet, quia videlicet futurum erat ut, frustratis consiliis eorum qui quæsierunt animam ejus dicentes : « Quando morietur, et peribit nomen ejus (*Psal.* XL), » ascensurus erat in montem Oliveti, imo de monte Oliveti in altitudinem cœli (*Act.* I ; *Luc.* XXIV) ; daturus inde Spiritus sancti oleum, id est verum scientiæ lumen, et laborum dolorumque requiem, et hoc facto reparatum per apostolos suos habiturus erat cum adversariis suis aperte prædicationis conflictum (*Act.* IV, V). « Et omnis populus veniebat ad eum, et sedens docebat eos. » Die præterito stabat Jesus, inquit evangelista, et « clamabat, nunc autem « sedens docebat, » quia videlicet sic futurum erat ut prius « stans, » id est in passione agonizans clamaret, sicut superius dictum est, et postmodum gloriam suam ingressus, atque ad dexteram Patris residens, misso Spiritu veritatis doceret nos omnem veritatem (*Joan.* XVI). « Adducunt autem Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et statuunt eam in medio, et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio ; in lege autem Moyses mandavit nobis, hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis ? Hoc autem dicebant tentantes, ut possent accusare eum. » Quia pridem Nicodemus timide quidem, validum tamen iniquitati illorum secundum legem fecerat obstaculum, dicendo : « Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat ? » Idcirco nunc reparatis artibus summo studio nituntur illum constituere legis adversarium, ut nemo deinceps contra ipsorum audeat mutire consilium. Quid enim arbitrarentur nisi illum observandam suæ mansuetudinis famam, ne popularium favorem amitteret, a veritatis et justitiæ tenore declinaturum et tale quid dicturum, qualia dicere solitus erat : « Nolite judicare et non judicabimini, nolite condemnare et non condemnabimini (*Matth.* VII). » Hæc nempe et hujusmodi pietatis ac mansuetudinis hortamenta prædicando, populi favores acquisivisse videbatur, ut pius et mansuetus, et hinc esse quod tantis quotidie turbis stipabatur, ut, volentes eum

comprehendere, metu populi cohiberentur. Huic A ergo famæ suæ studentem dicturum illum putabant ut dimitterent peccatricem. Hæc autem pietas statim pateret crimini, ut dicerent illi robusti æmulatores legis: » Hostis legi es, contra Moysen locutus es, imo contra eum qui per Moysen legem dedit, et proinde tu ipse lapidandus es. » Igitur ut in scelere suo sanctæ legis vindices se pronuntiare possent, et sic omnes os obstruerent idcirco eum prædicta machinatione adduxerunt, et coram illo statuerunt mulierem peccatricem. Sed hoc modo captantes in animam justi, et sanguinem innocentem condemnare cupientes (*Psal.* XCIII), elusi sunt, ita ut nocere non possent, et peccatricem de manibus amitterent, imo peccatrice apud justum, misera apud misericordiam in templo remanente, foras ipsi confusione B operti exirent. Quis hoc factum non miretur? quis hanc veritatis et misericordiæ victoram non veneretur? Sic nimirum futurum erat ut, post illa quæ supra scripta sunt, adducerent Scribæ et Pharisæi peccatricem mulierem, scilicet Ecclesiam de gentibus in templum ad Christum, corporis et animæ suæ litteratorem, et ea peccatorem accipiente remissionem, ipsi cum mala conscientia foras irent, et cum invidiæ suæ tormento a gratia exciderent. Cum enim ipsi Dominicum corpus clavis confixerunt, et lancea percusserunt, quid aliud quam verum Dei templum aperuerunt? Et cum per legem et prophetas, quamvis inviti, prædicant, sic oportuisse fieri ob salutem omnium gentium, quid aliud quam adulteram gentilitatem, quæ virum sum legitimum C scilicet Creatorem suum reliquerat, et cum diabolo fornicata fuerat, adducunt ad Christum? Tu igitur Christe, speciose Rex in omnibus prospere procedis et regnas, propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam et deducet te mirabiliter dextera tua (*Psal.* XLIV), tuique in omnibus eluduntur inimici, scilicet genimina viperarum Judæi, cum principe suo dracone, « quem formasti ad illudendum ei (*Psal.* CIII). » Sed jam ad narrationem historicam redeamus. « Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. » Quid hoc ad rem pertinebat, ut vocibus præsentium interrogatus, digito scriberet in terra, quod facere solitus non erat? Videlicet quia laqueo parato intenti erant, mansuetum et misericordem capere, modum stringentes, statim post primam propositionem Mosaicæ auctoritatis, D subjuncta assumptione, dicendo: « In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. » At ille non paulo majorem se Moyse esse noverat, quippe cujus spiritu, vel, quod manifestius **227** nunc ad rem attinet, cujus digito, sicut in Deuteronomio habes, scriptam in tabulis lapideis legem accepit Moyses. Igitur ut se non debere vel posse Moysi auctoritate constringi significaret, congrue nunc et opportune sese inclinans, digito scribebat in terra, innuens tam sapienter quam humiliter, quod Dominus legis, quod major esset quam Moyses.

« Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, et iterum se inclinans scribebat in terra. » Nota sententia est, et celebris universo orbi, quam edixit hic, non quilibet archisenator aut consul, scilicet ipse rex et imperator curiæ cœlestis, tantum habens veritatis, quantum mansuetudinis, nec plus alleviata suavitate miserationis quam aggravata liberato pondere judicii. Sed quare et sententiam daturus prius in terra digito scripsit, et data sententia denuo scripsit? Utique quia ipse est, qui, ut prædixi, digito, id est, præcepto suo præcepta legis in tabulis scripsit lapideis, et prioribus tabulis propter peccatum vituli confractis alias denuo scripsit: Hic et illic magnarum signa rerum diversa sunt, res autem quæ significantur eædem sunt. Quid enim tabulæ priores, quæ propter peccatum confractæ et projectæ sunt (*Exod.* XXXII, XXXIV), nisi dura Judæorum corda propter incredulitatem projicienda, significaverunt? Item, quid nunc prima ad scribendum inclinatio, et protinus data significat sententia dicentis: « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, » nisi legem eamdem et Judæos prævaricatores ejus, quorum os ex eo recte obstruitur, ne adversus gentes glorientur (*Rom.* II), quia legem acceptam non custodisse convincuntur? Unde et subditur: « Audientes autem, unus post unum exibant, incipientes a senioribus. » Itaque et quod illic secundæ tabulæ instar priorem præcisæ, et digito Dei scriptæ sunt, et quod hic iterum Jesus inclinans se scribebat in terra, novæ gratiæ Scripturam significat, qui nunc Spiritu Dei scribitur in tabulis cordis carnalibus (*II Cor.* III). Novam igitur Ecclesiam, quæ de gentibus collecta est, Synagoga foras a templo luminis æterni recedente, hæc, ut prædictum est mulier præsignat quæ Scribis et Pharisæis mala conscientia convictis, et foras exeuntibus, sola cum Salvatore relicta est. Sequitur:

« Et remansit solus et mulier in medio stans. » Sed ecce fortassis dum altiora mysteria requirimus, dicat quispiam scrutator litteræ studiosus: Quomodo insipientes et maligni impii thesaurizatores iræ Dei, tam cito ad unius responsionis vocem, solum Jesum et mulierem in medio stantem reliquerunt; num sese introrsus respexerunt, et humili conscientia peccatores se agnoscentes, peccatricem dimiserunt? Ergo ne in tanta iniquitatis abundantia, mens eorum talem potuit admittere sensum, et sic ad obicem pietatis quiverunt offendere « pedes eorum veloces ad effundendum sanguinem? » (*Psal.* XIII.) Ad hæc, inquam: Non sic offenderunt, non sic ab intentione sua conquieverunt, non eo sensu conticescentes: « Unus post unum exierunt. » Sed quid? Utique quia talem ejus audierunt responsionem, de qua nullam spem accusationis habere possent, idcirco confusi cœpta reliquerunt. Unde et evangelista cum dixisset: « Unus post unum exibant, » statim adjunxit, » incipientes a senioribus. » Seniores enim quanto majores ac vetustiores, tanto ad calumnian-

dum instructiores et ad cognoscendum verbum quod calumniari nequirent perspicaciores, ubi responsum ejus audierunt, primo validum et inexpugnabile esse præsenserunt, et idcirco primo loco cesserunt. Nam, ut supra dictum est, cum scirent illum mansuetum esse et pium, imo cum scirent eum pœnitentiam prædicare, publicanum quoque vocasse, et cum peccatoribus quoque manducare (*Matth.* IX) ; unde et improperantes ei dicebant, « quod esset homo vorax, et potator vini, amicus publicanorum et peccatorum (*Matth.* XI) ; » cum, inquam, hæc scirent, nec ignorarent quod adversus Pharisæi cogitationes peccatricem aliam dudum defendisset, quæ tetigerat pedes ejus (*Luc.* VII), arbitrabantur quod et istam adulteram defensurus esset, talem utique personam qualem signanter lapidari jusserat lex, unde et damnarent eum veluti reum qui legem solvere contenderet. At ille nec ad dexteram nec ad sinistram declinans, talem sententiam dederat, quam nec infirmare lex divina, nec contemnere ratio posset humana. Illis hujus sententiæ fortitudinem considerantibus, et ob hoc nihil se proficere sentientibus, remansit cum Jesu sola mulier in medio stans, et ab illis exeuntibus relicta est causa ejus, tanquam laqueus inutilis et recte inefficax, qua proposita sic Jesus uno sapientiæ responso, capreæ, hinnuloque cervorum similis (*Cant.* II), in altum exilierat, ut eum nulla canum istorum consequi posset astutia. Igitur isti Ierosolymitæ, ut putabantur, æmulatores legis, revera autem principes Sodomorum per prophetam dicti, exeuntes reliquerunt miseram, non quia suam recognovere miseriam, sed quia quilibet de illa fecissent, non haberent unde accusarent misericordiam (*Isa.* I).

« Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant ? Nemo te condemnavit ? Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem ei Jesus : Nec ego te condemnabo. » Quamvis a tentatoribus insidiosis fuisset judicare postulatus, tamen, quia revera « ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum (*Act.* X), » præsto se esse indicat, nec ullo modo diffitetur se judicem, et penes se judicandi esse legem ac potestatem, dum sententia dicta et accusatoribus egressis : « Mulier, inquit, ubi sunt qui te accusabant ? » etc. Non enim erat excusatio judicii, quod dixerat : « Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat, » quomodo illud, quod cum dixisset ei quidam de turba : « Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem, respondit : O homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos ? (*Luc.* II.) Nam terrena quidem lucra dispensare aut judicare non venerat, sed ad remittenda vel retinenda peccata judicium omne a Patre acceperat (*Joan.* V). Quod ergo ait : « Mulier, ubi sunt qui te accusabant ? » Judicis veritatem vel judicii maturitatem resonat, quia profecto judicium legitimum non recusat, sed accusatores non legitimos venisse comprobat. Oportet

A enim tam accusatores quam testes sine crimine esse in omni, sive divinæ, sive humanæ, legis justo examine. At illi criminosos se esse fuga sua confessi sunt, dum judice quærente testes sine crimine, qui primi secundum legem lapidem mitterent, omnes exierunt. Igitur judex iste est qui sedet super thronum (*Psal.* IX) et judicat æquitatem, nihil prorsus agens extra jus legemque judicii, dum deficientibus accusatoribus cœptamq e causam relinquentibus, ita demum decedenti judicio misericordiam subrogans : « Nec ego te condemnabo, » inquit ; verum hæc ipsa misericordia non sic peccata remittit, ut tribuat quoque licentiam peccandi, sed idcirco judicium suspendit, ut vacet peccatori cum fructu pœnitentiæ recedere a peccatis. Unde et protinus

B subdit : « Vade, et amplius noli peccare. » In una eademque sententia misericordia et veritas obviant sibi, justitia et pax invicem osculantur (*Psal.* LXXXIV). Nam quod ait : « Vade misericordiæ et pacis est, quod adjungit et amplius « noli peccare, » **228** veritatis et justitiæ. Ita vivorum et mortuorum judex æquissimus, neque solum judicium comminatur, neque solum misericordiam pollicetur, sed cunctorum hominum rationes, tanquam statera justa, misericordia simul et judicio, veluti duabus discriminat lancibus. Omnis anima, universa Ecclesia, quondam per adulterium diabolo subjugata, ex eo se lancem judicii superexaltare confidit, si non inanis, sed fide et actibus bonis onusta misericordiæ graviter incumbit. Sequitur :

C « Iterum ergo Jesus locutus est eis, dicens : Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. » Ergo, inquit Evangelista, quia tantopere nitebantur Scribæ et Pharisæi annihilare præsentem gratiam Dei, et auferre de medio testimonium veritatis, ora cunctorum obstruendo, verbi gratia, dicentes : « Nunquid et vos seducti estis, et nunquid et tu Galilæus es (*Joan.* VII), » et ita metu illorum deficiebat omne testimonium hominum, ipsemet, de quo per prophetam fuerat prædictum : « Ecce testem populis dedi eum, (*Isa.* LV), » solus in testimonio persistens, iterum locutus est eis dicens : « Ego sum lux mundi. » Hoc, inquam, iterum locutus dixit eis, id est, hoc dicto illud iteravit, quod pridie stans et clamans dixerat eis : « Si quis sitit, veniat ad me, » etc. Sic enim

D dictis illis ista consonanter cohærent et consonant, quæ nunc iterum loquitur dicens : « Ego sum lux mundi, » etc. quo in psalmo, cum dictum esset : « Quoniam apud te est fons vitæ, » statim subjunctum est : « Et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV). » Christus enim Dei sapientia nobis uno eodemque actu, et poculum et lumen est, quia videlicet quisquis aqua hujus sapientiæ imbuitur, statim clarifico sensu a cunctis errorum tenebris liberatur. Ac proinde recte et hic de seipso loquens, cum dixisset : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, » hoc ipsum iterans : « Ego sum, inquit, lux mundi, » et in psalmo Propheta cum dixisset de

illo ; « Quoniam apud te est fons vitæ, » statim subjunxit : « Et in lumine tuo videbimus lumen. » Bene ergo Evangelista non ait solum : « Jesus ergo locutus est eis, dicens, » sed signanter : « Iterum ergo, inquit, Jesus locutus est eis dicens : Ego sum lux mundi. » Et vide quam breviter quamque magnifico expressit, nihil invidiam impiorum hominum posse nocere gloriæ Dei (*I Thess.* v). « Ego, inquit, sum lux mundi. » Ac si diceret : Quid vos impii noctis et tenebrarum filii, claritati vel magnæ opinioni meæ suffragia mortalium tollere laboratis ? (*Matth.* v). Nunquid non deridendi essetis, si solem istum visibilem de sublimibus circulis suis toti mundo lucentem exsufflando exstinguere, vel aerem pugnis verberando de magno candelabro cœli dejicere, et sub modio recondere conemini ? Nempe huic simile est hoc, quod nomen meum delere, vel famam meam exstinguere contenditis. Ego enim sum lux mundi. Ergo ridiculi talpæ vel vespertiliones oculos quidem vestros claudere, et me veram lucem non videre potestis, sed totius mundi oculos eruere, vel istam ejus lucem exstinguere nequaquam prævalebitis. Ego, inquam, lux, non unius tantum Israeliticæ gentis, sed lux totius mundi, « lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), » lux sine qua nemo unquam angelorum vel hominum potuit vel potest videre Deum, cujus extorres quicunque sunt sive angeli, sive homines, tenebræ sunt. Proinde dixi et dico quia « qui sequitur me, non ambulat in tenebris » erroris vel ignorantiæ, sed habebit lumen vitæ, et hoc habendo, ipse quoque lucem fundet imitatoribus suis, ut merito talibus dicatur : « Vos estis lux mundi, » lux videlicet illuminata, non ipsa lucis substantia.

« Dixerunt ergo Pharisæi : Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Revera magnum de semetipso testimonium perhibebat (*Joan.* III), et nunc dicendo : Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ » et supra verbis aliis, sed eodem sensu : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat, qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » At illi hoc in animo suo proposuerant, ut nullum de illo testimonium audirent, et quantum poterant conabantur, ut quomodocunque fontem vitæ obstruerent, et claritatem luminis hujus exstinguerent (*Joan.* IX) ; quippe qui male agebant et idcirco lucem oderant, et ad lucem venire nolebant, ne arguerentur opera ipsorum, opera noctis et tenebrarum. Dixerunt ergo : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Ac si dicerent : Contra Scripturam, quæ dicit : « Laudet te alius, et non os tuum (*Prov.* XXVII), » laudas et magnificas teipsum, testimonium perhibendo de teipso, testem non habens præter te alium, ac deinde testimonium tuum non est verum, neque legitimum. Propterea inquit propheta : « Audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem. Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno pepigimus pactum (*Isa.* XXVIII). » Tanto quippe studio, vitæ et veritatis os opprimitis, tanquam mortis et inferni fœderati sitis. Mirantibus ministris loquelam hujus hominis, imo Dei pariter et hominis, dixistis : Nunquid et vos seducti estis? Nicodemo quoque compari vestro, quia modicum quid de judicii legitimo ordine fuerat ausus mutire, os protinus obstructum est a vobis dicentibus : « Nunquid et tu Galilæus es (*Joan.* VII.) » Turba credentium a vobis anathematizata est, dicendo : Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum aut ex Pharisæis ? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. Cum ita vobis obstrepentibus testem non habeat hominem præter se solum, ipsius quoque nunc os obstruere, et vocem ejus vultis suffocare, objiciendo quasi crimen vanæ gloriæ, quod proprio seipsum magnificet ore. Ita contenditis adjutores mortis et inferni, ne quis mortuorum exaudiat vocem Filii Dei et vivat, ne lucem suam mundus per fenestras vocum ejus perspiciat, et infernales tenebras relinquat nequaquam ita fiet, sed delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. Sequitur : « Respondit Jesus et dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est, quia scio unde veni et quo vado. Vos autem nescitis unde veni, et quo vado. » Nesciunt infelices isti, quam multa hic fortitudine contendat cum eis, et quanta premat eos mole magnitudinis suæ, dum ad unum objectum illorum quo ejus detestantur testimonium suum, et testimonium verum, et justum pariter defendit esse judicium. Videlicet agnoscere habebant qualem detestarentur testem, cum scilicet quem ejusdem causæ suæ visuri erant judicem. « Et si ego, inquit, testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est. » Ordo verborum et sensus hic est : Testimonium meum verum est, quamvis ego testimonium perhibeam de meipso.

Et revera si quis testimonium perhibeat de semetipso, non statim consequitur, ut testimonium ejus falsum sit. Alioqui Moysis et prophetarum consequenter falsum dicetur fuisse testimonium, quia singuli de semetipsis, quod a Deo missi erant, testati sunt (*Exod.* XXXIII ; *Jer.* III). Nec enim aliter hoc scivit quis hominum, nisi per testimonium ipsorum. Sciendum quippe est quod licet nemo hominum, præter hunc Deum et hominem Jesum Christum, sciat de semetipso, unde venerit, aut quo vadat, quia videlicet nescit **229** quomodo factus, vel quem ad finem venturus sit, tamen etsi testimonium perhibet quis de semetipso, intantum testimonium ejus verum est, inquantum scit a quo vocatus, et ad quod opus vocatus sit. Verbi gratia, quomodo cum de seipso Paulus dicit : « Paulus servus Jesu Christi, vocatus Aposto-

lus, segregatus in Evangelium Dei (*Rom.* I), » vel maxime, quod alibi dicit : « Quoniam multi gloriantur et ego gloriabor (*II Cor.* I), » cæteraque his similia. Igitur quia tam spiritus verax quam et spiritus mendax, de seipso testimonium perhibet, vitiosum est argumentum dicentium : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Proinde duas propositiunculas, quas veluti invicem repugnantes, et in eodem simul esse non volentes male in affirmationem vel negationem diviserant, dicendo : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Hic verax sui defensor et mendacium correptor componit, et in unam redigit affirmativam propositionem, dicendo: « Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est. » Statimque subjuncta ratione idipsum comprobat, dum dicit : « Quia scio unde veni, et quo vado. » Qua ratione sicut veritatem testimonii sui confirmat, sic per oppositum ejus, id est, per hoc quod subsequitur : « Vos autem nescitis, unde veni, et quo vado, » falsitatem eorum, qui hoc ipsum testimonium suum reprobabant, oppugnat. Nam, cum procul dubio sint opposita hæc : « Quia scio unde veni et quo vado, vos autem nescitis, unde veni et quo vado, » sicut verum est testimonium ejus, ex eo, quia scit unde venerit et quo vadat ; sic e contra testimonium quod dicunt contra Jesum, falsum esse constat, ex eo, quia nesciunt unde venerit et quo vadat. Scire autem de seipso unde venerit, proprium ejus est, qui non de nihilo neque de non existentibus temporaliter factus est, ut nos, sed de increata Patris essentia sine tempore natus est, per quem ut essemus, creati sumus omnes nos. Scire etiam, quo vadat, nihilominus proprium ejus, quia videlicet non alius quam ipse vias suas disposuit, quas in hac mortalitate homo factus propter nos, ambulare dignatus est. Nos enim nescimus, unde venimus ; quippe qui nec illud scire possumus, qualiter in utero concepti coaluimus, neque posthac quid futuri sumus nosse valemus. Quia « nescit homo finem suum (*Eccle.* IX), » et omnia in futurum tempus reservantur incerta. Proinde cum dicit : « Ego sum lux mundi, » verum est testimonium ejus, quia scit unde venerit. Et cum ait : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, » profecto verum de seipso testatur, securus quia scit et quo vadat, vel quo se sequentem perducat. Cæterum, nemo omnium de illo quidquam scit, nisi quantum ab ispo didicit ; ac proinde quisquis de illo aliud dicit, quam quod ab ipso accepit, testis falsus est ; et, quia non sequitur, cum ambulat in tenebris, quemadmodum isti qui dixerant : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum, » ad quorum obstruendum os sola hæc sufficit confutatio, qua dicit : « Vos autem nescitis unde veni, et quo vado. » Quod dictum est ad refellendam carnalem illorum opinionem, qua dixerant supra, sed hunc scimus unde sit : « Christus autem cum venerit nemo scit, unde sit. » Nec

A vero, quia postmodum responderat eis dicens : « Et me scitis, et unde sim scitis, » idcirco nunc sibi contrarius putandus est præsenti loco, cum dicit : « Vos autem nescitis unde veni et quo vado. » Sequitur enim :

« Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quemquam. » Ac si dicat : Scitis quidem, quia homo Galilæus ego sum, et dicitis : « Nonne hic est Jesus filius Joseph et Mariæ, et fratres ejus ac sorores nonne apud nos sunt? » (*Matth.* XIII ; *Luc.* IV.) et quia partim verum est hoc, propterea supra dixi « Et me scitis, et unde sim scitis (*Joan.* VII). » Sed hoc vestrum scire quantum est ? Vos enim hoc ipsum secundum carnem sapitis, et secundum carnem judicatis, id est, secundum paupertatem et exiguitatem paren-
B tum meorum Mariæ et Joseph, fratrum quoque meorum ac sororum, id est, propinquorum carnalium, personam meam attendentis, et supra id quod visibile est in me nihil audire vel intelligere vultis, itaque multo me inferiorem pensatis regibus vestris, prophetis quoque vestris, quos occiderunt patres vestri, vos autem me persequendo sepulcra illorum ædificatis, et mensuram patrum vestrorum implere festinatis. Dico ergo : « Quia vos secundum carnem judicatis. » Ego vero poteram quidem et ipse secundum carnem judicare, sed « non judico quemquam. » Poteram quippe sic econtra dicere, quia secundum carnem quoque major Moyse (*Matth.* XXIII), major, inquam, et nobilior quovis rege vel principe, secundum carnem quoque ego sum. Quia
C non quemadmodum omnes vos, et universi patres aut principes vestri communi more naturæ, de corrupta muliere, sed de Virginea nobilitate, ex regia stirpe David secundum carnem natus sum. Ita, inquam, poteram et ego secundum carnem quoque omnes homines, utpote in peccatis conceptos, et de corruptione natos, me inferiores judicare, sed « non judico quemquam. » Nunc enim veni non judicare, sed judicari.

« Et si judico ego, judicium meum justum est, quia solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater. » Et si tandem, inquit, judico ego, videlicet postquam judicatus fuero, tunc enim natales meos tam secundum divinitatem quam secundum humanitatem judicare me oportebit, ut prædicentur in
D universo mundo, « et si, inquam, tandem judico ego, judicium meum justum est. » In quo? Videlicet « quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater. » Non, inquam, sum solus, scilicet, quomodo ille alius, qui venit in nomine suo, quem vos accipietis, qui vere solus erit et solus veniet, quia Deus illum non mittet, sed a semetipso veniet, neque cum Deo aget, sed « adversabitur et extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thess.* II). » Ego autem a meipso non veni, sed Pater misit me, et ego in ejus communione permaneo, nihil a meipso faciens, nihil a meipso judicans. Proinde quæcumque ego testificor, quæcunque ju-

dico, ille præsentibus et subsequentibus operibus verum comprobat testimonium meum, verum et justum esse defendit judicium meum. Notandum in vera humilitate et humili veritate Filii Dei, quod in omnibus verbis suis tenorem hunc servat paternæ communionis, de qua nunc dicit : « Quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater, » ita ut nusquam absolute quidquam de sola sua loquatur persona, sed sic semper profiteatur, quod est, ut simul paternæ personæ sociali et indivisa charitate intentionem faciat. Quod recte considerantibus nullam vobis excitare potest nebulam error Sabellianus. Quam hæresim patripassianam dicimus ; quæ unam solummodo Divinitatis personam confitens : Una, inquit, eademque persona Patris, quando vult Pater est, quando vult Filius est, quando vult Spiritus sanctus est. Ita personas confundens, solum Patrem vel solum Filium confitendum esse contendit. Verum hoc loco apte Filius « non sum solus, inquit, sed ego et qui misit me Pater. » Igitur convincuntur Judæi, dicentes: « Testimonium tuum verum non est. » Sabellius quoque antequam nasceretur, elisus atque explosus est. Sequitur :

« Et in lege vestra scriptum **230** est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. » Et idcirco, inquit, « quia scio unde veni et quo vado, testimonium meum verum est, » et adhuc de veritate ejusdem testimonii dicendum est. Dico ergo : « In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est (*Deut.* XVII), » videlicet dicente Deo per Moysen, in Deuteronomio : « Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum (*Deut.* XIX). » Hæc magna et indubitabilis quam propono sententia est, cui sponte concedi oportet, quia sic « in lege vestra scriptum est. » Proinde jam assumere licet. Ecce hoc verbum, quod dixi : « Ego sum lux mundi, » et quodcunque tale dico vel dixi, quod vos abjicitis dicentes: Testimonium tuum non est verum, duobus testibus defenditur. Nam ego sum testis unus, qui testimonium perhibeo de meipso, ea videlicet causa vel auctoritate qua dixi, « quia scio unde veni et quo vado, » et adhuc alius « Testimonium perhibet de me, scilicet, qui misit me Pater. » Hoc videlicet adversus iniquam illorum intentionem legitima responsione defendit (*Joan.* IX). Illi namque hoc intendebant, ut nemo de illo testimonium perhiberet quod Christus esset, quod saltem propheta esset, quod denique ullo modo a Deo esset. Hoc intendentes, eo usque tandem conspiraverunt, ut si quis eum Christum confiteretur, extra Synagogam fieret. Illudendum erit huic nequissimæ calliditati, et non dignante tanta majestate de testimonio, quod ab hominibus esset, saltem mentionem facere, designandum erat testimonium sursum cui conventiculum canum, et concilium hominum malignantium non sufficeret indicere silentium. Ait ergo : « In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. » Non ait simpliciter, in lege, sed signanter « in lege vestra; » quia videlicet eadem lex justa et sancta et bona ; aliter ejus, aliter ipsorum lex erat. Nam ejus erat, quia ab ipso data, et illorum erat, quia illis imposita (*Rom.* VII). Concedi oportebat, ut prædictum est, duorum hominum testimonium esse verum, quia sic in lege scriptum est, atque ideo per assumptionem: « Ego sum, inquit, qui testimonium perhibeo de me, qui misit me, Pater. » Et hoc ipsum palam ipsis erat, quod ipse testimonium de seipso perhiberet, et nihilominus de ipso pater testimonium perhiberet. Audiebant enim illum, quod diceret Deum Patrem suum, propter quod, ut superius dictum est, persequebantur eum, et quod paulo ante dixerat eis : « Ego sum lux mundi. » Hæc, inquam, et hujusmodi audiebant, et opera ejus magnitudine tantæ professionis, non minora videbant. In his verbis ejus testimonium ipsius personabat, et in operibus ejus testimonium Patris desuper fulgurabat. Nam si Filium Dei se esse profitendo mentiretur, profecto non gloria miraculorum clarificaretur, sed pœna superbientibus condigna confunderetur. Manifestum quippe Judæis erat, Deum quem Patrem suum esse profitebantur, semper superbis restitisse : a quo, verbi gratia, Aaron et Maria contra Moysen superbientes, plaga lepræ percussi sunt (*Num.* XII) ; et Datan et Abiron et Core, per superbiam erecti, cum suis complicibus alii viventes a terra absorpti, alii flammis devorati sunt (*Num.* XVI) ; et Saul christus Domini effectus, per superbiam spiritui dæmoniaco mancipatus est (*I Reg.* XVI). Hunc autem dicentem se esse Christum Dei Filium, nusquam refellit Deus : quem professus est esse Patrem suum (*Joan.* XI) ; sed operibus verba ejus vera esse, testificatus est, ita ut mortuum quoque ac sepultum tertia die suscitaret, et credentibus in eum Spiritum sanctum per nomen ejus daret (*Act*, II, X). Igitur et Judæis et omni mundo palam est, quia testimonium, quod perhibuit de seipso hic homo, qui putabatur filius Joseph, perhibuit de illo et Deus, quem Patrem suum professus est. Sequitur :

« Dixerunt ergo ei : Ubi est pater tuus ? » Perspicue quidem Patrem illis dicebat Deum, at illi hoc intelligere nolebant. Ergo « ubi est, inquiunt, pater tuus ? » Impii et cæci, quid quæritis patrem ejus ? Nunquid et illum vultis occidere, aut extra Synagogam facere, si vobis præsentibus audeat de Filio suo testimonium perhibere ? « Respondit eis : Neque me scitis, neque Patrem meum. » Recte perfidorum moleste interpellantium percontationem suaviter quidem, sed fortiter improbat, et indigna responsione sua judicat. Cur enim, cum prius dixisset, « quia scio unde veni et quo vado, vos autem nescitis, unde veni aut quo vado, » tacuerunt et non dixerunt : Domine, unde venis et quo vadis? nunc autem ubi

dixit : Testimonium perhibet de me, qui misit me Pater, » percontantur procaciter et dicunt : « ubi est pater tuus ? » Cur, inquam,de illo tacent, et de hoc interrogant, nisi quia Dei Filio veri testimonii non quærere, sed invidere sciunt gloriam? Proinde cum dixissent : ubi est pater tuus » non respondit, quod erat interrogatus, ut verbi gratia diceret: Pleni sunt cœli et terra, gloria vel majestate ejus (*Isa.* VI), sed hoc dixit : « Neque me scitis,neque Patrem meum, » id est,quia me non scitis,neque scire vultis, idcirco nec Patrem meum scitis. Forte dicitis, te scimus,te filium Joseph et Mariæ novimus,de te homine Galilæo nihil amplius quærimus. Ad hæc, inquam : « Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. » Nam in singulis quoque hominibus non exigua pars notitiæ est, scire de quocunque cujus filius sit,vel quis pater ejus fuerit. Sed vos,inquit, « Patrem meum nescitis. » Nunc enim dicitis: « ubi est pater tuus ? » Igitur « neque me scitis. » Plane dictiuncula hæc forsitan,in nostro sermone dubitativa est, sed in sermone veritatis,quæ dubitare non novit, acriori significatione totum confimationis punctum attingit,quasi dictum fuisset : Certe et patrem meum scitis.Solent quoque homines interdum, ubi rem gravius atque animosius affirmare conantur, hac uti dictiuncula,veluti si dicat quis : Si mater sese forsan diligeret. Attamen verius atque constantius magisque necessarium est,ut quisquis Christum scit, et patrem ejus Deum sciat.Qui videlicet quid Christus secundum substantiam sit,nullatenus scire quis potest, nisi et hoc sciat,quod Deus Pater ejus sit. Non enim,quemadmodum de quolibet homine scimus quid secundum substantiam sit,etiam si nesciamus quis homo pater ejus fuerit,sic et de Christo scire possumus quid secundum substantiam sit, nisi sciamus quis ejus pater sit.Igitur, cum nobis dubitabile non sit, multo magis nec ipsi dubium fuit; ac proinde non dubitando,sed potius affirmando dixisse credendus est: « Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis,» quemadmodum et illud: « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.» Sequitur :

« Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo, et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus. » Hæc, inquit, tantæ majestatis verba locutus est Jesus,[eis] qui quærebant, ut interficeretur in gazophylacio,videlicet celebri, et pene solis principibus ac Pharisæis accessibili loco. Nec enim vulgo, nisi singulis adventantibus **231** et æra mittentibus gazophylacium frequentabatur, principibus ac Pharisæis circa lucra maxima læto spectaculo considentibus.Magna ergo fiducia sine timore tali in loco hæc verba locutus est Jesus « docens in templo, » id est nihil loquens in occulto, sed publicam doctrinam condens,palam omni annuntiandam sæculo. Et « nemo, inquit,apprehendit eum. » Quare ? « Quia necdum venerat hora ejus. » Non ergo furiosi ulla ratione mitigati fuerant animi, sed tenebat ipse nutu suo impotentem illorum malitiam,qui potestatem habebat tempore vel hora quam sibi ipse præfixerat, ponendi animam suam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X). « Dixit ergo eis iterum Jesus : Ego vado,et quæretis me, et in peccatis vestris moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. » Ergo, inquit, quia perseverantes in malo quærebant animam ejus (*Psal.* XXXXII) et omni ratione carentes vim faciebant, et dolos tota die meditabantur, nec ob aliud manus suas continebant,nisi quia necdum venerat hora eis. « Dixit eis iterum Jesus : Ego vado et quæretis me, » etc. Iterum, inquam, hæc dixit Jesus. Nam supra hoc idem dixerat eis,quando « miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum ; adhuc, inquit, modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui me misit (*Joan.* VII), » et « quo ego vado, vos non potestis venire. » Ergo non primo, sed iterum dixit eis : « Ego vado, et quæretis me. » Ego quidem, inquit, sicut jam dixi, hinc vado, ego morior scelere vestro, ego vobis inferentibus mortem,jamjam imminet, ut transeam ex hoc mundo ad Patrem. Sed cum ego abiero, nunquid (sicut vos inimici mei invidentes et mala mihi dicentes, desideratis) nomen meum de terra peribit ? Nunquid postquam abiero hinc ad Patrem meum,oculi vestri a gloria mea liberati erunt, et non videbunt de me, quod grave sit eis ad videndum ? Non erit ita, sed tunc multa maxime priam videbitis id quod paulo ante dixi : « Quia ego sum lux mundi, » et hoc videntes peccatores irascimini, dentibus vestris frendetis,et tabescetis; vestrumque desiderium peribit (*Psal.* CXI), quia nomen meum perire non poterit. Hinc acriori stimulante invidia, inquieti et male solliciti quæretis, id est, persequemini me, « et in hoc peccato vestro moriemini,» quia in hac iniquitate vestra, usque ad finem vitæ vestræ perseverabitis,nihil quod gloriæ vel nomini meo noceat efficere valentes, sed tantum mala voluntate ac pertinaci invidia vosipsos interficientes.« Nam quo ego vado, vos non potestis venire. » Equidem nec ipsi, qui cum dilectione quærunt et sequuntur me, non possunt, « quo ego vado, » venire, sed poterunt quandoque ; vos autem, qui cum odio quæritis et prosequimini me, quo ego vado nunquam potestis venire.Nunc quidem ubi ego sum, vos potestis venire, et quandoque etiam apprehendere et occidere poteritis me, sed hoc vobis facientibus illuc « ego vado, quo vos non potestis venire. » Itaque in peccato vestro moriemini, Illo scilicet quod male me quæritis et in meis fidelibus persequimini,ut nomen meum deleatis. In hoc enim usque ad mortem perseverabitis.

« Dicebant ergo Judæi : Nunquid interficit semetipsum quia dicit : Quo ego vado vos non potestis venire? » Superius cum dixisset hoc idem quod nunc iterum dicit eis, id est : « Quo ego vado, vos non potestis venire,» ita dixerunt:« Nunquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes ? (*Joan.* VII.) » At vero nunc hoc ipsum repetens, acrius in eos, ut

dignum erat, invectus est. Addidit enim: « Et in peccato vestro moriemini. » Acrius ergo felle commoto « dicebant Judæi: Nunquid interficiet semetipsum? » Quid amarius, quid nequius? O Judæi, homicidæ crudeles et scelerati, adeone nil boni de hoc homine qui mortuos vestros suscitavit, sentire potestis, ut hoc solum, quod interficiat semetipsum viis ejus superesse arbitremini? Et vos nunquid ejus rei adeo indociles estis, nec fieri potest, ut vosipsos exemplo ejus interficiatis? Imo vos, interfecto homine isto, vos ipsos interficietis; tanto furore, tanta rabie ut miretur orbis, et vestri quoque condoleant inimici. Legant qui volunt vestrum sub Tito et Vespasiano excidium, et videant vos unicam gentem homicidarum semetipsos interficientium. Sequitur:

« Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. » Rationem illis acerbam reddidit, cur quo ipse vadit, ipsi venire non possint, et in peccato suo sint morituri: « Vos, inquit, de deorsum estis, ego de supernis sum. » Ista comparatio necdum sufficiebat ad definiendum hujus illorum impotentiæ causam, quia videlicet omnes homines, sive electi sive reprobi, omnes secundum naturam communem de deorsum sunt. Unde et Joannes Baptista, cum Christus esse putaretur, in comparatione, vel potius desperatione suimet, qui vere erat vel est Christus: » Qui est de terra, inquit, de terra est, et de terra loquitur; qui de cœlo venit, super omnes est (*Joan.* III). » Quapropter addendum erat, ut tota prescriberetur causa impotentiæ, juxta quod dixerat: « Quo ego vado, vos non potestis venire. » Nam et illi de deorsum erant, de terrena massa assumpti, de primo homine terreno nati fuerant, quibus ait: « Ut ubi ego sum, et vos sitis (*Joan.* XIV). » Addidit ergo: » Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. » Hoc utique reproborum est, et hoc ab electis differunt quod cum omnes de deorsum, id est, de terra sint, excepto Christo unigenito Dei Filio, qui de cœlo venit, soli ipsi de hoc mundo sunt. Nam electis idem dicit: « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, (*Joan.* XV). » Igitur utrumque dicendum fuit, et quod de deorsum essent per communem naturam, et quod de mundo hoc essent per vitium vel malitiam suam, ut utrumque impossibile monstraretur eis, illuc ire, quod ibat ipse, qui et de supernis, id est, de Deo Patre est, per propriæ Divinitatis naturam, et de hoc mundo non est, per omnimodam humanæ quam assumpserat naturæ innocentiam, vel cœlestem vitam. Qua ratione tam fortiter quam suaviter reddita: « Dixi ergo vobis, inquit, quia moriemini in peccato vestro. » Quod itidem alia protinus ratione confirmat, subjungens: « Si ergo non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. » Vere enim non

A aliter, nisi credendo, quod Christus de supernis sit, et de hoc mundo non sit, id est, et quod de superno Patre Deo Deus verus sit et quod in mundo natus, nihil eorum quæ in mundo sunt vitiorum vel peccatorum admiserit, potest quisquam inter ejusdem Christi membra numerari, et illo capite in uno corpore unicæ Ecclesiæ vivere de spiritu Dei. Dixit autem alibi ipse: « Quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). » Recte igitur istis, quos sibi nullatenus per fidem incorporandos esse noverat, ait hic qui solus de supernis est: « Quo ego vado, vos non potestis venire, » et ideo dixi vobis: « Quia moriemini in peccato vestro. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. »

B « Dixerunt ergo ei: Tu quis es? » Hactenus Judæi intelligere nolentes et quærere **232** detrectantes, dissimulare utcunque poterant se advertisse, quo tenderet supradictum ejus testimonium. At vero nunc lux mundi suum illud testimonium terribili fulgore defendens, dormitantiumque, imo et vigilanti naso stertentium somnum discutiens, oculos illorum aperiri fecerat dicendo: « Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris, » ne jam dissimulare possent aliquid sibi hoc dicto emicuisse quod spectandum esset vel auscultandum. « Dixerunt ergo: Tu quis es? » Irreverenter quidem quæsierunt, et proterve pulsaverunt, sed invenire eos oportebat, aperiri illis conveniebat, ut magis ac magis inexcusabiles essent,

C et eis qui credituri erant, magis ac magis testimonia veritatis augescerent. Audi ergo quod sequitur. « Dixit eis Jesus: Principium qui et loquor vobis Multa habeo de vobis loqui et judicare. » Dicebat plane, ut quia quæstionem ipse commoverat, et ad quærendum illos excitaverat terribili sententia, qua dixit: « Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris, dicebat, inquam, ut hac vice magnum aliquod et dignum se testimonium pronuntiaret. Et revera magnum dignumque est, quod hac responsione testificatus est; idem enim est ac si dixisset, seipsum esse qui erat, et qui est et qui venturus est. Nam quia erat, «Principium» se appellat; et quia est, statim subjungens: « qui et loquor vobis, » inquit, « et quia venturus est, »

D scilicet ad judicandum vivos et mortuos in novissimo die (*Apoc,* I); « multa, inquit, habeo de vobis loqui et judicare. » Istis ergo, quos jam denotans vir sapiens: « Parvulum, inquit, occidit invidia, et virum stultum interficit iracundia (*Job.* V); » tormentum suum non modice auctum est. Jamdudum invidebant huic homini, ut putabant filio Joseph, quod a quibusdam de turba Christus esse putaretur, sicut superius dictum est, quia cum audissent quidam de turba sermones ejus, « dicebant: Hic est vere propheta. Alii dicebant: Hic est Christus (*Joan.* VII), » cum tamen Christum hominem tantummodo fore arbitrarentur. At ille nunc dicentibus sibi: « Tu

quis es? » hoc de seipso professus est, quod longe supra hominem est: « Principium », inquiens, subaudis ego sum, statimque subjungens: « qui et loquor vobis. » Et una eademque responsione, simul et intemporalem incommutabilemque essentiam suæ divinitatis et temporalem designans conditionem assumptæ humanitatis. Secundum divinitatis infinitam antiquitatem principium, est; principium, inquam, in quo omnia condita sunt, sicut in exordio libri Geneseos scriptum est: « In principio fecit Deus cœlum et terram (*Gen.* I); » secundum carnem vero, finis est, id est consummatio, quia in ipso nihilominus universa restaurata sunt (*Ephes.* I). Unde ipse in Apocalypsi: « Ego sum, inquit, α et ω initium et finis (*Apoc.* I). » Ex hoc principio, ante sæcula quidem tantummodo Deus erat; nunc autem, quando hæc loquitur illis, Deus et homo, sed homo adhuc passibilis; venturus est autem in fine sæculorum, idem Deus et homo multa habens loqui et judicare, jam ex quo resurrexit a mortuis, in utraque natura impassibilis. Igitur suum esse (de quo dixerat, « si enim non credideritis, quia ego sum, ») irreverenter quærentibus, terribiliter ut dignum erat, ipse descripsit, tali concludendo fine, ut diceret: « Multa habeo de vobis loqui et judicare. » Est autem hoc ejus esse, illud intelligendum quod totius Trinitatis commune, et ejusdem unius Dei proprium vel singulare est. Quod et ad Moysen loquens, diligentius expressit, dicens: « Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos (*Exod.* III). » Quod videlicet ejus esse, ab omnium essentia rerum vel creaturarum in eo plurimum differt quod nullis accidentibus subjacet; verbi gratia, ut homo, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (*Job.* XIV), sive angelica quoque creatura, quæ maxime ex eis qui ceciderunt, probatur: aliud esse in eo quod sunt omnes rationales spiritus per substantiam, atque aliud quod facti sunt, hi per accidentem malitiam, illi autem per accidentem nihilominus gratiam. Nullis, inquam, accidentibus, ut hæc vel cætera quæ facta sunt, substantia Dei subjacet, atque ideo solus verus est, quia incommutabilis est, unde et propria ejus differentia est, id est, esse quod est. Proinde et tunc, quando Moysi locutus est et nunc, quando contra inimicos suos de seipso testimonium perhibet, opportune hoc substantivo verbo pro sui descriptione usus est. Tunc quidem quia filiis Israel multis diis in Ægypto servire assuetis, nomen Dei multorum commune videbatur; et idcirco ad distinctionem eorum, qui homines quidem quondam fuerant, nunc autem nec dii nec homines erant: « Ego, inquit, sum qui sum, et hæc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. » Nunc vero, quia intendebant agere inimici ejus Judæi, ut jam non esset, et ut nomen ejus periret, ut eos frustra laborare ostenderet, eodem verbo substantivo congrue usus est. Sequitur:

« Sed qui misit me, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. » Nusquam fere in omni testimonio, quod perhibet de seipso Filius Dei, testimonium Patris præterit, ut per hoc quoque maxime illud comprobet, quod dixit alio loco: « Ego veni in nomine Patris mei, alius veniet in nomine suo (*Joan*, V); » unde et hic interrogatus ipse quis esset, cum respondisset: « Principium, qui et loquor vobis, » statim subsecutus, hoc modo testimonium Patris adhibuit: « Sed qui misit me verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. » Tanquam diceret: Principium ego sum, sed a meipso non veni, qui et loquor vobis, sed non a meipso loquor. Non, inquam a meipso veni, neque a meipso principium sum, sed « qui misit me verax est. Quod ex opposito ejus, scilicet ex eo qui veniet in nomine suo, manifestius intelligi potest. Satanas quippe, qui ex eo nomen accepit quod adversus Deum se extulit, et principium sibi esse atque in lateribus aquilonis sibimet sedere voluit (*Isa.* XIV), ex eo mendax est, quod ex propriis loquendo a Patre veritatis discordans mendaciumque generans, principium se esse jactitat. Qui et damnatum hominem illum, in fine sæculi ingressus, a Deo se principium esse profitebitur, « ut adversetur et extollatur, sicut ait Apostolus, supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thess.* II). » Nam et nomen ejus secundum numerum ipsius in Apocalypsi Thytan fore legitur: quod interpretatur, *dic lux*. Igitur mendacis illius blasphemiam ad se non pertinere, testis hic verus pronuntians, opportune cogitationibus occurit adversariorum, qui post aliqua, propter hæc et his similia, dicturi sunt: « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia (*Joan.* XXII). » Omnia namque quæ de isto vero principio et vero Dei Filio sunt, illius maligni fallaciis opposita sunt. « Principium, ait, ego sum, qui et loquor vobis; » sed non ut ille alius, qui veniet in nomine suo, quem vos accipietis, ita et ego a meipso, vel in nomine meo veni, et a meipso loquor, « sed qui misit me verax est et ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. » Nam et supra sic dixit: « Et a meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis (*Joan.* V). » Ut ergo hæc adversativa **233** conjunctio, qua præcedenti sententiæ sequentem conjunxit, dicendo: « Sed qui misit me verax est, » non vacet, suumque sensum melius explicet, quod alibi palam dictum est, nunc necessario subaudiendum est. Miro autem atque inenarrabili modo, dum Patrem veracem prædicat, de seipso testimonium perhibet ipse, qui alibi dicit: « Ego sum veritas (*Joan.* XIV). » Nam poterat dixisse: « Pater meus verax est, » sed ut ostenderet Patrem eumdem non aliunde veracem, quam ex eo quod ipsum genuit, qui est veritas, maluit dicere sic, sed « qui misit me, verax est. » Sic dicere solemus, sol iste, qui noctem fugat, et tam clarum diem mundo importat, lucida substantia est; vel homo iste, qui tam sapienter egit aut dixit, sapiens est. Sciendum quippe, quod cum dicere posset: Qui genuit me,

verax est, cum auctoritate prophetica, qua dictum est : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II). » Maluit dicere, tam hic quam in plerisque locis, misit me, quod et æquipollens est, et in auribus hominum, præsertim invidorum, atque superborum magis gratiosam humilitatem redolendo, tolerabilius est et tardius calumniæ patet. Igitur in eo quod ait « sed qui misit me verax est, » veritatem paterni testimonii, in eo autem quod subjungit, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo : veritatem nihilominus testimonii, quod perhibet ipse de seipso, certitudinemque defendit. Utrumque enim defendendum supra proposuerat, dicendo : « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. » Porro et illud non abre quæritur, quomodo a Patre audierit Filius, qui ipsum Verbum Patris est. Non enim confestim ad humanitatis ejus humilitatem oonfugere licet, ut dicamus quod secundum humanitatem audierit Patrem Filius, eo videlicet auditu, de quo per Prophetam dicitur : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV). » Etenim non dixit solum, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor, sed addidit, in mundo, ut intelligas eum dixisse quod extra mundum, id est antequam in hunc mundum veniret, audierit quæ loqueretur in mundo. Igitur quod ait, et ego audivi ab eo, hæc loquor in mundo, id est, ac si dicat hæc Deo Patri consubstantialis Veritas : Et ego sicut ex Deo nata sum, ita in hoc mundo incorrupta permaneo, nihilque falsitatis admitto. Et hic sensus magis ad rem pertinet, videlicet, quia veritatem coarguerant mendacii dicentes : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Sequitur :

« Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum. » Cum longe superius illo dicente : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor, » subjunxerit Evangelista dicens : « Propterea persequebantur eum Judæi, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo (*Joan.* V), » quomodo nunc dicit, et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum. Ergo hic non tam excusat ignorantiam quam intelligere nolentem demiratur militiam. Quia dicta ejus se advertisse dissimulant, videlicet nondum ausi, quod eamdem ob causam postmodum facere habebant, scilicet ad lapides currere, aut tandem illum ante præsidem ducere et damnationem adversus illum de hoc verbo, tanquam de blasphemia postulare. « Dixit ergo eis Jesus : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor, et qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum ; quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. » Ergo, inquit, quoniam non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum, quoniam testimonium ejus non acceperunt, et malevoli accusatores defensionem veritatis non audierunt, quasi conclusionem, id est, artificiosam orationis terminum facit, et sicut facere solent oratores periti, ut enumerationum partes colligant et commoveant, quibus de rebus verba fecerint, breviter, ut renovetur et ad memoriam reducatur oratio : sic ea quæ peroravit, ab eo loco quo illi objecerant, dicentes : « Tu de seipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum, » nunc breviter recolligit atque apud se quodammodo reponit ut quia nunc videre et cognoscere nolunt, ut salventur, quandoque videant et confundantur zelantes populi, et « ignis hostes devoret *Isa* XXVI). » « Cum exaltaveritis, inquit, Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, » subaudis « Principium qui et loquor vobis : » — et a meipso, id est, extra Patrem seorsum præter voluntatem vel extra communionem Patris facio nihil, « sed, sicut docuit me Pater, hæc loquor in mundo, et cognoscetis quia qui misit me mecum est ; » quod videlicet modo cognoscere nolentes dicitis, ubi est Pater tuus, et cognoscetis quia « non reliquit me solum, » scilicet ut paulo aute testatus est dicens : « Et si judico ego, judicium meum justum est, quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater ; » hæc, inquit, omnia, cognoscetis cum exaltaveritis Filium hominis. Hoc autem in alio loco testatur Evangelista dixil [dicens]: « significans qua morte esset moriturus (*Joan.* XI). » Et notandum qusd hsc illis, qui facturi erant, necdum scientibus, et necdum facere cogitantibus, ipse jam sciat et futurum prædicat, quia videlicet consilium illorum in eo quod postea collegerunt, consilio definiendum ante omnia sæcula præscientia Dei præcesserat. Unde et in Actibus apostolorum Petrus apostolus ait : « Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo, in vobis virtutibus et signis et prodigiis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut et vos scitis. Hunc definito consilio et præscientia Dei traditum per manus iniquorum cruci affigentes interemistis (*Act.* II). » Hoc videlicet consilium, non solum ut interficerent, sed et qua morte interficerent eum, nunc definitium est, quando post resurrectionem Lazari collegerunt pontifices et Pharisæi consilium et dicebant : « Quid facimus, quia hic homo multa signa facit (*Joan.* XII), » et cætera. Nam et ante eum quæsierunt quidem eum interficere, sed non definito consilio, verum vulgari strepitu et furore tumultuario ; non, inquam, definito consilio in quo judex peteretur, et culpa qualicunque proposita, accusatores et testes, quasi legitimo judicii ordine adhiberentur, et qualitas mortis tanquam causæ conveniens exigeretur. Quod ubi definitum est, iterum eo dicente, cum exaltaveritis Filium hominis a terra, et subjungente (quod hic tacitum est) omnia traham ad meipsum, tunc cognoverunt quod diceret eis, utpote jam facere cogitabant, et dixerunt : « Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum, et quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis ? » Nunc ergo, quando necdum definitum erat consilium, cum diceret : « Cum exaltaveritis Filium hominis, » nihil tale responderunt, quia forte quod

necdum cogitabant, nondum intellexerunt. « Tunc, inquit, cognoscetis, quia ego sum. » Tunc enim ignorare non licebit, tunc dissimulare non vacabit. Cœli enim tunc enarrabunt, et annuntiabit firmamentum, et dies diei eructabit hoc verbum, et nox nocti indicabit hujus rei scientiam, et non erunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur **234** voces eorum, et in omnem terram exibit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Tunc, inquam, hoc modo cognoscetis, et quamlibet inviti, audietis, « quia ego sum, « quia vivo ego in æternum, compertumque vobis erit, quia mortuorum quoque resurrectio sum, recteque mihi in psalmo dictum est. « Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli ; ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur ; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI) ; » istud cognoscetis, et nisi etiam credideritis, et confessi fueritis, quia ego sum, moriemini, ut supra dixi, in peccatis vestris. » Tunc et hoc cognoscetis, quia a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hoc loquor : Cognoscetis, inquam, videlicet ex eo quod facta mea quæ nunc cœpi, ubi vos me exaltaveritis, exinde perpetuum profectum et verba mea quæ nunc loquor, manifestum habebunt effectum. Hoc enim in lege datum est signum, ejus quem Deus misit. « Quod si tacita, inquit, cogitatione responderis ; quomodo possum intelligere verbum, quod non est locutus Dominus ? hoc habebis signum : » quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit et non evenerit, hoc Dominus non locutus est, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, et idcirco non timebis eum (*Deut.* XVIII). » Hoc, inquam, legale signum est. At vero quæcunque ego prædico in nomine Patris mei, vos evenire videbitis, imo et captivi ducti in omnes gentes, experimentum verborum meorum omnibus gentibus in vobismetipsis spectandum circumferetis. Igitur tunc cognoscetis quia ego a meipso facio nihil, videlicet ut is qui arrogantia depravatus prophetam se a seipso facit, et per tumorem animi sui, ea quæ non sunt, nec erunt, esse vel futura esse confingit, sed « sicut docuit me Pater, » id est, sicut voluntatem Patris esse scio, ita hæc loquor, » quia non docuit iniquitas os meum, nec imitor, ut dicitis, linguam blasphemantium (*Job.* XIII), » (verbi gratia cum dico : « Ego sum lux mundi, vel Pater meus usque modo operatur, et ego operor ») sed docuit os meum, obedientia, vel charitas Patris, et dilectio generis humani, ut notificem hominibus meipsum, quorum hæc est vita æterna, ut cognoscant verum Deum, et, quem ille misit Jesum Christum (*Joan.* XVII). Et « hoc cognoscetis, quia qui me misit mecum est, » et non reliquit me solum, videlicet quomodo vos putatis, dicentes : « Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui liberet. O quam vere dictum est, et quam late patet hoc verbum : « Qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum. » Non enim solis Judæis, sed toti mundo lux mundi loquitur, nec pro se tantum, sed pro nobis veritas testificatur, ut quisque nostrum quocunque pergat, quodcunque intendat, habeat in promptu unde scire possit, utrum Deus cum illo esse dignetur. « Qui me misit, inquit, mecum est, » videlicet ut econtrario subaudias, quemcunque ille non misit, cum eo non est, et hoc ab effectis cujusque probabile est, verbi gratia : cum venerit ille filius perditionis, cum revelatus fuerit, et extulerit « se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thes* II), » ab his effectis clarebit etiam infidelibus, quod Deus illum non miserit, ac proinde cum illo non sit. « Quia Dominus Jesus, inquit Apostolus, interficiet eum spiritu oris sui (*ibid.*). » Similiter omnis quoque « fur » et latro, qui in ovile ovium « non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat (*Joan.* X) » et quia non mittitur, ideo per ostium non admittetur, nec ei ostiarius aperit, solus est, et ei recte dicitur : Quia te non misit, tecum non est, quod ex eo maxime liquet quia non audiunt eum oves, utpote alienum, sed fugiunt ab eo. Nihilominus et quispiam Nazaræus, id est, consecratus, vitamque contemplativam professus, dum contra propositum foras evagatur, dum nulla poscente utilitatis causa, tendit exterius, oditque claves et grata sigilla pudicitiæ, quia Deus non mittit illum, Deus cum illo non est, quod itidem certo experimento claret, dum in exemplum Dinæ filiæ Jacob, quæ egresse ut videret filios regionis a Sichem, principe terræ, opprimente se, cum esset virgo, corrupta est, corrumpitur et ipsius anima a diabolo mundi hujus principe foras inventa (*Gen.* XXXIV), nec habens protectorem Deum, de quo dicere possit : « Qui misit me, mecum est. » Hæc, inquam, et hujusmodi studiosus evangelicæ veritatis auscultator, econtrario subaudire potest, quod utcunque faciat, ubicunque se egrediens vel regrediens intendat, sic omnia faciat, quatenus inter fluctus sæculi, vel pericula vitiorum vero conscientiæ testimonio consoletur cor suum, dicens : « Ei ipse qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum. » Sed jam ad præsentem, vel præcipuam intentionem sermo redeat, « qui me misit, inquit, mecum est, et non reliquit me solum. » Corda piorum quæcunque vera scientia instructa, id est, ædificatione charitatis erudita sunt, aliquatenus persentiscere merentur hunc pauperis hujus clamorem, qui et in psalmo dicit : « domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat (*Psal.* CI); » cujus in titulo scriptum est : « Oratio pauperis cum anxiaretur, et effuderit precem suam coram Domino. » Nam revera cum anxiaretur pauper iste hæc dicebat : « Qui me misit mecum est, » etc. Causa autem anxietatis hujus tanta erat, quanta verbis exprimere non valens, et cum gemitu admirans, sicut inter cætera longe ante declamavit Isaias : « Et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum (*Isa.* LIII). » Affectuosius significare non potuit magnitudinem anxietatis pauperis hujus et confusionis, de qua idem

in psalmo dicit Patri: « quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam (Psal. LXVIII). » Plenæ sunt Scripturæ gemituum atque conquestionum flebilium, quæ ob instruendam piorum intelligentiam diversis similitudinibus, multis et lacrymosis vocibus hoc paupere anxiato et conturbato depromptæ sunt. Quid enim quotusquisque nostrum est, qui mente persentiat quam extraneus factus sit fratribus suis, et peregrinus filiis matris suæ (*ibid.*), dicentibus: « Filium Dei se nominat, et gloriatur patrem se habere Deum (*Sap.* II). » Nam, ut taceam quod cum duodecim apostolos eligeret juxta Marcum, audientes sui exierunt tenere eum, dicebant enim in furorem versus est (*Marc.* III), illi de quibus iterum in psalmo dicit ipse: « Adversus me loquebantur, qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum (*Psal.* LXVIII), » quid putas, quam horribili introitu aspernabantur eum, dicentem: « Ego sum lux mundi, et ego testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater? » Ille horum superba odia vocesque maledicas dicentium: « Dæmonium habes, et non est hic homo a Deo » et his similia, accerrime persenserat, qui, ut prædictum est, præ magnitudine doloris, suam miscens personam, talibus suæ gentis hominibus: « Et nos, inquit, putavimus eum, quasi leprosum (*Isa.* LIII). » Quasi leprosum, inquit, id est, propter iniquitatem et blasphemiam suam, sic ab omnibus fugiendum et rejiciendum, quomodo leprosus secundum **235** legem ad arbitrium sacerdotis separatus extra castra solus habitare jubebatur, pollutum se clamans, et immundum (*Levit.* XIII). Cum enim principes et Pharisæi odientes eum, separarent et ejicerent nomen ejus tanquam malum, et adeo solitarium illum esse vellent, ut quisquis confiteretur illum esse Christum, extra Synagogam facerent eum (*Joan.* IX), quid aliud nitebantur, nisi ut ad arbitrium ipsorum, tanquam leprosus pronuntiatus et contaminatus, habitaret extra castra solus? Igitur dicta hæc, « qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, » sic audienda, sic sentienda sunt, tanquam clamor pauperis anxiati, et præjudicium passi, qui absque peccato suo « opprobrium hominum, et abjectio plebis (*Psal.* XXI) » factus sit; velut si, ad arbitrium sacerdotum iniquorum homo mundus et recalvaster, lepræ vagæ et volatili subjacere judicatus sit, et separatus a consortio hominum, forasque expulsus, solus extra castra sibimet habitare condemnatus sit (*Levit.* XIII). Dixit autem ipse alibi, cum jam extra castra separatus, id est, extra portas civitatis inter sceleratos reputatus, in ipsa morte agonizaretur, quando juxta supradictum prophetam maxime putaverunt eum « leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum (*Isa.* LIII). » Dixit, inquam, sic: « Eli, Eli, lamma sabacthani, hoc est: Deus, meus, Deus meus, utquid dereliquisti me? (*Matth.* XXVII.) » Esset quidem facilis ad ista responsio, si sic diceret: Nunquid dereliquisti me, quia videlicet sub interrogatione hujusmodi prolata dictio, neque verum significaret, neque falsum, ac proinde huic enuntiationi contrarium non esset, aut contradiceret, quia dictum est: « Qui me misit mecum est, et non reliquit me solum. » Nunc autem cum dicit: « Ut quid dereliquisti me, » contrarium videtur sonare, quia profecta derelictum se asserit, qui causam quærit, cur derelictus sit. Quid igitur? Hoc videlicet, quia (quod nec ipsi negare queunt vocum sent verborum aucupes) oportet in oppositis sive contrariis hoc idem negare negationem quod affirmatio affirmavit de eodem. Si enim aliud quis affirmet atque aliud alius neget, non contrarium, sed diversum est. At vero hic non hoc idem de eodem negatur, cum dicitur: « Et non reliquit me solum, » quod illic affirmatur, ubi dictum est: « Utquid dereliquisti me? » Utique de passione mortis, sicut aperte testantur sequentia psalmi usque ad illum versum: « Narrabo nomen tuum fratribus meis (*Psal.* XXI), » quia secundum illum quodammodo a Patre derelictus est, juxta quod Apostolus ait: « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). » Nunc vero cum dicit: « Qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, » de illa agitur, quæ infelicissima desertio est, qua illum esse derelictum volebant, dicentes: « Non est hic a Deo (*Joan.* IX), » vel etiam juxta alios evangelistas, criminabantur eum habere concordiam cum Beelzebub (*Matth.* XIII, *Luc.* XI), imo et quod auditu quoque nefas est, ipsum esse Beelzebub sicut ipse testatur: « Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus (*Matth.* X). » Igitur non hic idem nunc negat, quod in articulo suæ passionis affirmat: Nec enim minus congrue quasi derelictus dicitur, quam Apostolus de se et suis similibus: « Ut seductores, inquit, et veraces, sicut qui ignoti et cogniti, quasi morientes, et ecce vivimus; quasi tristes, semper autem gaudentes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* IX). » Maximum autem atque firmissimum argumentum de seipso dedit, unde non derelictum illum perspicuum sit, dicendo: « Quia quæ placita sunt ei, semper facio. » Et notandum quod cum dixisset: « Quia quæ placita sunt ei facio, » addidit: « semper. » Hoc sane unigeniti Filii proprium est, et hoc ab universis Deo placentibus differunt, quod ea quæ placita sunt Patri, non partim, nec ad horam, sed omnia facit, et semper. « Quis enim homo est, qui faciat bonum, et non peccet? » (*Eccle.* VII.) Unus hic et solus est justus et sanctus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*Isa.* LIII; *I Petr.* II). Bene ergo addidit semper, juxta quod alibi de illo dictum est: « Super quem videritis Spiritum descendentem, sicut columbam, et manentem super eum (*Joan.* I). » Hæc enim dicta in re paria sunt, et sine alterutro esse non possunt. Nec enim quiæ placita sunt Patri, faceret semper, nisi Spiritus in eo maneret; nec Spiritus in eo maneret, si aliquando quidpiam extra placitum Patris admitteret. Hoc vero non parvum

miraculi præstare poterat, quod homo mortalis, tanta immutabilitate, tanta constantia vel firmitate seipsum agebat inter tam plurimos tentantes, accusare illum quærentes inimicos, ut talia dicente illo, et insuper post alia sic proponente : « Quis ex vobis arguet me de peccato? » nulla cuique illorum saltem falsæ criminationis daretur occasio. Et quidem diu multumque exacuentes linguas suas, et in occultis intendentes arcum, tandem sagittaverunt eum, sed sagittaverunt immaculatum (*Psal.* LXIII), id est, condemnaverunt quidem illum, sed de nulla culpa condemnaverunt. Exinde omnes qui videbant eum conturbati sunt (*ibid.*) admiratione tantæ malignitatis, et sermonis nequam quem firmaverunt sibi, pertinaciter clamando : « Crucifige, crucifige (*Joan.* XIX), » annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt, et ipsi quoque maligni compulsi sunt cognoscere, quia Dei Filius hic erat, juxta quod nunc ait : « Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, » et cætera. Sequitur :

« Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. » Isti qui crediderunt in eum, quales fuerint, id est, quam prope ad veram pietatem credentium accesserint, vel quam longe resederint, non satis aperte sequentia significant evangelicæ narrationis, præsertim cum Domino dicente : « Si vos manseritis in sermone meo, » et cætera, sic evangelista subjunxerit : « Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus (*Joan.* IX), » et reliqua. Responsio quippe tunc proprie dicitur, cum illi respondent ad quos vel de quibus sermo est. Et longe superius de istorum, id est, Jerosolymitanorum credulitate, cum dixisset evangelista : Quia cum esset Jerosolymis, multi crediderunt in eum videntes signa quæ faciebat, » statim subdidit : « Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod nosset omnes, et non esset ei opus ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. » Forte ergo et nunc quod videbant credentes, imo et quod credebant invidendo persequentes, facti sunt « sicut patres eorum, generatio prava et exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus (*Psal.* LXXVII). « Nam quomodo vere crediderunt, qui cum eodem, cui crediderunt, diu altercantes, et divinitatis ejus testimonium non ferentes, tandem ad lapides cucurrerunt hoc eodem evangelista referente, quia cum dixisset : « Antequam Abraham fieret, ego sum, tulerunt lapides ut jacerent in eum. » Sic itaque credere potuerunt, quomodo se credere dicunt Ariani, cæterique ejusmodi hæretici, quibus nihilominus Christus semetipsum nunquam credidit, quia Christum quomodocunque confessi sint, divinitatis ejus fidem in diversis sectis uno spiritu malignitatis impugnaverunt, et veros confessores ejus audire non ferentes, tumultum insaniæ suæ per totum **236** mundum audiri fecerunt. Horum omnium formam in istis præcessisse, ex subsequentibus perspicuum est ; si quidem litteram arctius sequentes, eosdem cogamur accipere respondentes, ad quos loquitur Dominus, ut subjunctum est :

« Dixit ergo Jesus ad eos qui crediderunt ei, Judæos : « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Dicendum hoc erat credentibus Judæis, dicendum et nunc est hæreticis, omnibusque in fide vitiatis. « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. » Quid enim? Nunquid omnes qui Christum confitentur, jam in sermone ejus manent, et vere discipuli ejus sunt? minime : alioquin non tam multi filii nequam cum filiis regni, tanquam zizania cum bono semine Patrisfamilias, pullulantes per publicum totius mundi agrum succrevissent, nec jam multi pisces mali misti cum bonis per totum orbem retia fidei dirupissent (*Matth.* XIII). Sermo namque Christi, in quo his, qui credunt in Christo manendum esse dicit, ut vere discipuli ejus, id est, veri Christiani sint, sermo est fidei, id est unica regula credendi, cui detrahi quidquam nefas est vel adjici. At vero Judæi credentes in Christum, quibus tamen « Christus, ut superius dictum est, non credebat semetipsum (*Joan.* II), » omnesque hæretici, quales fuerunt Cherinthus et Marcion, cæterique contra quos maxime hoc scribitur Evangelium, multæque hæresium pestes, quæ postea subortæ sunt, longe ab hoc sermone recedunt, multumque illi detrahunt, dum alii verum hominem confitentes Christum, negant eumdem verum esse Deum, vel ex Maria cœpisse illum asserunt, alii vere confitentur Deum eumdem in vera carne venisse (*Rom.* VIII), vel hominem negant esse verum. Non ergo manent in sermone Christi, quem et ante per prophetas suos (*Galat.* IV), et nunc per semetipsum prescribit, cujus tota summa est, unum eumdemque Christum, et ante omnia sæcula Deum verum exstitisse, et vere Filium hominis in fine sæculorum, factum esse. Proinde veri discipuli Christi, id est vere Christiani non sunt, nec veritatem cognoverunt, nec eos a peccatis suis veritas liberavit, quantumcunque Christum confessi, vel in Christi nomine baptizati sint. Recte igitur talibus, et tunc per semetipsum Christus Judæis, et nunc per Ecclesiam suam dicit hæreticis, « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos, » id est, nisi manseritis in sermone meo, non vere discipuli mei eritis, neque veritatem cognoscetis, neque veritas vos liberabit. Vere enim nemo qualiumque factorum justitia potest a peccatis redimi, vel ab antiqua diaboli servitute liberari, nisi integre permaneat in sermone fidei, et unam teneat communicationem evangelicæ confessionis. Sciendum quoque est quod non ab re istis credentibus in se dignum quidem et verum, sed inopinatum præsenti loco pollicetur discipulatus sui fructum : « Vere, inquit, discipuli mei eritis. » Quo fructu? quo præmio? « Et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. » Putabant enim illi, utpote animales,

et de Christo carnaliter sapientes, illo rege carnale se habituros sæculum, cum damnatione omnium gentium, iterumque bella ac triumphos, et superatorum neces atque captivorum greges, et auream atque in terris gemmatam Jerusalem, hostiarumque sanguinem, et circumcisionis injuriam, et terreni templi gloriam, quæ omnia usque hodie Christum exspectantes, sub illo se habituros somniant. Hoc modo illi quoque, qui, ut supra dictum est, credebant in eum, in ipsa credulitate sua respiciebant « in vanitates et insanias falsas (*Psal.* XXXIX). » Nec mirum, cum et apostoli tali sensu dixerint de peracta passione ejus tristes : « Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel (*Luc.* IV). » Opportune ergo erranti occurrens intentioni, vanam exspectationem credentium destruit, docens cujus beatitudinis spe, cujus libertatis amore in se credendum sit. « Cognoscetis, inquit, veritatem et veritas liberabit vos. » Hunc fructum, hanc mercedem vel præmium in illis, qui tunc in sermone ejus manserunt, et ideo vere discipuli ejus exstiterunt, considerare operæ pretium est. Ille quippe qui permanserunt in sermone ejus usque ad mortem ipsius, scilicet beati Apostoli deinceps remunerandi cognitione veritatis collaudatoriam commemorationem audiere dicentis : « Vos autem estis qui mecum permansistis in tentationibus meis (*Luc.* XXII). » Eadem quippe hora inter cætera dictum est eis : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem (*Joan.* XVI). » Ecce quia permanserunt in sermone ejus, quam confessi omnes fuerant per unum Petrum, dicentes ; « Tu es Christus Filius Dei vivi)*Matth.* XVI), » Spiritum veritatis meruerunt accipere, per quem cognovissent omnem veritatem. Nam ubi venit ille spiritus veritatis, quis non miratus est hodieque miratur quam perfecte veritatem cognoverit, quam constanter qui fuerant homines idiotæ et sine litteris (*Act.* IV), contra omnem nimium loquacem sapientiam mundi illam defenderint, liberavit sane ab erroribus universis, liberavit ab omnibus quæ in mundo sunt concupiscentiis, cupidos efficiens ejus quam in veritate cognoverant, veræ et summæ beatitudinis, liberavit a timore mortis, a timore inimici, ab omni misera servitute peccati, tandemque in perfectione libertatis constituit, de qua Paulus apostolus, qui jam liberari cœperat, inter cætera dicit : « Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc : non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes redemptionem corporis nostri (*Rom.* VIII). » Hoc modo dictis facta compensando, planius intellectui fit quod est : « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. » Sequitur :

A « Responderunt ei : « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. Quomodo tu dicis liberi eritis ? » O astuti, quam prope nunc cepcrant et illaqueaverant sapientiam Dei. Quid enim putarent dicturum illum, nisi quia falsum est quod dicitis, nemini servivimus unquam, Romano enim imperio servitis nunc. Hoc autem si dixisset, quanto putas cum clamore involassent, dicentes : « Si sumus amici Cæsaris, non dimittamus hunc inimicum Cæsaris, contradicit enim Cæsari, proposita nobis spe quod si sequamur eum, simus liberi, et non serviamus Romanis. » Igitur non per obliviosam ignorantiam, sed per insidiosam malitiam dixerunt : « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. » Et quidem fuerit hoc nativæ cujusdam libertatis pri-
B vilegium, quod semen Abrahæ sunt (*Galat.* IV), id est, quod non de ancilla secundum carnem, sed de libera per repromissionem nati sunt. Nam Ismael quoque semen Abrahæ fuerat Domino dicente : « Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuam sst (*Gen.* XXI), » tamen hi maxime, qui secundum Isaac sunt, reputantur in semine, soli secundum carnem liberi, **237** legitimumque semen dicuntur Abrahæ, dicente eodem : « Quia in Isaac vocabitur tibi semen (*Gen.* XXI). » Hoc itaque concedamus quia semen Abrahæ sunt, ac proinde comparatione Ismaelitarum cæterorumque qui de Agar vel Cetura nati sunt (*Gen.* XXV), isti liberi sunt. Attamen in hoc falsi sunt quod subjungunt, « et nemini servivimus unquam. » Nec enim ignorare poterant quod et Ægyptiis in luto et
C latere servierint, quodque et postquam terram promissionis obtinuerunt, pro eo quod « commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum et servierunt sculptilibus eorum (*Psal.* CV), » tradidit eos Dominus in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum, sæpe liberavit eos, et nunc tandem cum hæc dicerent : « Nemini servivimus unquam, Romano imperio sub tributaria conditione serviebant. » Itaque perspicuum est quod insidiosa, ut prædictum est, malignitate hoc objecerunt, intenti elicere verbum de quo illum apud Romanum possent accusare imperium sicut et tunc, quando tentantes hypocritæ dixerunt : « Licet censum dari Cæsari, an non ? » (*Matth.* XXII). Et
D nota, studium horum grammaticorum in schola Satanæ declinantium, quam cito, dicente illo : « Et veritas liberabit vos, » ad verbi hujus etymologiam prosilierunt, dicentes ei : « Quomodo tu dicis, liberi eritis, » cum non dixerit eis et liberi eritis, sed « et veritas liberabit vos. » Proprietate dictionis abuti voluerunt, in adjumentum suæ perversitatis. Sed frustra. Ille enim qui paulo ante dixerat : « Ego sum lux mundi, » hæc omnia clare videbat, lucens quidem in terris, gradiens autem in altitudine cœli. Tale ergo hoc erat ac si homines cæci solem persequentes, radios ejus laqueis nectere, et tanquam pedibus vinctum, de zodiaco suo in terram deorsum

vellent attrahere. Nam quam alte supra sensus istorum ambulet intentio dicentis : « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos, » ex his quæ sequuntur colligi potest.

« Respondit eis Jesus : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. » Ecce qualem istis talionem reddidit. Isti qui de terra erant, et de terra loquebantur, solam terrenam servitutem libertatemque scientes, unius dictiunculæ proprietatem, qua dixerat : « Et veritas liberabit, vos, » callide observaverunt, ut eum in sermone caperent. Hic autem, qui de cœlo venit, et quod vidit et audivit, hoc testatur, solam spiritualem B servitutem libertatemque perpendens, fortissimum illis fecit syllogismum, ut comprehenderet « sapientes in astutia eorum (*Job.* v). » — « Omnis, inquit, qui facit peccatum, servus est peccati. » Veram sententiam veritas proposuit, cui concedere non moretur auditor, quantumvis contentiosus aut rebellis. Nam si forte pertinaciter frontem obduret impudentem, nos econtra ejusmodi dedignati grandibus ecclesiasticæ Scripturæ contendere armis, levem armaturam, id est multam poetarum ethnicorumque philosophorum convocabimus turbam, verbi gratia : Illud Flacci recensentes dicentis in cupidinosum :

. . . . *Liber sum, dic age : non quis*
Urget enim dominus mentem non lenis et acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.
(Horat. *in serm.* l. II, sat. 7).

Vel quod Sophocles, ut ait Tullius, cum ex eo jam confecto ætate quæreretur utereturne rebus Venereis : Pii meliora, inquit ; liber vero ego istinc, sicut a Domino agresti ac furioso profugi. Cæterum, eis qui seipsos noverunt et veritati libenter acquiescunt, non jam quæsitum opus est utrum servi sint aut fuerint, quoniam ultro confitentur et publice lamentantur quod non solum servi verum et captivi sint, flendo canentes, et canendo flentes, atque dicentes : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra, quia illi interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum (*Psal.* CXXXVI), » etc. Nec vero illi inimici Domini mentiri poterant ei, quod peccatum non fecissent aut facerent, præsertim cum ipsorum magistri, Scribæ et Pharisæi, paulo supra, ubi tentaverant eum de muliere in adulterio deprehensa, illo dicente : « Qui sine peccato est vestrum, [primus] mittat in illam lapidem, audientes hæc, unus post unum exierint, incipientes a senioribus. » Nam saltem hoc negare vel dissimulare non poterant quin modis omnibus ad hoc tentarent illum capere in sermone, ut possent occidere. Igitur ipsi, imo multo magis ipsi præ cæteris peccatoribus servi erant peccati. Proinde rata et firma stante propositione, nil jam cunctantur assumere : « Servus autem, inquit, non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. » Dicendum hoc erat servis peccati, qui non nisi in pœna subsequente, præsentem agnoscunt miseriam suæ servitutis, molli jugo, dulcibusque libidinum catenulis delectati, imo et tanquam cæci aut ebrii, non videntes, neque sentientes horrorem furiosamque quorumlibet vitiorum tyrannidem, propriis voluntatibus intenti. « Servus, inquit, peccati non manet in domo in æternum, » videlicet, concordante Scriptura, qua dictum est per Psalmistam : « Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam (*Psal.* c). » Qui et alio loco ad Deum loquitur : « Neque habitabit juxta te malignus (*Psal.* v). Filius autem, inquit, manet in æternum, » videlicet ille Filius, qui singulariter et proprie dicitur, et est Filius, et nullo modo dicitur, aut est servus, quia profecto ab omni peccato immunis est, peccatum enim non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*Isa.* LIII) qui et in psalmo dicit : « Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII). » Hic manet in domo in æternum. » Ponamus primo legem servorum aut dominorum, ut posito prius notæ similitudinis fundamento, firmius consurgant conspicui parietes mysteriorum. Ecce in domo qualibet quatuor ista consideranda sunt : paterfamilias domus, et ipsa domus, filius ejusdem patrisfamilias, et conductitius quilibet alieni domini servus. Non enim hic servus ad Dominum, cujus hæc domus est, congrue referri potest, quia videlicet peccatum, cujus de servo nunc agitur, ab C illo filio de quo itidem nunc sermo est, et a Patre ejus omnino alienum est. Servum ergo conductitium servum alienorum dominorum scimus in domo, in qua conductus est, legaliter non posse esse permanentem ; quippe cum nec servus ipsius Domini, cujus est domus diutius quam placitum est, eidem Domino suo possit ad serviendum stare in domo. Quanto magis servus alienorum, ut prædictum est, dominorum in domo permanere non potest, etiamsi Domini domus patientia toleretur, quin ubi tempus fuerit, vel causa poposcerit, dominis suis exigentibus ad loca vel servitia debita protrahatur ?

At vero Filius legaliter, æque ut Pater, tanquam Dominus in domo permanet, suaque esse omnia deputat, quæcunque thesaurizat Pater, Patrisque ad Filium jure vox illa est : « Fili, tu semper mecum D es, et omnia mea tua sunt, **238** et tua mea sunt (*Luc.* xv). » Igitur et secundum homines vere dictum est, quia « servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. » Porro, hac posita similitudine, animadvertere promptum est quam terribiliter Judæis denuntiet quod ipsos exire, seipsum autem in his quæ Patris sunt, oportet permanere. Deus enim magnus et inclytus Paterfamilias est, domus autem ejus sancta Ecclesia, id est omnium credentium Deumque colentium sancta societas est. Filius ejus est hic ipse, qui hæc loquitur, unus idemque Deus et homo Christus : « Servus vero peccati omnis homo est qui ex Adam in pec-

cati servitio natus, non nisi per hunc Filium liberatur; » maxime tamen Judaicus populus, qui jam tunc in domo Dei erat, sed non permansurus, cum hæc iste Filius loqueretur. Hæc ergo cum dicit primum Judæos,ut prædictum est, percutit : qui cum essent in domo Dei, tanquam regni ejus operarii, legem habentes et testamentorum, locumque sanctum, vel ordinem sacrificiorum, jamjam visibiliter quoque erant foras ejiciendi, ut vere servi peccati, sicut in eo quoque jam significavit eis, quod facto de funiculis flagello ejiciens illos. « Scriptum est, inquit, quia domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Joan.* II ; *Isa.* LVI ; *Jer.* VII)· » Illis quippe funiculis, ex quibus flagellum fecit, servilia peccatorum illorum vincula congrue satis expressit. Filium vero, id est semetipsum, de quo juxta aliam parabolam dixerunt : « Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas (*Matth.* XXI), » illis ejectis in domo permansurum in æternum, et hic astruit, et in ea parabola patenter innuit,dum de seipso præmittens, nunquam legistis : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris (*Psal.* CXVII), » statim subdidit : « Amen dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI).» Deinde singulorum quoque nostrum conscientias hæc eadem sententia convenit, qui per professionem Christianæ fidei sumus in domo Dei, et terribiliter commonet ne simus in hac domo ejus, quæ est Ecclesia, tanquam servi, id est, servilia facientes opera peccati, quia vere, inquit, « servus non manet in domo in æternum. » Etiamsi in cathedram soliumque liberationis ascenderit, id est officium potestatemque liberandorum servorum exercuerit, prædicando, baptizando, Sacramentum dominici corporis et sanguinis conficiendo, populisque distribuendo,ac pœnitentes reconciliando, quibus omnibus modis conscriptio testamentumque perficitur Christianæ libertatis, non manebit in domo in æternum splendidus iste opifex ingenuitatis, cum sit ipse occultus servus peccati,sed funibus peccatorum suorum circumdatus,et constrictus, ab eisdem litigantibus ac sævientibus dominis suis ad inferni ergastula pertrahetur. Igitur vera est et assumptio dicentis : « Servus autem non manet in domo in æternum,Filius manet in æternum.» Sequitur conclusio : Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. » Ergo,inquit, quia vos quoque, quibus propheta dicit : « Gratis venundati estis, vos (*Isa.* LII), » inquam,sicut et cæteri, servi peccati estis; « servus autem non manet in domo in æternum,sed Filius manet in æternum ; »—« si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis,» id est, nisi vos Filius liberaverit, nunquam liberi eritis. Proinde falsa et fallens est illa vestra, non magnitudo, sed inflatio, qua tumentes dicitis : « Et nemini servivimus unquam; » falsa, inquam, non quia subjugati estis Romanis, quod ex

A me audisse velletis, odio crudeli imbuti ut me accusare possetis,sed quia peccatores estis, et perseveranter peccatum facitis. Sciendum vero est hoc quoque apud homines jus esse legitimum, ut libertate nemo donetur servorum, maxime hostilium, nisi per illum regis aut principis filium qui proprio labore vel industria victo tyranno, servis reductis totum victi obtinet regnum, simulque paternæ hæreditatis scriptum, et confirmatum jam accepit testamentum. Hoc autem de isto filio nulli dubium quin in sua persona decorem indutus,indutus fortitudinem et virtute præcinctus (*Psal.* XCII), regnavit, id est, per assumptionem carnis et passionem mortis, Dominum servorum infelicium (*Coloss.* II). id est omnium filiorum Adæ,scilicet peccatum damna- B verit,regnum peccati et mortis destruxerit, confidenter traduxerit,et in semetipso palam triumphaverit (*Hebr.* I).Igitur primo Judæis, quia negare non possent Deum Patrem habere Filium quem constituit hæredem universorum, dicente illo in David « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu,ego hodie genui te.Postula a me,et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessiones tuas terminos terræ (*Psal.* II), » et multa his similia. Judæis, inquam, de patrum suorum servorum Dei superbientibus meritis, hominum quoque sensatorum judicio juxta prædictam rationem non dissentiente,dicendum hoc erat : « Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis, » nec aliter liberi eritis. Deinde et gentibus hoc idem prædicandum universis, nulla, ut ait Apostolus, habita distinctione Judæi et Græci. « Omnes enim, C inquit,peccaverunt,et egent gloria Dei (*Rom.* III). » Animadvertenda nunc est diligenter litteræ series. Ecce hoc ultima conclusio innuit quod nisi Filius nos liberet, non possimus vere esse liberi. Erat autem illud prima propositione constitutum quod Veritas liberaret nos.Ait enim : « Et cognoscetis veritatem,et veritas liberabit vos. » Hanc sententiam oppugnantibus adversariis et dicentibus : « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam, » dum argumentose defenditur, ad hoc extrema, ut jam dixi, conclusione perventum est, quod nemo liber sit, nisi quem liberet Filius. Igitur evidenter constat quod hoc loco consignificent Veritas et Filius, quodque hoc etiam loco veritatem se esse testetur Dei Filius, quo nomine seipsum discipulis D suis manifestius alibi commendat, dicens : « Ego sum veritas (*Joan.* XIV). » Nunc vide quousque victoriosus hic testis testimonii sui defensionem produxerit. Supra cum dixisset : « Ego sum lux mundi, » responderunt adversarii. « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Hic econtra consistens, non tantum testimonium suum esse verum, sed etiam profitetur se esse veritatem. Sequitur :

« Scio quia filii Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. » Postquam objectionis eorum posteriorem partem dissolvit, illam scilicet qua dixerant : « Et nemini

servivimus unquam,» nunc priorem, illam scilicet, quam intolerabilem spirantes superbiam deflaverant, dicenda : « Semen Abrahæ sumus. » Idcirco autem ita dissolvendas præposteravit partes, quia de hac maxima superbiæ materia plura dicturus est : « Scio,inquit, quia filii Abrahæ estis. » Quis enim nesciat, quia sicut propheta vobis improperat, « vos de aquis Juda,» qui fuit Abrahæ pronepos,« existis (*Isa*.XLVIII), » id est, non imitatores paternæ virtutis,sed tantum superflua fluxæ carnis genimina pullulastis? « Estis ergo filii Abrahæ, sed quæritis me interficere.» Quare? « Quia sermo meus non capit in vobis, id est, quia sic ad audiendum sermonem meum impatientes **239** estis,ut per impatientiam ejus mors mea vobis desiderio sit. Hoc profecto nimium nimiumque repugnat,ne vos,qui dicimini filii Abrahæ reputemini in semine (*Rom*. IX). Abraham in sermone meo mansit, id est in sermone quem de me audivit, quando dictum est ei : « Atque in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen*. XXII). » Mansit, inquam,in hoc sermone, credens et a justitia non deficiens, nec aliquando « infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ » fidelem existimans eum qui repromisit (*Rom*. IV). Ita credendo, et in sermone promissionis permanendo, pater multarum gentium appellari et esse meruit,« et reputatum est ei ad justitiam, et amicus Dei appellatus est (*Jac*. II). » Hæc illa est in qua vos gloriamini nobilis generositas et generosa nobilitas patris Abrahæ, scilicet non ex carne, sed ex fide ; non ex gente,sed ex virtute ; non ex propria seminis sui qualitate,sed ex longanimitate obedientiæ. Nam caro Abrahæ, si quæritur, de massa prævaricatrice est, genus ejus Chaldaicum est. Secundum hanc partem scio,quia filii Abrahæ estis. Nunc illud a vobis quæritur, ut veri quoque, et non degeneres filii sitis,id est,ut in eodem sermone meo maneatis, in quo ille mansit, credendo scilicet venisse illud semen benedictionis,quod ille venturum credidit, et semen illud esse me qui et loquor vobis. Quod ut credatis,ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater faciendo opera in medio vestri,quæ nemo alius fecit,majora quam vidit Abraham,qui credidit.

At ille « sermo meus non capit in vobis, » nullam fidem apud vos invenit, nec tantum terræ bonæ in petrosis saxosisque ac duris cordibus vestris, ubi radicem exiguam figere possit, quod videlicet a fructu promptum est agnoscere, dum vos « quæritis interficere me, » sermonem eumdem non ferentes audire.Igitur « scio quidem quia filii Abrahæ estis,» sed filii alieni, filii, inquam, alieni et inveterati, et claudicatis a semitis vestris (*Psal*. XVII), utpote deteriorem partem generis « Abrahæ » scilicet carnem extollentes, fidem autem ejus in qua, vel per quam ille nobilis est, abnegantes. Proinde jam de illo patre mihi vobiscum agendum non est, quia profecto et vobis pater longe alius ab illo est, et mihi Pater longe alius, et eodem patre Abraham longe superior est.Me a Patre meo et vos a patre vestro non degenerare, probabile est. Dico enim : « Ego quæ vidi apud Patrem meum, loquor : et vos quæ vidistis apud patrem vestrum,facitis.» Pulchre Filius Dei filios carnis Abrahæ convincere incipiens, quod non possint de tanti patris dignitate gloriari, prius illos a sua communione longissime depellit. Abraham quippe sibi et illis, secundum carnem, communis pater est. At ille alium sibi, aliumque illi patrem patenter ascribit dum dicit : « Ego quæ vidi apud Patrem meum, loquor : et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. » Hoc igitur advertere poterant,quod alium patrem ipsorum diceret quam Abraham. Juxta quam divisionem nec illud consequens videbatur,quamvis dissimulaverint ut patrem sibi dicerent Deum. Quid enim illos apud patrem suum vidisse et facere aiebat, nisi hoc quod præmiserat, « sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis ? » Hoc plane tam ex ejus dictis quam ex suimet conscientia convicti, nescire non poterant se apud diabolum vidisse, id est ex diaboli imitatione,et nota sibi ejus voluntate mente concepisse. Nec enim ignoranter peccabant. Quem vero apud patrem, ea quæ loquebatur se vidisse testaretur, jamdudum nimium nimiumque perceperant. Nam « et propterea illum magis persequebantur, inquit Evangelista, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo (*Joan*. V). » Cum igitur tam manifesta divisione facta, Patrem suum Deum,patrem autem illorum significet diabolum,quid adhuc Judæi cunctantur,quid percunctantur? Sequitur enim : « Responderunt et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. » Profecto hæc, et cætera quæ posterius objiciunt dicentes : « Nos ex fornicatione non sumus nati,unum patrem habemus Deum, » etc., insidiæ sunt, tentationes sunt, decipulæ et laquei venantium sunt. Quid enim risu digni captores hiant, quid exspectant nunc, verbi gratia, dum dicunt : « Pater noster Abraham est ? » Videlicet hoc verbum ori ejus excidisse cuperent (*Rom*. IX), ut econtrario diceret : Abraham pater noster non est. Nam quantæ putas calumniæ sese aditum reperisse gauderent ? Utique negatorem illum adoptionis,et testamenti,et legislationis, Moysi quoque et Patrum,et omnium quæ ex Abraham gens illa sese habere credebant,conclamarent.Sed « frustra,inquit Scriptura, jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov*. I). » Si ante oculos pennatorum, quanto magis frustra jacitur rete ante oculos Herodii ducis eorum? (*Psal*. CIII). Quomodo ergo insidias eorum cassavit ipse quo docente noverunt sancti ejus « prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ (*Matth*. X), » nemine dare ullam offensionem (*II Cor*. VI), vel juste criminandi occasionem ? Sequitur : « Dixit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere,hominem qui vobis veritatem locutus sum, quam audivi a Deo.Hoc Abraham non fecit. » Quid

igitur? utique sumptis vel concessis duabus sententiis, quæ refelli non possunt, scilicet ea quam præmisit: « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite; » et altera quam addidit: « Nunc autem quæritis me interficere, » quod Abraham non fecit, tertia demum inferenda erat: Ergo filii Abrahæ non estis, præcedentium ratione eam solidante, etiam invitis adversariis. Attamen quia necdum omnino mentiti fuerant dicentes: « Pater noster Abraham est, » adhuc mitius ait, conclusionem supprimens, quæ satis potest eo tacente subaudiri: Non enim sic per omnia falsum est quod dixerunt: « Pater noster Abraham est, » quomodo illud, quod paulo post dicturi sunt: « Unum patrem habemus Deum, » quia videlicet Dei, neque per naturam, neque per imitationem filii erant; Abrahæ autem, et si non per imitationem, attamen per carnis naturam filii erant. Et vide quam justa et rationabilis conditio. « Si, inquit, filii Abrahæ estis, » id est si vos esse filios Abrahæ profitemini, ut sitis veraces in hac professione, « opera Abrahæ facite. » Non enim ex eo quia homines estis, quod naturæ est, nec ex eo quia sub corruptione mortalitatis cum peccato nascimur, quod infelicitatis est, non inquam, ex hoc vel ex illo estis filii Abrahæ, sed filii Adæ, nec ex eo quod vos in dolore pepererunt matres vestræ, filii estis Saræ, sed filii Evæ. Hæc enim omnia non ex Abraham et Sara, sed ex Adam initium habent et Eva. « Opera » ergo « Abrahæ facite, » id est, illam quam primus habuit Abraham, vos quoque fidem habete. Hoc nempe « est opus Dei ut credatis in eum (*Joan.* VI), » quem ille misit, ad imitationem patris Abrahæ credentis ei, qui repromisit.

Alioquin cum circumcisione vestra inter Sodomitica reputabimini præputia, eritisque, juxta prophetam, « principes Sodomorum et populus **240** Gomorrhæ (*Isa.* I), » eritque pater vester non Abraham, et mater vestra non Sara, sed juxta prophetam alium, « pater vester Amorrhæus, et mater vestra Cæthæa (*Ezech.* XVI). » Circumcisio namque, sine qua Abraham justificatus est et appellatus est amicus Dei (*Gen.* XV; *Rom.* IV), et legales cæremoniæ, vel sacrificiorum ritus, et his similia, quia tam malo quam bono spiritu vel mente possunt fieri, non faciunt de filiis Adæ filios Abrahæ, vel de inimicis amicos Dei, sed fides et præcepta justitiæ, quæ scripta sunt in tabulis digito Dei, quæ et antequam scriberentur Abraham observando, lege naturali, necdum circumcisus, factus est amicus Dei. Nunc autem « quæritis me interficere, » hominem non qualicunque pro causa vobis odiosum, sed quia « veritatem vobis locutus sum, » veritatem, inquam, « quam audivi a Deo, » id est sermonem bonum, quem non, ut propheta mendax arrogantia depravatus, per tumorem animi confinxi (*Deut.* XVIII), sed audivi a Deo, antequam nascendo apparerem inter vos, sicut legitimis signis cognoscere potestis et vos. Nam omne quod loquor ego, loquor in nomine Domini, et quodcunque prædico verbum in nomine Domini sit, hoc vobis signum cognoscendæ veritatis lex posuit.

« Me, » inquam, talem hominem « quæritis interficere, » hoc Abraham non fecit, longe aliam mentem in sua fide, longe alium habuit spiritum, imo contrarium huic spiritui, quo « vos quæritis me interficere. » Ille consummandus et hinc exiturus, non acceptis promissionibus, a longe me aspexit oculis fidei, a longe me salutavit, flens, et confitens beatos fore oculos qui eum fide visuri erant (*Hebr.* XI). Hæc tempora, quæ vos videtis (*Luc.* X), visuri et credituri in me, quem vos interficere quæritis. Proinde poteram ego vos concludendo sic inferre, ergo pater vester Abraham non est, sed conclusionem hanc relinquam lapidibus, qui futuri sunt filii Abrahæ, qui eloquentes facti, me tacente, vobisque non respondente, judicabunt vos nequaquam esse filios Abrahæ (*Matth.* III). Sequitur. « Vos facitis opera patris vestri. » Postquam Judaicam superbiam uno cornu mutilavit, iterum proponit ut arietis, quem per impatientiam suam rursus in se irruiturum noverat, ordinata disputatione residuum cornu confringat. Duobus quippe cornibus contra veritatem arietabant, patrem Abraham patremque Deum se habere jactitantes, et idcirco libertate, qua veritas eos liberaret (*Gal.* IV), se non indigere mentientes. Iterum ergo causam constituit ut perduelliones suos, quos instare videbat, suis ipsorum conatibus fatiget ac dejiciat: « Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati, unum Patrem habemus Deum. » Ecce manifestius irati, et cum jurgio tumentes, totas vires suas in ventum cum amaritudine et clamore effuderunt. « Nos, inquiunt, ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum. » Quod duobus modis intelligendum est. Primum videlicet quod, secundum consuetudines Scripturarum quas legebant, hoc, quod diis multis et falsis anima, tanquam prostituta, subjicitur, fornicationem appellantes, ita responderunt: « Nos ex fornicatione non sumus nati, » etc. Deinde vero quoniam hæc disjuncta sunt, nec etenim ita dixerunt: « Nos ex fornicatione non sumus nati, sed unum patrem habemus Deum, magis de carnalibus carnalia sentientes, nobilitatem carnis adhuc illos jactitare arbitramur, dicentes: « Nos ex fornicatione non sumus nati, » ut subaudias quemadmodum cæteri filii, qui ex concubinis nati sunt. Tanquam dicerent: Non, tu indocte, singularem nostri generis dignitatem advertisti. Nos non sumus ut cæteri, quos Abraham pater noster genuit, filii concubinarum, hæreditate patris indigni, ut Ismael et alii quos ex Cæthura genuit (*Gen.* XXV), sed sumus ex legitimo Saræ conjugio nati, cujus filium solum Deus elegit, ut esset Deus ejus: « Pactum vero, inquiens, meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara (*Gen.* XVII). » Iste unus filius legitimus Deum patris sui, simulque cuncta, quæ possederat hæreditavit, sicut scriptum est: « Deditque Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac

filio suo dum adhuc ipse viveret (*Gen.* xxv). » Itaque nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum. Et nota superbiæ mistam amaritudinem dicentium : « Nos ex fornicatione non sumus nati, » cum satis esset dixisse : nos ex Isaac, et non de aliquo ex filiis concubinarum sumus nati. Omnes homines oderunt, et excæcati odio fratrum suorum, id est qualiumcunque Abrahæ filiorum, nec ipsi patri, de quo plurimum gloriantur, parcere potuerunt; fornicationem appellantes concubitum feminarum, nulla Scriptura culpatum, utpote non tam pro libidine, quam pro amore posteritatis initum. Sic et filii Galaad præ superbia non viderunt quod appellarent patrem suum adulterum, dicentes ad Jephte fratrem suum : « Hæres in domo patris nostri esse non poteris, quia de adultera matre generatus es (*Jud.* xi). » Et audent cum hac amaritudine sic inflati sensu carnis suæ Deum appellare patrem suum, subjungendo : « Unum patrem habemus Deum, » videlicet elementa Dei abutentes in superbiam, verbi gratia, dicentis ad Pharaonem : « Dimitte filium meum primogenitum (*Exod.* iv). » Ad quam scilicet Deum et Isaias : « Tu enim, inquit, Pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos. Tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum (*Isa.* lxiii). » Ad Israel autem Moyses in Deuteronomio cantico : « Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit et fecit et creavit te? (*Deut.* xxxii). » Et multa in lege et prophetis his similia. Et quidem istorum, qui se Judæos esse dicunt, et non sunt, sed sunt « Synagogæ Satanæ (*Apoc.* iii), » magna et singularis superbia est, ita ut merito de illis Filius Dei dicat : « Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam (*Psal.* xii), » istos Judæos propter crudelitatem leonis, propter singularem superbiam appellans unicornes. Verumtamen et revera gentis hujus magna et singularis nobilitas est. Tantummodo, quod isti dicunt, furore et odio cæci, nos ex fornicatione non sumus nati, sicut decet filios Abrahæ, dicant honestius sic : Nos non, ut cæteri, quos pater noster Abraham genuit, secundum carnem sumus nati, ut veraciter adjungant, unum patrem habemus Deum. Etenim « qui de ancilla natus est, inquit Apostolus, secundum carnem natus est (*Gal.* iv), » quia videlicet natura carnis est, ut ex viro, quamvis grandævo concipiat juvencula, qualis erat Agar. Item sentiendum est et de Cethura, quam tamen Hebræi eamdem scilicet Agar fuisse autumant, licet Scriptura plusquam unam fuisse concubinam patenter innuat, dicendo : « Filiis quoque concubinarum largitus est munera (*Gen.* xxv). » Ut autem de viro veterano, qualis erat Abraham, quando genuit Isaac, concipiat anus, præsertim sterilis, qualis erat Sara, hoc non capit carnis natura. Unde Isaac idem Apostolus recte dicit, « natum per repromissionem (*Gal.* iv), » id est, per donum Dei, non per carnis consuetudinem. Igitur gens illa, gens unicæ nobilitatis exstitit, quæ respectu patris sui Isaac dicere potuit, « nos secundum carnem non sumus nati, unum patrem habemus Deum, » sola gens **241** Idumæa, id est filiorum Esau, pariter hoc dicere potuit, nos secundum carnem non sumus nati. Verum id quod additum est : Unum Patrem habemus Deum, » illos secernit Deo dicente : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Malach.* i), » quia videlicet dignus odio Dei, et ab illa nobilitate generis, in fornicationem idolorum declinavit. Proinde nihilo meliores eis isti sunt, qui nunc dicunt : « Nos ex fornicatione non sumus nati, » quia profecto et si hoc verum dicunt, mentiuntur subjungendo : « Unum Patrem habemus Deum. » Quos fallaces, quam fortiter, quamque suaviter Filius, idemque sapientia Dei Patris, refellerit audiamus.

« Dicit ergo eis Jesus : Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim a Deo processi et veni. Neque enim a meipso veni, sed ille me misit. » Hæc duo disjuncta irreverenter impingentes objecerant, et quod non ex fornicatione nati essent, et quod unum Patrem Deum haberent. Sed de illa parte gloriæ, qua in carne Abrahæ gloriabantur, satis illis responsum est. Ergo reliquam partem objectionis, qua dixerant « unum Patrem habemus Deum, » falsam arguere ingreditur, dicens eis : « Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. » Notandum primo, quia neque dicentibus illis, pater noster Abraham est, ita respondit, ut diceret : Pater vester Abraham non est : neque nunc objicientibus ac dicentibus, « unum Patrem habemus Deum, » ita respondet, ut dicat : Non habetis Patrem Deum. In illo namque populo aliqui erant, et plurimi fuerant, qui opera Abrahæ facerent, et proinde non solum filii Abrahæ secundum carnem, sed et filii Abrahæ et filii Dei essent secundum fidem (*Rom.* ix). Itaque non præcipitem dat sententiam, ut dicentibus : « Pater noster Abraham est, » statim resultet, pater vester Abraham non est : vel dicentibus : « Unum Patrem habemus Deum, » statim econtrario dicat : Patrem non habetis Deum ; sed prius culpam designat, ut illos tantum, quorum culpa est rationabiliter et ordinate filios Abrahæ non esse, vel Deum Patrem non habere ostendat. « Si, inquit, Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. » Nihil verius. Etenim hæc æqualia sunt, Deum Patrem habere et Dei Filium diligere ; et ita consequuntur invicem, et cohærent sibi, ut neutrum sine altero stare vel esse possit. Unde et reciprocari et converti possunt hoc modo : « Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me, » et si diligeretis me, Deus utique Pater vester esset. Omnes enim filii Dei invicem diligunt, utpote unum habentes adoptionis Spiritum (*Rom.* viii) ; siquidem nec aliter filii Dei esse possent, nisi habendo dilectionem ad invicem (*I Joan.* v). Amplius autem et incomparabiliter illum unum et unicum, propriumque et consubstantialem Dei Filium omnes diligunt, utpote per quem eumdem adoptionis Spiritum percipere meruerunt ; quia quod solus erat per natu-

ram, hoc multis fratribus indulsit, ut filii Dei nominentur et sint per gratiam. In hujus dilectione unici Filii, Deus Pater suos filios adoptionis discernit a filiis diaboli. Recte ergo ait : « Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me, » et adjecit causam, propter quam jure debeat diligi. « Ego enim, inquit, a Deo, processi et veni ; » processi, inquam, ex Deo factus visibilis, qui eram invisibilis, processi a Deo et veni, impleta Scriptura, quæ dicit : « Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Neque enim a meipso veni, ut sæpe jam dixi, quod videlicet faciunt prophetæ mendaces, qui cuncta configunt « per tumorem animi sui (*Deut.* XVIII), » arrogantia depravati, sed ille me misit. Hoc vobis jam sæpe dixi : « Et laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ (*Psal.* LXVIII). » Dico ergo.

« Quare loquelam meam non cognoscitis ? quia non potestis audire sermonem meum. » Hæc loquela mea est, et hoc testimonium meum, « quia ego sum lux mundi, et quia solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater et quia ego non de deorsum, neque de hoc mundo, ut vos, sed de supernis sum, et quia principium ego sum, qui et loquor vobis, et qui a Deo processu et veni. Neque enim a meipso veni sed ille me misit. » Quare istam loquelam meam non cognoscitis ? Quare in statera rationis non appenditis, ut sciatis, utrum vera an falsa sit ? Nunquid legem non habetis docentem et signum vobis dantem, quo cognoscere debeatis verbum prophetæ quem Deus non misit ? Habetis plane, sed hoc interest quod non potestis audire sermonem meum, videlicet præ odii magnitudine, quo « vobis gravis sum ego ad videndum et sermo meus ad audiendum. » Non ergo mirum quod loquelam meam non cognoscitis, quia nolentes intelligere, nimis ad audiendum impatientes estis. Omnes, quorum Deus Pater est, sic possunt audire sermonem meum, quomodo potest esuriens delectabilem capere cibum. At vero si vobis est loquela mea sicut sarcina in via (*Eccli.* XXI), et auditum sermonis mei ferre non sustinens, grave cor vestrum, quasi præ labore succumbit. Quis igitur pater vester sit, ego hactenus tacui, et vobis moleste interpellantibus ac dicentibus : « Semen Abrahæ sumus, liberi sumus, pater noster Abraham est, silui ; » jam nunc vobis Deum Patrem vestrum esse mendaciter jactantibus sicut parturiens loquor.

« Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. » Quis digne queat admirari veritatem et mansuetudinem Filii Dei, rem tam magnam tanta cum suavitate peragentis, tantumque justitiæ fulmen absque contentionis tempestate jacientis ? Ecce veritatem loquens quam audivi, inquit, a Deo, in tota concertatione mendacii resistentis, nusquam affirmationi negationem vel negationem opponit affirmationi, quod solet esse initium contentionis, sed quasi per circuitum gyrans, et litigiosæ frontis occursum devitans, tandem celsum et erectum superbiæ verticem percutit. Dixerunt : « Nemini servivimus unquam, » non dixit econtra : Falsum est, servitis enim Romanis, vel servi estis peccati. Deinde « pater noster, inquiunt, Abraham est. » non respondit econtra : Pater vester Abraham non est. Item et hoc dicere ausi sunt : « Unum Patrem habemus Deum, » non opposuit ita : Nequaquam patrem habetis Deum. Nusquam contentiose occurrit, sed circuitu sanæ et justæ rationis eos, qui sibi videbantur sapientes, in astutia eorum comprehendens (*Job.* V), acerbius eos quam æstimare poterant, percussit, dicens : « Vos ex patre diabolo estis. »

Recte ergo Deus Pater cum per prophetam de hoc electo puero suo dixisset : « Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet, » statim adjecit : « Non clamabit, neque accipiet personam, nec auditur foris vox ejus (*Isa.* XLII), » etc. Forte dices : Quomodo non clamavit, nec audita est vox ejus in plateis, cujus vox est hæc tam magna tamque terribilis (*Luc.* IV) : « Vos ex patre diabolo estis ? » Ad hæc, inquam, vox plane magna hæc est terribilis, quæ usque hodie auditur in universis terris, in testimonium omnibus illis, qui similes Judæis, id est, inimici sunt veritatis. Verumtamen cum ubique audita sit, et ad hoc prolata fuerit, ut ubique debeat audiri, non tamen audita est in plateis, non sonuit in triviis, quia tam rationabiliter edita est, ut nullam exinde habuerint **242** occasionem indocti turbæ popelli, contendendi in plateis vel compitis, dicendo, quia hic homo negat Abraham patrem esse nostræ gentis, unumque patrem negat nos habere Deum, et hæc atque hujusmodi loquitur adversus Moysen et genus nostrum. Vox ergo ejus non est audita in plateis, eo modo quo voluissent hi qui tentabant eum adversarii sui ; et tamen sic audita est universo orbi, ut cunctis hominibus exemplo sint tali pro suis meritis sententia denotati : « Vos ex patre diabolo estis. » Quod ejus exemplo nos imitari, scilicet ut contentiosos in causa utili arte præveniamus, veteris quoque historiæ mysterio commonemur. Legimus enim, quia cum ascendissent Philisthæi adversus David et diffusi essent in valle Raphaim, consulenti David, Dominus respondit : « Non ascendes obviam eis, sed gyra post tergum eorum, et veniens ad eos ex adverso pyrorum (*II Reg.* V). » Philisthæi namque, quod interpretatur *potione cadentes*, tunc in valle Raphaim, id est *curationum*, diffunduntur, quando sanctam Ecclesiam, in qua est vera animarum cura, et cognitores suos veritas a vetusto peccati servitio liberat, contensiosi opprimunt, quibus meritis exigentibus, miscuit Dominus calicem soporis, et spiritum vertiginis (*Isa.* XIX), ut fiat via illorum tenebræ et lubricum, et apprehendat eos laqueus, et in ipso cadant, quem absconderunt (*Psal.* XXXIV), contra quos tunc David non ascendit, sed gyrat post tergum eorum : cum ecclesiasticus vir, quantum

potest, contentiones declinans, secundum Apostolum dicentem : « Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom.* XII), » dicta sua moderatur competenti circuitu rationis, ut et veritatem defendat, et tamen litigiorum flammas augescere non faciat. Hoc in Domino nostro præ cunctis hominibus mirandum est mansuetudinis indicium, quia nunquam ulli adversariorum ex opposito repente occurrit, sed semper adversarios a longe rationum circumdat agminibus, quas erumpere nullius astutia possit, sicut in præsenti disputatione diligentius consideranti, luce clarius fit. Et vide quanta mora circuitos quam terribiliter tandem percutit, dicens : « Vos ex patre diabolo estis, » præeunte causa pariter et subsequente, cum et præmittit, nunc autem « quæritis me interficere, » et denuo subjungit :

Desideria patris vestri vultis facere. » Ita nemo in illa gente erat, qui putare ad se pertinere quod dicebat : « Vos ex patre diabolo estis. Hac etenim causa posita, non sine auctoritate Scripturæ talibus filiis Abrahæ veritas hoc dixit. Si enim qui contra sanguinem Naboth Jezraelitæ falso testificati sunt, recte filii diaboli dicti sunt, sicut scriptum est prædicaverunt jejunium, et sedere fecerunt Naboth inter optimates populi, et adductis duobus viris filiis diaboli fecerunt eos sedere contra eum (*III Reg.* XXI). At illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram omni multitudine, quanto magis isti recte filii diaboli dicendi erant, qui et hominem longe, imo incomparabiliter meliorem quam Naboth, interficere quærebant, et adhuc « Deum patrem suum dicebant ; » nec ista ergo talis enuntiatio calumniæ patebat quam de causa similis sacræ Scripturæ auctoritas dudum promulgaverat. Nec dubium quin, sicut naturalis ratio ultro quoque præsentit, majoris iræ sit, dici vel esse filium diaboli quam servum peccati, unde supra dixit : « Qui facit peccatum, servus est peccati. » Nam omnis quidem filius diaboli servus est peccati ; non autem omnis servus peccati proprie dicitur filius diaboli. Etenim cum « omnis qui facit peccatum servus est peccati, » differt tamen plurimum, utrum optet liberari quis et pro hoc supplicet liberatori, an ipsum peccatum diligat et conditiones libertatis oderit, sicut econtra non parum differt, utrum timore pœnæ, an timore justitiæ bonum opus faciat quis. Itaque, sicut majoris est gratiæ dici vel esse filios quam servos Dei, sic econtra majoris est iræ, quod nunc Veritas ait inimicis suis : « Vos ex patre diabolo estis, » quam quod supra dixit : « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*I Joan.* III). » Proinde sicut hi quorum de cordibus perfecta charitas foras misit timorem, recte nominantur et sunt filii Dei ; sic econtra istis, quia diligenter faciunt iniquitatem, odientes et interficere quærentes Liberatorem, recte dicitur : « Vos ex patre diabolo estis, » quia videlicet illi, non tantum peccatum faciendo obsequimini ut servi, sed et peccatum vestrum defendendo, libenter adhæretis ut filii, et desideria ejus vultis facere, scilicet ad modum filiorum qui libenter exquirunt ut faciant quod patri suo sit delectabile. Et quænam sunt ejus desideria ?

Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. » Dici non potest quanta moderatione hic a secunda persona Dei Filius ad tertiam transit atque a præsentibus filiis diaboli quodammodo aversus, quasi absentem in patrem invehitur, videlicet verba clamori atque amaritudini viciniora devitans, sicut antiquam et maturam decet Dei sapientiam. Plane etenim amarius sonuisset, præmisso : « Vos ex patre diabolo estis, » si ita subjunxisset : Et vos ex ejus imitatione homicidæ estis, et veritas in vobis non est, quam cum hoc modo transiens ad tertiam personam dicit : « Ille homicida erat ad initio, et in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. » Decentius ergo personis commutatis sententias edicit, nec tamen magis istis filiis diaboli parcit, dum patrem attingit, quam tu cuilibet homini dum illum in dorso, sive circa lumbos cædere incipiens, repente in caput fustem convertis. Ille, inquit, pater vester homicida (subaudis ut nunc est) erat ab initio, id est, ex quo conditus est homo. Videtur enim non recte dici homicidam fuisse illum, antequam esset homo, qui posset occidi. Verumtamen si ita proprietatem sequamur dictionis, nec ex eo diabolus homicida proprie videbitur dici, quod hominem seduxit : Quid enim proprie est hominem occidere, nisi animam a corpore separare ? At ille non a corpore animam hominis, sed quod gravius est, a Deo separavit. Etenim causam quidem, propter quam utile esset, hominem mortalem esse, diabolus intulit, sed ipsam mortem corporis Deus peccatori homini misericorditer imposuit, videlicet ut per ipsam mortem esset recuperabilis, ne esset hominis æque ut diaboli misera immortalitas, vel miseria immortalis, æterna miseria vel misera æternitas. Igitur si ad proprietatem vocis spectes, diabolus humanæ animæ corruptor carnisque vitiator, homicida tamen proprie dici non potest, alioquin et omnem corruptorem hominem ; verbi gratia, cum qui hæresim docuit publice, homicidam declamaremus et tanquam de homicida publicum judicium postularetur. Proinde quoniam et de suiipsius interfectione nunc loquitur Filius Dei, præmittens : et « desideria patris vestri vultis facere, » proprietate vocis nunc interim postposita, nomine homicidæ antiquum diaboli odium intelligere nihil vetat, quo et ante hominem conditum se intorsit adversus eumdem Filium Dei, quem nunc hominem factum desiderabat et festinabat interfici, præsertim cum et ea quæ sequuntur : « Et **243** in veritate non stetit, » et cætera ante homi-

nem in diabolo evenerint. Et revera mox ut contra Filium Dei, qui solus similitudo Patris est, superbo tumescens odio, dixit in corde suo : « Similis ero Altissimo (*Isa.* xiv), » quoniam odium illud per manus Judæorum homicidio consummandum erat jam, tunc in conspectu Patris, et ipsius qui hæc loquitur Filii homicida erat. Igitur dum homicidis filiis homicida pater ostenditur, ut per ignorantiam patris stultitia filiorum arguatur, recte unum homicidium computatur, quod a patre mala voluntate inchoatum, maligno per filios odio consummatur, quia filiis semetipsum nunc objecerat passibilis factus, qui patrem illorum e cœlo dejecerat, unus idemque Dei et hominis Filius : « Ille, inquit, homicida erat. » Quid deinde ? « Et in veritate, inquit, non stetit, quia veritas in eo non est. » Hoc est quod prædixi dignis in patre suo sententiis feriuntur filii diaboli. Nam quia propositio dicentis superius : « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos, » non placuit eis, recte et opportune illud opprobrium patris impingitur eis : « Quia in veritate non stetit. » Et hoc quidem notum est, quia non stetit, quia pes ejus, pes superbiæ motus est, et cecidit, et de angelo diabolus factus est. Sed quid est stare in veritate? Primum ipsam veritatem non aliud intelligimus nisi ipsum Dei Filium qui hæc loquitur. Nam et supra cum primo sic proposuisset : « Et veritas liberabit vos, » sic tandem conclusit : « Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. » Ergo quod ait : « Et in veritate non stetit, « idem est ac si dixisset : Filium Dei, Verbum Dei, per quod factus est ipse (« etenim omnia per ipsum facta sunt ») non dilexit. Stare namque in veritate, idem est quod veritatem amare ; stare vel esse in Christo, idem est quod Christum diligere. Sciendum quippe est, quia præpositiuncula *in* semper conglutinationem dilectionis significat, ita ut nunquam Deus in aliquo nisi electo et dilecto, nunquam aliquis nisi electus et dilectus in Deo, sive in Christo, velut nunc in veritate stare aut esse, auctoritate sacræ Scripturæ dicatur. Igitur præmisso quia ille homicida erat, statim subjungitur, et in veritate non stetit, universa iniquitas ejus explanari per partes inchoatur, quæ primo nomine quod est homicida universaliter exprimitur, sicut et Paulus de filiis hujus loquens, cum dixisset : « Repletos omni iniquitate, » mox ejusdem iniquitatis multas species digessit, subjungendo : malitia, fornicatione, avaritia, nequitia (*Rom.* I), » etc. « Et in veritate, inquit, non stetit. » Quare? « quia veritas in eo non est. » Hic jam plerique longum funem texentes, quærunt et hoc, quare veritas in eo non est ? Nunquid enim, aiunt, veritas, nulla præcedente diaboli causa, creaturam suam reliquit et in illo esse noluit atque idcirco ille in veritate stare non potuit? Absit ! Repugnat valde textus et ordo litteræ præsentis. Primum enim dictum est : « Ille homicida erat ab

A initio, » ac deinde subjunctum est : « et in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. » Itaque si quæras quare in veritate non stetit ? respondemus, « quia veritas in eo non est. » Si quæras quare veritas in eo non est ? dicimus quia « ille homicida erat. » Hoc etenim diabolo est in veritate non stetisse, eo quod in eo veritas non sit quod est istis filiis ejus Judæis non manere in sermone dicentis : « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. » Non manere, inquam, in sermone ejus, propter id quod postmodum improperat illis dicens : « Quia sermo meus non capit in vobis. » Quæsivit autem ipse causam ab illis, cur sermo suus non capiat in eis, dicens : « Quare loquelam

B meam non cognoscitis ? » Et protinus respondit : « Quia non potestis audire sermonem meum, » id est, præ immensitate homicidalis odii, gravis et intolerabilis loquela mea vobis est ad audiendum. Igitur et pater ipsorum diabolus idcirco « in veritate non stetit, quia veritas in eo non est, » id est, in eo non capit ; et idcirco veritas in illo non est, quia « homicida est ab initio, » veritatem quæ est ipse Dei Filius, semper abhorrens ineffabili odio. Proinde patenter exigit intentio dicentis, ut singulis, quæ de patre illorum diabolo dicuntur, singula de ipsis filiis ejus hoc modo subaudita reddantur. Ille pater vester homicida erat ab initio, et vos nunc hæreditario me quæritis interficere odio. Ille in veritate non stetit, et vos eadem superbia permoti, non vultis manere in sermone meo, ut veri-

C tas vos liberet et vere liberi sitis. « In illo veritas non est, et in vobis sermo meus non capit, et vos loquelam meam non cognoscitis. » Sequitur.

« Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus. » Præcedens clausula sic terminata est, « quia veritas in eo non est. » Constat autem quia creatura rationalis in quacunque veritas non est, mendacium loquitur. Nihil enim est medium. Et idcirco necesse est, ut in quocunque veritas non est, contrarium ejus, id est, mendacium in illo sit. Non igitur opus erat, ut cum dixerit : « Quia veritas in eo non est, » subjunxerit, « in illo esse mendacium, » vel eumdem loqui mendacium, sed hoc solum dici et audiri res postulabat, unde audierit vel didicerit mendacium.

D Itaque recte postquam dixit : « Veritas in eo non est, » sic annexuit : « Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus. » Cum loquitur, inquit, mendacium, id est, cum loquitur aliquid quod sine dubio est mendacium. Omne enim quod loquitur iste mendax homicida, mendacium est, etiamsi sit aut eveniat quidpiam eorum, quæ esse vel futura esse dixerit. Nihil enim corde simplici, nihil omnino loquitur absque intentione fallendi. Primum ejus dictum, quod ex sanctis Scripturis habemus, nec est, nec erit, scilicet, quod ait : « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV). » Quis enim in

nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei ? » (*Psal.* LXXXVIII). Secundum nihilominus quod dixit : « Comedite, et eritis sicut dii (*Gen.* III), » nec est, nec erit : « Quis enim, inquit Psalmista, sicut Dominus noster, qui in altis habitat ? » (*Psal.* CXII). At vero quod eum dixisse legimus : « Si Filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim : Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum (*Matth.* IV ; *Psal.* XC) » est quidem scriptum, sed cum intentione fallendi duplici corde hoc dixit, videlicet ut cor Filii hominis, quem sanctum esse invidebat, in vanam gloriam efferret. Igitur mendacium est omne quod hic homicida loquitur. Sed unde mendacium accepit, vel didicit ? » Ex propriis, inquit, loquitur, quia mendax est, et pater ejus. » Sic brevi descriptione diabolum mendacem expressit, ut totius mali originem satis intellectum habentibus aperuerit, unde cœpta sit : « Mendacium, inquit, diabolus ex propriis loquitur, » id est, ex proprio corde confingit, et ita mendax, ut mendacii quobus pater sit. Ac si diceret : Idcirco dixi diabolum mendacem mendacium loqui ex propriis, quia pater ejus est subaudis : mendacii. Pater autem dico, id est, auctor et inventor. Superbia namque tumens, maluit refuga **244** fieri pater mendacii, quam apud Altissimum Patrem veritatis persistere inter filios Dei. Et hoc modo pater mendacii illud sibi videbatur adipisci, quod dicebat in corde suo : « Similis ero Altissimo (*Isa.* XIV), » si cum ille veritatem de seipso genuisset, ipse econtrario mendacii pater existeret. Quid ergo iniquis? Nunquid quia diabolus pater dicitur mendacii, mendacium converso dicendum est Filius diaboli, sicut qui Altissimus dicitur Deus, et est Pater veritatis, veritas econverso dicitur, et est Filius Dei ? non ; nec enim mendacium substantia est, ideoque non æque ut veritati Dei, quæ procul dubio substantia est, hoc nomen quod est filius illi substantialiter aptari potest. Aliter Altissimus pater veritatis et aliter diabolus dicitur pater mendacii, aliterque veritas Altissimo, atque aliter mendacium, id est diabolo. Veritas quippe substantia est, et consubstantialiter de secreta Altissimi substantia nata est : mendacium vero tanquam rubigo ar-A genti, sic angelicæ creaturæ accidens est. Diciturque et est Deus Pater veritatis, ut vere Genitor consubstantialis sibi Filii, per quem omnia fecit. Dicitur vero et est diabolus pater mendacii, ut accidentis auctor et inventor vitii, per quod nullam omnino substantiam, et ne muscam quidem, aut extremum vermiculum fecit, sed quædam eorum quæ a Deo facta sunt, nequiter infecit. O stultum et ignominiosum patrem, o digne illudendum divinæ patarnitatis assimilatorem ! Nonne tibi, o creatura petulca, satius erat, de viro legitimo, id est Creatore tuo veritatem, quæ semen est ejus, debito cum amore concipere, quam sexus tui personas, id est, coessentiales spiritus per phantasticos concubitus mendacii fluxu polluere ? Cuncta enim rationa-B lium spirituum universitas, cujus tu adulter spurcissime partem magnam polluisti, una mente unum virum Creatorem suum ambirem, suamque inopis naturæ substantiam, tantæ substantiæ semine, quod est veritas locupletare debuit. Unde enim sunt omnes filii Dei, nisi quia participaverunt Verbo, per quod et facti sunt, quod est unicus Filius Dei ? At tu, superbe et impure tanti Patris amorem despexisti, et eidem, bonum de corde suo verbum in subjectam quoque creaturam eructuanti (*Psal.* XLIV), proprium quid eructuando de corde tuo, similis esse affectasti. Sed tam adversa et perversa mente quid eructuare posses, nisi quod illi verbo contrarium esset ? Est autem illud verbum veritas. Quid igitur tu nisi mendacium ebulllres ? Itaque quem-C admodum femina naturalem usum in eum usum (*Rom.* I), qui est contra naturam, commutans, nullam hoc modo gignit substantiam, sed tantummodo sui et alienorum corporum pollutionem, sic tu, dum relicto Deo, proprium quod de teipso generare vis, mendacium quod nulla substantia est, adinvenisti, et per illud tu quidem nil creasti, sed libidini tuæ consentientes spiritus, tuos esse filios, id est, ut tu mendax es, mendaces effecisti. Solus enim Deus, qui cunctis quæ generant, vim tribuit generandi, substantiam de seipso generare absque consorte potuit, per quam et in principio cuncta fecit, et nunc usque quosdam ex hominibus deos, ac Dei filios efficit, beatis consimiles angelis.

LIBER NONUS.

Sapientissimus Salomon dicit : « Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur ab ea (*Prov.* XXV). » Scrutator autem majestatis ille est, qui judiciorum Dei abyssum multam penetrare contendens (*Psal.* XXXV). Verbi gratia, dum legit vel audit hoc, quod præsenti loco de diabolo dictum est : « Ille homi-D cida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas in eo non est, » et cætera inextricabilibus semetipsum quæstiunculis nimium temere et interdum pueriliter obvolvit, dicens : Si cuncta fecit Deus bona valde, unde malum ? (*Gen.* I). Aut quomodo bonæ substantiæ inesse vel innasci potuit ? Item : Cur, inquit, Deus angelum illum fecit, quem adin-

venturorem mali fore præscivit? vel certe, cur non talem omnem rationalem creaturam condidit, quam omnino impossibile esset corrumpi, vel in vitium labi? cur non omnes æque ut semetipsum per naturam inconvertibiles esse fecit? His atque hujusmodi quæstiunculis nimii scrutatores semetipsos implicantes, quam plurimi a gloria majestatis oppressi sunt, et tanquam multo melle satiati, semetipsos commoverunt, ut, verbi gratia, Manichæi qui ab initio fuisse dixerunt gentem tenebrarum quam non fecerit, sed cum qua pugnaverit Deus, et cum detrimento sui superaverit, et inde partem ejus, scilicet Dei, id est, electorum animas in isto præsentis vitæ exsilio captivam detineri et de ejusmodi gente tenebrarum istos genitos esse, quibus nunc Veritas ait: « Vos ex patre diabolo estis, » et quicunque illis sunt similes. Igitur altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, incomprehensibilia judicia ejus, investigabiles vias ejus (*Rom.* XI), cum apostolis venerantes, hoc solum juxta prædictum sapientem dicimus, quia omnia propter semetipsum fecit Deus, « impium quoque ad diem malum (*Prov.* XVI), » id est, illum quoque quem præscivit malum proprio vitio futurum (*Isa.* I), fecit propter semetipsum, sciens et hoc utique quod malitia ejus uti posset ipse in bonum. Nunc demum descripto jam patre seminis nequam, filiorumque sceleratorum, quid de semetipso Filius dicat, audiamus. Sequitur:

« Ego autem, quia veritatem dico vobis, non **245** creditis mihi. » Illius, inquit, qui homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia « veritas in eo non est, » vos desideria facere vultis; mihi autem non saltem creditis, non aliam ob causam, nisi quod « veritatem dico vobis. » Quid isto perversius? quid tali oculo nequius? quid magis obliquum aut transversum quam non credere cuiquam, eo quod veritatem dicat, cum econtrario magis illi credendum fuerit, eo quod veritatem dicat? Sed ne mireris: isti etenim de patre diabolo sunt. Generationis autem diabolicæ proprium hoc est, ut sit mendax et commutet veritatem Dei in mendacium (*Rom.* I); dicendo, scilicet, bonum malum, et malum bonum, ponendo dulce in amarum et amarum in dulce, vocando lucem tenebras, et tenebras lucem (*Isa.* V). Isti igitur, quoniam veritas est, et falli non potest ipse qui dixerat eis: « Vos ex patre diabolo estis, » necesse erat ut maxime propter hanc causam non crederent illi, quia veritatem dicebat eis, et idcirco lucem tenebras vocarent, quia lumen suum fundebat invitis. Sed hoc impudenti contentione astruentes, cito causa cadunt. Nullius enim habent rationis patrocinium. Unde et subditur: « Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? » Magna plane mansuetudo Filii Dei, qua percontari dignatur quis eum de peccato arguere velit aut possit, cum ipse ad relaxanda peccata venerit, magna nihilominus justitia, cujus conscientia talem apud malevolos auditores propositionem facit magna itidem et tuta Veritas dicentis: « Si veritatem dico quare vos non creditis mihi. » Recte ergo prophetico testimonio Psalmista, cum dixisset: « Intende, prospere procede et regna, » statim subjunxit: « Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua (*Psal.* XLIV). » Quo autem illum sua in præsentiarum dextera deducit? Usque ad victoriam judicii, ad confutandas rebelles conscientias inimicorum regis. Eo namque tendit ut agnoscant quod in die judicii nullam inde sint excusationem habituri, quia non crediderunt illi, præsertim cum nec eodem sic proponente possint objicere: Fecisti aut facis hoc vel illud. Proinde nec poterant in eum jactare illud quod jam vulgo dicitur, cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio ejus contemnatur. Sic et constanter humiles, et humiliter constantes suos quoque discipulos esse cupit in auctoritate prædicationis, cum dicit: « Et quicunque non receperit vos, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium eorum (*Matth.* X). » Quid enim est prædicatori, pulverem quoque qui de civitatibus reproborum pedibus ejus adhæsit, excutere in testimonium eorum, nisi levia quoque peccata, sine quibus humana non potest omnino vita transigi, publice plangere, et quotidianis hæc emundando remediis, de cætero vestimenta sua, id est, membra totius corporis, ab omni luto vitæ carnalis impolluta custodire? Qui ergo discipulis hoc præcipiebat, ut vestimenta sua sic excuterent, ut juxta quod Salomon ait: « Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite tuo non deficiat (*Eccle.* IX), » sancte vivendo pacem evangelizarent, digne prior ipse vestimentum suum mundum, et nulla excussione indigens ostendebat istis, dicens: « Quis ex vobis arguet me de peccato? » Dicit autem de contemptoribus eorumdem excussorum: « Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam civitati illi (*Matth.* X; *Luc.* X). » Quanto magis isti inexcusabiles erunt, qui hunc de nullo quamvis exiguo peccato arguere valentes non recipiunt? Igitur cum dixisset: « Quis ex vobis arguet me de peccato, » continuo subjunxit: « Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi, » ut ita conventi conscientias suas interrogent quam excusationem habere possint in die judicii, et protinus addit:

« Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non estis. » Tanquam diceret: Quid adversum me resultatis, dicentes: « Unum Patrem habemus Deum; » omnis qui ex Deo est, dignoscitur hoc signo evidenti, quia habet aures audiendi, et audit verba Dei. Vos autem non auditis, sed estis sine auribus ad omne quod Deus loquitur et hoc palam omnibus est, ex eo maxime quod me quæritis interficere, sicut paulo supra dixi: « Quia sermo meus non capit in vobis, » igitur « ex Deo non estis, et propterea non auditis. » Quid deinde restat, nisi sic esse, ut dixi: « Quia vos ex patre

diabolo estis. » Itaque brevi conclusione terminata est tota confutatio istorum, quia patrem suum Abraham esse jactitantes, unum quoque Patrem Deum se habere mentiti sunt, ex quo vanam defensionem suam adorti dixerunt : « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. » Verumtamen diligentius considerandum est quid sit quod dictum est : « Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. » Quid est enim esse ex Deo, et idcirco verba Dei audire? vel econtra ex Deo non esse, et propterea non audire? Nulla plane esset quæstio, si ita dictum fuisset : Qui verba Dei audit, ex Deo est, propterea vos ex Deo non estis, quia non auditis. Constat enim et vulgo quoque notum est quia ex quo verbum fidei suscipit, et in Christo renascitur homo, ex Deo est et ad Deum pertinet, Joanne hoc idem testante, quia omnis spiritus, qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est; et ex eo quemlibet ex Deo non esse cognoscimus, quod verba Dei non audit, ut in regenerationem Dei transferatur (*I Joan.* IV). Sed propterea, inquit, « vos non auditis, quia ex Deo non estis. » Igitur quid sit ex Deo esse, vel non esse, et propterea verba Dei audire vel non audire, cum auctoritate sacræ Scripturæ quærentes, primo ad memoriam revocemus causam cur hæc dicta sint, ne ullam vobis nebulam jam aspergat hæresis Manichæorum, qui de his Domini verbis dicere soliti sunt: Ecce quia duæ naturæ sunt, una bona, et altera mala, Dominus dicit : « Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. » Dicta sunt utique hæc propter elatam nimis Judæorum superbiam, qua, ut dictum est, se solos ex Deo esse præsumebant, videlicet, secundum Isaac, quem ex Deo Sara sterilis et longæva (*Gen.* XVII) ; ex Deo, inquam, id est per Dei repromissionem et non per carnis accepit consuetudinem, quomodo Agar Ismaelem, quia profecto, sicut jam superius dictum est, naturale est (*Gen* XVIII), ut de viro quamvis veterano juvencula concipiat, qualis erat Agar ; ut autem anus, præsertim sterilis, qualis erat Sara, qualis erat Elisabeth (*Luc.* I), concipiat Dei donum est. Hoc scientes, se solos, ut dictum est, ex Deo esse, se solos præsumebant esse filios Abrahæ. Adversus hujusmodi æstimationem, veritas præsens : « Qui est ex Deo, inquit, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. » Quod est dicere : Qui non in illa multiplici superfluitate naturæ est, de qua Deus post peccatum primi hominis dixit ad Evam, matrem cunctorum viventium : « Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos (*Gen.* III), » sed ex illa benedictione, qua in Paradiso ante peccatum benedixit eis, dicens: « Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus **246** quæ moventur super terram (*Gen.* I), » de qua potissimum benedictione ille Pater noster Isaac exstitit, de cujus nobili ortu vos secundum carnem plurimum gloriamini, « hic verba Dei audit. » Constat quippe quod omnes sancti et electi, qui nunc per Christi gratiam vocantur, justificantur, meritisque diversis magnificantur (*Rom.* VIII) ; omnes, inquam, et si non eadem prærogativa meritorum, eadem tamen providentia Dei, qua et Isaac, præsciti et prædestinati generantur, et omnes ex illa benedictione sunt, qua primos homines ante peccatum, ut prædictum est, benedixit Deus. Illud quoque certum est, quia nisi peccatum admissum fuisset, illi tantummodo nascerentur qui nunc per Christi gratiam liberantur. Illi autem omnes, qui nunc in perditione relinquuntur, ex illa maledictione sunt, qua dictum est ad mulierem : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos, » quia nisi peccatum, ut jam dictum est, præcessisset, nullatenus ista silva, « quæ ad nihil aliud est, nisi ut excidatur, et in ignem mittatur (*Matth.* III), » de radice carnis nostræ succrevisset. Igitur qui est ex Deo, inquit, id est ex benedictione illa qua Deus, omnes ad vitam pertinentes nasci jussit, « hic verba Dei audit, » id est, præeunte gratiæ Dei aspiratione obaudit, ad eamdem vitam quam intercipiente prævaricatione perdiderat revocanti. Et propterea vos non auditis quia non, uti vos putatis, æque ut Isaac pater vester secundum carnem, ex illa benedictione, sed ex maledictione quæ peccatum consecuta est, multipliciter et superflue pullulastis, testante propheta : « Quia de aquis Juda existis (*Isa.* XLVIII), » id est, non ex fide patrum, sed ex sola carne traducti estis. Sequitur :

« Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ; » Causa superiori terminata congrue satis evangelista sequenter orditur, dicendo : « Responderunt igitur. » Nam hactenus ab eo loco quo dictum est : « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. » In hoc Judæi steterunt, ut seipsos ex antiqua carnis nobilitate ad Deum pertinere, tantumque Judæorum, non etiam gentium Deum esse confirmarent. Sed confutati sunt, et ita obstructum est os eorum ut ramos oleastri, qui contra naturam inserti sunt in bonam olivam, jam curandum non sit, quod naturales rami non fuerint (*Rom.* XI), id est, nobis qui conversi ex gentibus in fide patriarcharum stamus, curæ esse non debeat, quod secundum carnem filii Abrahæ non sumus. Igitur quia causa ceciderunt et ratione superati sunt, furiose ad convicia proruunt, quomodo si per athletam fortissimum victus et solo dejectus adversarius, quia ferire non potest armis, petat spumosis dentibus : « Nonne, inquiunt, bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ? » Ecce duo quasi peccatoris argumenta. Dixerat enim : « Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi ? » Ergo ne intactus abiret, impungunt duo hæc, quod et Samaritanus esset et dæmonium haberet. Sed aperte « mentita est iniquitas sibi (*Psal.* XXVI), » quia profecto hæc verba non sunt dæmonium habentis, sicut turbæ quodam loco testantur, dicentibus Pharisæis : « Dæmonium

habet, et insanit. Quid eum auditis? » (*Joan.* x). Igitur juxta quod quidam Sapiens dicit : « A facie verbi parturit fatuus, sicut gemitus partus infantis (*Eccli.* xix), » cito per furiosum stultitiæ suæ partum, verum esse testati sunt, quod dixerat veritas, qui ex patre diabolo essent, qui ex propriis loquitur mendaciis. Non enim cum parvo amaritudinis suæ tormento blasphemiam hanc enixi sunt, quam de patre suo, patre mendacii conceperunt filii mendaces, animæ adulteræ et fatuæ a facie verbi, ab increpatione veritatis mendacium parturientes. Porro, ubi vel quando dixerunt, quod dæmonium haberet, et in hoc evangelista superius, et in cæteris similiter invenimus. Nam et supra dixerunt : « Dæmonium tu habes, quis te quærit interficere ? » (*Joan.* VII). Et ipsum quoque Beelzebuth vocaverunt, dicente ipso apud Matthæum : « Si patrem familias Beelzebuth vocaverunt, quanto magis domesticos ejus ? (*Matth.* x). » Verum ubi vel quando Samaritanum illum vocaverunt, vel unde hujusce improperii occasionem nacti sint, apud neminem evangelistarum invenimus, nisi forte pro eo quod apud Samaritanos, quibus utique Judæi non coutebantur, biduo mansit et docuit, ut idem hic evangelista refert longe superius.

« Respondit eis Jesus : Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. » Hoc loco cum dicit : « Ego dæmonium non habeo, nusquam a magna mansuetudine sua recedit, qua, ut superius dictum est, neminem refellere consuevit (*Joan.* IV). » Aliud namque est, cum interrogatus quis negat, atque aliud, cum id quod alius affirmaverit, ipse ex opposito consistens, alius denegat. Hoc plane interrogando dixerant : « Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ? » Cæterum et supra dixerunt cum affirmatione : « Dæmonium habes, quis te quærit interficere (*Joan.* VII), » et paulo post dicturi sunt nihilominus affirmantes : « Nunc cognovimus quia dæmonium habes. » Igitur et in hoc mirabilem servat mansuetudinis atque veritatis suæ tenorem, quod unum idemque opprobrium et hic interrogatus negat, et alibi tacita patientia dissimulat. Porro, quantamcunque ob causam dicant illum Samaritanum, quem utique non ignorabant genere esse Judæum et a loco Galilæum, de quo et supra dixerunt : « Scrutare et vide, quia propheta a Galilæa non surget, illud mirum est de parvulis istis, quos invidia occidit (*ibid.*), » quomodo contra semetipsos sententiam dixerunt, ita ut juxta Psalmistam recte de hoc etiam dici possit : « Quia sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum (*Psal.* LXIII). » Si enim pro cau a qualibet extrinsecus accidenti quam tamen nulla significatione exprimunt de homine naturaliter Judæo tam cito facere volebant Samaritanum, quomodo ipsi quærentes interficere hominem, qui veritatem loquebatur eis, quod Abraham non fecit, dicebant : « Semen Abrahæ sumus, pater noster Abraham est, et unum patrem habemus Deum, » et irascebantur sibi non esse concessum ? Sed jam ipsum attendamus veritatis et sapientiæ responsum : Ego, inquit, dæmonium non habeo ; » notandum quod non ait : Ego Samaritanus non sum ; profecto dum de hac parte invecti opprobrii silet, ipse silentio suo satis indicat quia genere vel communione quem Judæi cum Samaritanis non habebant, esse Samaritanum vel Judæum aut certe Græcum, non tanti est, ut quisquam animum advertere, aut ullam operam dare debeat ad eluendum vel removendum a se hujusce, dominationis [denominationis] opprobrium. Alias autem et vere juxta mysticum sensum, quem tamen Judæi non attendebant, Samaritanus est Dominus noster Jesus Christus, sicut ab ipsius nominis interpretatione palam omnibus intelligi datur. Samaritanus etenim interpretatur *custos*. Quis autem, nisi ipse, verus et pervigil, non dormitans neque dormiens humani generis est custos ? (*Psal.* CXX). Quapropter in illa insigni parabola quam sic inchoat: « Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, **247** et incidit in latrones (*Luc.* x), » pulchrum seipsum Samaritani illius nomine et opere commendat, qui faciens iter, venit secus eumdem hominem, et alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum (*ibid.*) Prospiciens etenim iste custos noster de excelso sancto suo, de cœlo in terram aspiciens (*Psal.* CI), vidit genus humanum a latronibus despoliatum et plagis impositis semivivum relictum, id est, a diabolo deceptere dignitate suæ conditionis exutum, et creatoris sui non quidem imagine, sed sola similitudine nudatum, quod erat semivivum esse relictum. Rationem secundum quam ad imaginem Dei factus est, homo non perdiderat, sed imitationem bonitatis ejus, secundum quam ad Dei similitudinem factus erat, amiserat. Vidit, inquam genus humanum sic semivivum, et appropiavit, proximus enim noster factus est, et absque peccato nostri per omnia similis et omnem curam quam eadem parabola prosequitur, adhibuit. Igitur de hoc nomine, quod est Samaritanus, recte custos hominum Dominus noster tacuit, et tacendo satis laudavit. Hoc autem quod nullius boni notam retinet, interrogatus, non bene dictum esse, respondit, dicens : « Ego dæmonium non habeo. » Sed quid ? « Honorifico, inquit, Patrem meum. » Hæc ergo, et econtrario modo opposita esse constat : Dæmonium habere et Patrem Deum honorificare. Ipso auctore, qui adversariæ propositioni qua dictum est : « Et dæmonium habes, » respondens sic opponit : Non, sed « honorifico Patrem meum. » Amplius honorificare Deum, et inhonorare Dei Filium, opposita sunt ; quia non solum sensu sed et voce contraria sunt. Proinde dæmonium habere et Deum inhonorare, voce quidem diversa, sensu autem paria sunt. Igitur dum sic respondet mansuetus, et verax : « Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me, » opprobrium inimicorum retorquet in caput ipsorum, vocis quidem devitans horrisonam turpi-

tudinem, ne diceret : Vos potius dæmonium habetis, rei autem retinens veritatem, quia nisi revera dæmonium haberent, Dei Filium non inhonorarent. Quo dicto, statim perversitas illorum cogitationibus occurrit (*Psal.* XLIX), dicens :

« Ego autem gloriam meam non quæro ; est qui quærat et judicet. » Existimabant enim iniqui, quod ille esset sui similis, id est, quod vanam quærens gloriam, de seipso testimonium perhiberet, et ea mente diceret : « Quis ex vobis arguet me de peccato ? » et his similia, qua et illi, quibus recte dicebat : « Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra (*Luc.* XVI), » et hujusmodi quam plurima. Talem quippe illum haberi cupientes, superius dixerunt : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » At ille in tantum nulli unquam adulatus est, ut in civitate illorum magna et ampla, vel unius noctis hospitium habuerit, sed semper foris, et in Bethania maxime hospitatus sit (*Matth.* XXI). Non enim quemadmodum homines, mundi hujus amatores gloriam suam quærentes et in domibus regum esse festinantes (*Luc.* XVII ; *Matth.* XI), omnibus adulantur, et idcirco recte mollibus vestiti dicuntur ; non, inquam, ita et ipse favore illorum optabat, ut sibi ab eis quantocius regiæ salutationes acclamarentur, et diceretur : Vivat rex Christus, et sic ab hominibus vel per homines super solium Davidicum sublimaretur. Quod si quidpiam tale exspectaret ab eis, non utique sic argueret eos in veritate, ut et paulo ante non tacuerit, dicens : « Vos ex patre diabolo estis. » Verissime ergo ait : « Ego gloriam meam non quæro. » Et protinus adjungit : « Est qui quærat, et judicet. » Tuti ergo valde animi verba sunt hæc. Quomodo enim gloriam Christi sui, gloriam regni, gloriam sacerdotii ejus non quæreret et judicaret ? quomodo hanc ejus confidentiam non agnoscebant ? « Juravit enim Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI), » Hoc de gloria regni ejus dixit spiritus propheticus. Item de gloria sacerdotii ejus : « Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). Erant ergo inimici veritatis, et cum patre suo, patre mendacii diabolo consilium insipiens ineunt, quomodo quasi rationabiliter consilium Dei spernant in semetipsis dicentes : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX), » et hoc modo impleant Scripturam dicentem : « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* II). » Nam revera qui juravit, ut supra dictum est, rite providebit sibi ne juramentum suum irritum sit.

Quæret enim et judicabit gloriam Christi sui, ut sitis vos inimici Judæi, « quasi tempestas transiens ; » ipse « autem quasi fundamentum sempiternum (*Prov.* X), » videntibus cunctis et audientibus universis, sententiamque laudentibus, quia reos maje-

A statis gloria sui filii invidos. Dominus cœlorum duplici contritione conferendos judicabit vos, ipso rege loquente ad vos in furore suo, et in interitu vestro ridente ac dicente : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus : Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » Sequitur :

« Amen, amen dico vobis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. » In eo quo cœpit veritas sermone perseverat, singulare undecunque constantiæ totius exemplar, primamque propositionem lassatis adversariis, eodem sensu, paucis tamen verbis demutatis, iterat. Supra

B namque sic proposuerat : « Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos ; » nunc vero inquit : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. » Profecto manere in sermone, id est, sermonem servare, et mortem non videre in æternum, ipsa libertas est, de qua illic sic dictum est : « Et veritas liberavit vos. » Hoc ergo in seipso prædocuit, ut cum malorum perversitas crescit, non solum frangi prædicatio non debet, sed etiam augeri. Illud tamen prætereundum non est, quia cum prius ad secundam personam sermonem dirigens dixerit : « Si vos manseritis in sermone meo, et cætera tertia nunc uti persona maluit, dicens universaliter : « Si quis sermonem meum servave-

C rit. » Nec enim decebat ut eis quibus jam dixerat : « Vos ex patre diabolo estis, » data jam sententia de perditione illorum conditionem iterum ingereret eisdem vitæ et salutis.

« Dixerunt ergo Judæi : Nunc cognovimus quia dæmonium habes : Abraham mortuus est, et prophetæ, et tu dicis : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum ? Nunquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est ? et prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis ? » Vere stulti, quales maxime isti sunt, illud peccatum cujus et servi sunt, ita ut cum studio contentionis adversus Dei sapientiam dimicant, quæ sint elementa exordii sermonis Dei, necdum se scire indicant. Ubinam cor suum dereliquerunt, et aures suas deposuerunt, tam multa clamante Scriptura, de

D morte peccatorum pessima. Verbi gratia, dum dicit : « Quia non infernus **248** confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non exspectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam (*Isa.* XXXVIII), » vel, « quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi ? (*Psal.* VI), » et his similia. Nempe de hac morte vera, de hac morte mala dicebat Veritas : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. » At illi qui jam æternæ morti inhæserant, et eamdem mortem cui inhæserant (*Hebr.* V ; *Psal.* XXXIII), non videbant, dum solam mortem carnis aspicerent, in veritatis sermone caligabant. Dixerunt ergo : « Nunc co-

gnovimus quia dæmonium habes. » Et unde, o parvuli possessores stultitiæ, tantæ rei nacti estis notitiam? A majoribus, aiunt, capimus argumentum. Abraham enim et prophetæ mortui sunt, qui et majores quam tu fuerunt, et sermonem Dei meliorem, magisque tuo sermone authenticum servaverunt. Quem ergo teipsum facis? Quousque tendis supra temetipsum, vel cujus ad mensuram magnificas teipsum, cujus mensuram nos omnes novimus, videlicet, quod sis homo Galilæus, fabri filius? Talis utique percontatio dicentium : « Quem teipsum facis? » nimis injuriosa est. Quis enim aliud seipsum facit, quam est, nisi is, in quo veritas non est, mendax et mendacii pater, et omnis hypocrita et nequam, qui utique ex parte usus est? Ita ergo dente putrido sapientiam commordentes, et pede falso veritati resistentes quali sint retusi responso audiamus et nos.

« Respondit Jesus : « Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater qui glorificat me. » Ne hæc dicta ullam Filii Dei impotentiam sonare videantur, tanqaum minus Patre Deo Filius Dei gloriosus sit, hoc primo sciendum est : Quod nemo nisi alienæ raptor gloriæ, seipsum glorificare æstimandus sit. « Qui enim se jactat et dilatat, confidens in corde suo (*Prov.* XXVIII), » exemplo illius, qui primus Creatoris sui communione contempta, sibimet in corde suo loquens : « Sedebo inquit, in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV); » ille, inquam, qui jactando et dilatando se hunc imitatur (*Prov.* XXVIII), glorificare seipsum dicendus est, eique recte dicitur : « Quem teipsum facis? » quia stultus est et jurgia concitat, dum supra semetipsum se extendit, socialem comparium charitatem deserens, inferiorumque charitatem fastidiens Ergo Dei Filius non seipsum glorificat; nam econtra « cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est æqualem esse se Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). » Igitur non, ut Arius impie calumniatus est, impotentiam suam Dei Filius testatur, cum dicit : « Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est; est Pater meus qui glorificat me, » sed concordem cum Patre exprimit charitatem, qua se non solum nunquam a Patre divisit, sicut caliumniantur isti dicentes : « Quem teipsum facis? » Sed potius paternæ obediens charitati, quod infra se erat, scilicet, humanam naturam assumpsit. Dicat itaque : « Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, » id est, quisquis supra semetipsum tendit, sicut vos de me calumniamini dicentes : « Quem teipsum facis? » gloria ejus nihil est. Debemus enim concordem Patris et Filii charitatem nos imitari, qua et Pater Filium, er Filius Patrem glorificat, ipso Filio dicente : « Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius clarificet te (*Joan.* XVII), »

A ut mutua charitate fiat in nobis quod scriptum est (*Rom.* XII). Honore invicem prævenientes, et tunc gloria nostra nonnihil est. Ea quæ protinus addidit, cordi prudenti et auri doctrinam quærenti humilem satis de objecta calumnia purgationem sonant Dei, videlicet quod non vanam quærendo gloriam, sed certam ob causam, de seipso dicat hæc, et cætera hujusmodi : Cum enim dixisset : « Est Pater qui glorificat me, » statim adjecit :

« Quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum ; ego autem novi eum. Et si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. » Quid igitur? Utique quia dixit : « Et si dixero, quia non novi eum, ero similis vobis mendax, » econtra B subaudiendum est : Quia si vos cognoveritis eum quem dicitis, « quia Deus noster est, » eritis similes mei veraces. Quid nunc potius eligendum est? Quid, nisi insipiens consilium dare audeat veritati et sapientiæ Dei, ut vanæ gloriæ suspiciones vitando, neget se scire Deum, vel ipsum esse Patrem suum, et sic fiat veritas mendacibus similis mendax? Nonne multo melius et incomparabiliter dignius est ferre ad tempus suspiciones et criminationes falsas, et interea quod vidit et audivit, hoc testari, donec aliquos eorum, qui dicunt se habere Patrem Deum, et non cognoverunt eum, atque ideo mendaces sunt, faciat sibi similes veraces, scilicet Deum confitentes pariter et cognoscentes? Imo, si isti scire nolunt, nonne et sic exspectare satius est donec omnis C mundus sciat gloriam ejus, quoniam est qui quærat et judicet? Frustra namque veritas in hunc modum [mundum] venisset, si seipsum negando mendacibus satisfecisset. Bene ergo quod malici eligeus : « Sed scio, inquit, eum et sermonem ejus servo. » Hic enim sermo ejus est, et hoc mandatum ille mihi dedit ut non solum usque ad opprobria, sed et usque ad mortem testimonium veritati prædicando, quod ipse me miserit ad hoc quod « quisquis sermonem meum servaverit mortem non videat in æternum. » Sequitur :

« Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est. » Refutato vanæ gloriæ convicio, quo denotaverant eum adversarii dicentes : « Quem teipsum facis? » Nunc demum ad illud respondet quod cum indignatione non parva D interrogaverant, dicentes : « Nunquid tu major es patre nostro Abraham qui mortuus est? » — « Abraham, inquit, pater vester exsultavit ut videret diem meum. » Magna et mira sententia, qua et magnum patris Abrahæ meritum, et longe majus suæ magnitudinis prædicat testimonium. Quid enim est, quod ait : « Exsultavit ut videret diem meum, » nisi illud quod et nos in eodem patre fidei nostræ recte miramur, quia primus ad præceptum Dei longam et laboriosam sustinuit peregrinationem, sic non quasi tristitiam aut necessitatem, sed ut vere magnæ lætitiæ exspectationem. Promiserat enim illi Deus nullum habenti hæredem, imo (et quod majus est)

sterilem habenti uxorem, quod « in semine ejus benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XVII). » Nec statim accepit filium, per quem illud semen benedictionis (*Gen.* XII), quod est Christus (*Hebr.* XIII), sperare posset, sed prius exiit, nesciens quo iret et in terra aliena in casulis habitando, demoratus est, non habens hic manentem civitatem, sed futuram inquirens : Hoc ergo magnum quidem est patris meritum, quod hanc ejus obedientiam Dei Filius appellat exsultationem, sed longe majus est sui ipsius testimonium quod diem suum fuisse testatur, ejusdem exsultationis præmium, dicendo : « Exsultavit ut videret diem meum. Et vidit, inquit, et gavisus est. » Tunc quippe diem Domini Abraham vidit, cum in figura summæ Trinitatis angelos hospitio suscepit (*Gen.* XVIII). Quibus profecto susceptis, sic tribus quasi uni **249** locutus est, quia et si in personis numerus Trinitatis, in natura unitas Divinitatis est. « Vidit ergo et gavisus est. » Quis autem pensare potest illud beati senis gaudium, quando accepit diutinæ exsultationis suæ præmium, scilicet Filium, veracis Dei testimonium, posteritatis initium, generis fundamentum, salutis argumentum, nascituri Christi seminarium? Quis, inquam, nisi quem eadem fides animavit persentiscere potest gaudium amici Dei, quo dilatabatur anima ejus, cum staret familiariter cum illo sub arbore, a cujus facie timide abscondit se reus Adam sub arbore, et cibis suis illum pasceret, quem ille per cibi rapinam offenderat, suamque radicem vetus oliva revirescere conspiceret ad proferendum fructum, qui tandem vetiti ligni morsus expiaret : Recte igitur hic Filius Abrahæ major, quam Abraham. « Abraham, inquit, pater vester, exsultavit, ut videret diem meum, et gavisus est. » At illi carnales filii Abrahæ, suos a carne oculos non sublevantes, et in eo solam carnis ætatem pensantes, verba hæc intelligere nolebant. « Verba enim oris ejus, » inquit Psalmista, verba, inquam, injusti hujus Judaici populi, « iniquitas et dolus, et noluit intelligere, ut bene ageret (*Psal.* XXVV). »

« Dixerunt ergo Judæi : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? » Non ignorabat Veritas quidquid respondisset, vertendum esse in calumniam. Sic enim insistebant adversarii, quomodo luctatores improbi, qui virum fortissimum, quia virtute dejicere non possunt, fraude ut in foveam ruere faciant, circumveniunt. Sic enim isti insidiosi urgebant, ut verbum elicerent quod pro blasphemia condemnare possent. Attamen respondendum illis erat, ut totus mundus, illis non audientibus, audiret : non neglecta Scriptura, quæ dicit : « Ne effundas sermonem, ubi non est auditus (*Eccli.* XXXII); » cum non tam propter illos qui persequebantur quam propter nos, qui credituri eramus, idem sermo funderetur. « Dixit ergo Jesus : Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. » Inusitata quidem, sed propria secundum rem dictio est, « ante Abraham ego sum. » Ante enim

A præteriti temporis est, sum præsentis. Et quia præteritum et futurum tempus Divinitas non habet, sed præsens semper habet, non ait : Ante Abraham ego fui, sed « ante Abraham ego sum. » Unde ad Moysen dicitur : « Ego sum qui sum; » et : « Dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos (*Exod.* III). » Ante ergo vel post Abraham habuit, qui et accedere potuit per exhibitionem præsentiæ, et recedere per cursum vitæ : Veritas vero semper esse habuit, quia ei quidquam, nec priori tempore incipit, nec subsequenti terminabitur. Sed sustinere ista æternitatis verba mentes infidelium non valuerunt, imo noluerunt. Sicut de hoc maxime injusto et insipiente populo scriptum est, et jam supradictum est, quia « noluit intelligere, ut bene ageret (*Psal.* XXXV). »

B « Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. » Finis atque principium certaminis hujus idem est. Principium quippe est locus ille, ubi sic scriptum est : « Dixit ergo eis iterum Jesus : Ego vado et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. » Sic namque ante hæc Evangelista superiora terminaverat. Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus. Est ergo principium aliud quod sequitur : « Dixit ergo eis iterum Jesus, » etc. At vero illic ait Dominus Jesus : « Si ergo non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Dixerunt ergo Judæi : Tu quis es? Respondit Jesus : Principium qui et loquor vobis. » Nunc vero ait : « Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. » Igitur finis initio conveniens redditus
C est. Non enim discrepant, sed alterutrum confirmant hæc : « Principium ego sum; » et, « antequam Abraham fieret, ego sum. » Item quod illic verbis comminatus est, dicens : « Quæretis me, et quo ego vado, vos non potestis venire, si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris; » hoc ipsum factis hic expressit dum tollentibus illis « lapides, ut jacerent in eum, » pro eo quia dixerat, « antequam Abraham fieret, ego sum, abscondit se, et exivit de templo. » Quid enim est quod Judæi nunc usque longe sunt a salute, nisi quia Jesus, id est Salvator, illis abscondit se? Et quid est quod civitas et templum super oculos, imo et super cadavera illorum cecidit, exterminantibus Romanis, et quæcunque illic Deo patrum suorum
D offerre vel celebrare consueverant, holocausta arietum, et adeps pinguium et sanguis vitulorum, et agnorum, et hircorum, neomeniæ et sabbata, et aliæ festivitates eorum, quasi stercus super vultus illorum projectæ sunt, Deo protestante ac dicente : « Iniqui sunt cœtus vestri, Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta? » (*Isa.* I.) Quid, inquam, hoc est, nisi quia Jesus absconditus exivit de templo, dicens : « Ecce relinquetur domus vestra deserta, » vel juxta prophetam quoque dicens : « Reliqui domum meam dimisi hæreditatem meam, facta est habitatio mea, quasi spelunca hyænæ? » (*Jer.* XII.) Igitur Dominus

et Magister (*Matth.* xxiii), qui in hac eadem causa dixerat : « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, » recte prior iste, ut dignum est, in eodem sermone suo certo gradu inconcussus permanet : unum idemque tam fortiter quam suaviter, a principio usque in finem, inter incursantes adversarios retinens, et sicut Apostolus ait : « Quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* i) ; in eo quoque, quod quasi infirmus se abscondit et exivit, victoriæ totius perfectionem expressit ; quia non tam a lapidibus quam a lapideis Judæorum cordibus fugit. Nunc ab istis absconditus, et ut prædictum est, de templo egressus, quid deinde fecerit, quomodo rerum, quas nunc luce clarius conspicimus, præfigurationem prosecutus sit, attendamus. Sequitur :

Cap. IX. — « Et præteriens vidit hominem cæcum a nativitate. » Lux vera Christus, qui et hoc superius dixi : « Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ ; » — « lux vera, » inquam, « quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, » quod a Judæis oculos suos claudentibus ad gentes transierit, easque illuminaverit, manifestum est ; earum utique, scilicet gentium, cæcitatem originalem, homo iste a nativitate cæcus significat. Nempe, et si omne genus humanum a nativitate cæcum, id est, a primis parentibus per originale peccatum Divinitatis visione fraudatum est, maxime tamen gentium populus, qui juxta prophetam ambulabat in tenebris (*Isa.* xix), cæcus erat : quia videlicet, non ut Judæis, ita et gentibus, patriarcharum Prophetarumque lucernas, lux mundi Christus ante se præmiserat. Unde et statim post finem lectionis hujus, quid abscondendo se vel de templo exeundo intenderit, exprimens : « In judicium ego, inquit, veni in hunc mundum, ut et qui non vident, videant ; et qui vident, et cæci fiant (*Joan.* ix). » Ergo cæcum quidem erant ante hujus lucis adventum totum genus humanum, absque distinctione Judæi et Græci, testante Apostolo qui dicit : « Eramus et nos natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* ii) ; » verumtamen in comparatione gentium, quæ neque legis neque prophetarum illustrationem acceperant, neque **250** ullam Dei notitiam habebant, Judæi sese videntes esse putabant, sicut item post finem lectionis hujus Dominus dicentibus Pharisæis : « Nunquid et nos cæci sumus. Si cæci essetis, inquit, non haberetis peccatum ; nunc autem quia dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet. » Igitur quod a Judæis se absconsurus, et oculos gentium esse illuminaturus Dominus noster, pulchro satis præsignavit mysterio, dum « abscondens se exivit de templo ; et præteriens, vidit hominem cæcum a nativitate, » et illuminavit. Proinde quacunque ex gente quisquis Christi prædicationem recipit, et Evangelio ejus cunctas Judæorum cæremonias postponit, et pro illo velut stercora arbitratur (*Philip.* iii), sicut ait Apostolus, ille est qui foris extra templum Judæorum, a quibus lux mundi se abscondit, [illegible], ut Deum, cujus visionem in Adam perdidit, videre mereatur. Sed jam ipsum illuminationis ordinem mysticum prosequamur. « Præteriens, inquit, vidit hominem cæcum a nativitate. » Vere præteriens vidit, nam illos qui se videre jactabant prætergressus, et obtento velamine super corda eorum, ne videretur absconditus, venit ad nos, ut videremus eum qui cæci eramus.

« Et interrogaverunt eum discipuli sui : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, quod cæcus natus est ? » Non otiose hoc interrogant discipuli Salvatoris. Nam revera parentum culpa vitiosi interdum solent procreari. Verbi gratia : Per singulos menses gravia atque torpentia mulierum corpora, immundi sanguinis effusione relevantur. Quo tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fetus vitium seminis trahere, ita ut leprosi et elephantiaci ex hac conceptione nascantur, et fœda in utroque sexu corpora, prævitate vel enormitate membrorum, sanies corrupta degeneret. Unde Propheta Ezechiel in descriptione justi viri, cum inter cætera dixisset, » et uxorem proximi sui non violaverit, » addidit, inquiens : « et ad mulierem menstruatam non accesserit (*Ezech.* xviii). » — « Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. » Quantum ad litteralem sensum sua Dominus noster gravitate levitatem nostram compescit, ne quoties cum hujusmodi privatione membrorumque aliqua diminutione sive deformitate natos aliquos conspicimus, nostram in illis carnem despiciamus, temerarium jactantes judicium, quod vel propter suam, vel propter parentum propriorum culpam hoc evenerit ; sed cunctos venerantes, ministremus illis, tanquam revera membris Christi, qui dicturus est nobis « Quandiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* xxv), » et recordemur, in talibus solere manifestari opera Dei, per gratiam curationum, ad ædificationem Ecclesiæ Christi. Quantum autem ad mysticum intellectum, peccaverunt quidem primi parentes, ut cæcum nasceretur genus humanum, verum ut Judaico populo per justitiam Creatoris illustrato, in cæcitate ignorantiæ Gentilitas relinqueretur, non peccavit ipsa Gentilitas, neque parentes ejus. Si enim propter peccata sua, vel parentum suorum gentilitatem in tenebris relictam dicat quis, consequitur ut Judaicum populum vel parentes ejus dicat pro suis electos fuisse meritis. Sed contra dicit Paulus, his verbis loquens de patribus, « Non solum autem illi, sed Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nati nondum fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali, ut secundum electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est (*Malach.* i) : Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Rom.* ix). » Ad ipsos autem filios dicit Moyses in Deuteronomio : « Scito igitur quod non

A propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus. Memento, et ne obliviscaris quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum (*Deut.* IX), » etc. Igitur neque gentilium populus plus peccavit, neque parentes ejus ut cæcus nasceretur ; sed cum omnes tam Judæi quam Gentiles essent ex una prævaricationis massa, patres Judæorum nullis præcedentibus meritis per gratiam electi, patres Gentilium, vel ipsi Gentiles per justitiam usque ad tempus suum fuere neglecti, ut in illis tempore suo mirabilius manifestarentur opera Dei. Et protinus subjungitur :

« Me oportet operari opera Patris mei, donec dies est. Venit nox in qua nemo potest operari. Quandiu
B sum in mundo, lux sum mundi. » Ut sciatis, inquit, quænam propter opera Dei in se manifestanda, homo iste cæcus natus sit, ecce dico vobis : « Opera Patris mei, » id est opera illa, propter quæ Pater meus me misit, « oportet me operari, donec dies est, » id est, donec præsens sæculum volvitur, quo consummato, sequitur « nox in qua nemo potest operari. » Unde autem præsentis sæculi tempus dies dicitur ? videlicet, ex eo quod et alibi dicit: « Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII) ; » et nunc ait : « quandiu sum in mundo, sum lux mundi. » Sic enim Christus, quandiu in mundo est, lux mundi est: est autem in mundo « usque ad consummationem sæculi, » profecto usque ad finem sæculi dies, id est, aptum
C operari tempus est. Econtra quod consummationi sæculi succedet, nox erit, id est, tempus nulli aptum operationi. Unde Ecclesiastes dicit : « Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas (*Eccle.* IX). » Ergo quod ait, « donec dies est. Venit nox, in qua nemo potest operari, » idem est ac si dixisset : usque ad finem sæculi ; cui succedit tempus, « in quo nemo potest operari, » sed recipere quod operatus est. Hoc enim tempus operationis, illud receptionis est. Reddet quippe tunc Dominus unicuique secundum opera ejus (*Psal.* LXI). Quænam autem sunt opera quæ toto die isto operatur Filius Dei ? Illa utique quæ intendens « per viscera misericordiæ suæ Deus noster visitavit nos oriens ex alto (*Luc.* I) ; » scili-
D cet, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedebant, « salvos eos facere, ut ait Apostolus, per lavacrum regenerationis et innovationis Spiritus sancti (*Tit.* III). » Illa, inquam, operatur Dei Filius, « donec est dies, » et tandiu operando, quandiu est in mundo, lux est mundi. Operari namque non desinit per illorum ministerium, quos operis sui vicarios constituit, scilicet, per apostolos vel apostolicos viros cunctosque prædicatores Verbi Dei, quibus et dicit ; « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Igitur venerabilis, et memoria dignus ille quondam cæcus, qui neque ipse « peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur, » sed idcirco per Dei providentiam sic natus est, ut opera Patris, quæ oportebat Filium Dei per totum diem, id est, per totum tempus præsentis sæculi operari, in illo manifestarentur, id est, ut ex qualitate exterioris illuminationis ejus, interior animarum nostrarum illuminatio nobis fidelius commendaretur. Non enim solo, quod facere poterat, imperio lux mundi cæcum hunc illuminavit, verbi gratia, ut diceret : « Respice, fides tua te salvum fecit (*Luc.* XVIII). » Sed quid ?

« Hæc cum dixisset exspuens in terram, linivit super
251 oculos ejus et dixit ei : Vade et lava in natatoria Siloe, quod interpretatur *missus.* » Notandum in primis quod non, ut ille Bartimæus (*Marc.* X), ita et iste cæcus sedens secus viam, aut mendicans a Domino invenitur, neque hoc sæpe dicta lux mundi exspectavit, ut clamaret tale quid ut ille dicens ; « Miserere mei, Domine fili David (*Luc.* XVIII), » sed ultro naturæ indigenti se accommodavit et gratuito beneficio tacenti subvenit. Nam hoc etiam ad manifestanda opera Dei pertinuit, quia videlicet non exspectavit opifex nostræ illuminationis, donec notitiæ suæ claritatem in nostris suspiraremus tenebris, qui tenebras ipsas lucem esse putabamus, imo nec ullam lucis et tenebrarum discretionem habebamus, sed ultro prospexit, gratuito vidit, gratis Verbum suum carnem factum notum fecit nobis, et ex illo cordis nostri oculos linivit. Quid enim aliud nobis manifestatur in illo cæco, per illud quod « exspuens Dominus Jesus in terram, lutum fecit ex sputo, et linivit ejus oculos, » nisi hoc spectabile et gratiosum opus divinæ gratiæ, quod Verbum suum pulvereæ naturæ hominis unitum, nobis gentibus prædicari voluit ? Tunc quippe, quasi salivæ pulvis admissus est, et unum duabus ex rebus lutum factum est, quando Verbum vel Sapientia, quæ dicit : « Ego ex ore Altissimi prodivi (*Eccli.* XXIV), » carnem nostram assumpsit cui dictum est : « Pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III), » et ei quæ omni vento diaboli tanquam pulvis efferebatur et dispergebatur, gratuita dignatione in Virginis utero sese conjunxit, ut naturam levem et instabilem super antiquæ dignitatis gravitatem statumque repararet. Quod magnum pietatis sacramentum cum gentibus prædicatur (*I Tim.* III), revera cæci nati oculi suavissime liniuntur, qua dociles mentes hoc quam maxime delectat, quod pro salute hominum tantum se humiliavit æterna Dei virtus et sapientia. Itaque suavissime cæci nati liniuntur oculi luto, quod ex sputo Dominus fecit, quando excelsi quondam nostræ generationis oculi, et palpebræ in alta subrectæ, humilem suscipiunt fidem Incarnationis Filii Dei, et tali humilitatis antidoto curatur superbia oculorum, quia, dum inornate aperiri vellent, dicente diabolo : « Eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*Gen.* III), » econtra magis obtenebrati sunt. Verum ubi cæcis oculis hoc lutum illitum, id est, Incarnatio Filii Dei prædicata et credita est, non statim eodem, quamvis credulo auditu cæcus illuminatus et visione Dei,

quam in Adam perdidit, factus est dignus, nisi ad fontem lavacri catechumenus accedens baptizetur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Aliter quippe lumen oculorum nostrorum, Spiritum sanctum nemo nostrum accepisset in remissionem peccatorum (*Marc.* III). Bene ergo cæcus ille, in quo manifestabantur hæc opera Dei, non statim vidit, ubi Dominus oculos ejus linivit : « Sed vade, inquit, et lava in natatoria Siloe, quod interpretatur *missus.*» Non enim dictum est tantum : « Qui crediderit, salvus erit,» sed : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI). » Oportet quippe filium tenebrarum quadam similitudine mortis et resurrectionis ejus, in quem credidit alterari, et filium lucis fieri, quod agitur in baptismo Christi actu visibili, sed virtute invisibili, testante Apostolo qui ait : «Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consépulti cum ipso per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI),» etc. Recte igitur cæcus illitis oculis non statim videt, sed ad natatoriam jubetur ire ut lavet. quia videlicet, ex eo quod catechumenus, id est, auditor verbi Dei quispiam est, regnum cœlorum intrare non meretur, «nisi ex aqua et Spiritu sancto fuerit renatus (*Joan.* III).» Sane « quod interpretatur *missus,*» non ipse Dominus ad cæcum loquendo, sed hic evangelista de suo interposuit, certi causa mysterii, videlicet, ut intelligas per hanc natatoriam, non aliud quam baptismi aquam debere accipi, quæ revera natatoria est ejus, quem Pater misit, scilicet Filii, vel certe Spiritus sancti, qui cum ipse vera sit remissio peccatorum ejus utique gratia invisibilis, tota est lavacri utilitas visibilis. Nam et ipse recte intelligitur per nomen Siloe, quod est *missus.* Etenim ipse quoque missus est, juxta illud : « Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo (*Joan.* XIV), » et alibi : « Quem ego, inquit, mittam vobis a Patre (*Luc.* XXIV). » Est autem Siloa fons, in radicibus montis Sion prorumpens, qui alternante quidem, aquarum accessu in meridiem fluit, in est, non jugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebullit, et per terrarum concava et antra saxi durissimi cum magno sonitu venire consuevit. Cujus naturæ omnes effectu si quis accipere velit mystice, profecto intelliget, quod non frustra magis per hunc fontem Dominus noster aquam baptismi significare voluerit.

« Abiit ergo et lavit, et venit videns. » Ne vacare hanc putes conjunctionem completivam sic positam: « Abiit ergo, » cæci hujus fides subaudienda est : « Vade, inquit Dominus, ad natatoriam Siloe, et lava.» Habebat autem ille fidem, quæ ipsum salvum faceret, sicut et ille, cui Dominus idem lumen postulanti : « Respice, inquit, fides tua te salvum fecit (*Luc.* XVIII).»—«Abiit ergo, et lavit, et venit videns.» Hæc igitur illa est operum Dei manifestatio quam intendens figulus ipse naturæ nostræ opifex, cum neque hic peccasset, neque parentes ejus, voluit

A tamen valde utiliter imperfectum educere vasculum, ut cæcus homo nasceretur. Æstimari quippe non valet, quantum pulchritudinis, quantumque utilitatis habet hæc talis hujus illuminatio cæci, cum omnes nos secundum hanc imaginem exterioris illuminationis intus sumus illuminati, speculemur ea quæ circa nos sunt acta opera Dei, et quia in semetipsis comprehendere ea non possumus, per hanc similitudinem nobis manifestantur, quæ ille in nobis operatus sit. « Itaque vicini, et qui noverant eum prius, quia mendicus erat, dicebant : Nonne est hic qui sedebat et mendicabat? » Et ipsa hæc illuminatio cæci exterior, in qua, ut prædictum est, quadam similitudine manifestantur opera Dei, quæ Filium ejus « oportet operari, donec dies est ; » ipsa, inquam,
B illuminatio, magnum et manifestatione dignum Patris opus est. Itaque volente ipso qui gloriam Filii sui quærebat, sicut idem Filius paulo ante testatus est : « Ego, inquiens, gloriam meam non quæro, est qui quærat et judicet ; »—« vicini ejus, et qui noverant eum prius,» claritatem hujus miraculi ventilaverunt, tantamque flammam excitaverunt, ut ad devorandos zelantes ejus hostes Pharisæos perveniret. Non solum, inquit, « vicini, sed et qui noverant eum prius. » Multi quippe noverunt eum. Unde ? «Quia mendicus erat, » inquit. Duabus ex causis notus erat, mendicus erat, quia videlicet, et cæcus natus est, et publice mendicabat, et sic nota persona miraculum latere non sinebat, et dicebant, inquit : « Nonne hic est qui sedebat et mendicabat?»

C « Alii autem dicebant, quia hic est ; alii autem, nequaquam, sed similis est ejus. Ille vero dicebat, quia ego sum.» Mente et corpore illuminatus, qualem potest illuminatori suo rependit gratiam eligens magis invidiam cum illo sustinere, quam ingrato silentio laudi et gloriæ **252** Dei damnum inferre. Cujus dicta sive responsa merito hic, ut vere fidus notarius, primum mente memori, deinde et calamo excipere curavit, quia videlicet primus omnium mortalium, pro Christo quæstionibus pulsatus, et persecutionem passus est, et sic ad omnia respondit : Quomodo magnus ille cæcus per totum orbem diffusus, hodieque in consiliis et synagogis respondens illuminatoris sui gratiam confitetur, fortis in laboribus, victor in persecutionibus, opportune volentibus, importune nolentibus prædicans et contestans illud
D magnæ pietatis sacramentum, quod mystice sub istis cæci hujus verbis continetur, « lutum fecit ex sputo Dominus, et linivit oculos meos, et abii, et lavi, et vidi,» et credidi Deo. « Alii, inquit, dicebant, quia hic est ; alii autem, nequaquam, sed similis ejus est.« Sic poterat splendor tantæ gloriæ Dei obscurari, et frigidior ad certam notitiam pervenire fama tanti miraculi. Sed hujus veritatis arbiter, et suæ personæ conscius, et testis, iste jam non cæcus sed oculos habens et videns, dubios esse non sinit, dicens : « Quia ego sum. »

« Dixerunt ergo ei : Quomodo ergo aperti sunt tibi oculi ?» Ac si dicerent : Ille qui sedebat et men-

dicabat, cæcus erat. Tu autem de illo cæco nobis A quærentibus dicis: « Quia ego sum. »—« Quomodo ergo aperti sunt oculi? »—« Respondit: Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit ex sputo, et finivit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, et lava. Et abii et lavi, et vidi [video]. » Dicat nunc omnis mundus redemptus, mundus diu cæcus, tandemque illuminatus adversus mundum damnatum, et perseveranter cæcum; dicat, inquam: « Lutum fecit ex sputo Dominus, linivit oculos meos et abii, et lavi, et vidi, » et credidi Deo, et hoc tanto canore concrepet, ut cœlum supra, et tellus resultet infra. Et si pax Ecclesiarum cantantes juvat, pascatur chorus ille, et delectetur gratiosis cantibus suis, et si bellum persecutionis inquietat, multo magis inter omnium genera mortium declamando testatur, hoc B tam pium tamque jucundum illuminatoris sui beneficium. Sed contra hæc omnes, qui ex patre diabolo sunt, et propterea non possunt audire sermonem hunc, injiciunt manus suas, et persequuntur omnem videntem et glorificantem Deum, tradentes in conciliis et synagogis, trahentes ad reges et præsides propter Christum (*Matth.* x; *Luc.* xxi). De qualibus et subditur.

« Et dixerunt ei: Ubi est ille? ait: Nescio. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. » Hoc utique illuminati deplorant oculi, quia, quamvis per fidem videant, necdum tamen per speciem vident illuminatorem suum, et insultantibus sibi adversariis nequeunt videre vel ostendere præsentiam Christi (*I Cor.* xiii). Unde et in psalmo, vox illa cujuscunque fidelis animæ est: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ C panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus (*Psal.* xli). » Verumtamen non omnino nescimus ubi sit; scimus enim quia cœlos ascendit, sed nescimus quomodo sit, vel quale habeat judicium de nobis ipsis. Hæc cum dicentem adducunt, inquit, ad Pharisæos. Quid causæ invenerant in homine isto, ut eum tam cito ad judices vel ad synagogam traherent? in quo themate causæ hujus litem constituere habebant? Sequitur:

« Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. » Optata respiratione recreati sunt lassi venatores, capream hinnulumque cervorum pertinaciter agentes, et eum, quem paulo ante dicentem: « Quis ex vobis arguet me de pec- D cato, » tanquam in excelsa rupe stantem, attingere non poterant, nunc sese assecutos esse putabant, dicturi: nos scimus, quia hic homo peccator est, « et non est hic a Deo, quia Sabbatum non custodit, » quia videlicet, « Sabbatum erat, quando lutum fecit, et oculos cæci aperuit. »—« Iterum ergo interrogabant eum quomodo vidisset. » Quoniam, inquiunt, lutum fecit Jesus, et linivit oculos ejus; « Erat autem Sabbatum, » quando fecit hoc; ergo, ut audirent turbæ et scirent populi ex ore ipsius cæci, hunc hominem esse transgressorem legis, eo quod Sabbatum non custodisset, iterum interrogabant eum qui cæcus fuerat, quomodo vidisset, cum hoc ab eis qui illum adducebant, jam sibi indicatum fuisset. « Ille autem dixit eis, lutum posuit mihi super oculos, et lavi, et video. » Approbatio facilis, et nullis exorta [extorta] quæstionibus, una et simplici responsione perficitur: quam ut volunt, accipiant adversarii. Nam hic testis, certus de innocentia illuminatoris sui, non erubescit id quod factum est confiteri. « Etenim secretum quidem regis abscondere bonum est, opera autem Dei enarrare honorificum est (*Tot.* xii). »

« Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. » O servi peccati, ambulantes in equis superbiæ, liberosque pedites, imo et liberatricem illorum veritatem, mendaci atque incontinenti ore judicantes, facitote vos in prima vel secunda Sabbati opus huic simile, ut aperiantur cæcorum oculi. Verum hoc facere non potestis, nec aliquis quicunque vestri similis est servus peccati. Igitur cæcorum oculos aperire opus servile non est. Lex autem scripta de Sabbato, non qualecunque opus; sed « opus, inquit, servile non facietis in eo (*Levit.* xxiii). » Quid igitur, o servi peccati judicare audetis opus libertatis? nunquid ab inferioribus superiora fas est judicare? nunquid opus Dei, æque ut opus servile, dierum vel hominum lege constringitur? omne namque opus trifariam dividitur: aliud opus Dei est, cujus fructus vita æterna; aliud opus peccati, cujus finis mors; aliud opus mercenarii, cujus retributio quotidianum stipendium est (*Rom.* vi). Opus peccati et opus mercenarii, recte utrumque servile opus dicitur. Verum alterum eorum, id est, opus mercenarii die sacrato (quale tunc erat Sabbatum, nunc autem primam Sabbati propter Christi resurrectionem (*I Cor.* ix) non licet fieri; alterum nunquam debet fieri, id est, opus peccati.

Hujus autem contrarium, id est, opus Dei nullo unquam tempore vel die debet omitti: « Beati enim, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore (*Psal.* cv). » Quod a patribus vel instrumentis ejusdem operis probabile est: « Operis namque Dei instrumenta sunt ipsius dona, scilicet, sermo sapientiæ vel scientiæ, prophetia, genera linguarum, gratia curationum (*I Cor.* xii), » et his similia. Hæc autem profecto nulli sunt subjecta; quippe, quia nec in arbitrio sunt hominum, quo tempore vel die desursum descendant a Patre luminum. Proinde a servili quidem opere peccati semper vacandum; ab opere autem Dei nunquam vacandum est (*Jacob.* i). Ab eo vero, quod medium est, id est, ab opere mercenarii, statutis diebus cessandum est non tam propter aliquod magnum sacramentum quam propter servi vel ancillæ refrigerium, dicente Deo per Moysen: « Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, ut acquiescat bos et asinus tuus, ut refrigeretur filius ancillæ tuæ et advena (*Exod.* xxiii). » Cumque ab hoc opere servili cessatur, ab opere Dei nullatenus vacare conceditur; quia videlicet, nec Sabbato, si rite perspicias, ab opere suo vacavit Deus; sic enim scriptum est: « Complevitque **253** Deus die septimo

opus suum quod fecerat (*Gen.* II). » Arctabimus igitur Judæos, qui de otio Sabbati gloriantur, quod jam tunc in principio Sabbatum dissolutum sit, dum Deus operatur in Sabbato, complens opera sua in eo, et benedicens ipsi diei. Quid autem nisi completio est operis Dei, quod hic homo cæcum a nativitate illuminavit? Imperfectum quippe opus erat, dum nascebatur homo cæcus, videlicet, subtracto sibi uno de quinque sensibus corporis, quibus non solus homo, sed et cætera animalia naturaliter, funguntur. Tibi igitur « in multitudine virtutis tuæ mentiuntur inimici tui (*Psal.* LXV). » Christe Filii Dei, dicentes : « Non est hic homo a Deo qui Sabbatum non custodit ; » quia videlicet, dum in Sabbato comples opus imperfecti, id est, a nativitate cæci hominis; sic quoque testaris te a Deo esse, et Filium ejus esse qui, B sicut prædictum est, die septimo ejus suum complevit. Mentiuntur, inquam, et usque hodie in mendacio perseverant, odientes te, id est, non ignorantes, sed scientes et invidentes multitudini virtutis tuæ : nos autem gentes benedicimus te Deum nostrum dicentes cum Propheticæ vocis firmitate : « Omnis terra adoret te et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Altissime (*ibid.*) ; » quia videlicet omnis terra illuminata est ab ipsa, in qua mentiuntur tibi inimici tui, multitudine virtutis tuæ. Sequitur :

« Alii dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere ? Et schisma erat inter eos, » Quomodo, inquiunt, homo peccator, homo tantæ infelicitatis, ut recte de illo dici queat, quod a Deo non sit, potest hæc signa facere, id est, opera quæ non nisi Deus fecit aut facere novit, quomodo potest C complere vel meliorare ? Istis, pessimum non habentibus invidiæ tormentum, vacabat utcunque verum librare judicium. Multo magis enim, et incomparabiliter amplius sibi repugnant, a Deo non esse, et illa quæ sine dubio Deus incepit opera perficere ; quam a Deo esse, et in Sabbato salutis opus facere. Quanquam omnino non repugnet, sed revera consequens sit, ut is qui a Deo est, omni tempore faciat opus Dei. Nec vero ab re dictum est, « et schisma erat inter eos, » quia videlicet, cum accusantium summa esset intentio, quatenus in unam sententiam declinantes, universi conclamarent hunc hominem non esse a Deo ; non parum moleste accipiebant, alios econtrario dicere : « Quomodo potest homo peccator hæc signa facere. » D

« Dicunt ergo cæco iterum : Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos ? » Hoc utique non quilibet, sed illi dicunt, quorum est illa vana demonstratio, « non est hic homo a Deo. » Nitebantur illum in consortium suæ trahere blasphemiæ, et infirmitatem suæ causæ, linguæ ejus baculo sustentare, multum sibi illo schismate valere arbitrantes ad detestationem ejus quem oderant, si de illo nec ipse boni aliquid sentiret, qui tantum ab eo commodum percepisset. Qua perversitate sua nihil hodieque magis quam illuminatos per Christi fidem cordis nostri oculos rursus excæcare cuperent, sicut et Galatas pene A excæcaverant, quibus Apostolus dicit : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit veritati non credere ? Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini (*Galat.* III). » Ita ergo cæci videntem fascinare volentes, dicebant : « Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos ? »

« Ille autem dixit : Quia propheta est. » Minus quidem dixit, quam est, quia videlicet Christus Jesus illuminator omnium gentium, non solum propheta, sed Deus quoque et Dominus prophetarum est. At ille rudis visor veritatis adhuc erat. Veruntamen ad percontationem talium hominum, qui non quærunt ut videant, sed ut videntes videre prohibeant, adversus istos, inquam (« qui in synagoga Satanæ sunt et Christum blasphemant (*Apoc.* III) », Judæos sufficit B nobis et cunctis qui illuminati sunt responsio hæc : « Quia propheta est. » Nam, quoniam nolunt audire vel scire quia Christus est, saltem hoc sciant et videant, « quia propheta est. » Non tamen ut adversus naturales ramos gloriemur, insultando, quia fracti sunt, et nos excisi de oleastro contra naturam in bonam olivam inserti sumus (*Rom.* XI) ; sed hoc solo contenti, ut os illorum obstruamus, dicentium : « Quia non est hic homo a Deo. » Dicamus quia falsum est. Etenim saltem in pœna vestra satis vobis manifestum est, « quia propheta est. » Ergo a Deo est, et in nomine Domini verum de vobis verbum locutus est, quo signo lex cognosci jubet prophetam in quo Dominus locutus est (*Deut.* XVIII).

« Non crediderunt ergo Judæi de illo quod cæcus C fuisset et vidisset [videret], donec vocaverunt parentes ejus qui cæcus fuerat. » Ecce per aliud foramen evadere contendunt vulpeculæ, ne gloriam Filii Dei cogantur videre. Primo statim ut offensi sunt tanti claritate miraculi, eo confugerunt, ut dicerent : « Non est hic homo a Deo qui Sabbatum non custodit ; » sed non fuit liber hic exitus, quia « schisma factum est inter eos : » aliis dicentibus : « Quomodo potest homo peccator signa hæc facere? « Insuper et ipso, qui illuminatus est, ab illa blasphemia dissentiente ac dicente, « quia propheta est. » Ergo adhuc alium resilierunt exitum, ut non crederent, et non credendo quasi dubium facerent, quod cæcus fuisset et vidisset. Fama quippe tantæ rei, et si non penitus abscondi, tamen utcunque per hanc dissimulationem posse videbatur obscurari. « Non crediderunt D ergo, inquit, quod cæcus fuisset et vidisset ; donec vocaverunt parentes ejus, » ut illis terrore sub tali quidpiam retorquerent, quod iniquam illorum juvare possit intentionem. « Et interrogaverunt eos dicentes : Hic est filius vester quem vos dicitis quod cæcus natus est ? Quomodo ergo nunc videt? » Ecce propter filium parentes obsessi sunt, ut aut mentirentur, dicentes : Non est hic filius noster, sed similis est ejus ; sive filius noster non cæcus natus est ; vel certe alio quocunque modo illuminatus est quam eo quo dictum est ; aut certe, si id quod verum est dicerent, iram illorum incurrerent, et cum filio suo pariter extra Synagogam fierent. Sed sic obsessi tam facile evaso-

runt,quam vere cæci erant quietos [qui eos]propter odium videntis obsederant,nam sequitur:«Responderunt eis parentes ejus: Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est. Quomodo autem nunc videat nescimus, aut quis aperuit ejus oculos nos nescimus: ipsum interrogate,ætatem habet,ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes ejus,quia timebant Judæos. » Tuta satis nullique calumniæ patens responsio. « Scimus, » inquiunt.Quid ? Illud quod et vos. Tantum scimus et dicimus, quantum scitis et dicitis vos, videlicet, « quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est. » Quod autem nescitis vos,et quasi nescientes interrogatis dicentes, « quomodo ergo nunc videt? » nos nescimus.Hoc dixerunt,quia timebant Judæos.Quod etsi mendacio vicinum est, tamen quia non fallendi intentione, sed periculi metu dixerunt, mendaces dicendi non sunt, vel ex patre diabolo esse, qui ex propriis loquitur mendacium, quemadmodum illi quorum metu sic locuti sunt. Quid vero justius quam quod subjunxerunt: « Ætatem habet ; ipse de se loquatur ? » Hoc nempe legitimum est, ut neque **254** filii pro parentibus, neque parentes pro filiis occidantur. Et prophetica quoque auctoritate defenditur, qua dictum est: « Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii (*Deut.* XXIX ; *Ezech.* XVIII). » Quanto magis in causa hujuscemodi parentes debebant esse liberi ? Tam ergo constanter quam sapienter cæcis a videntibus, et videntis parentibus dictum est, « ætatem habet,ipse de se loquatur. » Causam metus illorum Evangelista subjungit: « Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret.Propterea dixerunt parentes ejus: « Ipsum interrogate,ætatem habet,ipse de se loquatur. » Conspiratio hæc ventus erat, et flumen. Et vehemens quidem ventus et magnum flumen,quod tamen viri sapientis domum fundatam supra petram, movere non posset (*Matth.* VII). Verumtamen eo tempore parentes cæci hujus timuisse non adeo mirum est, cum et Petrus non solum timuerit, sed et Christum negando totus bene submersus sit, nisi quod ille cito extendit manum et apprehendit eum gallo cantante conversus, et respiciens in eum (*Matth.* XXVI ; *Luc.* II). Cæterum eadem conspiratione sua Judæi omnem Dei gratiam expiraverunt, et dum extra synagogam eos faciunt,qui confitentur Christum, separant seipsos ab omni synagoga, id est,antiqua Ecclesia patriarcharum et prophetarum, omniumque justorum sive electorum,qui exspectaverunt,et ipsa exspectatione sua Christum confessi sunt, et ita ipsi potius extra Synagogam Dei facti, et intra synagogam Satanæ conclusi sunt (*Apoc.* III). Notandum sane quod Evangelista, dicendo : « Propterea dixerunt : « Ipsum interrogate,ætatem habet, ipse de se loquatur, » eam partem responsionis eorum reliquit, quæ non omnino culpa vacat, quia non omni caret sorde falsitatis, scilicet, id quod dixerant : « Quomodo autem nunc videt nescimus ; aut quis aperuit ejus oculos nos nescimus,» et illud solum,quod irreprehensibile est repetivit, velut attestando dicens : « Propterea dixerunt : Ipsum interrogate, » et cætera.

« Vocaverunt ergo rursus hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo.Nos scimus quia hic homo peccator est. » Ecce fabricatores mendacii,quomodo circumeunt,ut hunc non proselytum aut hospitem,sed civem ac domesticum gratiæ Dei,secum faciant filium perditionis,cogentes eum, ut in mendacium commutet veritatem Dei. Quid enim agitant, nisi ut istum suo faciant contestari mendacio, et dicere cæcum : « Quia non est hic homo a Deo, » vel opus suæ illuminationis mentiri, non divina virtute, sed aliquo perpetratum esse magico carmine? Rursus ergo vocaverunt hominem. De homine qui cæcus fuerat, ad parentes ejus, de parentibus ad ipsum recurrentes, « scrutati sunt iniquitates,et defecerunt scrutantes scrutinio (*Psal.* LXIII). » Da, inquiunt, gloriam Deo. » In quo ? ut idem scias, idem dicas quod et nos Quid illud est ? « Nos scimus quia hic homo peccator est. » Probe dictum : sicut Josue, putaverunt se gloriam Dei quærere cum contrario spiritu viri fortis oratione usi sint (*Josue.* VII). Ille namque corde et labiis Deum honorans,cum Achor usurpasset de anathemate, et sors illum prodidisset : « Fili mi, inquit, da gloriam Deo,et indica nobis quid feceris : » isti autem Deum labiis honorantes,corde autem ab illo elongati (*Isai* . LIX) : « Da, inquiunt, gloriam Deo,» id est, nega quod accepisti.Sic os impiorum operit iniquitatem et sic depravando vias suas,tamen illuminato et clare videnti manifesti sunt. Nam sequitur :

« Dixit ergo ille ; Si peccator est, nescio ; unum scio, quia,cum cæcus essem,modo video. » Abscondebant odium mendacibus labiis,simulantes se quærere gloriam Dei in eo, ut dicerent ; « Hic homo peccator est ; » at ille mente et corpore illuminatus et clare videns de hujusmodi non gloria Dei,sed blasphemia liberatus est : « Si peccator est, inquit, nescio, » id est,peccatorem non esse scio.Repugnat enim illud unum quod scio, scilicet, quod cæcus cum essem,modo video,quod efficere non potuisset peccator homo.

« Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi ? quomodo aperuit tuos oculos?» Nonne tibi hujusmodi percontationibus videntur dicere,Aliud nobis comminiscere: nam quod tibi factum est,quod jam semel et iterum dictum est,nolumus audire ?Sed quem ista terreret, interrogatio magnifica ad obediendum linguæ iniquæ,et obtemperandum labiis mendacibus?(*Eccli.* LI.) Nunquid illum qui oculis illuminatis testes mendaces perituros videbat? Nempe et illis,qui tunc videbant hominem videntem non videre,et cæteris omnibus Judæis sive hæreticis, quicunque aliud de Christo audire volunt,quam id quod in illius illuminatione significatum est, scilicet, quod ex illa quæ ex ore Dei prodivit sapientia, pulverem nostrum induerit (*I Cor.* ,), et inde simus illuminati ; « omnibus,in-

quam, derisoribus, « quibus hæc prædicatio scandalum vel stultitia est, » parata sunt judicia, et corporibus eorum mallei percutientes (*Prov.* XIX). » Sequitur ergo : « Respondit eis : Dixi vobis jam et audistis. Quid iterum vultis audire? nunquid et vos vultis discipuli ejus fieri ? » Non est hoc et tædio respondendi sed ex judicio rationis, quod sic stomachatur et invehitur in illos, dicens : « Dixi vobis jam, et audistis, » etc. Cur autem sic dixit ; « nunquid et vos vultis discipuli ejus fieri ? » nunquid hoc de illis suspicari poterat, qui sic lactaverant eum, dicentes, « Da gloriam Deo, » et protinus viam non bonam qua illum abducere volebant aperuerunt subjungendo : « Nos scimus quia hic homo peccator est ; » ergo, interrogando acutiores clavos infixit, negans eos velle discipulos ejus fieri, et idcirco narratione iterata indignos judicavit. Quod magis ac magis ab effectis liquet. Nam sequitur :

« Maledixerunt ei, et dixerunt ei ; Tu discipulus ejus sis ; nos autem Moysi discipuli sumus. Scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit. » Unde hæc interpretatio pro maledictione procedit : « Tu discipulus ejus sis, » manifestum est, illic non parvum esse odium ejus de quo ille dixerat : « Nunquid et vos discipuli ejus vultis fieri ? » quomodo et ignem illic subesse certum est, unde fumum vel scintillas subvolare perspexeris. Ubi autem odium veritatis inerat Christus discipulatus admitti non poterat, quia videlicet, » in malevolam animam non introibit sapientia (*Sap.* I). » Recte igitur hic non jam cæcus sed videns, admirans pariter et indignans, « nunquid, ait, et vos vultis discipuli ejus fieri ? Maledixerunt, inquit, ei, et dixerunt : Tu discipulus ejus sis, nos autem Moysi discipuli sumus. » Nihilominus et usque hodie suadet Christianus Judæo discipulum Christi fieri ? Judæus autem econtrario maledicit Christum, et omnem Christianum in synagogis suis. Sed horum talis maledictio sit super nos. Talibus enim illorum maxime maledictionibus Dominus benedicit, sicut econtra per Malachiam prophetam : « Et maledicam, inquit, benedictionibus vestris (*Malach.* II). » — « Nos autem, inquiunt, Moysi discipuli sumus. » Frustra nimium adulantur Moysi discipuli bilingues, et animo duplici, defensores Sabbati, desertores autem dilectionis Dei et proximi, subdole honorantes Dei famulum, ut fiducia ejus inhonorent Dei Filium. Frustra, inquam. Recalcitrat enim Moyses, et dicit : « Percutiat te Dominus amentia et cæcitate, et furore mentis, et palpes **255** in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris (*Deut.* XXVIII). » Nam secundum hanc maledictionem nunc ipsi tenebras habes palpantes, et in lubrico claudicantes ; gentilis autem populus, qui per illum a Christo illuminatum significabatur, viam planam et splendiferam habet meridiem.

« Respondit ille homo et dixit eis : In hoc enim est mirabile quod vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. » Maledicta illorum futilia sapientia contempsit, nec responsione digna judicavit. Quod autem ultimum dixerant : « Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit, » fortissime redarguit : Præ admiratione, inquit, responsionem ad interrogata non iteravi, sed hoc tantum dixi : « Nunquid et vos vultis discipuli ejus fieri ? » In hoc enim quod hic tantus est, « ut oculos meos aperuit, et vos eum nescitis, » id est improbatis, neque enim scire vultis quod a Deo sit ; in hoc, inquam, mirabile est, mirabile scelus, mirum sacrilegium.

« Scimus enim quia Deus peccatores non audit. » Hoc videlicet, « scimus, » testante Scriptura : « Quia qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus exsecrabilis erit (*Prov.* XXVIII). » Item : « Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus (*Psal.* LXV). » Ergo peccatores, quandiu peccatores sunt, maxime qualem vos hunc esse judicatis, Deus non audit. « Sed si quis cultor est Dei et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. » Hac propositione data, quia refelli non potest, protinus assumit ; « A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. » Et hoc sine dubio, velint nolint adversarii, oportet concedi, quia videlicet, nihil tale reperitur in Moyse, aut in prophetis. Proinde continuo concludit sic : « Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. « Et notanda diligenter hujusce argumentationis colligatio. « Scimus, inquit, quia peccatores Deus non audit, sed si quis cultor Dei est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. » Non utique quemvis sui cultorem, neque qualemcunque facientem suam voluntatem Deus ita exaudit. Nam a sæculo non est auditum, « quia quis aperuit oculos cæci nati. » Magna quidem audita facta sunt a Moyse et prophetis, sed cuncta quæ fecit Moyses, extra hominem, id est, in elementis mundi fecit, pauca vero eorum, quæ prophetæ gesserunt, qui utique evangelicæ gratiæ, et tempore, et prædicatione viciniores exstiterunt, intra hominem facta sunt, sicut resuscitatio mortui per orationes Eliæ (*III Reg.* XVII), iterumque Elisæi (*IV Reg.* IV). Cum ergo non qualescunque, sed præcipuos utique cultores suos Deus sic exaudiat, ut talia facere possint, vera profecto et constans conclusio est, Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam, id est, nec elementis imperare, nec amissam mortuis vitam restituere, neque illud quod nunquam fuerat in homine cæco nato lumen infundere, quod a sæculo non est auditum, et si alia magna audita sint. Igitur accusatores et testes iniqui, non tam inquisitores quam derisores judicii, in sua propositione, qua dixerant ; « Nos scimus quia hic homo peccator est, » forti et nodosa per unum oratione redarguti et conclusi sunt. Unde quia via rationis evadere nequeunt, more solito ad convicia proruunt, dicentes :

« In peccatis natus es totus, et tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras. » — « Beati, inquit, eritis, cum maledixerint vobis, et exprobraverint et ejecerint nomen vestrum tanquam malum (*Matth.* V). » Jam istum « maledixerunt, dicentes : Tu discipulus ejus

sis, » et exprobaverunt dicentes : « In peccatis natus es totus, et ejecerunt extra synagogam, » id est, anathematizaverunt eum. Ergo sic illuminatio gentium, sic et passiones sanctorum jam in isto præsignatæ sunt. Mentiuntur utique de corde suo judicantes, « in peccatis natus es totus, » id est, propter peccata tua vel parentum tuorum natus es cæcus. Nam Veritas de illo jam dixit : « Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur, sed ut manifestarentur opera Dei in illo. » Fateamur tamen nos omnes, quia revera toti in peccatis, id est, cæci nati sumus, sed etenim completa in nobis prophetia, quæ dicit : « Et ducam cæcos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam (*Isa.* XLII). » Decendi auctoritatem habemus, ut nos æmulentur, et fiat illud eis, quod per Moysen ad ipsos dictum est : « Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem in iram vos mittam (*Deut.* XXXII). »

« Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras. Et cum invenisset eum, dicit ei : Tu credis in Filium Dei? » Leviter quidem dictum videtur, « audivit Jesus, » sed revera gravissimum est, clamorem peccatorum tetigisse aures : « Exspectavi, inquit, ut faceret judicium, et ecce iniquitas ; et justitiam, et ecce clamor (*Isa.* V). » Neque hoc sine pondere dictum est : « Et cum invenisset eum. » Invenit enim Jesus quos mundus perdit, invenit salus quos perditio derelinquit. Invenit autem de prope : « Juxta enim est Dominus his qui tribulato sunt corde (*Psal.* XXXIII). » Item de viro fideli : « Cum ipso sum, inquit, in tribulatione (*Psal.* XC). » Quæ sequuntur simpliciter, id est, absque necessaria similitudine de homine illo ratio postulat intelligi. Non enim quomodo prius ille homo ad natatoriam Siloe missus lavit et vidit, et deinde dicitur ei : « Tu credis in Filium Dei, » sic quisquis nostrum prius baptismate lavandus est, et post an credat interrogandus. Ergo unius hominis devotio, qui tunc erudiebatur, pensanda est, de quo et subditur : « Respondit illi et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum ? » Hactenus nempe homo iste illud significabat quod nunc est. Significabat enim nos, quod catechizandi et baptizandi essemus, nunc ipse catechumenus est. Nam ante hac Filium Dei nesciebat, in quem sibi esset credendum cum dicat : « Quis est, Domine, ut credam in eum ? » Catechizatur ergo, et illius fides super oculos mentis ejus ponitur, qui paulo ante per lutum super oculos corporis positum signabatur. Nam sequitur :

« Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. » Rem grandem dicturus, scilicet, « et qui loquitur tecum, ipse est, » opportune præmisit : « et vidisti eum, » videlicet, ut per commemorationem magnæ virtutis magnique beneficii benevolum faceret animum auditoris. Quærenti enim, quis est Filius Dei, quid est dicere et vidisti eum, nisi ipse est, qui aperuit oculos tuos ut videre possis eum ? Captata ergo benevolentia, confestim, « et qui loquitur, in-

A quit, tecum, ipse est, » quod utique gratiosius, et a jactantiæ suspicione longius est quam si ita dixisset : « Ego ipse Filius Dei sum (*Joan.* II). » Nec vero frustra semetipsum credidit huic Filius Dei ut diceret : « Et qui loquitur tecum, ipse est. » Nam audi, audi, inquam, et vide quid fuerit et quid ipse esse noverit in isto homine, de quo alio loco dictum est : « Ipse enim sciebat, quid esset in homine (*ibid.*). » — « At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. » De hoc primitivo adoratore Filii Dei duo hæc notanda sunt, quæ de nullo adorante illum legis, quia videlicet, et credo dixit, et procidit. Nam et leprosus quidem legitur adorasse (*Matth.* VIII), tamen non dixisse credo in te, neque procidisse, sed tantum, ut Marcus testatur, genuflexisse (*Marc.*
B I). Hic unus invenitur, tam voce confessionis **256**
quam gestu corporis, necessariam perficiens adorationem Filii Dei, et idcorco recte per singulos annos in exemplum proponitur sanctæ Ecclesiæ catechumenis, instante solemnitate paschali, baptizandis in morte Christi. In qua et ille post hanc confessionem vel adorationem sine dubio lavari dignus fuit (*Rom.* VI). Igitur postquam hæc acta sunt, audiamus subsequentia dicta Salvatoris, et sic illum attendamus, tanquam exponentem, quid abscondite exeundo de templo Judæorum, et cæcum tali ordine illuminando fecerit nobis, ac deinde judicium proferentem de pastoribus illis qui hanc ovem, id est, hominem illuminatum foras ejecerant. Sequitur : « Et dixit ei Jesus: In judicium ego veni in hunc mundum, ut
C qui non vident, videant ; et qui vident, cæci fiant. » Magna et justa sententia competenter et in tempore suo dicta est. Nam quia factum fuerat judicium iniquum, et non judicium sed iniquitas, scilicet quod Pharisæi sæpe dictum hominem ejecerant foras, recte is cujus est omne judicium, ad quem pertinet corrigere quæcunque per iniqua judicia fiunt : « In judicium, inquit, ego veni in hunc mundum. » Et quia non aliam ob causam illum ejecerant, nisi quia cæcus cum fuisset et nunc videret, illuminatorem suum blasphemare noluerat, recte pœnam, quam illis repensurus est judex, cæcitatem appellat : « Ut qui non vident, inquit, videant ; et qui vident, cæci fiant. » De causa enim illuminati hominis, qui cæcus fuerat, quomodo ejecerant eum foras, congruum pœnæ vel vindictæ eorum vocabulum datum est.
D Nec solum dixit : « Ut qui vident, cæci fiant, » sed etiam ut habeant quos pœnaliter æmulentur ; « et qui non vident, inquit, videant, » Ubi ergo audimus judicium, dicente judice : « In judicium ego veni in hunc mundum, » ipsum exspectemus judicii ordinem, scilicet ut qui reos judicaturus est, jam nunc ipsorum dicat reatum, ipsumque perpetrati reatus modum atque vocabulum. Reatus est, quia non per ostium intraverunt, sed aliunde descenderunt in ovile ovium; modus, quia non solum furari, sed et mactare et perdere venerunt et ipsum pastorem bonum, cujus oves sunt, occidere quærunt, quod et perfecturi sunt. Vocabulum reatus ejusdem legitima cum

definitione positum hoc est, quia fures et latrones sunt. Fures, quia furantur; latrones, quia quod furantur occidunt. Ac proinde, his qui non videbant, videntibus excæcandi sunt, et sicut alibi verbis aliis sed eodem sensu dictum est : « Multis ab oriente et occidente venientibus et recumbentibus cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII), » ejiciendi sunt in tenebras exteriores, quod hoc ordine ingrediuntur :

« Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui erant cum eo, et dixerunt ei : Nunquid et nos cæci sumus ? » Ex pharisæis qui, sicut supra dictum est, jam conspiraverant, ut, si quis Christum confiteretur, extra synagogam fieret, quidam cum illo erant, non utique sequentes, sed persequentes; non imitatores, sed insidiatores. Sunt autem Pharisæi clerici Judæorum. Si ergo Judæi videre sibi confidunt, quanto magis Pharisæi duces eorum? In quo vero sibi videre Judæi sibi confidunt? « Si autem, inquit Apostolus, tu Judæus cognominaris et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora legis, instructus per legem, confidis teipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt (*Rom.* II). » et cætera. Igitur cum dixisset Dominus : « Et qui vident cæci fiant, » cognoscentes quod de ipsis diceret. « Nunquid, aiunt, et nos cæci sumus? » Nunquid, quia tu venisti, nos quoque scientiæ nostræ lumen perdidimus ? « Dicit eis Jesus : Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc autem dicitis quia videtis, peccatum vestrum manet. » Bene et laudabiliter moderatur sententiam suam, concedendo illis quod videntes sint, et hoc ipsum proficere comprobando, ad cumulum damnationis, pœnamque æternæ cæcitatis. Nam vere cæci sunt per odium lucis et veritatis, et videntes per notitiam ejusdem veritatis, utpote per legem instructi. Unde per prophetam Deus dicit : « Educ foras populum cæcum, et oculos habentem, surdum et aures ei sunt (*Isa.* XLIII). » Suo ergo malo conceditur eis, quia vident dicendo : « Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc autem dicitis quia videtis, peccatum vestrum manet. » — Quod peccatum ? Illud utique, quod protinus his verbis subinfertur :

[CAP. X]— « Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. » [Poterat dicere sic : Amen, amen dico vobis, quoniam videtis, et videndo declinare ostium, atque aliunde in ovile ovium ascendere scitis, fures et latrones estis, et hoc est peccatum vestrum, furtum scilicet et latrocinium. Sic, inquam, dicere poterat, sed ne aliquam amaritudinem quasi provocata sonaret veritas, majori cum suavitate severissimi judicii libram tenens, peccati pondus universaliter enuntiat. « Qui non intrat (inquit, per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. » Fur videlicet, quia furatur quod alienum est; latro quia occidit quod furatus est. Et nota quam congrua similitudine pro tempore et re usus est. Illi namque, scilicet Pharisæi,

A quasi pastores, sed pastorali potestate vel auctoritate abutentes, hominem illum, qui illuminatus fuerat, tanquam ovem de ovili ovium, id est Synagoga, foras ejecerant. Ergo congrue similitudinem sumit de ovili ovium, et tam illis quam omnibus, qui, cum lupi sint, pastores videri volunt, et subditos suæque potestati per ipsos, neque per ostium admittunt, id est, non secundum Deum, sed secundum propriam voluntatem anathematizantes condemnant, vel assumentes justificabant, juxta prophetam dicentem : « Vivificabant animas, quæ non vivunt, et mortificabant animas, quæ non moriuntur (*Ezech.* XIII). » Omnibus, inquam, edicit, quod hoc pacto non per ostium in ovile ovium introierint, sed aliunde ascenderint, et proinde fures et latrones sint. Nunc

B de his maxime ad quos vel contra quos sermo est, dicendum est : « Amen, amen dico vobis, inquit, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. » Hic jam illud subaudiendum est quod posterius dicit : « Ego sum ostium ovium. »

Constat autem quia Pharisæi non solum per ipsum intrare recusabant, sed et ipsum agnoscere nolebant, dicentes : « Hunc autem nescimus unde sit; » et adhuc, quod pejus est, jam conspiraverant quod si quis per ipsum intrare vellet, id est, « si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret. » Et profecto idcirco hunc hominem de synagoga foras ejecerant quia per ipsum intrare jam cœperat (*Luc.* X). Rectissime ergo dicitur eis hoc prover-

C bium, per quod significatur de ipsis, quia fures et latrones sunt, quia videlicet per ostium, id est, per Christum, nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Igitur « si cæci essetis, » inquit, id est, si non confideretis in vobismetipsis et si non tulissetis clavim scientiæ, nec ipsi introeuntes, nec alios intrare

257 permittentes, « peccatum non haberetis (*Joan.* IX), » illud scilicet quod ostium, id est me, per quem intratur in ovile ovium, tantopere declinatis, et obstruere contenditis. Nunquid enim cæcus ostium declinare novit, et non potius ignorans et errans ab eo divertit ? Itaque justum fiet judicium, ut qui non vident ostium, vocentur et ducantur ad ipsum, moxque introducti videant; qui autem vident ostium, et invidentes ostio, vel vituperantes illud, aliunde ascendunt, ad hoc ut facienda desideria patris sui

D diaboli, mactent et perdant, ipsi continuo cæci fiant, videlicet sic foras expulsi, ut jam nec ostium inveniant, nec aliunde ascendere prævaleant. Sequitur :

« Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. » Hoc plane consequitur eum « qui intrat per ostium, » ut sit pastor ovium, sicut econtra, eum qui ascendit aliunde, consequens est, esse furem et latronem. Intrare autem per ostium, quid est, nisi imitari Christum, qui ipse sicut paulo post dicit et pastor est, et ostium ? Item, quid est imitari Christum, nisi non a seipso quemque venire, sed cum subjectione obedientiæ, mittentis sive vocantis sustinere imperium ? Christum enim non ipse sibi pastoris no-

men, aut officium, sive possessionem usurpavit ovium, sed a Patre jussus et missus curam requirendæ ovis centesimæ, quæ perierat (*Luc.* xv), obedienter suscepit, sicut ipse contestans : « Neque enim, inquit, a me ipso veni, sed ille me misit (*Joan.* v). » Quod et Apostolus verbis aliis comprobans : « Nec quisquam inquit, sumit sibi honorem, sed qui vocatus est a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum dicens : Filius meus es tu, ergo hodie genui te (*Hebr.* v : *Psal.* II). » Et in alio loco dicit : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Qui ergo non a semetipso venit, neque seipsum commendat, sed commendatorem Deum exspectat, ut pastor fiat, intrat utique per ostium, quia sic imitatur principem pastorum Christum (*I Petr.* v), multumque dissimilis est illis, propter quos, vel contra quos hæc maxime dicuntur, Annæ et Caiphæ, et qui revera aliunde ascenderant, et idcirco non mirum faciebant, quod furabantur, et mactabant, et perdebant, quia fures et latrones erant. Non enim vocati sunt a Deo tanquam Aaron, sed contendendo irruentes alter super alterum, venale sacerdotium in partes annuas sciderunt. Sequitur : « Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt. » Huic, inquit, qui intrat per ostium, id est, qui ordine legitimo propter Deum pastoris sortitur officium, « ostiarius aperit, » quia videlicet, ut studium ejus ovibus prosit, auditorum corda per gratiam sancti Spiritus prævenit. Quod legitimo pastori Paulo apostolo fiebat, cum diceret Corinthiis : « Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten, ostium enim mihi apertum est magnum et evidens (*I Cor.* XVI). » Tale est illud quod in Apocalipsi, Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ promittitur : « Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit ; claudit et nemo aperit : Scio opera tua. Ecce dabo coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere (*Apoc.* III), » etc. Tunc enim sanctus et verus humanorum pectorum clavicularius Angelo Philadelphiæ, quod interpretatur *dilectionis fraternæ*, scilicet, prædicatori cupienti saluti proximorum proficere, ostium magnum aperit, sciens opera ejus, quando perpendens intentionem cordis ejus, intelligentiam sacri verbi pandere illi dignatur, et labori ejus, ut fructum faciat, præveniente pariter ac subsequente gratia sua cooperatur. Et nunc quidem ostiarius est ipse, qui hæc loquitur, qui, antequam per victoriam mortis glorificaretur, humilis janua vibebatur ; nunc, inquam, non solum ostium, sed et ostiarius est, ex quo « ascendens in altum, et captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII). » Exinde namque ostiarius quoque esse comprobatur, quia ipse dedit quosdam quidem apostolos, alios autem prophetas, alias vero evangelistas, alios autem pastores et doctores (*I Cor.* XII). Nec vero confusionem facit aut facere debet ullam, quod ipse idem et ostium et ostiarius est. Nam in ovili quidem

A brutarum ovium, aliud ostium atque aliud est ostiarius, at in grege rationali, quod ostium, hoc ostiarius est. Etenim quemadmodum unus idemque Dominus noster Jesus Christus, et via, et veritas, et vita est, sic non solum ostium, sed et ostiarius, et adhuc ipsa ovium est pascua (*Joan.* XIV). Est autem in ostio et ostiario nonnulla profectuum nostrorum distinctio. Nam dum per fidem Catholicam quisque nostrum ad Christum accedit, Christus illi ostium est ; quando autem accepto gratiam aliquam idem gratiarum distributor largitur, jam ostiarius est. Sic et summis post ipsum pastoribus apostolis, ante passionem suam Christo tantummodo ostium erat ; ex quo autem resurgens a mortuis, potestatem accepit, sicut ait ipse : « Data est mihi omnis potestas in cœlo

B et in terra (*Matth.* XXVIII), » jam et ostium, et ostiarius exstitit, et ut vere ostiarius cœli, dona sancti Spiritus illis largitus est. Igitur « qui intrat per ostium, inquit, huic ostiarius aperit. » Quid deinde? « Et oves, inquit, illum sequuntur. » Hoc plane dignum est, et sic ipsis ovibus expedit. Christi quippe oves non essent, si apostolos Christi, et omnes quibus hic ostiarius aperuit non sequerentur, et si vocem, id est, doctrinam eorum nescirent, vel non approbarent. Nam talibus ipse dicit : « Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit (*Luc.* x). » Qua fretus auctoritate Paulus : « An, inquit, experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? (*II Cor.* XIII.). » Itaque cuicunque ostiarius aperit, oves vocem ejus sciunt, et sequuntur eum, et quicunque sequuntur, oves sunt. Qui autem sequi con-

C temnunt, ipsa rebellione sua testes sunt sibi, quia non oves, sed hædi sunt. Sequitur :

« Et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. » O quam dissimilis est iste quicunque per ostium intravit, vel cui ostiarius aperuit, furibus et latronibus illis qui declinantes ostium, aliunde ascenderunt ! Illi nempe nequaquam oves vocant nominatim, sed econtra perversis utuntur nominibus, dum dicunt bonum malum, et malum bonum ; dum vocant tenebras lucem, et lucem tenebras (*Isa.* v), ut justificent impium pro muneribus, et justitiam justi auferant ab eo, quemadmodum fures et latrones, propter quos vel contra quos hæc maxime dicuntur, quia hominem illum, qui cæcus fuerat, et viderat, alieno nomine vocantes, maledixerunt

D et exprobraverunt, et ejecerunt tanquam malum. Non ita iste, sed « proprias, inquit, oves vocat nominatim. « Proprias, inquit, videlicet, quia Christi oves dilectionis affectu suas fecit, vel quia pastorum principi pastor ipse proprio labore, et cura nutrita illas quæ non erant, acquisivit. « Vocatque illas nominatim, « id est, cum sint oves non hædos vocat, sed ut sint oves blande ac familiariter appellat. Etsi quando hædi fuerint, non hoc maledico ore tyrannizando improperat illis, præsertim cum ipse Princeps pastorum per Psalmistam dicat : « Nec memor ero nominum eorum per labia mea (*Psal.* XV), » nisi forte pro una commemoratione

gratiæ 258 purificantis, sicut Apostolus, cum vetera commemorasset nomina dicendo : « Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque avari, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI) ; » cum, inquam, hæc vetustatis nomina contigisset, statim Dei gratiam commendando subjunxit : « Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri (*ibid*). »

Itaque « nominatim vocat illas, » id est, eo nomine quod super nos magnus pastor scripsit obliteratis priscis nominibus, nomen Dei sui, et nomen filiorum Dei, quod est nomen Christianum, de quo et per prophetam : « Vocabo, inquit, servos meos nomine alio, in quo qui benedictus est, benedicetur super terram (*Isa.* LXV). » Et sic vocando « educit eas, » inquit. Unde educit, vel quo educit? Jam quidem quotquod oves Christi sumus, ex ipso, quod sumus oves, educti sumus de tenebris errorum antiquorum, jamque per manum pastorum suorum eripuit nos Deus de præsenti sæculo nequam, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ (*Galat.* I). Verumtamen est adhuc, et plerumque evenit, unde plerosque nostrum, qui jam sumus oves Christi, oporteat educi, imo et clamore grandi evocari, sicut per Lazarum quoque significatum est, quem jam fetentem, et quatriduanum legimus magno Domini nostri Jesu Christi clamore fuisse resuscitatum (*Joan.* XII). Sordidantur quippe oves plerumque, etiam postquam tonsæ et salubri fluvio lotæ fuerint, et ipsis suorum vitiorum morbis delectatæ in prava concluduntur consuetudine aut etiam hæretico (quod gravius est) fœdantur errore. Laborat hic pastor ovium, qui per ostium intravit, cui ostiarius aperuit, et vocibus utens, nunc pridem asperis, verbi gratia cum dicit Apostolus : « Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes (*I Cor.* V) ; » nunc vero blandis, cum idem ipse ad eosdem : « Os nostrum, inquit, patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est (*II Cor.* VI) ; » sive ad Galatas : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Galat.* IV). » Revera « vocat oves nominatim, » donec « educat eas, » id est, pravam in illis fornicatis consuetudinem exspurget, vel fidei firmitatem reformet. Quod quia non sola voce prædicationis, sed operis quoque exemplo perficitur, protinus subjungitur :

« Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur quia sciunt vocem ejus. » Hoc nempe illi expedit ut, cum emiserit illas per verbum exhortationis, vadat ante illas per exemplum boni operis, nequando dicat illi Deus peccanti : « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum (*Psal.* XLXI), » etc. Quod præcavens Apostolus dicebat : « Sic curro, non quasi in incerto : sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX). » Ergo cum proprias oves emiserit pastor egregius, « ante eas vadit, et oves illum sequuntur ; » sequuntur, inquam, et hoc nempe illis expedit ovibus. Si enim de hypocritis et simulatis pastoribus ait : « Omnia, inquit, quæ dixerint vobis servate, et facite ; secundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim, et non faciunt (*Matth.* XXIII) ; » quanto magis sequi oportet eos qui dicunt et faciunt. « Sequuntur ergo illum, quia sciunt, vocem ejus ; » quia veram et sanam esse cognoscunt doctrinam ejus. « Alienum autem non sequuntur, et fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. » Alienos non qualescunque hypocritas, sed ejusmodi fures atque latrones hic accipi oportet, quales erant isti, propter quos hoc proverbium dictum est, quorum erat vox aliena multum, utpote ad blasphemiam provocans dicendo : « Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est, et non est hic a Deo (*Joan.* IX). » Quam utique vocem non agnoscens, imo agnoscere nolens, sæpe dictus homo, qui cæcus fuerat et viderat, noluit sequi sed fugit ab eis, ut vere alienis, et fugiens mente, corpore quoque ab eis passus est se expelli. Tales proculdubio sunt omnes hæretici, quicunque integre nolunt audire mysterium fidei, quod continetur sub illis ejusdem hominis verbis de seipso, illuminatori suo testimonium perhibentis : « Lutum fecit ex sputo et linivit super oculos meos, et abii, et lavi, et vidi (*ibid.*). » Igitur quæcunque veræ oves sunt, alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. Non noverunt, inquam, nescierunt neque scire voluerunt, quemadmodum et scire nolebat ille, qui dicentibus sibi : « Nos scimus quia hic homo peccator est : Si peccator est, inquit, nescio, hoc unum scio, quia cæcus cum essem, modo video (*ibid.*). » Quod est simplices oves, id est fideles et Catholicos homines, qui non cognoverunt altitudinem Satanæ dicere alienis, scilicet Judæis et cunctis qui de incarnatione Filii Dei male sentiunt, hæreticis » « Scimus et scientiam habemus, » dicitis : Nos autem scimus utrum stulti an insipientes sitis, de quibus pariter scriptum est : « Simul insipiens et stultus peribunt (*Psal.* XLVIII), » hoc unum scimus. Qui cæci, id est, ignorantes Deum, cum essemus, nunc per hoc ingressi ostium fidei, quod est : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, et hoc Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I) ; » per hoc, inquam, quasi lutum ex sputo, quod est sapientia, quæ « ex ore Altissimi prodivit (*Eccli.* XXIV), et pulvere nostro confectum semel sumus illuminati, gustavimus etiam donum cœleste, et participes facti sumus Spiritus sancti, gustavimus nihilominus bonum Dei verbum, virtutes sæculi venturi. Sequitur :

« Hoc proverbium dixit ei Jesus. » Proverbium est, quando verbum aliud pro alio verbo dicitur, videlicet, ut unum per aliud valentius commendetur et efficacius intelligatur. Quod genus dicendi, sive ornatus dictionis in sacris Scripturis usitatum est, divinitusque provisum, tam ad delectandum diligentem auditorem quam etiam ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio renovandum, cui facile investigata plerumque vilescunt. Et sic maxime hoc loco fieri docuit, ut convinceretur illorum superbia qui claritate vel acumine intelligentiæ ac scientiæ suæ præsumentes paulo ante dixerant : « Nunquid et nos cæci sumus ? » Nam protinus subditur: « Et ipsi non intellexerunt quid loqueretur eis. » Nonne ergo jam judicium fieri incipiebat de oculis eorum, ut cæci fierent, qui dixerant: « Nunquid et nos cæci sumus ? » Nonne si revera viderent et non odio præsentis veritati jam cæcutirent, cognoscere potuissent hoc proverbium, quod loquebatur eis saltem per visionem propheticæ Scripturæ, qua Ezechiel dicit : « Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos ? » Ac deinceps : « Nonne, inquit, greges pascuntur a pastoribus ? Lac comedebatis, lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis ; gregem autem meum **259** non pascebatis. » Et post pauca : « Ecce ego ipse super pastores, et requiram gregem nostrum de manu eorum, et cessare faciam ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam, » etc. Item in fine ejusdem capituli : « Vos autem, inquit, greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis ; ego Dominus Deus vester, dicit Dominus (*Ezech.* XXXIV). » Si ergo non jam cæci fieri inciperent, quomodo non cognovissent de qualium ovili ovium loqueretur eis ?

« Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. » Quomodocunque sive non valentes, sive non volentes cognoscere, « non cognoverunt quid loqueretur eis, » ostium ipsum quod clausum erat, se aperuit, ut jam velint nolint, audiant ipsi, audiant et videant, qui fuerant cæci, quod ostium, quod ovile dixerit : « Ego sum, inquit, ostium, » hic jam subaudiri necesse est, nec enim ignorari potest, quod de seipso dixerit supra: « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. » Proinde cum hac propositione qua dicit: « Ego sum ostium, » subaudita et assumpta sententia quam præmisit, recte concludit sic : « Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones. » Nempe si ipse est ostium, imo quia ipse est ostium, omnis autem, « qui non intrat per ostium, fur est et latro, igitur quotquot venerunt, fures et latrones sunt. Nemo quippe illorum, qui tunc venerant, et tunc in ovili tyrannizabant, intraverant per ipsum, quia non venerant prædicando et servando Dei verbum, sed venerant negando et blasphemando Dei Filium. Et de his qui tunc

A erant, eum dixisse manifestum est, quia præsentis temporis verbo fures sunt, et non præterito dixit, fures fuerunt. Verumtamen sive præsenti sive præterito tempore, » quotquot venerunt, fures fuerunt et fures sunt, » quia venerant a semetipsis, neque a Deo missi vel vocati sunt, quod est non intrasse per ostium. Aliud namque est simpliciter et absolute venisse, aliud in nomine Domini, vel a Deo venisse, unde prophetæ et sacerdotes sancti non tantum venisse, sed in nomine Domini venisse vel in nomine Domini locuti esse dicendi sunt. Igitur « quotquot venerunt, » subauditur, quia missi vel vocati non sunt, neque cum verbo Dei venerunt, « fures, inquit, sunt et latrones. » — « Sed non audierunt eos oves. » Hoc jam, et supra dictum est,
B quia alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum: non, inquam, audierunt, neque auditura sunt eos, quandiu fiet illud quod præsignatum est, per hominem illum, qui supradicto modo vel ordine illuminatus, maluit ejici foras quam audire furum aut latronum blasphemias. Iterum dicit : « Ego sum ostium. » Cur hoc dicit jam vice altera, nisi quia non unum tantum, sed duo sunt ovilia ? Hoc etenim post aliqua dicturus est : « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. » Ut ergo sese unum eumdemque significaret, qui antiquos pastores, scilicet Moysen et prophetas dedit, et nunc electione sua non vos, scilicet apostolos admittit, semel et iterum : « Ego sum ostium » dixit. Et primo, cum dixisset ostium, de præterito subjunxit : « Omnes quotquot vene-
C runt, fures sunt et latrones, sed non audierunt oves. » Secundo cum dicit : « Ego sum ostium, » de futuro subjunxit :

« Per me si quis introierit salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. » Ita distinguens non uni ovili duo ostia, quod vulgo facile est fieri, sed quod longe mirabilius est, unum ostium duobus ovilibus attribuit, ut necessario consequatur, quod dicturus est, paulo post: « et fiet unum ovile, et unus pastor. — Et ingredietur, inquit, et egredietur, et pascua inveniet : »

Olim quicunque ingrediebatur, sive indigena Israelites, sive advena proselytus, pascua legis et prophetarum inveniebat, sed egrediens, quia paradisus nondum reseratus erat; egrediens, inquam, a
D præsenti vita, pascua non inveniebat. Deinceps autem : « Si quis introierit, inquit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet, » quia videlicet et per fidem ingressus præsentis Ecclesiæ ovile, et recta carpet, tam legalis doctrinæ quam et evangelicæ gratiæ, et egrediens per mortem carnis, statim deliciis perfruetur paradisi, cujus usque ad interiora jam pervium factum est hoc ostium Dominus Jesus, per mysterium suæ sacrosanctæ passionis. Sequitur :

« Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat. » Singula horum, quæ dicta sunt, « ut furetur, mactet, et perdat, » significationes habent pro-

prius, et per hæc certa enumeratione partium, A cursim non qualiscunque furis, sed ejus qui, ut supra dictum est, fur est et latro, præscripta est atrocitas, aliud namque est quod furatur, aliud quod mactat, aliud quod perdit. Quid enim furatur nisi aurum et argentum? Aurum sapientiæ Dei, et argentum eloquii mystici, vel ut magis in metaphora sermo persistat; quid furatur, nisi salubria ovium pabula, furtimque corrumpit, quando perversis traditionibus sacram Scripturam eo sensu defraudat, quo illam Spiritus sanctus scribendam vel legendam tradidit? Unde et Apostolus cum dixisset: « Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora legis, instructus per legem, confidis teipsum ducem esse cæcorum, B lumen eorum, qui in tenebris sunt, » statim intulit: « Qui ergo alium doces teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui abominaris idola, sacrilegium facis? » (*Rom.* II.) Digna profecto invectione, et magni vigoris argumento usus est. Nam quanto Barabbas latro vel quilibet ejus similis, probosior fuit homine illo, cujus a nativitate cæci, ut supra narratum est, Dominus noster oculos aperuit, tanto detestabilior est fur iste qui in perversione Scripturarum vel operum Christi, hujusmodi sacrilegium facit, homine gentili quem ipse judicat, eo quod ostium non videns, idolum surdum et mutum pro ostio ambiat. « Hic igitur ad hoc venit, ut furetur. » Ingresso autem fure hujusmodi, necesse est oves utrobique periclitari. Nam si furto veritatis consentire vel pabula corrupta contingere noluit, iratus fur continuo mactat. De qualibus dictum est: « Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex eis occidetis, et crucifigetis, et flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem (*Matth.* XXIII). » Quod quidem necdum palam fecerant, nisi quod hominem sæpe dictum qui cæcus fuerat et viderat, suas blasphemias sequi nolentem foras ejecerant, sed postmodum publica insania fecerunt, ab ipso, qui hæc loquitur, summo pastore cruentum incipientes agere latrocinium. Si autem furto consentiant, furesque sequantur, et audiant vocem alienorum, tum corpora quidem non mactant, sed animas perdunt. Jam quippe ipso consensu animæ perditæ sunt, et si corpora vivunt, illæ jam perierunt. D Rectissime igitur dictum est: « Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat. » Furetur videlicet et adulteret vel corrumpat **260** verum Scripturarum sensum; mactet corpora sibi non consentientium; perdat animas consentientium. Cujus crudelitati oppositum est quod sequitur.

« Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. » Poterat sic dici: Ego veni vita hominum, ut abundantius vivant, quod utique plus esset quam quod dictum est: « Ego veni ut vitam habeant. » Nam et omnis pastor ovium qui intrat per ostium, ad hoc venit, ad hoc vocatur vel intromittitur, ut oves vitam habeant, verum non ipsa vita, sed tantum vitæ particeps, et vitæ nuntius sive minister est. Hoc, inquam, dici poterat, sed adversus fures et latrones, qui veniunt ut mortem inferant, ita congrue nec plus nec minus quam opportune oppositum est, dicendo: « Ego veni ut vitam habeant. » Quantum vero est quod addidit: « Et abundantius habeant? » Utique quantum differunt promissio et adventus ejus, tantum ultra mediocritatem antiquæ pascuæ, hoc est quod nunc dicitur, abundantius. Nam quod multo minus habuerunt oves Domini antiquitus, testatur Apostolus qui, enumeratis magnis et primis arietibus, sic ad ultimum de illis intulit: « Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis promissionibus, sed a longe aspicientes et salutantes eas, et confitentes quia advenæ et peregrini sunt super terram (*Hebr.* XI). » Certum est hoc, et nulli dubitare fas est, quia cuncti greges hactenus, qui adventum ejus præcesserant, foris excubabant extra paradisum, et longo balatu divinæ visionis pascua desiderabant, donec veniret, ut supra dictum est, et suo sanguine romphæam, id est, gladium flammeum exstingueret iste, qui illis repromissus est (*Genes.* III). Bene ergo cum dixisset: « Ego veni ut vitam habeant, » continuo subjunxit « et abundantius habeant; » quia videlicet vitam, quam habebant in spe dedit ut haberent in re. Unde supra cum dixisset: « Per me si quis introierit, salvabitur, » protinus adjecit: « et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. » C Quia profecto post adventum ejus dignæ oves, et ovile præsentis Ecclesiæ per fidem ingressæ abundantius quam anteriores, Dei notitia pascuntur, et per mortem carnis egressæ, visione summi pastoris perfruuntur. His dictis in judicium vel condemnationem eorum, qui fures et latrones sunt, nunc omnibus curæ suæ vicariis, qui digni pastores esse cupiunt, hoc modo semetipsum dat in exemplum.

« Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus. » Dum contra illos sermonem dirigeret, qui non intrant per ostium, sed descendunt [ascendunt] aliunde, et proinde « fures et latrones sunt, » semel et iterum dixit: « Ego sum ostium, » nunc ad eum sermonem intendens: « Qui intrat per ostium, et pastor est ovium, » pro causa vel eruditione ejusdem, cui loquitur amplius accommodat vocem suam dicens: « Ego sum pastor bonus, » atque ejusdem bonitatis formam, quam pastor quisque imitetur, adjungit dicens: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus. » Poterat plane bonitatis hujus formam sumere alterius, quia, cum esset in forma Dei Dominus noster, propter nos populum suum, et oves pascuæ suæ « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo (*Phil.* II); » et juxta parabolam centum ovium et unius perditæ, cum haberet oves nonaginta novem, id est, omnem beatorum angelorum multitudinem, relictis illis, venit unam, quæ

erraverat quærere (*Luc.* XV). Sic, inquam, poterat formam suæ bonitatis hic bonus pastor exponere, sed hoc exemplum nulli imitabile est. Non enim infra se descendere possunt, dum pastores hominum fiunt, sed econtra tanto supra semetipsos elevantur, ut principatibus et potestatibus cœlorum assimilentur. Bene ergo dum homines ad imitationem sui formare intendit, illud omittit quod nullatenus possunt imitari, et hoc solum quod imitabile est, hoc modo proponit. « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus, » hoc etenim pastoribus per spiritum charitatis, imitabile est, imo et imitari dulce est. Unde unus constantissimus, cum oves suas defensaret a furibus et latronibus : « Ego autem, inquit, libenter impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus diligens, minus diligat (*II Cor.* XII). » Quanti putas pro ovibus semetipsos impenderunt? Respersa sunt ovilia sanguine pastorum, maduerunt campi cædibus pastorum, cruentata sunt pascua vulneribus pastorum sacrata est terra corporibus pastorum, ditatum est cœlum animabus quas pastores pro ovibus suis posuerunt. Claret igitur imitabilem esse pastoribus hanc suæ humilitatis formam quam proposuit Pastor bonus. Et tamen nemo pastor bonus, nisi hic unus; quia nemo bonus, nisi unus Deus, hoc etenim quodam loco dicenti sibi cuidam : « Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo? respondit dicens : Quid me dicis bonum? » (*Luc.* XVIII.) Hæc enim est salutatio forensis, usitata ambitioni Scribarum et Pharisæorum. Nisi me confitearis Deum, consequens est ut nec dicas bonum. Itaque quomodo pastor et magister, voce quidem diversa, sed sensu idem sunt? Unde enim pastor ovium dicitur pro similitudine, inde magister hominum est in rei veritate : sicut magister bonus non nisi quia Deus est, sic pastor bonus, non aliunde, nisi quia Deus est; pastor, inquam, bonus, et non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus. Igitur cæteri quidem pastores digni, sive idonei dicantur; hic autem solus pastor bonus; qui solus ita animam suam posuit pro ovibus ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat, suæ carnis alimento satiaret. Quid ille qui hoc exemplum boni pastoris imitari renuit? Quali nomine vel potius denotatione censendus erit? Ait :

« Mercenarius et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit. Et lupus rapit et dispergit oves. » Quatuor hoc loco reposita sunt, scilicet : bonus pastor qui dicit : « Ego sum pastor bonus, » et is qui formam boni pastoris imitatur, mercenarius, et lupus. Item supra quatuor posita fuerant, ostium, et ostiarius, et pastor, et qui aliunde ascendit fur : ibi enim unum malum scilicet fur, hic duo mala, videlicet mercenarius et lupus. Attamen lupus cum mercenario occultius ovili est damnosus : nam « fur dum mactat et perdit, » aperta corporibus et ani-

A mabus tempestate, perniciosus est. Itaque mercenarius qui non ipse quidem mactat et perdit, sed fuga sua lupo perditori, raptori, et dispersori, scilicet diabolo locum facit; non quidem ipse fur est et latro, sed nec dicendus est pastor. Sic enim ait : « Mercenarius et qui non est pastor. » Quomodo ergo vel qua intravit? Namque inter ostium et ascensum aliunde, nihil medium superius positum est. At is qui per ostium intravit, pastor, inquit, est ovium, et qui ascendit aliunde, fur est et latro. Qua ergo intravit mercenarius, qui non est pastor, nec rursus mactat aut perdit, sicut fur? Non enim aperte, sicut Arius vel alius quilibet hæresiarcha sævit aut persequitur, ut occidat eorum corpora, quorum non potest animas suæ

B perversitatis maculare consensu. Restat utique, ut, si fur non est, socius tamen furum sit, **261** quia de talibus per prophetam dictum est : « Principes tui socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributionem (*Isa.* I). » Socius autem furum animo est; nam corpore cum pastoribus per ostium intrare visus est. Itaque divisus ipse est. Quapropter de hujusmodi alibi dictum est : « Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis (*Matth.* XXIV); » dividet, inquit, id est, divisum et duplicem fuisse redarguet; dividet eum, id est, pastoralis gratiæ donum ab illo auferet, et ipsum pœnis tradet. Ostensa igitur pastoribus de contemptu mortis via quam sequantur, et apposita forma cui imprimantur; recte ex opposito mercena-

C rius describitur, qui tametsi fur et latro non esse videtur, sed potius per ostium intrasse pro eo quod Catholicam fidem profitetur, nec aliud evangelizat, quam id quod evangelizatum est a veris pastoribus, tamen juxta præscriptam prophetæ sententiam, qui cum dixisset : « Principes tui socii furum, » statim hoc ipsum ratione comprobans : « Omnes, inquit, diligunt munera, sequuntur retributiones (*Isa.* I), » ipse utique socius furum est. Nam et pro eo quod munera diligit, et temporalem sequitur retributionem, mercenarius est. Cujus descriptio diligenter consideranda est. « Mercenarius, inquit, et qui non est pastor. » Rem solerter animo auditoris impressit, sic dicendo : « Et qui non est pastor, » scilicet ut de corde ejus vulgarem exstirpet opinionem, qua

D putatur vel dicitur esse pastor. Vere enim non est pastor; nam pastor dicitur eo quod gregem pascat. At ille non gregem sed seipsum pascit. Unde propheta : « Væ, inquit, pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos (*Ezech.* XXXIV), » etc. Igitur dicitur quidem, sed « non est pastor, cujus non sunt oves propriæ. » Et hoc utique cum gravi pondere dictum est : « Non sunt, inquit, ejus oves propriæ, » quia videlicet non in ejus pectore, gratia mater parturivit, quomodo in illo, cujus hæc vox est : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Galat.* IV). » Non possidet animam ejus, spiritus pastoris boni, et ideo non mirum, quod non

et ipse in brachio suo congregat agnos, et in sinu suo levat, quod non et ipse fetos portat. Sed quid? « Videt, inquit, lupum venientem, et dimittit oves et fugit. » Non arguitur mercenarius quod furatus sit, mactaverit aut perdiderit : quia videlicet, cum non educat oves in saltus alios, quam quos probaverunt pastores magni et probati, neque perdat oves venenatis falsæ doctrinæ pascuis, non satis legitime fur dici potest; et proinde nec occasio est cur mactet. Nam interim oves non fugiunt ab eo, quippe, quæ non habent causam legitimam, cur non audiant vocem vel cur necessario devitent ejus communionem, cur illi lac suum ad edendum suamque lanam denegent ad operiendum. Sed unde arguitur? « Videt, inquit, lupum venientem, » id est diabolum animabus insidiantem, easque ad mortem æternam per diversa scelera protrahentem. Videt, inquit, et fugit, » id est, sub silentio se abscondit. « Fugit, » id est, verbum exhortationis subtrahit, ne si lupo resistat, temporale commodum, quod amat, amittat.

Amant enim oves suam plerumque perniciem; amant, inquam, et suis exitiis delectantur, suis periculis male blandis in præsenti demulcentur, nec recogitant dulcedine vitiorum fallente, quantus eas interitus consequatur. Et nisi perire permittantur, ejusmodi oves sunt, ut neque ad multam pastoris venire, neque tonsorem eumdem jam velint subire, insuper et ipsum pastorem tumultuando, quantum possunt, cornibus et lateribus audent impingere. Fugit ergo mercenarius taciturnus, ne pugnando pro ovibus temporalis lucri detrimentum patiatur.

« Et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. » Sola ergo causa fugiendi est, quia mercenarius est, quia mercedibus transitoriis inhiat, et dum illis contentus est, lupus rapit ac dispergit oves. Nec solummodo lupo veniente fugit, sed et quando juxta Ezechielem colliduntur arietes et hirci, dum lateribus et humeris impingunt, et cornibus suis ventilant omnia infirma pecora, donec dispergantur foras (*Ezech.* XXXIV), fugit idem mercenarius abscondendo se, non judicans inter pecus, et pecus, aut certe nequius, quod crassum est assumit, et quod debile est projicit; videlicet justificans impium pro muneribus et justitiam justi auferens ab eo. Sane cum alibi dicat : « Si vos persecuti fuerunt in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* X), » tunc irreprehensibiliter pastor fugit, quando aperta persecutione furis hæretici, sive lupi diaboli, per gentilem potestatem malitiam suam exerentis, pastor ipse quæritur ut oves ejus præsidio destituantur. Quod Paulus apostolus non solum irreprehensibiliter, verum etiam laudabiliter fecisse legitur, quando Damasci præposito gentis Aretæ regis custodiente civitatem, ut eum comprehenderet, a fratribus per murum submissus est in sporta, et sic effugit manus ejus (*II Cor.* XI). Non enim fugit, ut oves destitueret, sed ut ovium saluti seipsum reservaret. Cæterum omnes qui absque ejusmodi causa fugiunt, qui oves

A dimittunt, hic pastor et episcopus animarum nostrarum merito excluditur a numero pastorum. Quibus explosis iterum dicit :

« Ego sum pastor bonus. » Et notandum quod et superius bis, « ego sum ostium » dixit, et nunc itidem bis : « Ego pastor bonus, » inquit. Ipse ostium et ipse pastor, ipse tam anterioris quam et posterioris ovilis unum ostium et unus est pastor; iterum, inquam, dicit : « Ego sum pastor bonus, » atque ejusdem bonitatis affectum protinus adjungit, dicens : « Et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. » Hanc et illam quam supra dixerat rationem, « pastor bonus, qui animam suam dat pro ovibus, » unam et eamdem esse constat, ex eo quod protinus adjungit : Sicut novit me Pater, et ego B agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. » Duobus præceptis charitatis a semetipso completis, sine quibus pastor idoneus nemo unquam fuit, nec esse poterit : nunquam enim verus aut dignus erit discipulus hujus boni pastoris, nisi qui, ut Apostolus ait, germane diligat gregem Christi (*Philip.* IV); duobus, inquam, præceptis charitatis bonitatem suam examinatam ostendit in uno laudabili experimento, quod est, et « animam meam pono pro ovibus meis. » Primum et maximum est mandatum, dilectio Dei, quod intelligitur in eo quod ait : « Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem. » Secundum autem simile est huic : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* XXII), » hoc nihilominus intelligendum est in eo quod ait : « et cogno- C sco meas. » Idcirco præpostere, prius secundum et post signatum est primum; quia videlicet per dilectionem proximi ascenditur ad dilectionem Dei. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Formam ergo suæ bonitatis, qua suos imitatores informare cupit, ordinate exprimens, incipit a dilectione proximi cum dicit, « et cognosco meas. » Cognosco enim, id est diligo. Imo et magnificentius charitatem suam exprimit dicendo, « cognosco, » quam si dixisset, diligo. Hoc enim verbum cum significatione dilectionis simul sonat affectum compassionis. Juxta quod Salomon ait : « Novit sapiens animas jumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia (*Prov.* XII). **262** Itaque sicut in psalmo : « Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum (*Psal.* CII), » sic et D nunc dum dicit, « et cognosco meas, » simul dilectionis et operosæ misericordiæ signat affectum. « Et cognosco, inquit, meas, et cognoscunt me meæ. » Suave dictum, sed terribile judicium. Respondetur enim hoc ad illud, quod supra dixerunt negatores ejus : « Scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit. » Igitur ad illorum distinctionem, quia sui non sunt, quia negaverunt eum, secundum quod et Daniel ait : « Et non erit ejus populus, qui negaturus est eum (*Dan.* IX), » ad distinctionem, inquam, illorum « cognosco, inquit, meas, et cognoscunt me meæ. » Æqua utique vicissitudine negatores suos negat ipse, ac si aperte di-

A cat : Cognosco meas, et non vos alienos, cognoscunt me mei, si vos alieni non cognoscetis me Item, et hoc dixerunt : « Non est hic homo a Deo. » Repugnat quod dicit : « Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem. » Novit me Pater, hoc est diligit, agnosco ego, hoc est diligo Patrem. Ita ut prædictum est : pastor bonus bonitatem suam in duobus præceptis charitatis ostendit, scilicet dilectione Dei Patris, et dilectione proximorum, id est, earum de quibus nunc loquitur, ovium suarum, quibus assumptione carnis, et magnitudine beneficii proximus factus est, et hoc tam ex his quam ex cæteris ejus sermonibus altius commendatur, quod tota ovium Domini cura geminæ sit dilectionis opus, quam quisquis non habet, non pastor est, sed mercenarius. Sequitur :

B « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor. » Ecce quantum bono pastori stultæ oves obfuerunt, in eo quod cum malitiosis vulpibus, id est, malignis spiritibus consilium ineuntes, jam conspiraverant, ut si qua ovium pastorem suum illum esse agnosceret, protinus humeris et lateribus cæterarum impacta, extra ovile fieret. Nunquid conspiratio hæc gratiam pastoris ei evacuaret, aut nomen ejus sive facultatem diminueret? Absit! Nam et alias oves, inquit, habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, quia non de carne patriarcharum et prophetarum progenitæ sunt, qui magni arietis, et aliqui etiam pastores, ut David, vel Moyses, et Aaron, hujus ovilis patres C exstiterunt. Non sunt, inquam, ex hoc ovili, et alias oportet me adducere. Quare? Videlicet quia istæ oves prædicta conspiratione sua invicem afflatæ, dira pestilentia contabuerunt, et semetipsas corruperunt, idcirco his abjectis oportet ex aliis ovibus præfinitum ante sæcula, ovium supplere numerum: « Me, inquit, oportet illas adducere. » Nunquid ipse pastor, qui hæc loquitur, per semetipsum ad nos oves alienigenas venit? Nonne a furibus et latronibus in medio hujus ovilis comprehensus animam suam posuit, et deinde ascendens in cœlum nunquam visus a nobis, suos tantum vicarios ad nos direxit? Ita plane, sed nec eodem modo nos minus quid ab illo magno grege habemus, quem de Ægypto adduxit idem pastor, idem Deus (*Exod.* III). D Nunquid enim non per homines Deus, per homines, inquam, Moysen et Aaron, quibus apparuerat, illas oves adduxit? (*Exod.* IV.) Utique non magis illis quam nobis, non nobis minus quam illis adducendis adfuit præsentia visibili. Unus illorum pastor tunc Deum audivit in rubo (*Exod.* III); nostri pastores viderunt illum in crucis ligno, de quo ait quidam tam doctus quam fidelis : « Tristes purgantur sanguine culpæ. » Quem econtra rubus densis cruciatibus edit. Et illi quidem duo signa dedit dicens : Si non crediderint verbo signi prioris, credent vel verbo signi sequentis; sed et nostris item pastoribus duo signa dedit dicens : Si non viderunt gloriam signi prioris, videbunt saltem virtutem signi sequentis. Etenim si non vidimus nos, quod virga in colubrum conversa sit, et devoratis magorum Ægyptiorum colubris, iterum virga quod fuerat effecta sit (*Exod.* VII), id est, quod Christus rex ipse, et paternæ Divinitatis virga regia in mortem devenerit, quæ per colubrum in hunc mundum subintravit, et consumptis peccatis nostris, iterum in verum et æternam vitam regnaturus surrexit (*Luc.* XXIV), at saltem videmus, quod de sinu manus extracta leprosa tota effecta sit, id est, quod totum illud antiquum ovile pestilentia perfidiæ contabuerit, quod a gratia Dei Synagoga exciderit, imo et juxta quod ille prædixit : Ceciderint in ore gladii, et captivi ducti in omnes gentes, lepram suam toto orbi spectandam jamdudum circumtulerint, cogemiscente Propheta ac dicente : « Usquequo avertes manum tuam e dexteram tuam de medio sinu tuo in finem (*Psal.* LXXIII). » Etenim circa finem sæculi iterum in pristinum sinum gratiæ mittetur et mundabitur. Igitur cum per legatos suos, in quibus ipse procul dubio loquitur, nos alias oves suas vocavit, non minus quam prioris ovilis oves, per semetipsum adduxit. Ait itaque : « Et illas oportet me adducere. » Quo autem adducere? Non ad vestram synagogam, o putidi hirci, qui et secundum animam in inferiora terræ introibitis et secundum corpus trademini in manus gladii, partesque vulpium eritis, sed ad fidem patriarcharum et prophetarum, cum quibus balare vel canticare audetis dicentes : « Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus (*Psal.* LXXVIII, XCIV), » cum sitis tauri pingues et lascivi vituli, Cethæorum et Amorrhæorum saltibus innati vel educati. Ad illorum, inquam, fidem me alias oves, vobis abjectis, oportet adducere, et vocem meam audient, quam vos, ut superius dixi, « propterea non auditis, quia ex Deo non estis. » — « Et fiet, inquit, unum ovile, et unus pastor. » Non dixit, et fiet unus pastor et unum ovile. Jam enim unus pastor est, sed fiet unum ovile, quod nondum factum est, et unus pastor permanebit, qui nunc et semper est. « Fiet, inquam unum ovile, nulla distinctione habita; peregrinæ et indigenæ oves, id est, Judæi et Græci, et ille unus pastor omnium erit, de quo per prophetam dictum est : « Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus eorum ero eis in Deum et servus meus David princeps in medio eorum (*Ezech.* XXXIV). » His dictis adhuc persistit in commendatione charitatis, qua et ille animam suam pro ovibus suis posuit, dicens :

« Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam et iterum sumo eam. » Tanquam diceret : Hoc opus magnæ dilectionis, quod est bonum pastorem esse, et animam dare pro ovibus, Pater diligit, et de quocunque pastore hoc opus acceperit, illum amore suo dignum ducit. Poterat quippe sic dicere. Propterea « me Pater diligit, quia sicut docuit me, hæc loquor, et a meipso facio nihil; » vel

quia « per me in principio cuncta fecit, et sine me factum est nihil. » Verum hoc loco pastorem legitimum instituere vel erudire intendit, et illud notum facere, quod lucro animarum charius Deo nihil sit. Hoc igitur opportune secundum rem dixit : « Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, » subauditur, pro ovibus meis, videlicet ut sciant pastores animarum, quanti meriti sit mori pro salute earum. Sed non gaudeat fur, non lætetur latro, non exsultet **263** lupus quod animam suam ponit pastor bonus, quod occiditur ovium defensor et Dominus, quod mori potest hic fetarum gestator, et agnorum nutritius. Non, inquam, lætentur parvuli isti hircorum pulli, quos invidia occidit, invidendo morientes, et moriendo invidentes, qui jam timere cœperant, quod in dispersionem gentium iturus esset, et docturus gentes, et sic adducturus alias oves. Non enim hoc solum dixit : Ego pono animam meam, » sed confestim addidit : « et iterum sumo eam. » Nec istud semel dixisse contentus est, sed adhuc super inimicos suos confortatur et dicit :

« Nemo tollet eam a me, sed ego ponam eam a meipso. Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam. » Sciunt jandudum cunctæ oves, optime de hujus pastoris sui fortitudine sentientes ; sciunt, inquam, quia fures et latrones frustra cum laternis et facibus et armis ad comprehendendum illum misissent, nisi ipse a seipso ponere voluisset animam suam (*Luc.* XXII). Nam quomodo semel abierunt retrorsum et ceciderunt, dicente illo : « Ego sum (*Joan.* XVIII), » sic fieri jugiter potuisset, vel certe uno casu sempiternum illorum consummari exitium. Non ergo animam ejus tulit, quis quomodo jure tollitur ab unoquoque nostrum, quos in semetipso primus parens immortalitate exhæredavit : Sed ego, inquit, a meipso, scilicet spontanea morte moriendo, pono eam in manu Patris, dicens : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII), » videlicet antea præfinita conditione hac, ut si ego talentum hoc id est animam meam, pro sanctificatione antiquæ prævaricationis persolvam, et ipsam et cunctas ovium mearum animas, patre annuente recipiam. Itaque propter morti nihil debentem innocentiam, potestatem habeo ponendi vel non ponendi animum, quod si posuero eam, consequenter propter interpositæ conditionis justitiam, potestatem habeo sumendi eam, scilicet ut resurgam, et omnes mihi conresurgere factam. Forte dicis : Quare ergo ponis pro ovibus animam tuam, cum potestatem habeas etiam non ponendi eam ? Adhuc ille : « Hoc mandatum accepi a Patre meo. » Quod est hoc mandatum, nisi charitas ? Mandatum enim, inquit, novum do vobis, ut diligatis invicem. Hoc ergo mandatum charitas est, qua, ut superius dictum est, cognoscuntur, id est, diliguntur oves, cognoscitur, id est, diligitur Pater. « Sed hic, inquit, mandatum accepi a Patre meo. » Igitur non ut cæteri quicunque dicuntur pastores boni, sic et iste pastor bonus accidentaliter bonus est, sed a Patre suo accepit, id est, ab ea natura, qua Deus illi Pater est, bonus esse habet, tantæque naturaliter est charitatis, ut animam suam ponat pro ovibus suis. Sequitur :

« Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos. » Iterum, inquit evangelista, dissensio facta est propter sermones hos. Nam semel facta jam fuerat propter opus illud quod in Sabbato cæci nati oculos aperuerat (*Joan.* IX). « Alii autem dicebant [multi autem dicebant ex ipsis] : Dæmonium habet et insanit, quid eum auditis ? » O malum stultiloquium dicentium, dæmonium habere et communi sensu carere Dei Filium. Et superius dixerant : « Dæmonium habes (*Joan.* VIII), » nunc furore incontinenti cum dixissent : « Dæmonium habet, » addiderunt : « et insanit, quid eum auditis ? » Hoccine erat quod dixit paterfamilias de malis illis, et merito male perdendis agricolis (*Matth.* XXI) ; verebuntur filium meum ? Quem enim servorum illius, quos antea miserat, tam nequiter inhonoraverunt, tantisque contumeliis affecerunt ? quod infelix terra tam putidos canes sustinuit ? quomodo infaustus aer talium viperarum linguis venenatis non contabuit ? « Dæmonium, inquiunt; habet, et insanit, quid eum auditis ? » — « Alii dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis; nunquid potest dæmonium cæcorum oculos aperire ? » Eadem ratione duce, dissentientes superius dixerant : « Nunquid potest homo peccator hæc signa facere ? (*Joan.* IX.) Adversantur etenim invicem sibique repugnant, peccatorem esse, vel a Deo non esse, et hæc signa facere. Amplius autem repugnantia sunt dæmonia cum esse vel insanire, et cum operatione signorum ejusmodi verba proferre. Utique si cæci non essent, scire poterant quod hæc non insaniæ, sed veræ sunt verba sapientiæ, et quod ad aperiendos cæcorum oculos non dæmoniaca insania, sed virtute divina opus est.

LIBER DECIMUS

Propheta cum dixisset in psalmo : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine ; nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, » continuo subjunxit : « Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc (*Psal.* XCI). » Quis autem magis insipiens, vel magis stultus Judaico populo, qui et magnifica Domini opera non cognoscit. Verbi gratia, dum dicit superius : « Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum

non custodit, et verba ejus non intelligit, » dum dicit: « Dæmonium habet et insanit, quid eum auditis? » Attamen magnificanda erant opera tua, Domine, in oculis ejus, et revelandæ cogitationes tuæ in auribus ejus, ut ostensa illi non videremus et dicta illi non intelligeremus, quatenus eodem igne humilium oculi illuminarentur, cujus fumo illorum superbia excæcaretur. Igitur et hactenus coram insidiatoribus suis tuta processit doctrina veritatis, et deinceps magis ac magis interrogationibus pulsata semper augescens, dictis et factis in auribus **264** et oculis eorum recto tenore procedit, evangelista sic prosequente ordinem narrationis.

« Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis, et hiems erat. » Encænia festivitas erat dedicationis templi, tantumque est hoc nomen a Græco καινον quod Latine dicitur *novum*. Et quandocunque novum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocatur. Sed et si quis nova induatur tunica, recte Encæniare dicitur. Encænia ergo, id est, solemnia dedicationis templi agebantur, cum ea quæ sequuntur, interrogantibus Judæis locutus est Dominus: « Et hiems, inquit, erat. » Juxta litteram tempus anni demonstratur, quo agebatur ejusdem dedicationis festivitas, a tempore Machabæorum, qui destructo altari (quia contaminaverunt illud gentes) « ædificaverunt altare novum, secundum illud quod prius fuit, et quinta et vicesima mensis Casleu dedicaverunt illud (*I Mach.* IV). » Et statuit Judas et fratres ejus, et universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, a quinta et vicesima mensis Casleu. Mensis autem Casleu, ipse est qui apud Romanos December dicitur, et est a Martio quidem, a quo antiquitus Romani annum inchoant, decimus. Ab Aprili autem, qui apud Hebræos secundum legem, principium mensium, et primus est in mensibus anni existit nonus. Igitur juxta litteram, ut dictum est, indicatur natura temporis, sed mystice, quod magis ad rem attinet, frigida Judæorum significatur impietas, quia mentes illorum a divino igne aversas, diabolus tanquam glacialis Boreas afflaverat.

« Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. » Hæc porticus Salomonis ipsa erat, de qua in libro Regum scribitur: « In die illa sanctificavit rex Salomon medium atrii, quod erat ante domum Domini, fecitque ibi holocaustum et sacrificium, et adipem pacificorum (*III Reg.* VIII). » Cum ergo ambularet in hujusmodi porticu Dominus noster, utique in templo ambulabat, quia porticus illa æque, ut templum a Salomone sanctificata fuerat. « Circumdederunt eum ergo Judæi, et dicebant: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. « Vigilantissimi animarum suarum custodes, et de sua salute solliciti, multum dolebant, quoties adversus Dominum convenissent schismata inter se fieri, suasque animas per dissensiones periclitari, ut nunc novissime, quando dicentibus: « Dæmonium habet, et insanit, quid eum auditis? » Alii dicebant: « Hæc verba non sunt dæmonium habentis, » et: « Nunquid potest dæmonium cæcorum oculos aperire? » Et in hujusmodi dissensionibus illorum animas perire dicebant, qui ab intentione sua dissentiendo saluti magis appropinquabant. Et tunc quidem propter dissensionem, quæ cæco illuminato semel et iterum facta est inter nos, solutum est inefficax eorum conventiculum. Nunc autem ubi ad solemnitatem dedicationis veniens, ambulabat, ut prædictum est, in templo, ut in porticum Salomonis, nacti sibi videbantur opportunitatem aucupandi contra eum aliquid, unde posset accusari. « Circumdederunt ergo eum, tanquam vituli multi, et tauri pingues obsederunt eum (*Psal.* XXI). » Et dicebant: « Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. » O perditæ animæ, cum hic vobis palam dixerit, quod Christus ipse sit, ergo ne illa ejus opinio cessabit, quam vos ægre ferentes, vestram perditionem esse calumniamini, dicendo: « Quousque animam nostram tollis? » Quid enim ex ore ipsius hoc audire desideratis, nisi ut apud potestatem Romani imperii adversus illum accusationem inevitabilem invenire possitis? Nempe cum Christus orbis terrarum debeat esse rex, quamvis hoc terrenis regnis nihil nociturum sit, robusti tamen accusatores eritis, ita ut judicem quoque premere possitis, dicendo: « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari (*Joan.* XIX). » Ergo ne, inquam, nunc quidem animam vestram tollit, sed tunc non tollet, cum hoc non perfeceritis? Absit a vobis hæc beatitudo, ut ipse animam vestram tollat, et possideat vos! Concedat nobis [vobis] potius, quoniam sic vultis, ut, sicut propheta gemebundus prædixit: « Auferant iniquitates vestræ, et possideant vos absque se (*Isa.* XVI). » Aliæ sunt animæ quas tollet, cum vos illum pro accusatione regii nominis vinctum Pilato tradideritis (*Matth.* XXVIII). Ligatis namque manibus suis, fortem armatum fortior ipse alligabit confixis manibus ac pedibus atrium ejus debellabit, et beatas omnes animas tollet, vasa enim ejus diripiet. Vos autem nequaquam forti illi tollemini, sed possidebunt vos omnes nequitiæ ejus, et erunt novissima vestra pejora prioribus (*Luc.* XI). Nunc audiemus qualiter gyrum vestrum solverit, quo illum tam nocendi intentione, quam turbæ vestræ stipatione circumdedistis, non tantum Regem, sed et Deum se esse contestans consubstantialem Patri, ait:

« Loquor vobis et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Sed non creditis, quia non estis ex ovibus meis. » Superius ait hic ipse, qui nunc circumdatus est a Judæis « Christus lux mundi; et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est (*Deut.* XIX). » Statimque intulit: « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater (*Joan.* VIII), » nunc in articulo præsentis interrogationis responsurus illud quod non in sola

porticu vel templo Salomonis, sed in toto mundo debeat audiri, rationabiliter eadem testimonia præsentat, ad confirmandam veritatem suæ responsionis : « Loquor, inquiens, vobis, et opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me, » et utrumque testimonium illos respuere, contra legem suam, in qua scriptum est : « Quia duorum hominum testimonium verum est ; » utrumque, inquam, testimonium illos contempsisse redarguit, ad singula subjungendo : « et non creditis. » Nam et cum dixisset : « Loquor vobis, » continuo addidit : « et non creditis, » et cum subsecutus esset : « Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me, » statim adjecit : « Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis ; ac si dicat : Jam non docendi estis, quia Christus ego sum, sed arguendi de peccato, quia non jamdudum testimoniis evidentibus credidistis, secundum legis edictum redargutionis hic modus est, et hæc sententia judicii, ut jam nunc abnegem vos, quod et facio, dicens : « Quia non estis ex ovibus meis. » Frustra igitur hic captores hiaverunt, circumdantes eum atque dicentes : « Si tu es Christus dic nobis palam. » Non enim suadet illis ut se examinent imperio Cæsaris, neque arguit quod non jam se in regem sublimaverint, « sed non estis, inquit, ex ovibus meis, » permanens in metaphora juxta quam supra dixerat ; « Ego sum pastor bonus, » etc. Quare autem secundum nomen regium, de quo interrogabatur, dicere potuisset : Non estis ex civibus meis, dicere maluit secundum nomen pastoris : « Non estis ex ovibus meis ? » Videlicet quia satis quidem pro bonitate pastoris, sed parum pro majestate ejusdem dictum est, in eo quod ait : « Et animam meam **365** pono pro ovibus meis. » Proinde quod superest de majestate vel potentia suæ divinitatis, hoc modo subjungit :

« Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus. » In his et plus dictum est quam fuerat interrogatum, quia cum de sola regia potestate quæreretur, de divinitatis quoque majestate responsum est, et in omnibus tamen, ne unum quidem verbum sonuit, quod dijudicare possent ministri vel amici Cæsaris. Hæc enim verba non invasionem comminantur Romani imperii, sed mysterium continent regni Dei, suntque maxime apud gentiles judices verba libri signati, quem si, juxta prophetam, « dederis nescienti litteras et dixeris : Lege, respondebit : Nescios litteras (*Isa.* XXIX). » Sic enim et Paulo contigit, quo incipiente aperire os, dixit Gallio ad Judæos : « Siquidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem. Si vero quæstiones sunt de verbo et nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis. Judex ego horum nolo

A esse (*Act.* XVIII). » Ita ergo et nunc ipse rex cœli, qui per eumdem Apostolum præcipit dicens : « Nemini dantes ullam defensionem (*II Cor.* VI), » non sic de regno suo respondit, ut ostenderet potestatem terreni imperii, sed verbis vel nominibus sacræ Scripturæ utens, de quibus Romani judices esse non curarent, inhiantem contra se Judæorum illusit impietatem. « Oves meæ, inquit, vocem meam audiunt. » Quando istud timerent superbæ vires Romanorum militum, ubi is qui accusaretur, non eversorem urbium, sed pastorem se profiteretur ? Nempe facilius ridere quam timere hujusmodi causam potuerunt, ita ut cum illusione genu flexo, dicerent : « Ave, rex Judæorum (*Matth.* XXVII). » Sane quod nunc ait : « Et ego cognosco eas, et sequuntur me, »

B idem et supra dixerat : « Et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. » Vita quoque æterna de qua nunc ait : » Et ego vitam æternam do eis, » illa est pascua de qua superius : « Per me, inquit, si quis introierit, salvabitur et ingredietur, et egredietur et pascua inveniet. » Differt tamen modus dicendi : « Et ego vitam æternam do eis, quod utique nemo nisi Deus dicere vel facere possit. » Notanda vero diligenter series hujusce dictionis. « Audiunt, inquit, vocem meam, et ego cognosco eas, sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum. » Horum quoque contraria de illis oportet subaudiri, quibus ait, quia non estis ex ovibus meis, » videlicet, quod eos non cognoscat quod vita æterna defraudati sint, et in æternum perierint. Nam ad distinctionem talium hædorum

C dixit : « Oves meæ vocem meam audiunt, » etc. Quod autem addidit : « Et non rapiet eas quisquam de manu mea, » sine dubio multis jamdudum argumentis universo orbi comprobatum est. Quid enim fures et latrones intentatum reliquerunt, quid non egerunt, ut raperent oves, lupi vel omnes feræ silvarum ? Et tamen de manu pastoris hujus nullam omnino ex ovibus rapere potuerunt. Bene ergo pastor iste fortissimus dictus est David per prophetam, in quo hæc, ut supra dictum est, loquitur Deus : « Et suscitabo super eas pastorem unum ; qui pascat eas, servum meum David ; ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum (*Ezech.* XXXIV). » Ille namque in custodia

D gregis, boni hujus pastoris signum gessit : « Pascebat, inquit, servus tuus Patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis, et sequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam interficiebamque eos (*I Reg.* XVII), » etc. Grex ille, Dei populum qui dicit in psalmo : « Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus (*Psal.* XCIV) ; » leo vel ursus diabolum. David ipse tam fortitudine quam nomine (interpretatur enim *manu fortis*) bonum præsignabat pastorem Christum, qui cum de suis ovibus nullus omnino perdat. Et non rapiet eas

quisquam, inquit, de manu mea; diabolum namque A suffocavit, et nos oves suas de ore ejus liberavit, omnem quoque persecutorem (quales tunc erant Annas et Caiphas, cæterique scribæ et Pharisæi, qui jam conspiraverant, ut pastorem hunc nulla sequeretur ovis) casso labore deceptos, furti atque latrocinii redarguens, æterna damnatione punivit. Unde autem tanta fortitudo in manibus ejus? Ait: « Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est. » Illud, inquit, quod dedit mihi Pater meus. Videlicet in eo quod mihi Pater est, id est, illud quod sum ego non secundum carnis naturam, quæ ex homine sumpta est, sed secundum eam naturam, qua Deus mihi Pater est, majus omnibus est, fortius omnibus est, potentius omnibus est. Quod si omnibus majus, utique et raptore animarum diabolo, majus atque fortius B est. Quid tandem illud est majus omnibus quod dedit tibi Pater tuus? « Et nemo, inquit, potest rapere de manu Patris mei. » Hoc utique majus omnibus est, quod de manu Patris mei nemo rapere potest. Nihil enim præter Deum insuperabile est. Sed « illud, inquit, quod dedit mihi Pater, majus omnibus est. » Quid igitur ille Pater huic filio suo, nisi omnipotentiam suam dedit, ut nemo rapiat de manu Filii, sicut « nemo potest rapere de manu Patris? »

Proinde continuo recte subinfertur: « Ego et Pater unum sumus; » nimirum hinc illud maxime pendet, quod jamdudum catholica fides inter Arium et Sabellium, tanquam inter Scyllam et Charybdim navigans per suos fortissimos remiges uno ore conclamare consuevit, neque confundentes personas, C neque substantiam separantes; alia enim est persona Patris, alia Filii, addendo etiam, alia est Spiritus sancti; una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Sabellius namque (qui et Patripassianus) personas confudit, dicendo unam eamdemque esse Patris, et Filii et Spiritus sancti. Econtra Arius, aliud, inquit, Pater, aliud est Filius. Pater increatus, Filius vero creatura est. Utramque stultitiam catholica fides detestatur, firmiter tenens et pluralis numeri, verbum, quod est, sumus, et neutralem unitatis dictionem, unum: unum enim, inquit, non unus. Sic etenim dixit Dei Filius: « Ego et Pater unum sumus. » Per hoc quod ait, « unum, » substantiæ unitatem; per id quod dixit, « sumus, » personarum expressit pluralitatem. Igitur cum dicit de seipso Filius. « Et non rapiet eas quisquam de D manu mea; » de Patre vero: « Et nemo potest rapere de manu Patris mei, » et continuo subjungit: « Ego et Pater unum sumus, » hoc procul dubio vult intelligi, quia Patris et Filii una est divinitas, una eademque omnipotentia, una substantia, una natura, quod Græce ὁμοούσιον dicitur, quodque confitens nos, recte Homoousiani dicimur. Hoc vocabulum Ariani frustra calumniati sunt dicentes, secundum Apostolum, devitandas esse profanas novitates vocum (*I Tim.* VI), et idcirco consequenter hoc nomen esse devitandum, eo quod non inveniatur **266** in toto canone Scripturarum. Nomina namque vel verba, cum signa sint rerum, utique rebus ipsis cuncta posteriora sunt, quia propter significandas res inventa sunt. Oportet enim prius res ipsas existere, et deinde signa rerum. Constat autem nec ante Evangelium, nec nisi per Evangelium mundo innotuisse Deum Dei Filium. Igitur ubi ipse, vel coæterna Patri divinitas ipsius per Evangelium innotuit, ut verbi gratia, per hoc quod nunc ait: « Ego et Pater unum sumus, » profecto re constante licuit, imo et oportuit, adversantibus hæreticis rei nomen producere. Licuit enim semperque licebit, signatum præsente nota, producere nomen. Sed jam quid ad hæc Judæi fecerint audiamus. Sequitur:

« Sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus: Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis? » Superius cum itidem vellent eum lapidare, dicent: « Antequam Abraham fieret, ego sum, abscondit se, et exivit de templo (*Joan.* VIII) » tanquam infirmus, et non valens inimicos suos in ipsis suis alligare conatibus, nunc autem in medio turbæ furentis astat conspicuus, loquiturque tanquam judex aut defensor, seditiosorum causas cogniturus. Quid igitur est, nisi quia non solum in magnis et præcipuis, sed in quotidianis quoque ejus actibus, « apud ipsum, sicut testatur Job, est sapientia et fortitudo (*Job* II). » Sapientiam namque spectat quod tunc se abscondit, et exivit de templo, et præteriens hominis cæci a nativitate aperuit oculos, videlicet hoc modo, sicut in eodem jam loco dictum est, consilium sapientiæ suæ significans, de quo et ipse postmodum: « Ut et qui non vident, inquit, videant; et qui vident, cæci fiant (*Joan.* XIX). » Fortitudinis vero est quod nunc in medio furentium persistit, scilicet hoc modo comprobans quod paulo ante dixerat:

« Nemo tollet a me animam meam, sed ego a meipso ponam eam. » Nam esse usque ad tollendos lapides potuerunt currere, et lapidei sui cordis duritiam manibus armatis prodere, sed ultra nihil audentes, palam nobis faciunt, hunc illum esse qui loquitur ab beatum Job: « Circumdedi mare terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi: Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos (*Job* XXXVIII). » Sic itaque iste princeps fortitudinis, et Judaico furori terminum posuit, ne sese lapidarent, dicentem: Ego et Pater unum sumus, » et ejusdem consubstantialitatis persecutoribus hæreticis, ne Homoousianorum fidem perniciose læderent, omnipotentiæ suæ vectem opposuit. « Multa, inquit, bona opera ostendi vobis ex Patre meo. » O ingrati, propter quod eorum opus me lapidatis? quid enim non bonum? quid non divinum? quid non magnum et evidens virtutis argumentum?

« Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia. » Ergo iniqui judices, saltem unum e duobus testimoniis probum ducitis, de quibus superius cum dixisset: « Et in

A lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est, » statim intulit : « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater (*Joan.* VIII). » Unum, inquam, testimonium verum esse concessistis. Dixistis enim : « De bono opere non lapidamus te, » aliud autem improbastis, dicendo : « Sed de blasphemia. » Etenim, quæ loquitur hic, dicendo : « Ego et Pater unum sumus, » et his similia de quibus alibi : « Verba, inquit, quæ loquor vobis, a meipso non loquor, testimonium ipsius Filii sunt; bona autem opera, quæ ostendit vobis ex Patre suo, » sicut itidem ait : « Pater autem in me manens ipse facit opera (*Joan.* XIV) ; » opera, inquam, « ipsa, testimonium Patris sunt (*ibid.*). »
B Sed si homines estis, imo et judices vos esse legitimos aut legisperitos profitemini, quomodo unum sine altero testimonium bonum esse judicastis ? quomodo uni homini cum blasphemia bonum opus attribuitis? Nunquid Deum blasphemando quis bonum simul faciat opus, præsertim qualia hic operatur ? Plane scimus etenim, cum cæci nati fuerimus, modo per gratiam Christi videmus ; scimus, inquam, quia peccatores et maxime blasphemantes non audit Deus. Igitur ex ore vestro judicamini, quia sicut magi quoque coram Pharaone testati sunt, non spiritus blasphemiæ, sed digitus Dei est hic, qui vobis opera hæc ostendit (*Exod.* VIII). Quæ tandem illa blasphemia est de qua illum lapidatis ? dixistis :

« Et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. » Jam quia gratulamur, non solum adversus Arium,
C qui noluit intelligere quod intellexistis vos in his verbis : « Ego et Pater unum sumus, » verum et adversus Valentinianum sive Apellem, qui verum esse hominem negaverunt Dominum nostrum Jesum Christum, asserente eum non verum habuisse corpus, sed phantasticum. Mirum namque est eos qui se dicunt Christianos, veram negare humanitatem Christi, cum vos adversarii Christi, totam vim argumenti ad convincendum quod ille Deus non sit, ex eo sumpseritis, quia verus erat homo, in vera substantia carnis, quod ipsa quoque passione mortis explorare potuistis. Verum quod ad rem attinet, de sanctuario pectoris humani, veram et rationabilem audiamus defensionem unicæ ac sempiternæ divinitatis. « Respondit eis Jesus : Nonne scriptum
D est in lege vestra : Quia ego dixi : Dii estis (*Psal.* LXXXI). » Quid, inquit, velut a contrariis vel repugnantibus argumentum ducitis, dicendo : Tu homo cum sis, facis teipsum Deum, videlicet tanquam Deus et homo contraria vel repugnantia sint, et in una eademque persona simul esse non possint ? Nonne homines authentica Scriptura deos esse dixi ? Nonne in lege vestra, id est, in maximo legis vestræ propheta, in lege, inquam, non dico nostra (aliter quippe mea, atque aliter est vestra), sed in lege vestra nonne scriptum est : « Quia ego dixi : Dii estis ? » (*ibid.*) Utique scriptum est, et sicut evidenter ipse psalmi textus indicat, hoc hominibus dictum est, et hoc interim a vobis concedi oportet, « quoniam in lege vestra scriptum est ; concedi, inquam, oportet, quia sine blasphemia dictum est. Dico ergo : « Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei. » Consideretur diligenter hæc sapientiæ et veritatis valida et irrefragabilis per minoris comparationem facta argumentatio Minus namque est, sermo Dei ad hominem esse factum ; longe autem majus unum, qui hæc loquitur, prius exstitisse quam fieret mundus, priusquam fuisse sanctum, quam Pater illum mitteret in hunc mundum. Verum hæc Scriptura, quæ illos pro eo quod minus est, « deos dixit ; non potest solvi, inquit, videlicet, ut dicat quis concedendum non esse quod talis Scriptura proponit vel astruit. Quomodo igitur propter illud quod majus est, scilicet, « quia Pater me sanctificavit et misit in mundum, » non conceditis ut dicam, » quia Filius Dei sum ? » imo et hoc dicentem me, tanquam de blasphemia vultis lapidare ? Hæc itaque dum dicit, tantum invidia desit, et ratio sponte consentit, suffragante **267** quoque firmamentum sæcularis eloquentiæ, ut quod in re minori valet, valeat in majori. Sed quinam præcipue sunt illi, ad quod sermo Dei factus est ? vel quis sermo Dei est, qui participatione sui, in deos provexit homines ? utique dii isti præcipue patres illi sunt, ad quos sermo Dei, id est, repromissio de Incarnatione Filii Dei facta est, quorum Pater Abraham primus est, cui primum idem Christus repromissus est. Quapropter ab ipso sanctus evangelista Matthæus generationem ejus, non sicut hominum, sed tanquam deorum contexuit genealogiam, dum non ad Mariam, de qua secundum carnem natus est Christus Dominus, sed ad Joseph generationis ejusdem deduxit lineam ; Joseph namque de tribus unus est, ad quos principaliter sermo Dei de Incarnatione Filii sui factus est. Ternario quippe incremento ad tres istos principes Abraham, David et Joseph, repromissio facta est. Quæ ad Abraham facta est, Christum fore hominem in vera carnis nostræ substantia testata est : « In semine tuo, inquiens, benedicentur omnes gentes (*Gen.*, XXII). » Ad David autem, non jam solum semen Abrahæ, aut ipsius David, sed rex quoque fore prænuntiatus est : « Juravit enim, inquit, Dominus David veritatem et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI). » Tandem ad Joseph loquens Angelus, non jam tantummodo hominem et regem, sed et Deum esse testatus est, eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, dicendo : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Salvos namque facere homines a peccatis suis, solius Dei est. Et hæc tria diis istis tam morosa temporum decursione paulatim demonstrata, miranda sancti Spiritus gratia, repente gentilibus inspiravit, quando primitiæ gentium, scilicet magi, qui ab oriente venerunt,

myrrha mortalem hominem, auro regem, thure Deum testantes, adoraverunt (*Matth.* II). Itaque inter patres istos, quos in generatione Jesu Christi Filii Dei, divinus evangelista contexuit, tres isti eminent, ut prædictum est Abraham, David, Joseph. Econtra alii tres, Ochozias, Joas et Amasias, nullum in hac gente deorum locum vel nomen habere meruerunt, quia videlicet secundum impiissimam Jezabel (*III Reg.* XVIII), quæ prophetas occiderat, per quos idem sermo Dei fiebat, cujusque semini Joram sese miscuerat), ipsi quoque ejusdem sermonis Dei bajulos ad se missos occidere prophetas (*ibid.*).

Ochozias namque male et impie egit in conspectu Domini, sicut domus Achab vel uxor ejus, quæ, ut dictum est, prophetas occidit (*II Par.* XXII). Joas quoque Zachariam prophetam, filium Joadæ pontificis interfecit (*II Par.* XXIV). Amasias etiam cum misisset ad eum Dominus prophetam, eo quod adorasset deos filiorum Seyr: « Quiesce, ait, ne interficiam te (*II Par.* XXV). » Ita tres isti, quoniam prophetas occiderunt, per quos sermo Dei ad ipsos factus est, nec saltem pœnitentiam egerunt, sicut Manasses, recte a sancto evangelista de generatione deorum, ad quos sermo Dei factus est, segregati sunt; igitur patres, qui Dominum Dei Filium sibi repromissum, prius fide quam carne susceperunt, dii sunt; dii, inquam, non natura, sed adoptione, quorum in synagoga stetit hic natura Deus (*Psal.* LXXXI), id est, similis illis per carnem est effectus, et in medio, id est in publico, deos dijudicat sive discernit. Magnam quippe sui atque illorum ostendit differentiam, cum dicit: « Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum? » Forte dicitis: Unde istud constat quod Pater te sanctificaverit, et in hunc mundum miserit. Ad hæc, inquam.

« Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere; si autem facio, et si verbis meis non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia in me est Pater et ego in Patre. » Quod est dicere: Vestræ quidem legis auctoritas, prophetæ in quo Deus locutus sit, pro testimonio sui satis esse debere indicat, si verbum, quod locutus est in nomine Domini fiat, ita dicendo: « Quod in nomine Domini propheta prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non locutus est, et ideo non timebis eum (*Deut.* XVIII.) » Consequitur enim ut, si evenerit Verbum, quod locutus est in nomine Domini, timeri debeat, eo quod Dominus in eo locutus sit. Evenit autem verbum quodcunque locutus sum vobis, ita ut interdum de vestris quoque cogitationibus verum vobis prophetaverim dicens: « Utquid cogitatis mala in cordibus vestris? » (*Matth.* IX) et his similia. Debuerat ergo vobis pro testimonio satis esse, ut illud quoque crederetis, quod, sicut dixi, Pater miserit me; verum ego ad satisfaciendum vestræ tarditati, largior esse volui. Dico ergo: « Si non facio opera Patris mei, » id est, opera talia quæ hominum nemo possit facere, nisi cui Deus Pater naturaliter sit, concedo, nolite credere mihi; « si autem facio, » imo quia facio, « et si verbis meis non vultis credere, operibus credite, » id est, si unum testimonium verborum fidelium non vultis suscipere, saltem duo testimonia verborum pariter et operum suscipite, quia testimonium quoque hominum quod testimonio Dei minus est, in ore duorum hominum verum esse judicat lex vestra (*Deut.* XVII, XIX). Igitur ne contra Dei et hominum leges peccare convincamini, « credite ut cognoscatis; » nisi enim credideritis, non intelligetis (*Isa.* VII); credite, inquam, ut cognoscatis et credatis cognoscendo namque firmius credetis. Quid cognoscatis, quid credatis? quia Pater in me est, et ego in Patre, quod non est aliud quam illud quod dixi superius: « Quia ego et Pater unum sumus. » In eo namque ego et ipse unum sumus, « quia Pater in me est, et ego in Patre. » Quomodo autem Pater in me est, et ego in Patre? Nunquid sicut vas minus in vase majori? Nempe et si vas minus in vase majori esse potest, at econverso nequaquam majus in minori est vel esse potest. Sed ego sicut in Patre sum, sic econverso Pater in me est igitur, quidquid sic in Patre naturaliter est, hoc ipsum et non aliud in me Filio naturaliter est; et econverso, quidquid ego Filius, hoc ipsum Pater naturaliter est, et hoc est quod dixi, « quia in me est Pater, et ego in Patre. » Nam excepto, quod ille proprie Pater, et non Filius est; et ego proprie sum Filius et non Pater; quidquid est ille, hoc et ego sum naturaliter, scilicet Deus et Dominus, omnipotens, immensus, æternus, creator, sive increatus; et quidquid in natura Patris, hoc totum in Filio est; et econverso, quidquid in natura Filii, hoc totum in Patre est. Sic plane « ego et Pater unum sumus. »

« Quærebant ergo eum apprehendere, et exivit de manibus eorum. » Ordo vel junctura verborum est. Insidiose interrogaverunt utrum ipse esset rex Christus. At ille responderat quod non solum esset rex Christus, sed et Deus et Dominus Christus, dicendo: « Ego et Pater unum sumus, et in me est Pater, et ego in Patre. Quærebant ergo eum apprehendere. » Sed quid? Exivit de manibus **268** eorum. Dubiumne est hoc quod de manibus Judæorum hic Deus et Dominus exierit? Irritum nempe est, quidquid homicida gens illa cunctis suis agit cæremoniis: « Cum expanderitis, inquit, manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam; manus enim vestræ plenæ sunt sanguine (*Isa.* I). » Ergo de manibus Judæorum, id est, de cunctis operibus illorum, Dei Filius, et qui in illo est Deus Pater exivit, et totius Synagogæ eorum princeps Satanas in sanguine, quo plenæ sunt manus eorum sibi applaudit.

Nihilominus et de manibus hæreticorum, maxime illorum, qui consubstantialem Patris et Filii, quæ

in hac præcipue lectione commendata est, negant vel impugnant; de manibus, inquam, hæreticorum, utpute Arianorum, exivit Jesus; quidquid enim illi consecrant, Deus exsecratur, et cuicunque manus imponunt, non sancti Spiritus gratia, sed lepræ immundissimæ illum plaga comitatur. « Et abiit iterum trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans primum, et mansit illic. » Iterum, inquit, trans Jordanem abiit, nam et longe superius semel hoc de illo dictum est. « Post hæc, inquit, venit Jesus in Judæam terram, et ibi demorabatur cum discipulis suis, et baptizabat. Erat autem et Joannes baptizans in Enon juxta Salim (*Joan.* III), » etc. Iterum ergo exiens Jesus, « abiit trans Jordanem, » et tam primo quam secundo discessu suo adveniens illuc, hoc in suis loquitur factis, quod relictis Judæis ad unum et verum novæ Ecclesiæ baptisma transiturus sit, in quo quisque baptizatur, coæternum et consubstantialem Deo Patri Deum Filium confitetur. « Et multi venerunt ad eum, et dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum. » Ordo verborum Joannes quidem signum fecit nullum, hic autem tanta signa faciebat, ut quæcunque Joannes de illo dixerat, verbi gratia, « illum oportet crescere, me autem minui (*ibid.*), » et his similia, vera ejus fuisse dicta comprobarent facta præsentia. Ita vero atque probabiliter suam credulitatem confirmabant argumento, quia videlicet plus valent testes duo quam unus in omni verbo. Erant autem in Domino nostro Jesu duo testimonia, sermo scilicet et opera (*I Tim.* I), potens namque erat in opere et sermone, unde paulo ante dixit: « Et si verbis meis non vultis credere, operibus credite. » In Joanne autem unum erat testimonium, videlicet sermo. Fidelis quidem, et omni dignus acceptione, verumtamen absque signorum operatione. Recte igitur magnum quidem Joannem fuisse, secundum hanc comparationem, majorem illo Dominum Jesum fatebantur apparere. Sequitur:

CAP. XI. — « Erat Lazarus quidam languens a Bethania de castello Marthæ et Mariæ sororis ejus. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit capillis suis pedes ejus, cujus frater Lazarus infirmabatur. » Qualia Filius Dei faciat opera Patris sui, qui et paulo ante dixit: « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si verbis meis non vultis credere, operibus credite; » qualia, inquam, faciat opera Filius Dei attendite, o Judæi, aut certe si non vultis intelligere, attendant et videant: videant et intelligant lapides orbis terræ, quibus vos duriores, ecce jam semel atque iterum tulistis lapides, ut lapidaretis eum. Quænam sunt opera Deo digniora, hominibus utiliora quam et resuscitare a peccatis suis peccatrices animas, et revocare de sepulcris mortuorum corpora? Ecce in oculis vestris ante portas maximæ vestræ civitatis « Bethania quippe non plus quam stadiis quindecim distat ab Jerosolymis » in oculis, inquam, vestris, o Scribæ

A et Pharisæi, utriusque opifex resurrectionis opera fecit Patris sui. Primum scitis, quia Maria hæc (*Joan.* V), cujus frater Lazarus nunc infirmatur, paulo post moriturus, cum esset in monumentis mortuorum, audivit vocem Filii Dei, et quia audivit, ecce nunc vivit. Nam post lacrymas illas quibus lavit pedes ejusdem Filii Dei, post illam solutionem capillorum suorum, qua pedes eosdem extersit, post oscula quæ infixit, et post effusionem unguenti, quo illum unxit, jam nec oculos concupiscendum aperit, nec ut amatoribus placeat capillum comit, nec os suum a freno pudicitiæ solvit, nec odoribus aromaticis fetorem luxuriæ pascit (*Luc.* VII). Et quidem hæc una mulier est, sed postmodum multarum gentium plenitudine dilatata, Ecclesia pari modo est B suscitata, et nunc in oculis vestris juste et pie vivendo testis verax est sui, quia vocem Filii Dei de monumentis vitiorum idololatriæ, et fornicationum suarum exivit. Deinde et postmodum in hoc fratre ejus Lazaro, qui nunc infirmatur, habituri estis argumentum futuræ in voce ejusdem Filii Dei resurrectionis corporum, sicut idem: « Venit, inquit, hora, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii (*Joan.* V). » Hæc, inquam, opera Patris in Filio Dei, hæc præclara utriusque argumenta resurrectionis in Maria et fratre ejus Lazaro, de vicino habetis. Quid igitur superest ad testificandum nobis omnipotentiam Filii Dei, qui neque verbis, neque tantis operibus ejus creditis? quid, C inquam, superest, nisi ut resurgentibus mortuis, vos qui viventes dicebamini, moriamini in peccatis vestris? Sed jam in ordine lectionis, gloriam speculemur tanti miraculi. « Erat autem, inquit, quidam languens nomine Lazarus a Bethania, de castello Marthæ et Mariæ sororum ejus. » Bene personam sanctus evangelista describit, imo ipse resurrectionis auctor bene personam notam elegit, in qua per opus tantæ virtutis pluribus manifestaretur gloria Dei. « Et ille quidem languens erat. » Maria autem soror ejus jam a pessimo languore, imo ab ipsa morte animæ jam fetens, per gratiam Domini revixerat atque convalueral. « Ipsa quippe Maria erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit capillis suis pedes ejus. » Ubi enim pedes ejus lacrymis suis D lavit, ibi procul dubio quæ fuerat mortua, jamque mala consuetudine sepulta, revixit, et de sepulcro suo processit. Quæ quam perfecte convaluerit, ex aliis evangeliorum locis habemus, ubi amor ejus et devotio magnis testimoniis commendatur, verbi gratia, ut ex eo quod cum Martha soror ejus Dominum nostrum excepisset in domum suam, et satageret circa frequens ministerium, Maria sedens circa pedes ejus, audiebat verbum illius, Domino illi testimonium perhibente ac dicente: « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* X). »

« Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes:

Domine, ecce quem amas infirmatur. » Ergo, inquit, quia fideles erant, et propter auditum verbi illius, familiares ejus esse cœperunt, fiducialiter miserunt ad eum. Nec rogaverunt ut veniret et sanaret languidum, sed tantum : « Domine, inquiunt, ecce quem amas infirmatur. » Amanti enim satis erat nuntiasse. « Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei ut glorificetur Filius Dei per eam [*alias*, eum]. » Quid **269** est hoc, Fili Dei, potens et verax, manifestator, gloria Dei ? quid, est hoc, quod dixisti, « non est ad mortem. ? » Nonne languentis hujus infirmitas profectura est ad mortem ? an quia mortuus tibi dormivit id est, tam facile a te suscitari potuit quam facile hominem dormientem homo excitare consuevit ? Attamen separatio corporis et animæ mors quædam est qua cum iste resoluturus esset, postmodum dixisti : « Lazarus mortuus est. » Quid ergo est : « Infirmitas hæc non est ad mortem ? » nisi quia finalis causa infirmitatis hujus ea non est, ut Lazarus moriatur ? Tunc quippe infirmitas ad mortem est, quando propter mortem nihil quæritur, et in ipsa morte finis constituitur. Hic autem per infirmitatem vel mortem, gloria Dei quæritur, scilicet ut per eum, qui infirmatus moritur, Fillius Dei resuscitando illum, glorificetur. Dei namque Filius Deus est, et ideo cum dixisset, sed pro gloria Dei, » statim addidit, « ut glorificetur Filius Dei. » Vere igitur, inquit, infirmitas hæc non est ad mortem, « sed pro gloria Dei ; »—« pro gloria, inquam, Dei, » id est, pro testificanda divinitate Filii Dei. Exprobratur namque Filio Dei, diciturque, verbi gratia, « quia dæmonium habet et insanit, » eo quod dixerit : « Venit hora quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei et procedent (*Joan.* v). » Ut ergo glorificetur, et insaniæ non arguatur Filius Dei, oportet illum in hoc uno, qui nunc infirmatur, experimentum dare virtutis et veritatis suæ, id est, ostendere in uno homine, quid vel quomodo facturus sit in universo hominum genere.

« Diligebat autem Jesus Martham et Mariam sororem ejus et Lazarum. » Vere diligebat, nisi enim diligeret, non tantam in illis gloriam suam ostenderet, non se ita per illos Filius Dei glorificaret. Quanta enim gloria Dei est, quod in Maria quidem, resurrectionem animarum, in Lazaro autem ostendere dignatus est, quam vere, quam potenter universalem, sicut jam dictum est, facturus, sit resurrectionem corporum. In Martha quoque et Maria præsignare voluit præsentis Ecclesiæ statum, quando juxta alium evangelistam : « Intravit ipse in quoddam castellum, et hæc ipsa Martha excepit illum in domum suam. Qua satagente circa frequens ministerium, Maria sedens secus pedes ejus, audiebat verbum illius (*Luc.* x), » et cætera quæ nunc studio vitandæ prolixitatis præterimus. Diligebat ergo eos sicut vasa gloriæ suæ, diligebat eos ita ut in his primum dignaretur ostendere experimentum gratiæ et veritatis suæ : » Ut ergo audivit quia infirmaretur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. » Quare mansit in eodem loco duobus diebus ? Utique idcirco, ut eo retardante moreretur, et sepeliretur languidus ille. Non enim volebat languidum sanare, non mortuum adhuc in domo jacentem, sicut archisynagogi filiam (*Matth.* IX), aut ad tumulum deportari incipientem, sicut viduæ filium resuscitare (*Luc.* VII). Experimentum quippe, sicut jam dictum est, ejus verbi parabatur, quod dixerat : « Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent (*Joan.* v), » Ut ergo ad hoc perveniretur tandiu tardavit, donec mortuus terræ gremio reconderetur, ubi pulvis in pulverem convertitur, et omnis caro in suam originem redigitur, ut inde clamore illius evocaretur, unde « in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei, illo ad judicium descendente de cœlo omnes evocandi sumus (*I Thess.* IV). »

« Deinde post hæc dicit discipulis suis : Eamus in Judæam iterum. » Deinde, inquit, id est, cum duobus diebus in eodem loco mansisset, post hæc quæ superius a Judæis pertulit, qui voluerunt eum lapidare ; « post hæc, « inquam, quod magnum et a metu mortis alienum est, » dixit discipulis suis : Eamus in Judæam iterum, »—« Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc ? » Videlicet, metuebant ne occideretur, nescientes quod nisi vellet non moreretur, et idcirco consilium illi dabant, ne iterum pergeret in Judæam. « Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei ? » Quid, inquit, mihi consilium datis, cum non vos me, sed ego vos duodecim elegerim, et sic debeatis sequi nutum magistri, sicut sequuntur duodecim horæ motum solis sive diei ? Aliter : « Nonne duodecim sunt horæ diei ? » Nonne, inquit, scriptum est, quia « sol cognovit occasum suum ? » (*Psal.* CIII.) Nunquid sol iste, de quo scriptum est, alicujus excutietur incursu, et occidet antequam veniat hora ejus ? « Ego nempe sum lux mundi (*Joan.* VIII), » ego ille sol, qui « occasum suum cognovit ; » igitur sic iste sol, quo aer illustratus dies efficitur, ab oriente usque in occidentem proficiscitur, et nequaquam in hominis potestate est ut occidat, antequam veniat duodecima hora ejus ; ita scitote quia non me occident Judæi, antequam veniat hora mea, in qua mori decrevi. Quod si timetis, ne forte dum ego quæror vos periclitemini, ecce dico vobis :

« Si quis ambulaverit in die non offendit, quia lucem mundi hujus videt ; si autem ambulaverit in nocte offendit, quia lux non est in eo. » Scitis hoc quia per diem ambulare tutum est, per noctem vero ambulare, ruinosum. Ego autem dies vobis sum. Etenim « lux mundi ego sum, » ego ille sol « qui cognovit occasum suum. » Igitur quandiu vobiscum sum, nolite timere, quod ullum passuri sitis scandalum vel offendiculum, sed confidite, « et eamus in Judæam iterum. » Nam sicut, dum quis ambulat in die, non offendit, quia lucem mundi hujus videt, cum autem ambulat in nocte, offendit, quia lux in eo non est ; sic vos, quandiu vobiscum ero, non offendetis quia

lucet vobis dies salutis; quando autem pervenero ad eum quem ego cognovi occasum meum, quando comprehensus fuero et traditus ad occidendum, tunc vos omnes offendetis, tunc omnes vos quasi per noctem ambulantes, scandalum in me patiemini (*Matth.* XXVI).

« Hæc ait, et post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum. » Post hæc, inquit, quæ dixerat ad corroborandos animos eorum ne formidarent in Judæam ire iterum, causam dicit, propter quam etiam ire velint; « Lazarus, inquiens, amicus noster dormit. » Duplex namque illis est causa eundi, tum quia Lazarus amicus est qui dormit eo somno, a quo illum nemo excitare possit, nisi solus Christus Filius Dei, tum quia excitatio ejus magna est materia gloriæ ejusdem Filii Dei Domini et magistri sui. Verum cum hoc Verbo quod est dormit, non edixerat magister differentiam vel qualitatem dormitionis. « Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus: Illi autem putaverunt quod de dormitione somni diceret. » Nondum tantum profecerant discipuli Domini, ut scirent regulariter et proprie loqui secundum disciplinam fidei. Nam ubi de fide resurrectionis agitur, melius dormitio quam mors de corporum depositione prædicatur, quamvis separatio animæ a Deo, et separatio animæ a corpore, recta et usitata æquivocatione mors dicatur. Nunc autem, ut jam dictum est, de resurrectione mortuorum agebatur, et in testimonium verbi, quod dixerat resurrectio et vita Christus Dei Filius, « quia omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei et procedent: » Lazarus erat resuscitandus. Bene ergo nunc uti maluit verbo, quo tam resolutio corporum quam dormitio somni recte possit æquivocari, qui tam facile **270** et nunc Lazarum, et in novissimo die omnes, qui in monumentis sunt, ipse suscitabit, quam facile tu comparem tuum profundo somno stertentem interdum excitare non possis. At illi, ut dictum est, nondum intelligentes: « Domine, inquiunt, si dormit, salvus erit. » Ac si dicerent: Dormitione languentis nihil est periculi, imo et spes est recuperandæ sanitatis, atque ideo non est ratio ut propter excitandum illum periculo te inseras, ut iterum lapideris. « Cum enim, ut ait evangelista, disceret de morte ejus, illi putaverunt quod de dormitione somni diceret. »

« Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste: Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos quia non eram ibi. Sed eamus ad eum. » Ergo, inquit, quia putaverunt quod de dormitione somni diceret, « tunc dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est. » Hoc utique manifestum est. Sed quid est quod ait, « et gaudeo propter vos? Magna profecto, et non nisi rationabili pro causa sapienti, maxime autem Filio Dei, summæ sapientiæ Dei, gaudendum est. Causam autem gaudii sui mox ipse subjunxit dicens, « quia non eram ibi. » Quid enim, Domine, si fuisses ibi?

A Si fuissem ibi, inquit, non tanta daretur materia gloriæ Dei; precibus quippe amantium, et ploratibus eorum urgerere hoc facere, ut non moreretur, aut certe ut mortuum suscitarem antequam sepeliretur. Nunc magnificentius glorificabitur Filius Dei, cum cadavere sepulto, jamque fetente, experimentum dabitur quod in hora novissima vere omnes qui in monumentis sunt, procedent ad vocem ejus. Præterea et hoc est potentia divinitatis, quod illum mortuum esse scio, qui non eram ibi. Hoc ego « gaudeo, » verumtamen non propter me, sed « propter vos. » Ego enim gloriam meam non quæro, sed quod vos doceo, dicens: « Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V), » hoc B ipse primus facio, prælucida vobis ostendens opera Patris mei, ut videntes credatis, et credentes salvi sitis; tunc, inquam, non eram ibi, sed nunc eamus ad eum.

« Dixit autem Thomas qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, et moriamur cum eo. » Grandis profecto timor discipulis erat, nedum in unum magistrum consurgeret, cuncta pariter judaicæ furoris tempestas involveret, sed postponentes, inquit Thomas, vitam nostram voluntati vel imperio Domini et magistri nostri, eamus et nos, » et si sic fieri necesse est, « moriamur cum illo. » Ergo merito quidem collaudat eos, multa secum pericula perpessos, dicens eis secundum Lucam, instante hora passionis: « Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis (*Luc.* XXII), » verum-C tamen aliter sentiebat possibilitatis eorum cognitor, cum paulo ante dixerat: « Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem mundi hujus videt; si autem ambulaverit in nocte offendit, quia lux non est in eo. » Nam quandiu quidem cum illis esset, hic verus dies, scandalum passuri non erant, et videbantur sibi posse mori cum illo; sed in illa tristitiæ nocte, id est, in passionis ejus adversitate, offensuri erant ita ut mallent fugere omnes, eo relicto, quam mori cum illo.

« Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies habentem in monumento. Est autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam ut consolarentur eas de fratre suo. » Cuncta hæc ad ma-D gnitudinem vel testimonium virtutis proficiunt, quod « invenit eum jam quatuor dies in monumento habentem, » quod locus Jerosolymæ vicinus erat, ne frigida scilicet ad Scribas et Pharisæos fama de longinquo veniret, quod multi ex Judæis aderant, ut miraculo multi testes non deessent. Quid autem sibi vult quatuor dies, vel cur divinæ rationi complacuit adventum suum protelare magis in quartum quam in quintum aut sextum diem? Videlicet quia in quatuor tempore suo, resurrectio mortuorum perficienda est, cujus testimonium, ut jam supra dictum est, Lazarus iste resuscitatus est. Primum tempus fuit ante legem, quo videlicet tempore, ita

regnabat mors, ut nulla esset resurrectionis spes. Secundum sub lege, quo tempore resurrectio jam promissa atque a lege et prophetis testificata. Tertium sub gratia quo Christo primogenito mortuorum resurgente, multisque sanctorum corporibus illi conresurgentibus, resurrectionis nostræ fides peracta et dedicata est. Quartum tandem ipsum erit tempus futuri sæculi, cujus diluculo, apparente Domino jussu ejus omnes resurgent mortui. Bene ergo Dominus noster, cum sibi nuntiatum fuisset, quod Lazarus infirmaretur mansit duos dies, ut in tertio proficiscens, quarto illuc perveniret, quia tertio quidem tempore, scilicet ad dandam nobis resurrectionis gratiam descendit ; quarto autem ad sepulcra nostra imperiosa ejus majestas perveniet.

« Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi ; Maria autem domi sedebat. » Non minus dilectionis, sed plus humilitatis in eo est quod, Martha Domino occurrente, Maria domi sedebat. Constat namque ex aliis evangelicæ Scripturæ locis, per duas sorores istas, Martham et Mariam, duas significatas esse vitas, activam scilicet et contemplativam, per Martham activam, et per Mariam contemplativam. Bene ergo ad tantum evangelistam pertinuit, in tanto negotio illud non omittere, quia, Domino Martha occurrente, Maria beneplacitum Domini vocantis exspectans, humilis et quieta domi sedebat, juxta quod in alio evangelista quodam tempore Martha satagente, Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius (*Luc.* x). Vita namque contemplativa quietior, activa laboriosior est. « Dixit ergo Matha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. » Non ausa est conqueri, cur non fuisset hic, vel cur non venisset mox, ut ipsi nuntiatum est a dicentibus : « Domine, ecce quem amas infirmatur, « sed reverentiam Domino servans et dilectionem lædere cavens, tantum humili fide in confractione cordis omnipotentiam confitetur amantis. Nam sequitur : « Sed et nunc scio quia quæcunque proposceris a Deo, dabit tibi Deus. » Non solum, inquit, illud scio, « si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, » sed et illud scio, quia nunc etiam postquam mortuus est, « quodcunque poposceris a Deo, » sive et isto, sive de quolibet alio, « dabit tibi Deus. » Quod utique fas non est scire vel dicere de ullo homine, nisi de solo unigenito Filio Dei, « cujus omnia sunt quæcunque habet Pater (*Joan.* vii). » Cui non tanquam servo particulare aliquod gratiæ suæ xenium dat, sed tanquam Filio Pater dat cuncta quæ habet, universa quæcunque thesaurizare potest.

« Dicit ei Jesus : Resurget frater tuus. » Parum anhelanti, et ad misericordiæ fontem in magna siti suspiranti ; parum, inquam, dictum est. Non enim manifeste dictum est quod parabatur. « Hodie resurget frater tuus. » Sed neque dictum est : In novissimo die resurget frater tuus, ut communis consolatio commemorari videretur lugentibus secundum illud quod ait Apostolus Thessalonicensibus scribens : « Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent (*I Thes.* iv). » Ergo dubia **271** soror, ad cognoscendam voluntatem miserantis festinans, et intendens proficiscitur. Nam sequitur : « Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. » Fides catholica est quam confitetur, ut per fortitudinem ejus, magnum virtutis opus extorqueat ab illo, cui quodcunque poposceris, inquit, dabit tibi Deus. » — « Dicit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita. » Hoc utique solum supererat ad perficiendam integritatem confessionis et fidei, ut confiteretur de ipsa resurrectione in novissimo die, cujus virtus, cujus opus sit. Proinde præloquitur tanquam catechizator animæ bene audientis, ut totam fidem ejus respondentis audiat, cui merito præter universalem resurrectionem nunc quoque reducem vitam fratris indulgeat. « Ego sum, inquit, resurrectio et vita. » Resurrectio videlicet corporum, resurrectio autem simul et vita corporum pariter et animarum. Nam non nisi accipiendo me, nunc animæ a peccatorum suorum morte reviviscent, neque nisi jussu meo fiet in novissimo die resurrectio corporum (*Matth.* xxii). De resurrectione animarum adhuc subjungitur : « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet ; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. » Duo dixit. Qui vivit, si crediderit, non morietur ; qui mortuus est, credendo reviviscet. Quis mortuus est, nisi is maxime qui sine Deo est ? Econtra quis vivit, nisi beatus ille cujus Dominus Deus ejus est ? Scimus autem et confitemur, quia nos gentes sine Deo fuimus, econtra vero notus erat in Judæa Deus. Igitur « qui credit in me, inquit, etiamsi mortuus fuerit, vivet ; » quia Gentilis populus, quamquam mortuus, id est a Deo alienus sit credendo in me, vivet, ea scilicet vita quæ Deus est, et econtra Judæus qui vivit ex eo quod Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus ejus est, qui non est Deus mortuorum, sed vivorum, « non morietur in æternum. » Quid vero ille quod vivit et non credit ? Utique morietur non credendo, sicut econtra, qui mortuus fuerat, reviviscit credendo.

« Credis hoc ? Ait illi : utique Domine. Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti. » Sciebat ipse qui interrogabat quia crederet hoc mulier ista, verumtamen quia fides mentis commendanda est testimonio vocis (*Rom.* x). Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, confessio fidelis animæ sonora digne exprimenda erat confessione (*Matth.* xvi). Et quid melius, quid dulcius resonat in auribus et ore Ecclesiæ Catholicæ ? « Ego, inquit, credidi, quia tu es Christus Filius Dei. » Hæc apostolica beati Petri confessio est, addidit tamen hæc mulier dicens : « Qui in hunc mundum venisti. » Vere enim hic solus præ cunctis filiis hic unigenitus Dei in hunc mundum venit, id est, non, sicut mentiti sunt hæretici, Cerinthus et alii, de Maria existendi initium

habuit, sed aliunde « in hunc mundum, id est de cœlo ad terram, de corde Patris in uterum Virginis venit. Merito ergo « diligebat Jesus, ut supra dictum est, Martham et Mariam sororem ejus, et Lazarum. Fidem namque habebant, totius justitiæ summam, per quam et Abraham pater noster justificatus, et amicus Dei appellatus est, sine qua nulla anima dilectione Dei digna est.

« Cum hæc dixisset, abiit et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te. » Silentio, inquit, vocat sororem suam. Quare silentio, nisi propter Judæos, qui multi, ut ante dictum est, venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo ? Non enim ignorabant quia nuper eum lapidare voluerant. Ne ergo irreverentes inimici magistrum solitis pulsarent injuriis, vel ne currentes impedimento essent sibi cupientibus ejus colloquio frui, silentio sororem suam vocavit. « Illa autem ut audivit, surgit cito, et venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrit ei Martha. Judæi ergo qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, videntes Mariam, quia cito surrexit, et exiit, secuti sunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. » Hæc idcirco ad evangelistam narrare pertinuit, ut videamus quæ causa fecerit, ut plures ibi essent, quando Lazarus resuscitatus est, et tam grande miraculum quatriduani mortui resurgentis testes plurimos inveniret. Interea prætereundum non est, majorem circa Mariam quam circa Martham consolantium esse diligentiam. Nam quando Martha surrexit ut Domino occurreret, non secuti sunt Judæi; quando vero Maria exivit, vocante Martha, non Martham vocantem, sed Mariam solam sunt secuti dicentes : « Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi ; » cur hoc, nisi quia Maria tenero magis affectu fratrem diligebat, et plus diligens amplius dolebat ? Non ergo mirum quod accedente gratia Spiritus sancti et cum hac naturali pietate superno munere conjuncto, Dominum Jesum tanto amore dilexit, quem et plorans ad monumentum, prima omnium mortalium videre, et apostolis æternam consolationem nuntiare digna exstitit. Sequitur :

« Maria ergo cum venisset, ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dixit ei : Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus. » Eamdem quam latius verbis Martha peroravit fidem Christi Filii Dei, Maria citius adorando expressit. Cecidit enim ad pedes ejus dolore fratris pariter et amore Christi saucia, breviterque locuta : « Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus, » lingua conticuit, cætera lacrymis uberius peregit. « Jesus ergo videns eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, fremuit spiritu, et turbavit seipsum, et dixit : Ubi posuistis eum ? » Quid sibi vult hic fremitus fortissimi Filii Dei ? Hæc turbatio mortalis et infirmi ejusdem Filii hominis ? Etenim quod fremit, divinæ fortitudinis, et fortis-

A simæ Divinitatis est ; quod autem eodem fremitu suo turbatus est, humanæ infirmitatis est. « Turbavit, inquit, seipsum. » Quis enim alius nisi ipse turbaret ipsum ? Sed quare turbavit, aut quid intendens fremuit et sic seipsum turbavit ? Magna et cum timore consideranda res, hoc fremitu et ista turbatione præsignata est. Respiciamus quid post hoc, vel maxime post hoc miraculum factum sit, scilicet propter hoc quod Lazarum resuscitavit. Denique propter hoc signum pontifices et Pharisæi intolerabiliter consummata invidia permoti, collegerunt concilium, et ab illo die cogitaverunt, ut interficerent eum. In ipsa autem ejus interfectione humana quidem infirmitas turbata est valde, sed divina fortitudo comminans morti sempiternæ, tanquam
B leo rugiens et fremens ad prædam ascendit, et infernum spoliavit (*Gen.* XLIX). Igitur quia per occasionem hujus miraculi illud futurum erat « fremuit spiritu, et turbavit seipsum » Christus, Dei virtus, et Dei sapientia (*II Cor.* I), cujus dicta quædam opera, cujus quodammodo verba facta sunt : « Et ubi, inquit, posuistis eum ? » Non ut sciat interrogat, sed ut præsentes omnes ad exspectationem gloriæ Dei vel glorificationis Filii Dei magis attentos faciat : « Dicunt ei : Domine, veni, et vide. Et lacrymatus est Jesus. **272** », Usque ad lacrymas quoque vera dolentibus condescendit humanitas, et eidem, quem ut Deus suscitaturus erat pias ut homo, ante impendit lacrymas ; fortassis non tam pro eo quod mortuus erat quam pro eo quod propte ædificandam viventium fidem revocari illum oporte
C bat, ad tolerandas rursus hujus vitæ miserias.

« Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum ? Quidam autem dixerunt ex ipsis : Non poluit hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur ? Qui potuit, inquiunt, quod majus est, non potuit facere quod minus est ? Minus quippe fuisset languentem sanare, quod nonnunquam factum est, quam cæci nati oculos aperire, quod a sæculo nunquam auditum est. Illic revocatur sanitas, quæ quondam adfuerat; hic lumen infunditur, quod nunquam infulserat. « Jesus ergo rursus fremens in seipso, venit ad monumentum. » Rursus, inquit, fremuit Jesus. Nam et paulo ante dixit : Quia fremuit spiritu. Verumtamen non parva distantia est quod ibi cum dixisset : « Fremuit spiritu, protinus
D addidit : « Et turbavit seipsum. » Quis tam diligentem mysteriorum observationem pensare sufficiat ? Etenim cum primo fremuit spiritu fortitudinis suæ Dominus Jesus, id est, quando infernum debellaturus intravit, vera mortis passione turbatus (*Marc.* XV). Quando autem fremet iterum, scilicet veniens ad judicandum, non turbabitur, quia jam impassibilis est, « et mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » « Tunc vociferabitur et clamavit et magno fremitu super inimicos suos confortabitur (*Isa.* XLII). » Illo, imquam, fremitu suo movebit virtutes cœlorum, rumpet somnum mortuorum, rapiet ad se in nubes agmina virorum, quos unus idemque terror validæ

tampestatis occidet, et eodem momento rursus excitans, vivere faciet (*Luc.* XXI). Recte igitur iterum fremuit in seipso, non tamen iterum turbavit seipsum, « et venit ad monumentum. »—« Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus: Tollite lapidem. » Fremente Jesu, et terribiliter in illo suo secundo adventu, quando veniet vivos et mortuos judicaturus, non egebunt mortui jacentes in sepulcris, ut monumenta sibi egressuris, viventium hominum, sive angelorum ministerio aperiantur (*I Thess.* IV); nam eodem fremitu illius non solum sepulcra patefient, sed et cœlum, et cœli cœlorum, contremiscent. Et quidem poterat itidem fremendo nunc terræmotum facere, quamvis adhuc mortalis Christus, sed oportebat, ut cum suavitate et mora fides præsentium ad spectaculum gloriæ Dei advocaretur. Necdum enim sciebant quid facere vellet, quia nec eis dixerat manifeste, quod illum resuscitare intenderet. Præterea cum per homines lapis ille tolli posset, sine causa videretur actum, si divina virtute loco illum propelleret. Ut ergo nihil curiose fieret, simulque sciens et prudens fides præsentium gloriam Dei præcurreret: « Tollite, inquit, lapidem. »

« Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fetet, quatriduanus enim est. » Quare non contentus est Evangelista dixisse: Dicit ei Martha, sed addidit, soror ejus qui mortuus fuerat? Videlicet ut omnes auditores hujus gloriæ Dei, non dubium arbitrentur, quod mortuus iste quatriduanus fuerat. Dixit enim non quivis, sed Martha, neque alia mulier æquivoca, sed Martha eadem, quæ jam sæpe nominata est soror ejus qui mortuus fuerat, videlicet quæ vulnerata mente, et ideo vigilante nec dormitare valente memoria, funereos fratris suis dies nescire non poterat. Dixit, inquam, hæc: « Domine, jam fetet, quatriduanus enim est. » Ac si diceret: Domine, cur lapidem tolli jubes? Ut videas amicum saltem mortuum, an ut miseris sororibus vivum reddas illum? Si illud intendis facere potes; scio namque, sicut jam dixi, quia « quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. » Si autem tantummodo ut videas dico tibi « jam fetet, quatriduanus enim est, » et idcirco visui jam idoneus non est. « Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei? » Quando, inquit, misistis ad me dicens: « Domine, ecce quem amas infirmatur. » Nonne dixi tibi, quia infirmitate hæc non est ad mortem, sed « pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam [eum]? » Quam putas me promisisse gloriam Dei, nisi inauditam hactenus resuscitationem quatriduani? « Tantummodo crede, et hanc videbis gloriam Dei. »

« Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis. Sed propter populum qui circumstat dixi: Ut credant, quia tu me misisti. » Vos, o Judæi, quoniam huic spectaculo deesse vel hoc opus abscon-

A dere non potestis, totus orbis convenit. « Dixistis de hoc homine, blasphemat, eo quod dixerit, Filius Dei sum (*Joan.* X). » Nunquid blasphemia sive mendacium suscitare solet mortuum quatriduanum, et non potius viventes deducere in infernum? Datan quippe et Abiron per superbiam vivi ad inferos descenderunt (*Num.* XVI). Saul quoque cum esset christus Domini, superbiendo meruit dæmonio mancipari (*I Reg.* XVI). « Semper enim Deus superbis resistit (*Jacob.* IV). » Ecce autem hic, ut faciat opus quod nemo facere possit, nisi Deus, Patrem suum vocat Dominum, confitetur se esse Dei Filium. Igitur aut nihil divinum cum hac promissione hic efficiet, aut vos impii estis veri filii Dei negatores. Sed jam ipsa verba contemplemur, quæ subsequenter mox
B opere confirmata sunt: « Pater, » inquit, diligenter perpende quod palam Patrem dixerit, et hoc opus in nomine Patris, id est, ad confirmandum quod Deus Pater suus sit, facere velit. « Gratias ago tibi, quoniam audisti me » Quomodo, inquit, Patri gratias agit, si non gratia vel adoptione, sed natura Filius est? Gratias namque agere gratuiti beneficii est memorem esse. Sed non exsultet hæreticus. Sequitur enim: « Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi: Ut credant, quia tu me misisti. » Idcirco, inquit, gratias ago, ut te testificante per subsequens opus, me tibi gratum, et beneplacitum esse, cognoscat et credat populus qui circumstat, quod non injuriose, sed gratiose dixerim superius: « Ego et Pater unum sumus. » Non ago gratias, quod tuus meruerim
C esse Filius, sed quod hoc ipsum nescientibus notum fieri volueris hominibus, ut ipsi salvi sint, juxta quod alibi: « Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI). » Semper, inquit, audis me, id est, non in tempore vel hora, sicut participes meos, justos homines, quorum in nullo mansit spiritus gratiæ, quorum nullus sicut potestatem habens, sed sicut donum accipiens, operatur opus gloriæ tuæ. Nulli enim semper adest manifestatio Spiritus ad utilitatem, nec semper se audiri, vel semper sibi adesse sentit virtutem. Igitur « singulariter sum ego, in eo quod semper me audis. » Hoc sciebam et non propter me, sed propter populum qui circumstat, opus erat ut hoc dicerem gratias agens.

D « Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus ligatus manus et pedes institis, et facies illius sudario **273** erat ligata. » Ecce nunc, Judæi, « si verbis non creditis, operibus credite, ut cognoscatis, inquit, et credatis quia in me est Pater et ego in Patre (*Joan.* X). » Hoc dudum verbis dixit, et vos illum lapidare voluistis, nunc operibus astruit, et paulo post eum crucifigetis. « Magna, inquit, voce clamavit. » Recte magna voce clamavit, ut Lazarus foras veniret: magna quippe cœlorum fragore, magna cœlestium virtutum commotione, dormientes in concutiet. Nam « Deus noster, inquit Psal-

mista, manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cœlum deorsum, et terram discernere populum suum (*Psal.* XLIX). » Magna ergo voce opportune in hac significatione usus est.

« Et prodiit, inquit, qui fuerat mortuus. » Quali autem prodiit habitu? « Ligatus, ait, pedes et manus institis, et facies ejus sudario erat ligata. » Mira res! Sic enim ligatus, nec pedibus ambulare nec saltem manibus reptare, sed nec oculis quo prodiret potuit videre. Quid ergo nobis evangelista hac prodeuntis descriptione innuit, nisi magnam fuisse fortitudinem vocis vel clamoris, qui mortuum ligatum ad vivos excussit, et excutiendo de mortuo vivum fecit? Quod si magnum et incomprehensibile est, quantum erit illud, cujus hoc præconium est? Quomodo exsilient mortui de sepulcris ad rugitum vel fremitum leonis immortaliter regnantis, si ita nunc exsiliit iste ad balatum agni lanistrarum manibus et cultro appropinquantis? Ergo lapidibus tantum, non etiam filiis Abrahæ incredibile est quod dixit hic Filius Dei omnipotens, quia « omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus et procedent (*Joan.* V). » — « Dicit ei Jesus : Solvite eum et sinite eum abire. » Sine dubio plus miraculi habet imperium vocantis, « in eo quod ligatus pedes et manus institis, et facie sudario ligata prodiit, » quam si solutis pedibus vel manibus atque patentibus crepisset oculis. Notandum vero quod cum item, saltem postquam prodiit, imperio suo Dominus noster pedum vel manuum ejus vincula rumpere, sudariumque, imo et lapidem, quem tolli jusserat inventum, potuisset excutere, et tunc maluit dicere, « tollite lapidem, et nunc solvite eum, » et sinite abire. Cur enim in hujusmodi, verbum virtutis Dei suum faceret miraculum, cum per præsentium hominum possent fieri ministerium? Procul a sapiente et natura ejus omnipotentia omnis curiositas. Decet namque ut in his tantum fortitudinem suam utiliter exhibeat, in quibus operari humana non valet infirmitas. Hoc servis quoque ejus prudenter et discrete observandum est, ut ibi tantum divinam præstolentur potentiam, ubi humanam constat deficere industriam. Alioquin contra illud facere videbuntur præceptum, « non tentabis Dominum Deum tuum (*Deut.* VI). »

Spectatis igitur in hoc Lazaro et sorore ejus Maria, duobus secundum geminam resurrectionem Filii Dei operibus; etenim in illa anima, ut jam dictum est, hic in corpore est suscitatus, nunc Deum eorumdem operum similitudinem mysticam breviter attingamus. Huic mortuo quatriduano, qui jam fetens suscitatus est, similis est peccatrix : nam anima vita sua, quæ Deus est, miserabiliter defraudata, videlicet qualis fuerat quondam hæc ipsa, de qua jam dictum est, soror ejusdem Lazari Maria. Qualis enim illa fuerat? Utique peccatrix, non occulta, sed male diffamata, et per ipsam infamiam suam jam fetens, et quasi sepulcro malæ consuetudinis obruta. Etenim femina peccatrix, magis quam vir in hujusmodi peccato fetere hominibus consuevit. Ergo peccator quivis, jam pro mala consuetudine infamis, Lazaro comparatur quatriduano jamque fetenti. Et quidem juvenis quoque, qui efferebatur per portam civitatis (*Luc.* VII), puella etiam, quoque adhuc in domo in jacentem idem Dominus suscitavit (*Matth.* IX), mortem significat animæ peccatricis, sed in singulis diversi figurantur peccatorum modi. Puella namque mortua in domo jacens, anima est quæ conscientia mali desiderii suffocata, nondum tamen per operis consummationem publicata. Juvenis autem, qui per portam civitatis efferebatur, peccator est, qui desiderio malo præventus, usque ad exteriores quoque pervenit iniquitatis effectus. At vero qui opera peccati jam in consuetudinem vertit, famamque perdidit, Lazaro, ut jam dictum est, similis est quatriduano, jamque fetenti. Talis peccator cum in Ecclesia fetere cœperit, merito tota in luctum convertitur hospitalis domus Christi. Omnis ordo lamentatur, et pro tali fratre orat Christum, sive illorum qui activæ, sive illorum qui contemplativæ vitæ dediti sunt. Hi qui in activa vita positi, animarum curam gerunt, prius sollicitantur, post et ad eos quoque qui in contemplativa latent, cura hæc et fatigatio perfertur. Bene ergo prius Martha, deinde pro fratre suo Dominum plorando ambit Maria. Cum itaque ad hujusmodi peccatorem gratia Dei revertitur, mortuus pedes et manus ligatus invenitur, quia funibus peccatorum suorum circumdatus sub lapide clausus (*Psal.* CXVIII), id est sub lege reus tenetur. Clamat Jesus « voce magna, veni foras, » quia non nisi magno terrore aspirantis Dei, et de futuro judicio comminantis exterritus, male securus peccator ad cor suum reducitur. Statim prodit, id est reatum suum confitetur, et quia jam vivit, « solvite illum, inquit, Jesus. » Dixit enim : « Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcunque solveritis super terram, soluta erunt et in cœlo (*Matth.* XVIII). » Cavendum autem est eis, quorum hoc officium, vel potestas est, ne hunc modum prætereant, id est ne ligent, nisi mortuum, neque solvant nisi voce confessionis significante redivivum eumdem esse de sepulcro productum. Nam si pro arbitrio vel animo suo, illum viventem ligent, hunc autem mortuum solvant, videlicet condemnantes justum, et justificantes impium : ipsi illa non sua, sed Christi potestate se privant; et viventem quidem ligando sic mortificare nequeunt, mortuum autem solvendo, non solum non vivificant, verum etiam fetorem, cunctorum naribus ingerunt. Sequitur :

Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus. » Melius quidem illi fecerunt qui crediderunt, sed dilatandæ gloriæ Dei, delatores illi amplius profecerunt. Foras enim rem gestam illis testibus certam efferentibus. Zelus ap-

prehendit populum ineruditum, eisque ardentibus et magno flatu invidiæ suæ ventilantibus magnitudinem miraculi, latius gloriæ Filii Dei flamma reluxit. Nam propter hoc maxime signum, exierunt postmodum turbæ obviam illi cum ramis palmarum, clamantes: « Hosanna Filio David (*Matth.* XXI). » Dixerunt, inquit, quæ fecit Jesus, et pro superioribus miraculis satis zelantibus rem novam narrantes, quasi oleum camino adjecerunt.» — « Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi consilium et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? » **274** Istud est consilium vanitatis (*Psal.* XXV), cum quo Psalmista non sedit, hæc illa Ecclesia malignantium, ad quam neque lex, neque prophetarum quisquam introivit. Si enim introissent, si ab illo consilio vel Ecclesia maligna consulti fuissent, quid responderent dicentibus illis; « Quid facimus, quia hic homo multa signa facit; » quid, inquam, responderent senatoribus peccati et judicibus iniquitatis, nisi: Audite eum, credite in eum? Si enim super isto consulerent Moysen ex ipso audirent: « Si creditis mihi, credite et huic (*Deut.* XVIII), » sicut ipse Dominus: « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit (*Joan.* V). » At illi credere nolebant, et nequaquam consultando veritatem agnoscere, sed veritati resistere quærebant. Igitur de voluntate Scripturarum, sine quibus legitimum non est consilium, omnino tacuerunt, et quid mallent significantes, ita protinus proposuerunt:

« Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent locum nostrum, et gentem. » Quod est dicere: Consultantibus nobis, si hæc sententia placuerit, ut sic dimittamus hominem talem, signa tam multa facientem omnes credent in eum, et credent esse Christum, credent eum esse regem suum. Nos autem regem Cæsarem habemus, et sub Romano imperio jamdudum tributarii facti, parva nimis huic Pontio Pilato præsidi delegata provinciola sumus. Judæa namque tam provincia quam Syriæ provinciæ quædam non magna pars est. Si ergo quisquam apud nos, præter Cæsarem rex nominatus fuerit, vindice « Romani venient, et tollent nostrum et locum et gentem. » Quid igitur facimus? Num unum hominem dimittimus, ut omnes pereamus? An certe, quod satius est, unum hominem perdimus, ut noster locus et tota gens conservetur? Quem putarent tali causa proposita posse ipsorum intentionem reprehendere, vel illum unum hominem auderet defendere? De communi salute gentis totius consultabatur, de servanda Romani imperii fidelitate consilium quærebatur. Ergo hunc hominem interficere apud tribunalia quidem Cæsaris videbatur fore totum, apud judicem populi fingebatur esse necessarium. Sic intenderunt arcum (*Psal.* LXIII) conventus ille malignantium, et multitudo operantium iniquitatem; sic, inquam, intenderunt arcum rem amaram, sic firmaverunt sibi sermonem nequam. Sub hac occasione timoris, vel fidelitatis Romani imperii absconderunt laqueos, et dixerunt: Quis videbit eos? Concedatur eis pavor iste, quoniam Dominus Deus pavor sive terror illorum non est; concedatur, inquam, ipso Domino Deo nostro permittente illis, dum per Jeremiam prophetam dicit: « Paveant illi, et non paveam ego (*Jer.* XVII). » Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus meus. Paveant, inquam, illi unam contritionem, scilicet illam, ne forte « veniant Romani, et tollant eorum, et locum, et gentem, « et duplicem contritionem incurrant, videlicet, ut et Romani venientes, « tollant eorum locum et gentem, » et maligni spiritus advolantes, tollant animas, et corpora quoque in gehennam semper urentem. Prudentem ut sibi visum est deliberantium propositionem audivimus, nunc jam inventionem utilitatis auscultemus. Sequitur:

« Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, neque cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. » Oratiunculam magnæ veritatis significativam, spiritus mendacii per os hujus Caiphæ sibimet usurpavit, ut quod confiteretur evangelica fides in veritate, hoc idem æquivoce sonaret, per os nescientis, et contra omnem veritatem nitentis homicidæ. Quod evangelista ipse admirans, continuo subjungit: « Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quod Jesus moriturus esset pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. » Magnum spectaculum hujus anni pontificis, qui redempto pontificatu unius anni, vere ut fur et latro in ovile ascendit, et nunc ipsum pastorem ovium mactare intendit, ut furta sua licentius agere possit. « Hoc, inquit, a semetipso non dixit. » Quid est a semetipso non dixit, nisi hoc verbum de corde suo non adinvenit? Nam revera antequam Caiphas fieret, factum est hoc verbum, ut Jesus moreretur pro gente, et factum est utique ad sanctos prophetas, imo et erat antequam fierent prophetæ, antequam fieret Abraham, sed et antequam formaretur Adam. Erat quippe jam in beneplacito Dei dicentis: « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram (*Gen.* I). » Jam tunc erat hoc verbum, ut Jesus moreretur pro gente. Hoc ergo Caiphas a semetipso non dixit. Sed quid? « Cum esset pontifex anni illius, prophetavit. » Potest exempli gratia sic dici: Cum esset cymbalum magnum, clare tinnivit, quia videlicet virtutem loquelæ suæ non magis advertit quam tinnitum suum cymbalum sentit. Illud enim omnino non sentit quod sentimus nos homines, audito hoc sonitu tintinnabuli, scilicet quod vere expedierit, ut sic unus et singularis homo, Sanctus sanctorum, et Sol justus, Jesus Christus moreretur pro gente, et non tantum pro gente Abrahæ, sed et pro cunctis prædestinatis ab origine mundi, filiis Dei, foris extra paradisum originalem, in quatuor mundi partes dispersis, et jamjam de massa generis

humani, usque ad ultimum electum recolligendis. Igitur mendacium quidem sensit quod nihil est, scilicet quod idcirco Jesum mori utile esset, ne propter hoc ipsum nominatum regem Christum, iratis vindictam facientibus Romanis, gens illa periret, sed rei veritatem, quæ jam dicta est, nec sensit, nec a semetipso dixit, sed impellente manu Dei cor stultum quomodo voluit clare et longe audibilem tinnitum reddidit. Itaque quoniam hoc a semetipso non dixit, sed verbum prophetavit, recte sanctus evangelista, imo et tota Christi Ecclesia, verbum rapuit de ore illius mali prophetæ, et indigni pontificis: De ore, inquam, illius polluto, et mendacibus labiis rapuit hoc verbum veritatis (*Sap.* I), et dicit: « Vos nescitis quidquam. » Vos, inquam, impii homicidæ, insipientes et maligni thesaurizatores mortis, quos malitia excæcavit, nescitis sacramenta Dei, « neque cogitatis quia expedit unum hominem mori pro gente, » et non tantum pro electa patriarcharum vel prophetarum gente, « sed et ut filios Dei de cunctis gentibus, qui dispersi erant, » et longe disjecti, nomen Domini non audierant, congreget in unum, » in unum populum, in unam Ecclesiam, in unum corpus suum. « Hoc nescitis, neque cogitatis vos. » Sed nec ipsæ vulpes, quæ in vobis foveas habeant, neque volucres cœli, quæ in vobis nidificant (*Matth.* VIII); vulpes, inquam, et volucres, scilicet maligni spiritus, quos in cordibus et conventiculis vestris confovetis, neque per astutiam, neque per agilitatem suam comprehendere potuerunt hoc magnum pietatis sacramentum, quod per mortem suam Filius Dei fratres suos dispersos congregaturus esset in unum (*I Tim.* III). Nescitis ergo istud, neque cogitatis. » **275** Etenim istud consilium Dei, sanctis patribus et prophetis revelatum, vos scire indigni estis. Sequitur:

« Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum. » Ergo, inquit, quia conspirationem suam, quasi rationabiliter auctoritate consilii confirmaverant, ab illo die præfinito consilio cogitaverunt, ut eum, quem antea lapidare voluerant per turbam et tumultum nunc interficerent quasi per judicii ordinem legitimum. « Jesus ergo jam non ambulabat palam apud Judæos, sed abiit in regionem, juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. » Non metu occasus sui verus iste sol in nube se abscondit, non palam ambulando apud Judæos, præsertim cum postmodum ad eumdem occasum suum tam rutilo aspectu pervenerit, ut claritatem gloriæ ejus invidorum fere non possent oculi; sed hoc et jam facto et utilia fidelibus suis præmittit exempla, et divina more suo signat mysteria. Hoc enim ejus exemplo, licet ejus discipulis humiliter declinare instantiam persecutionis, et itidem mystice datur intelligi, quod Judæis jam debeat domus sua deserta relinqui. Abeundo namque in regionem juxta desertum, et ibi morando cum discipulis suis, per desertum innuit desertionem Judæorum, per ipsam regionem, quæ est juxta desertum, electam habitationem gentium, apud quas mansurus erat, in civitate Ephrem, id est, in Ecclesia faciente fructum multiplicem, Ephrem quippe interpretatur *frugifer* sive *crescens*.

« Proximum autem erat Pascha Judæorum, et ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. » — « Jam non palam, inquit, ambulabat Jesus apud Judæos, » sed non diu delituit. « Proximum enim erat Pascha Judæorum, » quod tempus suum esse noverat quo pati cupiebat, quod desiderabat, sicut testatur ipse: « Desiderio, inquiens, desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar (*Luc.* XXII). » Porro, Judæorum hoc Pascha fuit ultimum. Quidquid enim extunc Judæi sanctificant, pollutum est; quidquid benedicunt sacerdotes eorum, maledictum est; Deus enim benedictionibus eorum maledicit, sicut per prophetam prædixit: Et extunc stercus solemnitatum ipsorum super vultus eorum projeci (*Malach.* II). » — « Ut sanctificarent, inquit, seipsos, ascenderunt ante Pascha. » Sanctificatio Judæorum tota in cibis et in potibus, et variis baptismatibus et justitiis carnis, ante Pascha solemniter agebatur, id est, ab initio mensis primi, cujus die decimaquarta ad vesperam sacer agnus immolabatur, ei ex lege præceptum erat, ut immundus ex eo non vesceretur (*Exod.* XII).

« Quærebant ergo Jesum, et colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? » Ecce crudelis hiæna, hæreditatis illius habitatrix, in qua Deus quondam habitavit, quomodo sitit, quomodo anhelat, et linguam ejicit festinans et impatienter sitiens effundere sanguinem Christi. Nondum venerat dies festus, et jam insidiantes in illa spelunca sua, in illa domo Patris quam fecerant speluncam latronum, cum deberet esse domus orationis (*Matth.* XXI; *Joan.* II), dicebant: « Quid putatis, quia non venit ad diem festum? » Videlicet, quia primus non venerat, vel inter primos, qui, ut prædictum est, ascendebant Jerosolymam, ut sanctificarent seipsos, male solliciti, et propositum timentes perdere homicidium: « Quid putatis, inquiunt, quia non venit ad diem festum? » O impii, quid putaremus, nisi quia iste est agnus paschalis, et decimus dies mensis hujus nondum advenit? Non enim jubet lex, ut festo die neomeniæ cum clangore tubarum, sed ut decima die mensis tollatur agnus qui immolandus est in domo filiorum Israel. Idcirco ergo non jam venit ad diem festum, quia tempus exspectat, et diem suum legitimum, ut legitima, id est, decima die mensis domum filiorum Israel, id est templum Dei, paschalis agnus introeat, et extunc circa illud salubria doctrinæ cœlestis pabula, circa vel intra ejusdem templi viridarium, suis auditoribus dividat, vobis nihil audientibus, neque cultrum vestrum injicere valentibus, donec quartadecima dies veniat, cujus ad vesperam seipse immolaturus est suis manibus, et tunc demum a se vobis, o cruenti lanistæ trucidari permittet. Tunc illum

suscipietis, « sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis (*Psal.* XVI).» Tam malam intentionem vestram Evangelista significans ita subjungit:

« Dederant autem pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum. » Non inquit, bene quærebant eum, neque pro bono festinabant videre venientem ad diem festum, sed quia « pontifices et Pharisæi dederant mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendat eum. » Solliciti erant, ne forte propter hoc ipsum non veniret ad diem festum. Ergo intentus quisque erat illorum habiturus gratiam, cum indicasset illum, quippe cum et pretium dare prompti essent, quod et discipulo ejus dederunt indicanti, quando vel in quo loco sine turbis possent comprehendere illum (*Matth.* XXVI).

[CAP. XII.] — « Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit. » Ergo, inquit, quia tale principes et Pharisæi mandatum dederant. Jesus non ante quatuordecim aut duodecim sed tardius, id est, « ante sex dies Paschæ, » venit in viciniam Jerosolymæ, scilicet in Bethaniam, hoc exemplo præsignans, ne quis persecutoribus se ingerat, antequam divina illum gratia vocet, cum ipse tempus illud vel diem observare curaverit, qui per Scripturas olim præordinatus est. Sextus namque dies ante quartam decimam mensis, cujus in vespera agnus immolandus erat, nonus dies ejusdem mensis est. Cum ergo nono die mensis in Bethaniam venit, et sicut paulo post sequitur, qui in crastinum, qui profecto decimus dies mensis est, civitatem Jerusalem ingreditur, plane in hoc quoque legem, quæ de agno paschali scripta est, hic verus agnus Dei sustinere probatur: « Venit, inquit, Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit, » videlicet in crastinum, ut dictum est, sanctam civitatem ingressurus.

« Fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat; Lazarus vero unus erat ex recumbentibus. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti. » Cœnam hanc in domo Simonis quondam leprosi factam esse, ex Matthæo et Marco manifeste habemus (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV). Secundum Lucam quoque domus illa ejusdem Simonis est, in qua primum hæc eadem Maria peccatrix; eadem, inquam, sicut a diligentioribus tractatoribus veraciter assertum est, a Domino suscepta, lacrymis lavit pedes ejus, et multa illi peccata dimissa sunt, quia dilexit multum (*Luc.* VII). Unde ergo est quod tot viris præsentibus, in domo alterius mulier Martha ministrabat? Illud nempe non esset mirum, si in domo sua ministraret sicut tunc, quando « intravit ipse Jesus in quoddam castellum, et hæc eadem mulier excepit illum in domum suam et satagebat circa frequens ministerium (*Luc.* X). » Verum quacunque necessitate Martha Simoni conjuncta fuerat ut in domo ejus ministraret, **276** quoniam Scriptura tacet, nos jam in hac cœna diligentius speculemur ea, quæ Domino nostro exhibita sunt, sancta et mystica magnæ pietatis ministeria. « Fecerunt, inquit, ei cœnam ibi. » Domus, ut prædictum est, Simonis est, Martha ministrat, « Lazarus unus est ex recumbentibus, » Maria pretiosum super caput et pedes Domini effudit unguentum. Nam hoc loco hic quum Evangelista super pedes effusum unguentum narrat, Matthæus et Marcus super caput quoque ejus effusum esse non tacent. Uberius ergo nunc instante passione Domini, in hac cœna sanctæ Ecclesiæ obsequium præsignatum est, quam tunc cum in domo ejusdem Simonis hæc eadem Maria peccatrix, ab eodem Domino nostro suscepta est. Tunc enim super convivantes illam Pharisæi domum famosa peccatrix ingressa, et murmurante illo dignam pœnitentiam offerendo justificata, conversionem gentilitatis præfigurabat. Hæc gentilitas enim post ascensionem Domini, ad divitias Judæorum, ex quibus salus est, veniens, et ad magnum convivium Scripturarum injussa prorumpens, quæ fuerat meretrix, id est, pluribus diis, quasi multis prostituta viris, retro secus pedes Domini accubuit (*Joan.* IV). quia videlicet ejus, quem secundum carnem non noverat, vestigiis adhæsit, flens et erroris pristini pœnitentiam agens, murmurantibus eis qui ex circumcisione erant, eo quod gentiles gratia Christi indignos judicarent (*Act.* XI). Nunc autem mulier eadem jam justificata, simul cum Martha sorore sua unam eamdemque Christi Ecclesiam significat, quæ diversis utriusque activæ, scilicet et contemplativæ vitæ obsequiis eidem Domino in Bethania, id est, in domo obedientiæ ministrat. « Lazarus vero qui fuerat mortuus, » quem suscitavit Jesus, « unus est ex recumbentibus; » quia profecto sine fide resurrectionis, in nullo ordine Ecclesiæ Christo ministratur. Domus autem ipsa Simonis est leprosi, quia videlicet Judæorum, inquit Apostolus, adoptio est filiorum (*Rom.* IX), et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, et eorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, nos autem, scilicet, Ecclesia de gentibus, eramus quondam sine Christo, alienati a conversione Israel, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo (*Ephes.* II). Cum ergo admissi sumus, ut jam non simus hospites et advenæ, sed simus cives sanctorum et domestici Dei, profecto in domo Pharisaica, gentium Ecclesia Christo deservit, licet inviderit Synagoga, et detraxerit pœnitentiam agenti. Facta igitur cœna, Martha ministrat et Maria unguentum super Dominum effudit, quod ipsum quoque quoddam non leve ministerium fuit. Differt autem a ministerio Marthæ, quia videlicet Martha cibos corporis ministrat, Maria vero multum quidem est, quod obsequitur, verumtamen tali ejus obsequio corpus non reficitur. Mystice quidem capillis ejus quibus Domini pedes extergit, superbam divitum abundantiam exprimunt, qua sic absque penuria sui pauperum inopiam supplere, quomodo ca-

pillos absque dolore capitis deponere possunt; verumtamen carnaliter, sicut jam dictum est, Maria Dominum per tale non pascit obsequium. Igitur per Marthæ ministerium, illorum sedulitas exprimitur, qui in vita activa Christo deserviunt, per Mariæ vero unguentum, cujus « ex odore domus impleta est, » eorum religiositas figuratur, qui contemplativæ vitæ sanctis laboribus attriti, bonum Deo et hominibus odorem effundunt. Quorum perfectioni illud quoque congruit, quod dictum est : « Accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi. » Libram, inquam, unguenti, id est, bonam et perfectam mensuram piæ servitutis. Pistici autem unguenti, id est, fidelis et sine adulteratione, vel probatissimi. πίστις enim Græce, Latine *fides* dicitur, quæ cum humilitate conjuncta (quam nardus herba humilis et aromatica designat), unguentum optimum efficitur, quo non tantum caput, sed et pedes Domini suavissime perunguntur. Non enim frustra hic Evangelista, cum Matthæus et Marcus aperte dixerint, hoc unguentum effudisse super caput ipsius recumbentis, scribit, quod illi tacuerunt scilicet, quia pedes quoque ejus illo unxit. Nam revera quando primum ad Dominum accessit, tunc unguento, quod non propter ipsum Dominum emerat, sed ob fragantiam sui corporis vegetandam composuerat, solos unxit pedes Domini. Nec enim poterat peccatrix statim capite ejus digna fieri; nunc vero jam justificata et dilecta, unguento quod propter hoc ipsum emerat, tam caput quam pedes perunxit. Ministrante ergo Martha cibos corporis, Maria spiritualium ministeriorum exemplar, caput ac pedes Salvatoris, videntibus cunctis et odorem mirantibus, unguento pretioso ungit, quia videlicet in auribus plebis Domino servientis, in sex operibus misericordiæ quæ in Evangelio Matthæi commemorantur : « Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi potum (*Matth.* xxv), » et cætera religiosi ministri Christi et « dispensatores mysteriorum Dei (*I Cor.* IV). » fideliter confidentur et prædicant, quia « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I). » Caput namque ungere est Divinitatem ejus fideliter annuntiare; pedes autem ungere, est veram humanitatem veramque passionem ejusdem Dei et hominis humiliter credere et constanter prædicare. Hoc agentes et non sicut plurimi verbum Dei adulterantes : « Christi, inquiunt, bonus odor sumus Deo in omni loco, in his qui salvi fiunt et in his qui pereunt (*II Cor.* II). » « Ergo domus impleta est ex odore unguenti. » Verum hoc unum idemque Ecclesiæ unguentum aliis est odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.

« Dicit ergo unus ex discipulis ejus Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus : Quare hoc unguentum non væniit trecentis denariis et datum est egenis » Huic infelici bonum opus mulieris odorem mortis attulit, hunc bonus ungenti pretiosi odor

A occidit. Imo quia vere jam mortuus erat et inter vivos, id est electos apostolos ambulans, jam in sepulcro malitiæ suæ Deo mortuus jacebat, odorem vitæ ferre non potuit, obsequium pietatis vel honorem dignum magistro impensum sine tormento indignationis et invidiæ videre nequivit, venenum avaritiæ (quo ebrius erat) continere non valuit. Personam ejus Evangelista descripsit, signanter dicendo « Judas Iscariotes, » quod vocabulum sumpsit a tribu Issachar vel a vico in quo ortus est, et addendo « qui erat eum traditurus; » quia videlicet est alius apostolus hujus nominis Judas qui et Thaddæus, intentionem vero qua hæc dixerit subjungendo exponit : « Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. » B Teterrimus, inquit, nebulo nequissimam invidiam, qua de bono magistro male sentiebat, et profundam avaritiam, qua Dominicis loculis non parcens furtum inferebat, honesto nomine, id est, egenorum palliavit cura. Quis non miretur quod talem conscientiam tali hypocrisi contegebat, **277** quod insidiator misericordiæ, de necessaria pauperibus misericordia tractabat? Magnifice sanctus Evangelista hujus homicidæ atrocitatem percutit, dicendo : « Non quia de egenis pertinebat ad eum. » Non, inquit, cura hæc pertinebat ad eum, etenim longe excesserat animus ejus, trucidator pietatis, ultra omnes terminos humanarum miserationum, tamque alieni pectoris erat, ut ipsam posset ad mortem tradere misericordiam pauperum. C Sed quare dixit? « Quia fur erat, » inquit. O infelix! Idcirco maluisset hoc unguentum vænisse trecentis denariis, quia voluisset et potuisset furtum facere de ipsis trecentis denariis. Quomodo potuisset? Utique satis commode, quia loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Saccularius, inquit, erat Domino, et ea quæ a piis hominibus pauperi Domino nostro mittebantur, portabat. Etenim cum dives fuisset, pauper pro nobis factus erat, et cum terræ, et maris omniumque, quæ in eis sunt, vel ex ipsis nascuntur, Creator et Dominus esset, tamen ex eleemosynis hominum sustentari (*II Cor.* VIII), et Evangelium annuntians, de Evangelio vivere volebat; ea, inquam, quæ ab auditoribus Evangelii Domino mittebantur, ipse portabat, et ministerio nequiter D abutens, exportabat fur et sacrilegus. Non qualiscunque fur, fur loculorum, sed Dominicorum loculorum, sed sacrorum. Talis erat miser iste Judas, et tamen cum sanctis undecim discipulis intrabat, et exibat; imo, ei eleemosynis, unde illi et ipse Dominus viverent, præpositus erat. Quare, inquis, Dominus noster omnia sciens, cum talem illum sciret, non solum apostolum, sed et provisorem vel saccularium fecit apostolorum? Ad hæc, inquam : Quare usque hodie multos in Ecclesia sua idem Dominus permittit esse præpositos similes ejus? Qui enim aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur. Quanti autem putas de Ecclesia furantur, abutentes

ministerio, quo permittente Christo, funguntur? Quanti rem pauperum non pauperibus tribuendo, furtum faciunt, et non qualecunque furtum, sed sacrilegium? Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti et peculatus; peculatus enim dicitur furtum de re publica,et si non sic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ,quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus,qui ausus fuit non undecunque, sed de Ecclesia tollere? Igitur cum hodieque multi sint Judæ similes, et cur ad ministerium ecclesiasticum pervenire potuerint,interrogati certum quid respondere nequeamus,nisi quia multa permittit fieri Deus, quæ non vult, de illo uno non temere judicium Domini discutiamus, præsertim cum ignoremus,utrum Dominus electione sua loculos suos illi commiserit,an certe (quod credibilius est) ille se ingesserit,sicut plerique nunc ecclesiasticis ministeriis tanta importunitate se ingerunt,ut nisi admittantur,pene graviora per discordiam animabus scandala,quam si admittantur damna rebus ecclesiasticis inferant.Itaque cum hæc dicit Judas: « Quare hoc unguentum non væniit trecentis denariis et datum est egenis, » non est timor Dei vel cura egenorum ante oculos ejus,sed verba oris ejus iniquitas et dolus,et in cubili suo iniquitatem meditatur.

« Dixit ergo Jesus: Sine illam,ut in diem sepulturæ meæ servet illud. Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.» Verba suæ responsionis Dominis in singularem et pluralem numerum dispersit,dicendo singulariter: « Sine illam,ut in diem sepulturæ meæ servet illud,» et addendo pluraliter: « Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. » Unde datur intelligi, quia revera secundum Matthæum et Marcum,cæteri quoque discipuli indignati sunt, dicentes: « Utquid perditio hæc (*Matth.* XXVI), » sed diversa intentione, videlicet, ut alii vere propter curam egenorum hoc dixerint: Judas autem propter aviditatem furti sui. Bene ergo, ubi erat intentio divisa,Dominus noster sua divisit verba,singulis partibus reddens convenientia.Nam Judæ furi qui per nequissimam avaritiam paulo post accepturus erat pretium traditionis vel mortis ejus (*Matth.* XIV), eamdem mortem suam annuntians: « Sine, inquit, ut in diem sepulturæ meæ servet illud, » ac si dicat: Non solum non vendatur, ut detur egenis,verum etiam, et quod nunc habet, nec enim totum in me jam effudit, quod, inquam, nunc habet unguentum servet,et adhuc amplius emat ad condiendum corpus meum,quod tuo scelere Juda paulo post tradetur ad crucifigendum. Cum vero qui jam, ut dictum est, revera propter pauperes dixerant: « Utquid perditio hæc? » potuit enim venundari hoc plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus, eis, inquam, longe aliam rationem plenam pietatis et dulcedinis reddidit: « Pauperes enim, inquit, semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. » Est quidem bonum opus, inquit, curare egenis et benefacere illis, sed

A mihi primum jamjam abituro, jamjam morituro,a vobis amicis meis officiose vale dicendum est.Habet ministerium pauperum meritum suum,sed præcellit officium pietatis ipsi sanctorum pauperum capiti impensum. Præterea « non semper me habebitis, » non semper hoc modo unguentum in me effundere poteritis, futurum est ut, propter videndum me, sanguinem vestrum fundere optetis,qui nunc effusionem unguenti,quod vos non emistis,perditionem reputatis. Recte igitur illud quidem singulariter, hoc autem pluraliter dixit,et diversis intentionibus indignantium, Judæ, scilicet et cæterorum, qui indignati sunt, congruentia respondit. Potest tamen intelligi quod idcirco de singulari numero repente ad pluralem transierit, quia tunc quidem unus erat

B Judas,nunc autem sunt multi, et cum Christum fideles discipuli semper haberent per præsentiam Divinitatis; sicut ipse: « Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII), » illi qui Judæ fideles sunt, nequaquam illum sunt habituri: « Tollatur enim, inquit propheta,tollatur impius,ne videat gloriam Domini (*Isa.* XXVI),» ut quomodo Judas non meruit videre faciem resurgentis.Vel tunc esse cum beatis apostolis,quando pacem illis attulit,jam quippe illum tulerat locus perditionis,sic nunquam habeant vel gloriam ejus videant, quicunque fideles sunt illi. Sequitur:

« Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est, et venerunt non propter Jesum tantum,sed ut Lazarum viderent,quem suscitavit. » Ex quo « collegerunt pontifices et Pharisæi consilium, » et defi-

C nito consilio interficiendi Dominum Jesum dederant mandatum, « ut si quis cognoverit ubi sit, indicet ut apprehendant eum, » non cognoverat turba ubinam esset,ipse namque Jesus non in palam ambulabat apud Judæos.Nunc autem venerat Bethaniam, et fecerant « ei cœnam ibi. Lazarus quoque unus erat ex recumbentibus. » Nunc ergo post aliquantulam exspectationem tandem cognovit turba,« quia illic est, et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit. » Sed nunquid Lazarum saltem videre hactenus non potuerant, sicut et Jesum non cognoverant ubinam esset,eo quod ambulabat non in palam? Ergo turba **278** hæc non tantum Jerosolymitarum, sed et maxima ex parte illorum erat,qui, ut supra dictum

D est,Jerosolymam ascendebant de regione ante Pascha, « ut sanctificarent seipsos. » Venerunt,inquit, ad eum, scilicet non apprehendere, sed videre cupientes, ita ut inviderent illi, qui eum interficere cogitabant. Nam protinus subjungitur:

« Cogitaverunt autem principes sacerdotum,ut Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant ex Judæis,et credebant in Jesum. » Itaque bene venientibus male remanentes invidebant,et gloriæ Domini invidebant.Sed unde hos ausus gens subjuga conceperat,ut non solum unum hominem interficere velle auderet,quia mortuos suscitat,sed etiam alium, quia revixerat? Videlicet ex fiducia pavoris sui, quem

superius in concilio suo pontifices et Pharisæi prætenderant, dicentes : « Ne forte veniant Romani, et tollant locum nostrum et gentem. » Iste pavor fidelitatem sonuerat dominorum suorum, scilicet, eorumdem Romanorum, idcirco audebant, inde præsumebant, ideo leges Romanas non posse sibi succensere, quasi sagaces et callidi prævidebant. Nam et Herodem illa causa de loco, et gladio Romanæ severitatis eripuerat, qui tot pueros propter ortum novi regis trucidaverat (*Matth.* II), cui prophetæ in Scripturis suis, non solum Judaicum, sed etiam totius mundi regnum promittebant, et idcirco non soli sibi, sed etiam Romanis principibus, eo modo illum consuluisse Augusti Cæsaris aures libenter accipiebant.

« In crastinum turba multa, quæ convenerant ad diem festum, cum audissent, quia Jesus venit Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. » Die illo Sabbatum erat, quo Bethaniæ facta sunt ea quæ nunc Evangelista narravit, videlicet sextus dies ante solemnem vesperam Paschæ, id est sequentem vesperam decimæ quartæ lunæ quæ nunc secundum Evangelium in quintam feriam obvenit. Hic autem dies crastinus prima Sabbati est, quo Dominus Jesus Jerosolymam intravit, octavus ante illum quo erat resurrecturus a mortuis, qui et ipse sine dubio prima Sabbati exstitit. Non ergo casu, sed secreta dispositione Divinitatis actum est, ut cum tali honore, vel apparatu laudis, hac die civitatem intraret, et ut superius jam dictum est, luna decima verus Dei Agnus ad immolationem sui decima quarta luna peragendum accederet. Quid enim jucunditas ista, nisi præconium fuit octava deinceps die futuræ ejus resurrectionis ? Ipsam ergo seriem diligentius contemplemur Evangelicæ narrationis. « Turba, inquit, multa, quæ convenerat ad diem festum, cum audissent, quia Jesus venit Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt ei obviam. » Rami palmarum insignia victoriæ. Magnum et mirum spectaculum ! Nunc primum parabatur bellum, necdum certamen initum, et jam triumphum celebrabant turbæ populorum. Nunquid sine dubio illud jam sciebant quod iste sine dubio perferturus esset victoriam ? Imo nec istud noverant quod ad præliandum venit Rex Israel. Absconditum erat cunctis viventibus et ab ipsis apostolis hoc Divinitatis consilium, quod per passionem et mortem suam iste Rex gloriæ destructurus esset eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum, vel quod oportet eum pati, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam. Ergo illi tantæ laudis concentores, secundum intellectum ejus rei quam agebant, infantes erant et lactentes, id est, hoc ipsum quod exterius præsignabant mysterium nesciebant. Unde juxta alium evangelistam, cum dicerent Domino Scribæ et Pharisæi : « Audis quid isti loquuntur ? Utique. Nunquam legistis quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ? (*Matth.* XXI ; *Psal.* VIII). » Igitur Ipse, qui pati veniebat, nutu et voluntate sua tales infantes et lactentes in comparatione Scribarum et Pharisæorum, penes quos erat ubertas facundiæ, solidusque cibus legalis et propheticæ scientiæ ; nutu, inquam, suo tales infantes et lactentes commovit, ut eo modo sibi occurrerent, ut ejusmodi ramos attollerent, et sic sibi acclamarent, et ita ex ore illorum, ejus quam nesciebat victoriæ suæ perficiebat laudem. Quid enim acclamantes dicebant ? « Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. » Hosanna, verbum Hebræum, compositum est ex duobus, corrupto et integro. Salva namque, sive salvifica, apud eos dicitur *osi*, at vero *anna* interjectio est deprecantis, quomodo apud Latinos *heu* interjectio est dolentis, et interjectio admirantis *papæ*. Denique in psalmo centesimo decimo septimo ubi scriptum est : « O Domine, salvum me fac, » et in Hebræo scriptum est : *Anna, Adonai, Hosanna.* Hosanna itaque, *salva, obsecro*, significat consumpta vocali littera *i*, qua verbum prius terminatur, quod profecto dicitur *osi*, per virtutem litteræ vocalis *a*, qua verbum sequens incipit *anna*, quod metrici in versibus synalæpham vocant, quamvis illi scriptam litteram scandentes transiliant; in hoc autem verbo hosanna, *i* littera nec saltem scribitur, sed sensu loquentium salvo, funditus intermittitur. « Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. » Hunc versiculum cum verbo *hosanna*, pro quo ut prædictum est, in Hebræo scriptum est, *anna, adonai, hosanna*, id est, *o Domine, salvum me fac.* De psalmo centesimo decimo septimo, nutu instigantis eos supernæ voluntatis, arripuerunt, ubi sic scriptum est : « Benedictus qui venturus est in nomine Domini. » Propheta, quantum est statum illum, in quo erat ipse, posuit, venturus est. Hi autem fatentes hunc illum, qui ibi prænuntiatus est, non qui venturus est, sed « qui venit, inquiunt, in nomine Domini. » In nomine Domini, inquam, id est, gloriam quærens Patris, non suam, vel hoc nomen habens quod Dominus sit, sicut ipse Dominus Pater loquens ad Moysem de magni consilii angelo, scilicet de hoc Filio suo : « Et est, inquit, nomen meum in illo (*Exod.* XXIII). » Ita vadens ad bellum contra diabolum Rex Israel, id est, rex omnium viventium Deum, vel qui Deum videre digni sunt, jam in hoc præfiguravit illud tripudium, quod de victoria ejus habitura erat superna civitas Jerusalem. Illo namque resurgente a mortuis et ascendente in cœlum, cantare habebant supernorum civium chori, ramos victoriæ sublevando, et regem suum debita cum laude et honore suscipiendo. Nam sicut occiso a puero David Goliath Philisthæo, cum reverteretur, et ferret caput ejus in Jerusalem, egressæ mulieres de urbibus universis in occursum ejus canebant in tympanis lætitiæ et sistris (*I Reg.* XVII), sic superato diabolo per passionem Christi, exituræ erant animæ sanctorum cum beatis angelis, laudantes et gloriam Regi suo canentes, viventium quoque fidelium multitudines, victoriam ejus per totum mundum prædicantes. Sequitur:

« Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timere, filia Sion, ecce rex tuus venit, sedens super pullum asinæ (*Zach.* IX). » Breviter hic attingit quod cæteri evangelistæ latius jam dixerant. Sed quale verbum jam ista brevitas sonuit? « Invenit, **279** inquit, asellam. » Magnifice dixit, proprie locutus est, rem valenter Evangelista divinus expressit. Quid enim illa, quam latius cæteri ut dictum est, evangelistæ narrant alligatio aselli, nisi perditionem et captivitatem significat generis humani, maxime autem gentilis populi? Econtra quid solutio illius quam duobus discipulis imperat, nisi inventionem vel acquisitionem nostri designat? Pulchre ergo et breviter quidem, sed proprie secundum rem dixit, « quia invenit Jesus asellum, et sedit super eum: » quia videlicet per passionis suæ mysterium, Salvator perditum invenit genus humanum, et abacto sessore diabolo, quem asellus ignobilis et stultus, magno decore suo nimis patienter portabat, capistro stultitiæ infrenatus et in stabulum mortis agebatur: Ascendit super eum nobilis eques, et inclytus rex, ut suæ nobilitatis eum participem faceret, et in supernam civitatem Jerusalem equitatus sui salvatione perduceret. Sedit, inquam, super eum, sicut scriptum est: « Noli timere, filia Sion, ecce rex tuus venit tibi sedens super pullum asinæ. » Hoc in Zacharia propheta scriptum est (*Zach.* IX), quia de passione ejus, ad quam nunc tali schemate veniebat, confestim subjunxit: « Tu quoque in sanguine testamenti æterni eduxisti vinctos de lacu, in quo non est aqua (*ibid.*). » Sane filia Sion Hebræa gens dicitur, quam hic pro parte electorum Spiritus sanctus in hoc propheta consolatur, ut non timeat, sed potius gratuletur, quia rex suus adductis gentibus implet domum et multiplicat filios ejus, sicut per talem ejus adventum figuratur.

« Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum, sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, et hæc fecerunt ei. » — « Primum, inquit, quam resurrexisset, primum quam aperuisset illis sensum, ut intelligerent Scripturas, non cognoverunt hæc, sed quando glorificatus est Jesus, videlicet gloria resurrectionis, et ascensionis, et effusionis Spiritus sancti (*Luc.* XXIV), tunc recordati sunt, quia hæc erant Scripta de eo, scilicet suggerente illis omnia Spiritu sancto, « Et hoc, inquit, recordati sunt, quia hæc fecerunt ei. » Quæ fecerunt ei? Hæc utique ut inveniret asellum, imo ut sederet super eum. Sic enim manifeste Matthæus exprimit: « quia imposuerunt super eum vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt (*Matth.* XXI). » Etenim ipse quidem asellum, ubi esset, indicavit, et eum sibi adduci jussit, sed certi ordine mysterii, quamvis ea intentione hoc jusserit, ut desuper sederet, et sic jam dictam prophetiam impleret, tamen non nisi rogantibus, et vestimenta sua discipulis imponentibus, super eum sedere voluit. Hoc ergo fecerunt tunc non cognoscentes,

A sed revera illud quod tunc significatum est per eos nescientes, post modum ipsi fecere scienter. Etenim missi a Domino per mundum, ut gentilem solverent populum cum labore prædicationis, addiderunt instantiam orationis, ut super adductum sederent asellum, id est credentem in se Dominus dignaretur protegere gentilem populum. Si quo minus id faceret, lugebant et flebant infelicis aselli causa, sicut Apostolus evenire quibusdam Corinthiis metuebat, cum diceret inter cætera: « Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis (*II Cor.* XII); » et subinde: Ne iterum, inquit, cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos in his qui ante peccaverunt, et non egerunt

B pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia quam gesserunt. Sequitur: « Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierant eum fecisse hoc signum. » Eorumque jam dicta sunt, ista complexio est, quia videlicet quod turbæ processerunt obviam ei taliter conclamando, magnum et verum testimonium fuit Filii Dei. « Ergo, inquit, hoc modo testimonium perhibebat turba, quia erat cum eo, quando Lazarum suscitavit, et propterea obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. » Turbam a turba distinxit, turbam videlicet, quæ interfuerat illi signo mirabili, a turba quæ non quidem interfuerat, sed audierat, et ita cum illis qui viderunt

C concurrentibus eis qui illis referentibus audierunt, aucta est turba, crevit concursus, multiplicata est laus Dei, multiplicata est gloria Filii Dei, in tanta frequentia, tali tempore, in illa paschalis festi præparatione, quando, ut supra dictum est, ascenderant multi Jerosolymam de regione.

« Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit. » Magno tormento congemuerunt, gravi dolore suam ad invicem invidiam anhelaverunt: « Videtis, inquiunt, quia nihil proficimus? O infelix stipula, hic Deus noster ignis consumens est, et tu illum opprimendo proficeres? Deficies potius et consumeris, quia non stipula ignem, sed econtra stipulam ignis consumit. Quanto illum pertinacius incum-

D bendo presseris, tanto amplius flammam suæ claritatis cum tui detrimento dilatabit. « Nihil proficimus, aiunt. » Unde hoc malum? unde hi gemitus? « Ecce » inquiunt, « mundus totus post eum abiit. » Non dixerunt tota turba, sed totus mundus post eum, videlicet quia et canebant pueri Hebræorum et quærebant Jesum primitiæ gentilium. Nam sequitur:

« Erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum dicentes: Domine, volumus Jesum videre. » Hoc illos deterius habebat quod de Do-

mino Jesu Hebræi jam acclamabant, et eumdem gentiles quærebant ; quippe qui longe superius præsago torti livore dixerant : « Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum, numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes ? (*Joan.* VII). « Gentiles, inquit, erant, et ascenderant ut adorarent in die festo. » Ut vere pauperes ad magnam magnorum divitum januam accesserant, cupientes saturari de micis quæ de mensa illorum cadebant, imo et tanquam catelli sub mensa dominorum, residua fragmenta colligere venerant (*Matth.* XV). Quantam enim redolet humilitatem quod dicitur, quasi stantes a longe ? « Domine, volumus Jesum videre. » Quomodo confractum cor habeant erga Dominum dominorum, cum intercessorem ambientes, servum Domini vocarent Dominum ?

« Andreas rursum et Philippus dixerunt Jesu. » Profecto non leve erat, pro consuetudine, hospites testamentorum promissionis spem non habentes, incircumcisos homines admitti, saltem ad videndum Dominum Jesum, cujus aspectus vel præsentia nauseantibus Israelitis venerant in fastidium ; quippe, qui meminerant se audisse ex ore Domini dicentis : « In viam gentium ne abieritis. » Quid ergo pauperibus, id est, humilibus istis mitis et humilis corde responderit audiamus. « Respondit eis Jesus dicens : Venit hora ut clarificetur Filius hominis. » Venit hora, inquit, qua ut gentes videre possint Filium hominis, clarificetur ipse Filius hominis, clarificatione videlicet resurrectionis et ascensionis, nec non effusionis **280** Spiritus sancti. Ex tunc enim id est, postquam juxta Psalmistam : « Exsultans ut gigas percurrerit viam suam, et sicut a summo cœlo egressio ejus, ita et occursus ejus fuerit usque ad summum ejus (*Psal.* XVIII) ; » ex tunc, inquam, sicut sol omni mundo erit conspicuus, nec erit qui se abscondat a calore ejus, tunc insipiens gentiles isti videre me scilicet illuminati fide, implebiturque illud quod scriptum est : « Quæsierunt me qui ante non interrogabant me, invenerunt me (*Isa.* LXV), » vel juxta septuaginta Interpretes ; « palam apparui his qui non quæsierunt me. » Sed quisnam erit modus clarificandi, vel quæ causa effectiva tantæ claritatis ? Ait : « Amen, amen dico vobis : Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. » Jam ad hanc vocem, qua dixit : « Venit hora ut glorificetur Filius hominis, » exsultare poterant desideratores regni ejus, sicut apostoli, multum desiderantes gloriam Magistri ; exsultare, inquam, poterant, tanquam consessuri ad dextram et ad sinistram magni regis, in illo terreno solio David, præsertim quia nunc fuerat rex Israel acclamatus a turbis, ignorantes quod hic necessarius esset modus vel ordo clarificationis, ut altitudinem claritatis præcederet humilitas passionis. Idcirco congruam similitudinem confestim intulit doctrix filiorum suorum sapientia Dei, volens ostendere nihil incarnationem mundo profuisse, nisi per passionem suam redemptionem ejus acquisierit. Interposita autem affirmationis causa, qua dicit : « Amen, amen dico vobis, » eorumdem discipulorum tarditas est quam manifestius ex cæteris evangelistis agnoscimus, apud quos dicente Domino, quod oportet eum occidi et tertia die resurgere, assumens eum Petrus, increpabat illum dicens : « Absit a te, Domine, non erit tibi hoc (*Matth.* XVI). » Etenim hic et illic eumdem de dilectione animæ, et de perfecto ejus odio dat sententiam, cum dicit illic : « Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam (*Matth.* IX). » Habebant enim Domini et Magistri sui dilectionem quidem, sed non secundum scientiam : Propter quod eidem Petro, cum, ut prædictum est, consilium dare vellet sapientia Dei contra salutem suam et nostram : « Vade : inquit, post me, Satana ; non enim sapis quæ Dei sunt (*Matth.* XVI). » Satanam, id est, adversarium vocans illum, eo quod voluntati divinæ carnali adversaretur voluntate. Igitur propter discipulorum sensum eatenus carnalem hanc eduxit cum firmamento veritatis similitudinem : « Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. » O granum frumenti nostræ spei residuum, nostræ inopiæ solatium, de terra tua, quam benedixisti, Domine, feliciter exortum, Etenim secundum naturam quam de terra sumpsit virginea, recte grano frumenti se assimilavit is qui de cœlo venit Filius Dei, qui beatos angelos immortaliter pascit. Unde autem sibi necessitatem testatur esse cadendi in terram, vel moriendi ? Inde videlicet quia « nisi cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. »

Ergo, non idcirco moriturus est Filius hominis, quia peccati vel mortis debitor est, sed ob hoc ut una mors ejus multorum vitam fructificet : « Sicut granum frumenti » non idcirco projicitur in terram quia vitiosum est, sed quia sic projectum, « cum fuerit mortuum, » id est, a solido vigore suo per humoris terræ defectum, rursus germinando resurget, et multa secum grana referet. Erat igitur hoc frumenti granum, et mortificetur infidelitate Judæorum, ut projectum in sepulcro revirescat, et multiplicetur fide populorum sicque multam in horrea cœli messem referat ; quo si mori noluisset, solum se recipere potuerat, quippe qui præter veritatem carnis nihil commune habebat cum spinis et tribulis, quas terra in opere Adæ maledicta germinavit (*Gen.* III). « Hoc enim fecit, inquit apostolus Petrus, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus (*Petr.* II). » Hæc enim vestigia sequentem, vita æterna ; sequi contemnentem, perditio consecutura est. Hoc est quod sequitur :

« Qui amat animam suam perdet eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. » Prius definiendum est secundum

verba vel intentionem Domini quid sit odisse animam suam, quia videlicet longe distare oportet ab illo odio, de quo sanctus ipsius Spiritus dicit per os David : « Qui autem diligit iniquitatem,odit animam suam (*Psal.* x). » Discipulis Christi odisse animam suam est, sic se habere inter eos qui se angustiant, ut habeantur in derisum et in similitudinem improperii, « ut insensati vitam eorum æstiment insaniam, et finem illorum sine honore (*Sap.* v). » Apud sensum namque illorum odium animæ esse videtur, dulcedinem vitæ præsentis non amare, in pace propter Deum asperam vitam eligere, in persecutione propter eumdem cruentam mortem appetere. Item eisdem odium patris vel matris filiorumque videtur esse, naturalem illorum affectum Deo postponere ; cum discipuli Christi non omnino careant bono naturæ amore, sed negligant eum melioris comparatione. Itaque secundum sensum talium : « Qui amat animam suam, perdit eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. » Ecce primum illud granum frumenti quod cecidit illo tempore in terram et mortuum est, multum fructum attulit, quia videlicet tot de radice fidei suæ grana protulit, quot animas per baptismum in mortem sibi consepultas in novitate vitæ germinavit (*Rom.* vi). Cujus germinis gratiam longe ante Isaac prophetico nare præsenserat cum diceret : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus (*Gen.* xxvii). » Sed vide ne, cum granum esse debueris, palea sis : Quomodo, inquis ? Utique male amando animam tuam, eo videlicet amore quem culpans Apostolus, « et erunt, inquit, homines seipsos amantes (*I Tim.* i). » Tempus belli est, tempus persecutionis urget, et in hoc tota contentio est, ut aut pro Christo animam tuam quam quasi vilem et odiosam effundas, ut retinendo illam, Deum tuum, Christum tuum, Salvatorem perdas. Ait ergo : Qui animam suam, id est, qui dulcedine vitæ præsentis illectus, data optione, ut aut eamdem vitam amittat, aut Christum deneget, adeo pretiosam habet animam suam, ut eam Christo præponat, magis eligens offenso Christo vivere quam dilecto mori hic utique sic amando animam suam perdet, id est, in æternam perditionem mittet. « Et qui odit animam suam in hoc mundo, » id est, cui odibile est negationis Christi, hoc habere pretium, ut vivere sibi liceat in hoc mundo ; qui, inquam, animam suam sic odit, et promissione auri (quod Christus est) vilius argentum, imo miserum lutum, quod in comparatione Christi anima sua est, retinere abhorret ; hic utique « in vitam æternam custodit eam, » custodia Christi sempiterna qui sibi hujusce odii causa est. Forte dicis : Istæ vivæ duræ sunt. Quo jure vel qua lege hoc exigit, **281** ut ego animam meam oderim, Ad hæc, inquit :

« Si quis mihi ministrat, me sequatur. » Cum, inquit, ego in hora quæ nunc venit, ea via vel ordine clarificandus sim, ut prius ponam animam meam A pro salute multorum, sicut granum frumenti cadit in terram et moritur, ut multum afferat fructum : non æquum est, ut is qui meum se profitetur ministrum, et ad hoc tendit, quo particeps meæ fit clarificationis, animam suam nimium diligens, a proximorum utilitate abscondat, et illuc pervenire velit sterili otio, quo laboriosa fructificatione perventurus sum ego. Non ita fiat, sed « qui mihi ministrat, me sequatur. » Quis autem mihi ministrat, nisi qui meum in fronte vexillum, qui meum in ore suo verbum portat, qui mea manibus et ore conficit vel tractat sacramenta ? Ille ergo quisquis est, me sequatur, id est, me imitetur. In quo ? in eo videlicet, ut si talis illi hora ingruerit, qualis nunc mihi, de qua ut paulo ante dixi : « Venit hora ut clarificetur Filius B hominis, » malit propter me cadere in terram et mori, sicut seminatur granum frumenti, ut bono exemplo sit promissis suis quam negando fidem ministerii sui, credere persecutori, et sic palea potius esse quam granum et levi vento circumferri. Si autem defuerit tempestas persecutionis, tunc quoque oderit animam suam, abneget voluntatem propriam, abhorreat et suffocet concupiscentiam suam, talemque se, qualem fuisse meminit, odio habeat et in profunda pœnitentiæ fossa abscondat. Jubet namque Dominus in lege, ut cum egreditur quis ad requisita naturæ, mittat paxillum in balteum et fossa humo abscondat quæ egesta fuerint (*Deut.* xxiii). Quid enim illa egestio de fossa mystice; nisi veteris vitæ abrenuntiationem significat ? utique in castris Israel militanti, id est, juxta alios Evangelistas, prælata C cruce Christum sequenti, egestionem suam abhorrere, et eam ne aliis pudeat defodere, est præteritas animæ suæ concupiscentias odisse, et eas super ducta vitæ melioris honestate, Dei et hominum oculis abscondere. Igitur non sicut putaverunt quidam maligni atque perversi, et in semetipsis crudeliores et sceleratiores homicidæ, a semeptiso debet occidi qui sequitur vestigia Christi, sed in persecutione quidem violentiam mortis ab alio perpeti, in pace autem Ecclesiæ « carnem suam crucifigere cum vitiis et concupiscentiis (*Galat*, v), » et hoc modo Christo ministrare, id est, Christum sequi. Attende nunc utrum sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in hujusmodi ministris (*Rom.* viii). Ait enim : « Et ubi sum ego, D illic et minister meus erit. » Sed quid magnum videri poterat eis qui hæc audiebant, esse cum illo. Ubi enim erat cum hæc diceret ? Utique in spinoso agro hujus mundi, unum erat et nudum granum frumenti, jamjam casurum in terram et moriturum, sicut paulo ante dixit ; audi ergo quod sequitur :

« Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. » Hac sententia suscepta cum eo quod paulo ante dixit : « Venit hora ut clarificetur Filius hominis, » et quod postmodum dicturus est, « Pater clarifica nomen tuum, » et cætera, non leve intelligitur esse cum eo, non parvum esse ho-

norem intimatur esse cum Filio Dei, non vile esse clarificari cum æterni Patris unigenito. Sed hoc sensu, inquis, videbatur ita debuisse dici, et ubi ero ego, illic et minister meus erit. Ad hæc, inquam: Quandoquidem hæc loqueretur, adhuc in angusto erat et turbabatur, sicut paulo post dicturus est, nunc anima mea turbata est; sed adeo prope erat finis angustiæ, ut recte jam alias diceret se esse sicut in alio loco « jam inquit, non sum in mundo (*Joan.* XVII), » videlicet propter vicinitatem exitus sui tunc instantis, cum loqueretur utique passibilis, et adhuc mortalis in hoc mundo. Ergo « ubi sum, » inquit, scilicet in regno meo in quo postmodum ero, « illic et minister meus erit. » Unde et in cæteris evangelistis cum fere eadem dixisset de odienda anima, quæ nunc in isto dixit continuo subsecutus: « Amen, inquit, dico vobis, sunt quidem de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo (*Matth.* XVI; *Luc.* IX). » In quo utique regno suo tunc visus est ab illis, quando post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparens gloriam suæ immortalitatis in multis ostendit argumentis, et quadragesimo die in cœlum ascendens (*Act.* I), ipsam captivitatem Rex victor, jamque triumphans et regnans captivam duxit (*Ephes.* IV, (*Psal.* LXVII;). Cujus videlicet regni sui gloriam tunc præsignavit, quando die octavo post illa dicta in monte transfiguratus est, assumpto Petro, simulque Jacobo et Joanne filiis Zebedæi (*Matth.* XXVI), igitur labor præsentis ministerii nullo modo condignus est ad futuram gloriam vel honorificentiam paternæ remunerationis, quæ quia verbis non potest explicari, hoc solum dixisse contentus est, « et ubi sum ego, illic et minister meus erit; si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. » Quid ergo, o Fili hominis, quoniam venit homo ut clarificeris moriendo et resurgendo, sicut granum frumenti cum multo fructu nostræ salutis? Ait: « Nunc anima turbata est. Sed quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc, Pater clarifica nomen tuum. » Unius ejusdemque Jesu Christi, et hominis, secundum utramque naturam se habentis, verba sunt hæc, juxta quod in alio dicit evangelista: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (*Matth.* XXVI). » Nam quia caro infirma est, « nunc, inquit, anima mea turbata est. » Cœpitque, ut alius evangelista refert, « pavere et tædere, et tristis esse usque ad mortem (*Marc.* XIV). » Etenim hic quidem anima, illic autem caro pro tota hominis ponitur substantia. Sicut in Exodo de totis hominibus dictum est, quia descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta quinque (*Exod.* I), et econtra, caro in propheta dicente, et videbit omnis caro salutare Dei (*Isa.* XL), pro tota hominis substantia posita est. Igitur secundum veram hominis naturam (quam et Eutiches a Divinitatis natura consumptam fuisse putavit, et multi alii, in Christo negaverunt esse hæretici) nunc ait: « anima mea turbata est. » Et adjecit: « Et quid dicam? » Tanquam diceret: Coarctor enim e duobus, hinc hortando maxima charitate animam pro amicis ponere illic urgente trepida carnis infirmitate calicem istum transilire. « Pater, inquit, salvifica me ex hac hora. » Hæc infirmæ carnis pavida vox est, et est par ei quod alibi dicit: « Abba Pater, si possibile est, transfer calicem istum a me (*Luc.* XII; *Marc.* XIV). » Quia vero spiritus promptus est, obviat statim voluntati carnis, et dicit: « Sed propterea veni in horam hanc. » Ac si diceret: Ipse sibi infirmus et fortis pavens et fidens Filius Dei, et Filius hominis, sensus quidem vel infirmitas carnis appetit, ut tu, Pater, salvifices me ex hac hora transferendo calicem istum a me. Verumtamen non mea sed tua, id est, non humanæ voluntatis, sed divinæ rationis voluntas fiat: quia propterea in hanc horam veni, propterea de cœlo ad terram descendi, propterea qui eram Deus immortalis, factus sum homo mortalis, propterea nunc ingressus sum civitatem, ubi paulo ante collegerunt adversum me concilium pontifices et Pharisæi, ut perseverarem, « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). » Igitur, « o Pater, » **282** pro voluntate tua « clarifica nomen tuum » in hoc videlicet, ut sicut paulo ante dixi, granum frumenti solum non maneat, sed cadat in terram et moriatur, ut multum fructum afferat. Tuum, inquam, nomen, illud scilicet, quo te appello, cum dico Pater, quod nomen tuæ personæ proprium est, modo jam dicto clarifica Pater ut sciat mundus, unde tibi hoc ut voceris aut sis Pater.

« Venit ergo vox de cœlo, dicens: Et clarificavi, et iterum clarificabo. » Quare ista vox paterna de cœlo venerit, ipse postmodum Filius edicit, ad quem ipsa vox venit. « Et clarificavi, » inquit, subaudiendum est semel, videlicet, pro eo quod sequitur, « et iterum clarificabo. » Si enim de multis qualibuscunque clarificationibus dixisset, et clarificavi, profecto absque adverbio, quod est, iterum, dicere sufficeret, et clarificabo. Duas ergo certas clarificationes Paterni nominis intelligi debere manifestum est. Nec qualescunque clarificationes tali in tempore, tali pro causa, tali perorante persona, vocem non cujuscunque, sed vocem Patris; vocem, inquam, non undecunque, sed de cœlo venientem pronuntiare decuit. Igitur duæ, quas hoc loco intelligi oportet, clarificationes Filii, in quo sine dubio clarificatur nomen Patris, illæ sunt, quas Apostolus ad Colossenses exprimit his verbis: « Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant (*Col.* I). » Hæc de prima clarificatione, de qua nunc Pater dixit, « et clarificavi. » Sequitur Apostolus de secunda clarificatione, de qua itidem Pater, « et iterum clarificabo, » inquit. « Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est

Principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliare in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt (*Col.* I). » Sic iterata clarificatione Filii, ad quem relative dicitur Pater, clarificatur hoc ipsum nomen, quod est Pater, dum per quem omnia fecit clarissimo creationis opere per ipsum omnia restauret, clarissima per sanguinem ejus restauratione. De hac ipsa clarificationis iteratione ipse alibi : « Clarifica, inquit, tu me, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te (*Joan.* XVII). » Sequitur :

« Turba ergo quæ stabat et audiebat, dicebat : Tonitruum factum esse, alii dicebant : Angelus ei locutus est. » Quantum ad exterius miraculum magnitudo vocis quæ de cœlo venit, per hoc intimatur, quod turba putavit factum esse tonitruum : quantum vero ad interius mysterium diversus audientium sensus. Alii vero [namque] dicebant : Angelus ei locutus est, illud significat quod prænuntiatæ clarificationis sonum, qui in omnem terram exiturus erat, non omnes eodem sensu accepturi essent. Nam sicut unam eamdemque vocem alii putaverunt fuisse tonitruum, sonum videlicet horrificum, in quo nihil est intelligibile, alii locutionem angelicam, in qua utique cum sensu rationis dignitas est naturæ, sic unum idemque clarificationis Christi Evangelium ; alii sicut stultitiam ; alii accepturi erant ut Dei sapientiam. Unde Apostolus : « Nos autem prædicamus Jesum Christum crucifixum. Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et gentibus Christum Dei virtutum et Dei sapientiam (*I Cor.* I). » Item : « Verbum enim crucis, inquit, pereuntibus quidem stultitia est ; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est (*ibid.*). » Bene ergo divisis sensibus alii crepuisse tonitruum, alii dicebant locutum fuisse angelum.

Respondit Jesus : Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. » Non, inquit, ut scirem ego quod ante nesciebam vox hæc venit, quippe qui et paulo ante dixi : « Venit hora ut clarificetur Filius hominis, sed ut credatis nunc quoque cœlesti testimonio confirmati. » Quid autem sibi vult ista clarificationis sponsio ? Vel certe qualis erit ipsa clarificatio ? Audite jam : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Totum fructum, quem supra de grano frumenti mortificato multum proventurum esse dixit, his duabus clausulis comprehendit : « Nunc judicium est mundi, et nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Notandum quippe quia duo distincte atque disjuncte dixit : Judicium mundi, et ejectionem principis hujus mundi. Item notandum quod tempora verborum variaverit. Etenim « nunc est judicium mundi, » tempore præsenti ; et, « nunc princeps mundi hujus ejicietur foras » futuro tempore dixit. Nihilominus et hoc sciendum quia duos mundos vult intelligi, videlicet alterum inimicum, et alterum reconciliatum ; sive alterum damnatum, et alterum salvatum, dum dicit primo sine articulo : « Judicium est mundi, » secundo autem signanter cum articulo : « Princeps, inquit, hujus mundi. » Quod ergo judicium mundi, et quæ est ejectio principis hujus mundi ? Utique præsens passio ipsius, qui hæc loquitur Domini nostri Jesu Christi, « judicium est mundi, » id est, salvatio discernens a reprobis universitatem electorum qui fuerunt ab initio sæculi usque ad horam ejusdem passionis. Ejectio vero principis hujus mundi, qui principatum tenet in cunctis amatoribus mundi reconciliatio gentium est electorum, in quibus diabolus per idololatriam inhabitat, ante sæpedictam clarificationem ejusdem Domini nostri. Etenim mox ut consummata est, quæ tunc agitabatur passio ejus, factum est judicium mundi, id est, jure victoris soluta est captivitas totius qui illum apud inferos exspectabat sanctorum populi. Futurum autem erat, ut post resurrectionem et ascensionem ejus, sanctique Spiritus effusionem, princeps hujus mundi ejiceretur foras de cordibus, imo et de templis gentium, vel delubris, ita ut, florescente fide, converterentur in altaria Christi ? Recte igitur cum dixisset præsenti tempore : « Nunc judicium est mundi, » statim in futuro subjunxit : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Tanquam diceret : Hactenus fortis armatus custodivit atrium suum, et omnia veluti jure victoris in pace possedit, [quæ audaci latrocinio vel serpentina fraude subripuit (*Luc.* XI). Nam ex quo primum hominem captivavit, non fuit de universo genere humano, qui illi in faciem resisteret, qui vocaret in jus, qui de invasione ejus litem in judicio proponeret. Sed nunc fortior illo supervenit, et præposita causa quæritur, cujus esse debeat atrium mundi, quod ille fortis occupavit, vel spolia et arma in quibus ille confidit. Igitur nunc judicium est mundi, et hoc scio, quia principe mundi hujus ejecto foras, victor qui supervenit, cuncta ejus auferet arma, tollet et dissipabit ejus spolia. Quomodo fiet judicium hoc ? quis erit victor : quis ille est fortior qui regnum recipiet, principe mundi hujus foras ejecto ? Ait :

« Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dixit, significans qua morte esset moriturus. » Hoc est **283** ait, judicium, et hoc modo princeps mundi hujus ejicietur foras. « Ego si exaltatus fuero a terra, » id est, si obediens fuero « Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II) ; » si, inquam, exaltatus fuero, imo cum exaltatus fuero, nec enim mihi dubium est, quia sic exaltabor, et sic sublimabor, tunc exsurgam adversus mundi hujus principem diabolum, et victo illo « omnia traham ad meipsum. » Quæ omnia ? Utique electa sicut caput suum omnia sequuntur membra. Omnia, inquam, id est, universam fidelium turbam, sine observantia vel discretione personarum aut

officiorum, ut, sicut Apostolus ait, « non sit ibi masculus neque femina, gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus (*Coloss.* III). » Potest tamen non solum de gratia, qua solummodo electa trahit ad seipsum, sed etiam de potestate dictum recte intelligi. Qua non solum electa, sed etiam reproba omnia ad seipsum traxit, quia videlicet, judicium potestas faciendi quam Pater Filio suo dedit, « quia Filius hominis est, omne genu curvavit sibi, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philip.* II), » scilicet ut omnis homo, sive bonus, sive malus, potestati et imperio ejus subjiciatur, et omnes ab illo secundum merita sua judicentur, nec nisi ab eodem Filio hominis qui in cruce exaltatus est, ipse diabolus videntibus cunctis sit præcipitandus. Quid igitur congeniscitis Pharisæi, dicentes ad vosmetipsos: « Videris quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit, » quasi postquam hunc Filium hominis occideritis, nemo post illum abiturus sit? Exaltate quantocius illum a terra, et palam fiet vobis quantum profeceritis, illo dicente, palam faciente per signa sequentia: Quia data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII; *Psal.* LXXXVIII). « Hoc utique non ignorans, jamque prænuntians: « Et ego, inquit, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. »

« Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum; quomodo ergo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? quis est iste Filius hominis? » Nonne ergo sicut claudi, ita et monoculi estis, o Judæi, et in unam solom partem videtis? Nunquid enim hoc solum dixit, quod exaltaudus esset a terra, et non addidit quod « omnia traheret ad seipsum? » Quare ergo hoc solum advertistis, quod significaret se esse moriturum et contulistis cum eo quod testificatur lex, Christum manere in æternum? Nempe quod est, et exaltari Christum a terra, et omnia trahere ad seipsum, hoc est et mori Christum, et manere in æternum. Sed et unde nunc vel hoc ipsum tam cito advertistis, quomodo dixisset: Oportet exaltari Filium hominis? Denique alio tempore cum item dixisset: « Cum exaltaveritis Filium hominis a terra, tunc cognoscetis quia ego sum, nihil tale quale nunc objecistis, sed nec ullo modo quid diceret, vos intellexisse significatis (*Joan.* VIII). » Unde ergo, nisi quia paulo ante collecto concilio pontifices et Pharisæi concilium vobiscum definierant, non solum ut interficerent, sed hoc etiam ut exaltatione crucis interficerent eum? Itaque mirum non vos illud in verbis ejus intellexisse, quod insidiantes in abscondito conscientiæ cubili cogitabatis facere.

« Dixit ergo ei Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis ut non tenebræ vos comprehendant. » Iste, inquit, Filius hominis Christus est, et sicut audistis ex lege, manet quidem in æternum, sed nondum pervenit illuc,

A ubi immortaliter atque impassibiliter « manet in æternum. » — « Adhuc modicum lumen in vobis est, » dum ex Scriptura legis lucente cognoscitis, quia « Christus manet in æternum, » sed hoc vobis deest, et hoc non videtis quod ipsa exaltatio quam dixi, « transitus Christi est in regnum æternum. » Vos ergo « dum lucem habetis, » dum lumine veritatis licet uti, « ambulate, » ut vos quoque ad Christi æternitatem perveniatis. Venient enim tenebræ mortis, in quibus jam nemo ambulare possit, sicut alio loco dixi: « Veniet nox in qua nemo possit operari *Joan.* IX). » Per hanc moram lucis, id est, vitæ præsentis, vacat quærere ex lege totam veritatem Christi, videlicet quod in æternum quidem manet, verumtamen ad ipsam æternitatem non nisi
B per viam passionis et mortis ascendet. Ambulate, inquam, currite, et perficite, antequam tenebræ exteriores vos comprehendant. Nam post cursum vitæ præsentis, nulli accedetur lucerna Scripturarum, unde pervenire possit ad Christum manentem in æternum. Hoc est quod sequitur:

« Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. » Tenebræ namque sempiternæ sunt apud inferos de quibus dixerat: « Ambulate dum lucem habetis, ut non tenbræ vos comprehendant, » quæ videlicet remissas manus, et genua comprehendant dissoluta, in quibus tenebris quisquis ambulat, nescit quo vadat (*Hebr.* XII). Unde dicit Ecclesiastes: « Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec
C sapientia erunt apud inferos, quo tu properas (*Eccle.* IX). » Cui simile est quod Dominus subjungit:

« Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. » Quid aliud clamat propheta cum dicit: « Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est? » (*Isa.* LV). « Dum lucem, inquit, habetis, » id est, dum in hac vita estis, ubi legalem ac propheticum sermonem, tanquam lucernam in caliginoso loco lucentem habetis, per quam veram lucem Christum invenire potestis, « credite in lucem, ut filii lucis sitis, » id est, credite in Christum, ut illic, ubi, sicut auditis ex lege, Christus manet in æternum adoptionem filiorum Dei habentes, vos quoque cum illo in æternum maneatis. « Hæc locutus est Jesus et abiit, et abscondit se ab eis. » In cæteris evangelistis manifeste
D habemus, quia post jam dictum ingressum suum in civitatem, erat docens quotidie in templo (*Matth.* XXVI; *Luc.* XIX), hic autem quasi diversus ab illis: « Abiit, inquit, et abscondit se ab eis. » Quid igitur nisi mystice excæcationem illorum innuit. Etenim absconsionem ejusmodi, id est, excæcationem illorum se significasse, sequenti satis declarat serie lectionis. Sequitur enim:

« Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo impleretur Isaiæ, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? (*Isa.* LIII). » Quid namque est non revelatum illis esse brachium

Domini, nisi hoc ipsum quod manifeste exprimit Evangelista, cum dicit : « abscondit se ab eis.» Hoc prophetæ querulosum vaticinium congruo satis tempore ab Evangelista sumptum est. Cum enim hæc diceret propheta clarificationem Filii hominis, qua clarificandus erat in gentibus, ut supra dictum est, et incredulitatem Judæorum de qua nunc dictum est, quia « cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, » spiritali oculo prævidebat, sicut totus prophetæ locus aperte indicat : Dixerat enim : « Iste asperget gentes multas super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est annuntiatum de eo, videbunt ; et quibus non est annuntiatum contemplati sunt (*Isa.* LII). » Hæc de supradicta fructificatione gentilium. Sequitur de excæcatione Judæorum, quod hic positum est testimonium : **284** « Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est ? » Brachium Domini appellat hic Filium Dei, quia videlicet sicut operatur quis, vel præliatur in brachio suo, sic cuncta fecit, et diabolum debellavit Deus in Filio suo, in Verbo suo. Quod si quæras ab eodem propheta, in quo non fuerit revelatum, vel in quo fuerit absconditum, statim subjungit : « Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est ei species neque decor (*Isa.* LIII), » etc. Quibus verbis flebiliter declamata passione Domini, rursus gentilem, ad quam fructus perventurus erat ejusdem passionis, beatificat dicens ita : « Lætare, sterilis quæ non paris (*Isa.* VI), » etc. Item Evangelista subjungit : « Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et intelligant corde et convertantur et sanem eos (*Isa.* LIV). » His, inquam, subjunctis propheticæ Scripturæ testimoniis, satis evidenter demonstrat Evangelista, cur ita dixerit : « Et abscondit se ab eis. » Illud autem non potest edici, quanta severitate habitator hujus Joannis spiritus sapientiæ dicta sua digesserit. Qualis enim ista ratio vel causa est, quod quasi quæreres, cur se abscondit Dominus a Judæis, vel quare non credebant in eum Judæi, ita subjunxit : « Ut impleretur sermo Isaiæ, quem dixit ; » amplius autem cum adhuc addit : « Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum. » Nunquid eamdem quæstionem quam ipse movit, satis absolutam esse putavit ? Vere enim cum nemo quæreret ab eo, cur in Dominum non credidissent Judæi, quæstionem ingentem ipse ultro commovit. Nam usque hodie non cessant homines disputare de præscientia vel prædestinatione Dei, nec desunt peccatores, qui seipsos excusare audentes, dicant se idcirco bonos esse non posse, quia Deus malos fore præscivit et prædestinavit. Quibus ita se excusantibus, Deumque accusantibus, istud insipientiæ suæ patrocinium placet, quod in præsenti loco evangelicæ auctoritatis scriptum est : Nisi præscientia vel prædestinatio Dei, inquiunt, voluntatibus

A hominum vim faceret, tantus Evangelista, sic et sic non dixisset. Sed talibus tamque præsumtuosis discursoribus judiciorum Dei et viarum ejus, nihil aliud respondere dignum arbitratur Paulus apostolus quam hoc : « O homo tu quis es, qui respondeas Deo ? Nunquid potest figulus dicere ei qui se finxit, quare me fecisti sic ? (*Rom.* IX). Etenim talibus hoc loco hic evangelista eodem spiritu respondet cum præmisisset : « Non credebant in eum, » ita subjungens, « ut sermo prophetæ impleretur, » itemque « propterea non credere, quia iterum dicit Isaias ; » ipsi enim qui sunt qui respondeant Deo, vel quibus de divinis judiciis reddatur ulla ratio. Verum eis qui mites sunt, et spiritu pietatis bene dispositi ad audiendum, et apostolis prædicto loco
B subsecutus, profundam dare rationem incipiens : « Volens, inquit, Deus notam facere iram, et ostendere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum (*ibid.*), » et cætera, et ipse Dominus in alio evangelista : « Confiteor, inquit, tibi Pater Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, ita, Pater, quia sic placitum fuit ante te (*Matth.* XI). » Causam effectivam cæcitatis Israeliticæ reddens Apostolus appellavit eos vasa iræ, Dominus autem sapientes et prudentes eosdem dixit, quibus Pater absconderat hæc, scilicet mysteria sua, quæ parvulis dignatus est revelare. Utraque sententia superbiam cæcitatis causam esse significatum est. Unde enim a Domino sapientes et pru-
C dentes dicti sunt, nisi ex eo quod superbi sunt ? quod maxime liquet ab opposito parvulorum, id est, humilium, qui revelatione Patris digni sunt. Unde vero ab Apostolo dicti sunt vasa iræ, nisi ex eo quod sunt filii superbiæ ? Psalmista quoque cum dixisset : « Terribilis es, et quis resistet tibi, statim intulit, ex tunc ira tua (*Psal.* LXXV). » Nam revera ex quo Deo resistitur, ex tunc ira ejus. Etenim quandiu per infirmitatem vel ignorantiam peccatur, dissimulat peccata hominum, et parcens illis, pœnitentiam præstolatur. Ergo et Apostolus quos appellat vasa iræ, dignus auditoribus tali denotatione indicat Deo restitisse, et idcirco retributionem superbiæ justum Deum voluisse illos, sicut Pharaonem indurare (*Exod.* X), vel corda illorum, ne Christum agnoscerent, excæcare. Et ipse Dominus,
D dum eosdem vocat sapientes et prudentes, ex opposito parvulorum, id est humilium, et paulo post eisdem parvulis dicit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI), » causam absconsionis, pro qua confitetur Patri, demonstrat superbiam esse. Itaque et hoc loco, cum dicit Evangelista : « Excæcavit oculos eorum, et induravit corda eorum, » subauditur, dicens, « ne videant oculis, et intelligant corde, » profecto cordatis auditoribus non dubium fore putavit, quam ob causam Deus hoc fecerit, qui neque diabolum, neque hominem quempiam absque præcedente peccato superbiæ excæcavit unquam aut induravit. Igitur innocens

et sancta præscientia Dei, nullam malis hominibus necessitatem importat, quomodo nec visus meus ei, quem ambulare video, ullam ambulandi necessitatem irrogat, quomodo apud quosdam philosophos Christianos disputans validissime, argumentatur sana et vera philosophia. Sed de his hactenus, jam nunc ad ipsa lectionis verba redeamus. Primo quærendum est, quæ distantia fit inter hoc quod dictum est : « Excæcavit oculos eorum, » et hoc quod sequitur : « Induravit cor eorum, » sive inter hoc quod ait : « Ne videant oculis, » et quod subjungit, « et intelligant corde. » Quid enim ? Nunquid non idem videtur esse, non videre oculis, quod est, non intelligere corde ; vel idem esse excæcatos oculos, quod est, induratum habere cor ? Cur igitur utrumque dictum est ? Videlicet quia eorum, qui converti et sanari non merentur, aliqui nec vident quidem Scripturarum sensum, aliqui vident quidem, sed sequi nolunt : Eorum itaque qui non vident : « Excæcavit, inquit, oculos, ne videant oculis. » Eorum autem qui vident et sequi nolunt : « Induravit, inquit, cor, ne intelligant corde, » id est, ne sapiat eis per dilectionem quod vident per manifestæ litteræ cogitionem. De prædicto prophetæ testimonio protinus Evangelista subsecutus ait :

« Hoc dixit Isaias, quando vivit gloriam ejus, et locutus est de eo. » Ac si diceret : Visio prophetica, in qua dixit hæc Isaias, gloriam ejus demonstrabat, illam utique gloriam quam nunc instare ipse Dominus prædicabat his verbis : « Venit hora ut clarificetur Filius hominis, » cæteris quoque quæ hactenus disseruit : Est autem illa visio, quam idem propheta sic incipit : « In anno quo mortuus est Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant, replebant templum, Seraphim stabant super illud, sex alæ uni. et sex alæ alteri. Et clamabant alter ad alterum : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus (*Isa.* VI). » Igitur ille habitus sedentis Domini, circumstantibus officialibus vel administris spiritibus sanctis (qui in hoc solo Scripturæ loco inveniuntur appellati Seraphim) mystice prædicat istam **285** clarificationem Filii Dei, qua peracta. prædicantibus ministris ejus per totum orbem fidem sanctæ Trinitatis, et hoc modo clamantibus Seraphim : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. » impleta est domus fumo, scilicet illo incredulitatis fumo, quo, ut jam dictum est ; « excæcavit Judæorum oculos. » Sequitur :

« Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in enm, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de Syuagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam Dei. » Ergo nec vere credebant, qui claritatem ab hominibus accipientes ; gloriam illorum, gloriæ Dei præferebant. Dixit etenim ipse alio loco : « Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis, et gloriam quæ à solo Deo est non quæritis (*Joan.* V). » Non solum, inquit, ex turba multa, quæ cum ramis palmarum processit obviam ei, sed et ex principibus, id est, primoribus Judæorum, multi crediderunt in eum. Sed quia Pharisæi, id est clerici Judæorum jamdudum conspiraverant, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam facerent eum, non confitebantur, ut de, Synagoga non ejicerentur. Verumtamen, inquit, id est licet supra dixerim : « Quia cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum. » Multi ex principibus crediderunt, ssd male erubescentes, non confitebantur.

« Jesus autem clamavit et dixit : Qui credit in me, sed credit in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me. » Magnum perseverantiæ fortis exemplum, magnus et laboriosus clamor, si perpendas non solum, quia nunc usque clamaverit, sed et quid, et qualis adhuc ipse, vel inter quales clamaverit : Quid enim clamavit ? « Qui credit in me, inquit, non credit in me, sed in eum qui misit me. » Quod est dicere : O homines, magis gloriam hominum quam gloriam Dei diligentes, quid in me credere erubescitis, vel quid confundimini de me confiteri quod creditis ? Nunquid finem fidei, vel confessionis, vestræ in eo constitui, quod in me carnalibus oculis videtis ? Non, sed magis in eo quod Pater misit, quod est Verbum Patris, quod est principium : « Principium enim ego sum, qui et loquor vobis. » Itaque non inglorium aut contemptibile est, credere in me. Etenim « credere in me nemo potest, nisi credendo in eum qui misit me, neque credere quis potest in eum, qui me misit, nisi credendo et in me, » Siquidem « et qui videt me, videt eum qui me misit ; » nec aliter videre vel scire quis potest, cujus substantiæ, vel quantus sit, quid valeat, vel quid sapiat is qui me misit, nisi viderit me. Hoc est quod clamavit et jam diu laboraverat clamans, jamque « raucæ factæ fuerant fauces ejus *(Psal.* LXVIII). » Ita ut postmodum » obmutesceret sicut agnus coram tondente se, et non aperiret os suum (*Isa.* LIII). » Et propter ejnsmodi clamorem multiplicati jam erant, qui invidia cæcati oderant eum. Qualis enim ipse erat, et inter quales hoc declamat ? Utique non solum mortalis et passibilis, et in nullo secundum naturam a cæteris distans, inter quos ambulabat, hominibus, sed et egenus et pauper, nihil de regno vel honoribus hujus mundi amplexus, hoc dicebat apud carnales et superbos, humanæ gloriæ vento tumentes, et quod amplius, quorum, ut supra dictum est, Deus excæcaverat oculos, et induraverat cor, in tantum ut non solum non crederent dictis ejus et factis, sed insuper blasphemarent, dicentes : « Dæmonium habet, et insanit, quid eum auditis ? » (*Joan.* X). Igitur fortiter quidem, quippe in quo totus erat spiritus fortitudinis, verumtamen et passibiliter clamavit, nec enim perdiderat frontem mitis et humilis corde, aut nullam patiebatur humani pudoris angustiam, cum dicat ipse in psalmo : « Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit

confusio faciem meam.(*Psal.* XLIII). » Sequentia clamoris ejusdem audiamus : « Ego lux in mundum veni, ut qui credit in me,in tenebris non maneat. » Dicat ad hæc homo rationalis. Si lux, imo quia lux, et vera lux est Christus, et ad hoc venit in mundum, ut in tenebris non maneat qui credit in eum, ergo ne de seipo non debuit perhibere testimonium? Nonne frustra venisset in mundum, si taceret, et non ostenderet seipsum? Quis vero fur et latro velit lucernam assensam mitti in abscondito, vel sub modio, et non potius poni super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt? Igitur opportune, importune,non suæ gloriæ cupiditate,sed nostrorum oculorum necessitate clamet lux : « Qui credit in me, credit in eum qui misit me ; » itemque « qui videt me,videt eum qui misit me ; » et hoc modo seipum ostendens oculorum nequam non curet invidentiam ; dummodo simplicium lætificet benevolentiam : « Ego,inquit, lux in mundum veni. » Quam ob causam? « Ut omnis qui credit in me,in tenebris non maneat. » Ergo contra legem credendi faciebant hi qui, ut supra dictum est,credebant in eum,sed non confitebantur,diligentes hominum magis quam Dei gloriam. Hoc enim modo credentes, in tenebris manebant. Sequitur ergo.

« Sed si quis audierit verba mea,et non custodierit, ego non judico eum. Non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Qui speruit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. » Judicium damnationis in hoc evangelista tripliciter jam dictnm est.Alia namque significatio est,qua dixit : « In judicium veni ego in hunc mundum, ut et qui non vident videant,et qui vident cæci fiant. » Alia qua dicit nunc : « Ego non judico eum. » Alia qua itidem nunc ait : « Sermo quem locutus sum vobis,ille judicabit eum in novissimo die. » Et prima quidem atque tertia notæ, et per se manifestæ significationis sunt ; hæc autem media qua dicit : « Ego non judico eum, non enim veni ut judicem mundum, » ex opposito cognoscitur quod statim opposuit dicens : « Sed ut salvificem mundum? » Quomodo enim salvificavit mundum? Utique judicium, id est damnationem sustinendo, sub judice Pontio Pilato accusatus, tanquam reus majestatis,traditusque ad crucifigendum Romani ministris imperii.Igitur ex hoc opposito quo dicit : « Sed ut salvificem mundum,» liquet quid dixerit : « Ego non judico eum. » Quod idem est ac si dicere : Regnum vel judicium meum non est hic, id est de hoc mundo.Quod si esset de hoc mundo, ministri mei utique decertarent custodiri verba mea.Nunc autem regnum vel judicium meum non est hinc, et proinde nunc ego non judico eum. Ordo vel textus litteræ sic se habet. « Sed si quis audierit verba mea, ego non judico eum. » Dixi,inquit,vobis quia lux in mundum veni ad hoc, « ut qui credit in me in tenebris non maneat.« Sed idcirco negligentius verba mea homines audiunt

A idcirco custodire non curant,quia « ego non judico eum » quisquis ejnsmodi est,quia non sedeo rex in soliis tyrannorum,quia non exigo gladiis et securibus ut meum servetur edictum. « Non enim veni ut hoc modo judicem mundum,» sed ad hoc potius ut hoc modo judicatus « salvificem mundum. » Quid tandem? Ergone Regem cœli contemnentes impune abibunt? Nunquid semper tacebo, semper silebo, semper patiens ero, **286** et in nullum eos adducam judicium? Non est ita, non sic erit, non sic fiet. « Qui enim spernit me, habet qui judicet eum ; » habet, inquam, non dico habebit, sed jam habet judicem,et si nondum sententiæ vel vindictæ judicantis apparent. Quis tandem ille est judex? Sermo quem locutus sum vobis, ille judicabit eum
B in novissimo die. Ille, inquit, sermo,quem audierunt, quem verum esse nescire non possunt,utpote magnificis operum testimoniis comprobatum,« ille judicabit eum, » ille arguet, ille convincet eum. Ubinam iste talis judex sedebit,quali de solio suo voces aut sententias judicii sui dabit? Prope aderit, intus sedebit, in conscientia cujusque justas sententias terribiliter personabit. Sic enim et Apostolus dicit : « Quia testimonium reddet illis conscientia ipsorum et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium,in die,cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum (*Rom.* II). » Ergo ille « sermo quem locutus sum, judicabit eum in novissimo die. » Unde hoc sermoni huic? Ait :

« Quia ergo ex meipso non sum locutus,sed qui
C misit me Pater,ille mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar. » Inde, inquit, sermo quem locutus sum, fortitudinem habet judicandi,quia ego a meipso non loquor,quia non solum juxta præsumptionem prophetæ mendacis quem lex jubet non timeri (*Deut.* II). De corde meo non confinxi, « sed qui misit me Pater, » illa videlicet missione, qua mihi est Pater,ipse mihi mandatum dedit,ipse mihi obedienti in mandato incarnationis et passionis, mandavit « quid dicam, et quid loquar ; » quid,inquam, nunc dicam patienter contradicentibus, et quid in futuro judicio loquar terribiliter, ubi nemo contradicere audebit. Si ex me locutus fuissem, id est,ex homine vel secundum hominem,quem solum in me videtis et quem solum me esse putatis, tunc
D infirmus,imo et mortuus esset sermo quem sum locutus. « Nunc autem vivus est et efficax,et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus,compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus (*Hebr.* IV). » Ergo in veritate, ergo in æquitate judicabit. Mandatum, inquam, ille mihi dedit qui me misit,et ego ex ipso ejusmodi sermonem loquor.

« Et scio quia mandatum ejus vita æterna est, » Mandatum ejus sic dicendi et sic faciendi, non in-

certa spe exsequor, non dubia exspectatione perago, sed « scio, » et bene scio, « quia mandatum ejus vita æterna, » id est, omnibus credentibus, vitæ æternæ effectiva causa est. Non enim incertis eventibus in hoc mandato positus paulo ante dixi : « Venit hora et clarificetur Filius hominis, » atque subinde : « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, » et his similia. « Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. » Si quidem sermonis hujus utilis proventus appareret, recte, tanquam non mandatus a Patre contemptibilis esset. Nunc autem fructus ejus vita æterna est, et hoc multis comprobatur testimoniis, dum alii de morte animæ per pœnitentiam ad vitam redeunt, alii quoque corpore mortui, sermonis ejusdem imperio resurgunt. Ergo verum, ergo irrefragabile est quia quæ loquor, non confingo, ut propheta mendax, sed « sicut dixit mihi Pater, » sic est voluntas Patris, hæc loquor.

LIBER UNDECIMUS.

Evangelistæ hujus habitatori Spiritui sancto magnas jamdudum Ecclesia catholica gratias agit, quia gratiæ et veritatis divitias de ore plenitudinis Christi, in profundam ejus memoriam transfusas, tanta integritate conservavit, tanta fide in tempore opportuno refudit, ut nihil nobis adversus hæreticam paupertatem de substantia veritatis, ubicunque terrarum, tanquam dives superbire ausa sit. Et cuncta quidem, quæ hactenus, dixit, gloria et divitiæ sunt domus ejus, id est, Deo sacrati ejus pectoris; amplius autem quæ deinceps dicturus est, pretiosæ opes sunt, et thesaurus desiderabilis. Eorum namque tota series, huic usque ad patibulum crucis recitatio est Testamenti, quod moriens Pater noster conscripsit; designatio est hæreditatis quam parvulis suis in ipso mortis agone mira charitate delegavit. Assistant pupilli, qui non erant ibi, et isto recitante qui præsens interfuit, quique verba Testamenti, digito morientis scribente in tabulis cordis carnalibus suscepit. Audiant certius, ubi suam sperent hæreditatem, et ad qualem interim respiciant Paracletum atque tutorem. Igitur ut solent piis et bene amantibus filiis dulciora esse, et profundius permanere in memoria verba, quæ diligentissimus Pater in ipsa morte, supremum trahens spiritum, locutus est quæ dixit, quæ mandavit, quæ rogavit aut monuit, sic nobis reverenti aure, pio corde et humili spiritu suscipienda, fideli memoriæ commendanda sunt ea quæ deinceps dilectus ejus solerter audita, fideliter conservata, utiliter valde incipiens, hoc modo refundit.

[Cap. XIII.] « Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. » Christum Dominum verum **287** Dei Agnum esse, pro salute mundi totius immolatum, ejusque figuram illum prætulisse agnum, quem in Ægyptio jubente Domino per Moysen, immolavit omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam (*Exod.* xii), omnis domus Israel, id est, universa quæ carnem comedit, et sanguinem bibit ejusdem veri Agni, sancta catholica confitetur Ecclesia. Sed et illud non ignorat, diem festum Paschæ, quem populus ille summa celebritate solemnem agebat, commemorationem illius divini fuisse beneficii, et ob hoc Pascha dictum, quod est *transitus*, et Hebraice dicitur *phase*, quia Dominus super tabernacula filiorum Israel sanguine agni signata transivit, cæsisque primogenitis Ægypti, fecit eosdem transire per mare Rubrum, Pharaone qui persequebatur eos submerso, simulque cunctis Ægyptiis. Igitur perspicuum est cur cum dixisset Evangelista : « Ante diem festum Paschæ, » statim subjunxerit : « Sciens Jesus, quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, » videlicet ut docili evangelicæ veritatis alumno significaret, totum illud umbraticum veteris Paschæ sacrificium ex eo fuisse sanctum, quia præfigurabat Dominum Jesum pro salute mundi per passionem mortis fore transiturum ex hoc mundo ad Patrem. Siquidem ante diem festum Paschæ, idem est ac si dixisset : Illo die, quem continuo subsequitur dies festus Paschæ. Erat autem luna primi mensis decima quarta, cujus diei subsequente vespera, quando luna jam plenissima est, et decima quinta nobis incipit haberi, agnus, ut jam dictum est, immolabatur, magnis præfulgentibus mysteriis, non solum quia luna plena erat, sed etiam quia non nisi post æquinoctium vernum, ex quo jam dies noctem superare incipit, cum primum occurrisset luna plena, agebatur hæc magna solemnitas. Plena quippe luna, plenitudinem temporis significat, quo jam multiplicata per præteritas generationes Ecclesia, redemptionem de cœlo mittendam apud inferos exspectabat; dies autem longior noctem jam superans, illud designat quia per passionis Christi mysterium contra tenebras errorum, quæ hactenus prævaluerant, nunc versa vice prævalere inciperet in cunctis gentibus clara veritatis notitia. Sed de hujusmodi non est modo dicendum per singula. « Sciens ergo, inquit, Jesus quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, » illa videlicet hora, quam intuens, hic

idem evangelista superius dicebat : « Et nemo in A eum misit manus, quia nondum venerat hora ejus (*Joan.* VII). » De qua et ipse Dominus quodam loco dixit : « Tempus meum nondum advenit (*ibid.*). » « Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.» Hoc multum gratiose dictum est.» Cum, inquit, dilexisset suos, » id est eos quos elegerat, ut sui essent ab initio. Nam ne solos putaremus apostolos, vel solam gentem Israel secundum electionem, de qua Caiphas supra nesciens prophetaverat, quod Jesus esset moriturus pro gente (*Joan.* XI), non ait tantum « suos, » sed addidit, « qui erant in mundo, » scilicet, ut omnes intelligamus electos, quia profecto non tantum moriturus erat pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ergo « cum dilexisset suos qui erant in mundo, » B idem est ac si dixisset : Cum opus magnæ dilectionis facere cœpisset erga suos, qui propter originale peccatum ejecti de paradiso peregrinabantur in hoc mundo. Quomodo autem cœperat diligere suos, et quem usque in finem dilexit eos ? Sic utique jam dilexerat eos, ut de cœlo ad terram descenderit propter eos, et ut qui erat Deus invisibilis in sinu Patris, homo visibilis, de ventre femineo factus fuerit. Sed non erat consummata ista dilectio. Nihil enim suis profuisset, quod homo fuerat factus, si non pro illis etiam pateretur. Siquidem hoc ipse supra dixit : « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet (*Joan.* XII), » etc. Igitur ut oportebat « in finem dilexit eos, » id est dilectionem erga illos, eo usque perfecit ultra quod non posset augeri, videlicet ut C animam suam poneret pro illis. Sequitur. « Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotis, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se. » Et « deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus, » Dicta hæc Evangelistæ diligentem auditorem, facta Domini nostri Jesu Christi avidum postulant spectatorem ; facta enim ejus hæc mira sunt et perpulchra, quod a cœna necdum finita surgit, vestimenta sua ponit, linteo se præcingit, pedes discipulorum lavat, iterumque recumbens, docet in habitu Domini et magistri, quid fecerit in D habitu minoris ac ministri. Dicta autem Evangelistæ prudentissima, quia causam horum, quæ Dominus sic et sic fecit, pene exposuit, et tamen non omnino divulgavit, dum prædictis quatuor factorum Domini clausulis, quatuor itidem ipse præmisit, dum dicit : « Sciens Jesus, quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, et sciens, quia ad Deum vadit. » Pene, inquam, exposuit, tanquam diceret : « Sciens, quia venit ejus hora, ut transeat, » idcirco surrexit, inchoata jam cœna, quæ ipsum ejus transitum significabat, Pascha namque manducabat ; « et sciens quia a Deo exivit, idcirco ponit vestimenta sua, et sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, idcirco lavat pedes discipulorum ; et sciens quia ad Deum vadit, idcirco postquam lavit pedes eorum, iterum accepit vestimenta sua, et iterum recubuit. » Igitur hæc ipsa repetentes, latius explicemus. In finem, inquit, dilexit eos, et cœna facta, subauditur, agere placuit sibi illud, in quo exprimeret dilectionem suorum, qualiter incœpisset, et qualem ad finem usque perducturus esset. Hoc, inquam, non solum verbis edicere, sed et signanter voluit agere, videlicet, ut nunc præsenti magnæ humilitatis schemate, viscera quoque suorum tangeret, et post resurrectionem suam, quando aperiret illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV), istud quoque factum illi vulnerata memoria recolente, profundius intelligerent, et eamdem dilectionem ipsius, cujus ob significationem talis vel tantus, ipse tali hora vel tempore taliter egisset : « Et cœna jam facta, inquit, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotis. » Cœna ipsa, quæ facta erat, id est, agnus paschalis assus cum azymis panibus et lactucis agrestibus comedendus, ipsi vero agno causa esse poterat, ut, sicut posmodum dicendum, in semetipso turbaretur, quia videlicet passionis suæ significationem per tot retro generationes, ab exitu filiorum Israel de Ægypto, hoc ritu celebratam, nunc in præsentiarum morte sua compleri oportebat. Hoc enim sciebat cœna facta, sed et illud non ignorabat, quia diabolus jam miserat in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotis, qui et pridie abierat ad Pharisæos et dixerat. « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ? » (*Matth.* XXVI). Hoc sciens ipse et illud quoque, « quia omnia **288** dedit ei Pater in manus ; » omnia, inquam, unde et paulo ante dixerat : « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XIX), » et illud « sciens, quia a Deo exivit, » videlicet in eo quod cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit (*Philip.* II) ; et « quia ad Deum vadit, » scilicet ut sedeat ad dexteram majestatis in excelsis, sicut dixit David de illo in spiritu : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Hæc, inquam, et hæc sciens surgit a cœna, videlicet, ut ineffabilis opera dilectionis, habitu vel actu significaret admirandæ humilitatis. Quid enim fecit surgens a cœna ? « Ponit, inquit, vestimenta sua. » Quid deinde ? « Et cum accepisset linteum præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus. » Magnum quidem et mirum in præsenti est spectaculum, et angelis et hominibus, quidnam faceret hic et angelorum et hominum Dominus : idem homo, idemque Deus ; idem humilis, idemque altissimus. Verum postquam cognoverunt discipuli ejus quod ipse esset, id est postquam resurgens a mortuis, aperuit illis sensum, unde et paulo post dicturus est : Ut cum factum fuerit, « credatis, quia ego sum ; » tunc « videntes et in-

telligentes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, et ibi dolores, ut parturientis (*Psal.* XLVII), » quia videlicet intellexerunt quid fecerit, imo quid tali facto significaverit eis. Hic præcipue dilectus discipulus, qui tunc in eadem cœna supra pectus ejus recubuit (*Joan.* XXI), intellexit quid, vel ad quid fecerit eis, quod et nobis innuens sic dixit, sic prælocutus est : « Sciens, quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, et quia omnia dedit ei Pater in manus. » Tunc, inquam, intellexerunt, et anima eorum vulnerata charitate sensit ; quomodo dilexisset suos, quomodo propter eos surrexisset de accubitu suo, de sinu Patris æterni, de throno incircumscriptæ majestati, et depositis gloriæ suæ vestimentis, exinanitus a claritate, quam habuit priusquam mundus fieret, adeo nudus, id est, nostri per omnia similis absque peccato ; inter homines apparuit, ut quomodo typum ejus servus servorum maledictus Cham patrem suum Noe, nudum jacentem dormire foris nuntiavit fratribus suis (*Gen.* IX), sic hæretici Cerinthus et Marcion, aliique quamplures eumdem Dominum nostrum, nullatenus Deum de Deo ante sæcula natum, sed hominem tantum exstitisse, et ex Maria cœpisse contenderint : maxime pro eo, quia « linteo præcunctus, » id est, tribulatione passionis afflictus vera morte, verus esse homo comprobatus sit : Hoc modo illum suorum pedes lavisse, id est, peccata emundasse se intellexerunt. In illa namque nuda humilitate passionis suæ, sanguinem et aquam de latere suo fudit (*Joan.* XIX), unde usque hodie peccata suorum emundare non desinit. Quare autem solos pedes tunc lavit, cum secundum exteriorem hominem simul et interiorem, credentes in se lavet in sanguine suo a peccatis eorum ? (*Apoc.* I). Videlicet quia hora illa rem solummodo significare, non etiam agere debuit. Præterea idcirco pedes potius quam manus aut caput lavare voluit, quia videlicet in lavandis pedibus, et affectuosior est gestus humilitatis, et propinquior, significatio charitatis, qua nos lavat in sanguine suo a peccatis nostris (*ibid.*). Denique non solum tunc lavat nos in sanguine suo, quando quisque nostrum baptizatur, sed et quotidie lavat ab actualibus peccatis, quando in sancto altari carni ejus communicamus et sanguini. Ipsa autem peccata, quæ non omnino potest effugere vita humana, quamlibet religiosa, per pulverem pedum solent significari, verbi gratia, cum ipse Dominus dicat : « In quamcunque domum intraveritis et non susceperint vos, exeuntes in plateis ejus, dicite : Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos (*Luc.* X). » Quod est dicere : Etiam minima peccata, sine quibus non omnino quamvis sancta mortalitas, vel mortalis sanctitas vitæ præsentis transigi potest, quotidianis remediis palam expurgare, ut non habeant imprudentes homines, ob quam vitæ nostræ reprehensionem videantur sibi quasi rationabiliter predicationem vestram contemnere. Quas videlicet peccatorum pene inevitabilium sordes

A Spiritus sanctus significat, dum in Canticis canticorum dicente sponso : « Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, » respondit illa : « Exspoliavi me tunica mea, quomodo rursus induar illa ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? » (*Cant.* III). Cum enim activæ vitæ tunicam exuerit, et in secreto contemplativæ vitæ lectulo sese anima composuerit, tunc quia minus ea, quæ aguntur in sæculo videt vel audit, quasi jam lotis pedibus, id est, præteritis actuum sæcularium, abjectis sordibus, terram deinceps tangere refugit. Quod si animarum utilitas poscit ut exeat, et tanquam voce sponsi excitata, Evangelio Christi publice inserviat, rursus pulvere : aliquantulo se sordidari posse non ignorat, et idcirco magis indiget ut sibi

B quotidie Christus pedes lavet. Igitur magnum quidem, ut prædictum est, spectaculum fuit in illo cœnaculo, ubi Domino Pascha paraverant discipuli, quod tantus ille Dominus et magister surrexit a cœna et posuit vestimenta sua, præcinctusque linteo, pedes lavit, iterumque acceptis vestimentis suis recubuit, et docere cœpit ; et multo maximum est quod sicut illic sanctissime ac religiosissime significatum est, creator angelorum et hominum semetipsum exinanivit minoratus paulo minus ab angelis, et in forma servi cinctus est labore et angustia passionis, ut nos in sanguine suo lavaret a peccatis nostris, et iterum resurgendo a mortuis, indutus gloria immortalitatis et honore incorruptionis (*Psal.* III), recubuit in cœlo ad dexteram Patris, et dato sancto Spiritu fecit nos scire quidnam fecerit nobis. Sequitur :

C « Venit ergo ad Simonem Petrum. » — « Cœpit, inquit, lavare pedes discipulorum. » Erat autem primus a quo incipiendum esset Simon Petrus. Nam etsi Andreas audito Joannis testimonio dicentis : « Ecce Agnus Dei (*Joan.* I), » secutus prior quam Petrus, venit et vidit ubi maneret ipse Dominus Jesus, attamen in ordine vocationis apostolorum, quando relictis omnibus secuti sunt eum, Joanne jam tradito, nec Andreas, nec alius prior est Petro, « sed vidit Dominus Petrum et Andream fratrem ejus primos, et vocavit eos (*Matth.* IV). » Ergo pedes discipulorum lavare incipiens, venit ad Simonem Petrum.

« Dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes ? » Tu, inquit, quem confessus sum Christum Filium

D Dei vivi, Rex regum, et Dominus dominantium, vestimenta tua posuisti, aquam infudisti, et ut pedes mihi laves cœno procumbes ? Expavit enim, de Domino et magistro suo magno, de se vero humilia sentiens, quod et alius quilibet discipulorum estimuisset, si ab eo Dominus tantæ humilitatis opus inciperet. Siquidem adhuc non plene cognoverant hujus magistri sui disciplinam, scilicet, quod in schola ejus ille major qui humilior esset, quodque maxime ipse Dominus omnium, in summa humilitatis arce regnaret. Hoc, inquam, non bene cognoverant, unde etiam nunc secundum Lucam facta fuerat contentio inter eos, quis eorum videretur esse

major, **289** Et quidem verbis veræ dominationis, et tenendæ potestatis ordinem eos docuit, dicens : « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur ; vos autem non sic, sed qui major est vestrum, fiat sicut junior ; et qui præcessor est, sicut ministrator ; ego autem in medio vestri sum sicut qui ministrat (*Luc.* XXII ; *Matth.* XX) ; » sed præterea facto illos amplius instruens, palam apparebat inter eos sicut qui ministrat, lavando pedes eorum ; simulque, ut prædictum est, significabat qualis ministerii minister foret, videlicet quod animam suam redemptionem pro multis daturus esset. Cum ergo sic Petrus expavisset, « respondit Jesus et dixit ei : Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. » Causam, inquit, propter quam hoc facio, tu nescis modo, sed et si dicam tibi, non potes portare modo, « scies autem postea, » videlicet « cum venerit Spiritus veritatis, qui vos et hujus facti causam et omnem veritatem docebit (*Joan.* XVI). »

« Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. » Quid, inquit, expavescis talem humilitatis meæ habitum, tale ministerium ? Nisi ego adhuc altius præcinctus majori dispendio lavero te, non habebis partem mecum. Vere enim nisi Christus dilectos suos lavisset a peccatis eorum in sanguine suo, nec Petrus, nec quisquam cæterorum hominum partem habuisset cum illo. Hoc ergo nunc opportune Petro dictum est, quia videlicet, et cum expavesceret humilitatem talis magisterii, multo magis abhorrebat contumeliam Dominicæ passionis, qua et illum et omnem mundum oportebat lavari. « Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. » Hoc obedienter secundum nomen suum bene locutus est Simon. Simon namque interpretatur *obediens*. Bene ergo non, ut paulo ante dixit evangelista, dicit ei Petrus, sed dicit ei Simon Petrus : « Dicit ei Jesus : Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. » Hic manifeste dat intelligi, quod aliam præter illam exteriorem dicit necessariam pedum lavationem. Quis enim lotus est, nisi quem Christus « in sanguine suo lavit a peccatis (*Apoc.* I), » ut ante jam dictum est ? Quid autem ad conservandam illam spiritualem munditiam proficit ista corporalis lavatio pedum ? Nunquid quotidie pro consequenda peccatorum remissione pedes lavare, et non potius sacramenta Dominicæ passionis opus habemus percipere ? Igitur Petrus aliud intelligit, Dominus aliud postmodum intelligendum insinuat, cum dicenti illi : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput ; ipse respondet, « qui lotus est, inquit, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. » Ac si dicat : Qui semel in morte, quæ nunc adest, baptizatus est, non est opus amplius, ut præterita ante baptismum peccata sive originalia sive actualia lavet, sed totus mundus est, tantummodo pedes lavet, id est, quotidiana vel communia sine quibus humana vita transigi non potest, commissa quotidianis remediis expurget ; sicut is qui solos ex itinere sordidatos habet pedes, et in reliquo corpore a sordibus liber est, vadens cubitum non indiget, nisi ut pedes lavet. Sequitur :

« Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit : Non estis mundi omnes. » Vos, inquit, qui permansistis mecum in tentationibus meis (*Luc.* XXII), mundi estis scilicet propter sermonem quem locutus sum vobis, quia credidistis ; « mundi, inquam, estis, » ex hoc, quia nunc ego sanctifico meipsum pro vobis, ut vos in veritate sancti sitis, dum ego sanctifico, id est, ego meipsum sacrificium offero pro vobis. Jam enim vado immolari pro vobis, ut mundi sitis, « sed non omnes. » Non enim omnibus vobis præsens passionis meæ sanctificatio prodest. « Sciebat enim, inquit evangelista, quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit, non estis mundi omnes. » — « Postquam ergo lavit pedes eorum et accepit vestimenta sua, cum recubuisset, iterum dixit eis : « Scitis quid fecerim vobis ? » Ergo, inquit, quia sciens ea quæ supra dicta sunt, sic et sic fecit. Postquam rursus acceptis vestimentis suis iterum recubuit ; recte Dominus et magister os suum aperuit, et ea quæ deinceps sequuntur, dulcia super mel et favum eloquia de ore suo profundit (*Psal.* XVIII) Etenim postquam resurgens a mortuis gloriosam immortalitatis et incorruptionis vestem induit ; extunc per interpretem suum Spiritum sanctum, quem de cœlo misit, fecit suos intelligere quid fecerit eis, juxta quod ex persona ejus Psalmista dicit : » Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini (*Psal.* CXVII). » Itaque dicit : « Scitis quid fecerim vobis ? » Hac interrogatione excitat ut attentos reddat auditores suos orator gratiæ et veritatis. Interrogati namque quod nescimus, attentius, quasi manu pulsantis excitati, audire solemus. Attendat nunc edentula teneritudo filiorum, quam suavi argumentatione gratiæ mater ex ore ejus hoc humilitatis suæ commendat exemplum. Ait : « Vos vocatis me Magister et Domine et bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego lavi vestros pedes Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » Si possent modo portare servi atque discipuli, poterat hic Dominus et Magister dicere sic : Si ego, quem vos Dominum et Magistrum recte vocatis, dominationem, qua cum Patre cunctis præsum creaturis, « non rapinam arbitratus sum, sicut reges gentium, et qui potestatem habent super eos, sed memetipsum exinanivi formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, et humilio meipsum, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II ; *Luc.* XXII). » Si, inquam, ego sic feci, ut vos lavem a peccatis vestris, æquum est ut et vos apostolatum vestrum, non do-

minationem, sed summæ humilitatis ministerium arbitremini, cujus in hoc profecto est ut ponatis animas pro fratribus vestris. Hoc, inquam, dicere poterat. Hoc enim vera exempli ejus imitatio est. Cæterum pedes corporaliter lavare possunt et illi, qui nullatenus exemplum Domini, et magistri hujus exemplum sequuntur; sed nonnulli regibus atrociores, subjectis sibi pedibus, sub religioso pastorum nomine, superbissime dominantur, non solum imparati pro illis animas ponere, sed etiam ausi rapaciter viduas et pupillos devorare. Præmisso igitur operis exemplo, unde tota pendet sermonis auctoritas. Sequitur:

« Amen, amen dico vobis, non est servus major domino suo, neque apostolus major eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. » Explicari verbis nequit, quanti sit ponderis quod rem omnibus notam tanta severitate astruit dicendo: « Amen, amen dico vobis, » cujus sermo etiam absque juramento prolatus cœlo et terra stabilior est, sicut ipse quodam loco: « Cœlum, inquit, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIV). » Cui enim dubium est servum domino suo non esse majorem, neque apostolum eo qui misit illum? Vocabant autem tunc jam apostoli Magistrum et **290** Dominum, et bene dicitis, inquit, sum etenim. Igitur si scitis, imo quia hæc scitis, nec enim nescire potestis, servum Domino suo non esse majorem, vel apostolum eo qui misit illum: « Beati estis si feceritis ea, » id est, contenti fueritis sic esse quomodo ego sum, quem Magistrum vocatis et Dominum. Beati, inquam, eritis ita faciendo quomodo ego feci vobis, quia videlicet in hac humilitate seminati, velut pauca admodum grana frumenti, multum vos quoque fructum afferetis, et replebitis faciem orbis semine; dura quidem sed transitoria mortificati tribulatione. Et in quantas animas vestræ dilectionis humilitas sese dilataverit, pro tantis cumulus crescet vestræ beatitudinis. Ergo beati eritis mox ut hoc tempus miseriæ pertransierit.

« Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegerim. » — « Beati, inquit, eritis, sed non omnes; » non, inquam, præparatum in beatitudine locum habebitis omnes. Est enim unus hic inter vos filius perditionis, sermonis hujus expers: fur, non minister; insidiator, non imitator; tenebræ, non lux; diabolus, non apostolus. Non tamen errore meo factum est, ut inter vos talis ille sit. Ego namque scio quos elegerim, quos ad gloriam, quos ad flammam, quos ad honorem, quos ad contumeliam. Non, inquam, nescius vestro talem numero admisi. « Sed ut impleatur Scriptura: Qui manducat panem meum, levabit contra me calcaneum suum. » Idcirco, inquit, sustineo in multa patientia illud vas iræ aptum in interitum (*Rom.* IX), ut quod ab initio de me fuit dispositum, eodem modo quo dispositum fuit nunc fiat, nullo intercedente novo consilio; non casu, sed ordine certo et antiquitus præscito atque præfi-

A nito, teste nte Scriptura quæ dicit in mea persona, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem (*Psal.* XL). Sic enim scriptum est secundum Hebraicam veritatem; sed hic evangelista Græco scribens sermone, maluit hoc uti exemplo, secundum Vulgatam apud Græcos septuaginta Interpretum editionem. Hæc ergo Scriptura manifeste Judam proditorem attingit. Quid autem est quod ait: « Magnificavit super me supplantationem? » Non enim ait tantum supplantavit me, sed magnificavit super me supplantationem, id est, magnifice supplantavit me. Quid ergo sic dicere maluit, nisi ut excitaret nos ad pensandum solerter modum ejusdem supplantationis? Vere enim magnifica, vere mirabilis supplantatio fuit, ubi emptorem, imo

B Redemptorem omnium, hic unus perverse supergressus, vendere præsumpsit. Quomodo vel quibus vendidit? Utique sacerdotibus malo suo Paschale sacrificium si vendidit, quomodo tunc temporis apud omnes filios Israel solemni morte quærebatur, et vendebatur agnus per singulas domos. Pascha manducaturus. O perversa magnificentia, o magnifica supplantatoris perversitas, qui universalem nostræ salutis hostiam faciens suam, sic quasi suum peculium possessorem mundi, solumque et unum cœli ac terræ venalem proposuit Dominum. Multum ergo alte suum contra illum levavit calcaneum, contra illum, inquam, non ut ipsum Christum emeret, sed econtra ipsum Christum venderet. Quare autem hic præfinitus fuerat ordo Dominicæ passionis, ut hic Agnus non solum occideretur, sed

C primo etiam venderetur? Videlicet quia homo pro cujus salute venerat moriturus, non solum propter transgressionem mortuus, sed in ipsa transgressione fuerat etiam venundatus. Non enim nulla spe proposita persuasi sunt primi homines ut mandatum transgrederentur, sed « aperientur, inquit, oculi vestri, et eritis sicut dii (*Gen.* III). » Et mendaciter quidem, sed tamen sicut dictum est, et sic in transgressionis pretium, divinitatis spes proposita est. Unde propheta: « Gratis, inquit, venundati estis, et sine argento redimemini (*Isa.* LII). » Igitur hic ordo nostræ salutis erat necessarius, ut Salvator pro venundatis et mortuis non solum moreretur, sed primo etiam venderetur. Sequitur:

« Amodo dico vobis ut credatis, cum fuerit factum

D quia ego sum. » Hactenus, inquit, non dixi vobis, non designavi, quis ille esset diabolus, qui unus est ex vobis, sed in hac hora dico vobis quis sit, et quid facturus sit, « ut cum factum fuerit, » id est, cum ille tradendo me, calcaneum suum contra me levaverit, « credatis quia ego sum » egenus et pauper ille super quem qui intelligit, beatus erit, sicut illa Scriptura dicit: Ego, inquam, qui et ibidem dico: « Nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat, » ac deinceps: « Tu autem, Domine, miserere mei et resuscita me, et retribuam eis (*Psal.* XL). » Hoc, inquam, amodo dico vobis, sed primum est ut dicam initium beatitudinis ejusdem, de qua jam

dicere cœperam, quæ statim vos incipiet consequi, ubi neque Domino vestro servi, neque illo qui mittit vos Apostoli, majores esse volueritis. Dico ego: « Amen, amen dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit. Qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. » Hæc vestra, o servi et apostoli, qui Dominum vestrum mittentem vos, non ut majores præceditis, sed ut minores subsequimini; hæc, inquam, vestra beatitudo est. Ecce mitto ante vos vocem præconiam, toto mundo audiendam, ut qui me suscipiunt, tunc vere me suscepisse se confidant, si vos susceperint tanquam meipsum. Et ne parvum in suscipiendo me putetis esse præmium, pro eo quod sum modo despectus, et novissimus virorum, vir dolorum et sciens infirmitatem (*Isa.* LIII); ecce et hoc dico vobis, imo et omni mundo, hoc prædico de vobis: « Qui me accipit, accipit eum qui me misit. Quid vero putatis audito hoc præconio, quomodo sint vos accepturi omnes qui dispersi sunt filii Dei, propter quos in unum congregandos estis mittendi? Quantum æstimatis honorem et gloriam, etiam in hoc mundo fore vestræ beatitudinis, ubi non fallitur pietas fidelium, gaudendo me, « et eum qui me misit, » se suscepisse in vobis? Vere enim qui mittit vos, vobiscum et in vobis erit. Proinde omnes filii hominum, qui nascendo ex sanguinibus et ex voluntate carnis atque ex voluntate viri nascuntur secundum veterem Adam, et per illum patrem diabolum contingunt; renascendo ex aqua et Spiritu per vestrum ministerium nascentur secundum me novum Adam, qui mitto vos, et per me Deum Patrem contingent, a quo missus sum.

« Cum hæc dixisset Jesus turbatus est spiritu, et protestatus est, et ait: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. » Postquam cum tranquillitate beatitudinem servorum fidelium humiliumque apostolorum prædixit, nunc indigni apostoli et mali servi dicturus audaciam, turbatus est Jesus, et non quomodocunque, sed « turbatus est, inquit, spiritu. » Quid ergo? Nunquid contrarius sibi est, cum dicit in Matthæo: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma? » (*Matth.* XXVI.) Hoc quidem difficilius solveretur, si ita dictum fuisset: Turbatus est spiritus ejus. Nunc autem cum dicitur: « Turbatus est spiritu, » idem est ac si diceretur turbatus est a seipso, estque par ei quod alibi dictum est: « Fremuit spiritu, et turbavit seipsum (*Joan.* XI), » quia videlicet fremente et turbante spiritu turbata est infirma caro vel anima Jesu, per quam tota hominis substantia **291** intelligitur. Nam per spiritum, quo fremente anima turbatur, vel quo prompta caro infirmatur, fortitudo divinitatis intelligitur, quæ dum et alibi inferno, et hic traditori suo comminatur, ex præsenti fremitus causa, id est ex vicinia mortis infirmitas hominis turbatur. Itaque turbatus protestatus est, id est, ab ipso effectu comprobavit, quod secundum Scripturam vere calcaneum suum contra se levaturus esset, ipse qui edebat panes ejus (*Psal.* XL), et ait: « Amen dico vobis, quia unus vestrum me tradet. »

« Aspiciebant ergo discipuli ad invicem, hæsitantes de quo diceret. » Admiratione attoniti, et de sua quisque conscientia certi, ad invicem aspiciebant et hæsitabant, id est, juxta alium evangelistam: « Contristati valde, singulatim interrogabant dicentes: Nunquid ego sum, Domine? (*Matth.* XXVI.) » — « Erat autem recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. » Dilectus iste discipulus, inter dilectos omnes dilectissimus, hoc de semetipso solus commemorat, quia Dominus Jesus eum diligebat, et quia tunc familiari dilectione in sinu ejus recumbebat. Cur hoc, nisi ut necessarium nostræ fidei et saluti testimonium, id est, præsens Evangelium testificantis, hoc est suimet auctoritate, confirmet? Siquidem etsi omnes, scilicet quatuor, quos Ecclesia sancta recipit, Evangelii scriptores testes idonei sunt, et de alicujus illorum testimonio dubitare nefas est, tum vero hic præcipue dignus fide testis est, qui adeo veritati quam narrat, præsens cognitor interfuit, ut recumberet in sinu ejus, familiaris ac dilectus, et illi Verbo præ cunctis mortalibus prope admissus, quod eructatum de corde Patris, et caro factum est altius personare decreverat per linguam et calamum ejus. Etenim quem ducentem jam uxorem de nuptiis vocaverat, recte tanta illum gratia remunerabat, ejusque animam suo tam familiariter amore oblectabat, cujus carnem a conjugio revocatam virgineo decore accinxerat: Bene ergo, quia de verbo Dei magna, et cæteris longe altiora dicit, ne Cherinthus vel alius quis hæreticus dubitabile velit esse quod dicit, tacere non debuit in se completum esse illud Sapientis dictum: « Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem (*Prov.* XXII), » quia videlicet propter excellentem castitatis decorem, dignus fuit de ipso sacro Dominici pectoris fonte divinitatem ejusdem verbi et æterna potare secreta principii: « Erat, inquit, unus recumbens ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. » Veritatem altissimam socia humilitate condecorat, dum non ait, eram ego recumbens, sed « erat recumbens, unus ex discipulis ejus, » itemque dum dicit: quem diligebat Jesus, » et nullam tantæ dilectionis reddit causam, videlicet solam volens intelligi ultroneam diligentis gratiam.

« Innuit ergo huic Simon Petrus, et dicit ei: Quis est de quo dicit? » Quamvis humiliter nomen suum reticeat, non tamen suam omnino personam dissimulat, dum non dicit: « Innuit ergo illi, sed innuit huic Simon Petrus. » Sic enim dicendo, quasi reducto in seipsum digito, demonstrat se illum esse præcipuæ gratiæ filium, cui Petrus quod a Domino quærere non audebat, in illa sollicitudine et summa tristitia, innuit ut quæreret ipse, dum caput in sinu Domini reclinat, et fiducia majori uti potest inter præcipuas amoris ejus delicias. Sciendum vero est, quia sicut tunc in sinu diligentis Domini discipulus

iste familiarissime recumbebat, sic deinceps in ejus- A dem teneræ ætatis diligentissima servatus est custodia, quam et posthmodum insinuans Dominus cum dixisset Petro: « Sequere me, » de isto dixit: « Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te ? » Vere enim ter beatus, usque ad finem suum, in sinu amantis Domini suavissime recubuit, quia sicut corpus ejus ab omni pollutione incorruptum, sic eum ab omni quoque dolore servavit illæsum. Sequitur:

« Itaque cum recubuisset ille super pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est? cui respondit Jesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero; et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotis. Et post buccellam tunc introivit in illum Satanas. » Ubique Agnus mansuetus et innocens Scripturas sanctas ruminat, et omnia sic agit quatenus et prophe- B ticas voces impleat, et ea quæ in Scripturis præcepta dedit, prior ipse faciat. Cur enim lupum præsentem sibi sub ovina pelle imminentem tali voluit designare indicio, cum eumdem et nomine proprio, vel intento satis posset exprimere digito? Videlicet ut et prophetiam, quam superius attigit, verissimam esse ostenderet, « homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem (*Psal.* XL), » et illud prior ipse faceret quod per quemdam sapientem docuerat dicens: « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis colliges super caput ejus (*Rom.* XII). » Quis namque patientius suum potest cibare inimicum? Ille homo pacis suæ, furioso corde, et ore pacifico, socia manu panem in- C tingebat cum illo in paropside, et quia recumbentis in sinu ejus percontationem, tacitamque Domini responsionem non audierat, buccellam de manu ejus ore blando excipiebat familiaris homicida. Ita factus homo pacis suæ, fiducialiter panes ejus edebat, eadem impudentia qua illum per pacis osculum mox traditurus erat. Adeo patienter, tanquam puer innocuus, inimicum suum cibabat, sed velut antiquus dierum carbones ignis super caput ejus congerebat. Denique et si carbonibus non est attractus pœnitentiæ, cujus ustionem nostris debemus inimicis cupere, licet contra voluntatem nostram plerumque ex beneficio pejores fiant, attamen combustus est ardore iracundiæ. Siquidem continuo post buccellam introivit, quem jam obsederat, vinctumque ad Phari- D sæos duxerat, ut Domini traditionem sponderet pacta sibi pecunia. Videlicet ubi se intellexit hoc signo demonstratum, dixitque, ut alii evangelistæ referunt: « Nunquid ego sum, Rabbi, respondente Domino: Tu dicis, » exivit continuo cum priori avaritia, furore pariter et odio repletus diabolico, quodam modo dicens: « Quoniam quidem circumventus insperato judicio præceps agor, incendium meum ruina vestra restinguam (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV). » Igitur et hoc a divina ratione non vacat, quod per buccellam potius quam per aliud signum, suum Salvator proditorem demonstrat. Sciendum vero est, quia sicut et ante nos dictum est, si post buccellam continuo Judas exivit, sicut paulo post Evangelista dicit, procul dubio nequaquam discipulis tunc intererat, quando Dominus noster sacramentum illis corporis et sanguinis sui distribuit. Nec enim vel ille panis intinctus, quem Judæ porrexit, corpus ejus fuit, vel catinus ille, in quo traditor manum cum illo intingebat, calix sanguinis ejus exstitit, nec ante hanc cœnam paschæ veteris sacramentum corporis et sanguinis sui discipulis tradidit, sed postquam cœnavit. Quod cum cæteri evangelistæ apertissime dicant, solus Lucas aliter dixisse visus est, quia videlicet verba, quæ in priori cœna Dominus de traditore suo dixit, idem Lucas sic præposteravit, ut priorem paschæ cœnam, et sequentem Dominici corporis et sanguinis consecrationem narrando conjungeret, et tunc demum verba, quæ in **292** utroque convivio dicta sunt, continuaret. Igitur exemplo Domini, tolerare quidem malos boni debent in Ecclesia, donec ventilabro judicii granum a palea, vel a tritico separentur zizania; verumtamen non eo usque indiscreta debet esse patientia, ut indignis, quos noverunt, sacrosancta Christi tradant mysteria. Sed de his alio jam loco dictum est. Sequitur:

« Et dicit ei Jesus: Quod facis fac citius. Hoc nemo autem scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat, quia dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. » — « Terra, inquit sanctus Job, data est in manus impii, vultum judicium ejus operiet (*Job.* IX). » Quid énim? Nunquid Judas, vel qui in illum introivit, diabolus præceptum accepit, ut faceret quod non faciebat, et non potius permissus est, ut citius faceret, id est, ad effectum perduceret quod faciebat? Aliud nempe est, dicere facienti, citius fac, atque illud vacanti præcipere, ut hoc vel illud faciat. « Simon, inquit Dominus apud Lucam, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum (*Luc.* XXII). » Nunquid non ipsum Dominum perversum ejus expetierat desiderium, sicut tunc quando in typum hujus, idem Satan astans coram Domino inter filios Dei, expetivit beatum Job, ut tentaret eum? (*Job.* I.) Ergo dum dicit: Quod facis fac citius, » non magis hoc præceptum est, quam illud quod cum dixisset Satan iste infelicis Judæ possessor: « Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Alioquin mitte manum tuam et tange os ejus et carnem. Respondit idem Dominus: Ecce in manu tua est (*Job.* II). » Concedendo utique, non præcipiendo; permittendo, non percussorem mittendo. Igitur sicut tunc, ita et nunc terra, id est, caro de terra sumpta, data est in manus impii, permisso, non imperio; quia videlicet impius, id est tenebrarum princeps diabolus, vultum Judicum ejus operuit, ut eamdem invadentes terram, perversa de illa sentirent, inique judicarent, impie condemnarent. « Hoc autem, inquit Evangelista, nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. » Nec mirum. Non enim capere aut portare poterant etiam cum diceret eis, quantum pro nostra salute passio-

nis instantis haberet desiderium. Verbi gratia, cum A diceret : « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur (*Luc.* XII). » Itemque : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* IV) » Itaque nemo discumbentium, nec is ipse dilectus, cui dicenti : « Domine, quis est qui tradet te ? Respondit Jesus : ille est cui ergo intinctum panem porrexero, scivit, ad quid dixerit ei : » nemo, inquam, scivit. Quidam enim adeo, inquit, nescierunt, ut putarent, quia dixisset ei : « Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret, videlicet quia loculos habebat. » Multum longe a rei scientia fuerunt, quia putabant illi mentionem factam esse de cura vel providentia egenorum, cum permissio daretur de tradendo ad mortem patre orphanorum et judice viduarum (*Psal.* B LXVII).

« Cum ergo accepisset buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. » Judicatus utique exivit continuo atque condemnatus, relinquens episcopatum suum, ut alter acciperet illum, educente se diabolo qui stabat a dextris ejus (*Psal.* CXVIII), et os suum peccator et dolosus, quod super Dominum et Magistrum aperuerat, post buccellam amplius dilatatum ad Pharisæos ferebat ; non quia buccella illa malum fuit, sed quia malus per illa designatus, majus odium spirabat contra illum qui designaverat. Nam et si solo amore lucri scelus proditionis inceperat, nunc tandem introeunte in illum Satana, mistoque cupiditatis odio, totam crudelitatem anhelans, citius faciebat, instantius properabat. « Erat autem, inquit, nox, » C et nox utique illi, qui noctis et tenebrarum filius erat, quique veram lucem fugiens, corporales quoque tenebras nequitiæ magis opportunas libenter accipiebat.

« Cum ergo exisset ille, dicit Jesus : Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso. Et continuo clarificabit eum. » At tempore noctis, quod tunc erat, similitudine per contrarium sumpta, clarificationem suam, dies æternitatis et sol justitiæ Dominus noster, jam adesse indicat qua totum postmodum erat mundum illuminaturus, traditore suo cunctisque impiis in nocte peccati remanentibus. Verbo quippe clarificationis toties repetito, passionis suæ claritatem apud inferos coruscantem, resurrectionisque et ascensionis gloriam, D nec non et effusionis Spiritus sancti gratiam, claro deinceps, et consolatorio sermone mœrentibus discipulis prænuntiat. « Nunc, inquit, clarificatus est Filius hominis. » Qua clarificatione, nisi illa de qua superius dixit, « et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, et nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert ? » (*Joan.* XII.) Hoc enim nondum quidem peractum fuerat, sed nunc agebatur, et sine dubio perficiendum erat. Proinde recte verbo hoc et multis aliis in hoc eodem sermone secundum præteritum tempus uti voluit, dicendo : « Nunc clarificatus est Filius hominis, » eodem sensu quo post multa dicturus est, et jam non sum in mundo. Hæc autem clarificatio Filii hominis, sine dubio clarificatio Dei est. Hoc enim modo non suam, sicut alibi dicit : « Gloriam quæsivit, sed Patrem suum honorificavit (*Joan* VIII), » videlicet « factus illi obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). » Ait ergo : « Et Deus clarificatus est in eo. » Dicat aliquis : Unde ergo hoc scire quis potest, quod morte sua Deum clarificaverit iste Filius hominis ? Ad hæc obvians, hoc, inquit, experimentum habebitis. « Si Deus clarificatus est in eo, » id est in morte ejus, « et Deus clarificabit eum in semetipso, » scilicet resuscitando eum a mortuis, et constituendo eum ad dexteram suam in cœlestibus (*Ephes.* I). Deinde continuo, id est sine intermissione clarificabit eum, dando Spiritum sanctum in nomine ejus, qui confestim novos magna claritate cœlos ornabit, et novæ gratiæ firmamentum sublevabit, in quo luceat justitiæ sol (*Psal.* XVIII), scilicet hic Filius hominis ita splendidus et altus, ut non sit qui se abscondat a calore ejus, extunc enim rationales cœli, scilicet vos apostoli mei, bene cœlesti vita perornati, forti prædicatione contonabitis, et crebra miraculorum fulgura mittetis, vestrisque compluta imbribus, id est, erudita doctrinis, omnis terra, opera justitiæ germinabit, et intenta fide sempiternam in cœlo suscipiet claritatem Filii hominis. His in initio dictis, latius ejusdem clarificationis suæ magnitudinem disserere incipiens, ait :

« Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, et sicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis dico modo. » Quicunque vere filii sunt, et a bono Patre, animorum qualitate non degenerant, nequaquam ita successu magnæ hæreditatis delectantur, ut de morte Patris nullo dolore mordeantur, et eos quos extremum trahens spiritum edidit gemitus, obliviosis sinant evanescere auribus. Est autem magna quidem hæreditas, et magnum **293** Dominicæ mortis emolumentum, scilicet æterna salus, vita, et resurrectio mortuorum, quam nunquam consecuti essent filii, nisi testamentum morte patris fuisset confirmatum. « Ubi enim testamentum, inquit Apostolus, mors necesse est intercedat testatoris (*Hebr.* IX). » Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondum valet, dum vivit qui testatus est. Ergo ut repromissionem acciperent, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis, oportebat ut testamentum Christi morte confirmaretur, quia non aliter in hæreditatem vitæ introducerentur. Sed ipsa mors, qua testamentum confirmatum est, gratiæ non necessitatis exstitit, et pro nullo debito gratia mater adoptatis filiis acri mortis dolore vitam parturivit. Igitur si vere filii sumus, cum lætitia nostræ redemptionis, dolorem et compassionem Dominicæ mortis habentes, hæc et quæ sequuntur digno auditu Patris nostri dicta percipiamus. « Filioli, inquit, adhuc modicum vo-

biscum sum. » Uno eodemque nomine dum dicit, filioli, paternum sui amoris gratiam et infirmam tunc temporis apostolorum designat infantiam. Nam ex quo fortes facti sunt, Spiritu sancto armati, filii sunt. Nunc autem quia timidi sunt, et Patrem sequi non valent, filioli sunt. Unde autem vel hoc erat, ut jam dicantur filioli? videlicet ex instante passione et morte Domini quæ illis et nobis omnibus sacramentum regenerationis est in adoptionem filiorum Dei. Non enim existimandum est quod jam ante passionem ejus renati fuerint baptismo regenerationis, vel quod ante mortem ipsius « in quo baptizati sumus, ut Apostolus ait, quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, alicubi celebratum sit vel celebrari debuerit hoc baptisma, in quo consepulti sumus cum illo in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Ergo ex hoc tempore jam filioli, qui hactenus eratis servi tantum, sive discipuli, hoc vobis dico, quia modicum vobiscum sum. Modicum inquam, id est, tantillum, donec ille, qui nunc exivit, ad Pharisæos perveniat, acceptaque cohorte, et a principibus et Pharisæis deducendo ministris, redeat. Ex tunc enim comprehensus, irrisus, judicatus, atque flagellatus, tandemque interemptus, jam vobiscum non ero, nisi quod ad horam iterum videbo vos, verumtamen nequaquam ut nunc vobiscum ero, peregrinus præsentis, sed princeps et Pater factus futuri sæculi. « Quæretis ergo me, et sicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire, « quanquam illi longe alia mente me quæsituri sint, ita et vobis dico modo. Neque enim sic remotus ero, ut ubi ego sum, venire non possint impii persequentes, et venire possint pii diligentes; sed nunquam illi sive viventes sive mortui, nec vos quandiu mortaliter vivitis, « quo ego vado, » vel ubi sum ego venire potestis. Itaque et vos quæretis me, et qui per verbum vestrum credituri sunt in me, plangentes ut turtures, gementes ut columbæ, ita ut fiant quod scriptum est in Canticis, singulatim unoquoque vestrum dicente : « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est; quæsivi et non inveni illum, vocavi et non respondit mihi : Invenerunt me vigiles, qui custodiebant civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum (*Cant.* V). » Filii Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo. Quid tandem faciendum est, ut quo ego vado, et vos venire possitis, et totam hæreditatem consequamini? Audite jam :

« Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. » Hoc novum accipite mandatum; novum, inquam, in comparatione veteri mandato præferendum. Quod enim vetus est mandatum? « Diliges, inquit, proximum tuum (*Exod.* XX). » Ego autem dico vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Quomodo ergo dilexit vos? Dilexi vos utique immeritos, « cum essetis natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II), »

A et ecce morior pro impiis, mortem sustineo pro inimicis, ut vos Deo reconciliem (*Rom.* V). Hoc vere novum est. Vix enim pro justo quis moritur, ne dum pro impiis et inimicis. Igitur, inquit, mandatum novum do vobis, cum hoc mando vobis, ut diligatis invicem, non quomodocunque, sed sicut dilexi vos. Sane iterata præceptio est, et hic ordo verborum : « Sicut dilexi vos, ut diligatis invicem : ita et mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. » Non enim facio sicut faciunt scribæ et Pharisæi, « qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (*Matth.* XXIII); » sed prior ipse facio quod doceam, dum prius diligo vos, ut diligatis invicem, et tunc plenum mandatum do

B vobis ut diligatis invicem; itaque non ut de regibus gentium et eis qui potestatem habent super eos, nonnunquam recte queri possunt milites sui, quod dura imperia subjectis imponant, et illis in sudore et pulvere sanguinem fundentibus, ipsi in deliciis molliter subsistant; non, inquam, ita et vos justam in me habebitis querelam. Prior enim ego dilexi vos, quippe qui de quietissimo sinu Patris in hujus sæculi campum pugnaturus descendi propter vos; et pro vobis animam meam pono. Proinde facti hujus auctoritate præeunte, mandatum hoc do vobis, ut et vos quietem et vitam quoque vestram communi utilitati postponentes, pro fratrum, si oportuerit, salute moriamini (*Matth.* VI).

« In hoc cognoscent omnes, quia mei estis disci-

C puli, si dilectionem habueritis ad invicem. » Non inquit, in hoc cognoscent, si exterminaveritis facies vestras, vel si longas orationes feceritis, aut certe si tuba præcinente multam eleemosynam dederitis, quæ et omnia his similia facere possunt hypocritæ, conscia sinistra sua; sed « in hoc cognoscent quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. » Quod profecto non nisi bono potest corde fieri. Nec enim aliquod malum, vel alicujus violatio præcepti potest in eodem corde cohabitare dilectioni. « Qui diligit proximum, inquit Apostolus, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Rom.* XIII). »

D Igitur verum erit experimentum, verum certumque discipulatus mei testimonium, si dilectionem habueritis ad invicem; ita, ut qui in circuitu vestro sunt bono odore delectati dicant : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII). » Uno namque unguento Spiritus sancti nunc et caput et barba, simulque ora vestis Aaron, bonum ubique odorem spirabunt in ædificationem vel acquisitionem multorum, cum et vos, tanquam barba capiti, scilicet mihi Domino et vestræ dilectionis magistro, vicinius adhærentes

barbati, id est, fortes fueritis ad ponendas animas pro fratribus vestris, totamque Ecclesiam quasi vestem inferius religiosis conventibus subornantem exemplo vestro eadem dilectione imbueritis.

« Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis ? » Inchoatum de dilectione sermonem, iste ardentior cæteris Domini et Magistri sui amator, **294** impatienti dolore attonitus, primus interrupit, videlicet quia dixerat : « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum, quæretis me, et sicut dixi Judæis, quo ego vado vos non potestis venire, et vobis dico modo. » Ait ergo : « Domine, quo vadis ? Respondit Jesus : Quo ego vado non potes me modo sequi, sequeris autem postea. » Hoc postmodum palam rei probavit eventus, quia tunc infirmus, Dominum sequi non poterat Petrus, negavit enim tertio ne illum pariter moriendo sequi cogeretur ; secutus est autem postea, tunc scilicet quando jam senior extendit manus suas, et dignus Magistro discipulus exemplo ejus cruci affixus est.

Sed tunc suam ipse infirmitatem non videns, voluntatem cupidissimam sequendi Dominum, suisque viribus majorem præ oculis habebat, nondum expertus quid ferre recusarent, et quid ferre valerent languidi humanæ imbecilitatis humeri, nisi Spiritu sancto, qui nondum datus, firmarentur, supra petram Christum fundati. Vere etenim volens sequi, dixit : « Domine, quo vadis ? » et proinde longe aliter huic respondendum erat quam illi, cui dicenti : « Domine, sequar te, quocunque ieris. Respondens ipse : Vulpes, inquit, foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (*Matth.* VIII) » Itaque dicit : « Quo ego vado, » non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Tanquam diceret : Idcirco interrogas, quia sequi optas, sed modo non potes, timore namque « deficiet fides tua ; verumtamen tu aliquando conversus, me sequendo, confirma fratres tuos (*Luc.* XXII). »

« Dicit ei Petrus : Quare non possum te modo sequi ? Animam meam pro te ponam. » Verum quidem est quod ait Petrus, dum futuro tempore sic enuntiat : « Animam meam pro te ponam. » Etenim futurum erat, et Dominus sic dixerat : » Sequeris autem postea. » Verumtamen quoniam præsens periculum, de quo tunc agebatur, intendebat cum hæc diceret Petrus, et in illo durare sibi posse videbatur, Dominus autem et præsens infirmitatis humanæ, et futurum prævidebat tempus fortitudinis ejus, impleri oportebat in comparatione Domini, et Magistri de servo ac discipulo quod ait Scriptura : « Omnis homo mendax (*Psal.* CXV). » Dominus namque conscius voluntatis, et cognitior infirmitatis dixerat : « Non potes me modo sequi ; » affirmabat se posse, confidens de viribus suis. Itaque experimento concludendus, et sibimet ostendendus erat, ut nulla deinceps de statu suo præsumat tabula, cum tam fortis lapsa sit columna. « Respondit Jesus : Animam tuam pro me ponis ? Amen, A amen dico tibi, non cantabit hac nocte gallus, donec ter me neges. » Sic dictum, et sic deinde factum, nullus tacet evangelistarum, quia videlicet multum utile non frustra visum est, ad reprimendum humanæ infirmitatis ausum. Alto namque Divinitatis consilio factum est, ut in illa perturbationis nocte omnibus apostolis scandalum patientibus maxime princeps Petrus suæ ad tempus inexpertæ infirmitatis relinqueretur, trinaque negatione lapsus, et ipse experto crederet, et nos scire faceret quod nisi auxilium a Domino veniat, noster cito pes moveatur, et si ille dormitaverit, qui solus novit et potest custodire, tam sole per diem quam luna per noctem utimur, id est, tam divinitatis quam humanitatis Christi fidem in tentatione perdimus.

B Sed de hujusmodi perturbationibus Psalmista, cum diceret, mystice loquens : « Super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt, » secutus adjunxit : « Terminum posuisti quem non transgredientur, neque convertentur operire terram (*Psal.* CIII). » Ergo et hoc recte sapientia Dei providit, ut huic Petri apostoli negationi, quæ totius Ecclesiæ tentationes præcurrit, terminum poneret, scilicet gallis cantum, post quem ille jam ultra non negaret, sed negationis præteritæ maculam amare flendo dilueret. Quid autem hoc sibi vult, quod Petrus et ter negare permittitur, et tali potius quam alio termino præfixo, ejus negatio finita corrigitur ? Non enim a mysterio vacare credendum est, quod ei sine cujus providentia factum non est, sic fieri complacitum C est. Quid ergo terminus iste, scilicet galli cantus, mystice significat ? Utique bonum Dominicæ resurrectionis nuntium præfigurat. Quia profecto media nocte resurgens Dominus noster, Angelorum ora in laudem excitavit, et per eos bonum vitæ et victoriæ suæ nuntium ad contristatos et tristitiæ caligantes nubilo apostolos misit. Sed ante hunc tantæ felicitatis auditum tres continuas noctes perseverat eorumdem apostolorum scandalum, scilicet ab hora qua eo relicto omnes fugerunt. Ergo trina negatione peracta, gallus cecinit, et sicut Lucas refert, « Dominus Petrum respexit (*Luc.* XXII), quia videlicet tertia scandali nocte transacta, nuntium illud suavissimum insonuit, quod Propheta utcunque exprimere gestiens, Dominicum hominem, in D persona Patris allocutus : « Exsurge, inquit, gloria mea, exsurge psalterium et cithara : » et confestim in persona Filii respondentis : « Exsurgam diluculo (*Psal.* CVII), » inquit. Hoc, inquam consolationis nuntium ad tristes apostolos, tertia scandali nocte, transacta perlatum, Petrum ex nomine attigit dicente Angelo : « Discite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. » Sequitur :

[CAP. XIV.] « Et ait discipulis suis : Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. » Diligenter hoc animadvertendum est maxime quia non ait, non turbemini, sed « non turbetur

inquit, cor vestrum. » Nunquid enim Pater continuo moriturus, hanc a pupillis suis fortitudinem exigit, ut secum pariter ad mortem duci non vereantur? Aut nunquid hos ipsum quod paulo ante futurum esse firmabat, modo contraria vice persuadet ut non fiat, videlicet ut percusso pastore non dispergantur oves (*Zach.* XIII), aut ut Petrus contra suæ veritatis assertionem fortis fiat, et non neget eum ter, antequam gallus cantet? Ergo quod ait, non turbetur cor vestrum, idem est ac si dixisset, non deficiat fides vestra, et est sensus: « Quoniam, inquit, Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum (*Luc.* XXII), » et tanta trituræ vis erit, ut dispergamini omnes, et me solum relinquatis, hoc unum restat persuadere ut corporaliter dispersi, saltem corde imperturbato permaneatis mecum in tentationibus meis. Hoc enim est, unde rogavi pro te, Petre, ut, dum voce negas, saltem in corde fides tua non deficiat. Et de hoc ipso quod offendis in verbo, aliquando tu conversus, confirmes fratres tuos. Itaque non turbetur cor vestrum, sed credentes in Deum, credite et in me, neque tentationum mearum eventu turbati, errasse vos arbitremini in eo quod hactenus credidistis in me. « Credite, inquam, in me. » Et si nunc ingruentis asperitas hiemis extrinsecus virentia confessionis vestræ folia deterit ac dispergit, vivat saltem intrinsecus radix bonæ arboris ut postquam hæc hiems transierit, postquam hic imber abierit et recessit de radice credulitatis, quæ viget in corde ad justitiam, reflorescat oris confessio ad salutem atque ita animarum vestrarum rursus vineæ florentes, et dantes odorem, suæ pulchritudinis testimonio palam faciant, quia **295** vox redivi turturis audita est in terra nostra, dicentis ab illam, quæ per vos adducenda est de cunctis gentibus, Ecclesiam: « Surge, propera, amica mea, speciosa mea, columba mea et veni, veni de Libano, veni, coronaberis (*Cant.* II). » Vultis tandem audire quid sibi velint ea quæ mox visuri estis, et quorum metu dispergimini, vel cur ego illuc vadam, quo abeuntem vos non potestis me modo sequi (*Rom.* x.) Ecce dico vobis.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. » Idcirco, inquit, vado quo non potestis me modo sequi, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, et mansores earum omnes illos Dei qui ab initio dispersi sunt pro culpa primi parentis eorum (quia desertorem diabolum secutus, privavit seipsum et omne genus suum illis mansionibus) oportet per mortem meam tam de vivis quam de mortuis, tam de Judæis quam de gentibus congregati in unum (*Joan.* XI). Ista causa cur vadam, cur per passionem mortis transeam ex hoc mundo ad Patrem, quia « in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus » mansiones illi jam essent jam « dixissem vobis, quia vado parare vobis locum »—« Et si abiero et præparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. » Hoc totum dixissem vobis, si quo minus mansiones illæ in domo Patris mei multæ jam essent. Nunc autem mansiones quidem jam ab origine mundi paratæ, mansores autem imparati sunt. Adhuc enim estis in peccatis vestris omnes filii Adæ, quod etiam non diffidentes magni et electi fidelis Abrahæ filii: Facti sumus, inquiunt ut immundi omnes nos, sicut pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ (*Isa.* XLVI). Igitur dixissem quidem vobis, quia vado parare vobis locum, si quo minus mansiones illæ in domo Patris mei paratæ essent; nunc autem dico vobis, quia vado parare vosipsos locis vel mansionibus illis, id est, lavare vos a peccatis vestris in sanguine meo, ut digni sitis introire in illas sidereas mansiones, in illa cœlestia sancta sanctorum, ut sitis regnum et sacerdotes (*Apoc.* I et V), quia non aliter vos suscipient illæ mansiones juste et legitime hactenus exhæredatos pro communis patris vestri vitio, nisi per me alium patrem, per me, inquam, in morte mea vos regenerantem introducamini, ordine justitiæ servato. » Et si abiero, vosque sic præparavero, » iterum venio ad vos, scilicet resurgendo a mortuis, pace inter Deum et vos reformata, legatus fidelis; iterim, inquam, venio, pacem et remissionem peccatorum vobis annuntians, dicensque: « Pax vobis (*Joan.* XX). » Deinde accipiam vos ad meipsum. Notate ordinem verborum, perpendite distinctiones temporum. Non dico vobis, quia « venio et accipio vos ad meipsum; » nec enim uno eodemque tempore et a mortuis resurgo, et vos accipiendo ad meipsum tollo de hoc mundo; sed nunc quidem præsenti tempore venio, quia cito resurgo: vos autem non statim accipio, sed tandem accipiam postquam est alios ad easdem mansiones per vos invitavero, ut ubi sum ego et vos sitis, simulque omnes quoscunque vobiscum adducetis, ut mansiones impleantur, quæ in domo Patris mei multæ sunt. Quare autem multæ sunt? Videlicet quia diversa sunt merita venientium, diversa dona gratiarum, quæ vobis et illis distributa vel distribuenda sunt. » Itaque sicut « alia claritas solis, alia claritas lunæ atque alia claritas stellarum; stella quoque differt a stella in claritate (*I Cor.* XV), » sic et ipse mansiones multæ sunt et in gloria differunt. Verumtamen omnes in firmamento immortalitatis et incorruptionis stabilitæ sunt. Hæc illa causa est, propter quam tanta in me fieri permittam, ut vos videntes timeatis, et omnes in hac nocte scandalum in me patiamini, ita ut qui vestrum fidelissimus est, sicut dixi, « ter me neget antequam gallus cantet; » postea vero confirmatos accipiam vos ad meipsum, quia videlicet tunc sequemini, quia sicut paulo ante Petro dixi: « Non potestis me modo sequi. » Ecce ad quid vadam dixi vobis.

« Et quo ego vado scitis, et viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire. » Mira cœlestis Magister docendi arte parvulos adhuc alumnos suos ad quærendum excitat, ut attentiores factos melius introducat,

dum dicit: «Et quo ego vado scitis, et viam scitis.» A utique Petro dicenti: «Domine, quo vadis?» non dixit statim: Ego ex hoc mundo transeo, vel ad Patrem vado, sed hoc tantum: «Quo ego vado, inquit, non potes me modo sequi, sequeris autem postea.» Proinde adhuc omnibus suspensis, et quo abiret se nescire arbitrantibus: «Domine, inquit Thomas, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?» Cum, inquit, nec dum dixeris nobis, quo vadis, quomodo tu dicis nobis et viam scitis? Consequitur enim ut si quis aliquam ignoret patriam, multo magis viam nesciat quæ ducit ad istam patriam. Itaque magis ac magis omnibus intentis ad audiendum, tandem illis viam indicat quam se nescire putabant. Nam sequitur: «Dicit ei Jesus: Ego sum via, veritas et vita.» Me, inquit, B scitis, in me credidistis, me Christum Filium Dei vivi confessi estis. Ego autem, ego ipse quem ita scitis, via sum per quam illuc eundum vobis est, quo ego vado; via, inquam, sum, quod et vos ipsi pene fatemini, dum prompta voluntate vultis me sequi, quod tamen modo facere non potestis: Ecce ego dico vobis, qualis via sum, «Nemo venit ad Patrem, nisi per me.» Quid est: «Nemo venit ad Patrem, nisi per me?» quid, inquam, est, nisi nemo credit in Patrem, si non credit et in me? Propterea dixi vobis, creditis in Deum, et in me credite. Nam sive Judæus, sive hæreticus sit, nihil proficit, confitendo Deum cœli et terræ, et omnis ornatus eorum Creatorem esse (*Rom.* VIII). Nec enim pervenit ad Patrem tali confessione, quia non credit in me. Idcirco quemcunque Pater ad se attrahere dignatur, C attrahit ad me, ut conformis factus imaginis Filii, adoptionem accipiat per Spiritum adoptionis, fiatque hæres, cohæres autem ejusdem Filii (*Rom.* x). Quare autem non solum dixit: «Ego sum via,» sed addidi, «et veritas, et vita?» Videlicet, quia cum corde credatur ad justitiam, ore autem confessio fiat ad salutem, sicut bene diligo credentem, sic et veracem facio ore confitentem, sic et nihilominus meipsum ostendendo æternaliter vivifico credentem atque confitentem. Itaque, quia nemo recte ambulat, nisi credendo in me, via sum; et quia nemo verax est, nisi confitendo me, veritas sum, et quia nemo vivit, nisi qui habet me, vita sum. Etenim nemo habet Patrem, nisi qui habet me; nemo venit ad Patrem, nisi qui videt me. Via sum per quam D credendo itur, veritas per quam confitendo pervenitur, vita qua beate ac sempiterne vivitur. Igitur, ut jam dixi, et quo ego vado scitis, et viam scitis, quia videlicet et Patrem meum ad quem vado scitis, et me Filium ejusdem Dei vivi confitentes scitis. Scitis, inquam, sed tamen nondum cognovistis. Non enim scire idem omnino est quod cognovisse. Siquidem et mulier, antequam ducat virum, scit quem ducere velit, verumtamen non recte vel proprie dicitur cognovisse, ni priusquam **296** duxerit, et ei naturali more copulata fuerit. Itaque et vos nunc quidem jam me scitis, sed spiritum amoris nondum accepistis, quo vestræ animæ degustato substantiam vel naturam viri sui, scilicet Filii Dei, ab universis quæcunque condita sunt, discernere norint.

«Si cognovisсetis me, et Patrem meum utique cognovissetis.» Si, inquam, sicut personam meam, scitis, et creditis me esse Christum Filium Dei vivi, si ita substantiam vel naturam meam cognovissetis, «et Patrem meum utique cognovissetis.» Non enim alia Patris, atque alia Filii substantia vel natura est, sed qualis Pater, talis et Filius est. Etenim sicut dixi Judæis: «Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x).» Igitur si cognovissetis me, si quod revelante non carne et sanguine, sed Patre meo qui est in cœlis, adhuc intrinsecus quasi a longe prospexistis, illud intra vos accepissetis dilatata anima et aperto sensu ad intelligendum Scripturas (*Matth.* XVI), quæ omnes de me loquuntur, «et Patrem meum utique cognovissetis,» utpote ambulantes in via ejus, stantes in veritate ejus, viventes vita, quæ abscondita est in illo cum Christo Filio ejus, non ignorantes, sed optime per legem et prophetas et psalmos agnoscentes (*Coloss.* III; *Luc.* XXIV), qualiter de me fieri voluerit, quale mihi mandatum dederit, qualiter et vobis ad illum vestigia mea sequendo accedendum sit. Ita «Patrem meum cognovissetis. Et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.» Postquam enim abiero et præparavero vobis locum, dum iterum venio ad vos, reconciliationem factam annuntians dicensque: «Pax vobis, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* xx),» et aperio vobis sensum, ut intelligatis Scripturas (*Luc.* XXIV), «extunc et me Patrem meum cognoscetis.» Et proinde jam non dico vos servos, sed «amicos meos, quia omnia quæcunque audivi a Patre,» id est, omnia in quibuscunque obaudivi Patri meo, «nota facio vobis (*Joan.* xv).» Amplius autem ex quo iterum Spiritum sanctum de cœlo do vobis, ut facundi atque fortes sitis ad prædicandum cunctis gentibus, me et Patrem meum sicut cognovistis, et nullo adversantium errore ullatenus involvamini, extunc Patris cognitione illustrati eritis. Ita cognoscentes, jam vidistis eum. Sic enim cognovisse, vidisse est. Itaque extunc jam vidistis eum, nondum tamen facie ad faciem, sed quasi per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII), donec accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis, ex parte cognoscetis, extunc autem videntes sicuti est, similes ei eritis (*I Joan.* III).

«Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.» Quasi Filium jam vidisse sicuti est, sic Philippus locutus est: «Domine, inquiens, ostende nobis Patrem et sufficit nobis.» Tanquam diceret: Te, Magister et Domine Christe Fili Dei vivi; te, inquam, jam vidimus et agnovimus, diliximus et confessi sumus, et beatos esse fatemur oculos nostros, quia te videre meruimus. Jam nihil superest, nisi ut Patrem ostendas, nam de te sufficit nobis. Hæc dicens, profecto Filium se non cognoscere confirmabat, quia videlicet in homine

visibili invisibiles divinitatis divitias quærere vel esse noscebat, ad quos illos et paulo ante invitaverat dicendo : « Ego sum via, et veritas, et vita. » Sequitur ergo : « Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. » Quid hoc loco habet admirationis quod ait Philippus : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, » ut tantopere miretur majestas sapientiæ, et dicat : Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me ? Nonne paulo ante ignorantiam discipulorum sine admiratione significavit, dicendo : « Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. » Ergone minoris est ignorantiæ sive erroris, neque Patrem adhuc, neque Filium cognovisse, quam putare Filium sine Patre, vel facilius quam Patrem, sicut est, videri posse? ita plane sentiendum est. Nam qui neque Patrem adhuc, neque Filium cognoscit, sicut eatenus non cognoscebant apostoli, puer vel infans est, cui lacte et non solido cibo opus sit ; qui vero post adventum Spiritus sancti, ex quo apertis sensibus Scripturas oportet intelligi, Filium magis quam Patrem visibilem asserit, hæreticus est, quia dissimilem vel inæqualem Patri Filium facit. Igitur adversus Cherinthi et Arii blasphemias, cæterorumque qui consubstantialitatem Patris et Filii negare ausi sunt, nos quoque admirantes hanc opportune audiamus admirationem dicentis : « Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me ? » Tanto, inquit, tempore, tam veri sermonis, tamque admirandorum operum testificatione instructi, adhuc et vos sine intellectu estis, neque cognoscitis me non solum visibilem hominem, sed et invisibilem Deum esse? Quomodo enim cognoscitis, qui videntes me hominem totum illud quod est Christus Filius Dei vivi, vos vidisse putatis, et dicitis : « Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Philippe, qui videt me, videt et Patrem. » Non enim aliud sum ego, et aliud Pater; non aliud, inquam, licet alius. Quia non dissimilis qualitate, sed æqualis quantitate, non diversus habitu, non remotus loco, non tempore posterior, sed omne quod Pater hoc et Filius est, nisi hoc tantum quod ille solum Pater et non Filius est; ego autem solum Filius et non Pater. Igitur « qui me videt, videt et Patrem, » et econtra qui me non videt, non potest videre Patrem.

« Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem ? Non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est ? » Quomodo, inquit, tu dicis, ostende nobis Patrem, videlicet addendo, et sufficit nobis, quasi Filium sicuti est, jam videris ? « Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est ? » id est, quod tota natura Patris in Filio, tota nihilominus natura Filii in Patre est, ita ut ego et Pater unum simus, » et alter sine altero nunquam videat, nihil loquatur, nihil operetur? Hoc ergo rectius dixisses ostende nobis Deum, et sufficit nobis : Deum, inquam, unum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, qui est sine ulla differentia Deus invisibilis, qui habitat lucem inaccessibilem, quem vidit mortalium nemo, nec videre potest (*I Tim.* vi). « Nec enim videbit me homo, inquit ad Moysem, et vivere potest (*Exod.* xxxiii). » Hoc profecto recte dicat homo fidelis, qui tædium patitur præsentis, et amorem habet futuri sæculi, qui diligit Deum, et hoc nequam fastidit sæculum, dicat, inquam, talis : « Ostende nobis Patrem et sufficit nobis. » — « Quemadmodum enim, inquit Psalmista, desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? » (*Psal.* xli.) Deum enim, inquit Joannes Baptista, nemo vidit unquam, unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit (*Joan.* i). » Hoc autem valde reprehensibilis ignorantiæ est, quod si dicitis : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, » nescientes et non credentes quia ego in Patre, et Pater in me est. Proinde « sicut dixi Judæis, quod si verbis meis non creditis, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia in me est Pater, et ego in Patre meo, et vobis dico modo (*Joan.* x). »

« Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. » Hic et illic duo testimonia compono, **297** alterum dictorum, et alterum factorum. Dignum hoc in sermone meo testimonium est, quia sicut scitis, sicut per omnia experti estis, « verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor, » id est, non de corde meo, sicut propheta mendax confingo. Verum namque habent effectum verba quæcunque loquor. Dicit namque lex : « Hoc habetis signum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confixit (*Deut.* xviii), » etc. Ergo verum et dignum est in sermone meo testimonium, quod secundum legem saltem vobis amicis meis satisfacere debuerat ad credendum, verum istud quoque esse, quod et vobis discentibus, et Judæis adversantibus persæpe dico, quia in me est Pater, et ego in Patre meo. Ecce autem cum hoc testimonio dictorum, palam omnibus decertat aliud testimonium factorum. Nam Pater in me manens ipse facit opera. Nunquid si mentirer in sermone, Pater mecum esset in tantorum operum exhibitione? Nunquid maneret vel tandiu permansisset in me mirabilium effector Spiritus ejus, qui a superbientibus solet recedere, sicut recessit a Saul? (*I Reg.* xvi.) Igitur quia est in lege scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum sit, quid ultra hæretis ? (*Deut.* xvii, xix.)

« Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est ? » Siquidem Scripturam legalem sequamini, credite propter veritatis et sapientiæ sermonem, quem ex me jugiter audistis. « Alioquin propter opera ipsa credite. » Alioquin, id est, et si vos potius signa petitis, neque sapientia et veritate contenti estis, propter opera ipsa credite, quæ ex Patre meo multa vobis ostendi. Nunquid vero solus ego testimonium eorum, quæ dico opera cœ-

lestia facio ? « Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet quia ego vado ad Patrem: » Ecce hæc ipsa verba quæ nunc loquor, dicens: « Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, » postmodum visuri estis, utrum a meipso loquor, id est, de proprio corde confingam effectu caritura, an permanente Patre in me, palam fiant omni mundo teste; omni mundo, quasi ad spectaculum lætis animarum suarum cursibus in unam fidem nominis mei concurrente. Dicat aliquis : Quomodo, vel in quo majora, qui credit in te faciet opera ? quænam possunt esse majora ? Ad hæc inquam : Ecce ego, ut taceam cætera, quæ facturus est, qui credit in me, forte dubitabili majoritate operibus meis præferenda. Verbi gratia : Quale est in plateis poni infirmos in lectulis, ut veniente illo, qui credit in me (*Act.* v), saltem umbra illius obumbret quemquam illorum, et liberentur ab infirmitatibus suis, ut, inquam, de hujusmodi taceam, ecce dico vobis : Ego salutaris doctrinæ sermone una tantum lingua, Hebræa scilicet in una tantum gente ista, non valde magna prædico, et paucissimos ex eis converto. Vos autem qui creditis in me, postmodum sancto Spiritu accepto, linguis omnibus, omnium quippe in ore vestro nascentur genera linguarum ; omnibus, inquam, linguis cœlestis sapientiæ sermonem cunctis gentibus loquemini, qui eratis homines idiotæ, et sine litteris (*Act.* iv), et innumerabilem cunctis gentibus multitudinem fructuoso labore in æternam salutem acquiretis. « Ergo qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet. » Unde vero hoc illi qui credit in me, ut tanta faciat ? Videlicet quia ad Patrem vado. Per hoc enim quod transeo ex hoc mundo ex Patrem, facius pro vobis illi obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* ii) ; » per hoc, inquam, fiet, ut vos remissionem peccatorum accipientes, aliorum quoque peccata remittere possitis. In ipsa quippe morte, qua vado ad Patrem, vos eidem Patri Deo reconciliabimini, et tunc induemini virtute ex alto (*Luc.* xxiv), ut fiat quod scriptum est : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manum ejus annuntiat firmamentum. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* xviii). » Hæc profecto majora sunt horum, quæ nunc ego per me facio, et hæc paulo post facietis. « Quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. » Modo petitis, dicentes : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis : » petitis, inquam, sed non in nomine meo. Nec enim cognovistis me adhuc, cum tanto tempore vobiscum sim. Non, inquam, cognovistis, quia ego in Patre, et Pater in me est, et quia nemo venit ad Patrem, nisi per me, neque accipit quidquam a Patre, nisi per me, et idcirco usque modo

A non petistis quidquam in nomine meo. Tunc sancto Spiritu edocti veritatis petetis, dicentes : Domine, ostende nobis Patrem in teipso et teipsum in Patre tuo, et quodcunque sic petieritis, quodcunque postulaveritis in confessione nominis mei, scilicet filii Dei et Salvatoris vestri (hoc enim nomen meum est, et in hoc nomine petitis, quoties ea quæ salutis sunt, petitis) « hoc faciam, ut Pater glorificetur in Filio, ut ostendatur vobis Pater in meipso. Tunc etenim vos, qui modo dicitis : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, » Filium cognoscetis, et cognoscendo Filium, Patrem quoque cognoscetis. Ita ergo glorificabitur, ita vobis gloriosus ostendetur Pater in Filio, et videbitis eum, nunc quidem dum adhuc in mundo estis, per
B speculum et in ænigmate, et cognoscetis ex parte, postea vero cognoscetis sicut et cogniti estis, et facie ad faciem desideratum in Filio Patrem videbitis (*I Cor.* xiii). Hoc, inquam, faciam si petieritis Patrem in nomine meo. « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. » Non vos, neque illorum quemquam, qui per vos credituri sunt, hic error involvat, ut putet sic omnem orationem dirigendam esse ad Patrem, per me Christum Filium ejus, ut ad personam Filii nullam debere dirigi suspicetur. Nam et « quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. »

« Et si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. » Hæc de consubstantialitate Patris et Filii dixit ipse Filius Dei, ad corrigendum sensum illum, quo dixerat Philippus : « Domine, ostende nobis Pa-
C trem, et sufficit nobis. » Nunc ad incœptum revertitur, et sermonem de dilectione, quem interruperant Petrus, Thomas et Philippus, ille dicendo : « Domine, quo vadis ; » hic autem : « Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire. » Iste vero : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. » Sermonem, inquam, de dilectione sic inchoatum : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem, hoc modo ; » prosequitur : « Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. » Quoniam, inquit, ego, ut supra dixi, dilexi vos, et pro magna vestri dilectione vado parare vobis locum, imo vosipsos
D parare, et dignos facere mansionibus illis quæ in domo Patris multæ sunt, si vos non ingrati æqua vicissitudine diligitis me, mandata mea servate, » illa videlicet, quæ jam dare vobis cœperam, dicens : « Mandatum novum do **298** vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Mandatum quippe dilectionis, et unum mandatum, et multa mandata sunt. « Non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonimm dices, » et cætera mandata in hoc uno instaurantur : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Rom.* xiii). » Hæc ergo mandata mea servate, et sic invicem diligite, « sicut dilexi vos. » Ecce ego ipse qui vobis hoc dilectionis

mandatum do, prior ipse faciens quod jubeo, vosque in finem, id est, usque ad mortem diligens, ecce in ara crucis rogabo Patrem meum, ecce in die passionis meæ, « preces supplicationesque ad eum qui me salvum facere possit a morte, cum clamore valido ac multis lacrymis offeram, et exaudiendus sum pro mea reverentia (*Hebr.* v). » Ita rogando Patrem, sicut ait Philippus, « ostendam vobis. » Patrem, inquam, in meipso et meipsum in Patre meo ostendam vobis. Cujus ostensionis principium hoc erit, quia Pater et alium Paracletum dabit vobis, scilicet Spiritum veritatis. » Erratis enim nescientes Scripturas, dum optatis quod vobis non expedit, videlicet ut non vadam; et tamen dicitis: Ostende nobis Patrem, ignorantes parietem (*Ephes.* II) inimicitiarum stare inter Deum et homines, non aliter solvendum, nisi ego vadam, nisi ego per passionem mortis transeam ex hoc mundo ad Patrem. Me ergo rogante, et meipsum in cruce sacrificium offerente, fiet ut Patrem ostendam vobis, et ille me assumpto, vobisque per absentiam corporis ablato, alium Paracletum det vobis, Spiritum veritatis. *Paracletus* Græce, Latine *consolator* dicitur. Idcirco autem hic Spiritus veritatis recte Paracletus vel consolator dicitur, quia videlicet filios sponsi de morte, vel absentia Patris, consolatur vero Scripturarum sensu, dicendo quod oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum (*Luc.* XXIX) Quo nomine nusquam ante hac appellatus invenitur, quia videlicet, quamvis veteribus sanctis et ipsis ante passionem Christi apostolis datus fuerit, non sic ulli datus erat, ut deberet appellari Paracletus, nec enim in remissionem peccatorum fuerat datus, antequam glorificaretur Jesus. In eo quippe tota est consolatio Paracleti, quia luctum antiquum per sacrum passionis Christi abstergit, dum de Deo Patre per mortem Filii sui propitio facto, nova regeneratione de filiis iræ, filios reddit gratiæ; de servis peccati, filios justitiæ; de filiis mortis et perditionis, filios vitæ et acquisitionis. Extunc dicimus: « In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati, et extunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione (*Psal.* CXXV). » Principium igitur nobis Patrem ostendendi paraclesis est Spiritus sancti in remissionem peccatorum dati, ex quo summus Pontifex noster, qui hæc loquitur, per suum sanguinem ad rogandum Patrem in Sancta sanctorum introiens, æternam redemptionem invenit (*Hebr.* IX). Quam ejus rogatu, longe ante Propheta spirituali oculo intuens, affectuosa imprecatione sic ait: « Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. Mittat tibi auxilium de sancto et de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet (*Psal.* XIX). » Impleat Dominus omnes petitiones tuas, et cætera usque ad finem psalmi. Igitur pupillis suis coram positis, sponsus iste continuo auferendus, tutorem magnum providens; et ego, inquit, rogabo Patrem meum; et ille me, ut Isaias dixit, pro transgressoribus exorantem (*Isa.* LIII), ut non pereant, exaudiens, « alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, ut perducat vos ad videndum Patrem facie ad faciem, ut ostendat vobis in Filio Patrem, et Filium in Patre manentem, et ipse in vobis manens, commanere faciant intra vos gloriosam et æternam Patris et Filii, suamque inseparabilem et unam majestatem. Sequitur, et dicit de eodem Paracleto veritatis spiritu.

« Quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. » Mundum hic appellat amatores mundi. Quare autem paracletum hunc spiritum veritatis non possunt accipere immundi amatores mundi? Videlicet, quia consolationem suam habent, quia non lugent, quia de peccatis suis, quorum hic Paracletus remissor est, non dolent. Paraclesis namque, id est, consolatio gaudentibus importuna et supervacua. Igitur est amatoribus mundi hujus, « qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II), » non datur Paracletus hic, sed eis qui lugentes dicunt: « Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea (*Psal.* CXIX). » Item: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus (*Psal.* XLI), » et his similia. Itaque Paracletum hunc « mundus non potest accipere. » Quare? « quia non vidit eum nec scit eum. » Quod non vidit, infidelitatis est, quod nescit eum, superbiæ est. Infidelitatis namque est, non respicere vel non curare, nisi præsentia quæ videntur, et in illis intentum vel contentum esse, ut non cogitet æterna quæ non videntur. Item superbiæ est, non scire, id est, non approbare talem Paracletum, imo et vitam eorum, qui consolationes ejus exquirunt, æstimare insaniam, et finem illorum sine honore (*Sap.* V). Vos autem, inquit, qui mundo gaudente, inde ploratis et fletis unde gaudet ille, « vos, inquam, cognoscetis eum. » Et unde cognoscetis eum? quia » apud vos manebit, et in vobis erit. » Duobus modis appropinquabit, quia paraclesin suam, scilicet remissionem peccatorum visibilibus operando sacramentis, apud vos manebit, id est, nunquam ecclesiastico conventui deerit, et privatam vel propriam infundendo gratiam, in vobis erit, et si non semper manebit, quia videlicet præter eum de quo dictum est: « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum (*Joan.* I), » præter eum, inquam, in nullo semper manet, sed nonnunquam de sua quamlibet sancta mansione se subtrahit, iterumque oratione vel Dei laude invitatus reddit. Quod cum ex multis liquido constet sacræ Scriptura

locis, manifestius in Elizæo propheta gestum sacra narrat historia. Qui cum consuleretur a rege Israel, dicente: « Quare congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manu Moab; adducite mihi, inquit, psaltem, cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini (*IV Reg.* III), etc. Igitur apud vos manebit, inquit, quia sacramentorum virtute vel effectu nunquam deerit, in vobis autem gratiæ quidem semper erit, non tamen ejusdem gratia semper actu manebit. Sequitur:

« Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. » O admirabilis testatio, ubi eadem morte Patris, qua se putant orphanos fieri, nascuntur, et hæreditatem capiunt filii, et eodem Patre resurgente a mortuis, simul cum eo tutor Paracletus venit, testificatus de illo, quia vivit, totamque illis in omni prætorio vel concilio defensurus hæreditatem paternæ resurrectionis: Quia de acquirendo, inquit, alio consolator audistis, idcirco vos orphanos fore arbitrantes contristamini: **299** Non ita erit: « Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. » Potius si non abirem, vos orphani essetis, illa videlicet orphanitate quam deplorans Propheta dicit: « Recordare, Domine, et vide quid acciderit nobis, intuere, et respice opprobrium nostrum: Pupilli facti sumus absque patre, et matres nostræ quasi viduæ. Patres nostri peccaverunt et non sunt, nos autem iniquitates eorum portavimus (*Thren.* v). » Quid enim acciderit vobis, unde sitis orphani, nisi quia patres vestri peccaverunt, et non sunt, vos autem iniquitates eorum portastis; quid est aliud opprobrium vestrum, nisi humani generis originale peccatum? Nempe propter illud pupilli facti estis absque Deo Patre, et hæreditas vestra versa est ad alienos, domus vestra ad extraneos, quia qui debueratis filii gratiæ Dei et coloni esse paradisi, nunc filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II), ad alienam hæreditatem mortis et extraneam domum tenebrarum deturbati estis. Igitur nunc usque orphani a Deo pro culpa veteris Adam, renasci turi jam estis eidem Deo per me novum Adam. « Non enim relinquam vos orphanos, » sed vadam, et iterum vos per mortem meam parturiam Deo, et hoc facto resurgens iterum « veniam ad vos. » Quando fiet hoc? Ait:

« Adhuc modicum, et mundus me jam non videt; vos autem videtis me. Quia ego vivo, et vos vivetis. » Modicum, inquit, superest. Quanto enim est hinc usque ad horam sequentis diei nonam, tantillum videt me mundus iste in maligno positus, et ab horà nona jam me non videt, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi die illa qua judicabitur. (*Zach.* XII). Tunc enim isti impii amatores mundi videbunt; videbunt, inquam, in quem transfixerunt. Vos autem, qui de hoc mundo non estis, quos ego de hoc mundo elegi, item post hoc modicum videbitis me, quia ego vivo, et vivens nobis appareo; vivo, inquam, et vos in æternum vivetis, propter hoc ipsum quod vivo, mortuus pro vobis. Prius tamen vestigia mortis meæ sequemini. Et proinde non dixi, quia eodem tempore quo « ego vivo, et vos vivetis; » sed ego nunc quidem, id est, præsenti tempore vivo, quia cito resurgo. Vos autem omnes in novissimo die resurgetis, mecumque in sempiternum vivetis.

« In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo et vos in me, et ego in vobis. » Illo, inquit, die, in nomine magnæ solemnitatis, die magni et veri luminis, cujus intuitu Psalmista cantandum post captivitatem in ædificatione domus, canticum præcinuit dicens: « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra (*Psal.* XCV). » Illo, inquam, die « vos cognoscetis quia ego in Patre meo, et Pater in me est, » quod non modo cognoscentes dicitis: « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis; et annuntiabitis de die in diem, id est: de Patre in Filium, vel de Filio euntes in Patrem, prædicabitis hoc salutare Dei, scilicet quomodo ego Patrem rogaverim, « et alium Paracletum dederit vobis. » Ita juxta propheticum prædicti psalmi titulum, ædificabitis domum post captivitatem, id est, Ecclesiam novam de gentibus, post peccati et mortis destructionem. Et jam tunc quidem, dum ego vivo, primus vel princeps in gloria resurrectionis fulgeo, « vos cognoscetis, quia ego in Patre, et Pater in me est: » amplius autem dum vos vivetis, cum vos quoque resurrexeritis, hoc ipsum cognoscetis, quia non jam ex parte, non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videbitis (*I Cor.* III). Sequitur:

« Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. » Ostenso quem usque in finem suos diligat, ipse quomodo prior mox facturus sit quod præcipit ipse, non diligendo verbo neque lingua, sed opere et veritate (*I Joan.* III); deinceps quo fine et ea nobis dilectio sit observanda, latius incipit exponere. « Qui habet, inquit, mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. » Ac si dicat: Idcirco supra dixi, si diligitis me, mandata mea servate, quia videlicet dignitas dilectionis non in vocis superficie, sed in veritate consistit, et in opere. Igitur « qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. » Alioquin si habeat et non servet, hoc signo cognoscat seipsum, quia non est de sorte diligentium me, sed de gente ista peccatrice, de hypocritis istis (*Matth.* XV), de quibus bene prophetavit Isaias dicens: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX). » — « Hic, inquam, comparabitur viro, consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit (*Jacob.* I). » Qui autem habet, et servat ea, hujus anima comparabitur filio regis, cujus omnis gloria ab intus, quanquam et foris eadem gloria nonnihil refulgeat in fimbriis aureis (*Psal.* XLIV), quapropter et concupiscit rex speciem ejus. Unde et sequitur:

« Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » O quam beata dilectio, quæ non ut servilis timor dubiam liberotionem, sed certam gratiam, jamque

præsentium ex parte habet remunerationem. Servum quippe timor pœnæ subegit, atque ad audienda Domini præcepta plagarum comminatione compellit, et ideo nondum meretur diligi, nondum admitti consiliis, vel secreta Domini sui nosse dignus exstitit.

Amicum autem dilectio sic dilatavit, ut cum præceptum acceptaverit, placitum quoque non recuset consilii ; ut verbi gratia, non sit contentus cavisse adulterium, sed etiam valeat meliori amore occupatus licitum contemnere conjugium. « Hic, ut ait propheta, in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt, regem in decore suo videbunt oculi ejus (*Isa.* XXXIII). » Ait ergo : Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » Qui, inquit, diligit me, propter hoc ipsum quia diligit et cuncta etiam licita dilectioni meæ postponit, diligetur familiarius a Patre meo qui communiter omnes prior dilexit, sicut jam alio loco dixi, « quia sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret (*Joan.* III) ; » diligetur, inquam, familiarius, et panis Scripturarum, panis utique vitæ et intellectus dabitur illi ad manducandum, et aquæ fideles sapientiæ salutaris ad bibendum, sicque cibatus atque potatus, dum spatiatur per amplum contemplationis campum, regem in decore suo videbit interioribus oculis suis, quem ut paulo ante dixi, vos non cognovistis, cum tanto tempore vobiscum sim. Videbunt, inquam, oculi ejus, imo nunc videre incipient regem in decore suo. Nam in futura vita perficietur hæc beata visio.

« Dicit ei Judas, non ille Iscariotis : Domine, quid factum est, quia manifestaturus es teipsum nobis, et non mundo ? » Judas iste, cognominis ejus qui fuit proditor, quis sit, jam alio loco dictum est, videlicet frater Jacobi minoris, qui et Thaddæus dicitur. « Domine, inquit, quid factum, » subauditur, si tu nondum nobis manifestatus es ? Si enim teipsum nobis et non mundo manifestaturus es, ergo nec nobis adhuc manifestatus es. Nam te quomodo nos vidimus, sic vidit et mundus ; vidit, inquam, te, vidit opera tua mirifica mundus, quæ et nos vidimus. Quid ergo factum est, si non in omnibus his manifestatio tui facta est ? **300** « Respondit ei Jesus : Si quis diligit me, sermonem meum servabit ; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. » Responsionem hanc ad percontationem prædicti discipuli dicentis : « Domine, quid factum est quia manifestaturus es teipsum nobis et non mundo, » reddere se tandem innuens : « Hæc, inquit, locutus sum vobis apud vos manens. » Ac si diceret : Apud vos manens præsentia corporali, non meipsum vobis adhuc manifestavi, sed tantum annuntiavi, et locutus sum, et sermonem feci, quem si quis servaverit, hoc magnum recipiet præmium quod ego manife-

A stabo ei meipsum. Hoc est quod ait : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Quibus dictis et idem confirmat quod jam dixerat : « Qui autem diligit me, dilligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum, » simulque et ejusdem manifestationis melius exprimit modum. Quis enim modus erit ejus manifestationis ? « Et ad eum, inquit, veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Non ergo putandum est hoc esse manifestari Dei Filium diligentibus eum, quod veniet cum nubibus, ut videat eum omnis oculus, quanquam et hoc sine dubio futurum sit, quo videlicet modo eum videbunt, et qui eum pupugerunt. Et quidem adventus ille sicut

B fulgur parens ab oriente usque in occidentem, sic omnibus conspicuus exspectantium justorum erit lætitia (*Apoc.* I) ; quia « cum apparuerit, inquit Apostolus, Christus vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria (*Coloss.* III). » Sed expressa est magnificentius hæc manifestatio, de qua nunc agitur : « Quia veniemus, inquit, ad eum, et mansionem apud eum faciemus. » Igitur intus diligentibus Dei Filium ; intus, inquam, in interioribus animæ, dilectus ipse Filium cum Patre manifestatur. Et hoc profecto magnum dilectionis est præmium quod Pater et Filius per Spiritum sanctum Deus unus, dilectæ animæ intrinsecus mira et ineffabilis charitatis voluptate copulatur ; sed quomodo, inquis, dictum est hic : et mansionem apud eum faciemus, cum alibi proprium hoc fuerit signum quo Sanctus

C sanctorum foret agnoscendus, scilicet mansio sancti Spiritus, qui alterius naturæ non est quam Pater et Filius, quibus de personis hic enuntiatur : et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Ergo quandiu in hoc mortali corpore vivitur, manet quidem in animabus sanctis per manifestationem Filii Pater et Filius nihilominus et sanctus, sicut superius jam dictum est, utriusque Spiritus. Per infusionem autem propriæ substantiæ, ut mansionem æterna maneat, hoc in remuneratione venturi sæculi adimplendum feliciter exspectatur. Nam nunc quidem « dilectus mittit manum suam per foramen, et venter humanæ infirmitatis intremiscit ad tactum illius (*Cant.* V), » vel « tanquam sibilus auræ tenuis (*III Reg.* XIX), » raptim figens osculum, fugit idem

B dilectus, in illa autem beata vita, amicus amicæ plena et permanente voluptate copulabitur. « Et gaudebit, inquit propheta, sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus (*Isa.* LXII). » Talis mansio Patris et Filii et Spiritus sancti præsertim dilectionis ædificatione præparatur. Ait ergo : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Ecce evangelica voce Dominus demonstrat cur Psalmista dixerit : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII). » Quid enim latius hoc mandato dilectionis, quo sic mens humana dilatatur, ut intra

substantiæ suæ palatium, majestatem capere possit Patris, et Filii, et Spiritus sancti? Sapiat hoc, et suavi gustu videat, is qui in terris vitam cœlicam ducens, et bene eruditus magisterio divini amoris, agere novit in templo cordis sui solemnitatem deliciosæ contemplationis. Nam qui laborant et onerati sunt quandiu sua ferunt onera, refectionem hujus dulcedinis sapere nequeunt. Sequitur: « Qui non diligit me, sermones meos non servat; et qui sermones meos non servat, non diligit me. » Non ergo credat aliquis quidquid sibi animus de dilectione Dei sine operis attestatione responderit. Operatur etenim magna, si est; si vero operari renuerit, amor non est. Ne vero leve quis putet quod ait Dominus: « Qui non diligit me, sermones meos non servat. » Ne, inquam, parva cuiquam videatur indignitas, non servare sermones ab eo dictos, ecce iterum dicit: « Et sermonem quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me, Patris. » Nam et hoc paulo ante dixit: « Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. » Certe qui sermonem suum loquitur, mendacium loquitur, et auctoritate legis jam sæpe dicta contemnendus est, quia mendax est. Sermo autem quem audistis impletur, et ab effectibus suis verax esse comprobatur. « Ergo meus, inquit, non est, ergo a meipso de proprio corde confictus non est, sed est ejus qui misit me Patris. » Testantibus operibus, quæ vidistis, quæ visuri, quæque in nomine meo facturi estis. Proinde qui sermones meos non servat, non leve hoc esse putet: spernendo quippe sermonem quem audistis, spernit eum cujus sermo est, scilicet Patrem qui misit me. « Hæc locutus sum vobis apud vos manens. » Quærebatis, inquit, Domine, quid factum est, quia manifestaturus es teipsum nobis, et non mundo: Ecce dico vobis quid factum sit: Manens apud vos mysterio regni Dei in parabolis et proverbiis locutus sum vobis (*Marc.* IV), » et quasi parvulis sensu, lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestatis (*I Cor.* III; *Hebr.* V). » Hoc hactenus factum est.

« Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. » Igitur hactenus dicendo vox exterius, utpote homo visibilis, ego plantationem novam plantavi atque rigavi; Spiritus autem sanctus qui Paracletus, id est, consolator dicitur et est, pro causa quam superius dixi, ille incrementum dabit, docendo vos omnia et suggerendo intrinsecus omnia quæcunque dixero vobis. Omnia, inquam, docebit vos quæcunque hactenus dixi, et omnia quæcunque dixero vobis, suggeret vobis, et scribet in tabulis carnalibus cordis vestri (*II Cor.* III). Ego enim qui hactenus locutus sum vobis visibilis homo voce elementari; ego, inquam, idem ipse, deinceps loquar vobis interna locutione jam dicti Spiritus sancti. Sic enim veniet, et sic mittetur in nomine meo, ut Paracletus sit, id est exspectatam ab omnibus sanctis consolationem A Israel afferat vobis et illis, inquam, qui me loquentem audistis et credidistis; et eis qui per verbum vestrum credituri sunt in me. Extunc incipiet illa manifestatio quam promisi dicens: « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, » quam nescientes dicitis: « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, » itemque, « Domine quid factum est, » quia manifestaturus es teipsum nobis et non mundo. « Hoc iterim deposcit necessarius ordo vestræ salutis, ut per **301** mortem meam Deo reconciliamini. Dico ergo:

« Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. » Pax amicitiæ fructus est, sicut econtrario bellum inimicitiarum opus est. Quæ videlicet pax, B tanto gratior et desiderabilior venit, quanto graviori dispendio ejus, quod minor et infirmior est, inimicitiæ geruntur. Verbi gratia, ubi victor victos omnes morti addiceret, dulcius nomen vel pacis opus est, quam ubi victor victis reservatis solummodo tributa, quanquam difficilia, indiceret. Erant autem inter Deum et homines inimicitiæ nimis graves, nec dubium erat, quin in prælio judicii Deus omnino superior foret. Nam et si qui erant homines fideles et justi, videlicet quales fuerunt Abraham, Isaac, et Jacob, et quique similes illis, tanta erat illorum justitia comparatione debiti, quanta est fortitudo regis occurrentis cum decem millibus ei qui cum viginti millibus adversum se venit (*Luc.* XIV). Ergo quanto majori malo generis humani prædictæ inimicitiæ gerebantur, tanto magis necessaria pax C hominibus erat. Sed quam nos legationem misissemus ea quæ pacis sunt rogaturi, nisi ultro se obtulisset pax nostra Christus Filius Dei, qui pro eo quod solus erat innocens, solus et poterat rationes perorare nostræ pacis? « Ipse est enim, inquit Apostolus, pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum suorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum, in unum novum hominem, faciens pacem ut reconciliet ambos in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem his qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem (*Ephes.* II). » Igitur interrogatus D Dominus a discipulo dicente: « Domine, quid factum est, quia manifestaturus es teipsum nobis et non mundo, » cum dixisset, « hæc locutus sum vobis apud vos manens, Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis, » adhuc altius eorum quæ facta sunt, summam exprimens: « Pacem, inquit, relinquo vobis, pacem meam do vobis. » Ac si diceret: Hoc factum est quod dico, per me, in quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, reconciliantur et pacificantur omnia, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Pacis autem nomen æquivocum est. Proinde

quod dixerat, « pacem relinquo vobis, « repetens signanter, « pacem, inquit, meam do vobis. » Et adjecit : « Non quomodo mundus dat, ego do vobis. » Pax etenim, quam mundus dat, paci quam dat Christus, contraria est. Quid namque mundus agit in largitione suæ pacis ? « Venite, inquit, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter, vino et unguento nos impleamus et non prætereat nos flos temporis (*Sap.* II), » etc. Ejusmodi pacem : « Nolite, inquit Christus, putare quod venerim pacem mittere in terram ; non veni pacem mittere in terram, sed gladium (*Matth.* x).» Quid autem de pace quam dat Christus Scriptura dicit ? Quam speciosi super montes pedes evangelizantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion : « Regnavit Deus tuus (*Psal.* CXLV). » In eo quippe pax Christi est, quam ipse dat nobis, quod principe mundi hujus foras ejecto (*Joan* XII), o Sion, regnavit ipse Deus tuus, regnumque peccati et mortis destructum est (I *Cor.* XV ; *Hebr.* II), et « cessavit exactor, quievit tributum, contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter (*Isa.* XIV.) » Veram ergo, dum vado, inquit, pacem relinquo vobis, pacem veram meam ; meam, inquam, id est, per me acquisitam, dum redeo, dum a mortuis resurgo, do vobis, dicendo : « Pax vobis. » Accipite Spiritum sanctum : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » Non turbetur cor vestrum neque formidet; audistis quia ego dixi, vado et venio ad vos. » Igitur, inquit, sicut supra dixi, non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, et in me credite; ita et nunc repetens dico : « non turbetur cor vestrum neque formidet, » videlicet data ratione digna, cur nequaquam cor vestrum turbari aut formidare debeat. Audistis enim, nam ego dixi vobis, « vado et venio ad vos. » Vado, inquam, parare vobis locum, et si abiero et præparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Sed et hoc « audistis, quia dixi vobis, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; » ergo et si necessario præ infirmitate caro vestra dum ego vado turbatur, saltem non turbetur cor vestrum, neque formidet, a spe sua se esse deceptum quasi frustra crediderit me esse Christum Dei Filium, sed in ipsa trepidatione qua disparet exterior pulchritudo confessionis, vivat intrinsecus radix fidelitatis.

« Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me est. » Diligitis quidem me nunc interim tanquam proximum, sed nondum tanquam Deum : « Si enim sic diligeretis me, si cognovissetis me, si crederetis, quia ego in Patre, et Pater in me est, gauderetis utique, quia ad Patrem vado. » Quanta enim in hoc diligentibus me gaudendi causa est ? Magna plane et ineffabilis. Nam quandiu mortalis homo sum, Pater major me est. « Minuisti enim eum, inquit Psalmista, paulo minus ab angelis. » Sequitur autem : « Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII). » Item in alio psalmo : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.» Ac deinceps : De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput (*Psal.* CIX). » Hoc, propter idipsum, quia vado, mox futurum est. Videbitis enim me Dominum et Salvatorem vestrum propter passionem mortis gloria et honore coronatum. Igitur si dilexeritis me, videlicet credendo et cognoscendo, quia « ego in Patre et Pater in me est, » (sine qua cognitione, non potestis digne diligere me) gauderetis utique transire me ab exsilio mundi, et æternaliter sessurum ad dexteram Patris, intrare in gloriam regni mei, quia videlicet hactenus, ex quo carnem indui, « Pater major me est, » et ego secundum mortalitatem ejusdem carnis non solum Patre, sed etiam immortalibus paulo minor sum angelis (*Hebr.* II).

« Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis. » Valet namque ad testimonium præsentium, memoria præteritorum. Idcirco nunc dixi vobis priusquam fiat ; dixi, inquam, quia vado et iterum venio, ut cum factum fuerit, cum ego abiero et iterum venero, vos præteritis dictis simul et præsentibus factis confirmati, credatis, scilicet « quia ego in Patre, et Pater in me est ; » qui hæc et antequam facerem prædixi, et postquam prædixi, facere potuit. « Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. » Notandum in primis quod non dixerit, jam non multa loquar vobis, sed non multum loquar vobiscum, inquit. Vobiscum enim cum dixit subaudiendum est, manens præsentia corporali. Multa quippe et illis tunc locutus est, et nobis nunc loquitur, sed neque cum illis **302** manens multa locutus est, neque nobiscum corporaliter manens nunc loquitur, videlicet præsentia locali, vel conversatione visibili. Unde et post aliqua dicturus est : « Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos quos dedisti mihi (*Joan.* XVII). » Igitur « jam non multa, inquit, loquar vobiscum, » subauditur, corporaliter manens. Quam ob causam ? Venit enim princeps mundi hujus. Princeps mundi hujus, mundi scilicet damnati, qui nunc me odit et mihi adversatur, videlicet diabolus, nunc venit ; qui inde princeps mundi dicitur, quia mundi amatoribus principatur. Quomodo venit hic princeps malignus, princeps vel præpositus mortis, et peccator antiquus, nisi quia contentione mortis mecum congreditur ? Sic, inquam, venit, et in me non habet quidquam. Non idcirco venit, non propter hoc venire permittitur, quod ego rapuerim vel juste exsolvere debeam quod ille est exacturus.

« Sed ut cognoscat mundus quia ego diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. » Idcirco illum admitto mortis feneratorem, ut cognoscat mundus quia ego diligo Patrem, et obediens illi per omnia pro omni mundo, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Igitur quod venit ille

princeps mundi hujus,stultæ temeritatis et temerariæ stultitiæ est; quod autem incursus ejus sustinens morior,voluntarium obedientiæ pro omni mundo sacrificium est. « Tenuisti, inquit Psalmista, manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me (*Psal.* LXXII). » Salvare enim brachium meum dexterum, id est,divina potentia mea, et indignatio mea mihi auxiliari poterat, ut non morerer, quæ mihi auxiliatur ut resurgam; sed mandatum Patris, vera et immensa charitas Patris, quam habet circa salutem generis humani, tenet manum dexteram meam, ut non me defendam mortemve transiliam, et in voluntate sua deducet me, dicentem : « Pater, non mea voluntas, sed tua fiat (*Matth.* XXVI); » quia non quod infirma caro appetit,sed agendum mihi censeo quod exigit consilium Divinitatis. Itaque veniat, qui nunc venit, princeps mundi hujus, ut cum in me nihil invenerit victus in certamine per unum hominem jure foras ejiciatur,sicut econtra per unum hominem quem vicit,principatum mundi hujus jure sibi obtinuisse videbatur. Hoc facto cognoscet mundus suæ salutis experimento, quia ego diligo Patrem, et mandato ipsius subeo mortem, qui per nullam culpam acquisivi mihi ex Adam mortis hæreditatem. « Surgite, eamus hinc. » Quoniam, inquit, ecce appropinquabit qui me tradet,et turba cum eo, cum laternis et facibus et armis, ne in angusto intra parietes cœnaculi hujus nos comprehendant, vobisque non sit libera effugiendi facultas. Nolo enim quemquam ex vobis perdere, sed volo ut sinant vos abire. « Surgite, eamus hinc, » ne vel iste, cujus diversorio fruiti sumus, apud quem Pascha fecimus, ullam propter nos inquietudinem patiatur.

[CAP. XV.] « Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum,tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum,ut fructum plus afferat.» Ecce per similitudinem notæ et visibilis rei,suæ passionis demonstrat utilitatem, ut jam ex hoc mundus cognoscere incipiat cur mandatum dederit illi Pater, cur ad eum principem mundi hujus venire permittat, in quo princeps ille non habeat quidquam,id est, cum illum ad crucifigendum, vel occidendum tradat Pater, qui nullam habeat mortalitatis causam. « Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. » Nonne, inquit, vitis, cum sit nigrum et hispidum aridique corticis lignum,ut palmites suos latius extendat, et suavem in tempore suo botrum proferat, vino cor hominis lætificatura (*Psal.* CIII); nonne, inquam, propter hoc agricolæ studio plantatur in terra,prius hiemis horrorem imbriumque passura molestias? Et ego utique vitis vera sum; vera,inquam,vitis, scilicet ad distinctionem vitis alienæ,id est gentis hujus Sodomiticæ, de qua Moyses in cantico suo : « De vinea, inquit, Sodomorum, vinea eorum,et de suburbanis Gomorrhæ. Uva eorum, uva fellis, et botrus amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). » Igitur me vitem adeo veram,ut is qui venit princeps mundi hujus, sicut paulo ante dixi,non habeat in me quidquam. Idcirco Pater meus agricola cœlestis, in hoc mundo plantare, et sarculo passionis colere dignum duxit, ut palmites meos quorum primi vos estis, latius extendam, et post horridam, quæ nunc instat tribulationis et mortis hiemem, suavem botrum, id est, gratiam resurrectionis proferam,quo per fidem prægustato, sponsa dicat in Canticis : « Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi (*Cant.* I). » Quomodo autem nonnunquam vitis eodem ex stipite tam steriles quam et fructuosos palmites emittit, sed interim agricola sterilem amputat, omnemque fructiferum purgat,sic eadem ex fide vel confessione nominis mei,tam reprobis compluribus quam electis pullulantibus Pater meus, hujus vitis agricola, facturus est. Nam « omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum,purgabit, ut fructum plus afferat. » Ecce Judam filium perditionis palmitem inutilem, imo et damnosum vermem radici hujus vitis imminentem, videtis qualiter amputavit,traditum Satanæ, ut continuo deportetur in ignem gehennæ (*Joan.* XVIII). Vos palmites residuos, qui hactenus fructum fertis aliquantulum, evangelizantes et curantes ubique (*Luc.* IX), verumtamen in una tantum Judæorum gente; vos,inquam, qui fructum plus afferatis, ecce purgat agricola participatione passionis et mortis meæ, ut compluti sanguine meo suavem excipiatis Austrum,id est,Spiritum sanctum, quem dat vobis in remissionem peccatorum.Hoc est quod sequitur :

« Jam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis. » Sermo quippe, quem nunc erat locutus,sermo passionis et resurrectionis ejus est,videlicet dum diceret : « Vado parare vobis locum,et si abiero et paravero vobis locum,iterum venio,et accipiam vos ad meipsum,ut ubi ego sum,et vos sitis,» etc. Itemque nunc novissime dixerat : « Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis; quia videlicet pax vel reconciliatio,qua Deo sumus reconciliati, peccatorum remissio est. Hic autem sermo admistus fidei mundat vos æque,ut illos ab omnibus peccatis,quia profecto sermonis fides præcedens effectiva causa est,ut sanguis Filii lavet nos a peccatis nostris. Unde Psalmista et ipse lavandus in sanguine Christi : « Asperges me,inquit, hyssopo et mundabor,lavabis me,et super nivem dealbabor (*Psal.* L).» Per hyssopum quippe,quo palmitibus tumor deponitur, fides intelligitur sermonis hujus,qua corda purificantur,quo cum primo asperseris me,inquit,tunc demum lavabis me, et super nivem dealbabor. Igitur « propter sermonem,inquit,quem locutus sum vobis,jam vos mundi estis,» quia videlicet propter sermonem mortis quem prænuntiavi vobis,qua transeo ex hoc mundo ad Patrem, et jam in mundo non sum, jam vos mundi estis.« Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso,nisi manserit in vite,sic nec vos,nisi in me manseritis.» O quam terribilem cunctis præsumptoribus humanæ potestatis inopiam,quam veram corporis Ecclesiæ caput

ejus, Christus Dominus, commendat et defendit unitatem **303** « Manete, inquit, in me, et ego in vobis. » Quid enim? Videntur sibi nimii assertores liberi arbitrii, non indigere auxiliantis et miserantis gratiæ Dei, tanquam volentes et currentes, sua velocitate vitæ sempiternæ fructum comprehendere possint. Sed dicit : « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. » Ergo præsumptores, et superbi palmites mali, horrida manu agricolæ jure tollendi estis ; nisi omnem pulchritudinem omnemque fructuum venustatem non ex vobis, sed ex vitis intima radice procedere confessi fueritis. Itemque et vos, o schismatici, ab Ecclesiæ corpore vos præcidentes, et propriis adinventionum vestrarum surculis præcisi, nolite putare quod vitalem fructum ferre possitis. Quis enim vitis et palmitum ejus nesciat unitatem? Quandiu palmites in vite manent, tandiu ascendentem per venas intimas genuinum radicis ejus humorem bibunt, et vivunt, florentque, et flores fructum parturiunt. At vero, si de vite palmes excisus fuerit, jam boni succi ejus particeps esse non potest, ideoque speciem quidem palmitis habet, sed nec vivit, nec usum habet alium, nisi ut in ignem mittatur et ardeat. Hæc ergo ipsius Domini et discipulorum ejus idonea similitudo data est. Quandiu enim per unitatem fidei magistro concordant veritatis, mandatis dilectionis servantes, idipsum sentiendo omnes in Christo manent, et singuli de spiritu ejus viventes, internæ veritatis gratiam habent (*I Cor.* XIII ; *Matth.* X), vivitque in salutem communicantium illis, quodcunque celebrant sacramentum Ecclesia Christi. Christus namque in eis loquitur, et quidquid ab eis fit, a Deo factum, et spiritu ejus confirmatum esse recte creditur. At vero ubi dissentientes, seque per hæreses et schismata ab unitate fidei dividentes a Christo præcidunt, mortuum est eorum omne verbum, et sacramentum, et quidquid agere videntur infectum, quidquid sacrificare putant, pollutum est. De qualibus Apostolus dicit : « Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autum ejus abnegantes (*II Tim.* III). » Verbi gratia, baptismum aquæ visibiliter conferre possunt, sed eum in quo tota consistit, virtus baptismi, Spiritum sanctum conferre nequeunt. Eis tamen, qui ab illis baptizantur, si revertantur ad Ecclesiam catholicam, non repetitur lavacrum carnis, si tantum baptizati sint in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quod multi hæretici, et hæresiarchæ fecerunt, et alio nihilominus erroris ferramento præcisi sunt. Non, inquam, eis repetitur baptismus aquæ visibilis, sed tantum per catholicæ fidei professionem, perque sanctæ Ecclesiæ reconciliationem, veræ viti, id est Christo, inseruntur, et ita sanctum accipientes dilectionis spiritum virescunt, et fructum salutarem facere possunt. Igitur a vite et manentibus palmitibus sumpta similitudine, sui discipulorumque secum manentium in uno dilectionis spiritu : « Manete, inquit in me, et ego in vobis,» videlicet sicut palmites manent in vite, ut maneat pinguedo vitis in palmitibus. Non enim quia genuinus humor vitis in palmites se diffundit, idcirco palmites in vite manent, sed quia palmites manent in vite, idcirco vitis illos participes efficiat pinguedinis suæ. Ita nimirum, non quia spiritus dilectionis de vera vite Christo in cunctos palmites suos diffunditur, et universam Ecclesiam toto orbe plantatam gratiæ sempiternæ fructuosis onustat charismatibus; non, inquam, idcirco singuli palmites in eadem vite manemus, alioquin nunquam aliquis præcideretur, quia nunquam deest huic viti pinguedo sancti Spiritus, sed quia singuli per unius veræ et catholicæ fidei confessionem in Christo manemus, idcirco spiritus ejus omnes participes sumus, et vivit omne sacramentum, quodcunque nos, imo per nostrum ministerium operatur. Recte ergo non ait, maneam ego in vobis, et vos in me ; sed prius manete, « inquit, in me, » deinde « et ego in vobis, » et, ut plenius notum faciat quam vere necessarium sit nobis manere in illo, ut maneat ipse in nobis ; sicut palmes, inquit, non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manseritis. » Eant igitur, et fructum ferre gestiant plantaria mortis et surculi æternis ignibus deputati, Cerinthus videlicet et Arius, cæterique ficti, quos Spiritus disciplinæ sanctus effugit (*Sap.* I). Nam quidquid apud eos agitur, quodcunque quasi sacrum vel sacramentum celebratur, tam vero verbo vitæ et spiritu veritatis caret, quam vere palmes, nisi manserit in vite, fructum ferre non potest, quam vere manus abscissa a corpore vivere vel operari non valet. Sequitur :

« Ego sum vitis, vos autem palmites. » Idcirco repetivit quod jam ante dixerat : « Ego sum vitis, » ut manifestius exprimeret, quod nondum fecerat, quos vellet intelligi palmites. Nam supra dixit : « Ego sum vitis, Pater meus agricola est, » nunc autem : « Ego sum, inquit, vitis, vos palmites. » Et adjecit : « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. » Propterea dixi, inquit, « manete in me, et ego in vobis, » quia « qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. » Idcirco, inquam, dixi : « Manete in me, quia sine me nihil potestis facere. » Parum est autem, eum palmitem qui non manet in vite, nihil posse facere. Sed quid? « Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes ; et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. » Non solum nihil facit palmes excisus, sed et de illo nihil fit. Verbi gratia, non vasculum aut paxillus, vel cujuslibet artis, aut operis instrumentum, nec omnino quidquam est, propter quod illum sumere libeat artificem lignarium. Unde ad prophetam Ezechielem Dominus dicit : « Fili hominis, quid fiet ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum? Nunquid tolletur de ea lignum ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcunque vas? Ecce igni datum est in escam (*Ezech.* XV). » Huic sententiæ propheticæ

consentit Apostolus, non, ut existimavit Novatus, pœnitentiæ remedium lapsis denegans,sed difficultatem renovationis eorum qui alta sapientes, de hac vite præcisi, et hæresiarchæ facti sunt, terribiliter pranuntians : « Impossibile est enim, inquit, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt etiam nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt,renovari rursus ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes (*Hebr.*VI). » Quam enim hic aliam desperationem pœnitentiæ docet Apostolus,nisi ipsam, de qua ad Titum scribens : « Hæreticum, inquit, hominem post unam et secundam commonitionem devita, sciens quia subversus est,qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus (*Tit.* II). » Igitur de illo, qui se ab unitate veræ vitis, id est Christi, præcidit, hæreticus vel hæresiarches factus,uno ore parilique sensu consonant Christus, propheta et Apostolus.Christus enim : « Si quis in me non manserit, inquit, mittetur foras sicut palmes, et arescet. Et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. » Propheta autem ; « Nunquid, ait, tolletur de ea lignum ut fiat **304** opus, aut fabricabitur de ea paxillus ? Ecce igni datum est in escam. » Denique de illo qui nunquam vitis, id est Christianæ fidei, professus est speciem vel decorem, idem quod de agresti ligno sperari potest, scilicet quod aliquod vas fieri, aut paxillus possit fabricari utilis domui Dei. De illo vero, qui insertus eidem veræ viti bonum radicis ejus succum gustavit, et particeps, sicut jam dictus Apostolus ait, factus est Spiritus sancti gustando bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi ; de illo, inquam, cum præcisus vel prolapsus est, hoc solum restare putandum est, ut colligatur, et in ignem mittatur, et ardeat, quia videlicet, juxta alium Evangelii locum, tale ejus peccatum est, quod non remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII). Hæc de palmite illo, qui præcisus et proprio judicio condemnatus est, dicta sint. Quid econtra de illo vel de illis palmitibus qui in vite manent ? ait :

« Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis.» Paulo ante dixit : « Manete in me, et ego in vobis ;» nunc parva litteræ commutatione : non enim ait, si manseritis in me, et ego in vobis, sed « si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, » ita dicendo aperuit, quomodo in suis manet ipse discipulus. Nam, cum Christus Verbum Dei et caro nostra sit, si verba, id est, fides Verbi incarnati, in nobis manserint, profecto ipse Christus manet in nobis, sicut Apostolus testatur habitare Christum per fidem in cordibus nostris (*Ephes.* I). Ergo quod dixerat : « Manete in me, et ego in vobis, » hoc repetivit, dicendo : « Si manseritis in me,et verba mea in vobis manserint, » ut hujus unitatis, mutuæque in invicem mansionis præmium subnecteret, dicendo : « Quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis. »

Qua promissione quod scrupulum vobis moveat, recogitantibus vel scientibus multa petere fideles Christi,quæ tamen non fiant eis, memoriter tenendum est eum dixisse : « Ego sum vitis, vos palmites,» et idcirco,secundum multitudinem [similitudinem] vitis et palmitum ejus, hoc ut cætera quæ jam dixit esse accipiendum. Quid enim ? Nunquid vitis palmitibus suis aliquid suum denegat vel subtrahit ? Nonne omnem gratiam sui viroris, omnem virtutem suæ radicis in eos transfundit,et per singulos dispartit, totumque ex illis fructum suum dependere facit ? Quæ autem gratia, quæ virtus est in radice vitis hujus, scilicet Christi Filii Dei, nisi omnis pleuitudo septiformis Spiritus saecti ? Ergo, sicut palmites a vite nihil aliud, nisi quod habet vitis in se,exspectare, vel accipere possunt, sic isti palmites rationales a vera vite, quæ Christus est, nihil nisi quod habet ipsa vitis vel petere debent, vel accipere possunt.Igitur « si manseritis,inquit, in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis,et fiet vobis, » id est, non in auro et argento, sed in omni verbo, et in omni scientia divites eritis, et non concupiscentias carnis, sed omne donum Spiritus sancti, quia omne datum perfectum quod desursum est, descendens a Patre luminum (*Jacob.* III), petentes, ex me accipietis, scilicet divini timoris gemmulas,pietatis pampinos, scientiæ flores,fortitudinis botres, maturas consilii uvas, intellectus torcularia, sapientiæ apothecas. Talium quidquid petieritis,quia ad me veram vitem pertinent, quia gratiæ et veritatis divitiæ sunt, fiet vobis, ita ut fructus gratiarum omnium, tanquam botros de magnis palmitibus dependentes, totus meretur orbis.Quidquid his septem sancti Spiritus donis abundantius est, fructuosum non est, et ad vinum salutis non pertinet, sed a natura vitis alienum est, et idcirco manentibus in vite palmitibus cupiendum aut petendum non est, neque illis fieri debet.Unde autem tam prona indulgentia, ut quodcunque volueritis, petatis, o palmites boni, et fiat vobis ? Sequitur : « In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis,et efficiamini mei discipuli. » Inde, inquit, tanta Patris largitas ad faciendum vobis quodcunque petieritis, quia videlicet hoc ad laudem et gloriam nominis ejus proficit, si vos tanquam palmites boni fructum plurimum afferatis.

Et ad hoc ipsum efficiamini mei discipuli, scilicet imitando me Dominum,et Magistrum vestrum, qui, cum innocens sim,ita ut nihil in me habeat princeps hujus mundi, ut supra dixi, tamen morior sicut Pater mandatum dedit mihi, ut quia vere sum vitis, moriendo fructificem mundo vinum optimum, quo in æternum lætificetur cor hominis (*Psal.* CIII). Hoc, inquam, ad gloriam et laudem Patris perficit, ut et vos eodem modo fructum plurimum afferatis. Est

autem ipse voluntarius et exaudibilis in omni re, quæcunque petitur ad gloriam nominis sui. Quomodo ergo non facit vobis quodcunque petieritis, hoc intecdentibus, ut ad clarificandum eum fructum plurimum afferatis. Plane faciet ita affatim, ut nullum gratiæ vobis desit instrumentum ad fructificandam salutem mundi, ad dilatandam gloriam Dei, ad testificandam gratiam, et veritatem Filii Dei. Unde hoc?

Ait : « Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. » Ac si dicat : Sicut per multam dilectionem Pater me misit (*Rom.* VIII), meque veram vitem in hoc mundo plantavit, sic ego per eamdem dilectionem mitto, et expando per mundum vos palmites meos, « ut fructum plurimum afferatis. » Cujus namque dilectionis est, quod Pater Filio mandatum dedit venire ad agones passionis, eumdemque « obedientem usque ad mortem, mortem autem crucis, exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* II), » ejusdem dilectionis est, quod idem Filius discipulos suos in mundum universum prædicare mittit Evangelium omni creaturæ (*Matth.* XXVIII; *Marc.* XVI). Unum sint ante reges et præsides trahendi, et morte afficiendi, ut ejusdem spiritus dulcedine, quo plena est vitis, consortes quobus palmites vivificati, fructum faciant æternæ salutis (*Luc.* XXIII). Ergo « sicut dilexit me Pater, inquit, et ego dilexi vos. » — « Manete in dilectione mea. » Manete, id est, perseverate, scilicet diligendo invicem, habendo unum spiritum, et unam fidem quæ operatur per dilectionem (*Galat.* V). Dici enim vobis, quia « Pater meus agricola, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. » Ne ergo tollat vos agricola, ferendo fructum, id est, diligendo invicem, « manete in dilectione mea, » contendite non excidi a me vite vera. Quid enim?

« Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. » Præcepta mea, quæ licet multa sunt, in hoc verbo instaurantur : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Rom.* XIII; *Matth.* XXII). » — « præcepta, inquam, mea si servaveritis, manebitis in dilectione mea. » Forte dicat quis: Cum ipsa dilectio præceptum sit, quomodo nunc dictum est : « Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea ? » Divisionem namque omnis justitiæ fecisse videtur, ut totius pars, altera dilectio Dei, altera pars præcepta sint. Ad hæc inquam : Revera justitia quiddam totum est, partes autem ejus duæ sunt, altera videlicet dilectio Dei, altera dilectio proximi. In his duobus mandatis ita universa lex pendet et prophetæ, ut vita activa **305** tota in dilectione proximi, vita contemplativa in dilectione pendeat Dei. Dilectio namque Dei contemplationi magis inhæret, dilectio proximi exterioris vitæ actibus incumbit. Deus enim Moysi in monte duas tabulas dedit, in quibus duabus A tabulis lapideis conscripta erant decem præcepta legis, tria ut una tabula, ad Deum pertinentia, scilicet : Non habere Deos alienos, non facere idolum, neque ullam similitudinem, non sumere nomen Domini in vanum ; septem vero in altera tabula, pertinentia ad proximum, quorum primum est : « Honora patrem tuum et matrem tuam, » secundum: « Non occides, » tertium : « Non mœchaberis, » quartum : « Non furtum facies, » quintum : « Non falsum testimonium dices, » sextum : « Non concupisces uxorem proximi, » septimum : « Non concupisces rem proximi tui (*Exod.* XX). » Ita ad primum præceptum (quod est dilectio Dei) tria pertinent, quæ et Dominus in Evangelio sic expressit, dicendo : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua (*Matth.* XXII) ; » ad alterum vero præceptum, id est, B ad dilectionem proximi, septem respiciunt perdocentia, quomodo vivatur inter homines. Igitur, « si præcepta mea servaveritis ; » inquit, id est, quæ ad dilectionem proximi pertinent, vitamque activam perficiunt, et ita dilexeritis invicem, « manebitis in dilectione mea, » scilicet in dilectione Dei, quæ vitam contemplativam perficit, ad quam sic non pervenitur, nisi per activam vitam, sicut ad dilectionem Dei non ascenditur, nisi per dilectionem proximi. Itaque si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Operæ pretium est ut in cæteris, ita et in hoc dicto justissimam perpendere auctoritatem docentis, quia statim subjunxit ; « Sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. » C Dignum quippe et æquum est, ut cujus magistri opera jure laudantur, ejusdem dicta quoque suscipiantur ; sicut econtrario, cujus vita despicitur, restat ut ejus etiam prædicatio contemnatur. Quam vero laudabiliter præcepta Patris præceptor iste primus servaverit, jam dum totus orbis canit cum Apostolo dicente : « Humiliavit semetipsum, factus pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). » De qua obedientia sua, paulo superius, cum dixisset ipse : « Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam, » statim subjungens : « Sed ut cognoscat, inquit, mundus quia ego diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XII). » Igitur æquum est, et hunc magistrum decet, ut præD cipiat quia videlicet dignitas vel auctoritas præceptionis in aperto est, dum facit ipse prior quod jubeat : Dicat itaque ; « Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. » Notandum vero, quod cum dicat, « sicut, » non æqualitas dilectionis vel obedientiæ præcipitur, quam assequi cunctis impossibile est hominibus, sed similitudine quantulacunque vel imitatio requiritur. Quomodo enim in observatione præceptorum Patris, illis potest æquari, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ? (*I Petr.* II). Quomodo imitator emetiri valeat quantitatem dilectionis ejus,

cui dicitur in Psalmo : « Dilexisti justitiam et A odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis ? » (*Psal.* XLIV). Sic nempe dictum est « præ consortibus tuis, » ut intelligas nullum obedientiam vel dilectionem Filii Dei assequi posse æqualiter, qui singulariter et Patrem dilexit atque dilectus est, et nos proximos suos prior dilexit, imo pro magna dilectione proximus nobis factus est (*I Joan.* IV). Sequitur :

« Hæc locutus sum vobis ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. » Vobis, inquit, de abscessu meo non gaudentibus sed lugentibus et flentibus hæc locutus sum, dicens : « Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me est, » et cætera, ut quemadmodum dulcedo vitis in palmitibus est, ita B et gaudium meum in vobis sit. Quod est enim gaudium in præsenti tribulatione, et tristitia animæ vestræ, in hac agonis mei sanguineo sudore ; quod inquam, gaudium meum nisi Spiritus sanctus ? Per Spiritum namque sanctum meipsum offeram hostiam immaculatam Deo Patri, ut sanguis meus emundet vos ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi (*Luc.* XXII ; *Hebr.* IX). Et in hac oblatione inenarrabiliter gaudeo, ut merito de hoc gaudio meo dictum sit : « Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus, et in die lætitiæ cordis ejus (*Cant.* III). » Ut ergo hoc gaudium meum in vobis sit, ut mihi et congaudendo compati, et compatiendo congaudere sciatis, idcirco hæc locutus sum vobis, tanquam vitis succi mei lætitiam C gestiens effundere palmitibus meis. Et ut gaudium vestrum non frustra deceptum sit, sed impleatur in apothecis æternæ jucunditatis, risum mundi hujus deputabitis errorem, et gaudio ejus dicetis : « Quid frustra deciperis ? (*Eccle.* II). Vos autem sine errore ridebitis, et gaudium vestrum non decipietur, neque enim tolletur a vobis. Sed quænam sunt præcepta, de quibus dixi vobis : « Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea ? » Ecce dico vobis : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » In Canticis canticorum sponsa dicit : « Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem (*Cant.* II). » Quando putas rex iste D sponsam suam in cellam vinariam introduxit, nisi quando moriendo torcular calcans (*Isa.* LXIII), Scripturas implevit, et resurgendo ut easdem Scripturas intelligeret sensum ejus aperuit ? Ecce idem cum dixisset : « Ego sum vitis, et Pater meus agricola est ; » itemque : « Ego sum vitis, vos palmites, » miro modo vinum suum bibere volentibus charitatem ordinavit. Sunt namque duo præcepta charitatis, videlicet amor Dei et amor proximi. Sed, ut superius jam dictum est, ad amorem Dei non pervenitur, nisi per amorem proximi. Dixit ergo paulo supra : « Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Et quasi quæreres quæ sunt illa præcepta, quorum observatio nos efficit manentes in sua, vel Patris dilectione, ecce subsecutus ait : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. » Dilectio namque in invicem, amor proximi est, per quem pervenitur ad amorem Dei, et talis est ordo charitatis, ut diligere non possis Deum, nisi diligas proximum. « Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? » (*I Joan.* III). Ergo « præceptum meum, inquit, de quo dicebam vobis : « Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea ; præceptum, inquam, meum, hoc est, « ut diligatis invicem. » Quare autem illic pluraliter præcepta mea, hic vero singulariter, hoc est, inquit, præceptum meum ? » Videlicet qui omne mandatum de sola dilectione est, et omnia unum præceptum sunt. Multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Nam « non adulterabis, non furtum facies, non occides, non falsum testimonium dices : et, si quod est aliud mandatum, » inquit Apostolus, « in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Rom.* XIII). » Igitur sapiens et bene disertus præceptor, suavi et rite disposito ordine docendi, postquam ita proposuit : « Si præcepta mea servaveritis, » et cætera, nunc addit quod jure **306** assumas, et dicit : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » Quod deinceps rationabiliter edisserit, tandemque more concludentis illaturus est, dicens : « Hoc mando vobis, ut diligatis invicem. »

Primum dilectionem ipsam, quam præcipit, breviter et copiose, ut oportet, ipse definit, dicendo : « Sicut dilexi vos. » Nomen quippe dilectionis æquivocum est. Est enim quædam dilectio, qua proximos diligimus injussi, scilicet per affectionem cognationis et carnis. Quæ profecto dilectio, quamvis in illa, sancta nobis eloquia non contradicant, multum tamen ab hac dilectione differt, quia videlicet aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis debetur obedientiæ. Modum ergo definiens Deo placitæ, et merito coronandæ dilectionis adjecit statim : « Sicut dilexi vos, » et quasi digito protinus suam ostendens dilectionem, de qua dixerat : « Sicut dilexi vos, » ait continuo : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Ergo palam faciebat, quomodo vel quantum diligeret nos, tanquam si apertius dixisset : « Usque ad mortem diligite invicem, quia ego usque ad mortem dilexi vos. » O fidelem sermonem, et omni acceptione dignum, quem vere multi reges et prophetæ vel justi voluerunt audire, et non audierunt (*I Tim.* I ; *Luc.* X). Quid enim scriptum est in Malachia ? « Dilexi vos dicit Dominus; et dixistis : In quo dilexisti nos ? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, et dilexi Jacob, Esau autem odio habui ? Et posui Seir montem ejus in solitudinem, et hæreditates

ejus in dracones deserti (*Malach.* I). » Ecce hic in Evangelio suo, « dilexi vos, » inquit idem Dominus. Et tanquam iterum diceretur ei : In quo dilexisti nos ? nonne, inquit, ego pro vobis pono animam meam ? Hoc enim æquipollenter asseruit, imo et magnificentius atque affectuosius expressit, dicendo : « Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Igitur hoc magnum et memorabile est, cunctisque inauditum sæculis, quod magnitudo dilectionis Filii Dei circa nos extenta, usque ad mortem pertingit, maxime quia cum esset immortalis, illam in qua mori posset naturam, propter nos assumpsit. Verumtamen nec illud prætereundum est quod cum dicere potuisset pro inimicis suis, dicere maluit « pro amicis suis, » videlicet ut suavitate locutionis, dulcedinem in auditoribus sensim infunderet ejusdem quam illis mandabat dilectionis. Vere enim dicere poterat pro inimicis suis, testante Apostolo, qui ait : « Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo magis igitur nunc justificati in sanguine ejus, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati nunc salvi erimus in vita ipsius (*Rom.* V). » Ergo non quia jam erant amici, sed quia nunc eo patiente fiebant amici, dixit « pro amicis suis. » Nam quasi objiceretur cur eos dixisset amicos, qui cum homines essent, erant utique filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II) propter Adam, et reconciliatione indigebant, statim intulit :

« Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. » Si inquit, vos, sicut supra dixi, tanquam palmites in vite, ita in me manseritis, et ego in vobis, et ita feceritis quæ præcipio vobis, jam vos ex hoc amici mei estis, jam Deo reconciliati estis, jam Dei filii estis, et omnem servilem conditionem exsuperastis. Amplius autem ad hunc sensum valet quod sequitur : « Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus ; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. » Igitur, cum propter mansuetudinem dicit : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis ; » poterat propter veritatem et justitiam dicere, pro inimicis suis : non equidem nos amici eramus, idcirco ille animam suam pro nobis posuit : sed quia pro nobis ille animam suam posuit, idcirco nos facti amici Dei, id est, Deo sumus reconciliati. Proinde cum dixisset : « Vos amici mei estis, » ne nescirent homines, quod gratia, non meritis facti sint amici, ait : « Jam non dico vos servos. » Quare ? « Quia servus nescit, inquit, quid faciat dominus ejus. » Notandum quia non dixerit : « Quia » servi mei nesciunt quid faciam ego, sed « servus nescit quid faciat dominus ejus. » Non enim parva distantia est, cum relative dicitur servus Domini, et cum absolute, vel absque relatione dicitur servus in Scripturis. Magnum quippe tibi est, vocari servum meum (*Isa.* XLIX), ait Dominus idem cum diceret : « Servus non manet in domo in æternum (*Joan.* VIII), » non utique dicit servus meus. Ergo, cum dicit : « Jam non dico vos servos, » profecto idem est ac si dixisset : Jam non dico vos inimicos, quod maxime ex opposito comprobatur. Sequitur enim : « Vos autem dixi amicos. » Igitur cum et superius dixerit : « Amen, amen dico vobis, non est servus major domino suo (*Joan.* XIII), » profecto quod nunc ait : « Quia servus nescit quid faciat dominus ejus, » de illo servo suo, qui « non manet in domo in æternum, » id est, de servo peccati, qui non potest esse refuga Dei, plane iste « servus nescit quid faciat dominus ejus, » cujus ipse, velit nolit, Domino permanet subjugatus. « Vos autem scitis, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. » Quid est, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis ? Nunquid cum homines sitis, quamvis amici, omnia scire potestis, quæcunque scio ego unigenitus Filius Dei ? Non utique hoc putandum est. Nec enim dico, omnia quæcunque scivi, sed « quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. » Hæc ego a sapientibus et prudentibus abscondi, et revelavi vobis, quia parvuli estis (*Matth.* XI). Illis namque excæcatis et induratis, sicut prædixit Isaias, ne videant oculis, et intelligant corde et convertantur, et sanem eos (*cap.* VI), vobis ego aperio sensum, ut intelligatis Scripturas, notumque sit vobis quod ego audierim a Patre meo mandatum sic faciendi, scilicet quod ille posuerit in me iniquitates omnium vestrum, ut languores vestros ferrem, et peccata vestra portarem (*cap.* LIII), et ego audiens, id est, obediens illi factus sim propter vos usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). Recte igitur jam non dico vos servos, quia cognovistis veritatem, et veritas liberabit vos (*Joan.* VIII). » Proinde et hoc vobis dico :

« Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat. » Non, inquit, idcirco vos dixi amicos, quod vos me elegeritis, sicut reges gentium, et qui potestatem habent super eos (*Luc.* XXII), a suis eliguntur amicis, quibus perinde debitores sunt, quia cupitum non nisi per ipsos poterant obtinere imperium. Ego autem prior elegi vos, et in hoc est dilectio, non quasi vos dilexeritis me, sed quia ego prior dilexi et elegi vos ; quomodo non palmites vitem constituunt, sed vitis palmites emittit, et illud in eos diffundit, unde fructum faciant ; sic « vos non me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. » Hoc sane quod nunc demum adjecit, « et fructus vester maneat, » supradictam vitis et palmitis ejus similitudinem longe exsuperat. Fructus enim vitis et
307 palmitum insensibilium non manet, sed cito transit, nec ob aliud in apothecam reconditur, nisi ut veterascat, et cum suavitate bibendo, brevi, licet commodiore, usu mortalium transeat : fructus au-

tem vitis hujus, et palmitum rationalium, profecto manet gloriosus in vitam æternam. Unde gratulabundus quidam palmes, magnus et opulentus, scilicet Paulus apostolus, ait mansuris fructibus suis: « Quia gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi (*II Cor.* I). » Ergo ne parum esset quod ait: « Et fructum afferatis, » recte adhuc addens: « Et fructus vester maneat, » inquit; amplius autem: « Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo det vobis. » Summus hic amicitiæ usus est vobis amicis, quos jam non dico servos, sed amicos meos; summus, inquam, hic fructus vel

A usus est, ut quodcunque petieritis vos mei palmites, nunc interim dum extendimini pro torcularibus et maturis fructibus, torquemini plorantes et gementes, postulante pro vobis Spiritu gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII), id est, faciente vos inenarrabiliter gemere in orationibus: « Quodcunque, inquam petieritis Patrem in nomine meo, det vobis » abundantius quam petitis, aut intelligitis, scilicet, quod oculus non vidit, et auris non audivit, quæ præparavit Deus diligentibus (*I Cor.* II) me et manentibus in me palmitibus meis.

LIBER DUODECIMUS.

Eorum quæ hactenus de dilectione dicta sunt, complexio vel conclusio tandem infertur, cum dicitur: « Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. » Quia « si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Hoc » autem « est præceptum meum. » Igitur hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Ecce ipsa litteræ superficies exigit, ut, sicut superius jam dictum est, in uno præcepto dilectionis omnia simul diligens lector intelligat præcepta recte vivendi. Nam et supra singulariter, « hoc est præceptum meum, » et hic pluraliter de eodem dilectionis præcepto dixit. Siquidem hic et illic subjunctum est, « ut diligatis invicem. » Sequitur: « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. » Præmisso dilectionis mandato, de quo plurimum disseruit, recte nunc demum pressuras prænuntiat electis et dilectis suis, quas in mundo reprobo et odibili sint habituri. Præposita namque velut in fundamento dilectionis firmitas, pondus pressurarum portat, ita ut euntes a conspectu concilii gaudere possint, quod digni habeantur pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). Itaque recte et ordinate post illa quæ jam de dilectione dicta sunt, nunc demum amicis meis, huic mundo exosis, confidentiam atque perseverantiam persuadet in his, quæ ab isto inimico suo, scilicet mundo, sunt passuri: « Si, inquit, mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. » Mira consolantis adhortatio! Quid enim valet dilectoribus Christi scientia hæc, ut recte pro magno dicatur eis, « scitote quia me priorem vobis odio habuit? » Multum per omnem modum. Consolantur enim sese servi fideles tanti Domini gloriosa conscientia, verum habentes testimonium, ipsum mundi odium, quod non de mundo, sed ex mundo sint. Nam protinus subjungitur:

« Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. » Proinde et si velit mundus diligere, dilectio ejus fu-

B gienda, et odium ejus amatoribus Christi appetendum est. Odium namque mundi, testimonium reddit amicitiæ Dei. Unde hic idem Joannes in Epistola sua dicit: « Si quis voluerit amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituitur (*I Joan.* III). » Duæ namque sunt generationes, una Dei, altera mundi; sive duæ civitates, altera Dei, altera diaboli, quæ simul exortæ ab initio procurrunt usque ad finem sæculi, semper sibi invicem adversantes odio implacabili. Earum inimicitiæ primum in duobus fratribus Abel, et Cain (*Gen.* IV), manifestæ factæ sunt, et ita pertinaciter sibi adversantur, ut nullus eodem tempore utriusque amicitiam gerere possit. Quoties Apostolus dicit Corinthiis: « Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ autem participatio justitiæ cum iniquitate?

C aut quæ societas luci ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli? quæ autem conventio Christi ad Belial? » etc. (*II Cor.* VI). Igitur « si odit vos mundus, » inquit, hoc « scitote » et hæc vobis scientia pro testimonio simul et pro consolatione sit, quia « de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. » Hoc, inquam, scientes consolamini, quia mundo non semper vos odio habere vacabit, nec ista odii licentia diu constans erit. Stabiis enim potius vos postmodum in magna constantia adversus eos qui vos angustiaverunt. « Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, et gementes præ angustia spiritus, dicent intra se, pœnitentiam agentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati æstimabamus vitam ipsorum insaniam, et

D finem illorum sine honore; quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est? (*Sap.* V). Hæc « scitote » simulque memoriter tenete, « quia mundus me priorem vobis odio habuit. » Quid hoc ad rem? Sequitur:

« Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. » Illa namque

odii, quod prior ego passus sum, scientia, et ista hujus sermonis mei memoria, **308** vestram vos obliviosam verberabitis impatientiam, et teneras propriæ voluntatis redarguetis delicias. Quid enim? Nunquid scientes vel reminiscentes ea quæ dixi, in contumeliis et persecutionibus quæ vobis accident, admirabimini? Nunquid de Domino spinis coronato, purpuraque irrisoria induto, vos servi mei gemmata diademata purpuramque serio vestiendam appetere audebitis? Nunquid talis est ordo legitimæ curiæ, ut Rege colaphizato, consputo, et exalapato, servi ejus altis eorum in theatro sellis insideant, et eisdem manibus, quæ Dominum sic afficiunt, sibimet applaudi studeant? non ita est. Sed quid?

« Si me persecuti sunt, et vos persequentur: si sermonem meum servaverint, et vestrum servabunt. » Profecto hæc inimicitiarum consuetudo est. Qui enim Dominum persequuntur, quomodo servos ejus fidelitati studentes non persequantur? Palam autem vobis est, quia sermonem meum non servaverunt, quia persequuntur, et occidunt me. Scitote ergo quia nec vestrum sermonem servabunt, sed persequentur vos, lapidabunt, crucifigent, et occident vos, et expellent de civitatibus suis, et ita fugietis de civitate in civitatem (*Matth.* XXIII), flentes et confitentes quod peregrini sitis et advenæ super terram, non habentes hic manentem civitatem, sed futuram inquirentes (*Hebr.* XIII), vestris etiam parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis incogniti, a quibus ad mortem quoque trademini, et ita propter me, talem Dominum vestrum sibi exosum, omnibus odio eritis.

« Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit. » Ecce iterum quanta est consolatio dicentis: « Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, » id est, propter nominis mei odium. Magna plane et diligentibus ad formandam patientiam sufficiens. Nam dilectorem Christi angunt quidem hominum odia, fatigant opprobria, molestant maledicta, affligunt rerum damna, vel etiam corporis tormenta, sed hæc omnia temperat, et levia reddit festiva præmiorum securitas. Gloriosa namque nominis Christi dignitas, propter quod hæc patiuntur, opprobria condecorat, maledicta sanctificat, damna in lucra, tormenta in magnæ spei vertit delicias. Recte igitur prænuntiatis persecutoribus, « sed hæc omnia, inquit, facient vobis propter nomen meum. » Quare autem tantum habent vel habebunt nominis mei odium, ut hæc omnia faciant propter nomen meum? Videlicet « quia nesciunt eum qui me misit. » Nesciunt, inquam, id est, scire nolunt. Nam ne ignorantiam venialem, sive excusabilem putes, audi quod sequitur:

« Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, et Patrem meum odit. » Ne, inquam, istorum, de quibus sermo est, quasi ignorantiæ ignoscendum esse putes, velut illorum, de quibus scriptum est: « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* IV), » exponens ipse quid dixerit: « Nesciunt eum qui me misit, » universali sententia illos percussit, dicens: « Qui me odit, odit et Patrem meum. » Igitur illud nescire odisse est.

Et hujus exsecrabilis, horrendi, atque diabolici odii peccatum, quo et Patrem, et ipsum Patris oderunt Filium, sic dixit: « Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. » Quid enim? Nunquid dixit, peccatum nullum haberent? non utique; sed « peccatum » utique « non haberent, » videlicet ut subaudias peccatum odii, odii, inquam, quo et Filium Dei, et Patrem Deum oderunt. Hoc « peccatum non haberent, inquit, si non venissem et locutus fuissem eis. » Quanti vero reatus est ex eo illorum esse peccatum, quia venit, et locutus est eis, cujus adventus tulit mundi peccatum (*Galat.* IV; *Rom.* X). Cujus culpæ est, propter hoc odisse illum, quia pacem et amicitiam locutus est. Hoc imitantur peccatum, quicunque de bono pejores fiunt. Tale est hoc ac si dicas: Nisi Abel placita Deo munera obtulisset, Cain iratus non fuisset, neque vultus ejus concidisset. Qualis est ista excusatio? Imo non excusatio, sed vehemens perversitatis est accusatio. Paulus apostolus illis, propter humiliandam gentium conscientiam, caute condolens cum dicit: « Testimonium illis perhibeo quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam (*I Cor.* VIII), » nullatenus putandus est eorum excusare ignorantiam.

Quid enim intelligi voluit in eo quod cum dixisset: « Æmulationem Dei habent, » statim excepit dicens: « sed non secundum scientiam, » nisi idem ac si dixisset: Veram scientiam non habent, quæ non inflat, id est, Dei charitatem (*ibid.*). Consequitur ergo illos, juxta eamdem Apostoli sententiam, Dei habere odium. Et sic dixisse illum, æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, ac si dixisset: Ore quidem sive labiis legem Dei defendunt, sed in corde a charitate Dei, quæ vera scientia est, inanes sunt. Propheta quoque consonante, per quem dicit Deus: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX). » Igitur quod ait: « Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo, » idem est ac si dixisset: Si non locutus fuissem, si non justitiam annuntiassem et operibus eorum contrarius fuissem, invidia vel odio conflagrati non fuissent, quod omnem aufert peccati excusationem. Nam ut intelligas quod de peccato dixerit, statim intulit: « Qui me odit, et Patrem meum odit. » Hoc ergo illud est, quod per prophetam prædictum est: « Zelus apprehendit populum ineruditum (*Isa.* XLIII), » quia videlicet ejus, cujus cultores esse videbantur, veniente et loquente illis Filio Dei, vitiisque ipsorum dissentiente, zelo malo exarserunt. Sed parum est quod ait se venisse, et locutum fuisse. Loquela namque ejus, sicut jam sæpe dictum est, sic erat quasi unius hominis testimonium quod contemnentes Judæi, dicebant: « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est ve-

rum. (*Joan*. VIII). » Ergo sicut et tunc dixerat : « Et in lege vestra scriptum est (*Deut*. XVII ; XIX), quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater (*Joan*. VIII), » faciendo scilicet opera. « Opera enim, inquit, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa testimonium perhibent de me, quia Pater me misit (*Joan*. VIII) ; » ita et nunc itidem duo recitat testimonia : præmisso namque uno testimonio, dum dicit : « Si non venissem, et locutus fuissem eis, » et cætera, statim addidit :

« Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum. » Si parum, inquit, erat quia locutus sum, quanquam verum et sanum sermonem locutus sim, et ex veritate sermonis lex jubeat illum agnosci quem Deus miserit (*Deut*. XVIII), ecce per aliud testimonium justæ addicuntur damnationi : « Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, » etc. Quid enim ? Nonne manifeste prævaricatores legis sunt, in qua scriptum est : « Quia duorum hominum testimonium verum est, » cum odio habentes testimonia dictorum scilicet, et factorum, impleant Scripturam dicentem : « Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt ? » (*Psal*. XCIII). Ubi namque **309** judicibus deest legis suffragium, damnatio cujuslibet hominis reputatur in homicidium.

Quomodo vero intelligendum est illud quod cum dixisset : « Si opera non fecissem in eis, » statim addidit : « Quæ nemo alius fecit. » Quid, inquam, est, « nemo alius, » nisi nemo malus, videlicet qualis ego ab illis sum judicatus ? Alius quippe ab illo nemo est bonus, præsertim cum per bonos omnes, quicunque talia operantur, non nisi ipse operatur, « qui facit mirabilia magna solus (*Psal*. LXXI). » Potest tamen istud quoque sicut et alia multa, in hoc sermone, licet præterito tempore dictum, de futuro recte intelligi, et sic dixisse Dominum : « Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, » ac si dixisset : Si non resurrexissem a mortuis, et ascendissem in cœlum, quod utique nemo alius fecit : « Itaque si non venissem, inquit, et locutus fuissem, si opera non fecissem, peccatum non haberent. » Nunc autem opera Patris mei, opera cœlestia feci, « et viderunt, et » videntes « oderunt et me et Patrem meum, et inde cauteriatam habent conscientiam (*I Tim*. IV), quia per odium magis quam per ignorantiam peccatum in me commiserunt.

« Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est (*Psal*. XXIV), quia odio habuerunt me gratis, » — « et viderunt, inquit, et oderunt, » inde et excusationem non habent de peccato suo. » Sed hoc ipsum lex eorum fore prædixerat, cujus videlicet sermo legis, sermo Dei est, et solvi non potest, quin fiat, sicut scriptum est, servata in omnibus veritate sermonis, quæcunque de me Spiritus sanctus prælocutus est (*Matth*. V). Igitur et vos æquanimiter impugnationes eorum im-

A meritas, et odia mecum forte gratuita. Notandum quod hoc loco Dominus cum posset de Psalmis (qui nihilominus personæ ejus ascripti sunt) simile commemorare exemplum, verbi gratia, ut est illud : « Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me, retribuebant mihi mala pro bonis (*Psal*. XXXIV) ; » vel illud : « Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi (*Psal*. XXXVII) ; » maluit de hoc psalmo, scilicet centesimo octavo, sumere, ubi scriptum est : « Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me et expugnaverunt me gratis. » Quod commode sumptum ex eo comprobatur, quia similiter in primo graduum cantico dicit quisque imitator ejus, per multas tribulationes ad æternam remuneratio-
B nem ascendere contendens : « Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis (*Psal*. CXIX). » Constat enim, quia præsenti loco Evangelii informat suos discipulos, ut per patientiam imitatores sui fiant, dicendo : « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit, » etc. Competenter igitur hunc Scripturæ sermonem commemoravit quodammodo dicens, juxta sensum quo et cætera superius dixit : Si quisque vestrum quod mundus odit, sicut et me priorem vobis odio habuit ; si, inquam, quisque vestrum labiis iniquis et lingua dolosa obsessus plorat et dicit : « Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est ; habitavi cum habitantibus Cedar (*ibid*.), » et « cum his qui oderunt pacem eram pacificus ; cum loque-
C bar illis, impugnabant me gratis, » scitote quia et super me priorem, « os peccatoris et os dolosi apertum fuit, et locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, expugnaverunt me gratis (*Psal*. CVIII). » Sequitur :

« Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. » Ecce tres sunt qui testimonium dant huic filio hominis, quod vere sit Filius Dei, ultra quem numerum testium secundum legem non oportet, nec fas est exigi. Nam justum est et legitimum, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum (*Deut*. XVII). Dicebant autem adversarii ejus Judæi, sicut jam superius commemoratum est : « Tu de teipso testimo-
D nium dicis, testimonium tuum non est verum (*Joan*. VIII). » Econtra ille : « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater (*ibid*.). » Hæc sane testimonia paulo ante recapitulabat, dicendo : « Si non venissem, et locutus fuissem eis ; » quod testimonium ipsius Filii Dei de seipso est ; ac deinceps : « Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit ; » quod est testimonium Patris de Filio. » Pater enim, inquit, in me manens, ipse facit opera (*Joan*. XIV). » Ecce nunc tertius testis Spiritus sanctus, de quo sic ait : « Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit,

ille testimonium perhibebit de me. » Igitur sicut hic idem Joannes in Epistola sua dicit : « Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, et Filius, et Spiritus sanctus (I *Joan.* v). » Pater, inquam, faciens opera ; Verbum ipsum, quod erat in principio Deus apud Deum (*Joan.* i) personans de carne sua dicendo : « Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* viii), » et his similia ; Spiritus sanctus, consolaturus apostolos inter omnes mundi persecutiones vel odia. Itaque glorietur fides, exsultet spes, gratuletur charitas ; quia videlicet huic Filio hominis, in quem credimus, in quo speramus, quem diligimus, non desunt Trinitatis testimonia, ne vacet amplius procacitati Judaicæ dicere : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Nunc ipsa lectionis hujus Evangelicæ verba consulamus. « Cum autem venerit, inquit, Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. » Tribus distinctionibus hoc loco persona vel majestas Spiritus sancti descripta est, videlicet quia « Paracletus, » quia « Spiritus veritatis » est, quia « a Patre procedit ; » et interpositum est « quem ego mittam vobis a Patre. » Unde Spiritus veritatis vel Paracletus, id est consolator, appellatus sit, jam superius dictum, videlicet ubi ait : « Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere (*Joan.* xiv). » Restat deinceps illud considerare quod nunc additum est : « Qui a Patre procedit ; » itemque illud, quod ipse Filius æqualis Patri, gloriam commendans suæ majestatis, sic interposuit dicens : « Quem ego mittam vobis a Patre. » Igitur ipso aspirante primum illum conemur utcunque eloqui quod dictum est : « Qui a Patre procedit. » Notandum in primis quod de Spiritu sancto Filius Dei loquens, præsenti tempore dixit, « qui a Patre procedit, » cum de semetipso longe superius adversus Judæos testificantes, præterito tempore dixit : « Ego enim a Deo processi et veni (*Joan.* viii). » Cum enim hæc diceret jam utique processerat ipse, « tanquam sponsus de thalamo suo (*Psal.* xviii), » scilicet factus homo visibilis, qui invisibilis Deus erat. Hic autem Paracletus Spiritus sanctus ad homines nondum processerat. « Nondum enim, » inquit evangelista, « Spiritus erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus (*Joan.* vii). » Hoc tunc agebatur ut procederet, præeunte digno apparatu magnæ pœnitentiæ, quam in se exceperat in Unigenito Dei natura carnis nostræ, satisfaciens pro antiquo delicto prævaricationis Adæ, ut procederet, inquam, videlicet adveniens in remissionem peccatorum, **380** quomodo nulli unquam datus fuerat ante salutare passionis Christi sacramentum. Ipsum sane processionis verbum, dignitatem personæ ejus exprimit, videlicet quia Dominus est æqualis Domino Patri vel filio, qui et ipse, ut jam dictum est, Dominus processit et venit. Proprietas autem vel differentia processionis in eo est, quia Filius quidem processit et venit, videlicet ad condendam sanctæ Ecclesiæ domum, quam per ipsum condidit, qui universa creavit Deus ; Spiritus autem sanctus tunc processit, et usque in finem sæculi procedere non desinit, ad dedicandam et illustrandam domum eamdem, ut inhabitet in illa et inambulet Deus unus Pater et Filius, et ipse qui illam dedicat et consecrat Spiritus sanctus. Amplius autem, quando per Verbum suum Deus Pater omnia condidit, Filius quidem semel processit, quia semel et simul omnia condidit ; Spiritus autem sanctus extunc usque in æternum in subjectam rationalem creaturam procedere non desinit ; quia, videlicet absque processione ejus, inopia creaturæ subsistere nequit, quomodo absque solis lumine luna non lucet, ut perhibent physici. Et quidem beata sanctorum angelorum societas, semper quasi plena luna est, et nec deficit nec minuitur, ex quo peccantibus apostatis angelis, ipsi peccare nolentes, positi sunt in aspectu Solis æterni. Unde et relucent plena luce, ornatore cœlorum, id est, hoc eodem Spiritu sancto semper in eos procedente. Verum illa quæ in hoc sæculo peregrinatur electorum hominum Ecclesia, non semper in eodem statu permanet, sed nunc sublevata per contemplationem, donis ejusdem Spiritus plus fulget ; nunc obscura pressuris vel sæculi turbinibus, minus lucet donec finiatur iste mundi circuitus, et ipsa quasi plena luna in conspectu solis sui quieta resideat. Bene ergo cum de seipso tempore præterito dixerit Filius : « Ego enim a Deo processi et veni ; » de Spiritu sancto præsenti inquit tempore, « qui a Patre procedit. » Proinde Filius ore catholicæ Ecclesiæ, non procedens, sed genitus ; Spiritus autem sanctus, non genitus, sed procedens recte dicitur. Visum est autem quibusdam Græcorum hæreticis, quod hic Spiritus sanctus non a Patre et Filio, sed a Patre procedat solo ; videlicet quia sic quasi cum determinatione Filius dixit : « Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. » Sed huic perverso sensui præsens veritas ex adverso resistit : « Cum enim dicit, « qui a Patre procedit, » simul idem Filius, qui et hoc eodem in loco dicit, « quem ego mittam vobis, » et alibi : « Ego, inquit, mittam promissum Patris mei in vos (*Luc.* xxiv) ; » quid namque est aliud Paracletum mitti, quam procedere Spiritum veritatis? ipsa utique missio processio est, nisi hoc tantum quod in sua substantia semper invisibiliter Spiritus procedit ; in aliena autem Specie ad tempus missus est, scilicet, cum vel super Dominum in specie columbæ (*Matth.* iii), vel super apostolos ejus apparuit in igne (*Act.* ii) ; alias autem cum veraciter dicat idem Filius : « Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est (*Joan.* x) : » quomodo Spiritus, qui a Patre procedit, a Filio quoque pariter non procedit ; nunquid localis est Filius vel Pater, ut cum de secreto fonte paterni pectoris Spiritus sanctus procedit, non procedat de unigenito Filio, qui est sinu Patris ? Cum igitur et alibi dixerit : Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x), » nullatenus hic sibi Patrique dispareat, communione processionis Spiritus sancti, dicendo, « quem ego

mittam vobis » et « qui a Patre procedit, » sed longe aliud est quod his verbis intelligendum suis fidelibus innuit. Vehementer enim hæc quoque sententia repugnat hæreticis, quicunque in Spiritum sanctum blasphemare ausi sunt, dicendo quod creaturu sit. Quomodo enim, sit creatura est, a Patre procedit ? Nonne omnis creatura ex nihilo creata est, et earum nulla de substantia Dei processit? Quid enim de Deo aliud quam Deus procederet ? Igitur divinæ naturæ simul et majestatis testimonium est sancto Spiritui, quia Filius, sicut de seipso testatus est, dicens : « Ego enim a Deo processi, » sic et de illo testatur, « qui a Patre procedit. » Et de his ista sufficiant. Nec enim loco præsenti propositum est cuncta disserere, quæ adversus hæreticam pravitatem poterant dici de vera Divinitate Spiritus sancti.

Nunc ad ordinem redeamus. « Ille, inquit, testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. » Perhibebit Spiritus sanctus, perhibebitis et vos. Quia enim « ab initio mecum estis, » potestis prædicare quod nostis. Hoc sicut dictum, ita et factum est, ad hoc sicut Veritas promisit, ita et perfecit. Venit enim Paracletus, missus est Spiritus veritatis, processit tunc visibiliter, qui semper invisibiliter procedit; visibiliter, inquam, tunc processit, non tamen in sua substantia, quæ est invisibilis, sed in linguis apparuit igneis, et in corde accendit, et in ore disertos reddidit, et ita instructos testes Christi, testis ipse invictus Spiritus sanctus ad publicum produxit. Tunc intonuerunt cœli enarrantes gloriam Dei, non existentibus loquelis neque sermonibus, quorum non audirentur voces eorum, enarrantium hanc Filii Dei gloriam, et annuntiantium hæc opera manuum ejus, quia in sole posuit tabernaculum suum, tanquam sponsus procedens de thalamo suo ; et quia a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, id est, quia de summis cœlorum, ut homo fieret, verus Deus descendit, atque decursa via passionis tanquam gigas exsultans iterum ad summum cœli occurrit (*Psal.* XVIII). Quid igitur Judæi facerent, qui dixerant : « Testimonium tuum non est verum ; » quid, inquam, dicerent captivi gentium, quando huic Filio Dei tam glorioso testi acquiescentes, super ipsum continuerunt reges os suum ? Sequitur:

[CAP. XVI.] « Hæc locutus sunt vobis, ut non scandalizemini. » Hoc itidem eodem modo sentiendum est, quod et illud superius, ubi eum discipulos suos turbandos fore firmasset, dicendo Simoni Petro : « Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus hac nocte, donec ter me negabis, » statim intulit : « Non turbetur cor vestrum (*Joan.* XIII), » id est, etsi præ timore lingua titubat, fides in corde vestro non deficiat : eodem, inquam, modo et hoc sentiendum est, quod cum dixerit eis : « Omnes in me scandalum patiemini in ista nocte (*Matth.* XXIX), » nunc dicit : « Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Aliud namque fuit in illa nocte scandalizari, aliud est absolute, vel sine ulla determinatione scan-

A dalizari. Scandalizati etenim sunt in illa nocte, cum propter noctis illius turbinem, percusso pastore, metu dispersæ sunt oves (*Zach.* XIII); sed non sine ulla exceptione scandalizati sunt, quia compatientibus animis cum illo erant, a quo corporaliter dispersi fugiebant, et nec ipse Petrus, cum trepido ore negaret, corde in eum credere desinit, quem confessus fuerat esse Christum Filium Dei. Non ergo frustra fuit, quod eos præmonuit atque præmunivit, dicendo : Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. » Et adjecit :

« Absque synagogis facient vos. » Hoc factum esse Christi discipulis in Actibus apostolorum plenissime legitur (*Act.* 7, XIII). Flagellati namque in synagogis etiam de civitatibus exturbabantur : ideo conversi ad gentes, synagogas alias, imo **311**
B Ecclesias novas gloriæ Dei constituerunt, ad quas lege et testamento Dei translato, ipsi qui illos absque synagoga fecerant, absque synagoga Dei fierent, et in Synagoga Satanæ exclusi remanerent (*Apoc.* III). Sed parum est quod ait : « Absque synagogis facient vos. » Addidit ergo : « Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo, » etc. Et hæc quidem, inquit, jam facere cœperunt, jam absque synagogis fecerunt vos. Jamdudum enim conspiraverunt, ut si quis me confitetur esse Christum, extra synagogam facerent eum (*Joan.* IX). « Sed venit hora » ut, quod amplius est, faciant, id est, ut interficiant vos, et tanta auctoritate, tanta rationis assimilatione, « ut omnis qui interficit vos, arbitretur, » id est, arbitrari videatur, « obsequium se præstare Deo. » Nam revera
C etsi Saulus existimabat obsequium se præstare Deo, alligando et interficiendo Christi discipulos (*Act.* IX), non tamen hoc itidem sentiendum est de illis, de quibus paulo ante dixit : « Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum, » scilicet de pontificibus et Pharisæis, qui tulerant clavem scientiæ, et nec ipsi introibant, nec alios intrare sinebant (*Luc.* XI), quippe primum ipsum Dominum interficientes, deinde discipulos ejus, non vere arbitrabantur, sed arbitrari videbantur obsequium se præstare Deo. Alias autem, si juxta proprietatem verbi attendas quid sit arbitrari, unde et judices rem quamlibet suo judicio metientes dicuntur arbitrari, revera inimici Christi, et Patris ipsius Dei, interficiendo discipulos ejus, arbitrabantur « obsequium se præ-
D stare Deo, id est, judicabant, quamvis contra conscientiam suam, sic placitum esse Deo, scilicet prætendendo quasi necessariam loci vel gentis causam, sicut primo ipsi fecerunt adversus ipsum Dominum dicentes : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem (*Joan.* XI). » Nempe in hoc arbitrio pertinaciter permanentes, item pro loco vel gente se stare subdole arbitrati sunt, quando statuerunt contra Stephanum testes, qui dicerent se audisse eum dicentem, quia Jesus Nazarenus destruet locum istum (*Act.* VI). Igitur « venit hora, inquit, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare

Deo. » Hora inquam, id est, breve tempus. Non enim diu licuit illis interficere Christi discipulos, quasi pro illo Dei templo, cujus æmulabantur quidem veterem cultum, sed non secundum scientiam, id est Dei charitatem, quam veram, id est, non inflantem constat esse scientiam, (*Rom.* x). Siquidem subversum est, postmodum, non a Christi discipulis, sed a gentibus romanis, impleta prophetia quæ de illa corrupta vinea prædixit : « Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (*Psal.* LXXIX). » Hora hæc plane persecutionis Judaicæ, breve tempus exstitit. Neque enim de idololatris persecutoribus hoc dicendum fuit, quippe qui non hora, sed longis multorum temporum persecutionibus apostolos et martyres Christi interficiendo, non Deo, sed diis suis obsequium se præstare arbitrabantur. Sequitur :

« Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. » Ac si dicat : Idcirco vos non solum absque synagogis facient, sed etiam interficient, quia « oderunt et me et Patrem meum. » Cum enim supra dixerit, « nunc autem et viderunt et oderunt me et Patrem meum ; » itemque : « Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, » non utique ignorantiam excusat, sed odium cognoscere nolentium condemnat, dicendo : « Quia non noverunt Patrem neque me. » Hujusmodi contumacis ignorantiæ perversitatem Apostolus Thessalonicensibus insinuans, cum præmisisset « in flammam ignis, dantis vindictam his qui non noverunt Deum, » statim addidit « et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu a facie Domini (*II Thess.* I). » Recte igitur per hoc quod ait : « Quia non noverunt, » contemptus Dei signatur et odium. Et protinus subjungitur : « Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, reminiscamini, quia ego dixi vobis. » Facient, inquit, sed vos consolamini. Nam idcirco nunc ea prædico vobis, ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini quæ ego dixi vobis, et reminiscentes illud quoque non obliviscamini, quod pollicitus sum, quia in omnibus pressuris, nec capillus de capite vestro peribit, et inimicis occidentibus corpora in patientia vestra possidebitis animas vestras (*Matth.* X ; *Luc.* XXI). « Hæc autem ab initio non dixi, quia vobiscum eram. At nunc vado ad eum qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis ? Sed, quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. » In hac evangelica lectione primum diligenter illud perspiciendum est, quid intendens Dominus dixerit : « Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis. » Nam vere quidem cum hæc diceret, abiturus erat in cœlum, tam manifesta ascensione, ut non opus fuerit ulli apostolorum interrogare eum : Quo vadis, « videntibus illis quia elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I). » Verum sic eo vadente, non tristitia, sed gaudium implevit cor eorum, sicut manifeste Lucas testatur, qui « et ipsi

A adorantes reversi sunt in Jerusalem cum gaudio magno (*Luc.* XXIV). » De cujus inenarrabilis gaudii illorum magnitudine Propheta longe prædixit : « Ascendit Deus in jubilatione, » continuo subjungens, « et Dominus in voce tubæ (*Psal.* XLIV) ; » videlicet pro terrifica secundi adventus ejus prænuntiatione, quia dixerunt angeli illis intuentibus in cœlum : « Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I). » Itaque non tristitia, sed gaudium corda discipulorum implevit, pro eo quod ipsis cernentibus Salvator in cœlum ascendit. Ait autem hic : Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. « Et paulo post : « Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit ; » vera ergo ratio postulat,
B de via vel transitu passionis ejus hoc dictum intelligi, de quo et evangelista superius : « Sciens, inquit, Jesus, quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIII). » Præterea scire oportet, quia per passionem Christi hoc actum est, quod gratia Paracleti Spiritus in nos effusa est. Nam, si Christus non passus in cœlum ascendisset, profecto iste Spiritus gratiæ, qui per sanguinem ejus peccata remittit, datus non fuisset. Quod ipse sua confirmat sententia dicens : « Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet (*Joan.* XII). » Hoc igitur sensu præeunte, quid dicat audiamus : « Hæc autem ab initio non dixi, quia vobiscum eram, » et est sensus : Ea quæ de Paracleto Spiritu sancto nunc vobis dico, idcirco « ab initio, » id est, ex quo me se-
C cuti estis, « non dixi, quia vobiscum eram, » quia nondum propter peccata vestra vulneratus, nondum propter iniquitates vestras de terra viventium abscissus vel contritus eram (*Isa.* LIII). Idcirco, inquam, de hoc Paracleto, de hoc Spiritu adoptionis filiorum (*Rom.* VIII), hæc vobis non dicebam. At vero nunc « vado ad eum qui misit me ; » nunc, inquam, quando traditus in mortem, in manus Patris commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII). Quid autem hoc sibi vult, quod ait : « Et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis ? » Videlicet quia fuerat interrogatus ab illis dicentibus : **312** « Domine, quo vadis, » et iterum : « Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire (*Joan.* XIV), » et videbantur sibi promptis animis modo sequi, et parati
D esse cum eo, et in carcerem, et in mortem ire (*Luc.* XXII). At illi fugere debebant, et eum solum relinquere quem sit instanter interrogabant. Bene ergo ait : « Et nemo ex vobis interrogat me, » quo videlicet illam solitudinem suam suavi redargutione prænuntians, de qua postmodum dicturus est : « Amen dico vobis, venit hora ut dispergamini omnes et me solum relinquatis. » Tunc enim revera nemo ex eis dixit : « Domine, quo vadis, » quia neminem velle vel posse eum sequi, fuga declaravit. Subjunxit ergo : « Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. » Gaudendum, inquit, vobis est, quia vado ad Patrem, præsertim

quia, ut superius dixi vobis, « ego vadens rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit, » et quia « in domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV), » in qua, præeunte ac duce hoc Paracleto, accipiam vos ad meipsum ; sed econtra « tristitia implevit cor vestrum, quia hæc locutus sum vobis, » quia videlicet in hac humana conversatione præsentem me semper habere cupitis.

« Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos. » Magno plane sententiam suam pondere firmat, dicendo : « Ego veritatem dico vobis. » Cur hoc, nisi quia vere expedit nobis scire, vel credere quod nisi fuisset ipse passus, nos spiritum adoptionis filiorum non reciperemus ? (*Rom.* VIII). Ob hoc vere expediebat nobis ut abiret, et hoc nihilominus expedit vobis credere, quia factum non esset quod per ipsum gratiam reconciliationis acciperemus, nisi ipse abiens sanguinem suum fudisset. Ait ergo : « Ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. » Et exponens quam vere hoc expediat : « Si enim, inquit, non abiero, Paracletus non veniet ad vos. » Quare, si non abiero, Paracletus non veniet ad vos ? Videlicet quia non erit in quo consoletur vos. In quo enim consolabitur vos, nisi ego sicut mandatum dedit mihi Pater sic fecero, et inobedientiam primi hominis obedientiæ virtute excludens, perditam vobis restauravero animarum vitam, corporumque resurrectionem acquirendo (*Rom.* V). Ergo si non abiero, si non de torrente in via bibero (*Psal.* CIX), non veniet ad vos Paracletus, id est consolator, sed nec Paracletum se profitebitur iste Spiritus sanctus, utpote non habens in quo consoletur vos, vel quid dicat vobis paternæ prævaricationibus præjudicium portantibus. Amplius autem et omnes consolationes irritæ erunt, quascunque locutus est hic Spiritus sanctus per os sanctorum qui a sæculo sunt prophetarum ejus (*Luc.* I). Nec enim implebuntur Scripturæ, quas idem Spiritus sanctus prophetis, communem miseriam lugentibus, pro consolatione inspiravit. Nam quæcunque scripta sunt, idcirco ad vestram doctrinam scripta sunt, ut per consolationem Scripturarum spem haberetis vitæ quam in Adam perdidistis (*Rom.* XV). Igitur « expedit vobis, inquit, ut ego vadam ; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos. » « Mittam eum ad vos, » id est mittam eum in vos. Non enim de loco ad locum mittitur, quia ubique est Deus Spiritus sanctus, neque parietibus comprehenditur, sed sensibus mentis et fide suscipitur. Hoc sane semel et iterum fecit Dominus noster quod nunc promittit. Semel ipsa die qua resurrexit, quando utique jam abierat, jam de sua minoratione ad gloriam et honorem, de mortali conditione ad immortalitatem, de hoc mundo ad Patrem transierat. Tunc enim, id est ipsa die, « stans in medio discipulorum suorum, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX). » Accipite, inquam, Paracletum in maximam consolationem, id est in peccatorum remissionem et in Scripturarum revelationem. Sic enim et in hoc evangelista statim sequitur : « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis (*ibid.*). » Et Lucas eamdem narrans apparitionem : » Tunc, inquit, aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » De qua Spiritus emissione suo loco plenius dicendum erit. Iterum vero tunc misit, quando decimo post ascensionem ejus die, congregatis in unum discipulis, « factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes (*Act.* II). » Tunc, inquam, iterum misit hunc Paracletum, ut qui omnibus æqualiter datus fuerat in remissionem peccatorum, nunc singulis pro voluntate sua divideret diversa dona gratiarum, ut essent facundi ad prædicandum, fortes ad toleranda certamina passionum. Sequitur :

« Et cum venerit, ille arguet mundum de peccato, et de justitia et de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me ; de justitia vero, quia ad Patram vado, et jam non videbitis me ; de judicio autem, quia princeps mundi hujus jam judicatus est. » Magnam Spiritus sancti fortitudinem, et omnium eorum summam, quæ nunc usque Spiritus idem tonat voce sua mirabiliter, mira cum suavitate Agnus Dei mox immolandus prænuntiat. Cuncta enim quæ homines hoc Spiritu sancto inspirati vel inflammati, fortiter atque suaviter extunc prædicant, principaliter de his tribus disputant, peccato, justitia atque judicio, quæ singula exponens : « De peccato, inquit, quia non crediderunt in me, » et cætera. Horum duo sunt opposita, sibique contraria, scilicet peccatum atque justitia. Tertium est judicium in quo duobus illis, peccato videlicet atque justitiæ, loca vel præmia condigna reddenda sunt. Peccatum sane hic non tantum Judæorum accipiendum est, qui non crediderunt in eum quem corporaliter præsentem viderunt et audierunt, vel primum quidem Judæorum, deinde Græcorum, id est, omnium totius mundi nationum. Non enim dixit : Ille arguet de peccato Judæos, sed « ille, inquit, arguet mundum ; » neque Judæos tantum, sed omnem quoque per apostolos Christi arguet Spiritus sanctus mundum. Quomodo, inquis, totus redarguendus erat mundus de hoc peccato, quia non crediderunt in eum, cum in una tantum prædicaverit gente Judæorum ? Ad hæc inquam : Altius plane considerandum est incredulitatis peccatum : omne quippe vitium et omnis iniquitas generis humani ab incredulitate sumpsit initium, quia videlicet primi homines plus serpenti quam Deo crediderunt vel obaudierunt (*Gen.* III), et exinde corrupti posteri eorum, et gentes magis diabolo vel idolis ejus quam Deo credentes, et Judæi magis Antichristum quam Christum exspectantes, communiter peccaverunt, et omnia, inquit Appstolus, in incredulitate conclusa sunt (*Rom.* XI). Itaque per peccatum, quod sic exposuit dicens, « quia non crediderunt in me, » omnis

injustitia vel inobedientia veteris hominis, et per justitiam, quam sic designavit dicens, « quia ego ad Patrem vado, » omnis justitia vel obedientia novi hominis intelligenda est, de quibus utique, scilicet peccato atque justitia, mundum Spiritus sanctus in eo redarguit, quia per prædicatores suos urgere non desinit, instans opportune, importune, ut exuant veterem hominem cum actibus, et induant novum, eum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV; *II Tim.* IV). Justitia **313** namque novi hominis in eo pulchre designatur, quod ait : « Quia vado ad Patrem » id est, quia obediens Patri usque ad mortem (*Philipp.* II). præsentis vitæ communem relinquo conversationem. Quod sic debere intelligi et supra jam dictum, et adhuc postmodum dicendum est, ubi ait : « Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, » statim adjungens, « quia vado ad Patrem. » Ergo peccatum, cui hæc justitia præsenti loco opposita est, radix omnium peccatorum, scilicet originale peccatum est, cui cum in baptismo Christi abrenuntiare jubemur, et ejusdem novi hominis fides judiciumque futurum nobis credendum committitur, vere de peccato et de justitia et de judicio mundum redarguit Spiritus sanctus, ut non vacet ulli homini nescire quis peccati, quis justitiæ finis sit, quam tremendum judicium ad discernendum utriusque meritum in fine futurum sit; sane quod ait : « De judicio autem, quia princeps mundi hujus jam judicatus est, » consequentem eorum damnationem, qui adhuc illi adhærent, terribiliter expressit; quia videlicet judicato capite, membra quoque pariter præcipitanda creduntur, dicente judice : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Igitur passionem Christi consecuturus adventus Spiritus sancti, causa digna est, cur contristari non debeant ejus discipuli, pro eo quod ad Patrem vadit. Sed ea quæ nunc dixit, et cætera hujusmodi, quæ de ipso sciri oportet et credi, ipsi ferre nondum erant idonei. Unde et protinus ait :

« Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. » Ergo quod superius dixerat : « Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis (*Joan.* XV); » de futuro oportet intelligi et idcirco præterito tempore sic enuntiari, quia sine dubio mox futurum est quod promittit. Sequitur : « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. » Omnem quippe veritatem quam scire oportet, ille docebit vos, aperiendo vobis sensum, ut intelligatis Scripturas, et cognoscatis in veritate cuncta quæ vel parabolice dicta, vel figurate facta continentur in lege, et prophetis et Psalmis de me (*Luc.* XXIV). « Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. » Inde, inquit, est Spiritus veritatis, et inde vos omnem veritatem docebit, quia « non loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur. » Spiritus enim qui a semetipso loquitur, non spiritus veritatis, sed spiritus est mendacii, et omnes prophetas mendaces facit (*Jer.* XXVII), ut prophetent de corde suo, quod Dominus non est locutus, et confingant esse quod non est, vel malum esse quod bonum, et bonum esse quod malum est (*Isa.* V). Non sic loquetur iste Spiritus, sed « quæcunque audiet loquetur, » id est, ea quæ sunt quæ vera existunt, et auctoritatem in Scripturis habent, loquetur, nihil confingens, nihil pervertens et veros prophetas faciet vos ut non loquamini a vobismetipsis, sed loquamini quæcunque audietis in lege, et prophetis, et Psalmis de me, nihil confingentes, nihil depravantes, sed vero sensu veridicam Scripturam exponentes. Ita « non a semetipso loquetur, sed quæcunque audiet loquetur » per os vestrum « Spiritus veritatis, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis, » ut non solum prophetarum docti auditores, sed etiam futurorum ipsi cognitores et prophetis sitis compares; insuper et futuram beatitudinem vestram tali nuntio prægustantes.

« Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » — « Ille, » inquam, talis tam verus et tam idoneus testis « me clarificabit, quia de meo accipiet, » id est, de eo quod scriptum est « de meo accipiet, et annuntiabit vobis, » vestro patenter insinuando intellectui. Verbi gratia meum est illud dictum in Psalmo : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » De hoc meo testimonio accipiet, vobisque intimabit auctoritatem testificandi de me, quod ego Domini Dei Filius sim, non adoptatus, sed genitus, quia dixit ad me : « Ego hodie, » id est, in æternitate, « genui te, » et quod ille jusserit mihi nunc facio, postulare gentes; quod, inquam, nunc facio in istis diebus carnis meæ, preces supplicationesque ad eum, qui me salvum facere possit a morte, cum clamore valido ac multis lacrymis offerens (*Hebr.* IX), et profecto mox pro mea reverentia exaudiet me : « Dabo, inquiens, tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Hoc profecto meum est, et quoties tale quid annuntiabit, vel aperiet vobis, « de meo accipiet, quia cum ego Verbum Dei sim, omnes Scripturæ Dei meæ sunt, testimonia mea sunt. Et hoc faciens, ille utique me clarificabit, testimonium perhibens de me, ut vos quoque in omni prætorio, in omnibus synagogis, vel conciliis, talem habentes vel advocatum vel prolocutorem, testimonium perhibeatis quod ego Filius Dei sim, et quod omnes gentes, omnesque termini terræ hæreditas vel possessio mea jure sint. Quærat forte aliquis, cur non dixerit : Mea accipiet, sed « de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » At ipse continuo :

« Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » Quæritis, inquit, cur non omnia, sed de meo acci-

piens annuntiabit? Ecce dico : « Omnia quæ habet Pater, mea sunt. » Quæ nam sunt quæ habet Pater ? « Habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem (*I Tim.* VI), » et talia quæcunque illum habere sacra Scriptura testis est, quæ utique hominum nemo dum vivit, sicuti sunt, videre vel cognoscere potest (*Exod.* XXXIII; I *Joan.* III). Hoc enim vobis in futuro repositum est, ut cognoscatis nunc ex parte quidem et videatis per speculum in ænigmate, tunc autem cognoscatis sicut, et cogniti estis, facie ad faciem videatis (*I Cor.* XIII). Hæc autem omnia quæ habet Pater sic incomprehensibilia mea sunt, quia videlicet ejusdem, cujus et ille naturæ ego sum, et est mihi cum illo una Divitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Recte igitur non dixi mea, sed « de meo accipiet, » videlicet propterea, quia non in vita præsenti omnia quæ Patris et mea sunt, vobis annuntiabit, sed ex parte cognoscere, et ex parte prophetare dabit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (*I Cor.* II). Sequitur

« Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem. » Juxta alios evangelistas, interea dum hæc dicuntur, erant apostolorum oculi gravati, et importune dormitabant præ tristitia. Sciebat autem ille, quem nihil latebat, qualiter interim Judas perditionis filius, et mortis minister, agitante se diabolo, discurreret, festinaret, accipiens cohortem, et a principibus et Pharisæis ministros, laternas ac faces accendens, et arma conducens. Quæ omnia priusquam fierent hoc itidem salus nostra Dominus Christus proposuerat, ut non perderet quemquam ex ipsis, quas Pater sibi dederat (*Joan.* VI). Igitur, secundum quod apud alium evangelistam dicit sic : « Non potuistis una hora vigilare mecum, vigilate et orate, ne intretis in tentationem (*Matth.* XXV), **314** » et in hoc evangelista volens eos sollicitos, et ad evadendum paratos esse : « Modicum, inquit, et jam non videbitis me. »

Modicum sustinete mecum, et vigilantibus oculis considerate et attendite me. Non post hoc modicum, id est, post hanc horam vel diem instantem, jam non videbitis me. Nec vero turbetur cor vestrum, ecce et hoc vobis dico, quia « iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem. » Notandum quia dicendo : « Et jam non videbitis me, et iterum videbitis me, » pene circa idem opposita vel contraria constituit, scilicet videre et non videre, videlicet ad commendandam veritatem resurrectionis, qualis et in ipso post modicum, et in nobis in fine sæculi futura sit.

Cum enim utrobique dicit, « me, » seipsum et non alium in vera substantia carnis resurrecturum esse asserit; cum autem, « et jam non videbitis, et videbitis, » dicit, immutationem, id est, aliam ejusdem carnis gloriam fore repromittit. Hoc, inquam, notandum, quia « jam non videbitis, » id est, in æternum non me videbitis, inquit, scilicet qualem nunc videtis utique passibilem, mortalem, cum hominibus conversantem, humanas infirmitates scientem, virum dolorum, et novissimum virorum (*Isa.* LIII), talem jam non videbitis me post hoc « modicum, » id est, post diei sequentis horam nonam. Nam econtra immortalem atque impassibilem « iterum videbitis me, atque ita non quidem alium, sed tamen longe alteratum videbitis me. Igitur qui dicturus, « iterum videbitis me, » præmittit : « Jam non videbitis me, » profecto non humanæ substantiæ veritatem interuram, sed naturæ gloriam per virtutem resurrectionis asserit immutandam. Sequitur :

« Dicebant ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc quod dicit : Modicum non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, et quia vado ad Patrem ? » Videlicet quia virtutem resurrectionis nesciebant, imo nec ipsum resurrecturum esse credebant, quippe qui de illo magna sentientes, nec hoc saltem, quod moriturus esset, intelligere poterant. Proinde non mirum, quod vim sermonis capere nequibant. « Dicebant ergo : Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum ? Nescimus quid loquitur. » Poterat utique Dominus sic hæsitantibus quid loqueretur edicere verbis evidentioribus ; verum res ipsa mox subsequens omnia commodius declaratura erat. Hoc profecto teneris mentibus expediebat, ut nec omnino reticeret, nec totam, sed ex parte rem doloris immensi verbis prænuntiaret, videlicet ne illa tempestas irruens repente nimis, fidei fundamentum in illis penitus everteret; sed sensim revelatus dolor tolerabilior fieret. Proinde adhuc ita sequitur :

« Cognovit ergo Jesus quia volebant eum interrogare, et dicit eis : De hoc quæritis inter vos quia dixi vobis : Modicum et non videbitis me, quia vado, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit. » Ecce palam est, quia cum consilio suo doctrix sapientia, suaviter agens, et sollicitudinem auget, et causam sollicitudinis subtectam ex magna parte continet. Præmisso namque : « De hoc quæritis inter vos, quia dixi : Modicum et jam non videbitis me, » et cætera, non dicit continuo, quod intellectui pronum esset, unum modicum est abhinc usque ad horam nonam instantis diei, qua transacta sepeliendus sum, et « jam non videbitis me ; » et aliud modicum est ab eadem hora usque in diem tertium, quo resurgam, « et iterum videbitis me, » sed ita subjungit : « Amen, amen dico vobis, quia flebitis et plorabitis vos, mundus autem gaudebit. » Hic subaudiendum est : Sed postmodum plorabit et ululabit, vel risus ejus dolore miscebitur, et extrema gaudii ejus luctus occupabit (*Prov.* XIV). Nam econtra mox sequitur : « Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » Mundi hujus, inquit, immundi, qui suis immunditiis me adversantem odit. Mundi, inquam, id est amatorum mundi, inde gaudium erit, quia vado ad Patrem, quem tamen ille nescit. Sed tale ejus gaudium contritio duplex absorbebit. Primum, quia venient dies in quibus dicent : « Beatæ steriles, et ventres qui non porta-

verunt et ubera quæ non lactaverunt (*Luc.* XXIII), » videlicet quando venient Romani, et tollent eorum locum et gentem (*Joan.* XI), secundem pavorem ipsorum ; deinde quia tandem videbunt in quem transfixerunt (*Zach.* II). Vestra autem tristitia quantam lætitiam operetur, vel quando delenda sit gaudio, ecce per simile vobis intimo.

« Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus. Cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ,propter gaudium, quia natus est homo in mundum.« Igitur et vos nunc quidem tristitiam habetis. » Ut hoc, quod per conclusionem sic infertur : « Igitur et vos nunc quidem tristitiam habetis,» commodius sedeat,sumere prius vel subaudire convenit,sanctam Ecclesiam mulierem magnam esse et inclytam, ejusque virum sive maritum, Patrem omnium Deum,puerum autem ejus,quem ex eodem viro per magnam veri amoris concepit gratiam, ipsum esse, qui hæc loquitur, Dominum nostrum Jesum Christum. Hunc enim tunc primitus per fidem concepit,quando jam adolescentula in Abraham promissiones audivit dicentis : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » et credidit, et extunc beata progenies mente gravida, verbum promissionis bajulans in patriarchis et prophetis per ejusdem verbi incrementa proficiens,quasi feta alvo magis ac magis tumuit, tandemque, diu desideratum puerum mulier eadem, cujus beati apostoli magna portio sunt, in magno dolore et angustia passionis enixa est, viditque eum in diem æternitatis feliciter nascentem, id est, a mortuis resurgentem, « et jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus, » quia renatus est, et redivivus est «homo in mundum» redemptum et salvatum, ut mundi, imo cœli et terræ et omnium quæ in eis sunt obtineat principatum. Proposita itaque similitudine, qua dicit : « Mulier cum parit tristitiam habet ; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium quia natus est homo in mundum, » hoc quod jam dictum est, per subauditionem sumendum est, et sic validior conclusio sese inseret : « Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. »

« Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gandium vestrum nemo tollet a vobis. » Vos, inquit, qui nunc estis quasi mulier in utero habens,quæ clamat parturiens, et cruciatur ut pariat,ego iterum videbo, vobisque videndus apparebo, separatus quidem a vestræ mortalitatis utero sed bono vestro natus,et immortalis factus in regnum æternum (*Apoc.* XII).» — «Et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum » certum et verum, « nemo tollet a vobis » Nam vos constanter gaudentes dicetis : « Quare fremuerunt gentes,et populi meditati sunt inania ?» (*Psal.* II). Vere enim in vanum frement, et inania meditabuntur,quando cædent vos in synagogis. Ibi etenim magis gaudebitis, et ibitis gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni estis pro nomine meo contumeliam pati (*Act.* XII). Quod et si corpus occide-

B rint, sic quoque cor vestrum gaudebit, quia gaudium vestrum non in carne, quæ **315** potest occidi, sed in corde vel anima, quam persecutor occidere non potest (*Matth.* x), repositum erit. « Vestrum » igitur « gaudium nemo tollet a vobis. »

« Et in illo die me non interrogabitis quidquam. » Nunc de hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis : « Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, et vultis me interrogare, verum « in illo die » gaudii vestri « me non interrogabitis quidquam » horum ; scietis enim rerum vel affectuum præsenti evidentia perdocti.Sed et cæterum quidquid scitu opus erit, ex illo die sensum habentes apertum, Scripturas interrogabitis, legis, prophetarumque et Psalmorum volumina consuletis, et B ipsa vobis edisserent quid fecerim aut quid locutus sim vobis (*Luc.* x). Sequitur : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis ; usque modo non petistis quidquam in nomine meo : petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. » Sæpius replicando, suisque inculcando discipulis Dominus noster,ut in nomine suo petendum esse noverint, si quid Patrem petere velint, mediatorem Dei et hominum sese salubriter cupit agnosci (*I Tim.* II), adeo necessarium, ut nemo ad Patrem venire nisi per ipsum, nemo a Patre quidquam possit impetrare nisi per nomen suum. Undé salutaris mos, et catholica hæc more sanctæ Ecclesiæ orandi regula est, ut in omni oratione, quam ad Patrem dirigit, subjungat*:* per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.Quia videli- C cet præter hanc nulla via,nullumque est aliud ostium ad quod respiciens efficaciter dicat : « Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo ; elevatio manuum mearum sicut sacrificium vespertinum (*Psal.* CIV). » Solum hujus unigeniti Filii Dei nomen, quod Jesus Christus, necessarium universæ orationis est vehiculum, quo in cœlum directo cursu perlata consistat ante Patris conspectum, salutemque de sinu ejus et gratiam sugere valeat remissionis peccatorum. Verum hoc apostoli necdum sciebant ; idcirco jam abiturus Magister vitæ, hoc illis in sermone suo commendabat attentius.Itaque,dum dicit*:* « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, « econtra subaudiendum est, quia nihil Pater dabit vobis, nisi orantes D in nomine meo petieritis. Superioribus autem ita præsens lectio conjungitur. Ut sciatis,inquit,quod vere magno fructu gaudii subsequentis, nunc vos tristitiam habeatis, sicut « mulier cum parit, » hoc vero dico vobis : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. » In nomine,inquit, meo, id est, secundum nomen meum,quod Jesus, et *salvator* interpretatur. Cujus nominis causam sive responsionem angelus beato Joseph exprimens : « Ipse enim,inquit, salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Ergo in nomine Jesu petere,est illud petere, propter quod ipse, qui hoc nomen sibi elegit, « descendit de cœlis, et incarna-

A tus est, et homo factus est, crucifixus, mortuus et sepultus est, et resurrexit tertia die, et ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris. » Quare autem hoc totum factum nisi ut per nomen ejus remissionem peccatorum acciperemus? Ergo cum quid petimus, quod causæ huic sine dubio cooperetur, fidenter tanquam in nomine Jesu petentes nos accepturos speremus. Qui sensus ex alio Evangelii loco melius elucet: « Amen, inquit, dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*Matth.* XVIII). » Quinam sunt hi duo consentientes, qui, inquam, sunt duo vel tres in nomine Jesu congregati, nisi de quibus præmiserat, dicens: « Si peccaverit in te frater
B tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si non te audierit, adhibe tecum adhuc unum (*ibid.*). » Tunc namque duo sibi consentiunt, quando is qui peccavit frater, fratrem audit corripientem; tunc, inquam, duo vel tres congregati in nomine Jesu sunt, quando vel inter se et ipsum solum quis corripit peccantem, vel nondum auditus adhibet secum adhuc unum. Qui profecto tunc vere congregati sunt, et vere sibi consentiunt, quando is qui peccavit, lucrifacus, inclinatur ad pœnitentiæ consensum. Proinde fiducia datur illis veniæ vel salutis fraternæ, cum dicitur: « Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis (*ibid.*), » et ex præcedentibus necessario subaudiendum est, ut dicas de omni re peccati.
C Cæterorum autem quidquid petierimus pro superfluis voluntatibus nostris, nequaquam propter has vel cæteras hujusmodi pollicitationes suas, quasi debitor jure tenendus est, præserti cum in oratione sua quam apostolis dicentibus: Doce nos orare (*Matth.* VI), » ipse composuit summam omnium quæ petenda sint; septem petitionibus, secundum septem dona Spiritus sancti, designaverit, quarum prima est, « Sanctificetur nomen tuum; » septima, « Sed libera nos a malo (*Matth.* VI). » Igitur cum dicit: « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; » oportet ut neque a Patre quidquam, nisi quod nostræ salutis sit petere audeamus, neque nos impetrare aliter, nisi per unigeniti Filii nomen arbitremur. Quod quia necdum apostoli, ut prædic-
D tum est, noverant: « Usque modo, inquit, non petistis quidquam in nomine meo. » Denique nondum jam perfecte noverant eum, licet crederent, vel confiterentur eum Christum Filium Dei vivi, necdum, inquam, tam plane cognoverunt eum, ut scirent illi eum legationem suscepisse nostræ pacis, et mediatorem datum esse ad impetrandam hominibus gratiam dei Patris (*Ephes*, I). Proinde non petierant quidquam hactenus in nomine ejus, siquidem nec ipse hoc illis ante hanc horam suæ passionis mandasse invenitur, quanquam multa in plerisque locis de orationis instantia sit locutus. Et addidit: « Petite et accipietis ut gaudium vestrum sit plenum. » Ordo vel sensus hic est: « Petite, ut gaudium vestrum sit plenum, et accipietis. » In quo autem plenum esse poterit, nisi ut veniamus et appareamus ante faciem Dei? omne namque gaudium mundi hujus deceptivum, et omnis risus ejus erroneus est (*Eccle.* II), solum autem de visione Dei et risus faciei ejus præsentis plenitudinem habet, et in veritate est. Nec enim obscurari vel auferri potest. Igitur cum dicit: « Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum, » illa tantummodo petenda esse innuit, quæ proficiant ad visionem Dei, in quo solo plenitudo gaudii est. Tandem in calce sermonis infert:

« Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. » Quænam sunt quæ in proverbiis locutum esse asserit? Nunquid ex quo surrexit a cœna proverbia sive parabolas dixit, et non potius plano sermone præcepta dilectionis, et hortamenta patientiæ dedit? Siquidem et apostoli solum hunc sermonem respicientes quem in illa nocte huc usque produxit: Ecce, inquiunt, nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Cum ergo dicit, « hæc in proverbiis locutus sum vobis, » etc., non ad verba ipsa, quæ tunc loquebatur referri voluit, alioquin, magis proprie **116** sic dixisset: Hæc proverbia locutus sum vobis, si tamen revera proverbia poterant convenienter dici, quæ hactenus locutus est eis: Sed hæc, inquit, quæ nunc instant, quæ nunc aguntur, scilicet passionem meam, pro qua cor vestrum tristitia nunc implevit, resurrectionem, quoque vel ascensionem qua visa gaudebitis, « et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, Paracleti quoque effusionem, quem si abiero mittam ad vos, » ut jam dixi. « Hæc, inquam, in proverbiis hactenus locutus sum vobis, » variis præsignavi figuris, usque in hanc horam passionis, imo usque dum tradente me spiritum, scindatur velum templi a summo usque deorsum (*Matth.* XXVII), ipsa sua scissione contestans ea quæ hactenus latebant sub figuris, deinceps in veritate clarescent mysteria verbi Dei. « Extunc enim jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis, » ita ut præsentibus rebus quarum figuræ præcesserunt, vos non solum intelligere ea quæ præsens ipse feci, vel locutus sum vobis, sed etiam quæ in figura contingebant patribus vestris, discutere et aperire possitis.

« Illo die in nomine meo petetis. » Illo, inquam, die, revelatæ gratiæ, die salutis, et acceptabili tempore (*I Cor.* X, *II Cor.* VI), quando spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, de meo accipiens, et annuntians vobis: « Vos in nomine meo petetis, » quia videlicet cognoscentes me, et credentes quia « ego in Patre, et Pater in me est, » verum Deum et hominem, æque ut Patrem adorabitis, et sic in nomine meo petetis quod usque modo non fecistis. « Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastir et credidistis quia a Deo exivi. » Non inquit,

illo die ego rogabo Patrem de vobis. Ne forte hæreticus non intellexerit, quomodo supra dictum sit: « Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, » et inde argumentetur, Patre minorem esse Filium, eo quod rogare minoris sit, ecce et hoc e diverso infert. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis, scilicet « illo die, quo, ut jam dixi, in nomine meo petetis. » Nam isto quidem die, qui nunc ingruit, die tribulationis meæ, quo capiunt, animam meam, et irruant in me fortes (*Psal.* LXXVI). « ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis: » rogabo, inquit, sacerdos factus ipse sacrificium, secundum passibilem hominis naturam: illo autem die et deinceps, quo iterum in gaudio cordis vestri videbitis me « jam non rogabo Patrem de vobis. » Quare? Ipse enim Pater amat vos, id est isto rogatu meo sibi reconciliatos jam habet amicos vos, et de filiis iræ fecit filios gratiæ suæ (*Ephes.* II). Unde hoc? « Quia vos me amastis, et credidistis, quia a Deo exivi. »

« Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. » Exinanivi me formam servi accipiens (*Philip.* II), et veni salvare mundum, custodiendo vias duras propter verba labiorum (*Psal.* XVI) Patris, dum non loquor opera hominum. Iterum relinquo mundum, deponens servitii jugum, et vado ad Patrem, propter passionem mortis recipiens gloriam et honorem (*Hebr.* II). Propter hoc ipse Pater illo die amat vos, quia credidistis hoc. Etenim ista credulitas efficiens causa est, ut mea prosit vobis passio, ut reconciliemini Deo, ut non jam filios iræ, sed gratiæ reputet et amet vos, ita ut jam ex illo die non oporteat me Patrem rogare de vobis, quod modo semel facio; semel enim morior, et quod morior peccato non meo, sed vestro morior, deinceps vivam Deo, quia sicut dixi vobis: « Vado ad Patrem, » a quo propter hoc exivi ut hoc modo redirem. Hoc nempe illud est quod Psalmista cœlis enarrantibus audivit aure prophetica. Præmisso namque hoc versiculo, quo exposuit quam Dei gloriam enarraverit, dicens: « In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo; exsultavit ut gigas est ad currendam viam suam, » statim subsecutus « a summo cœlo egressio ejus (*Psal.* XVIII). » Igitur Cherinthus atque similes ejus hæretici mentiti sunt dicendo, ante Mariam non fuisse Christum: « Quia exivi, inquit, a Patre et veni in mundum, » contestante propheta, quia a summo cœlo egressus sum. Sequitur:

« Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. » Dixerat enim eis ipse. « Hæc in proverbiis locutus sum vobis, venit hora cum jam in proverbiis non loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis. » Non adverterant quod jam in præsenti tempore dixit: « Hæc in proverbiis loquor vobis, » sed præterito: « Hæc in proverbiis locutus sum vobis. » Unde jam superius dictum est. Dixerunt ergo: « Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. » Quod si ex parte verum est, nunc, id est, in hac cœna nullum proverbium dixerat, attamen non palam erant illis omnia quæ dixerat. Nam et paulo ante dixerunt: Quid est hoc quod dicit nobis: « Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, et quia vado ad Patrem? » — « Nescimus quid loquitur. » Adeo caligabant in illa magna tristitiæ nebula, qua non solum oculi, sed et interni sensus eorum erant gravati (*Matth.* XXVI), ut ipsam quoque ignorantiam vel tarditatem suam nescirent. Sed huic errori fides suberat, discussis ignorantiæ tenebris, et sedatis tristitiæ vel timoris tempestatibus, in suo tempore appparitura. Nam sequitur:

« Nunc scimus quia scis omnia et non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus quia a Deo existi. » Venerabilis et sapientiæ Dei condigna hæc professio est, qua dicitur: « Nunc scimus, quia scis omnia. » Omnia namque scire, solius est, vel « sapientiæ ejus, cujus non est numerus (*Psal.* CXLVI), » « attingit autem a fine usque in finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII). » Hæc enim sola scit omnia, et omnium scrutatur corda (*Jer.* XVII), et universas mentium cogitationes intelligit; quo autem experimento istud cognoverint, indicant continuo subjungentes: « Et non opus est tibi, quis ut te interroget. » Hoc plane idoneum tantæ rei testimonium est. Quis enim est doctorum adeo strenuus ut saltem objectis semper sufficere possit interrogationibus, ne dicam tacitis auditorum occurrere cogitationibus? At ille Dominus et Magister, quanta benevolentia docebat, tanta et potentia corda omnium in manu sua tenebat, ita ut non nesciret quid cuique deesset, quin etiam nulla eum cordis cogitatio lateret. Quod cum multis experimentis, vicino quoque discipuli confirmati fuerant argumento, quia videlicet paulo ante dicente illo: « Modicum et jam non videbitis me, » et cætera, cum dicerent quidam ad invicem: « Nescimus quid loquitur, » cognovit ipse, quia volebant eum interrogare, et non fuit ei opus ut interrogarent, prævenit enim eos dicens: « De hoc quæritis inter vos, » — « Bene ergo scimus, inquiunt, quia scis omnia, » neque nos dubitamus, et recte sic illos dixisse de illo, sine quo nemo alius tetendit super unumquemque scientiæ vel intellectus lineas (*Job.* XXXVIII); « et non est, aiunt, opus tibi, ut quis te interroget, » videlicet quomodo cuique homini docere cupienti opus est, aperiri verbis in quo hæreat sensus auditoris. Quod vero adjiciunt: « In hoc credimus, quia a Deo existi, idem est ac si dicant: In hoc credimus, quia tu es ipsa sapientia, quæ dixit: « Ego ex ore Altissimi **317** prodivi (*Eccli.* XXIV). »

« Respondit eis Jesus: Modo creditis. Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini, unusquisque in propria, et me solum relinquatis: Sed non sum solus, quia Pater mecum est. » Modo, inquit, creditis? modo scitis? Bene quidem est, quia creditis, et bene est, quia scitis; sed videte ne « turbetur cor ve-

strum, » videte ne hanc ipsam credulitatem de cordibus vestris fuget ventus, tollat aura. » Nam « ecce venit hora, » et non longe est,sed jam venit,de qua dictum est : « Quia Satanas expetivit vos,ut cribraret sicut triticum (*Luc.* XXII) ; » Venit,inquam, hæc hora, in qua tanta tempestate cribrabit vos Satanas, « ut dispergamini,unusquisque in propria,» scilicet procul fugientes, ab angustia mea, et contenti salute quisque propria, et me solum relinquatis, ut solus vadam immolari pro vobis.Nam quo ego vado, vos, sicut superius dixi, non potestis me modo sequi. » Sic implebitur Scriptura quæ in persona mea dicit : « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum ; circumspexi,et non erat auxiliator; quæsivi, et non fuit qui adjuvaret (*Isa.*LXIII). » Itaque,ut jam dixi,« omnes in me scandalum patiemini quia dispergemini, quia fugam capietis, et me solum relinquetis (*Matth.* XXVI). » Verumtamen « non sum solus, quia Pater mecum est. » Nec enim sic exivi a Patre, et veni in mundum, ut ille me reliquerit solum.Nunquid ergo fallitur spiritus meus in Propheta dicente : « Deus,Deus meus,utquid dereliquisti me ? (*Psal.* XXI.) » Absit.

Tantillum tacebit Deus meus, silebit et patiens erit, donec isti (quorum est hora quæ jam venit,et potestas tenebrarum) videant, et derideant me, loquantur labiis et moveant caput ; « fodiant manus meas et pedes meos, et dinumerent omnia ossa mea, dividant sibi vestimenta mea, et super vestem meam mittant sortem (*ibid.*). » Tantillum, inquam, tacebit et dereliquisse me videbitur,quia silebit ; sed post hæc non longe faciet auxilium suum a me. Eruet enim a framea animam meam, et de manu canis unicam meam,a mortuis me resuscitans, et exinde palam ego faciam, quod non reliquerit me solum, quia narrabo nomen ejus fratribus meis,et in medio Ecclesiæ laudabo, id est, laudabilem faciam eum.

« Hæc locutus sum vobis,ut in me pacem habeatis. » Quam pacem,nisi peccatorum remissionem ? quam pacem,nisi illarum quæ inter Deum et homines erant inimicitiarum solutionem vel reconciliationem ? (*Ephes.* II.) Hanc, inquit, pacem valde necessariam, ut in me, id est, per mortem meam habeatis, idcirco « hæc locutus sum vobis ; » locutus sum, inquam, id est, feci. Verba namque mea jam facta sunt, quia videlicet certum est futura esse, imo et impossibile est non posse fieri,quæ locutus sum vobis.Quænam sunt ea quæ locutus sum vobis, nisi incarnationis meæ quæ jam facta est, et ejus, quæ sine dubio mox futura est,passionis,simulque et resurrectionis meæ certa mysteria ? « Hæc ego locutus sum vobis,ut in me pacem habeatis, » testante Scriptura, cum dicit : « Si fuerit angelus loquens pro eo,unum de millibus ut annuntiet hominis æquitatem,miserebitur ejus, et dicet : Libera eum,ut non descendat in corruptionem.Inveni in quo ei propitier (*Job* XXXIII), » et cætera. Unum plane de millibus est in his « quæcunque locutus sum vobis ut in me

A pacem habeatis, » ut liberemini et in corruptionem non descendatis, ut in me, qui solus inventus sum Deus propitietur vobis, quod est illud unum ? Hoc scilicet, quod et ego æque ut vos passibilis atque mortalis homo sum. Nam cætera dissimilia sunt, quia videlicet solus ego de cunctis hominibus, quando et quomodo volui natus sum, quando et quomodo volo morior, nihilominus et quando volo resurgo,et in cœlum ascendo. Igitur « hæc locutus sum vobis, » idem est ac si dixisset : Hæc facio vobis. Sequitur :

« In mundo pressuram habebitis,sed confidite,ego vici mundum. » Non, inquit, in mundo sed in me pacem habebitis ; nam econtrario pressuram in mundo habebitis. « Tradent enim vos in conciliis et
B in synagogis,flagellabunt vos,et ante reges et præsides ducemini propter me,et morte afficient ex vobis (*Matth.* X). » Non, inquam, pacem, sed hujusmodi lites et bella et inimicitias « in mundo habebitis. Sed confidite, » et nolite timere eos qui corpus occidunt, et post hæc non habent quid faciant (*Luc.* XII). Nam « ego vici mundum, » quippe qui occisus ab illo, tertio die resurgam. Hac ergo confidentia nolite timere, habentes pacem in me ; etenim vos quoque occisi resurgetis, et eritis socii victoriæ meæ, consortes regni, participes gloriæ (*Rom.* II, *II Cor.* X),

[CAP. XVII.] « Hæc locutus est Jesus,et sublevatis oculis in cœlum dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum,ut Filius tuus clarificet te. » Huic ora-
C tioni Salvatoris congruit ille psalmi centesimi primi titulus talis : *Oratio pauperis cum anxiaretur et effunderet precem suam coram Domino.* Etenim illa hora anxiata est anima pauperis hujus, et erat tristis usque ad mortem, ita ut, sicut alius evangelista refert : « Factus in agonia, et prolixius orans sudaverit, factusque sit sudor ejus ejus guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII) : » Sciendum quippe quia non in illo cœnaculo, in quo cœna facta fuerat, hanc orationem fudit. Nam superius evangelista illum inde egredientem significavit, videlicet ubi jam exacta magna parte sermonis, cum dixisset : « Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam, sed ut cognoscat mundus, quia ego diligo Patrem, et sicut
D mandatum dedit mihi Pater, sic facio, » repente sic intulit : « Surgite, eamus hinc. » Quo tamen tunc abierunt, non dicit, sed luce clarius ex aliis accipimus evangelistis. Sic enim concorditer referunt. Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum. Illic orationem istam fuisse celebratam perspicuum est. Nam postquam illuc exiit : « Tunc, inquit Matthæus, venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : Sedete hic donec vadam illuc et orem. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi ; cœpit contristari, et mœstus esse. » Et subinde : « Et progressus, inquit, pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens : Mi Pater, si

possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* xxvi). » Hoc idem Marcus (*cap.* xiv) evidenter narrat. Lucas quoque egressum illum refert in montem Oliveti, et avulsum a discipulis suis, quantum jactus est lapidis, positis genibus orasse, addens hoc quia factus « in agonia prolixius oravit, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. » Itaque consonantibus cunctis, hanc orationem dixit in monte Oliveti, præsentibus Petro, et duobus filiis Zebedæi. Nam a cæteris discipulis avulsus erat quantum jactus est lapidis. Aliis namque sedere jussis, « donec vadam, inquit, et orem ; » postmodum Petro et filiis Zebedæi, quos assumpserat : « Sustinete, ait, hic, et vigilate mecum. » Et progressus, non jam quantum jactus est lapidis, « sed pusillum, procedit in faciem suam. » Unde non adeo mirum est hunc evangelistam, filium Zebedæi, prolixam ejus scripsisse orationem (*Luc.* xxii), cum alii tam brevem scripserint, quia videlicet vadens, ut oraret, hunc solum ex omnibus evangelistis assumpsit, et hoc audiente oravit. Quid igitur pauper iste anxiatus oraverit, quem clamorem ad Deum Patrem sine dubio perventurum **318** emiserit, in hoc evangelista plenius habentes apponamus, si aures habemus audiendi et audiamus quid clamaverit, quam coram Domino Patre suo precem effuderit. Sublevatis, inquit evangelista, oculis in cœlum, videlicet quo suæ orationis dirigebat clamorem validum, dixit : « Pater, venit hora, » venit, inquam, hora subauditur magnæ angustiæ vel tribulationis, in qua deficiunt sicut fumus dies mei et percutior sicut fenum (*Psal.* ci), leviter occisus justa communem conditionem omnium mortalium. Sed « tu clarifica Filium tuum, » videlicet magna resurrectionis claritate, » ut Filius tuus clarificet te, » scilicet præclara discipulorum suorum prædicatione, vel mortuorum resurrectione. Sequitur enim :

« Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, id est, omnis hominis, sive Judæi, sive Gentilis. Etenim non est Judæorum Deus tantum, sed gentium (*Rom* iii) ; sicut, inquam, dedisti ei potestatem, et decrevisti illum super omnes gentes esse regem, et principem, atque Salvatorem, ad dandam pœnitentiam et remissionem peccatorum (*Luc.* i), sic attende, datumque tuum sive propositum tuum confirma rerum veritate, in eo videlicet, ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam, scilicet duplicem animarum atque corporum resurrectionem. Ita cum dixisset : « Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, » tanquam quæreres in quo se a Patre clarificari, vel Patrem ipse clarificare vellet ; sic, inquit, clarifica jam actu, sicut clarificasti potestate, ut faciat Filius tuus illud, propter quod incarnatus vel homo factus est, id est omnibus, quos dedisti ei, vitam æternam det. Et tanquam iterum quæreres quid pertineat hoc ad clarificationem Patris, dare vitam

A mortuis, qui dixit, « ut Filius tuus clarificet te, » protinus, adjungit.

« Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Igitur quod dixisti : « Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, » idem est ac si dixisset: Secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum (*Rom.* i), attestare me esse Filium tuum in virtute, cujus rei clara cognitio, causa est effectiva hominibus vitæ æternæ. Eo suspirat vel intendit totum hujus orationis incensum, magno charitatis igne adustum, non quod pauper iste dubitet utrum Propheta suus verum sibi prænuntiaverit dicens : « Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat ? » (*Psal.* xl.) Sed ut scirent qui tunc audierunt,

B et intelligant qui hanc ejus orationem nunc legunt vel audiunt, quod salus, vita et resurrectio nostra, moriendi et resurgendi causa fuerit illi « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* ii ; *Isa.* liii). » In alio quoque psalmo cum juxta sensum hujusce orationis, qua nunc dicit : « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, » diceret spiritus ejus : « Domine, Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me (*Psal.* xxix), » etc. : tandemque quasi dubius quæreret : « Quæ utilitas in sanguine meo dum descendero in corruptionem ; nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam ? » (*ibid.*) statim ut vere certos intulit : « Audivit Dominus, et misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus (*ibid.*), » et reliqua. Itaque tam in hac

C oratione sua Dominus, quam in propheticis Scripturis, spiritus ejus non dubius orat, dum et illuc post clamorem suum, dicit : « Audivit Dominus, » quod magnæ est certitudinis, et hic, præmisso : « Pater clarifica Filium tuum, » subjungit continuo : « Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut ostendat quod oratio sua non in incerto, sed in potestate sit. Sequitur :

« Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. » In quo jam clarificaverit Patrem Filius, postmodum expositurus est, dicendo : « Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. » Non ergo quæsitu opus est, quomodo qui dixerat : « Clarifica Filium tuum, ut Filiuus tuus clarificet te, » nunc dicat : « Ego te clarificavi super

D terram, » quia lector ultra intelligit, clarificatum quidem jam esse Patrem in cognitione Filii apud mentes illorum qui credebant, quod hic talis a Deo exierit, quem et confessi jam fuerant esse Christum Filium Dei vivi, sed nondum illis bene cognita majestate vel bonitate ejusdem Filii, multum deerat de glorificatione Paterni nominis. Idcirco utrumque dixit : Ut et Filiius tuus clarificet te, » et « ego te clarificavi. » Cui par est quod posterius dicit : « Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam. » Quod vero nunc addit : « Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam, » idem est ac si dicat : Mandatum tuum implevi, factus homo mortalis, et nunc ad

summum obedientiæ, scilicet ad mortem, inquam, nunc agonizor, sponte perveni. Proinde mox subjungitur :

« Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. » Et quoniam, inquit, consummavi opus, quod dedisti mihi, nunc, scilicet in hac hora quæ venit, « clarifica tu me, Pater, » id est, resuscita me. Clarifica, inquam, apud te, videlicet constituendo ad dexteram tuæ majestatis in Excelsis (*Hebr.* I), eadem claritate quam habui antequam mundus esset apud te, ut nihilominus adoretur ab angelis recens forma servi quam adorabatur ab angelis antiqua forma Dei. Aliter : « Et nunc clarifica tu me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te, » videlicet ut sicut spiritus meus, « in principio ferebatur super aquas ut angelica creatura per me Verbum tuum crearetur te dicente : « Fiat lux (*Gen.* I), » ita et nunc idem spiritus super aquas feratur, ut per me Filium tuum nova hominum creatura nascatur, dum in morte mea baptizantur, unde angelorum, qui cecidit decimus ordo restauretur. Nam hoc etiam modo clarificatio, qua ego tunc clarui, nunc iterabitur. Nunc demum, quia dixerat : « Ego te clarificavi super terram, » exponit in quo clarificaverit dicens : » Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. » Principium namque paternæ clarificationis, horum hominum instiiutio est, per quos nomen Patris oportebat innotescere orbi, unde et recte dicti sunt lux mundi, quia mundum cognitione hujus nominis illustrari, prius ipsi sunt illuminati (*Matth.* V). Quod autem est hoc nomen Dei, nisi Pater Jesu Christi ? Etenim cætera nomina Dei, quæcunque in lege sunt, audire vel scire potuerunt homines ante adventum ejusdem Christi. Hoc autem nomen quod est Pater, vel cujus Filii relatione Pater credendus sit, nunquam cognitum fuisset, nisi veniens ipse Filius hominis illud manifestasset. « Ergo nomen tuum, » inquit, nomen Patris mei, vel quod Pater meus sis, manifestavi per opera quæ nemo alius fecit hominibus quos dedisti mihi de mundo, quos ad me attraxisti ; electos de mundo quia non caro et sanguis revelavit eis, sed tu Pater mi, qui es in cœlis. « Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt. » Nisi enim tui essent, non mihi eos dedisses. Quomodo autem tui jam erant, et nondum mei, nisi quia te quidem Deum invocabant, sed me Filium tuum esse, vel hujus Filii respectu Patrem te vocare, necdum sciebant ? Ergo in eo, eos mihi dedisti, qui filium tuum esse ille revelasti.

319 Quo cognito, ecce ipsi sermonem tuum servaverunt, quia videlicet omnia relinquentes, me secuti sunt (*Matth.* XIX). Quam tui sermonis observationem certam esse, testatur lex dicens : « Qui dixerit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel !

A (*Deut.* XXXIII.) » Igitur quos dedisti mihi, « tui erant, et in eo sermonem tuum servaverunt, » quia relictis omnibus me secuti sunt.

« Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, bi abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis. Et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. » Hoc vere quia tu mihi eos dedisti, consequens erat, ut cognoscerent, ut verba quæ dedi eis, acciperent, cognoscerent et crederent. Nisi enim eos tu mihi dedisses, nunquam cognovissent ; sicut non cognovit perditus Judas, cujus ab affectis palam omnibus est, quia non eum tu mihi dedisti, nec tui causa me secutus est, sed cum non esset tuus, tuis per hypocrisim fuit admistus, peccator et dolosus (*Matth.* XII). Propterea
B nunquam hoc illi sapuit quod isti cognoverunt, scilicet, « quod omnia quæ dedisti mihi, » id est, quæcunque feci opera, quæcunque dixi doctrinæ, verba abs te sunt ; sed dixit mala, in corde suo cum eis sentiens, qui dixerunt : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XI). » — « Et non est hic homo a Deo (*Joan.* IX). » Palam ergo de istis est, quia tu eos ad me attraxisti, quia cognoverunt quia de operibus meis recte senserunt. Cognoverunt, inquam, quia verba non alia, nisi quæ dedisti mihi, dedi eis, et acceperunt acceptione digna, videlicet, ut, sicut jam dictum est, propter verba mea reliquerint omnia sua (*Matth.* XIX). « Cognoverunt, inquit, vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. » Cum idem esse videatur, exire Filium a Patre, quod mitti, cur utrumque dixit, et « quia a te
C exivi, et quia tu me misisti, » nisi ut æqualem judicet charitatem, et suimet, scilicet Filii venientis, et Patris mittentis ? Etenim Pater quidem Filio mandatum dedit, ut veniret bibere pro nobis calicem passionis sed nihilominus idem Filius spontanea charitate venit. Denique non tanquam minorem propter charitatem suam Pater mandato suo coegit, sed ut vere coæqualem et pari dilectione volentem misit. Igitur ut utriusque, scilicet Patris et Filii charitatem judicet, « et cognoverunt, inquit, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. » His ita præmissis, ait : « Ego pro eis rogo. » Tandem orationem suam aperit, pro qua sublevatis in cœlum oculis hactenus obsecravit, dicens : « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, » etc. Hoc plane juxta Apostolum, obser-
D vandum est in oratione legitima, ut per ordinem fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones (*I Tim.* II). Quem ordinem ipse totius sanctæ orationis magister et dux præsenti loco servasse comprobatur. Primo namque obsecrationem præmisit, dicens : « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, » etc. In quibus quasi benevolentiam Patris ambivit, usque ad id quod nunc ait : « Ego pro eis rogo. » Est autem ab hoc loco oratio, id est, verba supplicantia quidem, sed nondum explicantia quid velit aut quo tendat. At vero quod postmodum ait : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, » et reliqua, postulatio est. Et deinde quod

subjungit : « Pater juste, mundus te non cognovit, » etc. : gratiarum actio est. Igitur præmissa obsecratione, jam nunc orationem adnectens.

« Ego, inquit, pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. » Væ ergo mundo gaudenti, orante pro suis, id est, moriente et in ara crucis se sacrificium offerente Christo unigenito Filio Dei : « Quia pro eis quos dedisti mihi, inquit, rogo, non pro mundo. » Mundus enim hic accipiuntur dilectores mundi, tam diversi ab eis, pro quibus Christus rogat crucifixus, quam diversi erant, apud Deum Ægyptii filiis Israel sacro sanguine agni postes suos signantibus. Væ igitur, ut dictum est, tali mundo, quia quod rogat Christus verus agnus Dei, nihil illi proficit, ut cum rege suo principe tenebrarum diabolo, citius in profundum inferni demergatur : solis illis, quos Pater Filio dedit per crucem et sanguinem ejus evadentibus. « Quia tui sunt, » inquit. Et tanquam quærentes, quomodo utrumque dixerit, et mihi eos dedisti, et tui sunt, adhuc plenius subjunxit : « Et mea tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis. » Non ergo desinunt esse Patris, quos Pater Filio dedit, quia neque sine Filio Pater, neque sine Patre Filius quidquam possidet. In quo vero clarificatus est Filius, in eis scilicet in omnibus quæ sunt Patris? In eo videlicet, quod nihil eorum ad Patrem nisi per Filii gratiam venit ; nemo sive mortuorum sive vivorum, nisi per crucem et sanguinem Filii, videre potest gloriam Patris. Quod quia nunc agitur, scilicet ut moriatur et resurgat, et sic vivorum atque mortuorum dominetur. « Et clarificatus sum, inquit, in eis, » videlicet, quam sit factum, quod protinus est futurum. Unde et subditur :

« Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. » Cum hæc loqueretur, utique in mundo erat, quia visibiliter aderat et mortalem vitam spirabat, imo quia pressuram in mundo habebat, et tamen in mundo non erat, quia jam a traditore venditus, moxque tenendus et ad mortem ducendus erat. Ergo non omnino, sed quodammodo jam in mundo non erat, quia jam in termino vitæ præsentis, et jam in exitu mundi pedem irrevocabilem posuerat. Quia vero sic vadens, et dicens : Et ego ad te venio, gloria et honore coronabatur et constituebatur super opera manuum Patris (*Psal.* VIII) ; quia, inquam, sic de torrente in via bibens, propterea protinus habebat exaltare caput (*Psal.* CIX), recte omnino quasi de prætorio dixit : « Et clarificatus sum in eis : » causam autem quare sic vadens, pro suis roget, interposuit dicens : « Et hi in mundo non sunt. » Causa quippe magna et negotiosa est, de qua salutis amicum curare oportebat, quod se stabilitate littoris, id est, immortalitatis pace et securitate potito, sui remiges in fluctibus difficili navigio periclitantur, sine dubio perituri, nisi salutis ab ipso portus illis præparetur. Itaque nunc demum ab eo postulat pro illis, id est, quid roget, propter quid obsecraverit, manifestius aperit. Ait enim : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. » Summam necessariæ postulationis breviter et elocutus, dicendo : « Ut sint unum sicut et nos. » Et hoc multoties repetit : Quia vere magnum, quia præclarum, quia gloriosum et optabile est, esse unum, et quam magnum sit, a similitudine ipsius vel Patris colligimus, quia dixit, « sicut et nos. » Quidnam est, unum esse, nisi semper idem esse et sine permutatione immutabiliter perdurare? Sic plane unum est Deus unus, Pater et Filius et Spiritus sanctus unum, inquam, et idem. Unde et dicit ad Moysem : « Ego sum qui sum (*Exod.* III). » Et Psalmista : « Cœli, inquit, peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur ; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI). »

320 Homo autem postquam a paradisi æternitate peccando dejectus est, ubi pro modo suo, unum esse vel fieri poterat, palam est jam unum non esse ; quippe « qui quasi flos egreditur, conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (*Job.* XIV). » Quam ejus mutabilitatem, imo et defectionem Psalmista quoque deplorans : « Mane, inquit, sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat, quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus (*Psal.* LXXXIX). » Ergo unum esse desiit, et in hoc Dei, qui semper unum et idem est, similitudinem perdidit. Dei autem Filius, qui hæc moriturus nunc loquitur, idcirco nunc moritur, ut ad unum, id est, ad æternitatis stabilitatem homo reformetur, ut mortuus in anima, et moriens quoque in corpore, beata utriusque resurrectio reparetur, et deinceps nullis subjaceat casibus, nullis mutationibus perturbetur. Igitur quod dicit : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos, » adoptionem filiorum Dei postulat illis, pro quibus et patitur, quia videlicet in nomine Patris servari nullo modo melius intelligitur, quam ut hoc idem sit, quod est in Dei filios adoptari (*Rom.* VIII). Nam idcirco Patrem sanctum invocat, ut sibi sanctificet quos filios, non quidem per naturam, sed per gratiam habeat ; et notanda verbi proprietas, dum dicit, « serva. » Servari namque proprie dicuntur, qui capti in bello, cum jure belli possint occidi, victoris miseratione vita donantur. Sic nimirum cum mundo isto, Dei inimico, juste damnandi fuimus, sed victoris Dei gratia dimissi servamur. Unde et juxta rei veritatem servi sumus, licet propter abundantiam gratiæ filii nominemur et simus. Hoc sane prætereundum non est, cum dicitur, ut sint unum sicut et nos, non Dei nobis æqualitatem dari, sed similitudinem comparari. Non enim ait, ut sint unum quod et nos, sed « sint, inquit, unum sicut et nos. » Quod hic idem Joannes in Epistola sua commendans, non ait æquales, sed « scimus, inquit, quia cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Hoc ergo agitur, non ut natura Deo æquales simus, sed ut gratia similitudinem Dei recuperemus, ut videndo eum qui solus vere est, ex ipsa

ejus visione simus unum, sicut et ipse unum est. Unum, inquam, id est, immortales atque impassibiles, et nullius vicissitudinis obumbrationi subjacentes. Sequitur :

« Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. » Corporali, inquit, præsentia « cum essem cum eis, ego servabam eos, » non tamen addidit, ut essent unum sicut et nos. Hoc enim fieri non potuisset, quandiu cum eis ipse maneret passionis expers. Quomodo vero illos servaverit, monstrat propositum sic : « Quos dedisti mihi custodivi, et nemo periit ex eis, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. » Ergo sic tantum illos se servasse dicit, ut episcopatus suos non perderent, sicut perdidit ille « filius perditionis, ut Scriptura impleatur, » videlicet quæ dicit in illum : « Fiant dies ejus pauci et episcopatum ejus accipiat alter (*Psal.* CVIII), » etc. Quod per præsentiam ejus factum fuisse, scilicet, ut vel sic custodirentur, satis ex eo liquet ; qui mox ut ab eis auferri cœpit, maximus eorum Petrus negavit et episcopatum suum perdidisset, nisi quia conversus ipse in eum respexerit. Igitur « quia servavi illos, » inquit, eousque, ut in horam passionis meæ corde mecum permanserint, quamvis corpore fugientes, me solum reliquerint, et idcirco in salutem et peccatorum remissionem fiat illis effusio sanguinis mei. Deinceps : « o Pater sancte, serva eos, inquit, in nomine tuo, » ut fortes facti per omnia mundi pericula perseverantes (*Luc.* XXI), ad hoc perveniant, quod, ut jam dictum est, « similiter ut nos unum sint. » « Custodivi, inquam, eos, cum essem cum eis. »

« Nunc autem ad te venio, et hæc loquor in mundo, ut gaudium meum in ipsis sit. » Non dixit : Nunc ad te venio et sum in mundo, quod contrarium esset ei quod paulo ante dixit : « Et jam non sum in mundo. » — « Hæc, inquit, loquor in mundo, » quod non idem et diversum est. Nam et post resurrectionem suam locutus est in mundo, id est, eis qui erant in mundo, cum tamen ipse non esset in mundo, videlicet in eo, quia mundana vel mortalis non erat ejus conversatio. Quæ autem sunt ea quæ loquitur in mundo, nisi hæc ipsa ejus oratio, cujus cum intentione moriens : « Ad te, inquit, o Pater, venio, et jam non sum in mundo. » Utquid vero hæc loquitur, et hæc orat Pontifex ipse et hostia salutaris ? Ait : « Ut gaudium meum in ipsis sit. » Hoc plane verum et nostræ fidei notum est, quia ut gaudium suum daret nobis, idcirco pro nobis doluit, idcirco hæc locutus est, idcirco « pro nobis Patrem rogavit cum clamore valido, ut ait Apostolus, et multis lacrymis (*Hebr.* V). » Sequitur :

« Et ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo sicut et ego non sum de mundo. » Summa discriminis eorum, propter quod et rogo pro eis, causa ista est, quia « ego dedi eis sermonem tuum, » id est, hæreditarium post me reliqui eis prædicandæ veritatis officium. Propter hoc « mundus eos odio habuit » et persequitur, propter hoc, inquam, nam si non lo-

A querentur ea quæ mundo non placent, non occiderentur, nec in mundo pressuram haberent. Ergo « sic de mundo non sunt, quomodo ego non sum de mundo. » Nam et ego propter hoc non sum de mundo, sed « Extraneus factus sum quoque fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ (*Psal.* LXVIII), » quia loquor non placentia illis. Quid ergo pro eis rogo, quid volo dum dico : « Serva eos in nomine tuo, ut sint unum sicut et nos ? » Nunquid ut jam depositis corporibus liberi, aut in modum Eliæ et Henoc translati exeant de hoc mundo (*Gen.* V; *IV Reg.* V.) Minime.

« Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. » Si enim jam de mundo tollerentur, quo vehiculo quibusve curribus ; quibus, inquam, qua-
B drigis, quove equitatu exiret in omnem terram, et in fines orbis terræ sermo tuus (*Psal.* XVIII), assignare mihi postulanti datas a te gentes hæreditatem meam, et possessionem meam terminos terræ ? (*Psal.* II.) Isti enim sunt soli residui equi tui et quadrigæ tuæ, de quibus scriptum est : « Qui ascendes super equos tuos, quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III). » Non ego rogo, quia nequaquam expedit, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a mundo, id est a peccato. Malum enim solum peccatum est, quia creaturæ rationali præter peccatum nihil nocere potest. Proinde, et si mundus eos odio habens, corpora occidit, animas eorum serva, ut non possint occidere, ut Satanas quantumcunque cribret eos sicut triticum (*Luc.* XXII), non possit quemquam eorum velut paleam, deficiente fide, in damnationem eventilare.
C Quomodo autem servari, et in mundo illos velim dimitti, jam dicam : « Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. » Hoc est, inquit, quod pro eis rogo, ut in veritate sanctificentur, et in mundo sic mittantur sicut ego sum missus, id est, sicut ego veni persecutionem passurus, sic eam et ipsi persecutionem passuri. Quid autem est sanctificari in veritate, nisi vere justificari per fidem in meo sanguine? **321** Nam hactenus sanctificati quidem erant ; sanctificati, inquam, sed nondum in veritate, quia videlicet omnes sanctificationes, quæ scriptæ sunt in lege Moysi, non jam veritas, sed umbræ vel figuræ erant veritatis, vel veræ sanctificationis, qua nunc in sanguine meo tolluntur peccata mundi.
D Hujus autem sanctificationis efficiens causa est sermo tuus, qui est veritas. Quis est iste sermo tuus, nisi verbum quod caro factum est, et ecce per passionem mortis infernum constringit et tertia die resurgit ? (*I Cor.* XV; *Colos.* I.) In hoc sermone quicunque baptizantur, in veritate sanctificantur. Itaque in hoc sermone, in hac veritate quia crediderunt, vere sanctificatos non rogo ut tollas eos de mundo, sed sic mitto eos in mundum, ut misisti me in mundum, scilicet, ut patiantur eosdem persequentes, qui me persecuti sunt, perhibendo veritati testimonium.

« Et pro eis sanctifico meipsum, ut et ipsi sint sanctificati in veritate. » Siquidem ita dictum esset :

« Et pro eis sanctifico meipsum, » paratior ultra sensus occurreret, videlicet, quod de præsenti suæ passionis sacrificio dixisset, quod verus ipse Agnus omni mundo non per alium pontificem, quam per semetipsum immolatus est. Verum juxta verbi proprietatem sensus idem præsto est, quia profecto cum sacrum et sanctum idem significent, non aliud dixisse putandus est quam si dixisset : « Et pro eis sacrifico, » vel sacrificium offerro meipsum. Ipse quippe non solum sacrificium, ut sacrificii pontifex est, verum etiam et templum est, testante Apostolo, qui de umbraticis sacrificiis locutus plurima : « Christus autem, inquit, assistens pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per B proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX). » Ergo mox traditurus pro peccato animam suam, ut videat semen longævum : « Et pro eis, inquit, sanctifico, » id est, sacrifico meipsum, « ut et ipsi sint sanctificati in veritate. » Quod si rite perpendas, amplius et magis proprie rem tetigit, dicendo sanctifico quam si dixisset : Sacrificio. Cum enim dicit sanctifico, sordidum se fuisse innuit. Dicendo quoque pro eis, non suis, sed alienis se sorduisse, clare definit, quod propheta quoque patenter exprimens cum dixisset : « Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, » statim intulit : « Et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum (*Isa.* LIII). » Et Zacharias : « Et Jesus, inquit, indutus erat vestibus sordidis, et Satan C stabat a dextris ejus ut adversaretur ei (*Zach.* III). » Igitur quia secundum se quidem sanctus, imo et Sanctus sanctorum erat, quippe qui de Spiritu sancto conceptus fuerat, et quia in omni vita sua, « nec peccatum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II), » sed secundum iniquitates omnium nostrum, quas Deus in eo posuerat, vestibus sordidis indutus erat Agnus Dei, recte dixit : « Sanctifico meipsum, » signanter addendo, « pro eis. » Quare autem pro eis ? « Ut et ipsi, inquit, sint sanctificati in veritate. » In veritate, inquam, id est, non in umbra vel figura, sed in vera peccatorum remissione, « non ut quantum sanguis hircorum, aut taurorum, aut cinis vituli aspersus coinquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, sed multo magis D sanguis meus, qui per Spiritum sanctum memetipsum offero immaculatum Deo, emundet conscientiam eorum ob operibus mortis ad serviendum Deo viventi (*Hebr.* IX). »

« Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut et tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ut credat mundus quia tu me misisti. » Sensus iste est. Non tantum pro istis quos dedisti mihi rogo, vel meipsum sanctifico, sed et pro illis omnibus qui per verbum eorum credituri sunt in me, ut sive Judæi sive Gentiles omnes unum sint, et non sit eorum distinctio apud te.

Notandum quippe quia dicendo nunc, ut sint unum, non addit, ut supra, sicut et nos, quod et postmodum facturus est dicendo, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Nunc enim ad hoc tendit pax nostra, ut faciat utraque unum (*Ephes.* II), et duos condat in seipso, videlicet, ut Judæorum et Gentilium nulla sit distinctio ut, inquam, duos condat in semetipso, in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, ut per ipsum habeamus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Proinde cum dixisset : « Ut omnes unum sint, » miram continuo similitudinem interposuit dicendo : « Sicut tu Pater in me, et ego in te, » ut patenter agnoscas, quia sicut Pater et Filius non duo dii, sed unus est Deus, ita Gentilis et Judæus non duo populi, sed unus est populus, una Ecclesia, unum corpus. Statim quoque de ipsa unitate repetens : « Ut et ipsi, inquit, in nobis unum sint. » Addiditque : « Ut mundus credat, quia tu me misisti. » Ecce hæc illa sunt gloriosa, quæ Propheta in spiritu concilio Divinitatis admissus, audivit, sicque nuntiavit : « Gloriosa, inquit, dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI). » Et tanquam quæreres, quænam illa dicta fuerint, quid dixerit Dominus civitatis suæ, scilicet sanctæ Ecclesiæ, fundamenta ponens in montibus sanctis, id est in apostolis, quorum per verbum nos eramus credituri. « Memor, inquit, ero Raab et Babylonis scientium me. » Et adjecit : « Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic (*ibid.*). » Vere enim sicut tunc promiserat in prophetis, ita nunc in passione sua memor fuit Dominus noster Raab et Babylonis, id est latitudinis et confusionis, scilicet latius diffusæ, et nimium confusæ gentilitatis. Memor, inquam, fuit hujus magnæ meretricis, quando dixit : « Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, » etc. In illa memoria ejus, nos alienigenæ, nos Tyrus et populus Æthiopum ; nos, inquam, alienigenæ et alieni a testamento patrum, et Tyrus, id est angustiati, videlicet in carcere et tenebris peccatorum, vere populus Æthiopum, præ nimia nigredine vitiorum vel cæcitatis et ignorantiæ, illic fuimus in illa memoria dicentis, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus ; mundus, inquam, et non sola Judæorum gens credat, quia tu me misisti, quod « quicunque crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, » ait ipse alibi (*Matth.* XVI) : Quænam autem merces erit hujus fidei et unitatis ? Ait :

« Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum, ut cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. » Hoc plane illud est, quod hic idem Joannes in Epistola sua dicit : « Charissimi nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus.

Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Quam enim claritatem intelligere debemus in eo quod ait : « Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, » nisi illam quam expectatio creaturæ expectat, **322** scilicet revelationem gloriæ filiorum Dei ? Hanc utique claritatem dedit Pater huic unigenito suo, primogenito mortuorum, resuscitans eum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, dando illi quod in eo nostra non habuerat natura, honorem incorruptionis, gloriamque immortalitatis. Etenim ex eo jam, quia multitudini accidentium non subjacet nostra in verbo Dei substantia, veraciter unum est, atque idem permanet. Unde cum dixisset, « ut sint unum, » addidit ut superius, « sicut et nos unum sumus. » Quod ad consubstantialitatem Patris et Verbi, congrua referri non potest. Quia videlicet, non sicut Pater et Verbum unum sunt, ita et nos unum esse possumus ; sed illam claritatem quam dedit Filio Pater ; quam dedit, inquam, quia prius secundum carnem, non habuerat, scilicet, immortalitatis atque impassibilitatis gloriam et honorem, quo coronavit ex mortuis resurgentem, nos in filios adoptati, exspectamus (*Ephes.* I). Proinde, quod dixit : « Ut sint unum sicut et nos unum sumus, » non ad ipsam spectat quæ propria est Verbi cum Patre consubstantialitatem, sed ad eam quæ non solum homini Dominico, sed et cunctis fidelibus ejus per gratiam communis est, cum beata et immortali Trinitate, incorruptibilis æternitatis beatitudinem. Et hoc uno Psalmista gloriosam, de qua supra dictum est, civitatem beatificans : « Jerusalem, inquit, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum (*Psal.* CXXI), » Idipsum namque est, quod semper idem est et immutabiliter permanet, et hoc vere clarissimum et summum bonum est, quod habet cum Deo nostra jam substantia, primum in Christo, deinde in toto corpore ejus habitura est, quod est Ecclesia (*Ephes.* I), non communione naturæ, sed participatione gratiæ. Et hanc procul dubio claritatem, Pater Filio, secundum quod homo est, dedit ; ipse autem Filius, secundum quod Deus est, dedit fidelibus suis, sicut nunc ait : « Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis. » Juxta quod alibi dictum est : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). » Quæ unitatis stabilitas, quia hic incipitur, dum per fidem unum sumus, et idem sapimus, idcirco præmisit quod jam prædictum est : « Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum illorum in me, ut omnes unum sint, » etc. Amplius autem illam futuræ unitatem beatitudinis exprimit, cum subjungit : « Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. » Verum cum tota Trinitas unus Deus, Pater, et Filius et Spiritus sanctus æque et nunc per fidem habitat in cordibus nostris, et in futuro per speciem inhabitura ; quare sic dixit et sic distinxit, « ego in eis, et tu in me ; » nisi se solum mediatorem Dei et hominum voluit

A demonstrare. Sola namque Filii persona præter hoc quod per fidem, ut dictum est, habitat in cordibus nostris, modo quodam est in nobis, videlicet, quia in carnem et naturam nostram descendit, et nihilominus Pater in illo est, quia descendentem non deseruit ; nec enim ita Filius semetipsum exinanivit, ut formam Dei amitteret, assumendo formam servi (*Philipp.* II). Ita mediatore Dei intercedente, ad æternitatem reducti, consummamur in unum, et participatio nostra fit in idipsum. Unde nunc ait : « Ut sint consummati in unum. » Quod vero continuo subsequitur, « ut cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti. » Cognitionem illam cogit intelligi quæ non jam in parte, sed in plenitudine erit, Paulo testante, cum

B dicit : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII). » Cognoscat ergo, id est, experiatur mundus, ipso immortalitatis fructu (*Rom.* VIII) : mundus, inquam, id est, omnes redempti, salvati, atque in unum consummati, cognoscant, et facie ad faciem videant, « quia tu me misisti ; » quod nunc cognoscunt ex parte, et vident quasi per speculum in ænigmate et cognoscant quod nunc credunt et sperant, « quia dilexisti eos sicut me dilexisti, » id est, mihi conformes esse voluisti : hoc tantum excepto, ut sim ego primogenitus in multis fratribus in quo nihil eorum felicitas minuitur, sed charitas magis delectatur. Summam totius postulat, brevi tandem conclusione recolligit.

C « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. » Tanquam diceret : Finis servationis eorum, quam postulavi, dicens : « Serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. » Finis, inquam, est iste, et in hoc dignum justitia judicat, ut quia mundus eos odio habuit, pro eo quod ego sermonem tuum dedi eis, et ipsi acceperunt et crediderunt vere, « quia tu me misisti. » Proinde « ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, » simulque et hoc videant, « quia dilexisti me ante constitutionem mundi. » Notandum quod non ait solum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi. Hæc enim clarificatio est assumptæ humanitatis quam impii videre potuerunt cum

D potestate magna et majestate venientem in nubibus, ut videat eum omnis oculus et qui pupugerunt (*Matth.* XIII ; *Apoc.* I) ; sed addidit, « quia dilexisti me ante constitutionem mundi, » subauditur, videant quod soli videre merebuntur beati oculi justorum. Formam quippe Dei in qua Patri dilectus erat ante constitutionem mundi soli videbunt pauperes spiritu atque mites, lugentes atque justitiam esurientes et sitientes, misericordes, mundi corde, pacifici, et persecutionem propter justitiam patientes, unde et in cælis regnabunt et terram viventium possidebunt, et consolabuntur atque saturabuntur, et misericordiam consequentur, atque Deum videbunt, et filii

Dei vocabuntur, et ipsorum erit regnum cœlorum (*Matth.* v). Itaque dixisse, « et videant claritatem quam dedisti mihi, » satis est ad judicium futuræ beatitudinis. Videre namque est habere, imo, visio claritatis æternæ claritudo videntium et efficiens claritatis eorum causa est, sicut hic idem Joannes cum dixisset : « Similes ei erimus, » statimque causam efficientem subjunxit, dicens : « Quomodo videbimus eum sicuti est (*Joan.* XIII). » Jam iis tribus exactis, scilicet, obsecratione, oratione atque postulatione ; quartum tandem sequitur, videlicet, gratiarum actio, cum dicit :

« Pater juste, et mundus te non cognovit, ego autem novi te ; et ii cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. » Hæc namque manifeste gratiarum actio est, qua justitiam Patris atque misericordiam collaudat, quia videlicet juste actum est, ut creatorem suum mundus ob culpam superbiæ cæcatus non cognosceret ; mundus, inquam, cujus pars obscurissima Domini nostri sunt interfectores, misericorditer vero indultum ut lumen oculorum suorum, scilicet Dei Filium, in humilitate suscipiens ; mundus, id est, universitas electorum, ad visionem claritatis Dei, rursus illuminatam faciem sublevaret. Ait itaque : « Pater juste. » Hic subaudiendum est, quia faciem tuam avertisti, vel gratiam tuam abscondisti a sapientibus **323** et prudentibus (*Matth.* XI), id est superbis. Quod propheta in persona gentis tuæ deplorans : « Abscondisti, inquit, faciem tuam, et allisisti nos in manus iniquitatis nostræ (*Isa.* LXIV). » Item : « Quare, Domine, fecisti nos de viis tuis errare, et quare cor nostrum indurasti, ne timeremus te? » (*Isa.* LXIII) etc. « Et mundus, inquit, te cognovit, » videlicet digna cæcatus retributione, ut ejus perderent cognitionem, cujus non receperunt dilectionem, ejus amitterent auxilium, cujus sprevere consilium. « Ego autem novi te; » ego, inquam, quem dicunt a Deo non esse, novi et dilexi te, « et ii cognoverunt quia tu me misisti, » et testes mei sunt, quia quæ dedisti mihi, sicut supra dixi, abs te sunt ; confitentes enim dicunt, tunc credimus, quia a Deo existi (*Joan.* IX ; XVI). Proinde te illos judicante dignos revelatione horum, quæ abscondisti a sapientibus et prudentibus, « ego notum eis feci nomen tuum » jam in doctrina et virtute signorum, et amplius « notum faciam » per invisibilem Spiritus sancti potentiam, ita ut in omnem terram exeat sonus eorum (*Psal.* XVIII), tuæ paternitatis enarrantium gloriam. In quo enim notitia perficitur nominis tui, nisi in effusione Spiritus sancti ? Unde et sequitur : « Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. » Dilectio hæc Spiritus sanctus est, qua Filius Patrem, et Filium diligit Pater. Plane et indubitanter dilectio Patris et Filii, Spiritus sanctus est. Ergo « ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis, » idem est ac si dicat, ut Spiritus sanctus Paracletus ad ipsos veniat, eosque omnem veritatem doceat ; qui cum in ipsis fuerit, ego quoque habitem in cordibus eorum per fidem et per hunc dilectionis Spiritum (*Ephes.* III). Hæc pontifex summus propitiator ipse et propitiatorium, sacerdos et sacrificium, pro nobis oravit, et vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati. Non enim cessantibus verbis validus cordis ejus clamor conquievit, cum potius verbis illis tantum significaverit, qua causa vel intentione sustinere habet protinus vincula, probra, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucem, clavos atque lanceam, fellis et aceti poculum : per omnia tacens, et non aperiens os suum. « Cur enim factus in agnoia, et prolixius orans sudavit, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII), » nisi ut ostenderetur, orationem ipsam, quam ejusmodi sudore fundebat ad Patrem, causam continere, pro qua mox in cruce totum fusurus erat suum sanguinem ? Itaque hac oratione declaravit rex et pontifex, lætabundus quidem in virtute Domini, tristis tamen et anxius in infirmitate carnis, quali desiderio duceretur ad torcularia passionis, et « tu, Domine, inquit Psalmista, desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum, vitam enim petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi (*Psal.* XX). »

LIBER DECIMUS TERTIUS.

Ordinatus ac legitimus est hujus summi Pontificis nostri habitus, et rite secundum legem vel ordinem, quem præscripsit sacerdotii sui participibus in Sancta sanctorum spectabilis et auditu dignus ingreditur. Nam ut cætera nunc omittam, pontificalis habitus legitime claret, quia fines tunicæ sacerdotalis bene sibi spiritualiter composuit, quales fieri jussit in exterioris legis littera. « Deorsum, inquit, ad pedes tunicæ per circuitum quasi mala punica, facies hyacintho et purpura, et cocco bis tincto, mistis in mediis tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum et malum punicum. Rursumque tintinnabulum aliud aureum, et malum punicum, et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur Sancta sanctorum in conspectu Domini, et non moriatur (*Exod.* XXVIII.) » Qui sunt fines tunicæ sacerdotalis, nisi extrema, de quibus nunc loquimur, vitæ Domini nostri ? Quæ

sunt mala punica valde rubentia nisi ejus, qua majorem nemo habet, charitatis opera? Hæc utique mala finibus suæ tunicæ appendit, quia cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, scilicet, suam pro eisdem amicis suis animam ponendo. Tintinnabula vero clarissima sunt dilectionis ejus verba, quibus et eos in prædicta cœna instituit, et deinceps pro ipsis Patrem rogavit. Ita mistis tintinnabulis doctrinæ et operum ejus malis punicis, nihil visu pulchrius, nihil auditu dulcius, nihil experimento delectabilius. Igitur quia jam et pulchritudinem malorum punicorum vidimus, et sonitum tintinnabulorum clare personantium novissime audivimus, deinceps qualiter ingressus, vultui Dei pro nobis astiterit, quo ordine semetipsum obtulerit, consideraturi, seriem sequamur evangelicæ narrationis (*Hebr.* IX). Sequitur :

[CAP. XVIII.] « Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus. » Jam supradictum est, ubi vel quando egressus sit cœnaculo, in quo cœnam fecerat, videlicet, quia dicendo, surgite, eamus hinc, hymno dicto, ut cæteri evangelistæ referunt (*Marc.* XIV; *Luc.* XXII), exivit in montem Oliveti, et discipulis in villa Gethsemani residere jussis, ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis, assumptis secum Petro et duobus filiis Zebedæi, et progressus pusillum, procidit et oravit. Igitur cum illuc redisset, et invenisset eos dormientes dixissetque, ut Matthæus ait, increpando : « Dormite jam et requiescite, **324** ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum, surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet (*Matth.* XXVI). » — « egressus est » ut hic evangelista nunc ait, et subaudiendum est, a villa Gethsemani, quæ est ad radices montis Oliveti; egressus, inquam, et reversus trans torrentem Cedron, reapproximans civitati ut sponte occurreret adversariis. « Ubi erat, inquit, hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus. » Pulchre in horto voluit Adam secundus obediens inveniri, quia videlicet, primus Adam in horto, scilicet in paradiso, quod interpretatur *hortus*, inobediens inventus, imo a serpente circumventus est.

« Sciebat enim et Judas qui tradebat eum locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. » Sciebat hoc ille, rerum cognitione pessime abutens, et malitiosæ scientiæ vasculum tanto nequior cunctis hominibus, quanto serpens callidior cunctis animantibus, et ob hoc opportunius homicidæ diabolo satellitium, sicut serpens eidem diabolo ad decipiendum primum hominem competentius exstitit diversorium. Sicut enim tunc serpente usus est ad occidendum in anima terrenum hominem, sic nunc isto traditore utebatur idem Satanas, ad occidendum in corpore hunc cœlestem et novum hominem. Idcirco in hortum introivit, idcirco, inquam, quia voluntarius ad passionem accedebat, illuc, ubi ab exsecutoribus citius inveniretur, prope-

A ravit. Nam quasi quæreres, cur illuc introiverit : « Sciebat enim, inquit evangelista, Judas qui tradebat eum, locum, quia, frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. »

« Judas ergo cum accepisset cohortem, et a principibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis. » Cohors trecentis viris impletur. Notandum quod non ait, cum accepisset cohortem et ministros a principibus et Pharisæis, sed cum accepisset cohortem, et a principibus et Pharisæis ministros. Cohors quippe et legio sive tribuni, non Judaicæ turbæ, sed Romanæ militiæ nomina sunt. Quam videlicet cohortem, non a principibus et Pharisæis, sed a præside Romanæ potestatis Pontio Pilato Judas accepit, ministros suos B adjungentibus principibus sacerdotum et Pharisæis; ut si qui ex populo motu illo per noctem exciti, Dominum defendere vellent, tam nomine Romano quam utraque manu armata deterrerentur. Ita « gladium evaginaverunt peccatores, et intenderunt arcum suum (*Psal.* XXXVI). » Merito ergo retributum est illis, ut gladius eorum intraret in corda ipsorum, et arcus eorum confringeretur; intraret, inquam, gladius eorum in corda ipsorum, ita ut pro una cohorte Romana, quam adversus Dominum et regem suum armatum conduxerunt, immensum Romanæ fortitudinis adversus rebellionem suam commoverent exercitum. Et quia cum laternis et facibus et armis exierunt noctu, tanquam ad latronem, idcirco lucerna Dei, lucerna legis et prophe- C tarum, qua illustrati sunt patres eorum, cadet de manibus ipsorum, sicut scriptum est : « Obscurentur oculi eorum ne videant (*Psal.* LXVIII), » et idcirco sub armis eisdem, cum quibus exierunt, « semper incurvetur dorsum eorum. » Sequitur :

« Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit et dicit eis : Quem quæritis? » Hoc pro laude spontaneæ charitatis, id est voluntariæ passionis evangelista dixit : « Quia cum sciret omnia, quæ ventura erant super eum, » sicut ex iis quæ hactenus dicta vel acta sunt perspicuum est, « processit, et sicut jam dictum est, trans torrentem Cedron egressus in hortum illum, in locum talem quem sciebat Judas, introivit, » venientibus adversariis, ne unum quærentes, multos per indiscretum tumultum tenerent, sponte occurrens dixit eis : D « Quem quæritis? » Non dixit : Ecce ego, quia me quæritis, sed « quem quæritis, » inquit, quia revera talem persecutionis modum veritas nescit, salus ignorat, lux et vita refugit.

« Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem Judas, qui tradebat eum cum ipsis. Ut ergo dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. » Quid mirum si ad unam vocem, qua dictum est : « Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram » hi qui non sunt? Nempe hoc secundum divinitatem, quæ vere est, secundum quam permanet esse quod est, dixit : « ego sum, » quod verbum substantivum de

ipso verissime protestatur ille solus, qui et ad Moysen dicit : « Ego sum qui sum. » Et quamvis cum laternis et facibus et armis, nullatenus Divinitatis essentiam quærerent, opportune tamen respondit Deus de templo corporis sui, dicens : « Ego sum, » videlicet, non ad ipsorum intentionem, sed ad suum nomen respiciens. Interrogati enim quid quærerent, responderunt, « Jesum Nazarenum. » Quidnam est Jesus Nazarenus, nisi Salvator sanctus ? Hoc utique nomen, Verbum Deus extunc habuit, ex quo caro vel homo factus est ; sed causa cur facto homine tale nomen positum est, non ex natura humana, sed ex divina virtute pendet. Unde enim non salvat aut Salvator noster est, nisi ex Deo, quod non homo tantum, sed etiam Deus est ? Præterea, quia Deus qui solus verus est, cum homine quem assumpsit una persona est, recte dicentibus se Jesum quærere Nazarenum, propriam suæ divinæ essentiæ vocem respondit, dicens : « Ego sum ; » propriam, inquam, suæ divinitatis vocem, certa intentione prolatam, quod ab effectu claruit, quia stantes adversarios in terram dejecit. Ergo non mirum de his qui non sunt, quia male sunt, non amantes et male quærentes, qui solus vere est, Jesum Nazarenum ; non mirum, inquam, comparatione majorum quæ futura sunt, quod « abierunt retrorsum et ceciderunt in terram, » cum illo qui stabat cum ipsis, diabolo Juda traditore, et malitiæ signifero qui Satanam ferens in pectore, signum pacis ore extulerat, jam quippe Agno Dei nequissimi oculi cultrum impresserat. Quare autem cum Agnus esset protinus immolandus, jam sicut Leo modicum irrugiit, dum dicendo, « ego sum, » tantam tamque leviter armatam lanistrarum turbam ad terram dejecit ? videlicet ut essent inexcusabiles, ne nescirent quia Jesus Nazarenus, quem quærebant est qui est. Revelata est illis ira Dei, quam exspectare habeant, qui non timent ; revelata, inquam, fortitudo venturi ad judicium vindicis, quia si hoc facere poterat moriturus, multo magis tunc immortaliter regnaturus super eosdem inimicos suos confortabitur. Hoc manifestum factum est in illis, et experimento percepta est sempiterna virtus ejus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, qui cum hoc modo cognovissent dicentem. « Ego sum, » non sicut eum qui vere est, glorificaverunt (*Rom.* I), sed comprehenderunt, sed ligaverunt, sed contumeliis affecerunt, et occiderunt, propterea revelabant cœli iniquitates Judæ, et terra adversus eum consurget, et manifestum erit peccatum illius in die furoris Domini, quia stetit cum ipsis, imo et cecidit cum illis, et non expavit cor ejus, sed « secundum duritiam suam, et cor impœnitens thesaurizavit **325** sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II). » Ita, inquam, ut essent inexcusabiles, dixit eis : « Ego sum. » Sed forte parum erat, semel dixisse. Proinde adhuc interrogandi erant, et iterum dicendum erat hoc ipsum, ne forte non intellexissent.

« Iterum ergo eos interrogavit : Quem quæritis ? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. Respondit Jesus : Dixi vobis, quia sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. » Iterum, inquit, interrogati, quem quæritis, procaciter, ut ante, respondetis « Jesum Nazarenum. » Ego autem dixi vobis quia ego sum, » et, hoc audito, cadentes experti estis principem fortitudinis quem quæritis, « Jesum Nazarenum. » Ergo si adhuc me quæritis, et sic percussi non doluistis, me quidem comprehendite, « sed sinite hos abire. » Poterat utique nihilominus efficaciter dicere : Sinite me abire, et habitatorem Judæ Satanam cum satellitibus et armis suis sempiternis vinculis alligare. Sed oportebat ut pateretur, oportebat itidem, ut hi quos Pater sibi dederat, servarentur. Egit vero sapientia Dei, tam fortiter quam suaviter (*Sap.* VIII), et malignitate diaboli benigne, ad quod voluit usa est, sicut de illo longe ante ad beatum Job loquens : « Qui fecit, inquit, illum, applicabit gladium ejus (*Job.* XL). » Hoc in omnibus electis suis agit, et in semetipso maxime egit Filius Dei. Sic enim applicuit, id est, ad usum suum vertit gladium homicidæ diaboli, quem penitus illi auferre potuisset, ut ipse moreretur, sine cujus morte mundus non salvaretur, et illi salvarentur, sine quibus mundo eadem salus sua annuntiaretur. Quare autem illi curæ fuerit, ut sinerent hos abire, evangelista subsecutus, exposuit.

« Ut sermo impleretur, quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. » Hunc sermonem superius in oratione ad Patrem de futuro, quasi de præterito loquens, dixit : « Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur (*Joan.* XVII). » Si enim comprehensi timore mortis negarent quod utique fieret (*Isa.* VIII), imbeciles quippe adhuc erant, sicut in Petro negante manifestum factum est ; si, inquam, negarent, et negantes tamen interficerentur, in illo indiscreto tumultu procul dubio perderentur. Sed esto, ut fortassis non negantes, nec saltem interrogati aliqui occiderentur. Nonne quodammodo etiam sic perderentur, qui minime ad illud, propter quod fuerant electi, pervenire sinerentur. Ut quid enim electi fuerant, nisi ut testimonium resurrectionis virtute magna per totum mundum redderent, et ita complerent Scripturam, dicentem : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum ? » (*Psal.* XVIII). Nam et paulo ante dixerat eis : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* XV). » Ergo sic quoque quodammodo perderentur, quia videlicet, ad quod præordinati fuerant, non pervenirent, et propositum Dei (quod impossibile erat) averteretur. Sequitur :

« Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit et percussit servum pontificis, et amputavit ejus auriculam. Erat autem nomen servo Malchus. » Hæc importuna fortitudo Petri apostoli plane de vera infirmitate descendit, quam bene cognoscens ipse

quia omnia scit, dixerat ei : « Quo ego vado, non A potest me modo sequi. » Perspicuum nunc fecit quod non posset eum modo sequi, quia videlicet, cum Dominus vellet non occidere, sed occidi, Petrus malebat occidere quam occidi. In hac tamen infirmitate ejus, res præclara et fortis mystice præsignata est ; futurum namque postmodum erat ut, gladius apostolicæ fortitudinis, scilicet, « vivus sermo Dei et efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV), » auriculam Judæorum vel pontificum dextram amputare, imo amputatam esse convinceret, et totum quod de Scripturis audire videntur, sinistra aure audire, id est, perverse intelligere comprobaret. Dextera namque, ut alii evangelistæ referunt, fuit auricula, quæ amputata est (*Matth.* XXVI). Quam vero eamdem auriculam tactu Dominus apud B Lucam sanasse legitur (*Luc.* XXII), illud significat; quia quandoque futurum est, ut iterum populo illi dexter et veræ Scripturæ auditus aperiatur, scilicet, cum plenitudo gentium introierit (*Rom.* XI), tunc enim reliquiæ Israel salvabuntur. Porro, Simon Petrus ejusmodi gladium educens, et sic percutiens, necdum bene adverterat quo uteretur gladio Dominus iste « fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII), » vel quod de gladio secundum Lucam dixisset : « Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram, et qui non habet vendat tunicam suam, et emat gladium (*Luc.* XXII). » Nondum, inquam, ipse vel alii (qui responderunt ad hæc, Domine, ecce gladii duo hic) bene cognoverant gladium Verbi Dei, usitatum in lege et prophetis et psalmis.

Quem videlicet gladium is qui non habet sacculum C vendita tunica emere debet, quia profecto tempore persecutionis, quanto quisque a facultatibus sæculi magis nudus est, tanto ad prædicandum Dei verbum fortior atque promptior est, seque exuendo rebus mundi, melius accingit gladio fortitudinis. At ille « qui habet sacculum, tollat similiter, inquit, et peram, « quia videlicet tali in tempore, quale tunc erat, quando prædicantem nemo audit, et proinde multo minus pascit, ipsum sibi quemque providere oportet, quia de Evangelio vivere non potest. In his et in cæteris, ubicunque supra intellectum discipulorum Dominus et Magister loquitur, non ipse difficultatis, sed discipulus tarditatis arguendus est, velut iste Simon Petrus, qui adeo carnaliter intellexerat illud quod idem de gladio comparando fuerat locu- D tus dominus namque sanctam, ut par erat, Scripturam honorabat secundum ipsam loquens, et illum commendans gladium, de quo in lege scriptum est: « Et gladius meus devorabit carnes (*Deut.* XXXI). » Itemque in psalmo ; « Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime (*Psal.* XLIV). « Et talia quamplurima.

« Dixit ergo Jesus Petro ; Converte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? » Ergo, inquit, quia Petrus importunum et injussum gladium eduxerat, et non legitime percusserat : « Converte, » ait dux et magister justi prælii, « gladium tuum, » — « tuum, » inquam, et non meum « in vaginam, » et in locum suum. Et eumdem sensum quo dudum dixerat idem Petrus : « Absit a te, Domine non fiet hoc (*Matth.* XVI), » quia passurum se pronuntiaverat : eumdem, inquam, sensum nunc in gladio sævientem increpat, dicens : « Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum ? » Hoc etiam ipsum quod passionem mortis calicem appellat, secundum Scripturas loquitur, quæ tribulationem nomine aquæ vel torrentis appellare consueverunt, ut est illud in persona ejus dictum : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (*Psal.* LXVIII). » Item : « De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput (*Psal.* CIX). » Hunc sane calicem dedit illi Pater, quia videlicet, non hominum arbitrio, sed Patris præcepto passus est. Dedit, inquam, illi ut Pater, non ut judex, id est amore, non ira ; voluntate, non necessitate ; gratia, non vindicta.

« Cohors ergo et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum. » **326** Ergo quia non poterat transire calix quem dederat pater, nisi obediens Filius biberet illum; « comprehenderunt, inquit, Jesum, » videlicet quomodo tenebræ potuerunt, quæ nunquam lucem comprehenderunt. Comprehenderunt, inquam, et ligaverunt, quia sola hæc erat potestas tenebrarum, ut comprehenderent ad ligandum quem comprehendere non merebantur ad intelligendum. Ita comprehenderunt hora sua, hora una et potestate monentanea, quia videlicet, posthac, lucem comprehendere nusquam ulla tenebris erit potestas. « Comprehenderunt, inquit, et ligaverunt. » O nimis horrenda temeritas peccatorum ! Ergo cum lictores isti, qui salutem et misericordiam ligaverunt; cum, inquam, isti fortes phrenetici, qui medicum sic arctaverunt ululantes et lugentes mirantur, quod hostes sibi locum et gentem tulerunt et sanctificationem conculcaverunt. Verbi gratia, cum dicunt secundum Isaiam : « Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui ; ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum Sancti sui, qui eduxit ad dexteram Moysem brachia majestatis suæ (*Isa.* LXIII), » et cætera, respondeat illis utrumque majestatis suæ brachium esse ligatum, et idcirco nullum præbiturum auxilium. Et quia liberatoris sui manus non solum ligaverunt, sed etiam clavis confixerunt, cum item plorantes legunt : « Civitas sancta tua facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata, domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt et patres nostri ; nunquid super his continebis te, Domine (*Isa.* LXIV); » respondeat, oportere se continere manus suas : « Expandi enim, in |uiens, manus meas ad populum incredulum (*Isa.* LXV), » et reliqua. Cæterum nobis qui credimus, manus illæ sic ligatæ vel expansæ in cruce plus operatæ sunt, quia videlicet, fortem armatum, hactenus atrium suum custodientem (*Luc.* XI), et sua in pace possidentem, alligaverunt et palam configentes atque triumphaliter tradu-

[illegible] chirographum peccati deleverunt (*Coloss.* II).

« Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphæ qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo, » Sicut paulo ante dixerat Dominus discipulis suis : « Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit (*Joan.* X). » Oportebat ut gauderent inimici veritatis et gaudium communicarent invicem de victoria hujus diu præoptatæ captionis, et idcirco captum atque ligatum illum opprobrium circumferre fecerunt, ad Annam primum, deinde ad Caipham, deinde ad Pilatum, deinde, ut Lucas testatur, ad Herodem, deinde rursus ad Pilatum (*Luc.* XXIII). Et ita quidem fecerunt, quasi honore invicem prævenientes ; revera autem sacrilegium suum manifesto et communi consensu corroborantes, ne videlicet, quod apud Romanas leges unus, si solus videretur sceleris auctor, notam vel accusationem sustineret. Causam cur eum duxerunt ad Annam primum, evangelista subjunxit, dicens : « Erat enim socer Caiphæ qui erat pontifex anni illius. » Amplius autem addendo, « erat autem Caiphas qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. » voluntate ipsius Caiphæ indicat actum, ut duceretur ad Annam primum : videlicet, ne apud homines totam invidiam sustineret, si primus ipse qui concilium dederat, primus etiam condemnaret.

« Sequebatur autem Jesum Simon Petrus et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. » Sequebatur autem Petrus, sed a longe, ut alii evangelistæ testantur: a longe, inquam, sequebatur, non tantum pedum incessu, quantum pavidæ mentis habitu, quia juxta veritatem ejus qui dixerat, « quo ego vado, non potes me modo sequi : » euntem ad passionem Magistrum et Dominum, nondum valebat imitri. Verum quomodocunque, sequebatur tamen, ut videret finem ; timidus quidem, sed piam pro Domino gerens sollicitudinem. Alius discipulus (*Joan.* XIII), fortassis ipse et qui scripsit hæc, de quo nondubitaverunt quidam asserere quod fuisset nobilis, unde et « notus erat pontifici. » Modum tamen nescimus ejus nobilitatis, sed hoc unum ex Evangelio certum tenemus, quod filius fuerit Zebedæi, nec de curia, sed de piscatoria cum fratre suo Jacob vocatus, et relictis retibus et Patre, Dominum secutus sit. Quacunque tamen ex causa « pontifici fuerit notus, » sequentia videamus.

« Exiit ergo discipulus ille qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum. » Meminisse libet hoc loco miraculi longe superioris, quo discipulis in mari laborantibus (« erat enim ventus contrarius, et navicula jactabatur in mediis fluctibus »), venit Dominus quarta vigilia ambulans super aquas, et Petrus ad vocem ejus ultro se ingerens, ambulansque et ipse supra mare, ut veniret ad Jesum, veniente vento valido, timuit, et pene submersus, manu Domini retentus est (*Matth.* XIV). Hic est vere super aquas Dominus, licet in magna tempestate : super aquas, inquam, vere ambulabat, discipulis in mari laborantibus, quia scandalum patientibus apostolis et fuga dispersis, ipse pro arbitrio suo tribulationem patiebatur, imperturbatus, id est, carne quidem infirma, sed prompto spiritu, mox victor quoque mortis futurus. « Ambulabat et Petrus super aquas, ut veniret ad Jesum (*ibid.*), » quia pristinæ dilectionis memor, qua dixerat : « Animam meam pro te ponam (*Joan.* XIII ; *Matth.* XXVI), » adhuc per fidei modicæ audaciam sequebatur longe post Jesum. Sed vidit ventum validum venientem, et timuit, timendo negavit, negando absorptus est, nisi quia « conversus Dominus, ut ait Lucas, respexit Petrum (*Luc.* XXII), » et eodem respectu, quasi manu apprehendens, flentem restituit in gradum pristinum. Et unde venientem vidit ventum validum ? Sequitur :

« Dicit ergo Petro ancilla ostiaria ; Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. » Si ad ostiariam spectes, parva nubecula est ; si autem ad illud concilium malignantium, propter quod timuit Petrus protervum ancillæ hujus crepitum, ventus validus est. Nihilominus tamen redarguta est infirmitas Petri quia dum mori timuit, vitam negavit. Ita cribrator ille apostolorum Satanas sibi providit, ut tentationis artificium inciperet a femina, qui sexus in paradiso protoplasto deceptionis exstitit janua (*Gen.* III).

« Stabant ergo servi et ministri ad prunas, et calefaciebant se, quia frigus erat. Erat autem cum eis stans Petrus, et calefaciens se. » Frigus erat ut interdum circa vernum æquinoctium fieri solet, et frigescens negator Petrus, frigidorum homicidarum et inimicorum Christi foco fovebatur. Tali utique Petro comparandos arbitramus ejusdem Petri vicarios, sacerdotes vel pontifices summos, quoties peccatorum divitiis assidentes, avide delectantur, gladio Verbi Dei recondito, illud obliti quod ait Psalmista : « Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas (*Psal.* XXXVI). » Putant enim se quasi Petrus, qualis fuit in auditorio Neronis, fortes clavicularios cœli, suosque arbitrio regnum cœlorum claudi vel aperiri, cum munera libenter accipientes, et propter illa veritatem rejicientes tali Petro potius similes sunt, qualis apud istas **327** residens prunas, vitam perdidit, quia vitæ auctorem negavit.

« Pontifex ergo interrogabat Jesum de discipulis suis, et de doctrina sua. » De discipulis suis interrogabat eum, et de doctrina sua, videlicet, qui essent discipuli sui, et quæ esset doctrina sua. Interrogantis autem hæc erat intentio, ut si palam omni consilio firmaret, quod docuerat, scilicet, se esse Filium Dei, mox ex consulto consequeretur judicatio, quia blasphemavit, reus est mortis. Nam si [cum] falsi testes constituti essent, ut Matthæus ait, et multa dicerent; quæ convenientia non erant, « Princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut

dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei (*Matth.* XXVI) » Igitur de doctrina sua interrogabat, id est, de eo quod Filium Dei se esse docuerat. « Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagogis, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas ? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quid ego dixerim. » Tanquam diceret ; Ille de causa necessario requiritur, cujus cum de facto constet, facti tamen modus nescitur, verbi gratia, necessario requisitus est Achar ab Josue dicente : « Fili mi, da gloriam Deo, et indica nobis quid feceris (*Josue* VII) ; » quia videlicet, cum forte deprehensus fuisset, quod communis causa mali esset, non etiam sors eadem declaravit quid criminis admisisset. Ego autem, inquit, cujus causa nunc a te nota in doctrina constituitur « palam locutus sum mundo, et in occulto locutus sum nihil, » subauditur eorum, de quibus nunc interrogas. « Quid me interrogas? » Nempe « si dixero, non credetis mihi ; si autem interrogavero, non respondebitis, neque dimittetis (*Luc.* XXII) » Perinde lege vel more judicii, quia non conceditur cuiquam, ut in legitimo judicio sibimet sit testis, interroga eos qui audierunt, ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

« Hæc cum dixisset, unus assistentium ministrorum dedit alapam Jesu dicens : sic respondes pontifici ? » Ecce iste fortis percussor et mollis adulator, fortium illorum robustissimum se ostentavit, de quibus Domini Christi spiritus per Prophetam in personam ipsius conquerens, quia « ecce, inquit, ceperunt animam meam, et irruerunt in me fortes, neque iniquitas mea, neque peccatum meum (*Psal.* LVIII). » Qui enim sunt isti, nisi falso fortes, et veraciter languidi, et imbecilles, qui sic irruerunt in Dei fortitudinem, mortuos suscitantes, sicut irruit phreneticus in medicum curare volentem ? Eorum ergo qui male fortes erant, de præcipuis est hic unus cerebrosus, qui tam proterve irruit in hominem sanitatis, et veritatis verba loquentem, ut vere insanus et pro Domino suo pontifice, ut suam illi custodiam commendaret, non fortiter, sed stulte zelatus. Poterat quidem brachium Domini repercutere percutientem (*Isa.* XL. XLIV), nec eum solum, sed etiam illum, quem tam rigidus stipes fulciebat, statim subvertere parietem dealbatum (*Act.* XXIII), id est, Dominum ipsius falso pontificem appellatum. Sed accepit injuriam, servavit patientiam, reddidit doctrinam. Nam sequitur :

« Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, cur me cædis ? » Suaviter quidem et mansuete dictum, sed justissime inventum, et gravissime est prolatum. Quid, inquit, me cædis bene loquentem, quem etiam si male locutus fuissem nullam nisi jussus cædendi haberes potestatem, imo nec præceptum sive potestatem accipere æquum esset, nisi dicta prius causa, et a censoribus libera sententia ? Tuum quippe erat, si male locutus fuissem, accusare causamque dicere, qua probares malam esse locutionem. Igitur cum per se satis sit injustum, tu adhuc injustius perturbas hoc præsens auditorium.

« Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. » Voluntate Caiphæ ad Annam primum ductus fuerat, eo quod socer illius esset, ipse autem Annas idcirco ad Caipham illum mittit, eo quod esset « pontifex anni illius. — « Erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se. » Hoc jam supra dixerat, « erat autem, » inquiens, Petrus cum ministris stans et calefaciens se, sed idcirco nunc repetit, ut narrationem ternæ negationis ejus, quam interruperat, cœpto consequeretur ordine. « Dixerunt ergo ei : Nunquid et tu ex discipulis ejus es ? Negavit ille, et dixit : Non sum. » Jam secundo negavit, sed nondum tota completa est veritas medici, qui ægritudinem infirmi bene cognoscens, dixerat : « quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, » Sequitur :

« Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum negavit Petrus, et statim gallus cantavit. » Igitur qui omnes fluctus tribulationis pro Domino se posse pati præsumpserat, dicens : « Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo, » ad primum ventum timuit, qui mersus est, quia tertio negavit, sed extendit Dominus gratiæ manum, et apprehendit eum, conversus, et respiciens in eum, ut cito pœnitens fieret, et ita se lavante Domino, partem cum illo haberet. Vere enim nisi fidem pœnitentiæ statim præoccupasset, qua hora Dominus noster sanguinem et aquam de latere suo profudit, peccatum negationis ejus deletum non fuisset. Nam sicut nunc quoque baptizandum quemque prius oportet credere et confiteri, et tunc demum baptizari in morte Christi Jesu eique per baptismum consepeliri et consurgere (*Rom.* VIII), sic et Petrum, ut Apostolus permaneret, et latronem ut cum Domini paradisum intraret (*Luc.* XXIII), oportuit pœnitere et confiteri, antequam Christus spiritu emisso, prædicti sanguinis et aquæ fluvium effunderet. Etenim quicunque post horam illam, qua ille universam lavit Ecclesiam ab origine mundi collectam, ad fidem ejus convertuntur, non annumerantur inter ejusdem Ecclesiæ filios, nisi quibus per baptismum singulatim sacramentum Dominicæ passionis innovetur.

« Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. » Scriptorum vitio cœptum est, ut legeretur ad Caipham in prætorium. Non enim Caiphæ, sed Romani præsidis erat prætorium, quod cum nulli Judæorum eo die, quo Pascha manducandum esset, multo magis nec pontifici ingredi erat licitum. Cum ergo supra dictum sit et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Melius hoc loco scribitur, et legitur : « Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. » — « Erat autem mane. Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit eis :

Quam accusationem affertis adversus hominem A hunc ?» Hoc loco prætereundum non videtur illud Oseæ prophetæ capitulum : « Omnes adulterantes, inquit, quasi clibanus succensus a coquente. Quievit paululum civitas a commistione fermenti donec fermentaretur totum. Dies regis nostri, cœperunt principes nostri furere a vino. Extendit manum suam cum illusoribus, quia applicaverant quasi clibanum cor suum cum insidiaretur eis. Tota nocte dormivit coquens eos mane ipse succensus quasi ignis flammæ, » etc. (*Osee* VII.) Hæc qualiter ad Jeroboam filium Nabat, et sui temporis principes referri queat, pro furore, quo vitulos fecerunt, quos et relicto Dei templo, divisi a domo David, **328** coluerunt (*III Reg.* XLI). Incertum est quippe, cum nulla referat historia tale quid cui talis narratio conveniat. Proinde quia B propheta idem paulo supra de resurrectione Christi manifeste dixerat : « Venite et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos ; percutiet et curabit nos, vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit, et vivemus in conspectu ejus (*Osee* VI), » etc. Prædictum capitulum non sicut præteritorum narratio, sed ut vere futurorum prophetiam, præsenti loco aptare non incongrue libet. « Omnes adulterantes, inquit, quasi clibanus succensus a coquente etc. (*Osee* VII). » Quinam sunt adulterantes isti nequiores vel ardentiores, quorum cor quasi clibanus revera a coquente diabolo succensus est ? Paululum quieverat a commistione fermenti nequitiæ et malitiæ suæ, donec fermentaretur totum, quia videlicet ab illo die, quo cogitaverant interficere C eum, dicentes : « Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem (*Joan.* XI), » tandiu quieverant, donec turbis persuadendo fermentum suum spargerent, totamque massam civitatis malitiæ suæ consensu fermentarent. Venit tandem hic dies, quo clamarent, dicentes : « Dies regis nostri. » Dicendo : « Non habemus regem nisi Cæsarem. » Et : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX). » Cœperuntque principes furere a vino, quia videlicet, jam temulenti, utpote in illa magna nocte paschali, Dominum comprehendentes, tota nocte vigilaverunt, seramque crapulam ructantes, et ebrietatem fetidam anhelantes, in illum pauperem et egenum tetra convicia vomuerunt, completa prophetia qua in ejus persona dictum est : « Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibe- D bant vinum (*Psal.* LXVIII). » Quid ille regis eorum Cæsaris, minister, scilicet Pilatus? Tota utique nocte dormivit, coquens eos, quia videlicet, dissimulator callidus et sicut a quodam de illo dictum est, ut in exiguo ponens mendacium, cum se domi contineret, quasi rei nescius, cohortem et tribunum dedit, per quam Judaicos furores jam satis ardentes, magis ac magis ascendit. « Mane itaque et ipse succensus, quasi ignis flammæ, exiens ad eos foras (*Osee* VII), » et dicens : « Quam accusationem affertis adversum hominem hunc ? » extendit manum suam cum illusoribus scilicet, qui tota nocte Dominum illuserant (*Matth.* XXVII), quia applicaverant quasi clibanus cor suum, cum insidiaretur eis.

Vere enim in omnibus quæ dixit, quæ fecit, verbi gratia, cum dixit : « Quid enim mali fecit ? » vel cum accepta aqua lavit manus suas coram eis, insidiabatur eis, videlicet, ut ita in eos omne crimen infunderet, quatenus ipse apud Romanum imperatorem nullum pro injuste damnato homine judicium subiret. Si enim vere ille liberare voluit, quare nusquam illa sua potestate usus est, de qua dixit : « Nescis, quia potestatem habeo occidere te, et potestatem habeo dimittere te ? » (*Joan.* XIX.) Ergo majus quidem peccatum habuit, qui Dominum Jesum illi tradidit, sed ipse quoque peccato non caruit, quia ministerium homicidii voluntarie suscepit. Proinde Herodes recte vulpi assimilatus est, dicente Domino : « Ite, dicite vulpi huic (*Luc.* XIII ; *Matth.* XIV). » Pro eo, quia cum Joannem libenter decollaret, contristatum se propter jusjurandum esse simulavit, sic et iste mendax, et, sicut jam dictum est, in exiguo ponens mendacium, recte vulpi comparandus est, quia cum libenter postulationem Dominicæ mortis acciperet, defendere se illum finxit, et accepta aqua, manus quidem sed non conscientiam lavit (*Matth.* XXVII). Sed jam ad ipsa Evangelii verba redeamus. « Et ipsi, inquit, non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha, » Pharisæi cæci nimis, accurate mundastis illud quod deforis catini et calicis, introrsus turpes et cruenti, vere sepulcra dealbata, quæ de foris pulchra sunt hominibus, intus autem plena sunt ossibus mortuorum (*Marc.* VII ; *Matth.* XXIII). Quid enim ? Contaminari exterius cavetis introeundo in Gentilis hominis prætorium, et intus horribiliter pollui non timetis, tractando crudele homicidium ? Quid hac puritate impurius ? Quid hac sanctitate scelestius ? « Exivit ergo, inquit, Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis advertus hominem hunc ? »

« Responderunt et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. » Ergone gens justa et populus innocens, nullum nisi malefactorem tradere, imo et occidere consuevistis ? Quem enim prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiaverunt de adventu Justi, cujus nunc vos proditores et homicidæ estis. Igitur vitiosam in initio causæ Romanæ præsidi propositionem reddidistis. « Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate. Dixerunt ergo Judæi : Nobis non licet interficere quemquam. » Non dixerunt, nobis non licet judicare quemquam, sed « nobis non licet interficere quemquam. « Jam enim tota nocte vigilantes, non quidem secundum legem, sed contra legem suam judicaverant, illuserant, conspuerant et colaphis ceciderant. Verumtamen judicatum quempiam non licebat occidere, nisi Romano præside judicationem confirmante. Nec vero mirandum quod in Babylonica captivitate Susannem illis inconsulto Babyloniorum principe, lapidare licuisset (*Daniel* XIII). Nunc autem in terra sua degentibus hominem abs-

quo Romani præsidis tribunalibus interficere non licuisset. Romanum namque imperium fortius atque potentius quam Babylonicum, Persicum atque Macedonicum, cuncta sibi subjugavit regna terrarum. Ipsum quippe erat regnum de quo Daniel in visione nocturna: « Ecce, inquit, bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis. Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans (*Dan.* VI.). » Comedit ergo Romanum imperium atque comminuit omnia regna mundi, maxime vero Judaicum regnum minutatim disjecit, quod in quatuor tetrarchas dispartivit, et quod reliquum erat, ita tandem pedibus suis conculcavit, ut lapis super lapidem non remaneret (*Matth.* XXIV), et captivi ducerentur in omnes gentes. Valde ergo jam dentibus terribilis bestiæ comminuti, et postmodum pedibus quoque ejus conculcandi, nobis non licet, inquiunt, interficere quemquam.

« Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. » Dixerat enim « Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum. Ut ergo iste sermo impleretur, oportebat eum tradi gentibus a Judæis, dicentibus: Nobis non licet interficere quemquam, quia videlicet, non poterat evenire, nisi quod ille prædixerat (*Matth.* XVI, XX). » Nec enim ille prædiceret, nisi quod immobiliter futurum erat.

« Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es rex Judæorum? » Ecce Pilatus, dum nescit, repente conscium se indicat Judaici fuisse livoris. Nondum quippe conclamaverant Judæi quod Jesus regem se dixisset esse Judæorum, et jam interrogans dicit: « Tu es rex Judæorum? » Ergo dum dixit, quam accusationem affertis adversus hominem hunc, non causam illius nesciebat, **329** sed scire dissimulabat. Proinde continuo: « Respondit ei Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? » Si statim sic respondisset: Rex ego sum, antequam regnum suum a regno hominum distinxisset, occasionem calumniæ Pilato porrexisset, velut qui adversus Dominum illius Cæsarem agere tentavisset. Melius itaque sic respondens: « A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me, » et justæ calumniæ locum sustulit, et regem se esse testatus est, quia non negavit. Idem enim est ac si diceret: Adeo verum est regem me esse Judæorum, ut si hoc a temetipso magis quam alterius indicio dixisti, constet profecto quia quasi propheta divinasti. Quid igitur? « A temetipso hoc dicis, » an revera, quod dissimulas, alii causam meam indicaverant, quando cohortem et tribunum tenendum me misisti.

« Respondit Pilatus. Nunquid ego Judæus sum? gens tua et pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti? » Tanquam diceret: A Judæis omnis causa sumit exordium. Nunquid ego conciliis vel synagogis eorum, in quibus te condemnaverunt, cum non sim Judæus, intersum, ut a me causæ vel nominis hujus oriri potuerit principium? Non est ita, sed gens tua et pontifices accusantes, et sententiam postulantes, tradiderunt te mihi. « Quid fecisti? » Ad hæc Dominus, magnus et sapiens rex, indigno illi non respondit, quid fecerit, cum bene omnia fecerit, et bona omnia fecerit, imo cum et omnia valde bona per ipsum facta sint (*Gen.* I). Sed nec illud dicere curavit, quod prius interrogatus fuerat, scilicet quod esset rex Judæorum, quia jam sufficienter hoc dixerant adversarii sui. Verum quod illi minus vel perverse dixerant, hoc modo supplevit et correxit.

« Regnum meum non est de hoc mundo. » Verum, quidem, inquit, gens mea et pontifices, qui tradiderunt me tibi, indicaverunt tibi de me, scilicet, accusantes me esse regem Judæorum, sed regnum meum contradictionem regni Cæsaris esse mentiti sunt. Nam regnum meum non est de hoc mundo. Non ait: « Regnum meum non est in hoc mundo. » Excelsus quippe dominator in regno hominum, et cui vult dat illud, et totius mundi gubernator et Dominus est (*Dan.* IV). » Sed non est, inquit, de hoc mundo, id est, de arbitrio vel placito illorum qui sunt in hoc mundo, non de magnitudine civitatum vel longis tractibus terrarum, non de multitudine et fortitudine militum sævientium, vel sanguine præliorum. Proinde Romanum a me nihil nocetur imperium, vel aliud aliquod regnum terrenum, quia nihil hujusmodi quærit regnum meum. Quod ita sit, probatione non indiget, quia perspicuum est, palam omnibus est. In quo? Ait:

« Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: Nunc autem regnum meum non est hinc. » Ministros, inquit, de hoc mundo pro me decertantes haberem, si regnum meum de hoc mundo fuisset. Nunc autem nullus est de hoc mundo minister, nullus est qui de hoc mundo pro me decertet. Ergo « regnum meum non est hinc. » Hoccine est de hoc mundo regnare, cæcorum oculos aperire, surdis auditum, claudis gressum reddere, mortuos suscitare, pauperibus evangelizare (*Matth.* XI), et pro hujusmodi tanquam latronem comprehendi, ligari, alapis cædi, illudi atque conspui?

« Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? » Hoc enim, rationalis homo cum esset, videbat consequi, ut si regnum ejus non est hinc, aliunde sit. Et undecunque regnum, regnum utique sit. Idcirco per conclusionem inferens. « Ergo, inquit, rex es tu? » Itaque proposuit accusator Judæus, assumpsit Christus, conclusit Pilatus. « Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex ego sum. » Tu, inquit, hoc dicis, tu pro crimine hoc mihi jamdudum objicis, tu pro causa hac ad tenendum me, cohortem et tribunum cum Judæorum ministris misisti. Ego autem causam non negavi, sed hoc dixi, quia « regnum meum non est hinc. » Si verum quæreres, si veritatem amares,

me dicente quia « regnum meum non est hinc, interrogare et discere debueras unde sit. Quod quia facere contemnis, ecce nunc ultro dica tibi unde sit. Ne me interficiendo glorieris, te defendisse terminos Cæsaris. « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. » Hæc dicens Dominus, manifeste consonat prophetiæ, qua in persona ejus loquitur David : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus (*Psal.* II). » Quod est prædicare præceptum ejus, hoc est, testimonium perhibere veritati. Illic « ego, inquit, constitutus sum rex ab eo » ad hoc, ut prædicem præceptum ejus. Hic autem, « ad hoc, inquit, ego rex natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. » Et subjungit : « Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. » Tantæ altitudinis, tantæ sunt hæc dicta fortitudinis, ut neque Pilatus attingere, neque alius aliquis regni cœlestis inimicus ea convellere possit. Quid enim? Diceret iste, quamlibet mendax Cæsaris Spartarius, dominum suum magnæ Romæ principem nolle quempiam in hoc nasci, vel ad hoc in mundum venire, ut testimonium perhibeat veritati, detrimentumque honoris ejus esse, si quis militum ipsius audiat vocem testimonium perhibentis veritati? Hoc namque modo caput principis non defensione protegeret, sed grandi detestatione obrueret. Veritatis quippe nomen amabile est. Et honorabile illud est, humana sponte natura consentit, et licet significatum ejus nequissimi nebulones oderint, tamen ipsum ejus nomen nulli unquam detestari licuit. Itaque victus et deficiens.

« Dicit ei Pilatus : Quid est veritas ? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dicit eis : Ego nullam in eo invenio causam. » Videlicet experimento didicerat nihil esse in illo, unde interfecto eo semetipsum defendere posset, si de supplicio ejus injuste sumpto apud Cæsarem illum accusari contigeret : quippe, qui justorum omnium princeps, et justitiæ rex, « induerat pro thorace justitiam, et acceperat pro galea judicium certum, et ita sumpserat scutum inexpugnabile æquitatem (*Sap.* v), » ut eum nullatenus in sermone capere possent. Ait ergo in siti sanguinis pœnæ frustrata crudelitas : « Ego nullam invenio in eo causam. » Et adjecit : « Est autem consuetudo, unum dimitti vobis in Pascha. Vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum ? » Hoc dixit certum habens quid responsuri essent : sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. Nunquid si non ejusdem et ipse voluntatis esset, rem totam tam pronus in illorum invidentium arbitrio poneret, et non potius uteretur illa potestate sua, de qua postmodum dicturus est. « Nescis quia potestatem habeo dimittere te, et potestatem habeo crucifigere te ? » (*Matth.* XXVII.) Simulque illud considerandum est quod camino jam satis ardenti, quasi stillam olei scienter injecit ; dum sciens quod

A per invidiam tradidissent eum, ipsum propter quod invidebant, nomen illis objecit dicens : « Vultis dimittam vobis regem Judæorum ? »

« Clamaverunt rursum omnes dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem **330** Barabbas latro. » Rursus, inquit clamaverunt, jam enim semel clamaverant, dicentes : « Nisi esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. » Et nunc iterum clamant, non hunc dimittas nobis, sed Barabbam. Hoc multum clamaverunt, et in excelsum vociferati sunt. Iste est clamor, de quo Dominus per prophetam : « Ecce exspectavi, inquit, ut faceret judicium, et ecce iniquitas ; et justitiam, et ecce clamor (*Isa.* v). » Quia sic futurum erat, ut occideretur Salvator, et servaretur latro. Præcipit, imo sic mystice
B prophetat lex Moysi : « Suscipiet ibi sacerdos ab universa multitudine filiorum Israel, duos hircos pro peccato, et stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi, mittens super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario. Cujus sors exierit ad Dominum, offeret illum pro peccato ; cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et mittat illum in solitudinem. His rite celebratis, offeret illum et rogans pro se et pro domo sua, et immolabit eum (*Levit.* XXI). » Hic ritus propheticus ecce completus est. Quinam sunt duo hirci, nisi Christus Salvator mundi, et Barabbas auctor seditionis ? Salvator nempe, etsi secundum suam innocentiam versus est, et erat Agnus Dei, attamen secundum iniquitates omnium nostrum, quas, ut
C propheta testatur, Deus in eo posuit (*Isa.* LIII), quasi hircus exstitit. Barabbas autem, non alienis sed suis peccatis hircus est, quem populus ille male sortitus huic præposuit, qui venit tollere peccata mundi. Exivit ergo sors ad Dominum super hircum nostrum, ad ipsos autem sors exiit in hircum illum fetidum, id est, Barabbam seditiosum, qui emissarius illis factus est, et in solitudinem, id est, in gentem illam a Deo desolatam dimissus et reservatus est. Noster autem hircus, scilicet Salvator noster Christus, rogans pro se, pro domo sua, quæ sumus nos, libens immolatus est. « Erat autem, inquit, Barabbas latro, » qui et (sicut alii evangelistæ referunt) propter seditionem et homicidium missus fuerat in carcerem (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV).
D Hujusmodi hominem Domino et regi Dei Filio præponentes. Hoc etiam clamarunt dicente Pilato : « Quid igitur faciam de Jesu Nazareno ? Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » — « Væ igitur genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis (*Isa.* I), » qui petierunt virum homicidam donari sibi, auctorem vero vitæ interemerunt. Juste propter hoc ipsum seditionibus et homicidiis perituri, quia principem pacis dederunt pro auctore seditionis, et Filium Dei commutaverunt pro Filio magistri sui diaboli (*Isa.* IX). Barabbas enim interpretatur *filius magistri eorum*. Quis autem est magister eorum,

nisi diabolus, quem imitantur? De quo ipse Dominus cum dixisset: « Ego quæ vidi apud Patrem meum, facio (*Joan.* VIII). » Statim ex opposito addidit, et vos quæ vidistis apud Patrem vestrum facitis. Merito ergo hæreditate possederunt seditiones et sanguinem homicidii, tantis calamitatibus involvendi, quantis satis declamare nullius copia scriptoris, nullius possit quantacunque facultas oratoris.

[CAP. XIX.] « Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit. » Grande spectaculum mundo, et angelis, et hominibus, ut a servis peccati princeps libertatis servilibus modis concideretur. « Sed nos, inquit propheta, livore ejus sanati sumus (*Isa.* LIII). » Perspicuum namque est, quia et anima vere doluit pro nobis, et corpus flagellatum atque laceratum signa injuriæ in vibicibus ac livore portavit. « Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum, et veniebant, et dicebant ei: Ave, rex Judæorum. Et dabant ei alapas. » Hæc illi quidem ludentes crudeli joco fecerunt, sed a virtute et sapientia Dei magno Christi rege cuncta serio suscepta, imo ut fierent utiliter provisa sunt (*I Cor.* I). Singulæ namque derisiones, singulæ plagæ vel percussiones, grandem vocem habuerunt, et omnia pro nobis justa locuta sunt. Cum enim sanguis proclamet in cœlum de terra, quæ aperuit os suum (*Gen.* IV), et suscepit eum de manu Judæorum. Spinæ quoque et vestis irrisoria, cæteræque injuriæ sine dubio proclamant in cœleste propitiatorium, et credentibus in eum potenter impetrant remissionem peccatorum. Per spineam ergo coronam illud visibiliter quoque significant, quod de illo propheta prædixit: « Et peccata nostra ipse portavit (*Isa.* LIII). » Spinæ namque peccata designant, quæ animam pungunt et lacerant. Nam et propter peccatum homini datæ sunt, dicente Domino ad Adam: « Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* III). » Sed et quod chlamydem coccineam cum illuderetur non dedignatus est circumdari sibi. Nunquid non congruit illi, quo propter nos in passione sua fungebatur, ministerio charitatis? Coccus enim coloris ignei, qui in tabernaculo Domini offerri, et in veste sacerdotali bis tinctus (*Exod.* XXV, XXVIII), jubetur assumi, geminam significat dilectionem, Dei et proximi, quia fit, ut quidquid offerimus, ignitum et quasi bene coloratum coram divinis placeat conspectibus. Ipse autem propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos (*Ephes.* II), bibit calicem passionis, sicut ipse, « ut cognoscat, inquit, mundus, quia ego diligo Patrem, et majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). » Igitur huic regi nostro chlamys coccinea bene congruebat, ut ipso habitu se illum esse ostenderet, qui in lege significabatur, per vitulam rufam (*Num.* XIX), cujus corpus pro peccato jubebatur extra castra cremari, et cinis ejus in aqua cum hyssopo super populum aspergi. Arundinem quoque sive calamum ab illudentibus accipere non recusavit in manu sua, quod sacrilegium scriberet Judæorum, sive ut venenata interficeret animalia. Habebat namque in manu sua virgam, id est, suam in propria potestate animam, ut volens poneret atque iterum sumeret eam (*Joan.* XII). Et sicut Moyses coram Pharaone suam projecit virgam, quæ versa est in colubrum, devoravitque versas in colubros virgas magorum, iterumque rediit in virgam (*Exod.* VIII), sic ipse nunc suam quodammodo positurus erat animam, ut descenderet in mortem, quæ per colubrum intravit in mundum (*Sap.* II), colubrosque Ægyptiorum, id est, mortes assumeret peccatorum, atque iterum in virgam, id est, in potestatem rediret pristinam. Cum in tali habitu rex Judæorum adoraretur vel salutaretur, si tunc esset tempus loquendi, et non magis tempus tacendi (*Eccle.* III), poterat veraciter jam proloqui et dicere quod serio sibi deberet omne genu curvari, et idipsum omnis lingua confiteri (*Philip.* II). Verumtamen, si tacebat ipse dum pateretur, clamabat et adhuc clamare non desinit, propheta ipsius: « Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua (*Isa.* XLV). » Igitur virtus et sapientia Dei, cum illuditur, cuncta serio rationabiliterque suscepit, et dantibus alapas faciem suam non avertit. Sequitur:

« Exiit iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam causam invenio. » Quantumvis coactum te simulas damnate, et æterni incendii stipula, non tibi educenti Jesum, et sic locuto ita credet Romana severitas, ut **331** taceam de justitia divina, quomodo credendum vel creditum fuit post hæc tribuno Felicis præsidis tuo forsitan exemplo perdocti, qui Paulum apostolum non molli et frigida defensione, sed manu militari a rabie Judæorum eripuit (*Act.* XXIII). « Exiit ergo Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce homo. » Talis exivit, et non erat ei species neque decor, et aspectus ejus in eo non erat (*Isa.* LIII). « Ecce, inquit, homo. » Intentionem quidem dicentis et sensum irridentis detestamur, sed vocem amplectimur et dicimus, quia vere homo, quia cum Deus esset, in similitudinem hominum factus est, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II). « Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. » Ita pontifices petulci, æque ut ministri eorum, « dilataverunt os suum. Euge, euge, inquiunt, viderunt oculi nostri (*Psal.* XXXIV). » Hactenus bene actum quod nunc restat exsequere: Crucifige, crucifige eum. » — « Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite eum. Ego enim non invenio in eo causam. » Timebant enim, ut antea jam dictum est, ne (quod futurum erat) pulsatus in judicio Cæsaris, sustineret molestiam, non habens quam de interfectione ejus redderet causam.

« Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. » Prævaricatores legis, dum gentilem hominem securum reddere vultis quasi legis scutum offertis, et iniquitas vestra mentita est sibi (*Rom.* II, *Psal.* XXVI). Non etenim secundum legem debet mori qui Filium Dei se asserit, sed propheta qui falsum loquitur in nomine Domini, mendacii convictus (*Deut.* XVIII), non subsequente effectu sermonis. « Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. » Timuit plane, sed non pœnitudinem gessit; timuit, inquam, præsagiente sibi animo, magnitudinem futuri mali præsertim quia jam miserat ad eum uxor ejus, dicens : « Nihil tibi et justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum (*Matth.* XXVI). » — « Et ingressus est prætorium iterum et dicit ad Jesum : Unde es tu ? Jesus autem responsum non dedit ei. » Nimis importuno tempore hoc interrogabat, quia tempus maxime tacendi (*Eccle.* III) tunc erat, et ipse audire indignus erat, quia non credere volebat. Præterea quia jam eumdem Agnum Dei male totonderat, id est flagellaverat, ideo coram illo juste obmutescebat et non aperiebat os suum (*Isa.* LIII). « Dicit ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te ? » Igitur, o Pilate potens et robustam nimis potestatem habens, ex ore tuo judicaris, nec solum apud Deum, sed etiam apud homines reus teneris; quia videlicet, innocentem et justum, cum dimittere posses, crucifigere maluisti. Modicum sustine, neque festines dicens : « Mihi non loqueris, » loquetur enim tibi postmodum, et dicet unde sit. Dominus namque qui nunc infirmus sub tua potestate tenetur, « sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum, vociferabitur et clamabit super te, et super omnes inimicos suos confortabitur. Tacui, dicet, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquor (*Isa.* XLII). » — « Tunc loquetur ad te in ira sua, et in furore suo conturbabit te » clare dicens tibi quid nunc interrogasti, unde sit. « Ego, inquiens, constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus, Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II). » Hoc in furore suo loquetur tibi, et cunctis regibus terræ et principibus, qui convenerunt adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Porro, qui dicere tibi noluit unde sit, de tua potestate quid respondeat audi. « Non haberes adversus me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper. » Non, inquit, per Dominum tuum Cæsarem, neque per istos, qui clamando : « Crucifige, » confortant brachium tuum adversum me, sed ab eo quod super omnes homines est, datam tibi adversum me potestatem habes. Nam nisi illud, unde ego sum, teneret manum dexteram meam, et in voluntate sua deduceret me (*Psal.* LXXII), poteram ego saltem respicere te, et unius vocis ferrea virga, tanquam vas figuli confringere te (*Psal.* II). Ergo quia traditus sum desuper (tradidit enim me, nec proprio Filio suo pepercit Pater *Rom.* VIII) non glorieris, tu ; quia non tua potestas, sed superna permissio est. Præterea nec vere potestas, quam in me excerces, sed quoddam latrocinium est. « Non est enim potestas, nisi a Deo (*Rom.* XIII). » Quæ ibi tantummodo jure valet, ubi culpa est. Vis, homo, non timere potestatem ? bene fac, et habebis laudem ex illa. Si autem male egeris, time. Tu si, absente culpa, sævis et occidis, latrocinium agis, homicidium facis, et proinde reus potestati superioris subjiceris. Si desuper permittitur tibi potestate abuti, noli gloriari « quia non relinquet Dominus virgam (*Psal.* CXXIV), » id est, non permanere sinet potestatem peccatorum super sortem justorum. « Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea ? An exaltabitur serra contra eum a quo trahitur (*Isa.* X). » — « Ecce irruistis in me fortes, et neque iniquitas mea, nec peccatum meum (*Psal.* VII). » Idcirco potestas ista, dum crucifigis me, non vere potestas, sed vere timidum latrocinium est, quod tu explere non posses, nisi posse tibi datum esset desuper. « Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. » Quare? Videlicet, quia ille legem accepit, et non nesciens, sed invidens abutitur permisso Dei; tu vero ejusmodi legem non accepisti, et proinde tanta tibi, quanto illi insipientia vel malignitas est (*Sap.* II), odisse sapientiam vel nescire sacramenta Dei. Tu ignoti hominis sanguinem fundens homicidium facis; ille regem et dominum suum ad mortem tradens, cum homicidio sacrilegium quoque admittit in eum, quem patribus suis promissum, hactenus exspectavit, et ipsam exspectationem ejus profitetur signo circumcisionis quod accepit, facitque occidendo, unde se in prophetis accuset legendo. Sequitur :

« Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. » Exinde, inquit, quærebat ; nam antea non quæsierat. Quid ergo, quasi damnationem ejus recusans, tantum clamaverat, nisi quia simulator et mendax erat? Sed nunc ubi manifestam ejus innocentiam comperrerat ; quippe, quem nec in sermone de nomine regis ullatenus capere potuerat, magis timebat : maxime, quia jam, ut dictum est, « uxor ejus ad eum miserat. » — « Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. » Et quasi quæreretur ab eis, in quo dimissio hujus repugnet amicitiæ Cæsaris, tali sententia propositionem suam confirmant, importuni et nimis officiosi amici Cæsaris, inimici autem Dei. « Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. » Igitur conclusit, ut sibi videtur, iniquitas omne os, ne reprehendere vel injustam dicere damnationem hujus hominis audeat. Nam « omnis qui se regem se facit contradicit Cæsari. » Hic autem regem se facit. Securus ergo sit Pilatus, et interficiendo obsequium se Cæsari præstare arbitretur.

« Pilatus ergo cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha.

Erat autem parasceve paschæ, hora quasi sexta. » Parasceve *præparatio* interpretatur. Quo nomine Judæi, qui inter Græcos **332** conversabantur, sextam Sabbati (quæ nunc a nobis sexta feria nuncupatur) appellabant, quod eo videlicet die, quæ in Sabbatum forent necessaria, præpararent, juxta quod de manna quondam erat præceptum, sexta autem die colligetis duplum (*Exod.* XVI), etc. Qui vero inter Romanos vitam ducebant Judæi, usitatius eam Latine cœnam puram cognominabant. Quia ergo sexta die homo factus, et tota est mundi creatura perfecta ; septima autem, conditor ab opere suo requievit ; unde et hanc Sabbatum, id est *requiem*, vocari præcepit, recte Dominus eadem die sexta crucifixus humanæ restaurationis implevit arcanum. Unde « cum accepisset acetum, dixit : Consummatum est (*Joan.* XIX), » id est sexta, quod pro mundi refectione suscepit, totum est opus perfectum. Igitur illis quidem interfectoribus Domini, magnum quidem parasceve propter subsequens magnum, id est paschale, Sabbatum erat : nobis autem propter præparationem vitæ æternæ, quæ nobis illo die præparata est, maximum parasceve est. « Et dicit Judæis : Ecce rex vester. » Jam dixerat hic derisor. « Ecce homo ; » nunc adhuc irridens. « Ecce, inquit, rex vester. » Nescivit dicere quod tertium accusationis vel criminis nomen est : Ecce Filius Dei vestri ; sed dixerunt Judæi : « Quia Filium Dei se fecit. » Hæc tria verissima nomina sunt unius Christi Domini nostri, Homo, Rex, Deus sive Filius Dei ; quem quidem irridentes, et cum risu adorantes, confessi sunt inimici, sed vulnerantes et serio adorantes confitemur amici. « Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. » Puta dixisse Judæos infelices : Tolle a nobis regem, tolle principem, tolle sacerdotem. Extunc enim impletum est quod per prophetam fuerat ante prædictum, quia « multis diebus sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari (*Osee* III). » Item : « In hostiis et muneribus vadent ad quærendum Dominum, et non invenient eum, ablatus est eis (*Osee.* V). » Et merito, quia dixerunt, tolle Salvatorem, crucifige propitiatorem, idcirco perdiderunt salutem, et nullam habent defensionem. « Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam ? » Hoc petulans judex, quasi joco fatigatus dixit, sed jocum ejus impatiens insania fastidiens, et ad certam credulitatem festinans repulit. Quid enim sequitur ? « Responderunt ei pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. » Ergo concedatur illis, non habere regem nisi Cæsarem, quoniam omnes alios abjecerunt, neminem excipientes, sive Deum, sive hominem, et condigna sibi accipiant dona Cæsaris, scilicet interfectionem et captivationem gentis, eversionem civitatis, incendiumque et irrecuperabilem ruinam templi. « Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. » Itaque vicerunt isti « filii hominum, quorum erant dentes arma et sagittæ et lingua eorum gladius acutus A (*Psal.* LVI) ; » quia firmantes sibi sermonem nequam (*Psal.* LXIII), tam diu perstiterunt, donec traderetur eis ad crucifigendum.

« Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. » Aviditatem suscipientium, per Psalmistam ipse exprimens, « Susceperunt me, inquit, sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis (*Psal.* XVI). » — « Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha, ubi crucifixerunt eum. » Exiit quidem, sed non pervenit ad locum bajulando ipse sibi crucem. Angariaverunt enim prætereuntem Simonem quemdam patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem post eum (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV). « Exeamus ergo, inquit Apostolus, ad eum extra B castra, improperium ejus portantes (*Hebr.* XIII). » Et non, sicut ille Simon, qui portavit quidem post eum crucem, sed ipse crucifixus non est, sed ita crucem ejus tollamus, ut nosipsos cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus (*Galat.* V), et cum tempus vel causa postulat, ejus qui passus est, pro nobis, relinquens nobis exemplum, vestigia sequamur (*I Petr.* II). Calvariæ, locus erat damnatorum, dictus Calvariæ locus, a capitibus eorum qui ibi puniebantur, ubi crucifixerunt eum. « Et cum eo duos hinc et inde, medium autem Jesum. » Ita juxta prophetam, « cum sceleratis reputatus est (*Isa.* LIII), » imo et tanquam sceleratorum maximus, in medio crucifixus est. Verumtamen ipsa crux, non solum tormentum judicati, sed judicati quoque jam quod- C dam tribunal exstitit. Alterum namque illorum sceleratorum, sicut Lucas manifestissime edisserit, misericorditer assumpsit, alterum juste reliquit.

« Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem. Erat autem scriptum : Jesus Nazarenus rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est. » Scripturam hanc alio Spiritus sanctus dictavit, atque alio Pilatus consilio scripsit. Ille namque gloriari se sperabat in hac malitia, et hoc titulo manifestius futurum, et clarius Cæsari annuntiandum, se pro fide ejus occidisse hominem quem multa gentis illius turba cum ramis palmarum excipiens, regias illi laudes acclamaverat, Christum esse illum existimans quem per prophetas promissum exspectabat (*Matth.* XXI). At vero Spiritus D sanctus bene utens maligni scriptoris manu, hunc titulum fecit, qui cœlo et terra transeuntibus non transibit (*Luc.* XXI), quia Jesus Nazarenus, id est, Salvator et vere sanctus, rex Judæorum per crucem suam est effectus. Judæorum, inquam, non eorum, qui se Judæos esse dicunt, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ (*Apoc.* III), sed Judæorum, qui in veritate confessores Dei sunt.

« Erat autem scriptum, Hebraice, Græce et Latine. » Linguarum omnium præcipue tres istæ sunt, per quas hodie sancta Scriptura per totum mundum celebrata testificatur verum hunc esse titulum, id est, vere Jesum Nazarenum regem esse Judæorum ; regem, inquam,

omnium in veritate confitentium. Nam de angusto Hebraicæ linguæ domicilio, Lex et Prophetæ et Psalmi per linguas Græcam et Latinam eruperunt, et orbis terrarum armaria testimoniis hujus compleverunt. Has ergo linguas bene in titulo suo congregavit Dei Verbum, non utique alligatum neque moriturum, et maligno scriptore bene utens, quomodo voluit ad honorem suum. Quid de ipsa cruce dicemus? Ejus figura nihil ne mysticum significat? Taceo quod decentissimum esse nullus abnuat, salutem humani generis in ligno crucis constitui, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, quodque ait quidam :

Nere quis ignoret, speciem crucis esse colendam,
Quæ Dominum portavit, ovans ratione potenti.

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis. Illud non prætermittam, quia salutis quam operabatur, primas januas, id est fidem, spem et charitatem quartamque illarum perseverantiam in ejusdem crucis qua pendebat, figura significabat. Habet enim crux longitudinem, latitudinem, sublime atque profundum. Profundum, id est acumen, quo fixa terræ inhæret, longitudinem inde usque ad brachia, latitudinem in eorumdem expansione brachiorum ; altitudinem ab ipsis brachiis sursum versus, quo caput imminet. His autem quatuor supradictæ virtutes signantur. Profundo, fides, **333** quæ occulta voluntatis Dei vocatione prima, in fundo cordis quasi fundamentum in ædificio ponitur ; longitudine, perseverantia ; altitudine, spes, quæ nobis in cœlestibus posita est ; latitudine, charitas. Nam de his Apostolum dixisse intelligimus : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum (*Ephes.* III). » Salutis ergo primos auditus in supplicii sui figura Salvator noster prædicabat. Igitur interfectores Christi suo quidem sensu sacrilegia, Dei autem dispositione sacra mysteria loquuntur et operantur. « Hunc, inquit evangelista, titulum multi legerunt Judæorum, quia prope civitatem erat locus ubi crucifixerunt eum. »

« Dicunt ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli scribere rex Judæorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum. » Isti pontifices plano dispersores vel corruptores illi sunt, contra quos Christi Spiritus in quorumdam prælocutus est superscriptionibus psalmorum : *In finem ne dispersas sive corrumpas in tituli incsriptione* (*Psal.* LVI). Titulum namque bonum et bene scriptum disperdere atque corrumpere voluerunt, sic intercidendo Jesus Nazarenus, qui dixit: « Rex sum Judæorum. » Quasi vero Pilatus nescisset a turbis illum regem fuisse conclamatum, quando venienti Jerosolymam, exierunt obviam cum ramis palmarum, et eum a plerisque esse creditum, qui fuerat rex promissus oraculis prophetarum. « Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. » Ergo signasti, Pilate, iniquitatem tuam in manu tua, quia stabile et fixum vis esse, quod regem Christum occidendo, exspectationem Israel interfeceris, et oracula prophetarum incerta et putabas. Dei cassaveris, dicentium de hoc rege, quod magnum habiturus esset regnum : verbi gratia, quia dominabitur a mari usque ad mare, et flumine usque ad terminos orbis terrarum (*Psal.* LXXII). Cæterum voluntas est Dei, qui te malo servo bene uti novit ; voluntas, inquam, Dei est, ut scriptum sit et permaneat quod scripsisti. Psalmista, cum promissiones regni ejus prædicaret, dicente Deo : « Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis, » statim existimationem tuam tuique similium subintulit dicens : « Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum. » Et post pauca : « Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello. Destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terra collisisti. Minorasti dies temporis ejus, perfudisti eum confusione (*Psal.* LXXXVIII). » Hæc vel hujusmodi præconia Christi sic tu audisse poteras, quomodo et Herodes, qui venientibus ab oriente magis, ultro convocans principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur (*Matth.* II). Quod ille efficere non potuit illius a magis, tu te prudenter egisse putasti. Frustrabitur te spes tua, quia nec hujus occisi regis Judæorum judicium effugies, nec saltem Cæsaris tui mensa pro hoc facto vel scripto tuo, familiarius fruiturus es. Fertur enim, quia propter hoc Romam adductus, a Tiberio Cæsare exsilio damnatus est, sententia tam intolerabili, ut per impatientiam inediæ, gladio sibimet mortem consciverit. Itaque maledictiones illæ manifestæ super eum deciderunt, quibus impium divina Scriptura devovet, dicens : « Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadet costas illius. Devoret pulchritudinem cordis ejus, et consumat brachia illius primogenita mors (*Job.* XVIII), » etc.

« Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit. » Videlicet quia lucrose venundare poterant vestimenta ejus idcirco pro magnæ victoriæ spoliis ea sorte milites acceperunt. Non enim vilia putabantur vestimenta, de quorum fimbriis contactis, virtus exire consueverat (*Matth.* IX). Nec utique tunc in illo spectaculo deerant, qui ad comparandum ea certatim se ingererent. Nam, ut taceam de matre, et discipulo, quem diligebat Jesus, stantibus juxta crucem ejus. « Stabant, inquit Lucas, omnes noti ejus a longe, et mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes (*Luc.* XXIII). » Adeo tanquam reus et peccator proscriptus Dominus, ut nec vestimenta sua charis suis pro magno thesauro servaturis dividere sibi licuerit, sed in corpore suo saturatus opprobriis, sua quoque vestimenta in mercedem vidit cedere interfectoribus suis. Ut Scriptura impleretur, dicens : « Partiti sunt vestimenta mea

sibi, et super vestem meam miserunt sortem (*Psal.* XXI). » Tanquam diceret : Adeo crudeles fuerunt, adeo considerantes et inspicientes me, absque ulla miseratione steterunt, ut vestimenta mea dividentibus sortes quoque mittere vacaverit, videlicet hoc ad fidelitatem pertinebat imperii, ut regem Judæorum non solum obtemperanter, verum etiam gaudenter interficerent milites Romani.

Huic ergo direptioni, dum vestimenta Domini dividunt, tunicam tamen non scindunt, hæreticorum temeritatem comparare licet, qui quamvis Scripturam sacram in pravos sensus suos distraxerint, tamen fidem Christi vel catholicam ejus Ecclesiam scindere non potuerunt. Plura namque Domini vestimenta, multa Scripturarum, quibus unum Dei Verbum indutum est, significant volumina ; tunica vero inconsutilis, et desuper contexta per totum, videlicet qualem dilecto ejus Maria sorte diligenter contexuerat, unum integram atque inviolabilem Catholicæ Ecclesiæ fidem congrue designat. « Et milites quidem hæc fecerunt. » Pulchre satis evangelista facta impiorum terminat. « Hæc quidem, inquit, milites fecerunt, » subauditur, et quid post hæc facerent, non habuerunt, corpus crucifixerunt, et prædam tulerunt ; sed fortitudinem Dei, Verbum Dei, Verbum Deum, cum anima sua occidere non potuerunt. Deinceps quæ manibus militum cessantibus facta sint exsequitur.

« Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus, et soror matris ejus Mariæ Cleophæ, et Maria Magdalene. » Stabat, inquit mater juxta Filii crucem, sine dubio dolens, et dolores tanquam parturientis habens. Cruce namque ejus nimium ipsa cruciabatur, sicut ei prædicens Simeon : « Et tuam ipsius, inquit, animam pertransibit gladius (*Luc.* II). » « Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. Ad discipulum autem : Ecce mater tua. » Quo jure discipulus, quem diligebat Jesus matris Domini Filius, vel ipsa mater ejus est ? Eo videlicet, quia salutis omnium causam et tunc sine dolore peperit, quando Deum hominem factum de carne sua genuit ; et nunc magno dolore parturiebat, quando, ut prædictum est, juxta crucem ejus stabat. Si enim apostolos suos in illa hora suæ passionis Dominus mulieri parturienti recte comparavit, dicens : « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, et vos igitur nunc tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum (*Joan.* XVI). » Quanto magis mulierem hanc, stantem juxta **334** crucem suam, mulieri parturienti, talem matrem talis filius recte similem duxit. Quid autem dico similem, cum vere sit mulier, et vere mater, et veros habeat in illa hora partus sui dolores ? Non enim habuit hæc mulier hanc pœnam, ut in dolore pareret sicut cæteræ matres, quando infans sibi natus est ; sed nunc dolet, cruciatur, et tristitiam habet, quia venit hora ejus, illa videlicet hora propter quam de Spiritu sancto concepit, propter quam gravida facta, propter quam completi sunt dies ut pareret, propter quam omnino de utero ejus Deus homo factus est. Cum autem hæc hora præterierit, cum totus iste gladius parturientem ejus animam pertransierit, « jam non erit memor pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo in mundum, » quia declaratus erit novus homo, qui totum renovet genus humanum, totiusque mundi sempiternum obtineat imperium ; natus, inquam, id est, immortalis atque impassibilis factus, et angustias vitæ hujus in æternæ patriæ amplitudine supergressus mortuorum primogenitus. Proinde quia vere ibi dolores ut parturientis (*Psal.* XLVII), » in passione unigeniti omnium nostrum salutem beata Virgo peperit, plane omnium nostrum mater est. Igitur quod de hoc discipulo dictum est ab eo, justissime curam suæ matris habebat : « Mulier, ecce filius tuus. » Itemque ad eumdem discipulum : « Ecce mater tua, » recte et de alio quolibet discipulorum, si præsens adesset, dici potuisset : Nisi quia licet omnium, ut dictum est, mater sit : pulchrius tamen huic ut virgo virgini commendari debuit, præsertim cum huic discipulo talis gratia reposita esset, ut Verbum ipsum, quod illa mater carnem factum pepererat, ipse quantum mortali homini possibile fuit, imo plus quam alius quis mortalium omnium potuit, evangelico stylo describeret. « Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. » In sua videlicet non prædia, quæ nulla habebat vel habiturus erat (quippe de illis unus est, qui Dominum secuti reliquerant omnia (*Matth.* XIX), sed sic in sua dictum est, ut in illa quoque communione rerum qua dividebatur singulis, prout cuique opus erat, ad hujus curam, quidquid illi esset necessarium pertinebat (*Act.* II, IV).

« Postea sciens Jesus, quia consummata sunt omnia, ut impleretur Scriptura, dixit : Sitio. » « Sciens, inquit, quia jam consummata sunt omnia, » subauditur quæ illum pati oportebat. Nec enim eo nesciente, sed bene sciente, et omnia disponente fiebant ista, qui et per prophetas « omnia prædixerat, ut impleretur Scriptura, dixit : Sitio. » Quomodo propter hoc dictum est, impleta est Scriptura ? Audi quid sequitur : « Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus. » Alius evangelista refert, quia « dederunt ei vinum quoque bibere cum felle mistum (*Matth.* XXVII). » Ut ergo impleretur Scriptura, dixit : « Sitio, » qui dum eo modo illi ministratur impleta est non solum spiritualiter, sed etiam litteraliter Scriptura, quæ dicit : « Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto (*Psal.* LXVIII). » Item : « Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum (*Deut.* XXXII) : » Illud mirandum est, in illis Dominicæ mortis ministris, imo in illo, quo cuncta hæc disposita fuerant consilio divinitatis.

A quod tam ordinate tamque integre cuncta egerunt, ac si se cunctas in illo juravissent implere voces prophetarum. Quomodo autem ori ejus a terra in crucem exaltati, spongiam apponere potuerint, alius evangelista manifestius edicit, videlicet, « quia spongiam circumposuerunt arundini (*Matth.* XXVII). » Hæc ita facientes satis aperuerunt, quanto felle amaritudinis ipsorum præcordia redundarent, et quod vere non jam vinea Domini Sabaoth illa domus Israel, et illa domus Juda, germen ejus delectabile esset, sed de vinea Sodomorum vinea eorum, et quam veraciter per prophetam Dominus idem prædixisset quod exspectante se ut faceret uvas, fecerit labruscas (*Isa.* V). Sane per hoc quod oblatum sibi acetum felle mistum, cum gustasset, noluit bibere, reprobationem significat ejusdem vineæ suæ Sodomiticæ, B quæ mortis illi miscuit amaritudinem, cum debuisset afferre dilectionis dulcedinem, qua gustata modice, id est per triduum, jam de genimine hujusmodi vitis bibere non vult (*Luc.* XXII). « Resurgens enim ex mortuis, jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). »

« Cum accepisset ergo acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite, emisit spiritum. » Quid consummatum esse dixit, nisi quidquid propositum, vel dispositum fuerat secundum Scripturas eum pati ? Ergo, inquit, consummatum est, certamen obedientiæ peractum est, ad summam cursus perventum est, nunc demum gloriæ et honoris corona superest. Hoc dixit, et tunc demum « inclinato capite emisit spiritum. » Spiritum, inquam, emisit vel C tradidit, potestate quam habebat animam suam ponendi, quia passus non nisi quantum voluit, hora qua voluit mortem admittens, spiritum emisit. « Judæi ergo, quia parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. » Judæi, labiis religiosi, corde autem cruenti, et a Deo longinque legitimam habuere curam de magno die Sabbati paschali. Magnifici honoratores Dei, cum in conscientia mala reposuissent sanguinem justi, in ore et in labiis suis firmiter tenuerunt mandatum legis. Quid enim lex dicit ? « Quando, inquit, peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, D sed in eadem die sepelietur, quia maledicturus a Deo est qui pendet in ligno, et nequaquam contaminabilis terram tuam, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi in possessionem (*Deut.* XXI). » Hoc plane lex dicit, et hoc legem dixisse scientes isti amici legis, imo legis corruptores et inimici Dei, callide Dominum appenderunt in patibulo, ut consequenter constaret eum maledictum esse a Deo, et proinde certum esset, hunc hominem juxta sententiam, vel accusationem ipsorum non fuisse a Deo. Sed, o Judæi, malitia cæci, fuerit quidem, quoniam hoc et Apostolus ait : « Fuerit, inquam, Dominus noster maledictum legis, ut nos a maledicto redimeret (*Galat.* III). » Verumtamen nunquid secundum verba legis, pendere in ligno præcedens est causa maledicti ? Ut taceam quod non dixit solum, quando homo « adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, » sed ita præmisit, » quando peccaverit homo, quod morte plectendum sit, » et tunc demum subintulit, « et adjudicatus morti, suspensus fuerit patibulo, » ut, inquam, hoc taceam quod manifeste expurgat a maledicto Dominum nostrum, quia appensus quidem est ligno, sed non peccavit quod morte plectendum esset ; nunquid, ait maledictus est a Deo qui pendet in ligno ? nunquid, ait, imprecando, maledictus sit, vel absolute maledictus, ut subaudiri possit imprecantis verbum, sit, et non potius enuntiando, dixit : « Maledictus a Deo est, » non quia pendet, sed « qui pendet in ligno. » Non enim sic se habet littera Hebraicæ veritatis, quomodo Septuaginta transtulerunt, quippe qui non sensum Dei perfecte habuerunt. Nec enim vates, **335** sed interpretes erant, unde et hæc sicut cætera multa non satis integre transtulerunt, « maledictus omnis qui pendet in ligno, » cum sic habeatur in Hebraico : « Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno. » Nempe tribus modis discordat a vero hæc translatio. Cum enim in Hebraico habeatur : « Maledictus est ; transtulerunt absolute, « maledictus, » et sit, subaudiri potest. Item in Hebraico additum est, « a Deo, » quod in Septuaginta deest, et econtra in Septuaginta, « omnis, » additum est, quod in Hebraico non habeatur.

Quare ergo, inquis, Apostolus translatione illorum Septuaginta in hac sententia usus est ? Sic ait « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum : Maledictus omnis, qui pendet in ligno (*Galat.* III). » Quare hoc exemplo sic usus est ? Videlicet, quia apud Græcos quibus scribebat, Vulgata fuerat a tempore Ptolomæi Philadelphi Septuaginta interpretum editio, et nimis importunum erat, ut cum Christo Scripturas testimonium perhibere assereret, et vix audiretur, si ipsas quoque Scripturas male interpretatas esse ostendere conaretur, cum apud illos Septuaginta interpretum auctoritas haberetur celeberrima. Maluit ergo sententiam cum sensu, qui ædificaret commemorare quam corrigendo Scripturam veteranos lectores offendere. Præterea videte melius, cujus intentionis sit hæc eadem annuntiatio maledicti, præsertim quia pro eo quod maledictus a Deo est, jubet illi sepeliri. Nonne mortuis pars benedictionis est, sepeliri, et econtra maledictionis, sepultura carere, more asini, sicut de quodam rege terribiliter dictum est (prout erat meritus) sepultura asini, id est, ulla sepultura sepelietur ? (*Jerem.* XXII.) Nonne sancti et magni Patres sive patriarchæ de sepeliendis vel etiam transferendis corporibus suis diligenter mandaverunt, et pro magno illis fuit sepeliri, et non tantum ubicunque, sed in sepulcris patrum suorum (*Genes.* XXXV, L.) O igitur mirabile et antiquum crucifixi hujus consilium, qui tanto antequam veniret, tempore ita de sepeliendo corpore suo dedit præ-

ceptum, ut profuerit omnibus crucifixis, scriptum pro se uno legis mandatum. Cum enim decollatos sive lapidatos aut alia vi peremptores licuerit impune insepultos canibus projici, solis crucifixis propter justum crucifigendum lex prophetica utpote digito Dei conscripta, sepulturam negari prohibuit. Nonne ergo propheticus crucifigendi spiritus, gemitibus inenarrabilibus rugiebat in corde Moysi talem legem scribentis (*Deut.* XXI), ut dum crucifixi omnes ex lege sepeliuntur, sepultura non careat hic unus pro salute mundi crucifixus, a Deo maledictus addens etiam a Deo quod nusquam fecit in cunctis, maledictionibus legis? Verbi gratia cum dicit: « Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictus ingrediens, maledictus egrediens (*Deut.* XXIII), » et similiter in cæteris, nusquam dixit, a Deo, nisi tantum in hoc loco. Cur hoc, nisi, quia vere solus, est hic a Deo maledictus, in eo videlicet quod sicut ait propheta, iniquitates omnium nostrum in illo posuit Deus? (*Isa.* LIII.) Idcirco sepeliatur, inquit, qui pendet in ligno, quia futurus est talis pendens in ligno, qui erit maledictus a Deo: a Deo, inquam, transponente maledictiones humani generis in illo. Quod si quis objiciat, sæpe maledictiones prolatas fuisse a Deo, verbi gratia, cum dicit ad Cain: « Nunc ergo maledictus es super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua (*Gen.* IV); » nos econtra dicimus, non esse maledicti effusionem, sed maledicti jam existentis enuntiationem: præsertim cum non dicat, maledictus sis, sed maledictus es et non a me, sed a peccatis tuis. Nec enim maledictus est Cain a Deo, sed a voce sanguinis fratris sui clamantis de terra, et impietatis ejus annuntiantis ipsi Deo. Igitur hic solus maledictus fuit a Deo et non a suo peccato; a Deo, inquam, qui omnium nostrum maledictum, quod erat super nos, id est, omnem iniquitatem nostram posuit in eo. Quod vero addidit Lex: « Et nequaquam contaminabis terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi in possessionem (*Deut.* XXI). » Mira Spiritus sancti arte dixit et scripsit, cum potius ex eo contaminata terra posset videri, si in se reciperet corpus maledicti. Quid enim? quid etiam hoc loco scriptor legis intendit? Hoc utique, quia terra quam dedit Deus vero Israeli in possessionem, corpus est hujus singulariter et pro nobis maledicti, quam sibi datam tunc Israel non contaminavit, id est, contaminari non permisit, quando illud Joseph et Nicodemus eodem die sepelierunt (*Matth.* XXVII; *Luc.* XXIII), pro communi lege omnium in ligno pendentium, videlicet ne indigne insepultum abjiceretur, et a canibus illis, qui vivum circumdederant, adhuc exanime conspueretur. Porro, illi putabant in eo non contaminari terram suam, si cujusquam taliter occisi corpus nequaquam viventium oculis ingereretur. Quod si aliquis quærat adhuc, cur pro hoc tantopere legislator fuerit sollicitus, cum posset etiam insepultum cœlitus custodiri corpus sacrosanctum, sicut custodita sunt, ne a canibus vel avi-

A bus læderentur, etiam multa corpora martyrum. Interrogemus eum, cur moriente eodem Domino, et terra tremente monumenta sanctorum aperta sunt (*Matth.* XXVII). Videlicet aut nihil idoneum, aut hoc respondebitur solum, quia corporibus mortuorum hoc expediebat, ut conjungeretur eis in sepulcris corpus hujus mortui, quod afferebat resurrectionem mortuorum, et idcirco ad suscipiendum illud certatim et avide sese dilataverunt. Nam sicut animam Domini Jesu ad animas apud inferos descendere expediebat, ut illas inde educeret; sic et ad corpora corpus ejus pervenire oportebat, ut illa resuscitaret. Sed jam de hoc satis dictum, ad Evangelii verba revertamur. Judæi, inquit, rogaverunt Pilatum, ut fractis cruribus corpora eorum tollerentur. Quare? « Quia

B Parasceve erat, « quia magnus ille Sabbati dies erat. « Magnus, inquit, dies Sabbati ille erat, » videlicet, quia paschale Sabbatum erat. Etenim cum octo diebus Pascha celebraretur, omnium dierum maximus et maxime festivus, Sabbati dies habebatur, sive ille primus, sive secundus aut certe tertius occurrisset, vel quartus, et Sabbatum paschale vocabitur. Idcirco Judæi petierunt ut corpora tollerentur, ne tantus dies talis horrore spectaculi fœdaretur. Quippe cum etiam qualibet die corpora hujusmodi sepeliri in eadem die ex lege præciperentur. Sed propter Sabbatum, illa Judæi sepeliri voluerunt properantius.

« Venerunt ergo milites et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. »

C Primi, inquit, id est exterioris, et alterius itidem exterioris (nam Dominus Jesus medius crucifixus erat) fregerunt crura, quia necdum obierant, ut depositi non viverent, sed et maturius expirarent. « Ad Jesum autem venientes, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. » Bene, nec enim opus erat, ut super dolorem vulnerum ejus quidquam apponerent (*Psal.* LXVIII), in quo jam sensuum nihil restabat. « Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. » Deo gratias. Sanguine redimimur, aqua abluimur. Tantam salutem Deus noster, per quam voluit nos salvari, lanceatus in medio terræ operatus est. **336** Sed hujus rei magnitudo vel dignitas valde attentum et bene credulum auditorem efflagitat. Sequitur ergo: « Et qui vidit testimonium per-

D hibuit, et verum est ejus testimonium, et ille scit, quia vera dicit, ut vos credatis. » Ecce unus testis hic est qui vidit et qui scripsit hæc, quamvis et multos vidisse, qui adfuerunt et videre voluerunt, dubium non est: Sed ne videar solus esse testis, inquit, adhibebo mecum alios duos testes. Legalem scilicet sermonem testem unum, et propheticum testem alium. « Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo (*Exod.* XII). » Hoc de Agno paschali præcipit lex. Brevi ergo, sed claro judicio perdocet, illum legalem Paschæ agnum significativum fuisse hujus veri Agni, qui nunc tandem pro nobis immolatus est, sicut jamdudum bene

exercitata certum habet sanctæ Ecclesiæ fides. « Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt. » Hoc Zachariæ prophetæ testimonium est (*cap* XII). Igitur in ore trium testium, scilicet legis et prophetarum atque hujus evangelistæ, stabit hoc Verbum : « Quia milites, ut jam dictum est, Domini Jesu non fregerunt crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. » Nunc demum rem tantam latius contemplemur. Nec enim prætereundum est, tantæ rei hujus sacramentum, cui sanctus evangelista suum tam diligenter testimonium interposuit, et congrua de Scripturis exempla subjecit. Cur ergo Agnus qui immolatus est, noluit ut os comminueretur ex eo? Non enim casu, sed eo volente et disponente actum est, videlicet idcirco crura sibi frangi noluit, quia ossium fractura nullum usquam bonum sui similitudine commendat. Ossa namque quæ ubique in Scripturis mystice pro virtutibus accipiuntur, nihil nobis mysterii prædicarent in eo quod frangerentur. Sed econtra crura in eo quod integra conservata sunt, illud nobis mysticant, quod universæ viæ ejus recte inviolabiles sunt. Siquidem crura ejus vias ejus significant. Unde in Canticis dicitur: « Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas (*Cant.* V), » id est, itinera ejus pulchra super divinitatis sapientiam in rectitudine sunt firmata. Quid igitur vitata crurum fractura fieri maluit? « Sed unus militum, inquit evangelista, lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. » Cur igitur hoc fieri maluit ? Videlicet ut illam super nos effunderet aquam cum sanguine suo, quam cum commendaret dixerat : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest videre regnum Dei (*Joan.* III). » Siquidem hujus aquæ sacramentum, hoc miraculo sumpsit exordium. Baptizatus ergo Dominus in passione sua, talem ad nos suæ salutiferæ mortis participationem jam mortuus emisit. Non est novum hoc aut mirum, quod illum in passione sua dicimus baptizatum. Matre filiorum Zebedæi postulante ac dicente :« Magister, dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram in regno tuo, respondens, dixit : Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum aut baptismo quo ego baptizor, baptizari ? Qui cum respondissent, possumus : Calicem, inquit, meum bibetis, et baptismo quo ego baptizor baptizabimini (*Marc.* X), » et cætera. Nomine calicis sive baptismi passionem voluit designare martyrii, quæ et ipsum et illos decebat consummari. Unde et alibi de passione sua loquitur : « Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur (*Luc.* XII). » Græce autem *baptismus*, Latine *ablutio* dicitur. Quas ergo sordes habebat Dominus, ut baptismo passionis ablueretur? Nempe mortalitatem nostram et passibilitatem, propter quam sordidus et contemptibilis apparebat hominibus, sicut et in Zacharia legimus : Jesus autem indutus erat sordidis vestibus. Dixit autem Angelus his, qui stabant coram se : Auferte ab eo vestimenta sordida (*Zach.* III). » Jesus erat indutus sordidis vestibus, qui, cum non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est (*II Cor.* V). Et ipse infirmitates nostras portat (*Isa.* LIII). Et in Apostolo legimus : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictio (*Galat.* III). » Hic in vicesimo uno psalmo loquitur : « Longe a salute mea verba delictorum meorum. » Et in sexagesimo octavo psalmo : « Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. » Quæ universa, inquit, appellantur sordida vestimenta, et auferuntur ab eo cum in morte sua nostra delet peccata. Cum igitur videmus Dominum Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, et a nostris quæ ipse portaverat peccatis ablutum (*Hebr.* II), recte illum accipimus suo baptismo in morte sua baptizatum atque ut eumdem suum ad nos transfunderet baptismum, sanguinem et aquam de latere suo profudisse jam mortuum. Baptismum quo a Joanne baptizatus est non ad eamdem pertinuisse virtutem, jam alias dictum est. Idcirco nec solus sanguis, nec sola de latere Salvatoris aqua manavit : quia divinus ordo nostræ salutis utrumque depoposcit. Nec enim ad hoc redempti sumus, ut tales nos ille possideret, quales eramus prius. Unde et Apostolus : « Non enim, inquit, vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem in Christo Jesu (*I Thess.* IV). » Et in alio loco, cum priora commemorasset peccata : « Et hæc, inquit, fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis (*I Cor.* VI), » etc. Ut ergo esset, unde a peccatis lavaremur, aqua quæ corporales tantum lavare poterat sordes sanguinis, qui est pretium nostræ redemptionis, sociata est, et ex ejus societate virtutem atque auctoritatem sumpsit, ut ad abluendas invisibiles peccatorum sordes digna sit sancto cooperari Spiritui : Societate, inquam, vivifici ac pretiosi sanguinis hoc accepit, ut comparetur vera similitudine Rubro mari, per quod salvatus populus transivit, Pharaone submerso cum curribus et equitibus suis (*Exod.* XIV). Nam fugientes Ægyptum hujus sæculi, mundatos in veram promissionis terram transmittit, diabolumque persequentem penitus absorbet cum præteritis actibus et pompis suis. Igitur, ut supra dictum est, longe rationabilius fuit, ut lancea militis latus ejus aperiretur, quam ut crura frangerentur ; rationabilius, inquam, ac decentius tanto salutis fuit artifici, valdeque accessit ad pulchritudinem operis, ut illud sibi mortuo de latere subduceret, unde nasceretur Ecclesia : « Qui dormienti Adæ costam eduxit, unde formaretur Eva (*Gen.* II). » Hac enim similitudine quid pulchrius, quid elegantius, quid dulcius ? Siquidem ille primus Adam obdormivit, iste secundus, ut dictum est, surrecturus obiit. Illi Dominus soporem immisit, huic Pater calicem passionis dedit. « Egredimini ergo et videte, filii Sion, regem Salomonem in diademate suo, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis ejus, et in die lætitiæ cordis illius

(*Cant.* III), » Egredimini, inquam, de tenebris illis, A quæ super terram factæ sunt ab hora sexta usque in horam nonam (*Matth.* XXVII). Imo de illis, quæ per istas significatæ sunt, et nunc operiunt faciem cordis Judæorum. De his ergo tenebris exite, et videte intenta contemplatione illum, qui vos vocavit in admirabile lumen suum (*I Petr.* II), regem magnum, regem pacificum, in diademate spineo, quod est charitas et magnæ miserationis ornamentum, **337** quo coronavit eum mater sua Synagoga, in hac die desponsationis ejus, qua, ut dictum est, nasciturae sibi sponsæ Ecclesiæ in lætitia cordis sui, prima elementa produxit, sequitur : « Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathia, eo quod esset discipulus Jesu (occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. B Venit ergo, et tulit corpus Jesu. » Occultus iste erat discipulus Jesu, sed non occulte rogavit Pilatum, neque occulte tulit ad sepeliendum corpus Jesu. Nec enim erat opus legis, namque, ut supra dictum est, hoc erat præceptum (*Deut.* XXI), ut in patibulo appensus eodem die sepeliretur providente jam corpori suo sepulturæ libertatem ipso Dei verbo, quod per Moysen loquebatur.

Cum ergo beatus iste discipulus tollit magistri sui corpus, recte Judæorum calumniam non veretur, nam ille contra legem faceret, qui pro causa ejusmodi bonum ejus officium calumniaretur. Nec erat suspicioni locus de ejus discipulatu, cum præcepto legis non etiam amori Domini Jesu obsequi videretur. « Venit autem et Nicodemus, ferens misturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo Jesum et ligaverunt linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. » Ne miraremur quod ausi sint Domini corpus aromatibus condire, qui non ausi fuerant, nisi in occulto, discipuli viventis esse, addidit evangelista : « Sicut mos est Judæis sepelire. » — « Erat in loco ubi crucifixus est hortus, et in horto monumentum novum in quo nondum quisquam positus fuerat. » Et hoc sibi providerat ipse qui sepeliebatur, ut sicut nasciturus, uterum sibi virginalem præparavit, ad quem vir non accesserat ; ita resurrecturus novo et lapideo monumento conderetur, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum posuerunt eum. Ergo nunc liberati estis, Judæi, qui occidistis justum contrarium operibus vestris. Ite nunc, manducate pascha et magnum celebrate Sabbatum, ut deinceps projiciat Dominus super vultus vestros stercus solemnitatum vestrarum (*Malach.* II).

LIBER DECIMUS QUARTUS.

« Abhinc, o Juda, te laudabunt fratres tui (*Gen.* C XLIX). » Juda, inquam, magne et fortis, qui resurgens ex mortuis, confessionem et decorem immortalitatis atque incorruptionis induisti (*Psal.* CIII). Laudabunt et fratres et amici tui, cohæredes et comparticipes regni tui. Unde laudabunt, vel quid laudantes clamabunt ? « Manus tua, inquiunt, in cervicibus inimicorum tuorum (*Gen.* XLIX). » O fortissime fratrum et princeps confessionis eorum cornua in manibus tuis sunt, et ecce nunc egreditur quæ ibi abscondita fuerat fortitudo tua. Quomodo sustinerent luteæ cervices inimicorum tuorum, ut non ponerentur scabellum pedum tuorum ? Ululabunt ergo sub pedibus tuis inimici, « laudabunt vero te fratres tui. » Parum est laudabunt. « Adorabunt te filii patris tui. » Adorationis autem hæc erit ratio, D « quia tu catulus leonis ; » o Juda, catulus leonis, inquam, id est, Filius fortissimi Dei totius fortitudinis et omnium virtutum principis. A quo tu nequaquam in aliquo degeneras. Nam ad prædam, fili mi, ascendisti, et ad nullius pavens occursum, fortiter infernum debellasti. Igitur te laudabunt, te adorabunt fratres tui, filii patris tui, qui et perinde qui te laudant et adorant fratres tui sunt, et filii patris tui, per ipsam fidem in qua te adorant gratiam adoptionis filiorum consecuti. Nunc, pulcherrime virorum, decursis laboribus tuis, « quia lavasti in vino stolam tuam, et in sanguine uvæ pallium tuum (*ibid.*) ; » id est, Spiritu sancto in sanguine tuo regenerasti Ecclesiam tuam, qualiter eisdem fratribus tuis bonum fortitudinis et victoriæ tuæ nuntium attuleris stylo prosequente, tuaque gratia juvante, conabimur eloqui.

[CAP. XX.] « Una Sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento. » Una Sabbati, id est prima Sabbati, scilicet die quæ prior Sabbato succedit. Sciendum vero quod hæc et cæteræ devotæ Domino feminæ, quæ illum et vivum dilexerant et mortuum desiderabant, per noctem ambulantes, juvante luna, venerunt ad monumentum, per noctem enim ambulaverunt, quæ diluculo ad monumentum fuerunt. Alioquin nisi per noctem venissent, quomodo ad sepulcrum tam mane adfuissent ? Verbi gratia, Maria Magdalene, cujus domus erat Bethaniæ, qui vicus quindecim stadiis distabat a Jerosolymis, quomodo prima ante alias, una Sabbati juxta Joannem valde diluculo venit « cum adhuc tenebræ essent ad monumentum ». Sepulto quippe Domino, mulieres quæ illum secutæ fuerant, Jerosolymis non remanserant. Sed cum aspexissent ubi poneretur, revertentes, inquit Lucas,

paraverunt aromata (*Luc.* XXIII). « Quando autem paraverunt vel emerunt, manifestius Marcus indicat. « Cum transisset, inquit, Sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum (*Marc.* XVI). » Si quidem Sabbato, ut ait Lucas, quieverunt propter mandatum, subauditur legis, quia lex vetat operari (*Levit.* XX). Constat itaque quia in lacrymis pervigiles amores nimiumque longa retardantis Sabbati mora fatigatæ, quo nec operari, nec plus mille passibus ambulare licitum erat Judæis, mox ut onerosum illud Sabbatum abiit, recessit, transivit, non quieverunt, non dederunt oculis suis somnum, non luciferum ad proficiscendum præstolatæ **338** sunt. Noctem pro die, desiderium pro duce, lunam rapuere pro sole. Luna quippe nocti non defuit quia XVII exstitit. Septima decima vero luna clauso vespere paulo post, id est fere post horam et dimidiam exsurgit, toti deinceps lumen suumministratura nocti. Falso igitur quidam evangelistas calumniati sunt, quod contraria dixissent in eo quod Matthæus vespere Sabbati ; cæteri prima Sabbati diluculo mulieres venisse dixerunt ad monumentum. Matthæus enim ut earum commendaret desiderium, quando venire cœperunt, cæteri dixerunt quando pervenerint.

Quare autem hic evangelista cum posset prima Sabbati dicere, maluit una Sabbati dicere, nisi propter singularem et unicam gloriam ejus diei ? Est enim vere festa dies, vere beata dies, nobilitas anni, mensis decus, arma dierum. Pulchritudine hujus diei paradisus refloruit, cœlum purpuratum est, angeli candidati, homines exhilarati sunt. Hujus diei gratia singularis verbis explicari nequit. Igitur una Sabbati recte et proprie dixit : » Venit, inquit, ad monumentum. » Quam mane venerit ipse evangelista aperit, dicens: « Cum adhuc tenebræ essent.» Sed jam Dominus resurrexerat. « Vidit enim, inquit, lapidem sublatum a monumento. » Quid ergo est Patri dicenti in psalmo : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI, CVII). » Confestim gloriosum illud organum Patris, scilicet os Dominici hominis respondens, « exsurgam diluculo, » inquit. Non enim diluculum ad resurgendum exspectavit. Quippe cum valde diluculo mulieres venerint, et tunc charitate resurrectionis præventæ fuerunt. Quid ergo, inquam, est quod ait, « exsurgam diluculo, » nisi quia diluculum est quod ad nostros non pertinet corporeos oculos ? Si enim totum hoc tempus a resurrectione Domini unus dies salutis est, propheta dicente : « Tempore accepto audivi te, et in die salutis adjuvi te (*Isa.* XLIX; *II Cor.* VI), » cur non initium temporis ejusdem diluculi nomine valeat intelligi ? Ergo tenebræ quidem corporales erant ad monumentum, sed sanctis et electis omnibus diluculum, id est lucis æternæ jam erat initium, a media nocte quando surrexit, et portas inferni tulit fortissimus Samson, quod interpretatur *sol eorum* (*Judic.* XVI). Quod Marcum evangelistam constat intelligi voluisse, qui cum dixisset : « Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, » statim addidit quod secundum litteram repugnans est, « orto jam sole (*Marc.* XVI). » Orto quippe jam sole non valde mane est. Igitur, et si media nocte Dominus noster surrexit, verum est tamen quod Patri respondens, ut jam dictum est, diluculo surgam, inquit : « Veniens itaque invenit lapidem sublatum a monumento, » videlicet quem angelus Domini revolverat, ut vacuum mulieribus venientibus ostenderet. Proinde cum dicit Matthæus: « Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum, et ecce terræmotus factus est magnus, angelus autem Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum (*Matth.* XXVIII), » sic intelligendum est quod illis venientibus, id est, in via positis, quæ vespere, ut jam dictum est, venire cœperant, interim facto terræmotu surrexit Dominus, et deinde angelus Domini revolverat lapidem, et deinceps postquam jam vacuum visum fuit mulieribus super lapidem sederit, ut paulatim et non repente timidis hominum mentibus res tanta ingereretur, primum sepulcro et deinde angelo, deinde viso Domino.

« Concurrit ergo ad Simonem Petrum et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit eis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. » Ergo diluculum quidem sanctis jam erat animabus in alio sæculo, et illi quoque latroni cui dictum est : Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII), » jamque, ut ait Marcus, ortus erat sol, verumtamen venientibus ad monumentum, non tam pro tempore noctis, verum etiam pro sensu mentis tenebræ erant. Quid enim est oblivio vel ignorantia veritatis, nisi cæcitas vel tenebræ mentis ? In tantum autem erant obliviosi et immemores verborum quæ dixerat, quia oporteret Filium hominis crucifigi, et die tertia resurgere a mortuis, ut non invento corpore ejus nihil superesse putarent, nisi quod sublatum fuerat. Quid tamen sequitur :

« Exivit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant ergo simul.» Alius discipulus ipse est Joannes. Quid cursus hujusmodi pulchrius spectaculo, si rite perpendas evangelista narrantis qui sit sensus vel intentio. Nunquid enim putandum est quod hic talis qui tam excellenter cœlestibus intendit, otium habere potuerit talia jam diligenter scribendi sine spe fructus, id est intelligentiæ spiritualis ? Igitur spectaculo admissi, jam nunc sublevatis oculis latissimum videamus campum hujus sæculi, et in eo currentes duos populos, qui sunt Judæi et gentes, bravium ipsam esse palmam crucis quam Christus ascendit; ipsum vero principem spectaculi, quo et judice dexteram palmam victoris ornabit. Nimirum ubi auditum est, et in omnem terram hic sonus exivit (*Psal.* XVIII), quia Christus resurrexit a mortuis, exivit populus

gentium et venit ad monumentum; exivit, inquam de tenebris et caligine peccatorum, et venit adorare mortuum ac sepultum, mortisque victorem Dei Filium et hominem Jesum Christum. Exivit et ille alius, scilicet Judaicus populus, sed de vicino exivit, quia jam ante cucurrerat, jam appropinquaverat, quippe qui moriturum ac resurrecturum exspectaverat, imo et prophetaverat. « Currebant ergo simul. » — « Et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit prior ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, nec tamen introivit. » Quantum ad eamdem fidem, eadem quippe veterum exstitit fides, quæ et novorum, plane nos gentes cum illo anteriori populo simul cucurrimus, verum quantum ad temporum distinctionem non curremus simul, nisi quia in initio Evangelii Judæorum simul et gentilium multitudo fidem Christi suscepit. Ergo ille populus prior venit ad monumentum, sed videns linteamina, non introivit, quia videlicet tribulationis passionis Dominicæ, quibus quasi linteaminibus cinctus et ligatus fuit, intantum erubuit, ut resilirent etiam eorum qui jam crediderant ex eodem populo plurimi: « Fieretque illis Christus crucifixus, lapis offensionis et petra scandali, partim propter carnales Legis cæremonias, quas videbat destitui, partim propter odium gentium, quibus inviderunt gratiam Dei (*I Petr.* II). »

« Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita et sudarium, quod fuerat super caput ejus non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. » Fidelis sermo. Qui primus venit et non introivit, sola linteamina vidit, qui autem posterior venit et introivit, non tantum linteamina, sed et sudarium quod fuerat super caput Domini vidit. Quid sibi vult hoc, nisi quia nos gentes, quid Judæis foris remanentibus credendo introivimus, non solum illud attendimus quod pro hominibus pertulit Dei Filius, quod natus ex femina laboravit in carne et crucifixus est ex nostra infirmitate, sed illud etiam quod est et erat Deus antequam **339** fieret vel assumeret de nostro in quo pateretur? Sudarium namque quod fuerat super caput ejus, recte illud significat, « quod erat in principio Verbum, quod erat apud Deum, quod erat Deus (*Joan.* I). » Hoc utrumque videt et adorat, qui posterior venit et introivit gentium populus; adorat, inquam, et confitetur quia Christus Dominus et Verbum Patris est per quod factus est mundus, et caro vel Filius hominis est, per cujus passionem salvatus est mundus. At ille qui introire non vult, sola vidit linteamina, quia solum attendit tribulationem, qua cingi vel constringi potuit vera ejus humanitas, et hoc habet scutum cordis, ut vere incipiens, dum dicit, quia non est Deus qui mori potuit. Sudarium ergo iste non vidit. Sed quid est quod sequitur, non cum linteaminibus positum, sed paratim involutum in unum locum? Hoc plane illud est quod catholica fides confitetur, quia passibilis quidem homo,

A sed impassibilis erat, ut semper est, Deus unus idemque Christus. Non positum erat sudarium cum linteaminibus, quia videlicet nostris doloribus, quos secundum hominem tulit, secundum seipsum non ingemuit Deus. Separatim ac seorsum stetit a cunctis angoribus non substantiæ disjunctione vel duplicitate personæ, sed dispari sensu, et magna diversitate utriusque naturæ. Quin et involutum erat sudarium, profecto significans Christi divinitatem, nec initium, nec terminum habere, quia videlicet sic nec cœpit, nec desinit esse Deus, quomodo rei quæ involuta est, nec initium, nec finis cernitur. Sed in uno loco quid est, nisi quia in scissura mentium Deus non est? Una columba (*Cant.* VI), unum est corpus Christi in Ecclesia. Et in hunc solum et unum locum

B sacramentum veritas est, quæ scindi vel dividi non potest. Igitur solum quod infimum est Dei populus ille vidit, qui sic offensus, quasso pede substitit et foris remansit. Sed quia sequitur:

« Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit et credidit. » Sic nimirum post plenitudinem gentium, et ille populus introibit. « Nolo enim, inquit Apostolus, vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobismetipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI). » Igitur tenebræ quidem adhuc erant ad monumentum, et quid ageretur, nesciebant, dormitantes adhuc præ tristitia mentes discipulorum, sed aspirabat dies, et prope erat ut inclinarentur umbræ vel figuræ radiis ex-

C pulsæ rerum subsequentium. « Et vidit, inquit, et credidit. » Futurum quidem est ut ille posterior populus introiens videat et credat, sed nondum hoc, vel sic discipulus ille « vidit et credidit. » Nam sequitur: « Nondum enim sciebant Scripturas, quia oporteret eum a mortuis resurgere. » Ergo illud potius credidit, id est existimavit factum fuisse quod mulier dixerat, videlicet, quia tulerunt Dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum. Maluit tamen evangelista dicere, quia credidit, quo verbo propius perstitit, in re propter quam cursum hujuscemodi tam diligenter enarravit. Et continuo subjungit.

« Abierunt ergo discipuli ad semetipsos. » Ergo, inquit, quia « nondum sciebant Scripturas, » idcirco

D « abierunt ad semetipsos. » Nam econtra ubi Scripturas intellexerunt, abierunt supra semetipsos, loquentes Christi sensu non suo et probantes quia non Dominum tulerunt de monumento, sed Dominus surrexit de sepulcro solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, testante David, qui dicit in eum: « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear, propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescit in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV), » et iis similia.

« Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. » More suo sanctus evangelista in hoc ultimo loco mysteriis cœlestibus intendit, et dum per terram pedibus ambulare, id est, puram videtur historiam texere, sursum volat. Nam sic matutinam resurrectionis revelationem evangelizat, ut intentio quoque resurgentis per ejus narrationem facile legentibus lucescat. Abeuntibus discipulis ad semetipsos, Mariam refert solam stetisse ad monumentum foris plorantem, et inter fletus inclinatam vidisse duos angelos, unum ad caput, et unum ad pedes, et deinde conversam retrorsum, vidisse Dominum, et hæc ab illo audisse : « Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. »

Pulchre siquidem hanc præ omnibus mulierem manus resurgentis pio desiderio ligatam ad sepulcrum suum retinuit, ut secundæ resurrectionis ipsa nuntia fieret; in qua primæ resurrectionis opus notissimum atque celeberrimum factum est. Prima namque resurrectio, de qua hic idem Joannes ait : « Beatus qui habet partem in resurrectione prima, » illa est quam Dominus enuntians Judæis : « Amen, amen, inquit, dico vobis, quia venit hora et nunc est, quando mortui, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierent, vivent. » Hac resurrectione mulier hæc prima omnium vel notissima respiravit, quia, cum esset in civitate peccatrix fetentior malæ famæ putoribus quam fuerat frater suus Lazarus corpore quatriduanus, audivit in monumento malæ consuetudinis vocem Filii Dei, et quia audivit, protinus exivit (*Luc.* VII). Pœnitendo quippe lavit lacrymis maculas criminis, et « dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum (*Joan.* XI). » Secunda resurrectio corporum est in qua primogenitus mortuorum est Christus Filius Dei, cujus vita nunc lugentibus et flentibus erat nuntianda discipulis. Stabat igitur Maria, principis vitæ et utriusque resurrectionis nutu detenta, congrue videlicet secundam resurrectionem nuntiatura, quam primæ resurrectionis nuntio dignam effecerat. Stabat, inquam, et in eo, quod foris stabat, plorabat, totius Ecclesiæ de gentibus typum præferebat. Primitiva namque Ecclesia scilicet a justo Abel usque ad illum, qui in cruce confessus est latronem, jam intra sacramentum Dominicæ passionis recepta, peccatrix gentilitas foris remanserat, quia videlicet, non illam sanguis Christi a peccatis laverat, quæ fidem ejus non habuerat. Verbi gratia : Eunuchus ille, qui venerat adorare in Jerusalem, et revertebatur legens Isaiam prophetam, ad monumentum foris stabat. Locus enim Scripturæ quem legebat, hic erat : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum (*Act.* VIII ; *Isa.* LIII), » etc. Profecto plorans ad monumentum foris stabat, quia passioni ejus quem nesciebat legendo condolebat. Itemque et Cornelius centurio deprecans Deum, et faciens eleemosynas semper foris ad monumentum stabat (*Act.* X). Tota omnino Gentilitas foris stabat, et si nondum plorans, sed plorare habebat confitendo peccata sua, et per fidem ejus, qui mortuus est et resurrexit, exemplum Mariæ prima resurrectione resurrectura relicta multorum deorum, imo dæmonum turba, sicut de hac muliere septem dæmonia, id est, universa vitia Dominus ejecerat.

340 « Cum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. » Cum Joannes et Lucas (*cap.* XXIV) duos angelos fuisse visos referant, quomodo ab istis Matthæus et Marcus non dissonant in eo quod unum tantummodo visum fuisse commemorant? videlicet, quia, cum duo fuerunt, unus locutus est, qui et in dextris secundum Marcum (*cap.* XVI), et super lapidem secundum Matthæum (*cap.* XXVIII), et ad caput secundum Joannem sedens (*cap.* XX), nulli quasi ex diversa sessione scrupulum movere debet. Nam sicut testantur periti locorum eorumdem, monumentum Domini in aquilonari parte cryptæ situm est in petra excisum, longitudinis septem pedum, trium mensura palmarum pavimento altius eminens, introitumque habens a latere meridiano. Quod cum ita sit, profecto qui in dextris sedet, ad caput sedet, quia super lapidem revolutum exterius sedit.

« Dicunt ei illi : Mulier ploras ? Quem quæris? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. » Plorando inclinata mulier hæc, angelos vidit, et percontantes audire meruit, quia videlicet futurum erat ut Gentilitas peccata sua deflendo, se humilians sanctis apostolis vel prædicatoribus, qui utique angeli Domini exercituum sunt, innotesceret, et ab illis dulcedinem æternæ consolationis acciperet. Et recte omnes angeli Domini exercituum, omnes sacerdotes vel prædicatores veritatis, quorum labia custodiunt scientiam et quorum ex ore legem requirunt (*Malach.* III), per duos angelos ita sedentes, unum ad caput et unum ad pedes signati sunt, quia videlicet unum eundemque Christum et Deum esse ante sæcula, et hominem factum prædicant in fine sæculorum, et utriusque Testamenti vocibus incarnatum, passum, mortuum, sepultum ac resuscitatum a mortuis comprobant verum Dei Filium. Unde et duo cherubim, quæ propitiatorium tegunt, sese invicem aspiciunt, versis vultibus in propitiatorium (*Exod.* XXXII). Cherubim quippe *plenitudo scientiæ* dicitur. Et quid per duo cherubim, nisi utrumque Testamentum ? Quid vero per propitiatorum nisi ipse qui est propitiato, pro peccatis nostris figuratur (*I Joan.* II). Et dum Testamentum Vetus hoc faciendum denuntiat quod Novum de Domino factum clamat, quasi utraque cherubim invicem aspiciunt, dum vultus in propitiatorium vertunt. Nec enim a suo aspectu discrepant, quæ dispensationis ejus my-

sterium concorditer narrant. Quod autem interrogata mulier, quid ploraret, quem quæreret, respondit: « Quia tulerunt Dominum meum de monumento, » hodieque magnæ huic mulieri, scilicet Ecclesiæ non vane dicere licet, quia videlicet Judæi, quantum in ipsis est, tulerunt Dominum de monumento, dum non resurrexisse, sed furto sublatum esse, dato custodibus pretio, mentiti sunt, et testes mendaces conduxerunt (*Matth.* XXVIII). Sed eorum mendacia nihil veritati nocuerunt, unde et a Propheta graviter deridentur, dicente: « Quia sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmitatæ sunt contra eos linguæ eorum (*Psal.* LXIII). » Dicunt enim custodes illi pretio ad mentiendum conducti: « Discipuli ejus furati sunt eum nobis dormientibus. » Respondemus ad hæc: O parvuli sagittarii, si dormiebatis, unde sciebatis quia furati sunt eum discipuli? Si autem vigilastis, quare non servastis? Præterea, quia non ait tantum, tulerunt Dominum, a toto partem significans, cum non nisi corpus quæreret: non, inquam, ait, tantummodo Dominum vel Dominum nostrum, sed « Dominum meum, » hoc recte peccatrix illa dixit, recte nihilominus peccatrix Ecclesia de gentibus dicit: Peccatorum quippe Dominus; peccatorum, inquam, pœnitentium proprius Dominus est Christus. « Non enim veni, inquit, vocare justos, sed peccatores (*Luc.* V). »

« Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei: Mulier, quid ploras? quem quæris? » Mirum quod mulieri visione angelica præoccupata vacarit converti retrorsum, nisi quia et in hoc mysterium est, dum non conversa est retrorsum, ita ut unde et qua venerat rediret, sed ita ut Jesum stantem videret et paulatim agnosceret. Sic denique Gentilitas Salvatore cognito retrorsum conversa, id est, præteritas iniquitates confessa est, et sic eas pœnitendo respiciens in eum, cui dorsum verterat, suam convertit faciem. Verum quia non satis est, sordes idololatriæ relinquere quærentibus cultum vel notitiam unius veri Dei, nisi summum fidei teneant, id est, certitudinem resurrectionis, et nec dum Jesum bene novit, quisquis de resurrectione mortuorum dubitaverit, recte Maria, quæ Dominum resurrexisse non credebat; recte, inquam, et videbat et non agnoscebat eum, quem et amor sibi ostendebat, et dubietas abscondebat. Nam sequitur:

« Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti, et ego eum tollam. » Ita plane, quia non eum resurrexisse credebat, recte hortulanum et non ipsum cœlestis horti vel paradisi Creatorem se videre putabat. Sed quid mirum quod hanc illi existimationem inesse voluit Dominus, quod esset ipse hortulanus? Etenim Ecclesia prioris populi hortus ejus exstitit, de quo in Canticis dicit: « Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus (*Cant.* IV). » In illo videlicet horto Salvatorem suum invenit

A Ecclesia gentium, et sic eum cognovit per Scripturas legis et prophetarum, quæ illic pullulaverunt, sicut in isto nunc horto per familiarem allocutionem Maria recognovit inventum. Nam sequitur: « Dicit ei Jesus Maria, conversa illa, dicit: Rabboni, quod dicitur Magister. » Appellatio namque qua dicit: Maria, responsio dicentis Rabbonis, quod, sicut evangelista exponit, *magister* interpretatur; illud pulcherrime præsignavit quod vocationem suam Gentilitas de Scripturis aditura, et Magistrum suæ fidei Dominum Christum esset invocatura. Igitur hortus ille, in quo Dominus noster crucifixus, mortuus, sepultus est, et resurrexit, illam recte significat Ecclesiam primitivam, in qua per Scripturas plane « invenitur oportuisse Christum pati, mori, B sepeliri, ac resurgere a mortuis (*Luc.* XXII). » Ingressa est, quæ ante peccatrix fuerat, proselyta Ecclesia Gentium, et nondum agnoscens Dominum, audivit ex ore ejus nomen suum, statimque agnovit, et confessa est Magistrum, quia legentes Scripturas, invenit ibi scriptum nomen suum. Verbi gratia, cum dicitur spiritus Christi de ipso per os patriarchæ Jacob: « Nec auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* LIX). » Itemque in David: « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II), » et his similia. « Et hæc dixit: Rabboni; » quia profecto discipulam se intelligit, et sibi Scripturarum arcana deberi. Sed hæc vocatio gentium non ante debuit fieri quam re- C surgeret ipse a mortuis; unde et subditur:

« Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. » Tria quippe repugnant, ne hoc putemus dictum propter suam ipsius personam. Primum est quia jam transierat ex hoc mundo ad Patrem, videlicet quia **341** resurgendo nostram omnem excesserat mortalitatem. Aliud, quia multo minus residentem ad dexteram Patris mortales tangere possent. Tertium, quia priusquam in cœlum ascenderet, imo et ipsa, qua resurrexit die, tetigerunt eum mulieres, quia tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum. Ergo propter Ecclesiam gentium, cujus illa personam gestabat, est dictum, « noli me tangere. » Nondum enim ascendi ad Patrem meum, quia videlicet, antequam glorificaretur, Ecclesiæ de gentibus non D erat ipse conjungendus. Unde et alii mulieri, in ejusdem Gentilitatis persona, dixit antequam pateretur: « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus ad manducandum (*Matth.* XV). » Et discipulis suis præcepit; » In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis (*Matth.* X). » Et instante jam passione sua, cum quærerent eum videre Gentiles, dixit: « Venit hora ut clarificetur Filius hominis (*Joan.* XII). » Quod certe idem est ac si diceretur: Venit hora, ut ad Patrem suum ascendat Filius hominis, ut subaudias, et tunc me videbitis, tunc fidei tactu me contingetis. Igitur talis Ecclesiæ nunc gestat Maria

figuram, qualis Gentilitas ante passionem Domini A parata jam erat ejus suscipere fidem. Et proinde recte dicitur illi : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. »Sed quomodo te,o Christe Fili Dei, postquam ad Patrem ascenderis, hæc peccatrix tangere poterit ? Ait :

« Vade autem ad fratres meos,et dic eis : Ascendo ad Patrem meum,et Patrem vestrum,Deum meum, et Deum vestrum. » Ac si dicat : Me quidem, postquam ascendero ad Patrem meum, corporaliter tangere vel videre, o Gentilitas, non poteris, sed « vade ad fratres meos, » scilicet apostolos,et hanc illis audientibus confitere fidem,quod ego pro salute generis humani passus et mortuus resurrexerim, et in cœlum ascenderim, et ipsi tibi conferent de me quidquid expedit.Fratres enim mei sunt,et non B quidem per naturam, sed per adoptionis gratiam, filii Patris mei sunt,totam pariter mecum habentes hæreditatem sacramentorum, nihilque deesse illis, unde fiat ut me perfecte tangere possis. Attende, o mulier, quæ tangere me vis ; attende, inquam, ut vere tangere possis, quia non dixi : Ascendo ad Patrem nostrum et ad Dominum nostrum ; sed, « ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.» Aliter namque mihi et aliter fratribus meis Pater est, aliter mihi atque aliter illis Deus est. Meus quippe Pater est, quia me genuit, et illorum Pater, quia sibi in filios adoptavit. Item : Deus meus est, quia creaturam ejus, id est hominem,assumpsit ; Deus autem illorum est,quia non aliud quam homines sunt,et sunt tantummodo C creaturæ Dei. Hæc me fides corde conspicit ad justitiam, et oris confessio tangit ad salutem (*Rom.* x).

« Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi. » Et usque hodie,imo usque in finem sæculi venire non desinit Ecclesia secundum similitudinem, quæ in Maria præcessit, prima nunc animarum resurrectione resurgendo,et secundam corporum,quæ in novissimo futura est, nescientibus annuntiando, quamvis plerique non credant, imo et irrideant, sicut et tunc verba Mariæ nuntiantis, quia vidi Dominum, ut alius evangelista testatur (*Luc.* xxvi), quasi deliramenta, coram discipulis videbantur. Interea paulatim diescit et nox tristitiæ apostolorum crebris nuntiis clarescit, atque prævalescente virtute testimo- D niorum, rarescunt tenebræ, quæ, ut supra dictum est,adhuc erant ad monumentum. Venerunt enim et aliæ mulieres, quæ viderant Dominum,et tenuerant pedes ejus, et adoraverant eum. Venerunt et duo discipuli, quibus euntibus in castellum, nomine Emmaus, visus in alia effigie et cognitus fuerat in fractione panis. Sed et hoc auditum et percrebruit inter eos, quia surrexit Dominus vere, et apparuit Petro (*ibid.*). Ita,præparatis et exspectantibus vigilantium oculis,qui præ tristitia dormitaverant toto spatio tridui (*Matth.* xxviii),tandem ipse sol mundi ab oriente roseo vultu conspicuus emersit,cunctisqueabactis tenebrarum reliquiis, plenum lætitiæ diem mirantibus ingessit. Nam sequitur :

« Cum ergo esset sero die illo, una Sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, propter metum Judæorum, stetit in medio et dixit eis : Pax vobis. » Primum illud,quod maxime delectat, libet intueri, scilicet vocem novæ salutationis quam hactenus hominum nemo ex ore Dei audivit, quam ubi stetit in medio discipulorum, protinus edidit,dicens : « Pax vobis. » Quidnam est hoc, quod Dominus virtutum et rex gloriæ (*Psal.* xxiii), cum primum ingreditur conventum apostolorum, et eorum qui cum ipsis erant congregati, ut Lucas ait,tali primum voce in gaudium illorum, tanquam suavissima consolatione intonuit ? (*Luc.* xxiv.) Nunquid casu talem salutationem attulit victor mortis, regressus ab inferis ? Non utique, sed pro certæ rei significatione vocem hanc edidit.Quid enim ? Nonne inimicitias,quæ hactenus inter Deum et homines fuerant,tunc primum in carne sua solverat, et idcirco pertulerat mortem, ut genus humanum Deo reconciliaret ?« Ipse enim,» inquit Apostolus, « est pax nostra, qui fecit utraque unum,et reconciliavit nos Deo in uno corpore per mortem crucis interficiens inimicitias in semetipso (*Ephes.* ii), » etc. Igitur quia peccata nostra pertulerat in corpore suo super lignum, et quia chirographum peccati de medio tulerat (*Col.* ii), affigens cruci et exspolians principatus et potestates traduxerat confidenter palam triumphans in semetipso, recte hic « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* xxiii), » vitam cum victoria referens, ubi stetit in medio discipulorum, » pax vobis, » inquit. Quare vero discipuli clausis foribus intus erant ? « Propter metum, inquit,Judæorum. » Quid metuebant? Judæos sanguine Domini saturatos. Nunquid si adhuc arderent et sitirent sanguinem illorum Judæi,clausis ipsi possent se foribus tueri, quas perfacile erat effringi ?Utquid ergo fores clauserant ? Videlicet,quia sermonem inter se habebant, cui neminem,nisi amicum vel participem sui luctus interesse tutum putabant. Jam quippe non solum mulieres audierant dicentes, quod vidissent Dominum, sed et duo ex discipulis reversi fuerant a castello Emmaus, referentes quod in fractione panis cognovissent eum. Quin etiam jam congregati fuerant propter hoc ipsum dicentes : « Quia surrexit Dominus vere, et apparuit Petro (*Luc.* xxiv). » De his inter se colloquentibus,merito tutum non videbatur,ut auscultaret eos Judæus,et idcirco clausis se continebant foribus. Quomodo vero, inquit aliquis, corpus verum fuit, quod clausis foribus introivit ! Quod qui infideliter quærit, et verum corpus sic potuisse inferri non concedit, superest ut multo minus illud concedat quod corruptibiles atque mortales adhuc apostoli sic educti sunt, quomodo in Actibus apostolorum scriptum est : « Carcerem quidem clausum invenimus cum omni 342 diligentia, et custodes stantes ante januas. Ape-

ientes autem carcerem, neminem intus inve-
imus (*Act.* v). » Superest ut istos quoque, qui
ıecdum resurrexerant,in ventos et aerem subtilem,
uo per patentes rimas efflari possent, evanuisse
ısserant,siquidem sacram recepturi non sunt Scri-
ıturam.Quam qui non recipiunt, nec audiendi,
ed ut infideles omnino vitandi sunt.Nobis creden-
ibus illud pro argumento sufficit, quia de nihilo
)euscuncta creavit et cuncta quasi nihilum et inane
eputanda sunt ei, ad agendum quidquid voluerit,
d traducendum quidpiam quocunque voluerit. Mi-
umque hoc potius esset, si ita non posset : cum
ıemo fere tam imperitus artifex sit, ut quod com-
osuit, penetrare ipse vel aperire non possit. At
le cum voluit,« aperta est terra, et deglutivit Da-
ın. statimque operuit super congregationem Abiron
Psal. cv), » qui principes seditionis exstiterunt,
romissionibus Dei detrahentes,et cum subsanna-
one dicentes : « Revera induxisti nos in terram,
uæ fluit rivis lactis et mellis (*Num.* xvi). » Sed
erba in ventum jactare videbor, si contra tales
dei Christianæ inimicos multa respondere tentave-
).Ille namque vulpeculæ jamdudum tonitru cœli,
l est,clamore fulminantis Ecclesiæ conterritæ,ubi-
unque sint, latitant, in caveis subterraneis, nec
rodire audent, ut vineas florentes, fructusque
arturientes suo more putido dente demolian-
ır. Sed jam sequentia præsentis gaudii contem-
lemur :

« Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus et
ıtus.» Quare ostendit manus et latus, insuper et
edes,ut Lucas testatur (*cap.* xxiv), nisi ut existi-
ıantibus se spiritum se spiritum corpus assi-
naret discipulis,et in vero corpore,verisque mem-
ris,verum præsentaret livorem effectivum nostræ
acis ? Nam « disciplina pacis nostræ super eum,
t livore ejus sanati sumus (*Isa.* LVIII).» Hæc disci-
lina in manibus pedibusque et latere non solum
ınspicua,sed et contrectabilis apparebat,per cla-
orum et lancearum vestigia.

Et hæc livoris signa sempiterna,margaritæ victo-
s,et splendida nostræ, quam attulit, pacis orna-
enta vel testimonia sunt. Nam poterat quidem
rtute,qua resurrexit, et de vere mortuo corpore,
vum in veritate reddidit, clavorum et lanceæ pe-
tus extirpare vel explanare vestigia ; sed servanda
ant et oculis paternis decentia Filium Dei chari-
tis et obedientiæ signa, veneranda nostræ causæ
ıtrocinia,nostrique amoris æterna incitamenta et
ırroris impiorum perpetua incendia.« Gavisi sunt
go discipuli,viso Domino.» Quomodo gavisi sunt,
ıomodo qui præ tristitiæ magnitudine lassi fue-
nt,tunc in gaudio respiraverunt? Magnifice sicut
consolati sunt,et tunc repletum est gaudio os eo-
m,et lingua eorum exsultatione,et lætantes facti
nt (*Psal.*cxxv). » — « Mulier dum pareret, tristi-
ım quidem habuerat ; jam autem obliviscebatur
essuræ propter gaudium,quia natus erat homo in
A mundum (*Joan.* xvi). » Mulier,inquam,id est, ani-
ma eorum,quasi parturiens habuerat per triduum
multitudinem dolorum atque continuum ploratum
et fletum,sed nunc implebatur quod promiserat;ite-
rum autem « videbo vos,et gaudebit cor vestrum. »
— Gavisi sunt igitur discipuli, viso Domino, » sed
in ejusdem gaudii sui vehementi abundantia fluctu-
antes, necdum credebant. Ait enim Lucas : « Adhuc
autem illis non credentibus, sed mirantibus præ
gaudio (*Luc.* xxiv), » etc.

« Dicit ergo eis iterum : Pax vobis.» Hæsitantibus
et difficulter accipientibus pacem ingerit ; pacem,
inquam, quam non nisi credendo suscipere quis
possit. Non enim nisi credendo reconciliamnr Deo
per mortem filii sui (*Ephes.* II). Amplius autem,
B cur iterum dicat eis,« pax vobis,» manifestat cum
subjungit : « Sicut misit me Pater,et ego mitto vos.»
Quomodo enim, vel ad quid misit Filium Pater,
nisi ut inter Deum et homines pacem faceret ? Quo-
modo itidem,vel ad quid suos in universum mun-
dum mittit Filius prædicatores, nisi ad hoc ut ini-
micos deo reconciliet homines ? Hoc nempe sciens
Apostolus,ait Corinthiis: « Omnia autem ex Deo,
qui reconciliavit nos sibi, et dedit nobis ministe-
rium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in
Christo,mundum reconcilians sibi, non reputans illis
delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconci-
liationis. Pro Christo ergo legatione fungimur tan-
quam Deo exhortante per nos. Obsecramus, pro
Christo, reconciliamini Deo (*I Cor.* v), » etc. Ita-
C que si quæras,quomodo vel ad quid Filium miserit
Pater,quod ad præsentem locum pertinet : « Deus,
inquit, erat in Christo mundum reconcilians sibi,
non reputans illis delicta ipsorum. » Si quæras
quid est, ita « et ego mitto vos, et posuit, inquit,
in nobis verbum reconciliationis,pro Christo lega-
tione fungimur,et obsecramus pro Christo, recon-
ciliamini Deo.» Igitur cum semel et iterum dixisset:
« Pax vobis, » ut insinuaret et pacem se fecisse
illis,et pacem per illos mittere nobis : « Sicut, in-
quit,misit me Pater, et ego mitto vos.» Et si quæ-
ras evidentius quænam illa sit pax audi quod se-
quitur :

« Et cum hoc dixisset, insufflavit et dixit : Acci-
D pite Spiritum sanctum ; » et continuo : « Quorum
remiseritis peccata, remittuntur eis,et quorum re-
tinueritis, retenta sunt.» Manifeste hic illa de pace
agitur quæ est remissio peccatorum,quod primum
et maximum est Spiritus sancti donum. Propter
quod « cum dixisset. Accipite Spiritum sanctum, »
quasi quærerent, in quc accipiemus illum, statim-
que subjungens : « Quorum,inquit,remiseritis pec-
cata, remittuntur eis, » etc.Ergo pax ista, ut jam
dictum est,peccatorum remissio est,et ista remissio
sancti Spiritus acceptio est. Proinde suscipiant
montes pacem sub isto rege (*Psal.* LXXVIII), isto
filio regis, cui resurgenti a mortuis Deus judicium
suum et justitiam suam dedit,semel dicente : « Pax

vobis ; » suscipiant eamdem pacem populo, subauditur evangelizandam, iterum dicente illo : « Pax vobis ; » non enim iste Filius Regis judicare habet solummodo populum suum cum justitia, sed etiam pauperes suos in judicio. Idcirco semel et iterum dixit : « Pax vobis, » quia et per semetipsum prioris populi sui Ecclesiam, scilicet patriarchas, prophetas et electos omnes a primo Abel usque ad latronem in cruce pendentem, pacificavit et Deo reconciliavit ; pauperes autem suos, id est, nos gentiles, nos advenas et hospites testamentorum (*Ephes.* II), qui eramus sine Deo in hoc mundo, per apostolos in quibus, ut prædictum est, posuit ipse verbum reconciliationis (*II Cor.* V), ad eamdem pacem invitavit dicens eis : « Sicut misit me Pater et ego mitto vos » ita judicando humiliavit calumniatorem (*Psal.* LXXI), quia « nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras (*Joan.* XII), » et veniens evangelizavit pacem pauperibus populi sui, qui erant prope, scilicet apostolis et cæteris qui fuerant ex circumcisione, et pacem nobis filiis eorumdem pauperum qui eramus longe (*Ephes.* II). Quomodo autem dicturus : « Accipite Spiritum sanctum » insufflavit prius ? — « Etenim flatus quem mortalis adhuc et passibilis homo trahebat et rejiciebat ore suo Dominus noster, non Spiritus sanctus sed communis erat aer, quo jam immortalis non indigebat ut spiraret **343**, nec non indigebimus in illo post resurrectionem sæculo, ubi corruptibilis vita non est. Proinde quanquam potestate spirare, corporaliter, sicut et manducare vel bibere, cum non egeret, potuit. Non tamen arbitramur quod undecim apostolos et omnes qui cum ipsis congregati fuerant, obambulando singulatim cuique insufflaverit, aut quod stans in medio eorum, uno anhelitu tam grandem flatum emiserit, ut cunctos afflaret simul corporaliter, et hujusmodi flatu attactis dixerit. « Accipite Spiritum sanctum, » etc. Ergo sic potius insufflavit, non quomodo homo, sed quomodo Deus, qui antequam homo fieret, insufflasse legitur. Formavit enim. « Deus hominem de limo terræ, et inspiravit (*Gen.* II) ; sive (ut in LXX habetur) « insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ. » Qui ergo tunc insufflavit, ut fieret homo in animam viventem, nunc idem insufflavit, ut anima viventis hominis Spiritum sanctum acciperet, et ad intelligendum in Scripturas sensum apertum haberet. Siquidem Lucas hoc ipsum narrat quia « tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » Per hunc Spiritum sanctum quomodo vel quid agendo peccata remittere valeant, ut nunc ait : « quorum remiseritis peccata remittuntur eis. » In Matthæo manifestius ostenditur his verbis : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII), » Ita plane, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Nam hoc est quod apud Marcum dicit : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI). » De hac potestate et illud pendet, quod alibi dicitur : « Quæcunque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlis, et quæcunque solveritis super terram, soluta erunt et in cœlo (*Matth.* XVIII). » Quam tamen potestatem non ante passionem suam dedit, sed tantum promisit, sicut Petro manifestius de futuro loquens : « Et tibi, inquit, dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI) », etc. Illic de ligando vel absolvendo potestatem promisit : Hic autem, id est, post resurrectionem suam, de eo quod prius vel melius est, id est de baptizandis omnibus in remissionem peccatorum regulam tradit. Ex tunc una sancta Catholica Ecclesia per totum orbem, baptizando in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti peccata remittit. Et non vana fides est, quia non minus peccata remittuntur eis, quos baptismo abluens nunc per ministros suos incorporat sibi, quam remissa sunt eis (*II Cor.* XII), qui jam in Ecclesia, sive viventes sive defuncti erant, qua Christus hora sanguinem et aquam de suo corpore fundens, omnium in se credentium peccata lavit. « Sicut enim, inquit, misit me Pater, et ego mitto vos », id est, quam ego de remittendis peccatis potestatem a Patre secundum hominem accepi, eamdem per omnia do vobis. « Data namque est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, et vos quæcunque peccata remiseritis, remissa sunt in cœlo et in terra. » Hoc primum et magis necessarium est Spiritus sancti datum ; scilicet in remissionem peccatorum. Nam aliud datum est, quo die Pentecostes idem Spiritus sanctus est in diversarum ornamenta gratiarum ; hoc omnibus æqualiter datur, ut baptizati a peccatis omnes justificemur ; illud dispari gratia distributum est, operante in singulis eodem Spiritu et dividente prout vult (*Ephes.* V). Sicut enim non solum a Patre, sed etiam a Filio Spiritus sanctus procedit, sic non semel, sed bis pro diversis effectibus dari illum oportuit. A filio namque in remissionem peccatorum procedit, sicut evangelista manifeste hoc verbo expressit, dicendo : « insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum. » Nam insufflavit, id est, de seipso procedente dedit. A Patre autem quod procedat, astruere opus non est, unde nec Græcorum aliquis dubitare solet, licet de Filio non illum procedere quidam illorum dixerint. Et, antequam Filius in hunc mundum venisset, diversarum distributione animarum antiquis sanctus datus est, sed nondum ulli in remissionem peccatorum, quod nunquam fieret, nisi prius idem pontifex noster sacrificium se pro nobis obtulisset. Sed de hoc jam alio loco, ubi de baptismo tractari oportuit, uberius dictum est.

Interea dum in magna domo sanctæ Ecclesiæ, in qua soli sunt Christi discipuli, pax, id est, remissio peccatorum per Spiritum sanctum tribuitur, Judaicus populus abest, neque cum discipulis de resurrectione Domini gaudentibus, felicis gaudii vult esse particeps. Unde ab evangelista, quem de suo pectore

mysteriorum multitudine imbuit, ipse qui diligebat eum, sapientia Dei, Christus Dominus, protinus subungit : « Thomas autem unus ex duodecim, qui diciur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus.» Sic profecto divinitus dispositum est, ut hic unus discipulus tantæ lætitiæ deesset, quia videlicet futurum erat ut universitati gentium, in unitate fidei gratiam Spiritus sancti accipientium in remissionem peccatorum, Judaicus populus sese subtraheret : « Dixerunt ergo ei alii : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. » Si ad solam litteram spectes, quid est, cur hic apostolus Thomas amplius vel justius cæteris redarguendus fuerit, tanquam incredulus aut infidelis? Aut quia dixit, non credam « nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum et nisi mittam digitum meum in locum clavorum ? » Nempe et cæteri nisi vidissent, imo et nisi palpassent, non credidissent. Nam et secundum hunc evangelistam cum dixisset : « Pax vobis », ostendit eis manus et latus, et secundum Lucam non solum dixit : «Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum, sed palpate, inquit, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Sed nec ista suffecerunt eis ad credendum.» Nam sequitur Lucas et dixit: « Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur? » (*Luc.* XXIV). In quo autem Thomas magis incredulus, si puram hic historiam tenere velis, nisi forte quia his qui viderant eum resurrexisse, non credidit? Nimirum, nec illi suis facile crediderunt oculis. Igitur, ut prædictum est, in manu sapientiæ Dei sua facta bene disponentis Thomas judaici populi figuram prætulit, quia diebus apostolorum qui resurrectionis Dominicæ primi testes fuerunt, dicentes : « Vidimus Dominum, » quod et nunc per os universalis Ecclesiæ dicere non desinunt, pertinaci duritia resistunt, et nisi viderint, non credunt. Itaque non tam Thomas ex cæterorum comparatione apostolorum quam Judaicus populus incredulitatis arguitur, ex comparatione gentium, nos enim non vidimus et credimus illi. « Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis (*Psal.* XLIII). Judæi non credunt, nisi et Enoch et Helia præcurrentibus terribilia viderint venturi judicis (*Malach.* IV ; *Apoc.* XI). Unde sequitur :

« Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus et Thomas cum eis. » Post dies octo intus erant discipuli, intus, sed non in eisdem foribus in-
is 344 erant, sed non Jerosolymis. Non enim arbitrandum est quod toties in Galilæam ire jussit, et per octo dies distulerint. Ubi ergo erant intus, nisi in monte Galilææ quo abierunt, sicut refert Matthæus (*cap.* XXVIII), sicut constituit illis Jesus. Unde et jamdudum a magnis doctoribus dictum est: « Post resurrectionem Jesus in Galilæa ante conspicitur et adoratur, » licet quidam dubitent. Tunc

A manifestius ostenditur Thomæ et latus lancea vulneratum, et manus fixas clavis demonstrat. Quomodo vero intus, si in monte erant? Videlicet quia civitas ejus Nazareth in monte Galilææ sita erat, sicut habemus in Luca : « Et venit, inquit Nazareth ubi nutritus fuerat. Et cum dixissent ei, quanta audivimus a te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. Postmodum repleti ira, duxerunt, inquit, illum ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat posita, ut eum præcipitarent (*Luc.* IV). » Ergo et in montem abierant, et intus erant; quia in Nazareth civitate Galilææ fortassis in domum Mariæ matris ejus convenerant. Porro mystice post dies octo Thomas erat cum eis, quia post hanc plenitudinem temporis cum gentibus et reliquiæ credent
B Israelitici populi (*Rom.* XI).

« Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. » Quoniam dixisti, inquit, nisi videro, et nisi manus meas in latus ejus misero, non credam ; et hoc te dicentem, cum absens putarer et non viderer, præsens audivi, ecce infer digitum tuum et vide, id est, experire meas manus non spiritum esse, sed carnem et ossa quæ spiritus non habet, et tangendo substantiam veræ carnis, noli esse incredulus, sed fidelis, in substantiam veræ Divinitatis plenarie vel corporaliter inhabitantis, quæ carnem suam ressuscitare potuit. « Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus.
C Dicit ei Jesus : Quia vidisti me, credidisti ; beati qui non viderunt, et crediderunt. » Quod uni Thomæ dicitur, « quia vidisti me, credidisti ; » plane si solum litteralem sensum respicias, et cæteris apostolis omnibus dici potuit, videlicet nisi vidissent, non credidissent. Nam, antequam vidissent, mulieribus referentibus se vidisse eum non crediderunt, sed videbantur coram eis tanquam deliramenta verba eorum (*Luc.* XXIV). Quare ergo uni dicit : « Quia vidisti me, credidisti, » addens etiam: «Beati qui non viderunt et crediderunt : » Et quidem nos non vidimus et credimus. Sed, nunquid consequenter, apostolo Thoma, qui credidit, qui vidit, et cæteris apostolis qui viderunt, beatiores sumus?

Igitur, ut jam dictum est, in hujus litteræ exte-
D rius lucente argentea pulchritudine mysteriorum quoque fulgor aureus reconditus est, et est quædam propositio ejus qui sine parabolis non loquebatur aut agebat, ut Matthæus ait (*cap.* XIII), testimonium prophetæ subjungens in ejus persona dicentis : « Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi (*Psal.* LXXVII). » Itaque in persona judaici populi Thomæ dicitur : « Quia vidisti me, credidisti , beati qui non viderunt et crediderunt, » quia videlicet et illi beati quidem erunt qui credent, quia videbunt splendorem præeuntem secundum ejus adventum, verum nobis Gentibus minus laudabiles erunt, quia postremi credent qui

primi credere debuerunt, et de capite convertentur ad caudam. « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. » Ac si diceret : De multis signis quæ fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, postquam resurrexit a mortuis, hæc duo scripta sunt in libro hoc, quoniam quidem in lege scriptum est : Quia duorum hominum testimonium verum est (*Deut.* XVII, XIX) » ut per hæc duo testimonia « credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, » quippe, qui cum ut homo mortuus fuisset, ut Deus resurrexit. Facta quippe pro testibus recte suscipi, Apostolus quoque docet, qui cum dixisset Corinthiis : « Ecce hoc tertio paratus sum venire ad vos, » statim subjunxit : « In ore duorum vel trium testium, stabit omne verbum (*II Cor.* XIII). » sed forte contentiosus auditor duobus testibus contentus non est, tertium requirit. Sequitur ergo :

[CAP. XXI.] « Post hæc manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis ; manifestavit autem sic: Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui dicitur Dydimus et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. » Ecce et hec tertium diligens ac dilectus evangelista conscribit testimonium, ut nihil desit : « Quia, sicut jam dictum est, in ore duorum vel trium testium, stabit omne verbum. » Nam ut scias, quia legitimo testium numero confirmare intendit auditorem Evangelii, in fide resurectionis Jesu Christi Domini nostri, statim in fine hujus lectionis ita concludit : Hoc jam tertio manifestavit se Jesus discipulis suis, postquam resurrexit a mortuis. Præclarus et auditu dignus est hujus miraculi sermo fidelis, quo cum testimonio capitis resurrectio declaratur, corporis quoque id est, totius Ecclesiæ resurrectio præfiguratur. Venerabilis nihilominus et vera divini hujus evangelistæ dispositio, qui talia de multis quæ fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, ut supra dictum est, » tria signa elegit, quæ in superficie historica resurrectionem Domini contestando, simul etiam mox subsecuturam vocationem plenitudinis gentium, et futuram in fine sæculi salvationem reliquiarum Israel, et universalem omnium resurrectionem, mystice prædicaret. « Erant, inquit, Simon Petrus et Thomas, qui dicitur Dydimus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. » Numerum discipulorum non solum idcirco evangelista posuit, quia tantus est, ut recte manifestatio dici possit, quod eis Dominus apparuit ; verum etiam idcirco quia septenario numero recte sancta Ecclesia figuratur, utpote congregata vel ordinata sancto septiformi Spiritu.

« Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. » Electis apostolis, et Christi vestigia secutis, ad piscationem redire ita culpa non

A fuit, sicut hodieque sæculo renuntiantibus et Christum sequentibus culpa non est licitas artes exercere, et de labore manuum victum quærere (*Act.* XX). Alioquin videbitur Paulus apostolus, qui manum suam in aratrum miserat, retro aspexisse, qui labore manuum suarum victitans, cum concessa posset uti potestate (*II Thess.* III). Etenim Evangelium prædicans, ne gloriam suam quis evacuaret (maxime (*I Cor.* III) apud Corinthios), de Evangelio nolebat vivere. Itaque negotium piscationis, quod ante conversionem sine peccato exstitit, post conversionem repente apostolis culpa non fuit. Sequitur :

« Exierunt, et ascenderunt navim, et illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto, stetit Jesus in littore, non tamen cognoverunt discipuli, B quia Jesus est. » Antequam mane veniret, et Dominus in littore stetisset, laboraverunt quidem, et retia **345** miserunt, sed nihil prendiderunt septem discipuli, quia videlicet ante hoc tempus acceptabile, diemque salutis, qui sole justitiæ Christo resurgente a mortuis ortus est nobis, prædicaverunt quidem lex et prophetæ, sed non effecerunt salutem totius mundi. Retia quidem miserunt, sed non etiam captos pisces ad littus adduxerunt, quia sacram quidem Scripturam contexuerunt, sed per eas homines ad salutis æternæ portum non eduxerunt. Sed venit mane, et Dominus Jesus stetit in littore, quia post litteram legis, quæ nihil ad perfectum adduxit, venit tempus adjuvantis gratiæ, et post resurrectionem suam jam immortalis et impassibilis C Dominus noster firmiter stare cœpit extra fluctus mortalitatis nostræ (*Hebr.* VII).

« Dicit ergo eis Jesus : Pueri, nunquid pulmentarium habetis ? » Ergo, inquit, quia nondum cognoverunt ipsum esse, qui de mari vocaverat eos, ut faceret piscatores hominum, benigne ad ignorantes descendit, et locutus est primo captoribus piscium, quomodo loqueretur quilibet emptor piscium (*Matth.* IV). Et bene secundum intentionem ejus, quod facturus erat, miraculi, pulmentarium quæsivit. « Meus enim est cibus, inquit, ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan.* IV). » quæ videlicet voluntas non est alia quam homines de falsis et amaris fluctibus sæculi extrahere ad portum salutis. « Responderunt ei : Non. » Pueri Domini tunc pulmentarium non habent, et juxta Psalmistam : « Famem patiuntur ut canes D (*Psal.* LVIII). » quando retia prædicationis mittentes neminem vel paucos capiunt, et tunc murmurant quia saturati non sunt.

« Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo, et jam non valebant trahere illud, præ multitudine piscium. » Non utique dixit : « Mittite in dexteram navigii rete, » cum adhuc esset in mediis fluctibus passionis et mortis passurus non dixit : « Mittite in dexteram, » sed tantummodo, inquit, « laxate retia vestra in capturam (*Luc.* V). » Itaque tantam piscium tunc concluserunt multitudinem, ut rete eorum rumperetur, et navicula eorum pene mergeretur. At nunc

in littore stans, et undosam turbidi sæculi omnino A supergressus jacturam : « Mittite, » inquit, et non ubicunque, sed « mittite in dexteram. » Et jam non valebant, ait evangelista, trahere illud præ multitudine piscium, non tantum dixit, quia rumpebatur rete, aut mergebatur navicula eorum. Quid ergo hic nisi illam piscationem hominum præsignare voluit, qua ad dexteram constituentur omnes electi, seclusis ad sinistram omnibus reprobis (*Matth.* XXV), qui tanquam pisces mali, rete præsentis Ecclesiæ rumpunt seditionibus, quod maxime fecerunt hæretici atque schismatici. Resurrexerat enim, et in littore tutissimo stabat, quippe « qui resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Et idcirco recte solos præfigurabat illos, quos secum suscitat secumque ad dexteram Patris B considere vellet in cœlestibus (*Luc.* XXIV)

« Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro, Dominus est. » Ergo, inquit, quia magnus ille puerorum suorum appellator, qui in littore stabat, tam veraciter prophetaverat, dicendo : « Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis ; venit in mentem priori discipulo illi quem diligebat Jesus, quia Dominus est. » Et hoc Petro dixit, præ omnibus quem gravisurum esse sciebat plus omnibus. Et bene, quia cito acquieverant, dicenti : « Mittite in dexteram, » sicut mansueti, qui secuti fuerant Magistrum mansuetudinis, statim cognoverunt eum, quemadmodum et illi duo digne cognoverunt eum in fractione panis, pro eo quia coegerant eum, dicentes : « Mane nobiscum, quoniam advesperascit. C Nec vero dixit discipulus ille, Jesus est, sed Dominus est, et non noster, vel quorumcunque definite, sed indefinite, « Dominus inquit, est. » Cur enim suum particulariter Dominum diceret, qui sic in præsentarium palam fecerat, quod etiam maris Dominus esset. Imo et stando in immortalitatis littore probaverat, quod mortis victor, et victæ dominator existeret.

« Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, et misit se in mare. » Non ipse dilectus discipulus, qui dixerat : « Dominus est » sed Petrus qui habebat cingi et duci quo nollet, « tunica succinxit se, et misit se in mare. » Olim miserat se in mare, et ambulaverat super aquas, ut adveniret ad Jesum super aquas ambulantem solum, sed videns ventum validum D venientem, timuit, et in ipso timore suo pene submersus est. Nunc autem stante Domino in littore, sponte se idem mittit in mare, et non timet, nihilque periculi passus est. Quid est hoc, nisi quia tempestate Judaica quam Dominus superambulans vicit, Petrus negaturus erat, timore mortis, et nunc fortiter agere habebat in fluctibus Romani imperii in magna tempestate sævi Neronis? Bene ergo, qui ante passionem Domini timuit, et pene mersus, nunc post ejus resurrectionem mittens se in mare, pervenit ad portum feliciter.

« Alii autem discipuli navigio venerunt. Non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium. » Ordo litteræ est : Alii discipuli navigio venerunt, trahentes rete piscium, non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis. Discipulus ille quem diligebat Jesus, et alii qui navigio venerunt, illos significant rectores sanctæ Ecclesiæ, qui in pace vitam finiunt. Petrus vero qui mittit se in mare, illos omnes, qui sicut et ipse per medios fluctus tribulationum festinant, et currunt ad Dominum, trahentes rete piscium, id est, scriptis suis sive laboribus omnimodis continentes vel propugnantes fidem gentium. Non enim longe sunt ab illa viventium terra, in qua Dominus immortaliter stat, sicut longe erant antiquitus sub lege laborantes, antequam veniret gratia, sed prope sunt quasi cubitis ducentis, liberi videlicet a cunctis legalibus cæremoniis, solaque ad perveniendum opus habentes dilectione Dei et proximi. « Ut autem descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum et panem. » Regnum beatitudinis, quod unum et æternum prandium, una et perpetua cœna est, in illo littore, id est, sæculi fine inveniendum est. Illic invenient omnes electi prunas, id est, plenarium ignem vel amorem Spiritus sancti, qui in hac vita sanctis aliquantulus est, in illo autem regno permaximus, sicut pulchre propheta prædicat, dicens : « Dicit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem (*Isa.* XXXI). » Invenient et piscem superpositum, et panem, id est, unum eumdemque Christum Deum et hominem, secundum humanitatem quidem, sicut piscem assum, secundum divinitatis autem naturam, panem angelorum impassibilem.

« Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. » Bene afferte, inquit, de piscibus quos prendidistis nunc. Advocabit enim cœlum de sursum, et terram discernere populum suum, congregare illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia (*Psal.* XLIX). » Quinam sunt hi quibus hoc juxta Psalmistam præcipitur, nisi apostoli vel prædicatores sancti, quorum **346** unusquisque æterno judici præsentabit, quantoscunque de labore suo bonos pisces acquisivit ? « Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. » Cum supra dictum sit de septem discipulis : » Miserunt ergo, et jam non valuerunt trahere illud præ multitudine piscium, » quomodo nunc dicitur : « Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, cum multo magis non valeret solus, nisi quia per Petrum, cui præ cæteris specialiter dictum est : « Et tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI), » universitas eorum designatur, quorum est jus vel officium tractare hoc rete piscium, quod est Dei Verbum. Itaque una fides, quam universi piscatores hominum prædicant, recte per unum figuratur Petrum, cui præcipuum datum est jus super omnes pisces pertinentes ad regnum cœlorum ad sanctæ Trinitatis convivium. Ipsi vero pisces omnes magni, et nume-

A rati sunt, quia videlicet omnes electi, quamvis impares meritis, omnes tamen magni sunt, et certus eorum numerus apud Deum, quippe qui ab origine mundi secundum propositum vocati sunt sancti. Quomodo enim certus apud ipsum non esset numerus eorum, quos præscivit, quos prædestinavit, quos vocavit, quos justificavit, quos magnificavit? Porro ipse piscium numerus talis divinitus provisus est, qui non uno in limite contentus, sed tribus continuis limitibus, scilicet centenis, deceno, et singulari dispositus sit. Quæ videlicet dispositio arithmeticis nota est. Cur hoc, nisi quia homines, quos isti pisces significant, non omnes in eodem ordine vel proposito, sed diversis ordinibus, licet in eadem fide, distincti sunt? Alii namque conjugati, alii vidui, vel
B continentes sunt, alii vitam virgineam ducunt. Et in laxiori quidem ordine vel proposito plures, sed minus valentes in artiori pauciores, sed pretiosiores sunt. Nam et juxta parabolam seminantis centesimus fructus pauciorum, id est virginum est, tricenarius plurium, id est conjugatorum, sexagesimus mediorum, id est, continentium sive viduarum. Igitur, si quod melius, ut jam dictum est arithmetici noverunt unitas, quæ in centeno, et quinarius qui in deceno, ternarius quoque qui in singulari constitutus est, simul in centeno collati fuissent, esset quidem major numerus piscium, quia nongenti fierent, sed nunc magis mysterium est, quia in centum piscibus laxius viventes, in tribus sublimius contemplantes, in quinquaginta mediocriter
C agentes fideles recte intelliguntur. Est enim sancta Ecclesia similis arcæ quam Noe fabricavit, quia inferius latior, superius fuit angustior. Quippe quæ inferius trecentis cubitis in longitudinem, et quinquaginta in latitudinem ampliata superius in cubito consummata est (*Gen.* VI). Sunt multa quæ in hoc numero centum quinquaginta trium piscium jam a doctoribus utiliter disserta sunt, quæ diligens lector prompte suis in locis reperire potest. Sequitur:

« Et cum tanti essent, non est scissum rete. » Hoc plane ad evangelistam pertinuit dicere, cum tanti essent, non est scissum rete, quia videlicet in statu quidem præsentis Ecclesiæ, rete scindunt pisces illi qui numerum excedunt, Psalmista testante, cum dicit: « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX), » sed in illo
D resurrectionis littore pax erit, et rete solidum, quia soli pisces, qui numerati sunt, magni omnes, id est, boni illic erunt. « Dicit eis Jesus : Venite, prandete. » Bene tam multis piscibus magnis, qui omnes in dextera navigii capti sunt ad terram portractis dicit Jesus : Venite, prandete, » quia cum sederit idem Filius hominis in sede majestatis suæ, et omnes electos ad dexteram suam constituerit, et tunc altissime et suavissime hoc modo intonabit : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). » Quid enim est hoc prandere, nisi regnum æternum percipere? Quid est vero regnando prandere vel prandendo regnare, nisi ipsum, qui angelorum cibus est, in quem desiderant angeli prospicere regem gloriæ (*I Petr.* I; *I Joan.* III), facie ad faciem (*I Cor.* XIII), sicut est videre. Unde propheta, cum dixisset de homine, in justitiis ambulante, et veritatem loquente : « Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt (*Isa.* XXXIII), quasi quæreres, qualis panis ei datus est, vel quales aquæ sunt, statim subsecutus. « Regem, inquit, in decore suo videbunt oculi ejus (*ibid.*). » Proinde continuo subjungitur :

« Et nemo audebat discumbentium [*al.*, dicentium] interrogare eum : Tu qui es, scientes quia Jesus est. » Tunc quidem non audebant, et intenti solummodo ad intuendum vel audiendum, reverentiam præstabant, quando autem ad illud æternum suos omnes invitaverit convivium, jam opus non habebunt « interrogare eum, scientes quia Jesus est; » scientes, inquam, et perfecte cognoscentes, quod modo ex parte cognoscunt. Scripturas legentes et sanctum scientiæ Spiritum consulentes, donec « veniat quod perfectum est, et evacuetur quod ex parte est (*I Cor.* XIII). » — « Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis : Et piscem similiter. » Unde venit vel quo venit, ut panem et piscem ministraret illis? Hoc plane secundum litteram superfluum judicaretur, sed in sensu mystico nonnihil operatur. Sic enim hic dictum est, « venit et accepit panem, et dedit eis ; » sicut alio loco de servis exspectantibus Dominum suum, cum præmissum esset, faciet illos discumbere, statim subjunctum est, et transiens ministrabit illis (*Luc.* XII). Etenim quando dicit, stans in littore, venite, prandete imo quando dicet, sedens in sede majestatis suæ : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV), » tunc videbunt eum etiam sinistri pisces mali, qui in anteriori piscatione, multiplicati sunt super numerum, et retia ruperunt ; tunc inquam, videlicet eum omnis oculus (*Apoc.* I, VII), et qui eum pupugerunt, sed transibit, sed veniet intus, sed clausis januis, et istis foras expulsis, suos discumbere faciet, et ministrabit illis. De quo ejus ministerio nunc mystice dictum est : « Et accepit panem, et dat eis, et piscem similiter. » Quis est iste panis nisi dulcedo divinæ visionis? Et quis assus piscis, nisi natura filii hominis excocta igne passionis? Utrumque accipit, et dat illis, quia utriusque naturæ visione reficiet consortes regni sui, sicut promittens alio loco : « Et ego, inquit, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et comedatis super mensam meam in regno meo. »

« Hoc jam tertio manifestavit se Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. » Superius jam dictum est quia duorum hominum testimonium verum est, et plusquam tertium requirere legitimum non est, nam in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, prudens evangelista, et superius duo testimonia conscripsit sic terminando : « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, » et cætera, et ne quid contentioso

deesset inquisitori, tertiam hanc manifestationem addidit. Et quoniam quicunque tribus istis non credit, nec multis aliis, si conscriberentur, præberet auditum fidei, nunc demum contentus eo quod fidelibus satis sit, ita conclusit: « Hoc jam tertio manifestavit se Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. » Sequitur :

« Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. » Simoni Petro nescienti quid per eum Dominus Jesus fecisset, in eo quod « tunica succinxit se, et misit in mare, » itemque ad jussum ipsius « ascendit, et traxit rete in terram, » plenum tantis piscibus ; nescienti, inquam, actus sui mysterium, vel quid sibi vellet talis tripliciter distinctus numerus piscium, ipse Dominus et magister, qui hæc disposuerat, deinceps aperire incipit. Et primo quidem, quod tertio pastoris illi officium injungit, dicendo bis : « Pasce agnos meos, » tertio : « Pasce oves meas, » arcanam piscium causam respicit. Et deinde dicendo : « Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas, » et cætera, prænuntiat quid cingendo se, licet nesciens, præfiguraverit. « Simon Joannis, inquit, diligis me plus his ? » Opportune satis ascito nomine paterno, Simonem Joannis, id est *obedientem Dei gratiæ*, illum appellavit (*Joan.* xvi). Nam ille celeriter succingendo, et in mare mittendo se, itemque rete in terram trahendo, totius obedientiæ, quam sive vivendo sive moriendo subiturus erat, typum fortiter expressit. Quare vere dicturus : « Pasce agnos meos, » præmisit interrogando, « diligis me plus his? videlicet quia ex dilectione opus est ei qui pascendos rationales agnos suscipit, illa utique dilectione qua ipse princeps pastorum primus animam suam posuit pro ovibus suis (*I Petr.* v). Et pulchre agnos vocat, quorum salutem nunc recens immolatus ut aries in sanguine suo genuerat. Quare vero cum dicit, « diligis me, » adjungit, « plus his ? » Scilicet ita dicendo, suavissime in mentem reducit huic illud superius, tanquam diligendo plus cæteris dixit: « Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor (*Matth.* xxvi). » Et tunc quidem importunam dilectionis ejus fiduciam repressit, dicens : « Antequam gallus cantet, ter me negabis; » nunc autem interrogando, « diligis me plus his, » conscientiam grataner apprehendit bene sciens quia deinceps timore superato, quantum diligit palam facturus sit.

« Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : « Pasce agnos meos. » Majusculos hic agnos intelligi convenit, tanto majusculos agnos superantes, quantum mediocritas quinquaginta piscium abundantiore centum piscium multitudine, juxta superius dictum spiritualem sensum, dignior est. Nam, sicut tracto reti in terram quinquaginta et tres pisces distincte numerati sunt, ita et nunc in pastoralis curæ distinctione, primo centum agnos, deinde quinquaginta agnos, tandemque, cum dicit· « Pasce oves meas, » tres subaudire operæ pretium est, ut ita sint in pascuis Simonis Petri, agni pariter et oves centum quinquaginta tres, sicut in rete, quod ille traxit in terram, totidem fuere pisces. Nam sequitur : « Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me ? Contristatus Petrus, quia dixit ei tertio, amas me. Dicit ei : Domine, tu omnia scis, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas. » Post agnos et agnos ponuntur oves, illæ, scilicet de quibus in Canticis dictum est : « Omnes gemellis fetibus et sterilis non est inter eas (*Cant.* iv), » quia videlicet utrumque agnorum ordinem, id est, et eorum qui adhuc lacte indigent, et eorum qui jam grandiusculi sive anniculi, Scripturarum pabula carpere norunt, utrumque, inquam, agnorum gregem regere possunt. Et ita quidem eis quibus prodesse queant, procaciores, sed valentiores sunt, sicut in supradicto reti, et centum piscibus et alii quinquaginta in summo numerati utique pauciores, sed digniores sunt. Igitur quid significatum fuerit in eo quod Petrus ejusmodi rete in terram traxit, jubente Domino, claret in hoc pascendorum agnorum vel ovium imperio. Sequitur idem Dominus, prænuntians qualiter Petrus sua tunc tunica succinctus, postea sit cingendus : « Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius cinget, et ducet quo tu non vis. » Hoc ad quid dixerit illi, confestim evangelista subsecutus aperuit. Ait enim : « Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Sensus iste est : Cum junior, et tanquam sub tirocinio militans, pericula belli nondum expertus fuisses, « cingebas te, » hoc est tua fortitudine plurimum confidebas, et sine duce ambulabas ubi volebas. Dixisti enim : « Tecum paratus sum in carcerem et in mortem ire (*Luc.* xxii). » Item : « Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Matth.* xxvii). » Illic tanquam junior et improvidus, teipsum accinxisti, non putans quod indigeres accingi auxilio Dei. Cum autem senueris, cum interioris hominis tui sensus incanuerit, tunc vadens mecum et in carcerem, et in mortem (*Sap.* iv), extendes manus tuas in cruce, ita tamen ut alius te cinget, scientem quod teipsum cingere non possis, et ducat quo tu non vis, id est, regat in passione mortis quam naturaliter timore pavescis. In illa ætate senectutis cum virtus tua defecerit (*Psal.* lxx), id est, de tua virtute nihil præsumpseris, dices tu non immemor, quod mortem timendo vitam negaveris, dicent et omnes quicunque suam infirmitatem bene cognoverint. Sed ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus, ut non simus in nobis fidentes, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui eruit nos de tantis periculis, et eruet, in quo speramus, quoniam et adhuc eruet, adjuvantibus vobis in orationibus pro nobis (*II Cor.* i).

« Et cum hæc dixisset dicit ei : Sequere me. » A Mira cum suavitate verax et mansuetus Dominus præteritæ concertationis meminit,in qua cum dixisset ipse, « quo ego vado non potes me modo sequi, sequeris autem postea. « Respondens Petrus : « Quare, inquit, non possum te modo sequi ? Animam meam pro te ponam. » Ad hoc dicente Domino : « In hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. » Ait ille, ut supra dictum est, adhuc junior : » Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Joan.* XIII). » Hujus, inquam concertationis Dominus benigne meminit, dicens : «Sequere me. » Ac si diceret : Jam de eo quod dixi tibi, quo ego vado, non potes me modo sequi, tu negando ter veracem me esse comprobasti, superest, ut nihilominus de eo quod adjeci ; sequeris autem B postea, meus sermo verus appareat. Sequere ergo, id est, imitare me. Deinceps enim paratus eris pro me, et in carcerem et in mortem ire ; paratus, inquam, et fortis eris, et,sicut paulo ante tunica succingens et mittens te in mare, fiducialiter ad littus pervenisti ; sic in studio prædicationis accinctus spiritu fortitudinis, per medium tribulationis currens in littore quietis, æterne mecum stabilieris.

« Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus sequentem, qui recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est qui tradet te ? » Nesciens adhuc Petrus quid diceretur, pedum incessu Dominum sequebatur,simulque injussus ille alius discipulus. Quare autem ultra solitam suæ personæ descriptionem nunc addidit, C « discipulus iste qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est qui tradet te ? » **348** Cum enim multis jam locis suimet mentionem fecerit, dicendo, quem diligebat Jesus, hic tamen in sui designatione addidit, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : « Domine, quis est qui tradet te ? » Cur ergo, nisi ut intelligas Dominum dicentem Petro,sequere me, illud respicere quod eidem dixerat in cœna, non potes me modo sequi, sequeris autem postea ? Hoc nempe tunc dictum est, quando super pectus ejus recumbens discipulus iste, dixit ei : « Domine, quis est qui tradet te ? »

« Hunc ergo cum vidisset Petrus sequentem, dicit Jesu : Domine, hic autem quid ? Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te ? D Tu me sequere. » Ab hoc dicto tandem animadversum est ad quid dixerit Dominus Petro, « sequere me, » et quod pro significatione passionis dixisset ei : « Cum esse junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas, » etc. Nam protinus sequitur : « Exivit ergo sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moritur. » Quomodo enim sermo iste exiret inter fratres, nisi ille quoque pariter exiret quod Petrus moriendo sequeretur, vel sequendo moreretur. Et quidem ille sermo inter fratres vero exivit intellectu, sed in isto quod discipulus ille non moritur,error fuit meliori sensu corrigendus. Proinde prudens evangelista subsequitur : « Et non dixit Jesus,non moritur,sed sic eum volo manere donec veniam, quid ad te ? » Aliud nempe est, quod cum determinatione dixit. Sic eum volo manere donec veniam,quid ad te ? quam si hoc solummodo dixisset ; sic eum volo manere. Nam eo modo ipse fecisset intelligi hunc discipulum non esse moriturum. Nunc vero cum determinat,sic dicendo : « Donec veniam, » manifeste asserit in pace illum esse moriturum. Dicet aliquis : Si volebat Dominus hunc dilectum discipulum, donec ipse veniret manere sic, id est, non coacta, sed naturali morte finire, cur duobus filiis Zebedæi, quorum unus hic erat pluraliter loquens, « calicem, inquit, meum bibetis ? (*Matth.* XX.) » Adhæc, inquam : « Annon calicem Domini bibit, qui in hora qua Dominus ipse bibebat, juxta crucem cum matre ejus stetit ? (*Joan.* XIX.) » Si non matris Domini animam, juxta prophetiam Simeonis, gladius pertransivit (*Luc.* II), nec iste dilectus ejus discipulus amarum ejus calicem bibit. Igitur et si non materiali cruce vel gladio discipulus iste martyrium duxit, Dominici tamen calicis expers non fuit. Cæterum non sine magno Divinitatis consilio factum est ut hic dilectus notæ virginitatis candore insignis, triumphalem proprii martyrii purpuram non perciperet. Hoc enim animadverso, quis in Ecclesia solos honore dignos arbitretur martyrum triumphos ? Ecce isti duo Petrus et Joannes præcipuæ sanctorum columnæ sunt, et in altero quidem vitæ activæ fortitudo, in altero contemplativæ prænitet pulchritudo. Etenim quod in Martha satagente circa frequens ministerium, et in Maria sedente secus pedes Domini et audiente verbum illius (*Luc.* X), præfiguratum est ; hoc jam tunc iis duobus agi cœptum est, dum alteri cura mandatur de pascendis Dominicis ovibus, alter supra pectus Domini recumbens, Verbi incarnati notitia plenius imbuitur. Sic ergo recte sancta Ecclesia rubentes amplectitur martyrii rosas, ut nihilominus concelebret amica Christo candidæ confessionis lilia. Sequitur :

« Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc. Et scimus quia verum est testimonium ejus. » Hic, inquit, discipulus, de quo Jesus dixit, sic eum volo manere donec veniam, qui recubuit in cœna supra pectus ejus, et dixit : « Domine, quis est qui tradet te, » ipse est qui testimonium perhibet de his, et qui scripsit hæc. Et si recte judicatis filii hominum, talis discipulus testis idoneus est. Et quoniam in concione legitima tam qui scribit quam qui subscribit, pares habentur, o vos, quicunque hoc testimonium accipitis, vestra hæc subscriptio sit, quam subscribo ego pro vobis omnibus, et scimus quia verum est testimonium ejus, ut omnes pariter, ego et vos, in concione cœli audiamus.

« Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros. » Hoc

irrefragabiliter verum est. Ecce enim hunc solum librum, qui ab hoc discipulo scriptus est, mundus capere non potest, et cum unus homuncio pugillo eum continere queat, universitas hominum totam mysteriorum ejus profunditatem capere non valet. Quanto magis si universa conscriberentur, non A caperet mundus, et ad quærendum fastidiosus, et ad intelligendum obtusus. Igitur quia quibus hæc pauca pro testimonio non sufficiunt, nec multa proderunt, sedeat nunc emeritus testis, quia benevolis auditoribus satis factum est, Jesum esse Christum Filium Dei.

PROLOGUS RUPERTI

IN APOCALYPSIM JOANNIS APOSTOLI

AD FRIDERICUM ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM.

349 *Ut tu quoque, o venerabilis Coloniensium archipræsul Friderice, præsentis et expressum in Scripturis veritatis exemplum perdocet, cunctis ad veram repromissionis terram tendentibus quo sint mites, spiritu pietatis opus est.* Beati namque mites, *ait ipse Dominus,* quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v) ; *immites a beatitudine excludens, quoniam ipsi non possidebunt terram. Utrorumque scilicet et eorum qui sunt mites, et idcirco possidebunt terram, et eorum qui sunt immites, et idcirco non possidebunt terram, notum celebre exemplum in illis exploratoribus expressum est, quos jubente Domino misit Moyses ad considerandam terram Chanaan. Nam qui ex illis mites fuerunt, id est, qui veritatem scientes, ei non repugnaverunt, videlicet Josue filius Nun, et Caleph filius Jephonæ, dicentes : Terra quam circumivimus valde bona est, si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem ; nolite rebelles esse contra Dominum, ipsi possiderunt terram ; cæteri autem, qui immites et rebelles fuerunt adversus veritatem, et contra conscientiam propriam loquentes et dicentes :* Terra quam lustravimus devorat habitatores suos (*Num.* XIII) ; *ipsi non possederunt eamdem terram. Quid autem sacra nobis Scriptura, nisi vera repromissionis est terra ? Denique quod fuit illis corporaliter de Ægypto exire, et in illam repromissionis terram introire, hoc nobis est de tenebris ignorantiæ exisse, et ad notitiam Dei per Scripturarum veritatem introire. Imo abundantius nobis hoc est, videlicet quantum umbram aut figuram præcellit corpus aut res. Nondum quidem dum Scripturas legimus aut intelligimus, facie ad faciem Dominum videmus; verumtamen ipsa Dei visio, quæ quandoque perficienda est, hic jam per Scripturas inchoatur. Et quænam terræ hujus, id est, sanctæ Scripturæ pars uberior est quam hic liber Apocalypsis Joannis apostoli ; ad quam videlicet partem studiosa meditatione explorandam, me tuarum maxime collocutionum jucunditas excitavit. Instabat enim vir religione illustris, et in sacris studiosus litteris, dominus Cuno abbas cœnobii Sigebergensis, quædam libri hujus capitula prius seorsum, deinde te quoque audiente proponens ; ea videlicet intentione, ut et tibi compertum esset, quod ego, (ut putabat ipse) ultra id quod antiquiores patres librum hunc exponendo senserunt vel dixerunt, aliquid utiliter supererogare possem. Agebat hic per nimiam suæ mentis benevolentiam, qua jamdudum de parvitate mea sentire cœperat altius quam se habet ingenii mei possibilitas. Nimirum et ante et post easdem collationes, ut hoc opus aggrederer, institit ; nec persuadendo destitit, donec tandem, ut volebat, evicit. Quæ, inquam, sacræ Scripturæ series, hac Apocalypsi, aut in superficie pulchrior, aut in sensu est locupletior ? Etenim, sicut ante nos dictum est* [Hier. in argumentum hujus libri] *tot habet sacramenta, quot verba, parum dictum est, et pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Ut igitur terram istam possideamus, fidelium exploratorum, qui mites fuerunt, exemplum sequamur dicendo contra immites hæreticos, huic terræ detrahentes, quoniam terra quam circumivimus valde bona est. Ipsi dicunt,* terra quam lustravimus devorat habitatores suos, *sed mentiuntur. Non enim terra ista, terra Dei,* devorat habitatores suos : *sed suæ ipsorum adinventiones devorant superbos, sicut murmuratorum illorum quosdam, non illa repromissionis terra quam non attigerunt, sed ipsa quam calcabant terra devoravit et deglutivit, disrupta sub pedibus eorum. Proinde expedit, ut, sicut jam dictum est, mites animo simus, quicunque hanc terram, id est, hanc Scripturam ingredimur, et ibi altiorem Divinorum sensuum majestatem latere arbitramur, ubi adhuc minus intelligimus. Si enim propitius fuerit Dominus, introducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manentem, ut inveniamus latentes in ea divitias salutis, thesauros sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Domini. Sed dicet aliquis : Jam satis est, quod alii meliores et sanctiores nihilominus et doctiores invenerunt atque scripserunt. Illicitum est, temerarium est, adjicere quidpiam ad ea quæ a nominatis catholicisque Patribus dicta sunt, atque ita fastidium legentibus facere, augendo multitudines*

commentariorum. At hæc, inquam : Nimirum sanctorum spatiosus ager Scripturarum, omnibus Christi confessoribus communis, est, et tractandi illas nulli jure negari potest licentia, dummodo salva fide, quod sentit dicat aut scribat. Quis namque recte indignetur, eo quod in eadem possessione post unum aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio fodiant labore filii succedentes? Denique Isaac et alios puteos fodit, *præter* illos quos foderant servi patris sui Abraham, quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim. *Nam postquam et illos rursum fodit, appellavitque eos eisdem nominibus, quibus ante pater vocaverat, sequitur Scriptura, et dicit* : Foderunt in torrente, et repererunt aquam vivam. *Item* foderunt et alium. *Ac deinceps :* Profectus inde fodit alium puteum (*Gen.* XXVI). *Itaque, juxta hanc regulam, nobis quoque concedant, post illos puteos quos foderunt, id est, post illos tractatus quos tractaverunt Patres et priores nostri, et alios fodere puteos proprii vomere ingenii, dummodo vivam, et nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat legenti. Sed jam gratiæ Dei, tuæque auctoritatis patrocinio fretus, propositum ingrediar opus, solummodo* in Domino Deo spem meam ponere (*Psal.* LXXII) *bonum judicans, ut videlicet non hic, sed in futuro recipiam mercedem.*

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS.

IN

APOCALYPSIM JOANNIS APOSTOLI

COMMENTARIORUM

LIBER PRIMUS.

---

350 (CAP. I.) — « Apocalypsis Jesu Christi. » A Cum tota libri series Græce conscripta fuerit, et de Græco fonte in Latinæ linguæ amnem cucurrerit, sola ejusdem appellatio intacta permansit, ut apud Latinos diceretur Apocalypsis : quod nomen poterat in revelationem transferri, videlicet ob excellentiam rerum sive mysteriorum quæ hæc Scriptura comprehendit. Sic alleluia, sic amen, Hebræa vocabula, ob dignitatem sensuum in Græcis et Latinis litteris permanserunt. Sic Evangelium in Latinis codicibus de Græco reservatum est ; quo sermone omnes, præter Matthæum, evangelistæ conscripserunt.

Itaque « Apocalypsis, » id est revelatio præcelllens et in sensibus adorandæ plena majestatis, « Jesu Christi, » inquit, id est Salvatoris uncti. Quemadmodum in psalmo scriptum est : « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » Et quidem multi nomine Jesu æquivocati sunt, sed hic propriam nominis hujus habet rationem. Quam subjungens angelus, cum dixissset : « Pariesautem filium, et vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim, inquit, salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Item multi christi, id est, uncti fuerunt, sed hic præ omnibus illis unctus est ; utpote « in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter (*Coloss.* II) ; » illi autem hujus fuerunt vel sunt consortes, sive participes. De hoc itaque sentiendum est, quia, sicut omnium, ita et revelandæ hujus Apocalypseos potestatem, quam natura non habebat, ejusdem Jesu Christi humanitas dono accepit. Unde sequitur et dicit : « Quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito. » Quid enim habet quod non acceperit in unigenito etiam Filio nostra natura ? (*I Cor.* IV ; *Rom.* VIII.) Quid porro non accepit, aut quid non datum est ei pro eo quod obedivit « usque ad mortem, mortem autem crucis ? » (*Philipp.* II.) Nihil illi non subjectum reliquit Deus, cum Psalmista dicat : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII). » B Sed et ipse de seipso dicit, obedientia jam consummata : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra » (*Matth.* XXVIII). In isto quoque libro dicit : « Et fui mortuus, et ecce sum vivus [vivens] in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferni. » Verum hæc de rerum omnium potestate dicta sint. Illam, de qua nunc sermo est, scilicet revelandi cœlestia sacramenta servis suis, potestatem, humanitas dono accepit ; quemadmodum et in hoc libro significatum est, ubi Agnus signatum de dextera

edentis in throno librum accepit et aperuit(*Apoc.* v). A)e qua potestate itidem spiritus dicit Ecclesiis : ‹ Hæc dicit sanctus, et verus, qui habet clavem)avid : Qui aperit, et nemo claudit; claudit,et nemo ıperit (*Apoc.* III). » Itaque humanitati quidem Jesu Christi nihil est quod datum non sit, aut quod non ıcceperit : Divinitati vero nihil datum est in po-estatem, quod ante non habuerit. Dicat ergo : Quam dedit illi Deus palam facere servis suis. » ıpertius quidem esset si dixisset, qua. Sed hic mo-lus locutionis sæpe fit in Scripturis. Unde est : ‹ Bonum certamen certavi (*II Tim.* IV), » pro eo quod est, bono certamine certavi. Quibus palam facere servis suis? Illis utique quos pro ipsa manifestatione jam amicos dicit, ita loquens sub ipsa apertione libri signati, id est, sub articulo suæ passionis, qua B Scripturas implendo intelligibiles fecit : « Jam non licam vos servos, sed amicos meos ; quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis *Joan.* XV). » Quod autem ait : « Quæ oportet fieri cito ; » non ita intelligendum est,tanquam ea sola contineantur in hac Apocalysi, quæ futura erant ; et non ea quæ jam tunc erant, vel ea quæ ante facta fuerant. Nam,postmodum Joanni dicitur : « Scribe, ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc. » Verum, quia circa illa, quæ cito futura erant, summa intentionis est,et propter illa maxime texuntur præterita sive præsentia, idcirco recte in exordio contentus fuerit dicere : « Quæ oportet fieri cito. » Sic et Jacob patriarcha in benedictionibus suis non omnino taciturus erat de præsentibus C sive futuris [præteritis], et tamen in exordio solummodo futurorum mentionem fecit, ita dicens : « Congregamini filii Jacob, ut annuntiem, **351** quæ futura sunt diebus novissimis (*Gen.* XLIX),» Sequitur:

« Et signicavit mittens per angelum suum servo suo Joanni. » Signicavit, hoc loco idem est ac si diceret, signavit, id est,quibusdam imaginum sigillis clausit atque obfirmavit ut non cunctis,sed tantum diligentibus paterent atque studiosis. Nec vero illud præcedenti repugnat dictioni, qua dixit : « Palam facere servis suis ; » nam alii sunt quibus palam fecit quælibet et dixit, « vobis datum est nosse mysteria regni Dei (*Matth.* XIII) : » alii vero, quibus significavit, de quibus item continuo subjunxit : « cæteris autem in parabolis (*Act.* II). » Denique sancti apostoli quibus datum est in tempore suo D nosse mysterium regni Dei, tunc scilicet, quando Spiritus sanctus super eos venit eosque invisibiliter docuit (*Act.* II), ipsi sunt illi eatenus quidem servi, ex extunc amici, quibus ista palam fecit. Hi autem, qui pro qualitate sensus nesciunt revereri aut amare cœlestia, nisi sub hominibus aut imaginibus rerum,quæ formidabiles aut venerabiles esse solent sensibus carnis,ipsi sunt,quibus eadem significavit. « Mittens, inquit, per angelum suum servo suo Joanni. » Iste Angelus in figura Christi apparuit beato Joanni. Quia enim cum Patre et Spiritu sancto Filius unus est Deus,omnia revelans,utique illum angelum replevit, atque in illius corde habitans, per eum locutus est Joanni.

« Qui testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcunque vidit. » Hæc pars exordii hujus, magnam totius libri auctoritatem perficit,ut non debeant contemni vel minoris haberi celsitudinis, quam cæteræ Scripturæ,quas in canonico apice recipit ac veneratur Ecclesia Christi. Si enim hanc Apocalypsim non recipit quis, consequens est ut nec illud recipiat testimonium Verbi Dei, testimonium Jesu Christi, id est, Evangelium ejusdem Joannis, in cujus initio dicit:« In principio erat Verbum, » etc. De illo namque testimonio dicit adjungens, « quæcunque vidit, » videlicet ad confirmationem ejusdem testimonii: quia nimirum cum in testimoniorum constantia diversitas sit ille constantissimus judicatur testis, qui quæ testificatur ipse vidit. Eamdem ob causam cum dixisset, « quia unus militum lancea latus Domini, cum jam obiisset, aperuit et continuo exivit sanguis et aqua ; statim subjunxit : « Et qui vidit,testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus, et ille scit quia vere dicit ut et vos credatis (*Joan.* XIX). » Et alibi : « Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc ; et scimus quia verum est testimonium ejus (*Joan.* XXI). » Nec vero singula scribendo testimonium perhibuit de omnibus quæcunque vidit. Ipse enim dicit : « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc (*Joan.* XX). » Verumetiam hæc dicens, « testimonium perhibuit de omnibus quæcunque vidit, » non quidem omnia scribendo, sed multa fuisse dicendo ; ita ut quemadmodum in fine dicit, si omnia scribantur, nec ipsum arbitretur mundum capere posse eos,qui scribendi essent, libros. Hoc autem cum dicit,non ad multitudinem codicum, sed ad magnitudinem spectat sensuum,quos etiam nunc, cum pauci sint libri, universos capere non possunt, qui in mundo sunt ; et illa quidem, quæ fuerant Jesu Christi, id est, secundum formam servi,sive habitum hominis, visibiliter effecta,iste videre potuit ; sed Verbum ipsum,cui nihilominus testimonium perhibuit, videre oculis non potuit. Idcirco ita non dixit : « Qui testimonium perhibuit Verbo Dei, quæcunque vidit;» sed clausulam protelans præmisit,« et testimonium Jesu Christi ; » et tunc demum clausit dicens: « quæcunque vidit. »

« Beatus qui legit et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. » Conscius sibimet quæ vel qualia viderit, quas pœnas malorum, quæ præmia bonorum hæc Apocalypsis Jesu Christi palam sibi fecerit, competenter exclamat, ore grandi atque intentione vehementi, beatum illum esse veraciter dicens,qui ea quæ hic scripta sunt, verbi gratia, septem tubas admirabiles in hac prophetia contonantes audiens, aut si litteras novit [illa] legens observaverit, seque vigilanter ad illam quæ canit in die judicii

archangeli, tubam Dei, tubam novissimam præparaverit. Sic legislator Moyses, cum de longinquo, videlicet multo antiquior quam iste, beatitudinem sanctorum prospiceret, partimque par ænigma prædiceret, repente exclamavit : « Beatus es tu, Israel, quis similis tui, popule, qui salvaris ? « (*Deut.* XXXIII.) Tanta quippe tamque horrenda pravorum damnatio; tanta tamque horrenda justorum glorificatio est, ut merito spectator exclamet, et exclamando spiritus significet quod loquendo explicare lingua non potest ; tunc maxime, quia tempus prope est, et quando [quia] adsit, quando novissima tuba canat; incertum est, prævideri non potest. Sane verba prophetiæ hujus, cum dicit, omnimodam prophetiam hic intelligere vel exspectare debemus, id est, trium temporum, præteriti, præsentis et futuri. Sic enim et ante nos dictum, et verum est, quia prophetiæ tempora tria sunt, scilicet præteritum, præsens, et futurum. Prophetia de futuro est : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium (*Isa.* VII), » Prophetia de præterito est : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I). » De illo enim tempore dixit homo, quando non erat homo. Prophetia de præsenti est, quam apostolus Paulus, dicit: : « Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta sunt, et ita cadens in faciem adorabit Dominum pronuntians quod vere in nobis sit Deus (*I Cor.* XIV). « Cum ergo dicitur, occulta cordis ejus manifesta fiunt ; profecto monstratur quia per hunc modum prophetiæ spiritus non prædicit quod futurum est, sed ostendit quod est. Sed sciendum est quod in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit, quia, cum ideo prophetia dicta sit, quod futura prædicat, quando de præterito vel præsenti loquitur, rationem sui nominis amittit, quoniam non prophetatur quod futurum est, sed vel ea memorat quæ transacta sunt vel ea quæ sunt. Horum omnium temporum, sive de omnibus his temporibus, scilicet de præterito, de præsenti et de futuro, hæc prophetia contexitur, quia videlicet qualis fuisset, qualis tunc esset, qualis futurus esset Ecclesiæ status, hac Apocalypsi revelavit huic dilecto suo Jesus Christus, sicut ex ipsa serie mirabili, eodem Jesu Christo dante, cognoscere potest lector, sive auditor beatus. Promissæ ergo beatitudinis spe, ad legendam hanc prophetiam duce Jesu Christo ingrediamur; et legentes pariter audiamus, foris legendo litteram, intus audiendo mysteria quæ sapientibus et prudentibus abscondit, Pater revelat parvulis, illam apponentibus aurem (*Matth.* XI), quam hæc ipsa prophetia sæpius requirit, cum dicit : « Qui habet aurem audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis (*Apoc.* III). » Quæ enim hactenus dicta sunt, idcirco dicta sunt ut ejusmodi aurem nos habere vel quærere persuadeant, scilicet attentam, docilem ac benevolam, quod doctorum ingenia sæcularium in exordiis suis competenter facere non parva intentione laborant. Nam dicendo : « Apocalypsis **352** Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito, » attentionem audientis exigit, utpote qui de rebus magnis et cito futuris sese locuturum promittit. Docilem vero reddere intendit dicendo, et significavit. Per hoc enim innuit, sub nominum sive imaginum figuris cœlestia debere mysteria requiri. Benevolum esse cupit, cum dicit de sua persona, « qui testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcunque vidit. » Multam quippe ex nobis meretur benevolentiam persona talis, « quæ testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcunque vidit. » Multa res ipsa, cujus fructus legentibus, audientibus atque observantibus beatitudo est.

« Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis et pax, » Hanc salutationem gratiæ et pacis, libenter omnes ubique gentium fideles, tanquam vere ad nos missam de ore Joannis accipimus, libere et veraciter profitentes quia de septem Ecclesiis sumus, et in Asia sumus. Asia quippe *elatio* interpretatur, et sæculum istud significat *elatum*, seseque efferens, tanquam marinis fluctibus, sicut in psalmo canitur : « Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus (*Psal.* XCII). » Quod est dicere : Mirabiles persecutiones sæculi, sed multo magis mirabilis Dominus in eisdem persecutionibus compescendis. In hujusmodi Asia septem Ecclesiæ sunt, id est una et unica Ecclesia catholica, sancto septiformi spiritu ordinata et ornata. Quidquid ergo gratiæ et pacis « septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, » hic præoptatur, nobis omnibus gentibus Christum colentibus jure vindicamus, etiam si hic humilis spiritu apostolus et evangelista suam orbi terrarum auctoritatem ingerere dissimulans, eam tantummodo orbis particulam, id est, Minorem Asiam nominet, in qua laboraverat. Istæ sunt septem mulieres quæ in Asia, jam decalvato vertice filiarum Sion, unum virum apprehendentes, dicunt : « Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris cooperiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum (*Isa.* IV). » Ac si dicant adorantes eum universæ familiæ gentium: « Ecce gens illa, quam, cum nullam haberet terram, eduxisti de Ægypto (*Psal.* LXXX), et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuisti ei terram eorum ; ecce qualem retribuit tibi retributionem, ejiciens te extra portam civitatis, et crucifigens. Saltem nunc diverte ad nos. Non quærimus, ut de nobis regiones alienas pro mercede Evangelii tui, sicut illis pro mercede acceptæ legis, regiones septem gentium dedisti, scilicet Chananæorum, Amorrhæorum, Gergezæorum, Jebusæorum, Ethæorum, Phærezæorum et Evæorum (*Josue.* XIII ; *Deut.* VII). Sicut tunc propter eam septem gentes illa destruxisti, ita nimirum hactenus ejusdem quasi mulieris unius amore contentus, nos septem mulieres, id est, universitatem gentium contempsisti. Merito quondam in propheta super illa fornicatrice conquerebaris, dicens : « Et

hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum et oleum, et argentum multiplicavi et aurum, quæ fecerunt Baal (*Ose.* II). » Plus est quod nunc fecit, quia videlicet favens adulteris, te crucifixit. Nos nihil terrenum a te quærimus, præter quod ante Evangelium tuum habuimus, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum, ut ultra non vocetur super nos nomen dæmoniorum.

Igitur « Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, » idem nobis sit ac si dixisset : Joannes omnibus Ecclesiis, quæ sunt in mundo. Sic inchoans, patenter scripturam illam Sapientis veridicam sibi efficit, quæ de homine timente Dominum præclara promissione sic loquitur : « In medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et implebit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus (*Eccli.* xv). » Nam ecce in medio septem Ecclesiarum, quæ omnes, ut jam dictum est, una Ecclesia sunt, aperuit os ejus Dominus, et sic loquitur, ut sermo ejus omnium Ecclesiarum dignus sit auditu. Habet enim caput narratio ejus, fidem quippe catholicam, quæ vel cujus confessio omnis sanæ doctrinæ caput est.

Hic in capite confitetur ab hoc loco usque ad id quod postmodum dicit : « Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui erat, et qui est, et qui venturus est omnipotens. » Primo confitetur eum, qui erat, et qui est, et qui venturus est ; deinde septem spiritus ejus ; deinde testem fidelem Christum Jesum, offerens illi aurum, thus et myrrham. Offert myrrham, ut homini quondam mortali, dicendo, qui est primogenitus mortuorum. Offert aurum, ut regi, dicendo, qui est princeps regum, et ipsi gloria et imperium. Offert et thus, dicendo tandem in persona vel de persona ejus : « Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, » et cætera. Quanti autem sit pretii confessio taliter effusa, nullus apprehendere sufficit. Non enim sic dixit, ut vulgo, sive in publica Ecclesia dici consuevit, credo in eum qui est, et qui erat, et qui venturus est, et in septem spiritus ejus, et in Jesum Christum testem fidelem, quomodo in Symbolo quotidiano confitemur non quidem verbis eisdem, sive syllabis, sed eodem sensu, et modo enuntiationis. Simul una eademque ratione et fidem confitetur, et fidem fideique fructum suis auditoribus imprecatur. Cumque utrumque agat, unum tamen, scilicet solam gratiæ et pacis imprecationem agere videtur, nisi vigilanter attendas. Quomodo aurum in igne liquefactum, quomodo thus vel myrrha carbonibus injecta, formam priorem deserit ; sic ista confessio fidei, magno fraternæ charitatis incendio conflagrata, vix potest agnosci quod fidei confessio sit, eo quod illam pene totam orationis imprecatoriæ vis in se converterit. Sed jam verba ipsa seriatim perscrutemur.

« Gratia, inquit, vobis et pax ab eo qui erat, et qui est, et qui venturus est. » Usitata valde, more apostolorum, Christi salutatio est, gratia et pax, et præcipue more Pauli, quem vas electionis suæ ; ipsa gratiæ diffusa in labiis ejusdem Christi nominavit,

A in nulla quippe Epistolarum suarum salutationem hujusmodi omitit. Digna ergo dictio est, ut quasi statera ponderetur, et pondus ejus quantum sit, et si omnino definiri non potest, saltem utcunque æstimetur. Quid rogo Apostoli, quorum hic unus dilectus Jesu Christi est, per eumdem Jesum Christum, nisi gratiam et pacem acceperunt ? gratia namque, et non ex operibus vocati sunt (*I Cor.* xv), ut essent id quod sunt, scilicet apostoli, et ita tantum gratia honorati fuerunt, quandiu ipse, qui vocavit eos Dominus Jesus cum illis ambulavit. At ubi moriens ille pro nobis æterno patri Adæ debitum solvit (*Coloss.* II), et veteris piaculi cautionem, pio cruore detersit, die tertia resurgens, pacem illis attulit stans in medio eorum, et dicens eis :
B « Pax vobis (*Luc.* XXVI). » Reconciliaverat enim eos Deo, soluto pariete inimicitiarum per mortem crucis (*Ephes.* II). Quod ergo acceperant, id est, prius vocationem gratiæ, et deinde pacem reconciliationis necessariæ, utrumque nobis optare debebant et offerre, non a semetipsis, sed ab illo a quo acceperant, et ipsi scilicet « ab eo qui erat, et qui est, et qui venturus est. » Hoc, inquam, illis instanter **353** commemorare debebant, ut scirent, se a Deo vocatos esse per gratiam, pacemque servarent et reconciliationem qua erant Deo reconciliati per Christum. Hoc interim silentio non prætcrire libet, quod cum jam dictus Paulus apostolus in omnibus Epistolis suis salutando Ecclesias hæc duo, scilicet gratiam et pacem conjungat, dicendo « gratia vobis et pax, in his duntaxat, quas
C ad discipulum Timotheum scribit, misericordiam interponit : « Timotheo inquiens, dilecto filio in fide, gratia, misericordia et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo (*I Tim.* I). » Nam, quia in illo episcopos omnes informabat, cujus officii summum et necessarium decus est, misericordia, et ille, ut fertur, zeli ferventioris erat, idcirco recte et opportune viscera misericordiæ illi habere præoptabat, et hæc inter cætera dicens : « Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem (*I Tim.* v). » Etenim nos omnes memores esse debemus, quia gratia Dei est, et non ex nobis, quidquid boni sumus aut habemus, et hoc respectu compati his qui necdum esse videntur quod sumus vel habere quod habemus (*I Cor.* IV : *II Cor.* III), juxta mysticum sanctæ
D legis exemplum, quo ait Dominus : « Peregrino non molestus eris. Scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti (*Exod.* XXIII). » Sed hoc, ut episcopi observent, qui constituti sunt animarum præsides ; multo maxime tam illis quam subditis necessarium est. Quapropter satis utiliter nobis actum est, ut is cui specialiter dictura erat [qui specialiter dicturus erat] misericordia, « pasce agnos meos, » in suo lapsu prius disceret quantum deberet esse misericors. Sed jam ad cœptam litteræ semitam redeamus : « Ab eo, inquit, qui erat, et qui est, et qui venturus est. » Nonnullis visum est dicta hæc de persona Filii de-

bere intelligi, pro eo maxime quia dixit postremo, « et qui venturus est. » Quoniam venturus est judicare vivos et mortuos ipse Filius, et nullam hic personæ Patris mentionem fieri, sed tantummodo Filii, et Spiritus sancti, bis Filii, scilicet et in eo quod prius ait, « ab eo qui erat, et qui est, et qui venturus est, » atque in eo quod posterius, « et Jesu Christo qui est testis fidelis, » etc. Semel vero Spiritus sancti, in eo quod ait, « et septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. » Sed occurrit jam dictus apostolus Paulus, toties dicens, et toties distinguens, a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo, « gratia vobis et pax. » Utique Pater Christi Pater noster est, quemadmodum dicit: « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, isque et erat, et est, et venturus est (*Joan.* xx). » Hoc solum quod postremo dicitur, et qui venturus est, compellere videtur, ut hæc de persona Filii dicta intelligantur quia de hac persona angeli dixerunt: « Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I). » At vero et Pater sine dubio venturus, id est, seipsum fidelibus manifestaturus est, qui nunc vident eum« per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII). »Hoc tantum differt, quia Filius in forma servi (*Philipp.* II) sic veniet, ut tandem formam non tantum boni videant, verum etiam mali, sicut infra scriptum est: « Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. » Pater autem sic veniet, id est, apparebit, ut gloriam Dei Patris et Filii et Spiritus sancti non nisi videant boni. Quod si testimonio Scripturarum indiget, ut recte illo modo venire venturus esse credatur Pater, ecce in Daniele ita scriptum est: « Et aspiciebam donec throni positi sunt; et Antiquus dierum sedit (*Dan.* VII). » Item: « Et ecce cornu illud faciebat bellum adversum sanctos et prævalebat eis, donec veniret Antiquus dierum, et judicium dedit sanctis Excelsi; et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti (*ibid.*). » Cui dubium est in Antiquo dierum veniente, personam Patris exprimi? Nam de Filii persona ibidem scriptum est: « Aspiciebam ergo in visu noctis, et ecce Filius hominis in nubibus cœli veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit (*ibid.*). » Igitur eum, » qui erat, et qui est, et qui venturus est, » Deum Patrem intelligi nihil prohibet, imo et perpulchrum dignumque ac venerabile est, ut dum sequitur, » et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, et a Jesu Christo qui est testis fidelis,» totius Trinitatis gloriosa confessio prædicari credatur. Erat, inquam, Pater, id est, immutabilis in se manebat, antequam hæc mutabilia conderet. Et est quoque, id est, immutabilis permanet, dum hæc eadem regit currentia mutabiliter. Venturus est nihilominus, id est, immutabilis apparebit, cum præterierit hæc mutabilium rerum corruptibilis species. Porro de bestia maligna, quæ proposito hujus adversari molitur, longe inferius scriptum est: « Et bestia quam vidi [vidisti] fuit, et non est.» Consolationem ergo recipiant in gratia ista tam ipse Joannes exsilio relegatus quam et omnes qui pie volentes vivere in Christo, persecutionem patiuntur (*II Tim.* III), quia futurum est ut de omni persecutione, sive persequente dicatur: Fuit et non est. De isto autem, propter quem patiuntur, semper dicatur: Qui erat, et qui est, et nunquam esse desinet.

« Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. » A septem spiritibus, id est, a septiformi spiritu. Ita vero dicens, prioris scripturæ vultum respicit, ubi sic scriptum est: « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI) » Et hic nimirum opportune ad illius scripturæ faciem respexit, præsertim quia is, de quo propheta loquebatur, « flos qui ascendit de radice Jesse (*ibid.*).» Agnus Dei, idemque Leo fortis, eorumdem septem spirituum super se requiescentium, fortitudinem simul et claritatem significabat. Illi in septem suis cornibus, septemque oculis, et in septem lampadibus ante thronum Dei ardentibus, et in tot mysteriorum signis septemplicibus, septem libri signati sigillis, septem angelorum tubis, septemque phialis, et ante omnia in septem stellis, septemque candelabris id est, septem Ecclesiis. Igitur « a septem spiritibus, » id est, ab uno sancto septiformi spiritu, subauditur, eadem gratia vobis et pax. Hi videlicet septem spiritus, in conspectu ejusdem throni Patris sunt, id est, in conspectu sanctorum angelorum, qui adeo thronus Dei sunt, et adeo in ipsis sedet Deus, ut quidam ex eis etiam proprie throni vocentur. Hoc nimirum exinde habent, quia spiritus isti in conspectu illorum sunt, id est, quia spiritus istos conspiciunt. Nam, nisi isto septiformi spiritu confirmati essent, nullatenus sedentis pondus Dei ferre prævalerent. Ipse enim spiritus amor est, quo solo idonea fit creatura rationalis, ut in ea majestas Dei sedeat, quam ferre non potest quisquis illam non amat. Nam e contrario de illis quorum in conspectu sive diligenti memoria non sunt spiritus isti, Psalmista dicit: « Sicut cera fluit a facie ignis, sic peccatores pereant a facie Dei » (*Psal.* LXVII), ut videlicet intelligas nullum posse subsistere a facie Dei nedum sedem esse Dei, qui non habet hunc spiritum amoris. Ab isto ergo spiritu septiformi; » gratia, inquit, et pax septem Ecclesiis; » cujus videlicet gratiæ et pacis hic fructus est, ut et ipsi cum sanctis spiritibus angelicis, thronus **354** Dei sint. « Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis primogenitus mortuorum et princeps regum terræ, » et a Jesu Christo, inquit, subauditur, gratia et pax, « utpote per quem facta est ipsa gratia, et qui est nostra pax (*Ephes.* II). » Nam gratia et pax per Jesum Christum facta est, « et ipse est, inquit Apostolus, pax nostra, qui fecit utraque unum (*Rom.* VIII). » Hæc namque persona, in acquirenda nobis hac pace et gratia, plus egit, et semetipsum impendit, nostram assu-

nendo naturam, et obediendo « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II), » eamdemque nostram in se resuscitando a mortuis, et consedere faciendo ad dexteram Patris, ubi nunc est, auctoritatem nobis firmam retinens hujus gratiæ et pacis.

Recte vero hanc personam nunc novissimo, id est, tertio loco posuit, quia et hic de ea plura dicturus est, et in sequentibus ipsa in diversis figuris conspicitur ipsa plus et pene totum loquitur. Nam et septem quidem spiritus, singuli per ordinem singulis Ecclesiis loquuntur, sicut loco suo diligentius considerabimus, diciturque per singulos sive de singulis, « qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis; » sed hoc ipsum quod spiritus loquitur, in hac persona loquitur, dicente hoc illi et illi Ecclesiæ, sive angelo Ecclesiæ scribe. Ergo et pro re [rebus] competentibus eadem persona laudibus exornatur atque commendatur, ut in omnibus quæ loquitur in hac quoque scriptura, sicut et in cæteris, fides illi sine dubitatione adhibeatur. « Qui est, inquit, testis fidelis. » Et continuo adjunxit, « primogenitus mortuorum. » Addit adhuc, « et princeps regum terræ. » Et locupletius adhuc: « Qui dilexit nos, inquit, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen. Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam amen. Ego sum, α et ω, principium et finis, et dicit Dominus Deus, qui erat, et qui est, et qui venturus est omnipotens. » Hoc modo et supra jam dictum est, ut fidem catholicam Christi Jesu dilectus apostolus ore gratioso confitetur, et ejusdem fidei gratiam simul Ecclesiis imprecatur, et cum utrumque pulcherrime faciat, miro modo unum, id est, solam gratiæ et pacis imprecationem facere videtur, singulæ dictiones summa cum dignitate procedunt, singulæ paucis in syllabis majestatem continent sensuum latissimorum. « Qui est, inquit, testis fidelis. » Vere testis, quod Græce dicitur μάρτυρ, quia et natus ob testificandam veritatem, et mortuus est pro testimonio veritatis, quemadmodum ipse Pilato dicit: « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati (*Joan.* XVIII). » Nam et Pater quidem testis, de quo ipse Jesus Christus: « Et testimonium, inquit, perhibet de me, qui misit me Pater (*Joan.* VIII). » Et Spiritus sanctus testis, de quo idem: « Cum, inquit, venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me (*Joan.* XIII). » Sed hæc sola est persona, quæ pro testimonio veritatis mortem sustinuit, unde et digne solus hic idem Filius dicitur testis. Et multi quidem testes veritatis mortem perpessi sunt, propter verbum testimonii sui, unde et Græco nomine μάρτυρες eos sancta Ecclesia nominare consuevit. Sed non parva distantia est ob quam et iste etiam cum additamento splendide dicitur testis fidelis. Nam, quod testis iste testificatus est, prius vidit et audivit quam in hunc mundum veniret; prius, inquam, vidit et audivit, et post in hoc natus est, et ad hoc « venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, » quemadmodum et coram præside jam dicto ipse dixit. Hinc et Baptista Joannes: « Qui de cœlo venit, super omnes est, et quod vidit et audivit, hoc testatur (*Joan.* III). » Omnes alii de terra venerunt, et prius nati sunt, quam aliquid scirent, et post acceperunt aliunde, ab alio indice, quod testificando dicerent, et hoc ipsum non perfecte, sed ex parte, uno ex ipsis Paulo apostolo dicente: « Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus (*I Cor.* XIII). » Solus ergo testis ille fidelis, id est, talis qui antequam huc veniret ad testificandum, rem viderit et audierit, tam certus, ut non ex parte, sed totum perfecte cognoverit et prophetaverit. Adde quod mortuus pro eodem testimonio veritatis, mortem ipsam vicit, et resurrexit a mortuis, quod ante eum testes alii non fecerunt. Nam hoc est quod mox dicitur: « Primogenitus mortuorum, » id est, primus ex mortuis resurgentium. Resurrectio namque nobis regeneratio erit, quia videlicet nunc nascendo generati ad corruptionem, tunc resurgendo regenerabimur ad incorruptionem. Unde Dominus, « in regeneratione, inquit, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ (*Matth.* XIX). » In regeneratione, inquit, pro eo ut diceret, in universali resurrectione. In illa regeneratione mortuorum, testis iste procul dubio primogenitus est, quia prior illis omnibus resurrexit, videlicet non jam moriturus. Nemo quippe ante illum ita resurrexit, ut ultra non moreretur (*Rom.* VI). Sed et testibus aliis, quorum primus fuit Abel justus, hoc dedit, hoc effecit ut resurgant et ultra non moriantur. Pulchra valde et splendida dictio, ut pro primo et resurgente diceretur primogenitus mortuorum. Hoc nimirum splendore delectati dicimus, quia in illa tali genitura, beatæ apostolorum animæ, quasi matres exstiterunt, quippe quæ morienti Domino Jesu Christo, donec resurgeret, materno affectu condoluerunt. Idcirco namque tali ad eos vel pro illis similitudine usus est: « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum (*Joan.* XVI). » Tandem iste, sic ad immortalitatem atque incorruptionem regeneratus, quid fecit? Ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei (*Act.* II). Hunc Deus, ait Petrus, suscitavit, ac principem et salvatorem exaltavit (*I Petr.* V). Addit itaque: « Et princeps regum terræ. » Quorum vel qualium regum terræ? Nunquid illorum vel talium, quales astiterunt adversus Dominum et adversus Christum ejus? Non utique talium hic est princeps, imo judex. Tales enim se dicunt reges terræ esse et non sunt, sed sunt servi terræ, cum sint servi peccati, subditi cupiditatibus terræ. Illorum est princeps iste, qui et si non vulgo dicantur reges,

sunt tamen reges terræ, quia terrenitatem suam norunt regere, liberi a peccato, servi autem justitiæ (*Rom.* VI). Ergo nonnisi regum iste princeps est. Omnes enim, qui ejus esse volunt, oportet tales esse. O vere pulchrum et gloriosum principis hujus principatum, qui omnes subditos sibi reges sive regnum, et regale facit sacerdotium. Nam hoc est quod postmodum dicitur: « Et fecit nos regnum et sacerdotes. » Multum iste principatus a tyrannide differt sæculi hujus. « Reges, inquit, gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur (*Luc.* XXII). » Hæc et cætera ministris suis dicens iste princeps regum, etiam lavit pedes eorum (*Joan.* XIII). Hoc jam facto quasi servili, confirmans quod dicebat: « Ego autem in medio vestrum sum **355** sicut qui ministrat (*Luc.* XXII). » Nam quo ulterius administrandum regibus gentium sese deponeret sedulus minister? Sic tamen ministrans adhuc erit Dominus et magister. Magisterio namque illi indigebant. At vero illic, quo post resurrectionem suam ascendit, sicut ipse servitio, sic illi non indigebant magisterio. Ergo multo magis illic non erit ipse rex militantium, aut Dominus servientium, sed, sicut scriptum est: « Rex regum et Dominus dominantium. » Sequitur: « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Quod maximum erat in opere, testis fidelis paululum distulerat, ita dicendo, « qui est testis fidelis, » statimque subjungendo, primogenitus mortuorum; » quia nimirum anticipando resurrectionis gloriam transilierat salutiferum passionis ejus sacramentum; sed nunc pulchrius atque splendidius, sermone gratifico repetit dicendo, « qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Commoremur aliquantisper in isto gratiarum actionis favo dulcissimo, sugamusque eloquium dulce faucibus nostris, super mel et favum ori nostro (*Psal.* XVIII). « Qui dilexit nos, inquit, utique ante tempora sæcularia, et iste Filius in Patre, et Pater in isto Filio dilexit nos. Hinc etenim ad Ephesios Paulus apostolus ait: « Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate; qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo (*Ephes.* I). » Hujus dilectionis actum Ecclesia suspirans, prima voce in Cantica canticorum dicit: « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I). » Factum est quod optavit. Venit diligens atque dilectus, et totus desiderabilis, atque omnibus omnium gratiarum delibutus unguentis, in secreto virginalis uteri cubiculo, diu desideratum osculum dilectæ porrexit, quippe ubi natura Dei naturæ hominis verus Deus veræ carni et veræ rationali animæ sese conjunxit. Inde « tanquam sponsus suo procedens de thalamo (*Psal.* XVIII), » totum diligentissimus ad conscribendam in testamento sponsæ suæ, et universo generi ejus dotem cœlestem

A animum intendit. Generi, inquam; ejus, id est universis animabus quæ cum illa carne sua per unicam fidem unum sunt genus, una Ecclesia, unum corpus. Ventum est ad judicium, de quo et dicebat: « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII). » Ostendit in æquitate judicii liberam se habere a culpa prævaricationis Adæ naturam hominis. « Venit enim, inquit, princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. » Ostendit, inquam, etiam in hoc obediens quod Hierosolymam, ubi quærebatur occidendus advenit. Mandaverat enim Deus in lege sic: « Tribus vicibus per singulos annos festa mihi celebrabitis. Solemnitatem azymorum custodies, et solemnitatem messis primitivorum, solemnitatem quoque in exitu anni,
B quando congregaveris universas fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo (*Exod.* XXXIV; *Deut.* XVI). » Cum itaque, secundum legis mandatum venisset Hierosolymam, irruit in eum temerarius jam dictus princeps mundi hujus, et in eum qui mortis causam, id est peccatum, non habebat, pœnam mortis exegit, oblitus præ fatuitate juris illius tenorem, quo sibi arrogabat propter peccatum unius hominis, omnes homines possidere. Si enim, propter unius delictum, peccatores constituti sunt multi, cur non propter unius justitiam justi constituentur multi? Diligens itaque nos, mortuus est propter nos, et « lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Quomodo? « Unus ex militibus lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX). » Illo
C sanguine nos redemit, illa aqua nos a peccatis nostris lavit. Nos, inquit, semetipsum eis qui peccaverunt connumerans dilectus apostolus Jesu Christi. Ne putes eum facere distinctionem ullam Judæi et Græci (*Rom.* X). Sed et alius quidam ex illis hominibus Israelitici generis ait: « Eramus enim et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II). » itemque alius notæ sanctitatis ex illo genere: « Sicut pannus, inquit, menstruatæ, omnes justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). » — « Lavit ergo nos, » id est, omnem Ecclesiam, « a peccatis nostris. » Eo usque dilexit nos. Non quales eramus, dilexit nos, sed diligendo ut alii essemus, illo sanguine, et illa aqua lavando regeneravit nos. Ita concorporalem carnis suæ quam assumpserat, « diligendo effecit Ecclesiam, ita
D tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata (*Ephes.* V). » Non solum lavit eos qui jam erant credentes vel fuerant, sed omnes qui futuri erant. Non quidem actu jam tunc, sed potestate lavit eos qui futuri erant. Neque enim jam lavari poterant, qui nondum nati erant, vel qui nondum crediderant. Potestatem dedit eis lavari, potestatem dedit eis filios Dei fieri per lavacrum regenerationis. Dixit enim discipulis suis, postquam resurrexit a mortuis: « Euntes, docete

omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII. » Illa via, illa baptizandi regula, aqua illa quæ de templo illo a latere dextro, de templo corporis ejus lanceato exierat, et primitivam, quæ a sæculo collecta fuerat, laverat Ecclesiam, in mare gentium descenderunt, juxta illud Ezechielis vaticinium: « Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plena deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ, et omnis anima vivens quæ serpit, quocunque venerit torrens, vivet (*Ezech.* LXVII). « Hic tantus fructus est dilectionis illius qua nos dilexit, et in utero Virginali naturam nostram Verbum Deus sibi copulavit. Illa dilectionis copula tali exitu omnes filios Dei, qui dispersi erant, in unum congregavit. « Et fecit nos, inquit, regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. » O mira bonitatis dignatio, major et corde et ore nostro, non ad servitutem nos emit tam charo pretio, tam pretioso sanguine suo, sed ut faceret nos, regnum et sacerdotes, Deo et Patri suo, regnum utique Patri suo, sacerdotes Deo suo. Rex et sacerdos solus erat, reges et sacerdotes facere de servis peccati, de filiis mortis proposuerat, et idcirco sanguinem fundebat. Quantorum hic testis fidelis meritorum, quantarum caput est coronarum? « Sumes, ait Dominus in propheta, argentum et aurum, et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedec sacerdotis magni (*Zach.* VI). » Super hoc vir illustris Hieronymus, ait: «Imponuntur aut emcoronæ Jesu filio Josedec sacerdoti magno, quia per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imo nobis per virtutem pœnitentiæ coronatis, Salvator in singulis coronam accipit. Vere ergo « Domine Dominus noster admirabile est nomen tuum, quia gloria et honore admirabili coronasti (*Psal.* VIII) » hunc principem regem, tot coronis quot vel quantis ex regibus constat hoc regnum, in quo omnes, qui sanguine ejus sacrati sunt, splendidi reges sunt. » Et sacerdotes, inquit, nos fecit, ejus videlicet sacrificii quo spiritualem Pharaonem, scilicet diabolum, vicit, regnumque peccati destruxit. Nam sicut filii Aaron idcirco typici **356** illius sacrificii sacerdotes fuerunt, quia pater eorum cum Moyse minister fuit, liberationis illius, quæ per illud commemorabatur paschale agni anniculi convivium, ita filii sacerdotis cujus, quos spiritualiter genuit per lavacrum regenerationis, jure sacerdotes sunt sacrificii illius, quo commemoratur non temporalis, ut illa, sed æterna salus omnium. Recte ergo non est distinctio, qua ex gente, vel tribu sit quis, dummodo scientia et moribus sit idoneus, quia videlicet omnes cœlestis sacerdotis, qui neminem secundum carnem genuit, secundum spiritum filii sumus. Et si non omnes hic ordine illo sacerdotii fungimur, ut corpus et sanguinem ejusdem Domini nostri ore sacro conficiamus, attamen in eo sacerdotes nos omnes esse oportet, ut nosmetipsos Deo offeramus, quemadmodum dicit Apostolus: « Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII). » Aliter enim non conceditur nobis introire in illa cœlestia Sancta sanctorum, in ipsum cœlum, ubi species istæ nostri sacrificii, species panis et vini non erunt.

Sacrificium autem quod semper offerat, nulli deerit in æternum, scilicet hostia gratiarum, et vox laudis, vox exsultationis et confessionis. Ejusmodi est idipsum quod hic continuo subjungit: « Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.» Hoc nimirum ratio justitiæ postulat, ut, accepto beneficio, creatura laudem et gratiarum actionem Creatori retribuat. Exempli grtia: Sic Moyses et filii Israel ab Ægyptia servitute liberati per sanguinem agni, merso Pharaone et exercitu ejus in mari Rubro, canticum gloriæ Domino decantaverunt (*Exod.* XV). Ingratitudinis quippe initium est, beneficium non agnoscere. et a referendis gratiis os multum et linguam continere. Hoc ergo laudis et gratiarum actionis breve canticum, eo dicente, » ipsi gloria et imperium, in sæcula sæculorum, » dicamus omnes, « amen : » — « et omnis, ut ait Apostolus, lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II). » Hactenus hic fidei nostræ præcentor de clarissimis præcentoribus unus, quæ ad confessionis perfectionem necessaria sunt, ipse confessus est, et confitendi nobis exemplum dedit. Et si verbis aliis, eodem tamen sensu, quo in symbolo communi omnes confitentur apostoli, quod ipsi tradiderunt nobis, unum superest, quod et maximum est, quia inde videlicet, ubi nunc sedet, « princeps regum terræ, ubi est illi gloria, et imperium in sæcula sæculorum.» Inde, inquam, de illa gloria sua, de illa dextera Patris, cum imperio et majestate sua magna venturus est judicare vivos et mortuos. Sequitur ergo: « Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. » Ecce, inquit, videlicet quia prope est. Inde et alius Apostolus, « Dominus, inquit, prope est, nihil solliciti sitis (*Philip.* IV). » Familiare est more prophetarum et omnium sanctorum vigilum, qui adventum illum vigilanter præviderunt, dicere: « Ecce veniet, ecce apparebit, velociter, veniet, cito apparebit vobis (*Isa.* LXVI; *Ezech.* VII; *Joel.* I). » At vero servus malus putat in tempora longa fieri istud, dicensque in corde suo: « Moram facit Dominus meus venire, incipit percutere conservos suos, ac manducare, ac bibere cum ebriis (*Luc.* XII). » Sed quid? Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, « ibi erit fletus et stridor dentium (*Luc.* XIII). » Eis igitur, qui dormiunt, et præ ebrietate sensum non habent coangustatum, tempora longa videntur. Nam his, qui vigilant, quorum prudentes animas fides enutrivit, spes provexit, charitas dilatavit, et magnas fecit, breve existimatur omne tempus præsentis sæculi, pro consideratione æternitatis et sæculi venturi. «Itaque ecce venit, cito venit, cito apparebit. » Quomodo? qualibus vehiculis? quali sedens tribunali? « Cum nubibus, » inquit. Hoc ipsum et

ipse prædixit : « Ex tunc, inquiens, videbunt Filium hominis venientem in nube, » sive in nubibus cœli, ut in alio Evangelio scriptum est, « cum potestate magna et majestate (*Luc.* XXI ; *Matth.* XXIV). » Sed et angeli, ascendente illo, dixerunt : « Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I). » Susceperat autem eum nubes ab oculis eorum. Igitur sic veniet, id est, quem nubes suscepit, veniet iterum cum nube, sive cum nubibus cœli. De quibus et Apostolus : « Simul, inquit, rapiemur in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus (*I Thess.* IV). »

Hic jam quæritur, quare sic veniet, quamobrem cum nubibus veniet? Nunquid ut nubibus occultetur sive abscondatur ? Non utique. Tunc enim manifestus veniet, quia dudum venit occultus, et sicut hic scriptum est, videbit eum omnis oculus. Quare ergo venit cum nubibus ? Aliam scripturam interrogemus. Propheta Isaias cum præmisisset de impio sub interrogatione dicens : « Et non videbit gloriam Domini, » continuo per quamdam concessionem conjunxit : « Domine, exaltetur manus tua, et non videant. » Et protinus adjecit : « Videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret (*Isa.* XXVI). » Ac si inutiliter concessisset, « exaltetur manus tua, et non videant, » correxit, dicens : « videant et confundantur ; » ergo quodammodo non videbunt, et quodam alio modo impii quoque venientem videbunt. Ut non impii videant gloriam Domini, veniet cum nubibus, ut confundantur videntes, impii, videbit eum omnis oculus. Nubes quippe cum quibus veniet, gloriam ejus, ne impii videant, abscondent; sed potentiam majestatis ejus, quin omnis oculus videat, non abscondent. Quales enim illæ tunc erunt nubes? Non utique quales nunc sæpe videmus, pluviis rorantes terramque refrigerantes, sed nubes tempestuosæ, ignem spirantes, fulmina jacientes. Nam « ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX). » Nubium ejusmodi, nubium ardentium vehementiam Paulus exprimere laborans, Thessalonicensibus scribens ait: « Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem his qui nos tribulant, et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelationem Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus. In flamma ignis, dantis vindictam his qui non noverunt Deum (*II Thess.* IV.) » etc. Hoc omnis videbit oculus, videbunt impii, ut confundantur, sed gloriam Domini non videbunt, quam ut non videant, exaltabitur manus ejus. Claritatem corporis ejus, sive corpus claritatis ejus, cui nostræ, ut Apostolus ait, humilitatis corpus reformatum configurabit (*Philip.* III), illæ nubes obductæ impiis abscondent, sed ipsum Filium hominis non abscondent. Ipsum videbit omnis oculus et videntes impii confundentur, gloriam autem ejus videbunt pii, qui, ut semper cum Domino sint, ut apostolus ait, obviam Domino in nubibus rapientur (*I Thess.* IV). Igneas nubes, nubilos ignes, raptim sursum incolumes transibunt, et sic semper cum

A Domino erunt, Deorsum impii stupebunt et videbunt, ut videntes confundantur, hi maxime, qui eum pupugerunt, hi scilicet qui manus ejus et pedes foderunt clavis, et latus ejus lancea perforaverunt. Illi nimirum videntes confundentur, et confusionis eorum participes erunt, quicunque non **357** obediunt Evangelio ejus. « Et plangent se super eum omnes tribus terræ. » Hoc cum antiquioris prophetæ testimonio dixit hic Apostolus et Evangelista, qui de pectore Domini hausit sapientiam. Hebræus ex Hebræis, quem Salvator amabat plurimum. Nam in Zacharia sic persona hujus principis regum loquitur : « Et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, sicut doleri solet B in morte primogeniti (*Zach.* XII). » Hujus testimonii prophetici solam partem hanc, et aspicient ad me quem confixerunt, hic idem Joannes in Evangelio suo recitavit, præmisso, « quia non fregerunt crura ejus, sed unus militum, lancea latus Domini aperuit, » ita subjungendo : « Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo (*Joan.* XIX ; *Exod.* XII). » Et iterum alia Scriptura dicit: « Videbunt in quem transfixerunt (*Zach.* XII). » Hic autem quod illic omisit, scilicet hanc sequentem partem, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, hoc modo addidit : « Et plangent se super eum omnes tribus terræ. » Quod hic ait, « omnes tribus terræ, » nihilominus apud eumdem prophetam habes, ubi protinus ita scriptum est : « Et planget terra, familiæ et familiæ seorsum. C Familiæ domus David seorsum, et mulieres sive uxores eorum seorsum. Familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum. Familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum. Familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum (*ibid.*). » Pro familiis LXX interpretes tribus posuerunt, quos iste in cæteris secutus est, utpote Græco sermone conscribens, quo videlicet sermone, ab iisdem LXX interpretibus Scripturæ translatæ fuerunt. Igitur et quod nunc ait « omnes tribus terræ, » cum testimonio loquitur ejusdem prophetæ : Tunc etenim et tribus domus David, et tribus domus Nathan, et tribus domus Levi, et tribus domus Semei a suis D uxoribus separabuntur, id est, cunctis voluptatibus suis fraudabuntur, ut plangant unigenitum et primogenitum Dominum Jesum Christum, de quo dixerant, « sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » In David regia tribus accipitur, hoc est Juda ; in Nathan prophetalis ordo describitur ; Levi refertur ad sacerdotes, ex quo ortum est sacerdotium ; in Semei doctores accipiuntur, ex hac enim tribu magistrorum agmina pullularunt. Reliquas tribus tacuit, quæ non habent aliquod privilegium dignitatis. In eo autem quod ait, omnis tribus reliqua, tribus et tribus seorsum, et uxores eorum seorsum, universas absque nomine comprehendit.

Sane planctus hujusmodi tunc typus [typicus] exstitit, quando Josias rex justus a Pharaone cognomento Nechao vulneratus est, super quo lamentationes scripsit Jeremias, quæ leguntur in Ecclesia, et scripsisse eum Paralipomenon liber testatur (*II Paral.* xxxv). Nam quod illic, scilicet, in lamentationibus scriptum est : « Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus (*Trem.* iv), » longe personam Josiæ superexcellit ; nisi quod jam dictum est, ille vulneratus crucifigendi Salvatoris typus fuit. Nam sicut eo tempore post reges peccatores spes omnis populi erat in Josia, et occiso illo magnus planctus in urbe commotus est, ita propter crucifixum Salvatorem, tunc renovabitur planctus universis tribubus terræ, id est amatoribus terræ, qui illum occiderunt, loquentes et dolos cogitantes, ut ait Psalmista, in iracundia terræ (*Psal.* xxxiv), id est, irati propter terram quam simulabant sibi propter eum tollendam esse. Si, inquiunt, dimittimus eum sic, « omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem (*Joan.* xi). » Et notandum, imo mirabile quod ita dixit, « et plangent eum quasi super unigenitum, » et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. De hoc in quodam opere ita me dixisse memini : O Judæi, Christus Dei Filius vobis non complacuit, quia talis erat, quia taliter venit, quia sic et sic operatus est, quia sic et sic locutus est, nullo modo vobis complacuit, animo vestro non convenit, alium vultis, alium exspectatis. At ille, scilicet Deus Pater, qui istum misit Filium, alterum non habet. Iste Filius primogenitus atque unigenitus est illi. Alterum, inquam, non habet. Primus illi et novissimus est iste, alium non mittet. Quid ergo facietis desolati ? Nimirum, ut ait nunc ille, aspicietis ad eum quem confixistis, ut ait, inquam, nunc spiritus ejus, gravi veritate, vera gravitate, plangetis super eum quasi super unigenitum et dolebitis super eum sicut doleri solet in morte primogeniti, quia vobis mortuus est hic primogenitus, quia vobis vos occidistis unigenitum, post hac Salvatorem neque hunc habituri, neque alium, quia hic solus est, hic primogenitus, hic unigenitus est. Hæc omnia vehementi affirmatione roborare intendens, quia sine dubio ventura sunt, dicit : etiam amen, quod idem est ac si diceret quod in Evangelio suo scribere solet, Domino dicente : Amen, amen. Cum enim apud cæteros evangelistas semel tantum in singulis locis scriptum sit amen, exempli gratia, ut illic secundum Lucam : « Amen, dico vobis, cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Luc.* xxi), » apud istum Evangelistam semper duplicatur hoc ipsum amen, videlicet, quia evangelistæ huic os divinius est, et majora loquitur apud eum Dominus Jesus, et idcirco, ut rerum pondera sentiantur, dictionis quoque modus vel pondus geminatur, pro vehementia confirmationis. « Amen, amen, dico tibi ; amen, amen dico vobis. » Quid au-

A tem majus aut terribilius potest dici quam nunc in præsenti loco dixit. Recte igitur in præsenti loco affirmationem duplicavit, dicendo, etiam amen, ut ad credendum evigilet omnis qui audit. Sequitur :

« Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat et qui venturus est omnipotens. » Totum quod hactenus dixit de persona Filii, parum erat, nec sufficiens ad salutem credenti vel confitenti. Quid enim illic offenderet Cherintum, Hebionem sive Arium aut alium quemlibet divinitatis Christi inimicum hæreticum ; testem fidelem, primogenitum mortuorum, id est, primum resurrexisse a mortuis Dominum Jesum, et principem esse regum terræ, eumque nos dile-

B xisse et lavisse nos a peccatis nostris in sanguine suo, et venturum esse cum nubibus, scilicet ad judicandum vivos et mortuos ? Hæreticus quoque quilibet ejusmodi concederet, et confiteretur, sed eumdem esse Deum, Deo Patri coæqualem, sive initio cum Patre, vel in Patre manentem, non confiteretur. Recte igitur illa dixisse non contentus, addit istud quod summum est, in quo fides Christiana consistat, velut supremo gradu de Christi divinitate sublimiter æque ut de patre sentiens, sicut dignum est, et dicens in persona ejus, ut videlicet majori tonitru, quæ contradicunt illi ranæ loquaces, conterantur. « Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens. » Hæc enim dicens, sive dicentem illum inferens, Patri coæquat,

C de quo idem supra dixerat, « qui est, et qui erat, et **358** qui venturus est. » Quid dixerit, quid intelligi velit per α et ω, confestim exponit dicendo : « principium et finis. » Duæ namque litteræ Græcorum, quibus et cujus linguæ Ecclesiis hunc librum scripsit ; duæ, inquam, litteræ illius linguæ summa et ultima istæ sunt α et ω. Ut ergo dubium non sit, quale, vel cujus rei Principium sit vel finis, per α commoniti, quæ littera, ut jam dictum est, Græci alphabeti prima est, ad sacræ Scripturæ exordium respiciamus, ubi scriptum est : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* i), » et per ω quæ ultima est, item commoniti, ad finem ejusdem Scripturæ in evangelico volumine respiciamus, ubi scriptum est : « Et ecce ego vobiscum

D sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii), » ut veraciter credamus, et confiteamur hunc esse et principium, in quo omnia facta sunt, et finem sive consummationem, qua omnia restaurata et perfecta sunt.

Præterea et illud sciendum, quia α unum ω autem apud Græcos octingentos significant. Omnes enim litteræ apud Græcos verba componunt et numeros faciunt, et sicut quæque sunt ordine posteriores, ita suis characteribus numeros titulant ampliores. Prima, ut jam dictum est, littera α unum, ω significat octingentos. Et in hoc nimirum pulchritudo mysterii magna et delectabilis est, quia videlicet qui in

principio unus erat Filius unicus, sive unigenitus, in fine sæculorum filios Dei secum, non quidem genitos, sed adoptatos habebit, quasi octingentos, id est, innumerabiles, octo beatitudinibus per diversas mansiones dispertiendo remuneratos, remunerando dispertitos. Ubi præter hunc locum hoc dicit Dominus Deus : Non solum in Evangelio suo ubi dicit Judæis : « Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* VIII) ; » verum et in Isaia ipsa loquitur persona Salvatoris. « Ante me non est formatus Deus, et post me non erit : Ego sum Dominus, et non est absque me salvator (*Isa.* XLIII). » Amplius autem, quando, ut præmissum est, « veniet cum nubibus, quando videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, « qui mala dixerunt : « Quando morietur, et peribit nomen ejus (*Psal.* XL), » qui pungentes sive transfigentes, hoc efficere voluerunt, ut omnino non esset, ut omnino auferretur de terra memoria illius (*Matth.* XIII ; *Luc*, IV) ; tunc opportune dicit hic Dominus Deus : « Tunc, inquam, vociferabitur et clamabit ; et super illos inimicos suos confortabitur (*Isa.* XLII), » et istud dicet eis : « Ego sum α et ω, principium et finis. » Ac si dicat : Non sicut vos mihi improperastis, ego sum filius fabri, aut ex illo fabro Joseph esse cœpi, non sicut vos voluistis, ut perirem, ego perii, aut esse desii, sed sum et ante Joseph, et ante omnes, et post me nullus erit. Nam et in propheta dicebam vobis, quia « ante me non est formatus Deus, et post me non erit (*ibid.*). Quod sequitur dicens : « Qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens, » dictionem confirmat eamdem dicentis : Ego sum α et ω, ego sum principium et finis. Credentium quippe vox est Joannis, et omnium nostrum credentium atque confitentium, quod veritatem de seipso testetur hic Dominus Deus, quod non sit recens Deus aut Dominus, sed sit ille, a quo vel cum quo venientes et missi prophetæ dicebant olim : « Hæc dicit Dominus Deus. » Ille idem omnipotens qui erat ante Abraham, quippe loquebatur ad eum, dicens : « Ego sum Dominus omnipotens, ambula coram me et esto perfectus (*Gen.* XVII), » quodque ipse venturus, et in gloriosa essentia sua sit permansurus, cum ad nihilum redacti fuerint inimici ejus (*Psal.* CVII), qui pungentes eum, dicebant : « Quando morietur, sive : « Ecce morietur, et peribit nomen ejus (*Psal.* XL). »

Præmisso jam hoc tam splendido tantæ tamque catholicæ et apostolicæ confessionis apparatu, tandem narrationem suam ingreditur sanctæ fidei doctor, et confessor reverendus, ac cœlestis reverentiæ orator magnus ; in medio septem Ecclesiarum, sive in medio unius universalis Ecclesiæ, ore aperto digne audiendus : « Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione et regno, et patientia Jesu : fui in insula quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu Christi, fui in spiritu in Dominica die et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis : Quod vides scribe

A in libro, et mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pergamo, et Thiatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiciæ. » Ecce jam tertio nominis sui titulum operi huic diligens ac sollicitus auctor præfixit. Primo, cum dixit : Significavit mittens per angelum suum servo suo Joanni. Secundo, cum dixit : « Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. » Et nunc tertio, « Ego, inquiens; Joannes frater vester. » Quam ob causam iste dicturus sive narraturus hoc modo sui nominis positionem triplicat ? Nunquid casu, aut nomen suum dilatare studens, inculcat et replicat ? Non utique, sed utilitati nostræ intendens, revelationes difficillimas, quas conscribere ingreditur, præmunit ac defendit, ne contemnantur ; ne quod futurum erat, ob sui
B difficultatem, liber vituperetur, et sensibus dignis carere judicetur; aut ejus, cujus est, scilicet Joannis apostoli et evangelistæ dilecti Jesu Christi, esse denegetur. Hoc etenim longe accidit post illud tempus. Nonnulli etiam Judaico intellectu de futuris promissionibus sentientes, easque corporaliter exhibendas docentes, et mille annis in deliciis corporalibus in hac terra sanctos cum Christo esse regnaturos ; hujus sui dogmatis probamenta, sumptis ex hac revelatione testimoniis, conabuntur asserere. E contra et alii librum hunc, ut Ecclesiastica testatur historia, penitus refutandum a canone Scripturarum atque abjiciendum putarunt, singula quæque ejus capitula arguentes, et dixerunt, prætitulationem libri non esse veram, sed alienæ scripturæ Joannis tantum nomen impositum, unde neque
C Joannis hunc esse librum, nec revelationem videri posse, quæ crasso quodam velamine ignorantiæ contegatur. Inter hos Dionysius episcopus Ecclesiæ Corinthiorum, vir magnæ in verbo Dei eruditionis et gratiæ : « Ego, inquit, scripturam libri hujus spernere atque abjicere nullatenus audeo : » hoc magis de eo judico quod excedant atque emineant quæ in eo scripta sunt, humanæ auditionis modum, et sit in eo arcanus quidam et reconditus atque admirandus omnibus sensus, quem et ego admiror ac veneror, etiam si non intelligo, et ita sentio, quod divina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam judicio meo discernens quam fide credens. Et ideo non reprobo quæ non intelligo, sed tanto magis admiror, quanto minus assequor.
D Post hæc vero totius libelli disserens corpus, et singula quæque discutiens atque evidenter ostendens, nullo modo fieri posse, ut secundum litteram dignus in eo intellectus appareat. Addit etiam hæc dicens : « Consummata igitur omni prophetia, beatos dicit eos qui hæc custodiunt. Sed et semetipsum beatum dicit. » Ait enim : « Beatus qui servat verbum prophetiæ libri hujus. » His et hujuscemodi objectis et responsis, liber iste revelationem cœlestium, disjectus atque contrectatus fuit ; et nisi Spiritus sanctus, qui hæc omnia revelavit, rationabilis reverentiæ **359** viros præparasset ad defendendum, tantas tamque pretiosas margaritas porci

conculcassent, hæretici contaminassent. Quid futurum erat, si non stetisset in egressu orationis tanta tantique nominis auctoritas? Recte igitur, quia secundum legem, in ore duorum aut trium testium stat omne verbum (*Deut.* XVII), tertio repetitum sui titulum posuit Joannes, « qui testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcunque vidit (*Joan* VIII). »

Et nota, quanta hæc ipsa nominis auctoritas sanctæ humilitatis gratia resplendeat : « Frater, inquit, vester et particeps in tribulatione, et regno et patientia Jesu. » Poterat enim dicere : Ego Joannes doctor et apostolus, vester prædicator et evangelista vester, discipulus ille, quem diligebat Jesus, cujus participes, cujus vos meruistis esse fratres. Et recte quidem dixisset; sed hic locutionis modus non adeo parvuli esset, parvuli talis, qualem unumquemque apostolorum fieri vel esse voluit bonus Magister, cum diceret : » Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic magnus vocabitur in regno cœlorum (*Matth.* XVIII). » Quænam est moderatio sive modestia parvuli? « Quanto tempore, inquit Apostolus, hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium (*Galat.* IV). » Et nos quidem omnes nostro judicio servi sumus ; hic autem Joannes dilectus Domini Jesu de filiis est, quibus bona sermonis Dei hæreditas testamento legata est. At ipse ab illo bono magistro didicerat se hic humiliare per virtutem, quomodo inter servulos, sive inter servulorum filios humiliat se parvulus, qui parvulus est per ætatem, sedens in pulvere cum illis, non « amans primos recubitus in cœnis, non salutationes in foro, non primas cathedras in synanogis (*Matth.* XXIII). » Recte igitur, et ut talis Magistri discipulum decet, nostro videlicet humilium servulorum consortio contentus est, dicens : « Ego Joannes frater vester, ego Joannes particeps vester. » Quod si causa poposcisset, nimirum non dubitamus eum dicere potuisse quod majus, imo quod humilius est : « Ego Joannes, servus vester. » Nam et hoc dicere non dubitavit alius, videlicet vas electionis Paulus ejusdem Jesu Christi Apostolus : Non, inquit, prædicamus nosmetipsos, sed Dominum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Jesum (*I Cor.* IV).

« Vester, inquit, particeps in tribulatione, » Magnas cordis mansueti et humilis congratulatio. Exsortem tribulationis, sive tribulationum justorum, quoniam multæ sunt, aliquis illum existimaret, pro eo quod de illo in Evangelio sic scriptum est : « Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus sequentem, et dicit de eo : Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere (*Joan.* XXI). » Ac si diceret : Non eum per passionem martyrii volo consummari, sed absque violentia persecutionis diem exspectare novissimum, quando ipse veniens, eum in æternæ beatitudinis mansione recipiam. Et quid

A hoc ad te? Tu tantum crucis patibulum subeundo, mea vestigia te sequi debere memento. Pro hoc, ut jam dictum est, exsortem illum putaret aliquis sanctorum martyrum tribulatione. At ille calicem Domini bibit, calicem tribulationis, juxta veritatem ejusdem Domini dicentis duobus filiis Zebedæi, quorum hic unus fuit : « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Quibus respondentibus, Possumus, Calicem, inquit, meum bibetis (*Matth.* XX). » etc. Ubinam bibit iste illum calicem Domini? Nimirum illic, ubi juxta propheticum dictum Simeonis justi, beatæ genitricis ejus animam gladius pertransivit (*Luc.* II). Nam cum omnes discipuli, relicto eo, fugissent, iste dilectus discipulus, cum Maria matre ejus, juxta crucem stetit, et clavos manuum ac pe-

B dum ejus, lanceam quoque perforantem latus ejus ipse inspexit (*Joan.* XIX). Illic enim gladius idem, qui Mariæ matris animam pertransivit, nunquid dilecti ac diligentis discipuli animam non tetigit? Tetigit plane, et illic calicem Domini bibens, sicut Mariæ, sic et omnium martyrum Christi particeps factus est in tribulatione. Particeps autem quicunque est in tribulatione, ipse quoque in regno particeps jure est : Illud quos sequitur, et hoc apud cœlestem regem jus legale est, ait enim : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo (*Luc.* XXII).» Quod si omnibus communiter dixit, quamvis tunc in illo articulo fugituri es-

C sent, et Petrus quoque negaturus esset, quanto magis huic dictum convenit, qui et tunc juxta crucem stetit, et deinceps semper præsto fuit. Cum autem dixisset in tribulatione et regno, addidit et patientia Jesu. Nam et postquam particeps fuit in illa tribulatione morientis, et regno resurgentis, Jesu patientiam habuit, imitando passum opprobria, irrisiones, colaphos, et verbera ; uti verbi gratia, quando et ipse cum aliis flagellatus est, sicut in Actis apostolorum legitur, et a Domitiano in ferventis olei dolium missus, ad ultimum, ab hominibus separatus est (*Act.* V). In eo quoque particeps sanctorum fuit in patientia Jesu, quia sicut Christus Jesus patienter sustinuit, et orabat, dicens : « Pater ignosce illis (*Luc* XXIII), » ita et iste diligebat illos, qui ei mala inserebant, et pro eis orabat. Ego ille talis fui in insula, inquit, pro-

D pter verbum Dei et testimonium Jesu Christi. Historia nota est, scilicet, hunc beatum Joannem in Pathmos insula relegatum, propter verbum Dei, cui testimonium perhibebat, vel quod prædicabat ante omnia sæcula de corde patris natum, et propter testimonium Jesu Christi, quo testificabatur eum esse verbum incarnatum. Interpretatur autem Pathmos *fretum*, fervet enim illic mare amplius, eo quod sit angustum. Illic exsulanti, cui negabatur terra, cœlum apertum est. Exemplum ergo est omnibus sanctis, quod quanto magis in freto præsentis sæculi affliguntur, tanto amplius illis secreta cœlestia manifestantur.

Designata jam persona sua, loco quoque exsilii simul et causa, tempus quoque curavit indicare; fui, inquiens, in spiritu Dominica die. Solet enim qualitas rerum ostendi, pro qualitate temporum. Hinc est quod Abraham in fervore fidei suæ, angelos meridie vidit. Et Lot in perditione Sodomorum vesperi (*Gen.* XVIII, XIX); Adam post meridiem (*Gen.* III); Salomon quoque sapientiam non servaturus, in nocte percepit (*II Reg.* III). Ita ergo in hoc loco per diem Dominicam aperte fides intelligitur, quæ tam manifesta erat in toto mundo, quando ista videbat. Quomodo autem, vel quo in spiritu arbitramur eum fuisse? Si enim in suo tantum fuit spiritu, indignitas visionis consequitur, multumque videnti derogatur; ut neque ipse propheta, neque verba ejus prophetia, neque visiones ejus revelationes recte dicantur; quippe quas non intelligebat, si eas tantum in suo spiritu videbat. Exempli gratia, Pharao qui videns septem spicas et septem boves, non utique corpore, sed spiritu, dormiebat enim clausis corporis luminibus quia videns inquam, non intelligebat, propheta non erat (*Gen.* XLI). Joseph autem quia non in suo, **360** sed in Dei spiritu vidit, id est intellexit propheta fuit, Pharaonis namque tantum spiritus informatus est, ut videret: Joseph autem mens, Dei spiritu illuminata est, ut intelligeret. Hos visionum modos Apostolus breviter distinguit, cum præmisso: « Si orem lingua, et spiritus meus non orat, mens mea sine fructu est, » continuo subjunxit: « Quid ergo? Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente (*II Cor.* XIV). » Quod ait ille de oratione, sive psallendo, hoc idem de visione sentiendum est. Conspectis quippe per visum imaginibus non, nisi intellectus accesserit, qui mentis est proprius, revelatio fit, vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina. Sed nunquid apud hunc Joannem in visione talis erat cæcitas, ut signa quidem rerum formarentur in spiritu, et in mente ejus earumdem rerum non refulgeret intellectus? Absit hoc ab illo « discipulo quem diligebat Jesus; » Alioqui, quomodo hic liber Apocalypsis, id est *revelatio* diceretur? Unde prophetia vocari mereretur, ipso dicente: Beatus qui legit et audit verba prophetiæ, libri hujus? Igitur cum dicit, « fui in spiritu sancto » subintelligamus Spiritu, quemadmodum est illic: « Ductus est Jesus in desertum a spiritu (*Matth.* XIV); » sanctum utique Spiritum recte subintelligimus. Nec dubitamus dicere id quod ait, « fui in spiritu, » idem esse ac si dixisset, fui usque ad tertium cœlum raptus. Non enim, quia solus apostolus Paulus hoc de semetipso scripsit, idcirco putandum est, quod nullus sanctorum præter eum illuc raptus fuerit. Quemadmodum et illud quod alibi dicit: « Evangelium quod evangelizatum est a me, non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud aut didici, sed per revelationem Jesu Christi (*Galat.* I), » non ita sentiendum est quod præter eum nullus sanctorum per revelationem Dei veritatem Christi didicerit, vel quod omnes præter eum ab homine acceperint. Nullatenus existimandum est quod hæc vel dicendo huic beato Joanni, vel cæteris sese præferat apostolis, imo et prophetis; qui utique omnes, non ab homine vel per hominem, sed per revelationem Dei, sive Jesu Christi didicerunt quod erat omnibus illis rapi usque ad tertium cœlum, id est, cœlestia per intellectualem videre oculum. Tres namque cœli, tres modi visionum sunt. Est enim visio corporalis, qua corpora sive corporalia, cum vi mentis luminibus corporis conspicimus. Est spiritualis visio, qua imagines aliquas dormiendo, aut etiam cogitando videmus quidem, sed nondum intelligimus, quomodo vidit Pharao septem spicas, septemque boves, ut supra jam diximus (*Gen.* XLI). Est et intellectualis, qua mens a Spiritu sancto illuminatur, ut intelligat, quomodo intellexit Joseph, quid per easdem imagines significaretur. An non et ista quæ hoc libro continentur, verba sunt ejusmodi, verba arcana, quæ non liceat homini loqui, id est, humano sensui committi? (*II Cor.* XII) Si enim homo ista loquatur, id est, si humano velit quisquam exponere vel suspicere sensu, perniciosa inde hæresis generatur, ut fecit quidam Nepos nomine, in partibus Ægypti episcopus, qui ex hac revelatione sumptis testimoniis Judaico intellectu, conabatur asserere repromissiones Dei corporaliter exhibendas, et mille annis in deliciis corporalibus, sanctos cum Christo regnaturos esse in hac terra. Vide *Hist eccl.* lib. VII, cap. 21).

Sed dicet aliquis: Si omnium apostolorum ista erat gratia, quod per revelationem didicerunt cœlestia sacramenta Christi, quippe qui fuerunt homines idiotæ et sine litteris (*I Cor.* XII), quid opus erat ut tam vehementer Apostolus de semetipso assereret, quod usque ad tertium cœlum raptus fuisset, quod non ab homine, sed per revelationem Jesu Christi didicisset? Ad hæc, inquam. Nimirum opus erat pro eo quod periclitabatur apud Corinthios et apud Galatas, fides evangelica, quasi pro Pauli apostoli persona, pseudo apostolis prædicantibus, ut in circumcisionem ritumque Judaicum fideles inducerentur (*Galat.* III), et pro hoc Paulo apostolo derogantibus quasi in tanto negotio non esset audiendus, quippe qui nesciret veritatem Evangelii, quippe non esset de magnis apostolis. Idcirco talia quæ prædicta sunt, de semetipso asseruit, cæteris se non præferens sed coæquans apostolis, videlicet ut permaneret veritas Evangelii. Sed jam revelationis ejusdem semitas ingrediamur. Ait: « Et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis: Quod vides scribe. » Quid erat post Joannem, cum esset in spiritu? Nimirum totus mundus, quidquid corporeis oculis cernitur imo et totus præsentis Ecclesiæ status. Retro hæc erant, quia videlicet ipse in anteriora extendebatur, cum ad illa videnda rursum raperetur: futurum autem erat quod nunc dicimus. Dum ipse post occisionem Domitiani, permittente pio principe Nerva, rediret Ephesum, compulsus est ab omnibus pene tunc Asiæ episcopis et multarum Ecclesiarum legationibus, de coæterna patri divinitate Christi altius facere sermo-

nem, eo quod in trium Evangelistarum scriptis, Matthæi videlicet, Marci et Lucæ, de humanitate ejus, ac de his quæ per hominem gessit, sufficiens sibi viderentur habere testimonium. Cur hoc? Videlicet dum esset in exsilio, irrumpentes in Ecclesiam hæretici, quasi in destituta pastore ovilia, lupi, Marcion, Cherintus, et Hebion, cæterique Antichristi, qui Christum fuisse ante Mariam negabant, simplicitatem fidei evangelicæ, perversa maculaverant doctrina. Igitur « post se vocem magnam tanquam tubæ audivit, » quia futurum erat, ut magnopere compelleretur a jam dictis Asiæ pene omnibus episcopis quatenus velut in bellum consurgens, perfidis obviaret hæreticis, et gladio correpto Verbi Dei, defenderet terminos Ecclesiæ fidei. Vehementem illam, qua compellendus erat, omnium intentionem, per magnam vocem intelligimus. Simul quia veritas fidei non angulos amat, non in occulto, sed palam omni mundo loqui desiderat, recte non per qualemcunque vocem sed per vocem tubæ magnam, id quod jam dictum est, significari decebat. Quod vides, inquit, scribe. » Hoc est dicere : « Omnes episcopos Asiæ. O Joannes dilecte Jesu Christi, qui supra pectus ejus recumbens, Evangelicæ veritatis fluenta de ipso sacro Dominici pectoris fonte potasti (*Joan.* XIII), quoniam Marcion, Cherintus, et Hebion, cæterique Antichristi, te absente, te exsulante, irruperunt in Ecclesiam, et simplicitatem fidei evangelicæ perversa maculaverunt doctrina, Christum fuisse negantes ante Mariam; cæteri autem Evangelistæ, videlicet Matthæus, Marcus et Lucas de humanitate ejus, sufficiens scriptis firmaverunt testimonium, tu de antiquitate divinitatis ejus, quod vides, quod nosti, quod tenes, Evangelico stylo scribe, et scripto tuo cunctas hæreticorum tenebras, patefacta veritatis luce dispelle. « Et mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pergamo, et Thiatiræ, et Sardis, Philadelphiæ, et Laodiciæ. » Mitte septem Ecclesiis, id est, trade universæ Ecclesiæ, quæ per totum mundum diffusa est, ordinata et confirmata sancto Spiritu septiformi. Nam Asiæ quidem minoris septem sunt civitates metropolitanæ, quarum caput Ephesus est. Verumtamen quod loquitur septem Ecclesiis Asiæ, **361** utique omni Ecclesiæ dicit, quæ cum una sit, septenario numero comprehenditur, quo sæpe solet universitas designari. Specialiter quidem septem illis Asiæ Ecclesiis suam prophetiam dirigit, quibus eum prædicatorem divina gratia præposuit, sed nihilominus universali Ecclesiæ tradere ista cupit, quæ sibi revelata novit esse, pro communi omnium profectu, cum sine exceptione dicat : « Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus. » Sequitur : « Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. » Rogantibus Joannem, ut supra dictum, episcopis Asiæ, de coæterna Patri Divinitate Christi, altius sermonem facere, ipse quid fecit? Nimirum ad orationem jejuniumque conversus est, non aliter se facturum respondens, nisi in dicto jejunio omnes in commune Dominum precarentur, ut ipse digna scribere posset. Hoc fecit, imo cum hæc videret ipse facturus erat. Recte igitur, « et conversus sum, inquit, ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. » Qui enim quodammodo in cœlum ascendere, et latentem illic Divinitatem hominibus demonstrare rogatus, ad orationem et jejunia confugit sollicitus, suamque fragilitatem suspectus, recte converti vel conversus esse dicitur, ut videat vocem quæ secum loquitur, id est, ut dono gratiæ supernæ obtineat quod effari postulatur, et quod ostendere sive conscribere ipse prior videre vel scire mereatur.

« Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum, similem Filio hominis, vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea. » Et hoc ita deinceps factum est. Conversus enim, ut jam dictum est, ad orationes et jejunia, simulque indictum jejunium celebrante Ecclesia, vidit revelante sancto Spiritu, qualia de Christi divinitate scribere dignum erat, quæ et præsens pulcherrime designat littera, sensu aureo, superficie tota argentea. « Et vidi, inquit, septem candelabra aurea. Septem candelabra, septem Ecclesiæ sunt. » Ergo sicut septem Ecclesiæ sunt et tamen una est Ecclesia, sic septem candelabra unum candelabrum sunt. De quo videlicet candelabro, ipse Dominus loquitur in Evangelio : « Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant (*Matth.* VI). » Hoc nimirum contra invidiam loquebatur Judaicam, quibus ante hæc dicta significaverat per similitudinem Ninivitarum (*Luc.* XI), suam gentibus gloriam fore declarandam, ipsisque videlicet Judæis, oculum nequam habentibus, id est invidentibus et invidendo pereuntibus, gentes acturas esse pœnitentiam. Dixerat enim : « Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ ; et ecce plus quam Jonas hic (*Matth.* XII). » Et est subintelligendum, sicut viri Ninivitæ pœnitentiam egerunt ad prædicationem sive signum Jonæ, qui fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus (*Luc.* XI), sic gentes pœnitentiam agent ad prædicationem meam, sive signum meum, postquam fuero in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus, et perinde surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt eam. Quæritis cur ita fiat? Videlicet quia ego lucerna sum : Et sicut lucerna idcirco accenditur, non ut in abscondito, sed super candelabrum ponatur, sic ego idcirco veni in hunc mundum, ut lumine meo gentes illuminentur (*Joan.* XIII). Igitur quod est secundum evangelicæ veritatis rationem, lucernam poni debere, vel positam esse super candelabrum unum, hoc est, secundum hanc revelationem, Filium hominis conspici in medio septem candelabrorum aureorum, scilicet Christum, de quo dixit Simeon : « Lumen ad revelationem gentium (*Luc.* II) ; » jam tunc, cum hoc mysterium videret Joannes, prolatum fuisse ad gloriam omnium Ecclesiarum. Septem namque cande-

labra, ut jam dictum est, septem, id est omnes Ecclesiæ sunt. Quæ videlicet candelabra recte aurea videntur, quia sacra fides, ob quam vel ex qua hoc habemus gentes, ut candelabra, id est Ecclesiæ simus, auro quod per ignem transit, assimilatur, quemadmodum et Petrus apostolus loquitur : « Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro quod per ignem probatur (*I Petr.* II). »

Qualem illum vidit in medio candelabrorum talium, candelabrorum aureorum ? Ut audirent Marcion, Cherintus et Ebion, cæterique Antichristi, qui antiquæ Christi gloriæ derogabant, imo sciret ipse certius Joannes, quale de Divinitate Christi testimonium postmodum rogandus perhiberet, similem vidit Filio hominis, vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea. In similitudine Filii B hominis, veritatem accipimus hominis, quemadmodum et illic : « In similitudinem hominum factus est, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II).» In vestitu poderis, quæ vestis est sacerdotalis, dignitatem vel officium sacerdotii, quia sacerdos vel pontifex noster ipse est, de quo Apostolus : Habentes ergo, inquit, pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem (*Hebr.* IV). » Et Petrus apostolus : « Eratis enim, inquit, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrum (*II Petr.* II). » In eo quod præcinctus erat ad mamillas zona aurea intelligimus auctoritatem regiam, de qua Psalmista ; « Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute (*Psal.* XCII). » Decorem et fortitudinem C quam indutus est, vel qua præcinxit se Dominus regnans, regno peccati destructo et superata morte, per zonam auream intelligimus, qua nunc videbatur ad mamillas præcinctus. Cur enim ad mamillas, quarum in medio locus est cordis, nisi ut talis præcinctura significet, mamillarum scilicet et cordis, statum naturæ vitalis vel vitam continentis, quia Christus jam Rex est immortalis, «Resurgens quippe a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Ecce jam hæc tria demonstrata sunt, scilicet, eum esse Filium hominis, id est hominem esse sacerdotem, esse et regem ; verum hæc cæteri evangelistæ, Matthæus, Marcus et Lucas, jam sufficientibus scriptis testificati fuerant et horum testimonia supradicti hæretici audire non re- D pugnabant. Quamlibet enim Antichristi essent, Christum hominem, sacerdotem quoque esse fatebantur et regem. Unum est unde controversia suborta fuerat, scilicet ejusdem hominis sacerdotis et regis Jesu Christi altissima et antiquissima divinitas. Sequitur ergo :

« Caput autem ejus et capilli erant candidi, tanquam lana alba et tanquam nix.» Quidnam est Filii hominis caput, nisi divinitas ejus ? Hoc sciens et sponsa in Canticis canticorum : « Caput, inquit, ejus aurum optimum (*Cant.* V). » Caput illud et capilli capitis illius candidi, « tanquam lana alba et

A tanquam nix. » Dictum hoc de Filio hominis, Filio Dei. Porro de antiquo dierum Patre ejus, Daniel dicit : « Vestimentum ejus quasi nix candidum, capilli capitis ejus quasi lana munda (*Daniel.* V). » Ergo et ille antiquus dierum, et hic Filius ejus Filius hominis, qui apud eumdem Danielem, cum nubibus cœli veniebat et usque illum antiquum dierum pervenit : **362** secundum caput, id est secundum divinitatem unius ejusdemque antiquitatis sunt. Nam hujus atque illius capilli capitis æque candidi sunt. Uterque per candorem capitis senex ostenditur, nulla distantia, quia videlicet nec anno, nec mense, nec die, nec hora, nec puncto, nec momento, sed neque atomo filius iste junior est, illo tam sene patre suo. Talem vidit in spiritu, qui in corpore quoque sive corporaliter pulsatus, causa jam dicta talem erat scripturus. Quomodo vel quali scripto ? « In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I). » Igitur Filius hominis, vestitus podere, præcinctus ad mamillas zona aurea, caput habens candidum, Christus Dei Filius est, homo verus, Pontifex summus, Rex magnus, Deus antiquus et verus. Conflabant suas interim blasphemias sæpe dicti Antichristi, ut negarent illum exstitisse ante Mariam. At ille sibi providens, imo Ecclesiæ suæ, in fide periclitanti consulens, jam Joanni huic suum demonstrabat caput præ antiquitate candidum, quod non solum ante Mariam, sive ante Abraham, sed et ante Luciferum erat sine tempore genitum ante tempora de Patre natum. Quid porro sunt capilli præ antiquitate sic candidi, tanquam lana alba et tanquam nix ? Capilli, quia de capite procedunt, et multi sunt, multa sunt verba Dei, quæ de uno vel per unum Verbum, quod erat in principio, processerunt. Nam Verbum, Deus, in sua substantia, Verbum unum et unum caput est, verba autem multa, quæ ad sanctos homines sive prophetas Deus locutus est, quasi multi capilli unius capitis sunt. Quare autem lanæ isti capilli assimilantur? Videlicet quomodo ex lana in fusum transmissa, texendo fit vestis aliqua, sic capillis istis, id est multiplicibus Dei verbis, in linguam vocemque prophetarum transfusis, scribendo contexta est sancta Scriptura. Et quare non tanquam qualiscunque lana, sed tanquam, inquit, alba, sive, ut in Daniele scriptum est, « lana munda ? » (*Daniel.* VII.) Videlicet, quia Verba illa sancta sunt et munda, recta sunt irreprehensibilia. Unde et illud : « Eloquia Domini, eloquia casta (*Psal.* XI). » Item : « Lex Domini immaculata,» sive irreprehensibilis, « convertens animas (*Psal.* VIII).» Convertens, inquam, animas, et lavans illas ab omnibus peccatis. Idcirco addidit, et tanquam nix. Nix namque aliquando emundationem significat. Unde Propheta in psalmo : « Lavabis me et super nivem dealbabor (*Psal.* L). » Item in propheta : « Et si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur (*Isa.* I). » Illud tandem sciendum quia, quisquis coram isto cano capite assurgit et candidis

ejus capillis reverentiam facit, id est verba ejus digne suscipit, propter hoc ipsum quod verba ejus suscipit et meditatur, ipse quoque canescit, et senex meretur appellari, monstrante Sapientia cum dicit: « Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis, vita immaculata (*Sap.* IV). » Sequitur:

« Et oculi ejus velut flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. » Nimirum quod scripturus erat dicens: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum; » et subjungens, « quod factum est in ipso, vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eum non comprehenderunt: erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). » Quod, inquam, scripturus erat taliter, hoc illi in ista imagine præfulgida demonstratum est. Nam sicut illud principium, sive quod erat in principio Verbum, per istud significatur caput candidum; sic per istos oculos significatur illa vita lux hominum, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo « oculi ejus velut flamma ignis, » id est aspiratio ejus, illuminans omnem hominem, et lucens in tenebris. Proinde recte dictum est, ut flamma ignis, quia videlicet « Deus noster ignis est (*Deut.* IV), » et respectus ejus nobis flamma est, flammam illuminans, ut non simus in tenebris, ut non simus noctis et tenebrarum, sed simus filii lucis et filii Dei (*I Thess.* V). Propter hujusmodi oculos, et in Evangelio lucernam, ut supra meminimus, insinuat esse ponendam super candelabrum (*Matth.* V), et hic in medio conspicitur candelabrorum aureorum. Profecto quia luce ista sive oculis istis si qui fuerint illuminati ut aliis quoque verbo et exemplo ipsi lucere possit, quodammodo dicuntur lux et oculi, juxta illud: « Vos estis lux mundi (*Luc.* XI). » Et sponsæ dicitur in Canticis canticorum: « Oculi tui columbarum (*Cant.* I), » id est provisores tui simplices sunt. Differt tamen, quia videlicet oculi illi, non uti isti, illuminantes sunt, sed illuminati, non illuminans, sed illuminata lux. Proinde de uno ex clarissimis illorum dictum est loco memorato: « Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. » Item quod scripturus erat, dicens: « Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan,* I). » Hoc ipsum ista significari videt imagine, cum dicit: « Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Sicut enim per caput candidum vel canum, recte intelligimus antiquum, quod « in principium erat Verbum, » sic per pedes quæ pars finis est corporis, recte intelligimus nihilominus illud quod idem Verbum caro factum, quod Deus homo factus, in fine sæculorum, et homo permanens ultra omnes fines sæculorum. Isti pedes, ista ejus humanitas similis aurichalco recte dicitur, quia videlicet, sicut

A aurichaldum multi signium impendiis ex ære perducitur ad colorem auri, ita et illa humanitas, per multas tribulationes passionis et mortis, producta est ad gloriam Divinitatis, quæ per aureum solet intelligi, ut sit jam et ipsa immortalis, incorruptibilis, impassibilis. Unde et signanter dictum est, « sicut in camino ardenti, » per quod recte intelligitur molestia passionis, qua oportuerat eamdem humanitatem conflagrari, quemadmodum dicit: « Nonne sic oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV). »

« Et vox ejus tanquam vox aquarum multarum. » Aquarum nomine, divinæ Scripturæ solent intelligi: quod nimirum Scripturis approbare ex abundanti est. Constat autem quia ille Filius hominis caput B tam candidum, pedes habens hujusmodi similes aurichalco, quidquid in passionibus sive tentationibus suis loquebatur, vel nunc usque loquitur, sanctarum consonat Scripturarum, et consentit vocibus ac sensibus, imo et vita et mors ejus, resurrectio quoque et ascensio ejus, sic et sic idcirco processit, ut Scripturæ implerentur. Igitur « vox ejus tanquam vox aquarum multarum, » id est doctrina vel omne opus ejus, veritas et adimpletio est Scripturarum, quæ multæ sunt, scilicet legis, prophetarum atque psalmorum. Quoniam « necesse est, inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in lege et prophetis et psalmis de me (*Luc.* XXIV). » Aliter « vox ejus tanquam vox aquarum multarum, » id est tanquam vox populorum multorum, juxta illud quod in persona ejus dicit Psalmista; « Confitebor tibi in poC pulis, **363** et Psalmum dicam tibi in gentibus (*Psal.* CVII). » Denique vocem ejus verba Scripturarum quæ proferuntur in persona ejus, hodie multi populi concinunt, qui videlicet populi, significari solent nomine aquarum. « Et habebat in dextera sua stellas septem. » Septem stellæ, ut infra scriptum est, angeli sunt septem Ecclesiarum, id est, omnes præsules omnium Ecclesiarum. Angeli autem, id est nuntii, nimirum idcirco dicuntur, quia subditis annuntiant ea quæ loquitur Deus, juxta illud: « Labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est (*Malach.* II). » Quia taliter angeli sunt, id est, quia legem Domini annuntiant, idcirco et veraciter stellæ dicuntur et sunt juxta illud in Daniele: D « Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII). » Omnes ergo qui ejusmodi sunt, hoc numero, scilicet septenario, recte consignari illud quoque pulcherrime astruit, quod cum esset in dextera sua, id est in magna felicitate sua, quippe qui resurrexerit a mortuis, non plures neque pauciores ex discipulis quam septem sui participes habuit convii, sicut scriptum est: « Erant simul Petrus et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo (*Joan.* XXI). » Isti septem missum in dexteram navi-

gii rete, plenum magnis piscibus ad terram perduxerunt, et cum Domino epulati sunt, et taliter omnes eos designant, qui in universali resurrectione præsentabunt electos universos, quos suis acquisierunt studiis sive laboribus, et cum Christo sedebunt ad dexteram ejus in cœlestibus. Tunc fiet id quod continuo in præsenti loco significatur dicendo : » Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. » Gladius quippe hoc loco ultimum significat judicium, quemadmodum et in cantico Deuteronomii Deus dicit : « Si acuero ut fulgur gladium meum (*Deut.* XXXII). » Nam exponens quod diceret gladium meum, continuo subjunxit, « et arripuerit judicium manus mea. » Iste judicii gladius utraque parte acutus tunc de ore ejus exibit, et utramque partem, dexteram scilicet et sinistram, pro meritis efficaciter discernet B et dijudicabit. Exitus gladii ad dexteram hic erit : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV). » Hoc namque dicto gladius ejus ita carnes devorabit, ut jam non sit caro et sanguis, sed sint omnes omnimoda carnis et sanguinis corruptione exspoliati, miroque modo permanente natura, in alteram gloriam permutati (*I Cor.* XV). Exitus ejusdem gladii ad sinistram hic erit : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Utrinque sic erit efficax ille gladius judicii, ut eant hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam ; et sic divisi ab alterutris, non possunt ultra conjungi aut permisceri, sicut in præsenti Ecclesia permisti nunc sunt boni et mali. Extunc in claritate sua videbitur ab illis beatis, C quos in dextera sua deinceps habebit, videbitur facie ad faciem Deus deorum illa visione, quam pollicebatur diligentibus se dilectionis suæ fore præmium. « Qui autem, inquit, diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (*Joan.* XIV). » Sequitur ergo : « Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. » Facies ejus, præsentia ejus, lucebit sicut sol, quia vere est sol, et lucebit in virtute sua, id est in majestate et divinitate sua, complebiturque illud Isaiæ vaticinium : « Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit (*Psal.* XXX). » Quænam est luna quæ tunc lucebit sicut sol absque varietatibus crementi et detrimenti [decrementi], quibus nunc variatur in D isto sæculo, nisi Ecclesia tunc erit similis soli suo, Deo suo? « Scimus, inquit idem Joannes, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Ipsa autem lux solis quanta erit ? sicut lux septem dierum, inquit. Quod est dicere : Quantæ claritatis erat Deus Verbum, cum sex diebus fierent omnia, et septimo die complerentur omnia per ipsum, tantæ claritatis in carne sua tunc erit apud Deum Patrem suum. Hoc etenim et ipse orans dicebat : « Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te (*Joan.* XVII). » Quid

A enim est dies illa de qua dicebat ille propheta : « In die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit (*Isa.* XXX), » nisi illa visio faciei solis hujus, quæ sanitas erit generis humani, et perfecta sanitas plagæ ejus, qua omnes in Adam fuimus plagati et vulneris quo in illo fuimus vulnerati, videlicet mortis duplicis animæ et corporis ? Sequitur :

« Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus, et posuit super me dexteram suam dicens : Noli timere. » Quia ille quem videbat, « sicut sol lucet in virtute sua, » idcirco mortalis homo stare vel subsistere non potuit in infirmitate sua. Sic et quondam « cum in monte transfiguratus fuisset, ante eos videlicet Petrum et Jacobum, et hunc ipsum fratrem ejus Joannem, ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde (*Matth.* XVII). » Et quemadmodum istic [hic] dictum est, » et posuit dexteram suam super me dicens, noli timere, » ita et illic : « Et accessit Jesus et tetigit eos, dixitque illis : Surgite et nolite timere (*Ibid.*) » Nisi dextera sua hic et illic tetigisset hunc vel illos, sustinere non poterant lucem vel virtutem, in qua lucebat ille talis sol. Ergo et universos, qui illum visuri sunt in illo cœlesti regno suo, ut videre et videndo subsistere valeant, constitui oportebit ad dexteram, juxta veritatem Evangelicam qua dicit : « Et statuet oves a dextris suis, hædos autem a sinistris (*Matth.* XXV). » Quod enim est ad dexteram super istum timentem et præ timore cadentem poni, ut surgere et non timere possit, hoc erit tunc omnes oves a dextris constitui, ut claritatem illam videre, et non cum sinistris hædis defluere possit, « sicut fluit cera a facie ignis (*Psal.* LXVII). Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivus in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferni. » Priorum sequentes auctoritatem diximus supra, quia Angelus visus est huic Joanni in figura Christi, propter illud quod in exordio dictum est, et significavit mittens per angelum suum servo suo Joanni. Sed quæri nunc potest, cur is qui apparuit, Christum se tanta tamque manifesta professus est descriptione : « Ego sum, inquit, primus et novissimus, et vivus, » etc. Huc accedit, quod ante pedes hujus cadens, tanquam mortuus, non est prohibitus cadere, vel correptus quod ceciderit ante pedes ejus. Circa finem vero libri hic ipse dicit : « Ego Joannes, qui audivi et vidi hæc, postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui hæc mihi ostendebat et dicit mihi : Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba libri hujus, Deum adora (*Joan.* XXII). » Palam ergo datur intelligi quia alius fuit qui Joannis ductor exstitit et hæc illi ostendit atque alius qui ostensus sive visus est ei tanta claritate, ut subsistere **364** non posset ad videndam claritatem ejus qui apparuit. Et ille quidem qui ostendebat manifeste angelus, hic autem qui ostensus est, Filius

hominis dicitur. Proinde illum quidem, cujus audivit vocem, in hoc loco tanquam tubæ dicentis, quod vides scribe, concedere oportet fuisse angelum qui hæc ostendebat, de quo et illud dictum sit, et significavit mittens per angelum suum, eum autem, qui visus est, intelligi licet illum fuisse, quem se esse professus est, scilicet primum et novissimum, id est, Christum Dei Filium. Nec vero novum, vel credi indignum est, quod Jesum Christum post ascensionem suam homo viderit cum Paulus apostolus dicat, qui illum antequam ascenderet in cœlum non cognoverat. « Non sum liber ? non sum apostolus? nonne Dominum Jesum Christum vidi ? (*I Cor.* IX.) Viderat enim illum in via cum iret Damascum et quia tunc visione illa indignus, utpote inimicus et persecutor erat, non solum cecidit in terram, sed et cum surrexisset, apertis oculis nihil videbat. Jesum namque illum vidisse confirmat is, qui ad eum missus est, Ananias : « Saule frater, inquit, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas (*Act.* IX). » Alias autem et iste Filius hominis angelus dicitur, et est angelus magni consilii, angelus in quo est nomen Dei. Nam in Exodo ad Moysen sive ad populum suum Deus dicit : « Ecce ego mittam angelum qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, qui non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo (*Exod.* XXIII). » Angeli hujus hæc propria est differentia, quæ illic posita est, dicente Deo, et est nomen meum in illo. Non dixit, et est nomen meum super illum, quod recte dici queat de quolibet infirmo electorum, quorum omnium illa est prophetica vox : « Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos (*Jer.* XIV), » sed est, inquit, nomen meum in illo, id est, pro naturali divinitate eodem quo ego censetur nomine. Dicitur enim et est, et æque ut ego, Deus Dominus omnipotens, invisibilis, increatus, immensus, æternus et quidquid de Deo substantialiter prædicatur, ut hoc solum de nomine intersit, quod ego ad illum relative Pater, ille ad me relative dicitur filius, cum ejusdem dignitatis significatione. Et propheta Malachias dicit: « Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis (*Malach.* III). » Stephanus quoque protomartyr in Actibus apostolorum dicit : « Hic est qui fuit in ecclesia, in solitudine, cum angelo qui loquebatur ei. » Amplius autem : « Et expletis, inquit, annis quadraginta apparuit ei in deserto monti Sina Angelus in igne flammæ rubi (*Act.* VII). » Igitur si hunc Filium hominis, qui Joanni visus est, placet Angelum dici vel esse, dictum supra ubi scriptum est, et significavit mittens per Angelum suum, profecto sicut illic, ubi loquitur Stephanus, oportet non quemlibet Angelum intelligi, sed eum qui veraciter dicere potuerit : « Ego sum qui sum ; Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Jacob. Hoc no-

A men mihi est in æternum (*Exod.* III). » Sed et in isto loco non quemlibet Angelum, sed eum intelligi necesse est, qui veraciter dicat : « Ego sum primus et novissimus, et vivus et fui mortuus, et ecce sum vivus in sæcula sæculorum. » Primus videlicet quia eram « in principio Verbum, Deus apud Deum, per quem omnia facta sunt, » quod indicat hoc meum caput præ antiquitate tam candidum ; et « novissimus, » per quem omnia restaurata sunt, sicut indicant vel significant isti pedes mei aurichalco similes, utpote, nuper educti de camino ardenti, de camino tribulationis vel passionis, in qua ita novissimus et hominibus visus fui contemptibilis, quomodo contemnitur vermis et non homo (*Psal.* XXI), dicente quoque propheta alio : « Et nos desideravimus eum despe-

B ctum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem (*Isa.* LIII). » « Et fui mortuus, » videlicet etiam in sepulcro repositus, tribus diebus et tribus noctibus, « et ecce sum vivus in sæcula sæculorum. » Resurrexi enim et adhuc cum Deo Patre meo sum, verumque est quod de me dicit Apostolus, « jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » — « Et habeo claves mortis et inferni. » Id est, potestatem dimittendi peccata. Peccata namque dimittendo, mortem in me credentibus claudo, infernum obstruo. Sive mortis et inferni, id est duplicis mortis, videlicet animæ et corporis. Mortis namque nomine, quod usitatum est, dissolutio corporis ; inferni autem, mors animæ, quæ æterna est, recte significatur.

C Utriusque mortis claves, id est, potestatem ipse habet, quemadmodum et Anna prophetissa in cantico suo dicit : « Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit (*I Reg.* II). »

« Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc. » Dictio vel verbum modi imperativi, quo dicit, « scribe, » largitio est muneris et gratiæ, tanquam si diceret : Scribendi facultatem atque auctoritatem accipe. Unde vere beatus et honorandus iste beatus Joannes, qui sic inter duodecim apostolos crevit et auctus est, quomodo inter duodecim patriarchas ille vere secundum nomen suum filius accrescens beatus Joseph, quomodo enim ille duplicia accepit, dicente patre : « Dabo tibi partem unam extra fratres tuos (*Gen.* XLVIII), » Sichimam significans sive Sichem, quæ in Evangelio dicitur

D Sichar ; sic iste dilectus discipulus extra fratres suos apostolos cæteros, dono diligentis Domini Jesu partem unam egregiam accepit, non solum, ut qui erat apostolus evangelista quoque fieret, tamque divinum Evangelium scriberet, verum etiam tantam tamque mirabilem revelationem Scripturæ traderet. « Scribe ergo, inquit, quæ vidisti, » cum cæteris videlicet apostolis me secutus, vel etiam quæ nunc vidisti solus, ut tale sit Evangelium tuum, quale scribi oportere significat istud meum quod nunc vidisti schema vel habitus, et quæ sunt nunc in septem Ecclesiis Asiæ corrigenda sive laudanda, et quæ oportet fieri post hæc, scilicet varios Ecclesiæ labores.

« Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea, septem stellæ angeli sunt septem Ecclesiarum. » Cum trinam scribendorum distinctionem fecerit dicendo, « quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc, » mediam tantum nunc aperit, id est, ea quæ sunt, et quasi ingressuro, intelligentiæ januam pandit, ut tangendi conscientias eorum, qui tunc erant vel præerant Ecclesiis, auctoritas homini non desit. Nam poterat quidem eodem modo dicere Filius hominis, sive sacramentum Filii hominis sic vestiti, sic præcincti, tale caput talesque oculos habentis, hoc vel tale est, sed non adeo res exigebat, non tanta negotii necessitas urgebat. Qui enim tantummodo docet quid teneat, vel quid tenere debeat catholica fides, non tanto præsidio divinæ auctoritatis seu voluntatis opus habet, quanto is, qui corripit et percutit mores, qui de occultis hominum conscientiis, seu vita maxime privata tractat vel disputat, et legendas **365** conscribit rationes. Illic namque suffragantibus Scripturarum testimoniis etiam ignavus vitæ suæ moderator ad fidem sponte consentit, hic defficientibus occultæ conscientiæ arbitris, etiam strenuus fidei decertator indignatur de propriæ vitæ statu reprehendi, cum de foris facere videatur totum quod facere debet Ecclesiasticus vir, ut, exempli gratia, videbatur ille angelus Ecclesiæ Sardis cui scribere jubetur sic : « Scio opera tua quia nomen habes quod vivas, et mortuus es (*Apoc.* III). » Opportune ego eorum quæ tunc erant vel fiebant in Ecclesiis intellectum signanter aperit, et per singula videntem deducens ; hæc, inquit, angelo illi, et hæc scribe angelo illi. Et vide quam

A sapienter juxta morem prudentis, et bene compositi oratoris, benevolentiam eorum captet, quibus loquitur vel scribit, ut patientes sint ad audienda scripta, quamvis possint molesta videri. « Sacramentum, » inquit, subauditur scribe, « septem stellarum, » id est, quid significent septem stellæ, « quas vidisti in dextera mea. » Ac deinceps. « Septem stellæ angeli sunt septem Ecclesiarum, et candelabra septem : septem Ecclesiæ sunt. » Ecclesiarum præsules quamvis aliqui pro vita propria reprehensibiles sint, et angelos et stellas appellare maluit et ecclesias omnes, quamvis in aliquibus multa sint obscura, candelabrorum aureorum pulchris nominibus, sive significativis imaginibus honestavit. Et recte, quia videlicet sacerdotes sive præ-

B sules, quamvis interdum pro suis actibus sint obscuri, pro officio tamen lucent, recitando Verbum Dei, et celebrando cœlestia sacramenta Christi, atque ita quasi quædam stellæ in signa sunt et tempora. Verbi gratia, cum dicunt illud Apostoli : Nox præcessit, dies autem appropinquabit (*Gen* I ; *Rom.* XIII). » Idcirco de hujusmodi stellis mystica Scriptura dicit : « Quis fecit Arcturum et Hyadas et Oriona ? » (*Job.* IX). Item : « Nunquid contingere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi dissipare poteris ? » (*Job.* XXXVIII.) Et his similia. Itidem Ecclesias ipsas candelabra esse aurea recte dixit, videlicet pro parte illorum qui Christum lumen suum glorificant tam confessionne vocis quam obsequio boni operis secundum præceptum

C ipsius dicentis : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V). »

---

366 PROLOGUS IN LIBRUM SECUNDUM.

Anima, cui desideranti latentem in Scripturis dulcedinem haurire concessum est, gratulatur in Canticis anticorum, cum dicit : Introduxit me rex in cellaria sua (*Cant.* I). *Item :* Introduxit me rex in cellam vinariam (*Cant.* II). *Nostra autem adolescentula fides, ecce foris stans, ut intus quasi per exiguas clausi cellarii rimulas prospiciens, suam crescente desiderio anhelat inopiam, auscultando quid vel quomodo illi, quæ ejusmodi est, quæ jam introducta est, gratuletur, et dicat, sicut in præsenti Scriptura habemus* : Ille idem rex sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Ecce, *inquit*, dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere (*Apoc.* III). *Quod est dicere : Ecce in cellaria mea, sive in cellam meam vinariam introduxi te in aperto ostio intelligentiæ, et divitias deintus haurias sapientiæ et scientiæ, quas me tibi tribuente nullus possit auferre. Quam ob causam ? quale propter meritum ?* Quia modicam, *inquit*, habes virtutem (*ibid.*), *id est, egregiam tenes humilitatem, non in tua, sed in mea virtute habens fiduciam. Is autem qui hæc loquitur angelus est Philadelphiæ, quod interpretatur* dilectionis fraternæ. *Igitur donec foris stantibus, rex ille aperiat sua clavi, modica virtus habenda, id est, humilitas tenenda est, ut per fraternam dilectionem illud parum, quod jam de illa dulcedine gustavimus, si quid est quod gustare vel invenire meruimus, libenter expendamus, spem habentes in ipso qui et alibi loquitur* : Qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur (*Matth.* VII ; *Luc.* XI). *Hanc animæ meæ spem tu, archipræsul Friderice, vir illustrissime, maxime roboras, qui opusculis meis non utcunque benevolus esse, verum etiam præ magnitudine benevolentiæ arridere potuisti, velut qui interesses, meque tecum interesse putares illo magno atque festivo convivio, quod Abraham pater sui risus* ; ; *pater, inquam, pueri sui Isaac, quod interpretatur*

risus (*Gen.* XXI), *fecit in die ablactationis ejus. Illud namque convivium eorum est, qui Scripturas legentes non efficiuntur pueri sensibus, sed malitia quidem parvuli*, sensibus autem perfecti sunt (*I Cor.* XIV), *ut non opus eis sit lacte, sed solido cibo, qui perfectorum est* (*Hebr.* V). *Ibi jam initium est risus et jucunditatis, risus æterni, quem in mysterio præsagiens mater Sara*, risum, *inquit*, mihi fecit Deus, quicunque audierit corridebit mihi (*Gen.* XXI). *Talibus nimirum maxime hic liber Apocalypsis apponendus est, quia videlicet non lac parvulorum, sed solidus perfectorum cibus est. Omnia quæ continentur in eo mysterio, sunt fortia ut vinum, et* vinum *utique, ut ait sponsa in Canticis de hujusmodi*, suavissimum et optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque ac dentibus ejus ad ruminandum (*Cant.* VII). *Quæramus ergo, sicut cœpimus, ut inveniamus, pulsemus perseveranter ut aperiatur nobis* (*Luc.* XI).

---

367 LIBER SECUNDUS.

Præcedenti clarissimæ visionis capitulo, Joannes A Evangelii sui quod scripturus erat, mirabile vidit præsagium, videlicet Filii hominis podere vestiti, et zona aurea præcincti, caput candidum, quo significabatur Verbum antiquum quod erat in principio apud Deum, videlicet contra Cerintum aliosque Antichristos, qui negare incipiebant ante Mariam fuisse Christum, dictumque est illi postquam hæc et cætera vidit: Scribe ergo quæ vidisti. Deinde expressum est illi sacramentum septem stellarum, septemque candelabrorum, quod videlicet septem stellæ, angeli septem Ecclesiarum, et candelabra septem, septem Ecclesiæ sint. Et continuo sequitur :

CAP. II. — « Et angelo Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.» B Hic jam septem spiritus Dei loqui incipiunt, qui in conspectu throni Dei sunt. Nam qui dicit, ipse quidem est, Filius hominis, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum, qui fuit mortuus et vivit, qui habet romphæam ex utraque parte acutam, qui habet oculos tanquam flammam ignis, qui habet septem spiritus Dei, qui habet clavem David, qui est principium creaturæ Dei. Sed perpende quia per singula septem locutionum suarum capitula clamat sic : « Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. » Septem ergo loquuntur spiritus Dei, loquente hic uno Filio hominis, sive Filio Dei : loquuntur, inquam, de illo habitaculo suo, in quo tota plenitudine corporaliter habitantes, sunt in conspectu throni Dei (*Coloss.* II), id est, in exemplum Ecclesiæ Dei, quia videlicet iste Filius hominis C præpositus est ad imitandum, Ecclesiæ Dei, habens in se septem spiritus Dei. Loquitur hic Ecclesiis primo loco spiritus timoris, secundo spiritus pietatis, tertio spiritus scientiæ, quarto spiritus fortitudinis, quinto spiritus consilii, sexto spiritus intellectus, septimo spiritus sapientiæ. Ecclesia namque dum Christum imitatur, a timore incipit, et ascendendo ad sapientiam pervenit, sicut scriptum est : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX; *Prov.* I). » Porro ubi ad eamdem Ecclesiam instruendam Filius Dei ascendit, primus est spiritus sapientiæ, ultimus est spiritus timoris, cum propheta dicit : « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* IX). » Igitur eodem spiritu præeunte, « qui habet aurem audiat, quid istorum spirituum quisque dicat Ecclesiis, » juxta proprietatem suæ dignitatis, et primo quid dicat spiritus timoris Domini. « Angelo, inquit, Ephesi Ecclesiæ scribe, » et cætera. Quod qui hæc dicit Ecclesiis, spiritus sit timoris, ex eo manifestius claret quod ait: « Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. » Eorum statum quibus hæc dici conveniat, innuit nomen Ephesi, sive interpretatio nominis. Ephesus namque, *lapsus magnus*, sive *voluntas mea in ea*, interpretatur. Magus quippe lapsus est, charitatem primam reliquisse et ab ea excidisse : Voluntas autem Dei est, ut qui sic excidit vel lapsus est, pœnitentiam agat. Ejusmodi et Angelus, id est, sacerdos Ecclesiæ Ephesi tunc erat, et multi hodieque sunt sacerdotes, sive sub sacerdotibus viventes in Ecclesia, quos omnes in hoc uno angelo spiritus timoris partim exterrendo increpat, partim refovendo laudat. Incipit autem sic : « Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua.» « Septem stellæ angeli sunt septem Ecclesiarum, » ut prædictum est. Jam isto dicto stellas ejusmodi salubris timor constringit, quia videlicet sic stellæ istæ in cœlo sunt, ut eas teneri oporteat ne cadant in terram. Nam de cœlo stellæ plurimæ ceciderunt, et de stellis facti sunt principes tenebrarum (*Isa.* XIV). Dicendo itaque, « qui tenet septem stellas in dextera sua, » simul terribiliter innuit, ut qui se existimat stare, videat ne cadat. Non enim stat sua virtute, sed dextera Domini continente. Hoc idcirco **368** maxime cavendum est, quia is ipse, qui tenet stellas easdem, vigilanter attendit, ne forte pro ipsa claritate veniat alicui pes superbiæ (*Psal.* XXXV). Unde et subditur : « Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. » Nam idem est ac si dicat : Qui in medio vestri digrediens corda singu-

lorum, et renes investigare (*Jer.* XVII). Etenim, ut prædictum est, « candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt. » Cum ergo in medio candelabrorum hujusmodi ambulat, lumen singulorum intuetur quantum luceat, ne forte sine oleo charitatis, sine operibus dilectionis fumiget fides mortuorum. Nam ubi tale quid invenerit, dicit: Scio opera tua et laborem et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos, tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt, et invenisti eos mendaces, et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. » Plane hæc opera quidem sunt, laborare in regula fidei catholicæ, et laboris hujus patientiam habere, etiam disputando contra dogmata perversa, quorum fabricatores mali, tam multi tamque loquaces sunt, ut non possis eos sustinere; qualis tunc erat Marcion et Cerintus, multique alii hæretici. Bona, inquam, opera sunt quidem, tentare illos doctores mendaces falsosque apostolos convincere, sed non in hoc est perfectio, qualumcunque patientiam habeas sustinendo istos et non deficiendo, absque primo charitatis ornamento. Nam et Apostolus dicit: » Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII). » Et apostolus Jacobus ait: « Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa est? » (*Jacob.* II). Otiosa namque est fides, quantumcunque operari videatur, nisi per dilectionem operetur. Ait ergo: « Sed habeo advertus te, quod charitatem tuam primam reliquisti. » Ac si dicat: Illud quidem pro te est, et pro te agit, quod sic operaris, sed hoc adversum te est quod in hoc opere tuo charitatem primam reliquisti. Prima namque, id est, principale bonum charitas est, quæ et excellentior via est juxta Apostolum (*I Cor.* XIII), hoc solum pene et unicum signum est perfectionis, et testimonium veræ virtutis, quemadmodum alibi dixit: « In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* III). » Hoc signo cognitus est Stephanus protomartyr, quando in labore et patientia sua, cum non posset sustinere malos, quos invenerat et convicerat mendaces, ita patientiam habuit, ita sustinuit propter nomen Domini, ut moriens etiam pro ipsis oraret, et diceret: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum (*Act.* VII), » quia nesciunt quid faciunt: « Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam et prima opera fac; sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. » Sicut multa sacræ Scripturæ testimonia, sic et locus iste docet nos non debere præcipitare sententiam super Ecclesiarum angelos, id est, episcopos, et super quoscunque gradus ecclesiasticos. Non enim dixit quia charitatem tuam primam reliquisti, idcirco venio tibi, et moveho candelabrum tuum de loco suo, sed grande intervallum voci suæ, magnumque frenum posuit currenti sententiæ, dicendo: « Memor esto igitur unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. » Tunc demum ita subjungit: « Sin autem, » id est, si super illud quod habeo jam adversus te, super illud quod charitatem tuam primam reliquisti, contemptum quoque apposueris, « venio tibi, » etc. Ordo iste judicii Dei late splendet in Scripturis, sed exempli gratia, duo tantum præponantur homines, Saul videlicet et David. Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel. Quod est dicere: Humilis sicut puer unius anni, et parvulus in oculis suis erat, quando rex factus est, et duobus annis eadem humilitate regnavit super illud. Unde loquente Domino in se, ait Samuel: « Nonne cum parvulus esse in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? » (*I Reg.* XV). Ab hac humilitate excidit, quando contra legem holocaustum obtulit, cum non esset sacerdos de stirpe Aaron, sed homo de tribu Benjamin. Item, quia ab humilitate exciderat, pepercit Agag regi Amalec, et optimis gregibus ovium contra perceptum Domini. Iterumque, inquit, Scriptura: « Offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec (*ibid*). » Redargutus super eo quod humilitatem primam reliquisset, non fuit memor unde excidisset, neque pœnitentiam egit, quippe qui holocaustum rursus offerendo peccatum auxit, præsumptionem iteravit. Dixit quidem peccavi, tanquam memor esset unde exciderit, sed non humiliter dixit aut sensit. Addidit enim: « Sed nunc honora me coram senibus populi mei et coram Israel, et revertere mecum (*ibid.*). » Honorem ergo vel gloriam non Dei, sed suam, ista confessione mercari voluit, dicendo peccavi. Juste ergo solium ejus de loco suo moveri debuit, quia pœnitentiam non egit. David autem et ipse parvulus erat, de quo et Pater Isai, dixit ad Samuel: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves (*I Reg.* XVI). » Cumque jam regnaret, nihilominus et humilis erat. Nam de humilitate ejus scriptum est: « Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit regem David subsilientem atque saltantem coram Domino, et despexit eum in corde suo (*II Reg* VI). At ille: « Vivit Dominus, inquit, quia ludam et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis (*ibid.*). » Ab hac humilitate tunc excidit, quando verbum Domini contempsit, peccando in uxorem Uriæ quam tulit. Unde et per prophetam dixit ei: « Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? » Et subinde: « Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum eo quod despexeris me (*II Reg.* XII). » At ille statim memor fuit unde excidisset, et quod charitatem primam reliquisset, et dixit: « Peccavi Domino (*ibid.*) » Item in psalmo: « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi et malum coram te feci (*Psal.* L.) » Ergo non huic venit Dominus sicut venerat Sauli, ut moveret solium sive candelabrum ejus de loco suo.

Nam et regnum ejus stetit, et prophetica gratia cum docendi auctoritate permansit : ea namque recuperata, « docebo, inquit, iniquos vias tuas (*ibid.*). » Igitur ubi cujuslibet Ecclesiæ angelus, id est sacerdos, charitatem suam primam relinquit, recte non statim juris est ecclesiastici, movere candelabrum ejus de loco suo, id est auferre sacerdotium vel ecclesiam ejus. Sed dicitur ei : « Memor esto unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. » Si audierit corripientem, ille qui corripuit lucratus est suum fratrem (*Matth.* XVIII). Quod si neque adhibito alio, neque publico conventus Ecclesiæ testimonio correxerit, imo audire contempserit, tunc demum recte movetur candelabrum ejus, et alteri datur. Sequitur : « Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, **369** quæ et ego odi. » Illud, inquit, habeo adversus te, quod jam dixi, hoc autem habes mecum, et in hoc mihi consentis, quod facta Nicolaitarum odisti. Nam illa et ego odi. Nicolaitæ dicti sunt a Nicolao diacono Ecclesiæ Hierosolymorum, qui cum Stephano et cæteris constitutus est a Petro, qui propter pulchritudinem relinquens uxorem, dixit, ut qui vellet ea uteretur, et versa est in stuprum talis consuetudo, ut invicem conjugia commutarentur. Istos hoc loco improbat. Et notanda dispositio sermonis quam artificiosa sit. Et priusquam emitteret austeritatem reprehensionis, quæ laudanda erant collaudavit, scio, inquiens, opera tua, et laborem, et patientiam tuam, etc. Et post ubi corripuit atque minas intentavit, rursus quod laudandum erat, laudavit : « Quia, inquit, facta Nicolaitarum odisti, quæ et ego odi. » Ita reprehensionis amaritudinem, ne nimis offenderet atque exterreret, collaudationis dulcedine circumlinivit. Hoc modo et cum muliere Samaritana loquens, et antequam diceret, quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est vir tuus, præmisit collaudans : « Bene dixisti, non habeo virum, » et postquam illi quod tot viros habuisset, expressit, iterum collaudans, « hoc, inquit, verum dixisti (*Joan.* VI). » Magnum hoc, et digne imitandum est magisterium Spiritus Dei corripere quidem ea quæ emendatione indigent, sed inter corripiendum, et prius et posterius collaudare, si qua bene dicta sunt vel acta ab eodem, qui in aliis corripitur, quatenus quo ad fieri potest, teneatur benevolus, et non refugiat confusus aut exterritus audire non sustinens peccatoris animus. Item notandum est ulla corripientis invectione nihil minus apud intelligibilem animum valere, quod sequitur :

« Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. » Hæc enim talis dictio quasi clamor est vehementissimus, pertingens usque ad aurem cordis intrinsecus. Hinc Evangelista : « Jesus, inquit, hæc dicens, clamabat : Qui habet aures audiendi audiat (*Matth.* XIII). Tali namque enuntiatione negligentem animam vehementer confutat, surdum nimis hominem esse designans, etiamsi patentes corporis aures habeat, qui tantæ comminationis A vim intus non audiat, qui tanti judicii necessitatem intrinsecus non sentiat. Sane cum non dicit, quid spiritus dicat Ecclesiæ Ephesi, sed « quid spiritus dicat Ecclesiis, » sciendum est quia quæ singulis scribit, universis dicit Ecclesiis. In omnibus quippe Ecclesiis sunt, et qui digne audiant, vel quibus dici debeant ea quæ sunt timoris, et quibus ea quæ sunt pietatis. et quibus ea quæ sunt scientiæ, et quibus ea quæ sunt fortitudinis, et quibus ea quæ sunt consilii, et quibus ea quæ sunt intellectus, et quibus ea quæ sunt sapientiæ. Nam et idcirco septem Ecclesiæ scribuntur, vel septiformis Ecclesia dicitur, quia quicunque in Ecclesia sunt, in quolibet gratiarum istarum consistunt gradu.

Proinde versus iste quasi intercalaris ad singulas B Ecclesias, de singulis pronuntiatur spiritibus Dei, « qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. » Additur huic alius, qui et in singulis istorum spirituum elocutionibus, pro qualitate condignarum retributionem variatur. « Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. » In isto gradu, id est in spiritu timoris, vincere est corripienti acquiescere, pœnitentiam agere et prima opera facere. Porro, primis hominibus, quia corripienti Deo non acquieverunt, imo peccatum suum superba defensione tuentes auxerunt, lignum vitæ quod plantaverat Deus in medio paradisi, interclusum est ; ait enim Dominus Deus : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum (*Genes.* III). » Nunc ergo ne forte mittat manum C suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum, emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, et collocavit ante paradisum Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Quod ergo primo homini interclusum est pœnitentiam non agenti, pulchre huic repromittitur qui pœnitentiam egerit : Quatenus edat de ligno vitæ, « quod est, inquit, in paradiso Dei mei, » et vivat in æternum, cum ex illo comederit, Dei mei dixit, pro natura carnis nostræ quam assumpsit. Nam pro natura suæ divinitatis dici potuit quod est in paradiso Patris mei. Utrumque in Evangelio diffinit [præfinivit], dicendo jam fratribus suis, apostolis suis : « Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum (*Joan.* XX). » Sed nunquid ut re- D surgamus et vivamus in æternum, de illo materiali ligno est edendum ? Non utique, sed « qui manducat, inquit, carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die (*Joan.* VI). » Christus namque lignum vitæ est, cujus et in cœlesti paradiso visione, et in præsenti Ecclesia corpore, sanctæ reficientur animæ. Illud materiale lignum vitæ, hominem morte animæ, scilicet, peccato jam mortuum, non vivificasset, sed carnem vivere faceret in æternum, quod infelicissimum esset. Mortuus quippe in anima, si corpore viveret homo in æternum, non recuperaretur in æternum, et esset æternaliter miser, ut

dæmones sunt. Hoc autem lignum vitæ, quod est Christus, dum nos corpore et sanguine suo reficit, jam nunc resuscitat animam a morte peccati, et carnem nostram in novissimo die resuscitabit. Sæpe autem is, qui necdum vicit, id est, qui pœnitentiam non egit, edit de hoc ligno vitæ, quod est in paradiso Dei, manducat corpus, et bibit sanguinem Domini. Non illi dat Christus, sed ipse rapit, et ideo « judicium sibi manducat, et bibit (*I Cor.* XI). » — « Et angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit: Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam, sed dives es, et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. » Post spiritum timoris sursum est spiritus pietatis, et ille spiritus sine dubio loquitur hic, de toleranda persecutione suggerens, cui causæ vel intentioni nimirum et Ecclesiæ nomen congruit. Smyrna enim myrrha dicitur, quæ mortificationem carnis designat. Verissime his qui persecutionem patiuntur propter justitiam maxime opus est spiritu pietatis, ut sint in passionibus pii, in opprobriis vel exprobrationibus mansueti, non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto (*Rom.* XII), sed contrario benedicentes, imo et interea suis reficiantur lacrymis, vitam suspirantes æternam, cujus spe patiuntur, ob cujus dilationem lacrymantur, juxta quod quisque illorum in psalmo loquitur: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus (*Psal.* XLI). » Et a quo magis principio sua dicta debuit exordiri, tribulatos consolari intendens, spiritu pietatis? Ait enim: « Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit. » Ei qui tribulatur ante oculos ponit primum et novissimum, qui fuit mortuus, et vivit, ut non miretur in fervore, qui ad tentationem fit quasi novi aliquid contingat. Ac si dicat hic spiritus eidem quem consolari vult: Tu a quolibet culmine temporali dejectus, propter justitiam quasi homo ignobilis opprobriis, et insuper plagis ureris servilibus (*I Petr.* II). Sed quantum hoc est, si ad illum respicias, qui pro te passus est, tibi relinquens exemplum ut sequaris vestigia ejus? Ille namque cum apud Deum esset primus, et pretiosissimus, secundum alteram naturam Filius Dei, secundum alteram naturam Filius intemeratæ Virginis; cum, inquam, sic esset primus et optimus, et præ filiis hominum speciosissimus, apud homines novissimus fuit, id est vilissimus, quemadmodum et propheta dicit gemebundus: « Nos vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum, et novissimum virorum, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum (*Isa.* LIII; (*Psal.* LXXXI). » Ita ille primus Deus stans in synagoga deorum, « et novissimus, » id est, vilissimus ire sub judicio hominum. Quid ergo magnum, si tu homo, et non Deus de tuo quantulocunque honore propter illum es dejectus, si quod pateris, homo non sine peccato, passioni ejus comparetur. quam pro te passus est, « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? » (*Isa.* LIII.) Itaque bene ac decenter sic exorsus est: Hæc dicit primus et novissimus. » Quo autem pertinuit et hoc addere: « qui fuit mortuus, et vivit? » Nimirum ad magnum cumulum consolationis, ut sciat quia qui mortificatur, sequendo vestigia Christi vivet (*I Petr.* II), quemadmodum ille, « cum fuerit mortuus, nunc vivit. » Et quid dicit: « Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam. » Quod nunc dicit, scio, vehementer, et eodem pondere dictum debet intelligi, quo jam dictus propheta dixerat de illo: « Et vidimus eum virum dolorum, et scientem infirmitatem (*Isa.* LIII). » Scientem dixit infirmitatem, pro eo ut diceret, experimentum infirmitatis habentem. Itaque et hic scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, id est, tribulationis quam pateris experimentum habeo et paupertatem quam sustines in memetipso expertus sum. Quis enim majorem quam ego tribulationem sustinuit? Et cum dives essem, quis ad tantam ut ego paupertatem descendit? Etenim de me Psalmista dicit: « Et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare (*Psal.* CVIII). » Hujus experimenti memor Apostolus dicit: « Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (*Hebr.* IV). » Tentatus namque est, fame, siti, persecutione et morte, et inde « scio, inquit, tribulationem tuam, et paupertatem tuam. » Idcirco non minus doleas, quia scis vel expertus es: nam ego talis idem scio, idem expertus sum. Sequitur, et dicit: « Sed dives es, et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. » Quod dixi paupertatem tuam, dixi secundum falsam æstimationem hominum: nam secundum rei veritatem, dives es. Illi te pauperem putant, sed tu dives es. Ego enim ascendens in altum (*Psal.* LXVII), ego in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Isa.* IV; *Coloss.* II), sedens ad dexteram Patris, dedi dona hominibus, et inde tu dives factus es, habens sermonem sapientiæ, sive sermonem scientiæ (*I Cor.* XII), sive aliud quodlibet talentum ex multarum divisionibus gratiarum. Et cum ita dives sis, blasphemaris tanquam pauper, tanquam nihil sis, tanquam nihil acceperis, nihil noveris, nulla ex parte Deum cognoscas, aut a Deo cognitus sis. A quibus ita blasphemaris? « Ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. » Magnus labor, magna tibi est afflictio cordis, taliter et a talibus blasphemari. Sed et ego istud scio, istud expertus sum. Dives eram, totos habens thesauros Divinitatis in me corporaliter habitantis (*Coloss.* II), habens requiescentem super me spiritum Domini, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, et spiritum timoris Domini (*Isa.* VI). Inde est quod « opera feci, quæ nemo alius facit et sic locutus sum,

ut dicerent adversarii, nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo (*Joan.* xv). » — « Et cum tam dives essem, blasphemabar tanquam pauper qui nihil boni haberem, aut qui a Deo non essem (*Joan.* vii.). » Dicebant enim : « Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* ix). » Item : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Matth.* xii). » Amplius autem : « Dæmonium habet, aiebant, et insanit. Quid eum auditis ? » *Joan.* x.) Et multa his similia. Ita blasphemabar ab his qui se Judæos esse dicebant, dicentes : « Semen Abrahæ sumus, Pater noster Abraham est, unum Patrem habemus Deum (*Joan.* viii), » et non erant Judæi sive filii Abraham, sed erant synagoga Satanæ. Unde et dicebam illi : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere (*ibid*). » A talibus quidem et tu blasphemaris, videlicet a falsis fratribus, quicunque « confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* i). »

« Nihil horum timeas quæ passurus es. » Non, inquit, timeas, ut loco cedas et malorum timore fidem perdas. Cæterum timere vel pavere conceditur infirmitati naturæ, ut non tamen cedat spiritus timori, recedendo a Dei voluntate. Nam et de ipso qui hæc loquitur, et in quo spiritus pietatis hæc loquitur, scriptum est : « Et assumit Petrum et Jacobum, et Joannem secum, et cæpit pavere et tædere (*Marc.* xiv). » Item ipse de semetipso : « Spiritus, inquit, promptus est, caro autem infirma (*Matth.* xxvi). » Quæ sunt illa quæ passurus es ? « Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem. » Ecce, inquit, neque enim istud in tempora longa fiet, præsens quippe tempus vestræ tribulationi, futurum autem vestræ jucunditati deputatum est. Econtra, præsens tempus impiorum risui, futurum autem illorum luctu et angustiæ statutum est. Cur autem non dixit, missuri sunt homines mali, sed ait, « missurus est diabolus ex vobis in carcerem ? » Videlicet, quia sic dicere et sic docere debuit spiritus pietatis, ad hoc instruens pium martyrem, ut intrinsecus agitatori diabolo totum imputet quod extrinsecus facit homo persequens, et condoleat homini persequenti quod eum diabolus obsedit, optetque illum a diabolo liberari, memor ejus qui dixit : « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* iii). » Etenim ipse, qui hoc dixit, pro persequentibus et crucifigentibus se exoravit, dicens : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* xxiii). » Aliquibus indultum est, sicut petivit, qui et sanguinem ejus, quem persequendo fuderunt, postea credendo biberunt. Itaque et pius martyr dum in carcerem mittitur, sciat et dicat quia hoc facit diabolus, a quo captivus homo persecutor tenetur, et sic inter vincula et carceres responsa sua contemperet, supplicemque animum pro persequentibus ad Deum sublevet, quatenus aliquos ex his liberet, quod sæpe factum est. « Missurus est, inquit, in carcerem. » Quare ? qua intentione ? « ut tentemini. » Ille enim tentator est, et eo totus intendit ut aliquos ex vobis decipere possit (*Matth.* iv). Tali intentione Job sanctum expetivit, idcirco illum extrinsecus ulcere pessimo percussit, ita ut a planta pedis usque ad verticem non esset in eo sanitas (*Job* ii), quatenus simplicitatem et rectitudinem ejus intrinsecus everteret, ut peccaret Job in labiis suis, et stultum **371** quid contra Deum loqueretur, atque ita Deo, qui proposuerat, dicens : « Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo (*Job* i) ; » quasi victor diabolus insultaret. Hoc intendens, « missurus est, ait, diabolus ex vobis in carcerem, ut non omnes cito moriamini repentino ictu gladii, sed protelatione pœnarum, et mora mortis pertæsi, conturbemini in cordibus vestris, et inter procellas injuriarum fluctuentes concidatis, et perdita, si fieri potest, fide, absorbeamini. Ecce hoc futurum est, hoc diabolus per suos ministros facit. « Et habebitis tribulationem diebus decem, » id est, usque ad mortem, videlicet quandiu militatis in lege Dei, sicut oportet, ut adimpleatis præcepta decem. Sequitur enim : « Esto fidelis usque ad mortem. » Nimirum tandiu fidelitatis constantia bono hortatu indiget roborari, quandiu tribulationum vis eamdem fidelitatem extorquere contendit. Dum ergo dicit ; » Esto fidelis usque ad mortem, » satis ostendit decem tribulationis dies pertingere usque ad mortem ; « esto fidelis, inquit, usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ. » Hæc cum dicit, manifestat ipse cur præmiserit de semetipso, dicens : « Qui fuit mortuus et vivit. » Ejusdem namque perseverantiæ quam persuadet, dicens : « Esto fidelis usque ad mortem, » in semetipso exemplum præbuit « factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* ii). » Item, remunerationis quam promittit, dicens : « Et dabo tibi coronam vitæ, » certitudinem atque fiduciam in suo præsentat capite, Apostolo ibidem prosequente : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*ibid.*). » Et alibi : » Videmus Dominum Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum (*Hebr.* ii). » Igitur usque ad mortem esto fidelis, inquit, quia jam post mortem non servanda exigitur, sed servata fidelitas coronatur.

« Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. » Dictum spiritus hujus, spiritus pietatis, auribus cordis audire vel audisse, est, coronam vitæ quam hic promittit concupiscere, et ejus spe tribulationem sive persecutionem pro Christo non solum non refugere, verum etiam libenter amplecti, ejusque exemplo dare percutienti maxillam ; saturari opprobriis, et si extrinsecus persecutor desit, semetipsum intrinsecus persequi, carnem suam crucifigere cum vitiis et concupiscentiis (*Galat.* v), et indesinenter flere, quod differatur a regno Dei, a visione ejus, qui pro nobis fuit mortuus, et vivit.

Porro auditum sive auditorem hujusmodi non ab una tantum Ecclesia civitatis illius Smyrnæ, sed ab omnibus idem spiritus exigit Ecclesiis, et idcirco non singulariter ait, « audiat quid spiritus dicat Ecclesiæ, » pluraliter, « audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. » Tandemque competenter pro causa sive intentione conclusionem ita subjungit : « Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. » Et est sensus : Qui fidelis permanserit usque ad mortem carnis, mortem animæ non timebit æternam. Mortem secundam, mortem animæ dixit. At vero mors animæ quæ mors peccati est, vel quæ peccando accidit, adeo prior est morte carnis, ut etiam resurrectio animæ, qua per fidem Christi in baptismo resurgit, morte carnis prior sit, priusque oporteat illam consequi, quam per mortem carnis transeat ex hoc B mundo, quicunque cupit videre regnum Dei. Quomodo ergo vel cur nunc secunda mors dicitur, nisi quia posterius experimento sentitur ? Nam mortuus quidem est Adam morte animæ, priusquam morte carnis, videlicet, eadem die qua vetitum lignum temeravit, juxta veritatem dicentis : « In quacunque die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II). » Sed eamdem animæ mortem tunc demum experimento sensit, quando pulvis in pulverem reversus est, quæ carnis mors est, et anima ad inferos descendit. Itaque mors animæ, quæ per peccatum animam a Deo separat, causa quidem vel origine prima est, sensu autem vel experimento mors secunda.

« Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe. » Post spi- C ritum pietatis rursum spiritus scientiæ sequitur, qui et in hac Ecclesia Pergami doctrinam malam tenentes, doctrinam Balaam, doctrinam Nicolaitarum, redarguit, dicens : proindre Angelo hujus Ecclesiæ similiter, pœnitentiam age : nimirum ad destructionem omnis doctrinæ nequam, virtute vel gratia spiritus scientiæ opus est, et sermone veritatis, de quo et hic in exordio dicit : « Hæc dicit qui habet rhomphæam ex utraque parte acutam. « Et postmodum si quo minus, inquit, id est, nisi pœnitentiam egeris, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. Ergo rhompæa ex utraque parte acuta, vel gladius iste oris Domini, sermo Dei est, de quo et Apostolus dicit : « Vivus enim sermo Dei est et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ D ac spiritus, compagum quoque et medullarum, discretor cogitationum et intentionum cordis (*Hebr.* IV). » Discernit enim inter animam et spiritum, quia videlicet ipse novit quid homo animalis cogitet, aut faciat propter terrena commoda, et quid spiritualis propter cœlestia. Et ut secundum præsentem locum vel causam loquamur, ipse discernit inter benedictionem Balaam, et inter benedictiones Moysi, quorum uterque quidem filiis Israel benedicit, sed in cæteris doctrina longe discrepavit. Balaam quippe eodem ore, quo benedixit, docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari :

A Hoc Moyses non fecit. Causæ huic vel intentioni ipsum Pergami nomen congruit. Pergamus enim interpretatur *dividens cornua eorum*. Moneturque Angelus iste, ut secundum nomen Ecclesiæ suæ, quod est Pergamus, dividat atque discernat a sana doctrina, doctrinam Balaam, sive doctrinam Nicolaitarum, per sanctum scientiæ Spiritum. Ait ergo : « Hæc dicit qui habet rhomphæam ex utraque parte acutam. » Ad quid habet illam rhomphæam ? Ad faciendam vindictam in omne tenentes doctrinam Balaam, et in ipsum quicunque ille est, qui docet doctrinam Balaam. Meminisse namque debemus historiæ veritatis, in qua Dominus dicit Moysi : « Ulciscere filios Israel de Madianitis. » Et subinde : « Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, et reges eorum, Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis, Balaam quoque filium Beor, interfecerunt gladio (*Num.* XXXI). » Et post pauca : « Iratus Moyses principibus exercitus, tribunis et centurionibus qui venerant de bello, ait : Quare reservastis mulieres ? Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari fecerunt vos in Domino, super peccato Phogor ? Unde et percussus et populus. Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam parvulos, et mulieres quæ noverunt viros in coitu, jugulate (*ibid.*). » Hujus, inquam, historiæ veridicæ hic meminisse debemus, quia quod illic realiter factum est, hic spiritualiter se facturum protestatur, qui rhomphæam ex utraque parte acutam se habere profitetur, Ait : « Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ. » **372** Magna et vehemens reprehensio est, Angeli illius Ecclesiæ, quod illic habitet « ubi sedes est Satanæ, » vel quod illic, ubi ille Angelus, sit sedes Satanæ. Qualis ejus negligentia sit, vel quomodo illic Satanæ sedem habere licuerit, sequens sermo declarabit. Interim dicit : « Et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. » Magnum hoc videri posset, si non confessionem nominis sequens negligentia vel opus obscuraret.

« Et in diebus illis, Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos ubi habitat Satanas. » Juxta nomen Pergami, quod interpretatur *dividens cornua eorum* ; huc usque quæ laudanda erant laudavit, martyrem, ut quidam perhibent, hujus nominis quod est Antipas, Pergami passum commemorans, cum testimonio laudandæ fidei, et deinceps quæ reprehendenda sunt reprehendit, atque ita cornu justitiæ, a cornibus injustitiæ dividit, secundum illum psalmi versiculum : « Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi (*Psal.* LXXIV). » Sequitur enim : » Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari. Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. » Qualis secundum historia doctrina Balaam fuerit, et qua-

liter hodieque teneant vel imitentur illam multi, A qui ex Ecclesia esse videntur, diligentius considerari præsens locus admonet. Fuit ille Balaam idem, qui in libro Job dicitur Eliu, primum prophetes et vir sanctus, postea propter avaritiam divini vel arioli vocabulo nuncupatus. Hic benedicendi et maledicendi potestatem habens, sive efficaciam sacerdotum, qui dum sint mali, pro officio tamen communicandi vel excommunicandi potestatem habent, gessit figuram. Unde et Balac loquitur ad eum: « Veni et maledic populo huic, novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, et maledictus in quem maledicta congesseris (*Num*. XXII), » habens quoque scientiam Dei, et sciens quod frustra sacerdos in eum maledicta congerit, quem causa vel culpa propria maledictionibus non subjicit. Et B tamen propter avaritiam vadens et toties perquirens, si forte Deo placeret ut malediceret populo huic, manifeste formam illorum exprimit, qui benedictiones et maledictiones in Ecclesia vendunt, et omnia quæstus causa faciunt. Summum doctrinæ ejus nequam illud exstitit, quod ait: « Verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium, quod populus tuus populo isti faciat. Deditque consilium quod et factum est, ut fornicaretur populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua, comederunt et biberunt, et initiatus est Beelphegor, et iratus est Dominus. Denique hoc est quod ille dedit consilium. « Nonne, inquit, Moyses, istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam? » (*Num*. XXXI.) In hujusmodi doctrinam ille cecidit per avaritiam, non per ignorantiam. Ait C enim ipse suam scientiam profitens: « Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cujus obscuratus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos (*Num*. XXIV). » Nimirum hæc dicens in profundam avaritiæ foveam cadebat, et suum ipse casum videbat. Sic divisus, sic Duplex ille Balaam, in publico benedictiones Dei, tinnulis vocibus concinens, in secreto dolum concinnans, et consilium impio regi præbens, ad populi Dei perniciem. Nonne sacerdotum venalium hypocrisim in semetipso præpingit intolerabilem? Annon hodieque talium sacrilegorum intestina peste omnia plena sunt? Mittit violenta manus sæcularium, et hoc sæculum diligentium, et in hoc sæculo potentium, D secundum nomen Balac, interpretatur enim *lingens* sive *elidens*, lingens scilicet, sæculi delicias, et elidens, pudicas, quoad potest, non sibi consentientes animas. Mittit, inquam, trans Jordanem, et evocat quempiam sacri baptismi transgressorem, et statuit sibi pontificem pronum in avaritiam vanitates observantem secundum nomen Balaam. Balaam quippe *populus vanus* interpretatur: reges quoque et imperatores, qui se Christianos dicunt, vanitatem hujusmodi sectati sunt, et contra Aaron pontificem, Balaam ariolum: contra Petrum, Simonem Magum; contra quempiam legitimum Romanæ sedis antistitem, adulterum quemlibet nonnunquam intruserunt ad maledicendum. Verumtamen de universo loquamur Balaam, id est, de omnibus qui ubivis terrarum sub nomine vel officio sacerdotii sectantur avaritiam, et mercedes iniquitatis amant. Quisquis ergo ille est, qui taliter accedit ad sacerdotium, adductus quidem est ad maledicendum, et animo detestatur Israel, quia diligit vitia, et odit virtutes, sed in publico detestari non audet, palam voce maledicere non audet, ita ut aliter doceat in Ecclesia, quam regula fidei sese habeat. Sic nimirum ille Balaam cum propter promissa sibi munera maledicere cuperet Israel, Domino prohibente, non audebat, sed econtrario benedicebat, eadem ad felicitatem populi illius de Christo veraciter pronuntians, quæ et Moyses et alii prophetæ sancti, pie fideliterque annuntiant: « Orietur, inquit, stella ex Jacob, et consurget virga ex Israel, et percutiet duces Moab (*ibid.*) » etc. De quorum mysticis sensibus non vacat dicere nunc per singula. Ita isti non audent, cum velint, transire regulam fidei, et cum in animo cupiant populis eximere futuri metum judicii, ut multos suæ fautores iniquitatis, multosque suæ socios habeant perditionis, lectiones tamen recitant, et testimonia cantitant Dominicæ passionis resurrectionis, et ascensionis, et novissimi diei judicii. In hac fide benedicunt baptizant, consecrant. Porro cum hæc publice fecerint, in occulto vertuntur ad consilium, ad colloquia mala, quæ bonos mores corrumpunt. Procedunt subornatæ filiæ Madian, ludentes et composito gradu incedentes ad decipiendum Israel. Hoc nimirum toties fit, quoties teneri et nolles vitis profluentes, nullumque ad vitæ constantiam virile robur habentes (*I Cor*. XV), acceptis honoribus, cum sint moribus obscuri, fiunt in Ecclesia sub nomine Christiano spectabiles. Hoc est consilium vel suggestio Balaam, id est, omnium qui sequentes vitam ejus, mercedes iniquitatis amant. Neque enim filios Ecclesiæ pro virtutibus torum, sed filias, id est, molles vitiosas animas, pro muneribus ad ecclesiasticos honores provehunt. Annon isti sic provecti, doctrinam tenent Nicolaitarum? Nicolaum quippe refert Clemens de zelo pulcherrimæ conjugis increpatum respondisse, ut quicunque eam vellet, acciperet uxorem et hoc infideles docuisse, quod Apostoli cunctis promiscua, communiaque feminarum consortia permitterent. Annon illi doctrinæ vicinum hoc est, quod isti legitimum non volentes habere conjugium, utpote legibus ecclesiastici interdictum, ut sint sancti et mundentur, quia portant vasa Domini, nihilominus incontinentes sunt, imo deterius eo proruunt, imitantes connubia quoties volunt, et qui nullum habent torum licitum, dum sic evagantur, nullum confidunt rupisse conjugii vinculum; fornicantur autem **373** cum illis (*Levit*. XX), » et initiantur Beelphegor, quicunque exemplo talium ad incesta vel adul-

teria audaciore fiunt (*I Paral.* xv). Et tunc quidem miraculum fuit, quo aperuit Dominus os subjugalis muti, et animal hominis voce loquens, redarguit prophetæ insipientiam, qui hujusmodi consilium dedit (*Ezech.* XLIV ; *Num.* XXII) ; sed et nunc pene illi simile fit, quando turba plebeia rectores Ecclesiæ clamoribus suis coarguit atque objurgat, eo quod talis pestilentia, tanta in sacros ordines macula, ex ipsorum acciderit avaritia. Ait ergo : « Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari. » Et exponens quæ sit illa doctrina Balaam, continuo subjungit : « Ita habes et tu tenens doctrinam Nicolaitarum. » Ergo fornicationes, quas Nicolaus induxisse fertur, ut jam dictum est, contra puritatem ecclesiasticam, appellat doctrinam Balaam, et hoc esse confirmat scandalum Ecclesiæ Dei, « edere et fornicari. » Et recte. Nam ubicunque sacerdos sive pontifex conductitius exemplo Balaam mercedes amat iniquitatis, continuo tanquam de mala radice vitiorum omnium pullulant fructus mali, primumque Ecclesiæ castitas et omne decus religionis perit, scientiæ nulla cura, nullus honor, nullus fere sacri fervor studii, sed avaritiæ, quod idolorum servitus, vorago bona cuncta submergit. Sequitur :

Similiter et tu pœnitentiam age ; sin autem, venio tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. » Congrua satis et opportuna pro re comminatio ejus, qui se rhomphæam ex utraque parte acutam habere dixit. Nam et ubi Balaam ille mercede conductus ibat, stetit Angelus Domini in via, evaginatum in manu gladium tenens, dixitque ad Balaam : « Ego veni ut adversarer tibi. Et nisi asina declinasset a via, dans locum resistenti, te occidissem, et illa viveret (*Num.* XXII). » Et quia pœnitentiam ille non egit, docens Balac scandalum mittere coram filiis Israel, edere et fornicari, completa est in eum ultio ; propter quam significandam, Angelus Domini tali schemate, videlicet, evaginatum in manu gladium tenens, apparuit. In illa quippe ultione quæ facta est de Madianitis, « Balaam quoque filium Beor, ait Scriptura, interfecerunt gladio (*Num.* XXII). » Bene ergo veniam, inquit, et pugnabo cum illis in gladio oris mei, videlicet, juxta similitudinem illius angelicæ visionis illius in Madianitas et in ipsum Balaam ultionis. Nam ille gladius in manu Angeli, illa ultio in Madianitas, judicium illud significat, de quo Apostolus : « Fornicatores autem, inquit, et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* XIII). » Judicabit enim non solum fornicatores, quales Madianitæ, cum quibus Israel fornicatus est, fuerunt ; verum etiam et adulteros illos, qui adulterant verbum Dei, qualis fuit ille Balaam, qui verba benedictionis adulteravit, malum submittendo consilium, et docendo Balac mittere scandalum illud coram filiis Israel.

« Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. » Hoc loco audire quid spiritus dicat, est non cessare a sana doctrina, ad destruendam illam doctrinam Balaam, sanctamque exercere scientiam, illamque semper evangelicam Domini memoriter tenere sententiam : « Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ (*Luc.* XI). » Ipse non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. Qui enim sub nomine Christiano peccata nutriunt vel nutriri permittunt, sufficere ad salutem arbitrantes solum nomen divinum, quemadmodum illi qui confidentes in verbis mendacii dicebant : « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est, et fecerant illud speluncam latronum (*Jerem.* VII), » profecto ad veram scientiam nequaquam introierunt. Si enim in illam introissent, si sanctarum Scripturarum voces vigilanter advertissent, vel advertere voluissent ((*Matth.* XXI). » scirent quia nihil valet professio divini nominis, quam ut in illo Balaam supplantat doctrina nequam, edendi et fornicandi. Hoc autem scientes atque observantes, non fuissent ejecti de templo flagello iracundiæ Dei (*Joan.* II). » prosequente prophetico atque dicente spiritu de illis : « Propterea captivus ductus est populus meus quia non habuit scientiam (*Isa.* V). » Hoc ergo audiat qui habet aures, quia tanquam bruta victima gladio cædetur pectus illud, in quo propter voluntariam cæcitatem scientia non est.

« Qui vicerit, dabo ei manna absconditum. » In isto gradu vincere, est doctrinam Balaam, id est fornicationes, primum in semetipso per virtutem continentiæ, deinde in aliis per virtutem scientiæ destruere. Porro qui hoc modo vincit, ille sacramentum corporis et sanguinis Domini digne percipit ; sicut econtrario ille qui vincere negligit, accedens ad hoc sacramentum, « judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI). » Recte ergo, inquit, « vincenti dabo manna absconditum ; » id est, munditiam cordis et corporis custodienti, dabo panem verum, panem vivum, cujus signum vel figura fuit manna quod filii Israel manducaverunt. Dicitur autem hoc manna absconditum, quia videlicet, in hoc sacramento aliud oculis cernitur, aliud fide intelligitur. Et quæ utilitas consequetur accipientem hoc manna absconditum ? Ait : « Et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum quod nemo scit nisi qui accipit. » Qui enim digne percipit hoc secramentum, sic resurget in novissimo die, ut corpore novo candorem habeat solidum, candorem sempiternum, sitque corpus ejus quasi calculus, id est, splendida immutatione solidatum. De quo Apostolus ; « Mortui, inquit, resurgent incorrupti, et nos immutabimur (*I Cor.* XV). » Immutari namque sanctorum est tantum, idemque est ac si diceret : Ultra non moriemur, impassibiles erimus, In ejusmodi calculo nomen novum scriptum habere, est filios Dei nominari et esse. Hoc utique nomen novum, id est, ex novo homine Christo, per sanguinem ejus redemptis datum est. Nam nomen vetus ex veteri homine nobis hæreditarium

erat, scilicet, ut diceremur et et essemus natura filii iræ (*Ephes.* II). Quare autem hoc nomen nemo scit, nisi qui accipit? Videlicet, quia nomiuis hujus scientiam, non alienum extrinsecus documentum, sed proprium intrinsecus efficit experimentum. Inflati et tumidi sciant ut sibi scire videntur, quantum volunt sive quantum possunt, hujus tamen nominis scientiam consequi non possunt. Scriptum est enim: « Hæc cogitaverunt et erraverunt, excæcavit enim illos malitia illorum, et nescierunt sacramenta Dei (*Sap.* II). » Nemo ergo scit dignitatem sive ingenuitatem nominis hujus, quo nominamur vel sumus filii Dei, quantumcunque sciat, sive buccis crepantibus perstrepat, ut ille Aristoteles, sive omnes Aristotelici, relationem Patris ad Filium, sive Filii ad Patrem, nisi quem spiritus adoptionis regenerando Filium Dei Patris effecerit, et ipsa regeneratione scientem hujus rei, doctumque suo tactu perfecerit.

« Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco. » Hic in Filio Dei spiritus fortitudinis, qui post spiritum scientiæ rursum sequitur, loquitur quod suum est. Ait enim: « Habeo adversus te, quia permittis mulierem Jezabel quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos. » Hæc etenim cum dicit, illum Thyatiræ Angelum, **374** et omnem hominem sanctum, qui secundum nomen Thyaræ, quod transfertur in hostiam exhibuit Deo corpus suum hostiam viventem (*Rom.* XII), mittit ad veridicam historiam. Ubi Elias Thesbites contra Jezabel et prophetas ejus ita fortis fuit, et ita fortiter egit, ut usque hodie dicat in medio Ecclesiæ, cum illius zeli fortitudinis suæ memoria laudabili, memorabili laude: « Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia prophetas tuos occiderunt, et altaria tua subfoderunt (I *Reg* XIX). » Ita quippe fortiter zelatus fuerat, ut prophetas Baal viros quadringentos occiderit gladio (I *Reg.* XVIII). Eadem zeli fortitudine Phineesquoque (quem ipsum Eliam fuisse Hebræi autumant) in supradicto scandalo quod Baalam docuit, Balac mittere coram filiis Israel, « arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, qui ingressus fuerat ad scortum, et confudit ambos, virum scilicet et mulierem in locis genitalibus: atque ita aversus est furor Domini ab Israel (*Num.* XXV). »

Magna res et sancto viro necessaria, zelus iste vel ista fortitudo, quia nimirum si careat ea, periclitatur in judicio Domini, quantacunque si in ipso propriæ vitæ sanctitas. Exemplum nobis hujus rei est periculum sacerdotis Heli de Silo. Nam quia noverat indigne agere filios suos, et non digne zelando secundum legem corripuit eos, sed cum blanditiis nimium paternis, imo pene femineis: « Nolite, inquit, filii mei, non est enim bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum

A Domini (I *Reg.* II); » idcirco venit super eum judicium, Domino ita concludente sententiam: « Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas ejus victimis et muneribus usque in æternum (I *Reg.* III). » Nunc ipsa verba per ordinem disseramus. « Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis. » Hoc ad intentionem pertinuit, quia videlicet qui angelo vel sacerdoti suo persuadet habere fortitudinem, zeli fortitudinis ejusdem exemplum in semetipso præostendens, majori cum auctoritate Dominus et Magister discipulum instruit. Nam ut oculis flammeis hic interim disseram, quid est (et pedes ejus similes aurichalco), nisi ac si diceret: Et in itineribus sive actibus ejus probata est fortitudo? Aurichalcum quippe in
B camino ignis longa decoctione, et diuturna tonsione hoc habet, ut auri similitudinem teneat. Sic denique ipse qui hæc dicit Filius Dei, quasi pedes suos, id est, finem suum. De quo Jacobus apostolus dicit: Patientiam Job audistis (*Jacob.* V) et finem Domini vidistis, fortiter in camino suæ passionis ardenti consummavit, et resurgens carnem suam in immortalis aureæ gloriam transmutavit; ac deinde gentem suam, terram et civitatem suam Jerusalem, in magno zelo non parcens igni hostili conflagraviti. Ergo pedes ejus similes aurichalco, et hoc exemplo ab eo, cui hæc dicit, jure exigit, ut post omne opus bonum, sit ei etiam erga delinquentes alios districta justi zeli fortitudo. Ad hoc intendens de seipso præmittit, « qui habet oculos tanquam flammam ignis. Oculi namque ejus qui numero septem
C sunt, juxta prophetam Zachariam (*cap.* IV), et juxta posteriorem Scripturæ hujus locum, « septem spiritus sunt (*Apoc.* III). » Et quidem ante illum passionis ejus caminum, Spiritus sanctus non tanquam flamma ignis, sed tanquam columba super eum descendisse, et in eo manere visus est (*Joan.* I). Verum ubi in cœlum ascendit, quasi flammeis oculis in terram aspexit, mittens eumdem septiformem spiritum, qui super apostolos in linguis igneis apparuit, eosque qui erant infirmi, fortes et bono zelo ferventes effecit (*Act.* II). Quid dicit iste Filius Dei?

« Novi opera tua, et fidem, et charitatem, et opera tua novissima plura prioribus. » More suo prius quod laude dignum est collaudet, et poste-
D rius quod vituperabile est, cum paterna corruptione commemorat. « Novi, inquit, opera tua, » et hoc novi et approbo, quia de bonis profecisti ad meliora. Hoc est enim quod repetens ait, « et opera tua novissima plura prioribus. » Verbi gratia: Opera illius novissima, plura vel meliora sunt prioribus; qui, cum a timore opus bonum inchoaverit, pervenit ad charitatem, quæ perfecta, foris mittit timorem (I *Joan.* IV). Hoc namque innuere videtur, ubi, cum præmisisset, « novi opera tua, » statim addit « et fidem et charitatem. » Inchoatio namque operum bonorum, timor est, qui concipitur per fidem, perfectio vero, charitas quæ servilem excludit

timorem. Et quæcunque sunt opera timoris, A quæ tempore vel ordine priora sunt, sine dubio charitatis opera tempore novissima, dignitate plura et meriti majoris sunt. Ergo in persona propria iste Angelus Thyatiræ magno testimonio superni judicis honoratur, quia secundum ipsum nomen Thyatiræ, quod transfertur in hostiam, semetipsum exhibuit Deo hostiam viventem, per fidem et charitatem.

« Sed habeo, inquit, adversus te, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis. » Ac si dicat : In tuo quippe opere et fide es laudabilis, sed in hoc vituperabilis, quod propria salute contectus, hæreticem perfidiam quæ alios perdit, non digna invectione redarguis. Nomen B quippe Jezabel, quod fluxum sanguinis sonat, convenit hæreticis. Et specialiter conjicitur fuisse mulier in supradicta Ecclesia, docens memorata facinora, quæ figura esset Jezabel per orbem. Una quippe Jezabel uxor Achab regis Israel, universam hæreticam perfidiam, et nomine et opere præsignavit ; quia et nomen ejus interpretatur, ut jam dictum est, *fluxus sanguinis*, et ipsa prior prophetas Domini persecuta est, et occidit. Ante illam quippe nullus prophetas occidisse legitur. Ipsa justum Naboth lapidavit, ipsa Eliam, nisi fugæ consuluisset, gladio interfecisset. Posteri quoque ejus exemplum impiæ parentis imitati, scilicet, Ochozias rex Juda, filius Joram ex Athalia filia ejusdem Jezabel, et Joas, et Amasias, prophetas Domini persecuti sunt et occiderunt, et verbum Dei loqui pro- C hibuerunt, et idcirco de sancta et mystica generatione Jesu Christi Matthæo scribente, sublati sunt, et locum in ea vel memoriam non meruerunt. Jamdudum quidem fabricati fuerant vituli aurei, et scissæ fuerant decem tribus de domo David, et a templo Domini, quod signum et initium fuit omnis hæreticæ et schismaticæ iniquitatis, sed ista videlicet, Jezabel cultum Baal superaddidit, et perfidiæ gladium, ut jam dictum est, adjecit, et justum sanguinem fudit, et verbi Dei ministrum in fugam compulit. Recte ergo et mulier ista, quæ supra sexus sui dignitatem in Ecclesia loquens et docens seducebat (I *Cor.* XIV), et omnis hæretica perfidia, Jezabel vocatur, et est ; atque nomen illius Jezabel, cujus posteritas, ut jam dictum est, de generatione D sancta periit, in opprobrium reservatur. « Quia permittis, inquit, mulierem Jezabel quæ se propheten dicit, » etc. Quid illum volebat agere, cui dicebat, « quia permittis ? » Nimirum induere spiritum fortitudinis (I *Tim.* II), et zelo Domini illud spiritualiter facere quod corporaliter Elias fecit. Ille cum redarguisset populum, dicens : « Usquequo claudicatis in duas partes ? » atque signis evidentibus effecisset, ut adorantes dicerent : « Dominus ipse est Deus, Dominus ipse Deus ; apprehendite, inquit, prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quo cum apprehendissent **375** duxit eos Elias ab torrentem Cison et interfecit eos ibi (III *Reg.* XVIII). » Hoc vir sanctus, qualis erat ille Angelus Thyatiræ, sic debet imitari et facere, ut non sola sua salute contentus sit, quoniam Angelus est, et secundum hoc nomen aliis qualiter salventur nuntiare debet. Sed gladium verbi Dei arripiens redarguat populum, eo quod claudicet in duas partes. Hinc communicans corpori Christi, et inde juxta doctrinam hujus mulieris fornicans, vel manducans idolothytis, cum dicat Apostolus « Non potestis participari mensæ Domini et mensæ dæmoniorum (*I Cor.* X). » Non potestis bibere calicem dæmoniorum. Quid ergo illud docent, et cum docere videantur, seducunt populum, teneat eos is, cui hæc scribuntur, tanquam prophetas Baal et prophetas Jezabel, et gladio vindice, gladio verbi Dei, quod est in ore ejus (*Ephes.* VI), separet ab Ecclesia, damnatos proprio judicio (*Tit.* III), ne quis eis communicet, aut cibum sumat, pariter ne quis dicat cuipiam illorum, ave, aut in domum illum recipiat (*I Cor.* V ; *II Joan.* I). Sic enim spiritualiter agit, quod Elias gladio materiali egit, dum prophetas Baal occidit. De ipsa Jezabel, id est, universa, quæ se magistram facit, hæretica synagoga nunc dicit.

Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua. Et ecce mittam eam in lectum, et qui mœchantur eum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis, et filios ejus interficiam in mortem et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. » Omnis hæc pœnæ comminatio ad similitudinem respicit illius Jezabel, cujus hæc mulier vel omnis hæretica lues, pro suis meritis nomen sortita est. Sic enim illa Jezabel regina, sive filia regis punita est, ut historica narratio docet. Primum dedit illi Deus tempus ut pœnitentiam ageret, et Achab quidem utcunque pœnitentiam egit, ipsa autem pœnitere noluit. Dare namque tempus pœnitentiæ, hoc est, ante pœnas comminationes præmittere. Hoc autem fecit Dominus loquens in Elia ad Achab : « Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabath. Sed et de Jezabel locutus est Dominus dicens : Canes comedent Jezabel in agro Israel. » Rursumque de Achab : « Si, inquit, mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes, si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli (*II Reg.* XXI). » Utrique ergo dedit Deus tempus pœnitentiæ, ut pœnitentiam agerent, quia pœnam utrique comminatus est antequam inferret. Et Achab quidem, ut jam dictum est, qualemcunque pœnitentiam egit, et idcirco Dominus sententiam pœnæ, quam comminatus fuerat, juxta modum pœnitentiæ temperavit. Sequitur enim : « Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestem suam, et operuit cilicio autem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite (*ibid.*). »

Idcirco pœnam, ut jam dictum est, Dominus temperavit, et de sententia nonnihil decidit. Nam quod in initio sermonis vel sententiæ dixerat, in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent tuum quoque sanguinem, illud quidem impletum est, verumtamen neque in civitate canes, neque in agro volucres cœli illum comederunt. Sic enim postmodum scriptum est: « Mortuus est autem rex, et perlatus est in Samariam, sepelieruntque regem in Samaria, et laverunt currum in piscina Samariæ, et linxerunt canes sanguinem ejus, et habenas lamberunt, juxta verbum Domini quod locutus fuerat (*III Reg.* XXII). » Item quod dixit: « Demetam posteriora tua, et dabo domum tuam sicut domum Jeroboam, » ita moderatus est, ut diceret: « Quia ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus (*III Reg.* XXI). » Porro de sententia quæ in Jezabel deprompta est, nihil decidit, videlicet, quia nullo modo pœnitentiam egit. « Et ecce ego mitto eam, inquit, in lectum. » Hoc dictum pulcherrime spectat ad culpæ ejus modum, scilicet quia de lecto surgere fecit virum suum scelere suo confortatum. Cum enim ille indignans et frendens super verbo quod locutus fuerat Naboth, dicens: « Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum (*ibid.*), » projecisset se in lectum suum, et non comederet panem: illa ingressa, ubi causam didicit, irrisit velut inertem dicens: « Grandis auctoritatis, et bene regis regnum Israel, surge et comede panem, et æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Israelitæ. » Recte ergo mitti debuit in lectum. Quomodo tandem missa est in lectum? « Jezabel, inquit Scriptura, introitu Jehu audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, et prospexit per fenestram ingrediente Jehu per portam. At ille dixit eunuchis: Præcipitate eam deorsum. Et præcipitaverunt eam (*IV Reg.* IX). » Illo itaque locutionis modo, qui sarcasmos, id est, *hostilis irrisio* dicitur, recte dicatur missa esse in lectum, ubi præcipita est deorsum. Nam præcipitata est in infernum, ubi sic habet lectum, ut quiescat, non ipsa, sed ejus illa, qua terram turbavit, insania. Juxta quem sensum in psalmo canitur: « Terra tremuit et quievit; dum resurgeret in judicio Deus (*Psal.* LXXV). » Cum enim apparuerit in judicio is qui resurrexit Deus, tremet terra, id est omnis qui amat terram; tremet, inquam, et quiescet, id est, cessabit, ut ultra turbam aut inquietudinem non faciat. Singulariter nunc quisque peccator quiescit et cessat, ut cessavit illa dum præcipitata est; tunc autem in judicio simul omnes cessabunt: Sequitur: « Et qui mœchantur cum illa, in tribulatione maxima erunt. » Et hoc utique in illam Jezabel abunde factum est. Primum ipse vir ejus, qui cum ille fornicabatur fornicatione, qua Deus relinquitur et idola coluntur; et deinde omnis domus ejus, sed et omnis populus in tribulatione maxima fuit, in tribulatione belli et famis. Primus quippe ipse Achab in bello contra regem Syriæ vulneratus, et in tribu-

A latione mortuus est, et canes linxerunt sanguinem ejus (*III Reg.* XXII). Post hunc et filius ejus Joram, et omnis populus qui cum illa fornicabatur, in tribulatione maxima fuit, pugnante Benadab rege Syriæ et obsidente Samariam. « Facta est enim fames magna in Samaria, et tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis; et quarta pars cadi [cabi] stercoris columbarum, quinque argenteis. Cumque transiret rex Israel per murum, mulier quædam exclamavit ad eum dicens: Salva me, domine mi rex. » Ac deinceps: « Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum et comedimus (*IV Reg.* VI), » etc. In illa tribulatione maxima idcirco fuerunt, quia pœni-
B tentiam non egerant; imo et Jezabel vivebat adhuc, et adhuc cum illa fornicabantur. Unde et posterius filio ejus Joram interroganti: « Pax est Jehu? ille respondit: Quæ pax? « (*IV Reg.* IX.) Adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ et veneficia ejus multa vigent. Ait ergo: « Et qui mœchantur cum illa, in tribulatione magna erunt, nisi pœnitentiam egerint, » et subaudiendum est, sicut illis qui cum Jezabel fornicati sunt, accidit. Et continuo subjungit:

376 « Et filios ejus interficiam in mortem. » Filii ejus hæreticæ mulieris, imitatores ejus sunt. Horum interfectionis æternæ damnationis similitudo nihilominus in interfectione filiorum illius Jezabel notissima est. Prius Ochozias filius ejus qui regnavit pro patre suo, cecidit per cancellos cœnaculi sui
C quod habebat in Samaria, et ægrotavit ac mortuus est. Joram fratrem ejus, cum regnaret pro eo, interfecit Jehu. « Tetendit arcum manu et percussit eum inter scapulas, et egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo (*IV Reg.* IX). » Sed et septuaginta viros omnes filios regis, sive ex ipsa Jezabel, sive ex aliis conjugibus, mandante Jehu occiderunt optimates civitatis, apud quos nutriebantur (*IV Reg.* X). Ochoziam quoque filium filiæ Jezabel regem Juda qui venerat ad visitandum Joram, occidit Jehu et fratres ejus quadraginta duos viros. Interroganti namque Jehu cum invenisset eos et dicenti: « Quinam estis vos? responderunt: Fratres Ochoziæ sumus, et descendimus ad salutandos filios regis et filios reginæ. Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, jugulave-
D runt eos, et non reliquit ex eis quemquam ((*ibid.*). » Sed et Athalia mater Ochoziæ videns mortuum filium suum surrexit et interfecit omne semen regium qui utique filii, id est, abnepotes Jezabel erant. Unum Joas filium Ochoziæ furata est soror ejusdem Ochoziæ de medio filiorum regis, cum interficiebantur (*IV Reg.* XI). » Perspicuum est ergo pœnam universam, quæ in hanc mulierem, imo in omnem hæreticam doctrinam decernitur, in illius Jezabel exemplum decerni, ut justa sit illi pœna similis, cui sese in culpa similem fecit. Longum nimis, est singulis, juxta similitudinem præscriptam, partibus immorari, qualiter omnis anima hæreticæ doctrinæ

magistra mittatur in lectum ad virum suum, imo adulterum diabolum, et quali in tribulatione sint futuri, qui cum illa mœchantur, id est, illam imitantur: delectantur, qualiter filii ejus interficiantur in mortem, id est, ita interficiantur, ut semper in morte versentur, simulque corpore et anima crucientur. Cætera prosequamur.

« Et scient, inquit, omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda et renes, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. » Ne longius abeamus quærendo cur hic dicat, « quia ego sum scrutans renes et corda, » memoriter teneamus conditionem quam comminationibus hic interposuit, dicendo, « nisi pœnitentiam egerunt ab operibus suis. » Nam quia sunt alii qui propter consequendam æternam Dei gratiam, alii qui propter tenendam felicitatem terrenam, pœnitentiam agunt, atque alii qui omnino impœnitentes sunt, pertinuit ad judicem, qui se redditurum profitetur unicuique secundum opera ejus, ostendere unde scire possit quale vel cujus meriti sit cujuslibet pœnitentis vel impœnitentis opus. « Et hoc, inquit, scient omnes Ecclesiæ scilicet in futuro, quando reddetur unicuique secundum opera sua. » Nam nunc pauci sciunt et discernunt quomodo singulis condigna reddantur, in his quæ nonnunquam in præsenti, Deo judice, patiuntur. Verbi gratia, Achab quippe sæpe dictus pœnitentiam egit, sed tota pœnitentiam ejus non in corde, sed circa renes fuit (*III Reg.* XVIII). Neque enim pœnitendo curavit, aut timuit, ne a regno Dei fieret alienus, sed hoc solum, ne regno suo privaretur. Econtra David, qui Uriam interfecit, pœnitens non hoc timebat, ne regno privaretur, sed ne a gratia Dei relinqueretur (*III Reg.* XI). Unde et dicebat : « Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me (*Psal.* L). » Porro, Joram, æque ut mater ejus, habens cor impœnitens, in ipsis malis suis in obsidione Samariæ, cum diceret, quare tantum malum est a Domino, in quod in ipsum Dominum facere non poterat, in prophetam Domini vindicari voluit, dicens: « Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisæi fidei Saphat super eum hodie. Præmisitque virum, qui præcideret caput ejus (*IV Reg.* VI). » Hic ergo « scrutans corda et renes, » id est, veraciter discernens, quis carnali, et quis spirituali intentione pœnitentiam agat. Achab quidem pœnam distulit. David autem in gratiam restituit. Joram vero et cæteros filios Jezabel absque dilatione interfecit. Ita reddidit unicuique secundum opera ejus, contestans ut omnes circa nos ita futurum sciamus, dum concludit sic : « Et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. » Sequitur :

« Vobis autem dico, cæteris qui Thyatiræ estis qui non cognoverunt altitudinem Satanæ [quicunque non habent doctrinam hanc, etc.], quemadmodum dicunt: Non mittam super vos aliud pondus, tamen quod habetis, tenete, donec veniam. » Qui Tyatiræ estis, inquit, quos reliqui mihi, sicut illos de quibus dixi in Elia, ubi sæpe dictam Jezabel timens fugerat: « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal (*III Reg.* XIX). » Hoc ipsum namque nunc de istis cæteris, qui Tyatiræ sunt, de secunda ad tertiam transiens personam, dicit verbis aliis : « Qui non cognoverunt altitudinem Satanæ. » Denique fornicari et idolothyta manducare, sicut genua curvare, altitudinem Satanæ cognoscere est. Cognoscere vero approbare est. Altitudo autem Satanæ quam nunc percutit, illa est superbia ejus, qua similis esse Altitissimo contendit, exigendo sibi in idolis sacrificari, cum soli Altissimo debeatur ut sacrificetur illi. Hanc ejus altitudinem cognoverunt, id est, approbaverunt et illi, qui tunc sub illa Jezabel curvaverunt genua ante Baal, et isti qui nunc Thyatiræ, docente ista muliere, fornicati sunt, et manducaverunt idolothyta, non cognoverunt, qui manducare noluerunt, quemadmodum illa septem millia virorum qui genua non curvaverunt. Non vera est altitudo illa, sed esse eis videtur, qui amant et mirantur aurum et argentum in simulacris gentium, et idcirco mirantur simulacra gentium, quia sunt aurum et argentum, quia exquisita et artificiosa opera manuum hominum, et ipsi curiosi sunt, inde accipientes responsa dæmonum. Idcirco cum dixisset « altitudinem Satanæ, » recte addidit, « quemadmodum dicunt. » Ac si diceret : Nam dico altitudinem Satanæ quemadmodum est, sed quemadmodum stulti admiratores dicunt: Vobis dico, inquit, vobis cæteris, qui Thyatiræ estis, » quos mulier illa non docuit aut seduxit. « Non mittam super vos aliud pondus, tantum quod habetis, tenete, donec veniam. » Jam quidem, inquit, pondus habetis, jam pœnam vestram sustinetis, dum Jezabel docet et seducit, dum servi mei seducti fornicantur, et manducant de idolothytis, et vos prohibere non audetis, timore pressi, imbelles et infirmi. Ipse timor quem sapientes quoque hujus sæculi passione reputant, pondus vobis est, pondus servitutis, pondus infirmitatis. Non estis fortes, non estis liberi, ut ille Elias fuit, qui nihil in sæculo habuit, neque habere cupivit, nihil perdere timuit. Pro nullo gavisus est commodo sæculari, pro nullo doluit incommodo temporali, et idcirco fortis, et expeditus regem redarguit, prophetas Baal occidit (*III Reg.* XVIII). Semel tantum timuit minas Jezabel, et fugit, sed non sic timuit, aut fugit, quin rediret, et palam nuntiaret in verbo Domini, quod canes comederent Jezabel (*III Reg.* XIX). Vos pondus quod habetis, sub quo laboratis, et onerati estis (*Matth.* XIX), tenete, donec veniam, **377** aut cum evangelica perfectione venire vos faciam, ut sequamini me, et omnibus relictis verbum Dei annuntietis, vendita tunica, gladium ematis, ut neminem præter Dominum timeatis (*Matth.* XIX, *Luc.* XXII). Interim pondus istud teneatis vobis portantibus, et sub pondere gementibus, vestrumque dolorem, quem habetis pro his qui seducuntur, silentio consumentibus, aliud pondus non imponam vobis, non aggravabo sententiam, quia tacetis per metum, non per consensum, per infirmitatem, non per malitiam. « Qui vicerit, et custodierit

usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur. » In isto gradu vincere, est omnes, quæ infirmum faciunt hominem; passiones superare, gaudium, timorem, spem atque dolorem, de animo propellere atque fugare, id est, sæculo non gaudere, sæculum non timere, sæcularia non sperare, pro sæcularibus non dolere. Nimirum qui talis est, qui omnes carnis affectus, et istas vincit passiones, et ita custodit opera Domini usque in finem, id est, usque in perfectionem, iste dignus et idoneus est qui præsit, qui aliorum ductor et rector sit, et imperet atque cogat tirones ad militiam Domini. Ait ergo: « Dabo illi potestatem super gentes, » id est, mea ordinatione fiet Magister eorum, qui si absque magisterio sint, gentes sunt, id est, gentiliter vivunt; quia, quamvis conversi ad fidem, pro mala tamen consuetudine ad iterandam gentilium vitam proni sunt. Et reget illas in virga ferrea, id est, recta et severa justitiæ disciplina, quæ non cito flectatur in gratiam vel odium, quia vicit hæc, quia prædictarum est victor passionum, bonumque habet zelum, nunquam odiendo hominem et amando vitium, sed semper amando hominem et odiendo vitium. Hæc enim in rectore Ecclesiæ animi rectitudo, « virga ferrea, » id est, fortis et recta disciplina est. Proinde sequitur: « Et tanquam vas figuli confringentur. » Recte namque qui ejusmodi est, corripientem subditi pro culpis suis verentur, et cadunt in facies suas, atque sedenti subjiciuntur, non habentes quid contra loquantur, auctoritate constricti boni spiritus qui in illo loquitur, et sicut vas figuli confractum non potest continere aquam, sic illi conterriti, et excusare non valentes, vel abscondere, culpam propriam confitentur. Alioquin majorem vim experirentur, sicque judiciali, anathematis lapide omnino confringuntur, ut non remaneat ex eis saltem testa, in qua portetur igniculus.

« Hanc potestatem illi dabo sicut accepi a Patre meo [sicut et ego accepi a Patre meo]. » Nam propter passionem mortis gloria et honore coronatus sum (*Psal.* VIII), et secundum hominem assumptum, « data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII), » potestas judicium facere, ut « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus sit, qui vero non crediderit, condemnetur (*Marc.* XVI). » Sicut accepi, inquit, « dabo illi, ut quorum remiserit peccata, remittantur eis; et quorum retinuerit, retenta sint (*Joan.* XX). » — « Et dabo illi stellam matutinam. » Id est, post laborem quo in præsenti vita quasi in nocte laborat, sollicitus ac pervigil in animarum sibi commissarum custodia, manifestabo meipsum, qui sum stella splendida ac matutina. « Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. » Audiat, id est intelligat potestatis ac dignitatis spe, quam promittit Deus, delectetur zelo justitiæ, contra omnes hæreses accendatur. In isto et in sequentibus capitibus præmia vincentibus promittuntur, sic in ordine litteraturæ pronuntiatur ut ipsa persona filii Dei loqui intelligatur, scilicet dum dicit, « sicut accepi a Patre meo, et confitebor nomen ejus coram Patre meo (*Joan.* XIV), » et scribam super eum nomen meum novum, et dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Non ergo abs re ordo in istis commutatur, ut prius dicat, vincenti aut qui vicerit, dabo illi hoc vel illud, ut personæ ejus qui loqui cœperat dictis alia persona non interseratur, et tunc demum ita concludat. « Qui habet aurem audiat. » Nam quod superioribus capitulis pro victoria promittitur sic, vincenti dabo manna absconditum, qui vicerit non lædetur a morte secunda, vincenti dabo edere de ligno vitæ, nihil interest utrum filii an Spiritus sancti persona loquatur.

CAP. III. — « Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei et septem stellas, Novi opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es. » Qui post spiritum fortitudinis sursum sequitur spiritus consilii, secundum ordinem suum loquitur hic in Filio Dei. Et ad quem magis loqui huic spiritui congruit, quam ad illum qui nomen habet, quod vivat et mortuus est? In secretis namque causis consilio solemus uti. Secretum autem et occultum est opus ejus, qui nomen habet quod vivat et mortuus est. Nam cujus peccatum publicum vel potum est, non hic habet nomen quod vivat, imo si vitæ vel sanctitatis opinionem prius habuit, clarescentibus operibus mortuis, opinionem illam vel nomen jam perdidit et diffamatur quod mortuus sit. Ergo ad istum qui cum mortuus esset nomen habebat quod viveret, id est, cujus peccatum vel opus non sic erat, ut malo exemplo publicum faceret Ecclesiæ scandalum, sed intus male agens, foris ubi illum pro officio prædicare oportebat, bonam retinebat opinionem, recte uti debuit Filius Dei spiritu consilii, id est non publica descriptione qualitatem vel nomen declamare operis ejus mortiferi, secundum regulam evangelicam quam ipse præscripsit. « Si, inquit, peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum (*Matth.* XVIII), » etc. Datur tamen conjici quod mortui hujus quem dicit, mors fuerit peccatum carnis. Nam postmodum dicit: « Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua ambulabunt mecum in albis. » Et revera nonnunquam contingit, ut angelus, id est, sacerdos sive episcopus, bonæ opinionis vir, secreto admittat peccatum carnis, et hoc faciendo mortuus sit sub nomine viventis. Nunc ordinem prosequamur: « Angelo, inquit, Ecclesiæ Sardis, scribe. » Nomen Sardis lapidis utique pretiosi Angelo illi congruit, res autem quæ intelligitur sub nomine lapidum in ornamentis Ecclesiæ pro causa jam dicta, non illi congruit. « Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei. » In cæteris sic initium facit, ut juxta proprietatem causæ quam dicturus est, incipiat, fiatque auditor attentus sive docilis aut benevolus ex his quæ pri-

mitus audit. In isto sic incipit, ut nihil contingat de A propria causa hujus Angeli. Causa enim ejus obscura est, quam oportet cum consilio tegi. « Novi, inquit, opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es. » Ac si dicat : Homines qui in facie vident, putant quod vivas, ego autem qui in corde video, et occultorum cognitor sum, scio quia mortuus es (*I Reg.* xvi). Sic scribendo et taliter loquendo, utique sicut ipse aliis præceperat ut facerent, facit decenter. Corripit enim illum inter se et ipsum solum. Nemo enim præter se et conscientiam illius novit, quid dicat, vel in quo ille mortuus sit, nisi forte conjiciat, aut suspicetur quisquis hæc legit. Verum suspicio in legibus locum non habet accusandi, nec debet quisquam propter alterius suspicionem de statu suo periclitari. Non ergo diutius immorari vult B in commemoratione **378** mortiferi operis ejus, sed protinus consilium dat quo salvetur.

« Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant. » Quoniam peccatum ejus non exprimitur, non quidem suspicionem nostram firmare debemus, veruntamen ejus qui carnis continentiam non habuit aut perdidit, quicunque ille est aut erit, consilium istud opportunum esse non dubitamus, ut vigilet, et cætera quæ supersunt, ne irrecuperabiliter moriantur, lumbos suos præcingendo confirmet, juxta quod hic ipse Dominus in Evangelio suo dicit : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. Beati servi illi, quos cum venerit, invenerit vigilantes (*Luc.* xxi). » C Denique cura hæc, cura recuperandæ salutis, vel conservandæ continentiæ, vigiliis, et sollicitudine magna indiget. « Confirma, inquit, cætera, quæ moritura erant. » Aliqua ergo adhuc, et necdum omnino mortua sunt, etiam in eo qui sic mortuus est. Vivit enim officium, vivit ipsum quod baptizando, consecrando celebrat sacrum. Verum hæc etiam sine dubio moritura sunt, id est, illi deperire et auferri debent, si eo tam secretam spiritus Dei non recipiente correptionem publicaverit eum Deus, et dixerit Ecclesiæ peccatum ejus. Tunc enim legali severitate ab officio deponetur, eritque sicut ethnicus et publicanus. « Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. » Idcirco moritura erant, et idcirco confirmari oportet cætera opera tua, quia non invenio ea plena coram Deo meo. Ibi namque D plena sunt ministerii sancti, ubi salutarem habent effectum, ubi non fiunt ad judicium, sed prosunt ad remissionem peccatorum. Cum hac itaque plenitudine non fiunt ei, sive ab eo, qui male operando mortuus est.

« In mente ergo habe, qualiter acceperis et audieris, et serva, et pœnitentiam age. » — « Qualiter, inquit, acceperis et audieris. » Acceperis exemplo, audieris præcepto. Accepisti enim pudicorum exemplum apostolorum, audisti tale præceptum eorum : « Oportet episcopum esse irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem ; non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum (*Tit.* i) : » Oportet illum et testimonium bonum habere ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. Sed in lege hoc accepisti : « Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedat hostias offerre Deo (*Levit.* xxi). » Si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi et torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore vel herniosus. Item : « Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad sancta, in quo est immunditia, peribit coram Domino (*Levit.* xxii). » Hæc ut accepisti et audisti, « in mente habe, » memoria tene, et deinceps serva, et de eo quod non servasti, « pœnitentiam age. » — « Si ergo non vigilaveris, veniam ad te, tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. » Quod debui facere, feci tibi, corripui te, monui te ut vigiles, evangelica quoque tuba personante ad omnes : « Vigilate itaque, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit (*Matth.* xxiv). » Si ergo non vigilaveris, veniam ad te sicut fur (*Luc.* xii). Non veniam ad te sicut ad homines illos qui vigilant, et exspectant ; venit ipsorum Dominus cum revertitur a nuptiis, gratias agens illis, et beatificans eos quod in occursu suo vigilaverint. Non veniam ad te, sicut sponsus jucundus atque festivus, sed tanquam fur, qui nesciente patrefamilias, domum perfodit, et Dominum domus necat quem dormientem invenerit. Consequitur enim ut qui non vigilat, cum mors superveniens, tanquam fur comprehendat.

« Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua. » In tua quidem persona es reprehensibilis, sed hoc pro te facit, quod non etiam alios exemplo tuo perdidisti, quia, sicut dixi supra, quamvis mortuus sis, nomen habes quod vivas. » Nomina, inquit, pauca, » id est nominatos paucos penes te habes ex nomine mihi cognitos, et pro meritis suis in libro descriptos, quia non inquinaverunt vestimenta sua, id est incorrupta servaverunt corpora sua. » Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt. » Mecum, inquit, scilicet cum filio virginis ; mecum, cujus caro virginea, continentiæ dedicavit exemplum, qui sum virgineus flos, virginitatis lilium, et corona virginum. « Mecum ambulabunt in albis, » id est in corporibus immaculatis, cum quibus resurgent nitidi velut agni novelli, et quocunque iero, me sequentur agnum Dei, quia comitatu meo digni sunt. « Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de Libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus. » In isto gradu vincere est incentiva carnis igni Spiritus sancti superare, et ope ejus tunicam corporis immaculatam custodire. Quisquis in hoc vicerit, ille sic « vestietur, inquit, vestimentis albis, » quemadmodum dixi, ut ambulet mecum in albis. « Et non delebo

nomen ejus de Libro vitæ. » Minus dixisse videtur quam sese habet dignitas meriti, eo videlicet locutionis modo, qui Græce dicitur *Tapinosis*, id est humilitas magnæ rei. Hoc etenim de illo veraciter potest dici, qui post fornicationes, et adulteria, conversus, pœnitentiam egit. Verum quod hic minus dixerat, supplevit magnificentius, addendo : « Et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus. » Ibi ergo per negationem, cum dicit, non delebo nomen ejus qui vicerit, simul illum percutit qui non vicerit, consequitur enim quod deleat nomen ejus. Hic autem per affirmationem, et confitebor nomen ejus, gloriam et honorem repositum illi, qui vicerit, designat abundantius. Hoc enim ita magnificum est, quemadmodum et illud quod Apostolus de patribus, cum fidem et obedientiam atque exspectationem illorum peregrinantium latius commemorasset, « propter quam causam, inquit, non confunditur Deus vocari eorum Deus (*Hebr.* IV). » Denique et hic cum dicit, confitebor nomen ejus eodem sensu accipiendum est ac si dixisset : Non confundar confiteri nomen ejus, quod hic talis meus sit discipulus, cumque in vestimentis albis incedat, non confundar « coram Patre meo et angelis ejus, » quod in ambulatione mea sit mihi conscius.

« Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. » Quid iste spiritus dicat audire, est cuncta cum consilio facere. « Omnia fac cum concilio, inquit Scriptura, et post factum non pœnitebit (*Eccli.* XXXII). » Non enim de qualicunque consilio dixit, sed isto consilio, quod sancta Scriptura nobis prædicat, Spiritum sanctum nominando spiritum consilii quem et hic intelligimus loqui. Nam Pharao stultum habuit consilium, sicut scriptum est : « Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens (*Isa.* XIX). » Hoc ergo consilium est quod verum, quod sanum, quod ex Deo et ex Spiritu sancto est, qui omnia cum isto fecerit, sine dubio post factum non pœnitebit. Prima gratia est, sic omnia cum isto spiritu consilii facere, ut non inquinet vestimenta sua, id est, ut virginitatem carnis custodiat. **379** Hoc enim non præceptum, sed consilium est. Unde Apostolus de virginibus, inquit, præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut sim fidelis (*I Cor.* VII). Qui hoc consilium audit, vel cum isto consilio facit, utique post factum non pœnitebit, quia tribulationem carnis non habebit, sollicitus non erit quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus non erit. Secunda gratia est, post lapsum ita cum consilio facere omnia, ut fratrem corripientem audiat (*Matth.* XIII). Si enim hoc fecerit, post factum non pœnitebit, quia non dicetur Ecclesiæ peccatum ejus, nec reputabitur sicut ethnicus et publicanus. « Qui ergo habet aures audiat, » quia iste spiritus consilii et ad secundam sui gratiam Angelum Ecclesiæ Sardis invitat, et de prima, paucos qui non inquinaverunt vestimenta sua collaudat.

« Et angelo Ecclesiæ Philadelphiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit : Scio opera tua. Ecce dedi ostium apertum coram te, quod nemo potest claudere. » Huic Angelo Filius Dei, suos affectus largius effundit, et spiritus qui hoc loco audiendus est Ecclesiis, spiritus intellectus est, qui sursum in ordine scribitur post spiritum consilii. Hujus spiritus proprium opus est, sanctarum Scripturarum mysteria, prout vult, aperire, et ea quæ sapientibus et prudentibus abscondita sunt, parvulis revelare (*Matth.* I), plerumque sine hominis magisterio, quomodo prophetas omnes et sanctos apostolos, qui homines fuerant sine litteris et idiotæ, priusquam datus hic spiritus, glorificato Jesu, illustrasset eos (*Act.* II). Hoc usque hodie prout vult, agere non desinit ; revelans abscondita parvulis, ut jam dictum est, id est, humilibus et benevolis pro merito ejus, quam habet fraternæ dilectionis, quia minores fratres diligunt, et quantulum sapientiæ vel scientiæ perceperint, libenter student illis impertiri. Talem hunc Angelum nomen ipsum Ecclesiæ ejus scilicet Philadelphiæ fuisse ostendit. Philadelphia namque *fraterna dilectio* interpretatur. Huic ergo scribens dicit : « Hæc dicit Sanctus et Verus sanctus. » Et Verus Filius Dei est, qui semetipsum sanctificavit, diligens nos quemadmodum dicit : « Et pro eis ego sanctifico meipsum (*Joan.* XVII). » Jam quidem Spiritus sanctorum erat, sed in passione pro nobis erat, quod seipsum sanctificabat, id est sanctum sacrificium se offerebat. Hoc fecit Deus in dilectione fraterna, quemadmodum et supra, ut nos angelos Philadelphiæ, id est nuntios sive imitatores dilectionis fraternæ faceret, ipse dixerat : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). » Ait ergo : « Hæc dicit Sanctus. » Quod autem ait, « et Verus, » nihilominus ad præsentem causam attinet ubi dilectio fraterna, dono amplioris intelligentiæ remuneratur. In hoc enim verum, et vera se locutum fuisse comprobat, exempli gratia, dicendo in illa evangelica parabola de servis, quibus homo paterfamilias pecuniam suam ad lucrandum commiserat : « Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet et quod habet auferetur (*Luc.* XIX). » Igitur « et Sanctus et verus est, » et de semetipso protinus dicit : « Qui habet clavem David. » Poterat sic dicere : Qui habet clavem omnium prophetarum, et ad eorum intelligentiam, quos vult intromittit ; sed voluit unum pro omnibus ponere, qui primo in ordine prophetarum Filii sui, Filii Dei mysteria gestis præsignavit, calamo scripsit, Psalterio cecinit. Tanta quippe sunt in factis et dictis ejus sacramenta prophetica, ut cuicunque hæc reserata fuerint, a cæterorum sensibus prophetarum exclusus esse non possit. Sufficiens ergo ad causam sive intentionem dictio hæc est, « qui habet clavem David, » in qua et splendida nominis

ante quæ est, secundum generationem Jesu Christi Filii Dei (*Matth.* I), quæ post legem et prophetas propheticam Scripturam edidit, [illegible] propheticus sermo potest et debet subintelligi. Quæ autem est ipsa clavis, nisi gratia Spiritus sancti? Ipse namque illuminatio cordis, quæ est « declaratio sermonum tuorum, quæ illuminat et intellectum dat parvulis (*Psal.* CVIII). » Unde Apostolus : « Nobis autem, inquit, revelavit Deus per Spiritum suum, quia spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei, (*I Cor.* II). » Potentiam sive efficaciam clavis hujus commendans, continuo subjungit : « Qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit. » Hoc et indubitanter scire oportet, et hoc sciendo humiliter timendum est. Nam vere cui claviger iste per spiritum intelligentiæ veritatem Dei, quæ sacris Scripturis continetur, aperit; nemo illum claudit, sive concludit mendaciis, et falsarum argumentationum artificiis. Semper enim habens ostium apertum intus recurrit, et parata Scripturæ testimonia corripiens, velut sagittarius bonus, certa in hostem tela dirigit. Econtra cuicunque clauserit, ut verba veritatis intelligere non possit quod cum facit, utique justo judicio facit. Verbi gratia, ne margaritas projectas ante se conculcent porci (*Matth.* VII), nemo est qui intelligere possit, quantumlibet clamando et docendo strepitum facit de foris. Quid iste sanctus, iste verus dicit Angelus huic Philadelphiæ, id est, dilectionem fraternam habenti :

« Scio opera tua. » Quæ vel qualia ejus opera sciat mox docturus est, et nondum dicit, properanti alacritate prius ostendens de præmio aliquid. Ait enim : « Ecce dedi ostium apertum coram te. » Hoc enim est præmium dilectionis fraternæ, ostium coram se apertum habere, clavi David reserante, Spiritu sancto revelante. Mox opera illa subjungit cum dicit : « Quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. » Modicam, inquit, habes virtutem, et ipsam libenter expendis ad aliorum utilitatem. Nam hoc est veraciter habere, sicut econtrario non expendere, est non habere. Juxta quam proprietatem Dominus, id quod jam supra posuimus, in Evangelio dicit: « Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur (*Luc.* XIX). » Habes ergo, id est, habitam virtutem non abscondis, imo erogas, et talentum a me tibi creditum ad usuram effundis, sed et adhuc modica virtus est, debet augeri ut sim verus, quia dixi « omni habenti dabitur. » Vere enim habes et servasti verbum meum, id est, præceptum meum. « Nam hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem (*Joan.* XV). » Et hoc faciens non negasti verbum meum, quod negasses utique, si dilectioni contraria fecisses, quemadmodum et illi de quibus scriptum est : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). » Idcirco dedi ostium apertum coram te, et secretis meis velut amicum admisi te, ut scias et intelligas mysteria, quæ hi non merentur scire, qui non præparati sunt ut tu in ista dilectione.

« Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos, et scient quia ego dilexi te, quia servasti verbum patientiæ meæ. » Ne, inquit, contristeris aut perturberis pro multitudine adversantium tibi. Gloriam tuam quam habes in apertione ostii, quod aperui tibi, sequitur invidia, sed ne timeas. Et mihi maxime ita contigit. **380** Cum intelligerem juxta quod per prophetam dictum est : « Ecce intelliget puer meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde (*Isa.* LVIII), » dicebant inter se : « Unde iste litteras scit, cum non didicerit? » (*Matth.* XIII.) « Nonne hic est filius fabri? » (*Joan.* VII). Unde huic hæc omnia? « De Synagoga Satanæ hi erant, qui dicebant se Judæos esse, et non erant ; qui dicebant se esse semen Abrahæ, vel unum Patrem Deum habere, et ex patre diabolo erant (*Joan.* VIII). » Qui illos imitantur, » qui se dicunt Judæos, » id est, confessores Dei esse, « et non sunt, sed mentiuntur, » suntque potius de Satanæ synagoga, te intelligentem per ostium apertum audientes, aut Scriptura tua legentes dicent, quis est hic et invidentes detrahent tibi. « Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum (*Jer.* I). » Convertentur aliqui ex eis cum fatigati fuerint, cessabunt detrahere, et favebunt tibi, ita ut venient et adorent ante pedes tuos ; si non interim dum vivis, attamen certe cum mortuus fueris, et placebunt tua cum tu disputaveris. Saltem tunc non considerabit qui lecturus est, cujus vel qualesit, quod lecturus est. Tunc scient quia ego te dilexi, et quia per multam dilectionem dedi hoc ostium apertum coram te. Et hoc idcirco, « quoniam servasti verbum patientiæ meæ, » id est, verbum propter quod passus sum. Quod est illud nisi dilectio? Quoniam ergo servasti dilectionem, « scient quia ego dilexi te. »

« Et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. » Tentatio hæc hæresium est, quas oportet esse, inquit Apostolus, « ut qui probati sunt manifesti fiant (*I Cor.* XI). » Ab illa tentatione quis illæsus servatur, nisi cui Scripturarum veritas suffragatur? Hoc autem Angelo nunc Philadelphiæ, pro merito dilectionis promitti, vel dari intelligimus in ostio aperto sive clavi David, quam habet Sanctus et Verus. Ergo quia dilectionem servasti, « ego servabo te, inquit, ab hora tentationis, ut non indicas in tentationem, ut non seducaris, ut non decipiaris, imo paratus sis omni poscenti rationem reddere de ea quæ in te est fide nominis mei (*I Petr.* III) : « Ecce venio cito. » Non longum abest tempus tentationis, a quo te oporteat servari, imo quasi hora est, quia cito transit « ecce enim venio cito, « venio disrumpens vincula tua, ut solutus et peregrinus a corpore, præsens Deo sis, et illa re perfruaris, cujus hic pro consolatione intelligentiam habere meruisti. Hactenus dulcedo gratiæ de labiis sancti et veri profluens, dilectum et

A dilectionis Angelum beatificavit, jucunditatem et exsultationem magnificando, quam super illum thesaurizavit, superest ut eumdem vigilantiæ sollicitudinis admoneat, ne jam se comprehendisse arbitretur, neve ante finem cursusque sui consummationem nimium confidat incautus. Ait ergo: « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. » Ac si dicat: In humilitate certo pede consiste, ne moto pede corruas, et corruendo coronam tibi præparatam amittas, et alius in locum tuum succedens illam accipiat. Et quidem hoc fieri non potest, ut eorum quisquam perdat coronam suam, quos Deus præscivit et ad coronam prædestinavit (*Rom.* VIII), verumtamen et fieri potest, et factum est, ut ille coronam perderet, quem Deus ad coronam vocavit, vocatione visibili, sive quæ ab hominibus potuit audiri. Nam B exempli gratia: Judam Dominus ad coronam vocavit apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinavit, quia corona indignum fore præscivit, unde et coronam ejus, scilicet apostolatus honorem alius accepit, sicut scriptum est: « Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter (*Psal.* CVIII). » Nemo ergo quandiu certat, multum de corona confidat, quia videlicet, si omnium præscius Deus, caput tuum in fine dignum corona fore scit, tu autem nescis: « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum. » In isto gradu vincere est, præeunte fraternæ dilectionis inexstinguibili lampade, ostium apertum C semper habere, nunquam concludi, aut hæreticorum cassibus irretiri posse, et quidquid per istud ostium invenerit, ad aliorum ædificationem proferre, atque ab hoc dilectionis studio pro nullis adversitatibus aut obtrectationibus invidentium desistere. « Qui sic vicerit, faciam, inquit, illum columnam in templo Dei mei. » Digna et congrua remuneratio victoris hujusmodi, ut qui gratiam hanc habens, scripsit aut docuit, unde fides Ecclesiæ roboraretur; columna sit in templo Dei. « Et foras, inquit, non egredietur amplius. » Ac si dicat: Quandiu quidem in ostio est quod dedi apertum coram eo, sollicitus sit ne labatur; at ubi per remunerationem intus tanquam columna fuerit stabilitus: non erit cur timeat, quia foras non egredietur amplius, nec tentatione titu- D babit pes ejus. Quale autem est nomen Dei et nomen civitatis ejus quod super eum se scripturum fore pollicetur? Profecto quia Filius loquitur dicens: « Scribam nomen Dei mei, » videlicet secundum habitum hominis; juxta quem Deus noster, Deus illius est; nomen hoc Dei recte Pater intelligitur, quod fideliter in confessione divinitatis, illa persona a nobis invocatur. Porro, nomen civitatis ejus Jerusalem, est mater, Apostolo quoque attestante, cum dicit: « Illa autem quæ sursum est, Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum (*Galat.* IV). « Unde probare possumus, quod super istum scribat hoc nomen, quod est Pater, et illud quod est mater? In Evangelio cum dixisset ei quidam loquenti ad turbas. « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes te: Quæ est, inquit, mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos, dixit: Ecce mater mea et fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus et frater et soror et mater est (*Matth.* XII). » Quod si et hoc illi dictum fuisset, aut veraciter dici potuisset, præsente Joseph, qui pater ejus dictus est: « Ecce Pater tuus et mater tua foris stant; » eodem veritatis sensu respondere potuisset, « ille meus et pater et mater est, qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est. » In interiori namque homine, ubi generatio Christi spiritualiter computatur, neque masculus, neque femina est. Denique evangelica Christi generatio tota spiritualis est, et secundum spiritum, David quoque Pater Christi est, videlicet, quia Verbum Dei quod est Christus, corde credens et ore deprompsit (*Coloss.* II), et scriptis edidit, primus prophetarum, clarissimus patriarcharum. Alioquin nisi per fidem Christi Pater fuisset, frustra secundum carnem antecessor ejusdem exstitisset. Unde Ochozias, Joas atque Amasias, qui ejusdem Christi, ejusdem verbi Dei præcones prophetas persecuti sunt et occiderunt, in illa generatione computati non sunt. Igitur cum de isto qui in hoc vincit, ut intellectum habens, adjuvet atque cooperetur, quatenus crescat et proficiat verbum Dei, ita dicitur: « Et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, idem est ac si diceret: Ille pater meus ac mater mea dicitur et erit, et hoc nomen æternum hæreditabit. « Novæ **381** Jerusalem, » propter novam vitam dixit, quia veterem hominem exuit, et novum induit (*Ephes.* IV). Descendisse quoque illam de cœlo laudabiliter asserit, quia videlicet, conversatio ejus in cœlis est propter fraternam dilectionem, ex qua iste Angelus Philadelphiæ collaudatur, descendit, id est, parvulus condescendit. Exempli gratia: « Paulus usque ad tertium cœlum raptus est, et ibi audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, sed propter infirmos descendit (*II Cor.* XII), » cum idem dicit: « Vir uxori debitum reddat, et uxor viro (*I Cor.* VII). » Sunt hujusmodi descensus innumeri, sed hoc unum satis pro exemplo est, ad rem attinens vel causam hujus Angeli, cujus laus vel meritum est opus dilectionis. Postremo addit, « et nomen meum novum. » Nomen personæ quæ hæc dicit, Filius Dei est. Hoc nomen sine dubio super istum, qui vincit, ipse scribit, omnes enim dilecti dicuntur et sunt filii Dei. Porro, quod ait, scribam, id est, apparere faciam. Nam nunc quidem filii Dei sumus, ait is ipse, qui hæc, jubente Filio Dei, scribit Joannes apostolus, « sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Ergo scribere quo possit legi nomen cujusque filiorum Dei, manifestare est ut merita singulorum sciantur et videantur at

universis. Et hoc nomen, scilicet Filii Dei, cunctis superscribetur electis, quamvis ubi vel in quo plus abundat fraternæ dilectionis, major etiam in eo debeat apparere splendor hujus nominis. Illud autem nomen Dei quod est Pater, sive illud nomen civitatis ejus novæ Jerusalem, quod est mater, super illos scribendum est, qui quasi in plenam profecti ætatem fidei, valuerunt et studuerunt per dilectionem propagare verbum Dei. « Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. » Hoc loco, audire, excitari est ad studium verbi Dei, appropinquare pedibus ejus, ut bibat de doctrina illius, sedere cum Maria ad pedes Domini, subjectamque animam applicare ad audienda verba oris ejus, et omnia sua dare (*Luc.* x), ut possit comparare unam pretiosam margaritam gratiæ illius (*Matth.* xiii), quatenus intellectuali oculo veritatem perspiciens et bene instructus, ad alios quoque instruendos efficiatur idoneus, scripturam tanti nominis quam hic Sanctus et Verus pollicetur, æterna hæreditate habiturus.

« Et angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit: Amen testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. » Hic jam ultimo, id est septimo loco, loquitur in teste fideli et vero, is qui sursum ultimus, id est, septimus est sapientiæ spiritus, operarium suum ad verum vocans sabbatismum; ut scilicet, in humilitate requiescat, nec saltem uno verbo aut cogitatione superflua fatigetur, magnificando vel sibi tribuendo opera sua. Quid enim a seipso habet, nisi mala omnia; et a quo nisi a Deo habet omnia quæcunque habet bona? Ad hoc pervidendum hortatur Angelum istum dicendo: « Et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper, et cæcus, et nudus; » et deinde subjiciendo: « et collyrio inunge oculos tuos ut videas. » Nonnulla quippe bona in illo vel per illum Deus operatus fuerat, unde diceret: « quia dives sum, et locupletatus, et nullius egeo. » Huic tale nomen Laodiciæ congruit, interpretatur enim, *tribus amabilis Domino;* videlicet, propter opera bona quæ fecerat Deus cum illo. Interpretatur etiam, *qui fuerunt in vomitu.* Hæc quoque interpretatio congruit illi pro eo quod gloriabatur sibi in eorumdem operum bonorum divitis; ut merito diceretur illi, « incipiam te evomere ex ore meo. » Itaque et nos quid hic spiritus septimus loquatur, audiamus: et audientes ad humilitatis et sapientiæ requiem proficiamus. Ait enim: « Hæc dicit: Amen testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei. » Amen, id est verax, sive ipsa veritas. Hoc ipsum sequentibus verbis exponitur. Sequitur enim: « Testis fidelis et verus. » Quo pertinuit talis descriptio, hæc et æquentia dicentis? Eo videlicet, ut quisquis bonorum sibi est conscius operum, velut iste Laodiciæ Angelus, sciat et recogitet quod non sibi opus sit testificari ante tempus de semetipso, quod dives sit, et locupletatus; imo nec ad se pertineat hujusmodi testimonium, sed ad illum, qui et testis et judex omnium est constitutus, et in tempore suo est revelandus. Illi relinquendum esse sciat bonorum actuum omnium testimonium et judicium, et de se abstineat, testificetur contra se, et accuset seipsum. Ideo dicit: « Hæc dicit amen testis fidelis et verus. » Amen, id est veritas, quia falli vel quidpiam ignorare non potest. Testis fidelis, quia mentiri non novit, ut dicat bonum malum, et malum bonum, « Verus quia reddet unicuique secundum opera sua. Quo inde [itidem] pertinuit ut adderet qui est principium creaturæ Dei? » Quid enim hoc loco est creatura Dei? Utique novus homo, sive regeneratio et recreatio hominis, bene operando in novitate vitæ ambulantis. Nam hinc est quod Apostolus dicit: « Donum enim Dei est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus (*Ephes.* ii). » Quod hic ait in Christo Jesu, id est, renovati per fidem Jesu Christi, ipsa est creatura de qua et alibi dicit: « Nam exspectatio creaturæ, revelationem Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc (*Rom.* viii). » Quo ergo pertinuit ut diceretur Angelo huic, de isto teste fideli et vero, quod ipse sit principium creaturæ Dei, nisi ut sciret totam recreationem sui, et quidquid sanctæ novitatis habebat, vel habere sibi videbatur, non sibi attribuere, sed illi? Ille namque homo novus, et sanctæ novitatis est princeps, et ab ipso principium et finis, sive consummatio hujus creationis est, qua nunc vivimus, qua de morte ad vitam transivimus, qua de filiis iræ in filios gratiæ translati sumus, et ab operibus mortis emundati Deo viventi servivimus. Quid ergo dicit? « Scio opera tua quia neque frigidus es, neque calidus, Utinam frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo, quia dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis. » Talia ergo opera tua scio, taliter ego de illis judico. Neque frigidus es, in eo quod a bono opere torpeas, neque calidus, in eo quod gratiarum actionem Deo referas; quod facere debueras, verumtamen non ut ille Pharisæus, qui se justificans publicano derogabat (*Luc.* xviii), sed ut Psalmista, qui operantem in se Dominum humiliter laudans: « Non nobis, inquit, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* cxiii). » Utinam frigidus esses aut calidus. Hoc exempli gratia, superbæ virgini congrue dici potest. Utinam frigida aut calida esses, id est utinam corrupta esses corpore, aut cum virginitate corporis oleum quoque haberes charitatis. Levioris namque culpæ esset corruptam esse corpore, et perinde humiliari quam integram esse corpore, et pro conscientia integritatis inflari. « Incipiam te **382** ergo evomere ex ore meo » propter teporem elationis, videlicet ad modum aquæ tepidæ, quæ propter

saporem incommodum, nauseante bibentis stomacho, non valet contineri. Hoc idcirco faciam, quia talis est : quia considerans opera tua, existimas te esse aliquid, arbitraris quod dives sis, et locupletatus, et nullius egeas, quemadmodum illi de quibus apostolus dicebat : « Jam saturati estis, jam divites facti estis. Sine nobis regnatis, et utinam regnetis (*I Cor.* IV). » Hoc dicens « nescis » id quod verum est, « quia tu es miser et miserabilis, » in multis egens misericordia Dei ; « et pauper, » quia et nihil habes quod non acceperis, et adhuc plurima desunt tibi, quia « cæcus es, » quia, ut cætera taceam, nec dum facie ad faciem Deum vides, nudus quia fragili et lubrico corpore circumdatus es.

« Suadeo tibi a me emere aurum probatum, ignitum, ut locuples fias, ut vestimentis albis induaris et non appareat nuditas confusionis tuæ. » Hoc tibi scire expedit, quia dives ego sum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II), tu autem pauper es. Si istud scis, eme a me aurum sapientiæ, aurum ignitum, aurum probatum ; ignitum ex charitate, probatum ex fide per charitatem operante. Istud eme pretio piæ confessionis ; et jugi memoria propriæ fragilitatis, semper memorando quid ex te sis, quid ex Deo acceperis (*Galat.* IV). Ut locuples fias, id est addatur tibi gratia, « et vestimentis albis induaris, » non ex operibus tuis sed ex eadem gratia largitionis, quemadmdum Psalmista dicit : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum (*Psal.* XXXI). Ita fiet ut non appareat confusio nuditatis tuæ, quod nonnullis evenit, dum propter elationem mentis inciderunt in tentationem et confusibilem corruptionem carnis. « Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. » Collyrium quo oculorum vitia purgantur, humilitatis suavitatem significat, quæ parvulos adjuvat, ut ea quæ sapientibus et prudentibus abscondita sunt, illis revelentur mysteria. « Collyrio ergo inunge oculos tuos ut videas, » id est, cor tuum vera humilitate purifica, ut paupertatem tuam videas, et veras divitias bonitatis Dei cognoscas (*Luc.* X). « Ego quos amo arguo et castigo. » Ac si dicat : Ea quæ tibi loquor arguens et corripiens te, velut amantis gratiam atque benevolentiam suscipe (*Ephes.* II). Non enim est hic mos sapientiæ, ut eum quem diligit Filium, permittat juveniliter extolli et evanescere, sed et amat et castigat, et lascivientem reverberat, et quem infantem lactavit, eumdem nimis verbosum et inconsultum verberat, virga percutit. Itaque dum castigo, dum quasi clavis in altum defixis compungo, profecto verius amo. « Æmulare ergo et pœnitentiam age. » Æmulare, id est, amentem amando castigantem, tu amando bono fervore animi imitare, et qui tepidus eras, per hanc æmulationem incalesce, et de eo quod amanti hactenus ingratus fuisti, non reddita amoris vicissitudine, pœnitentiam age. Hactenus supercilium decussit quasi divitis et locupletis,

A qui sibi vane videtur abundare operibus bonis, nunc ab eodem vel a quocunque divite ejusmodi satis amicabiliter exposcit, ut operum suorum gloriam sibi Deo vel Dei Filio communicet omnia tribuenti, ut scilicet glorietur in Deo, vel Deum in se faciat gloriari et sanctum glorificet in omnibus operibus suis (*I Cor.* I).

« Ecce sto, inquit, ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo. » Et est sensus : Illud quod hactenus corripiens te dixi, simile est stanti ad ostium cujuspiam divitis et pulsanti, quatenus admissus hospitio cœnet cum illo de opibus intus repositis. Si admissus fuerit, celebratur convivium charitatis, quia minus quam inter duos cha-
B ritas haberi non potest. Ita enim tu qui dicis quod dives es, in conscientia bona gloriaris ; sed « ecce sto et pulso ad ostium » pectoris tui, admitte me, et habeto participem sive socium gloriæ tuæ, ut non solus, sed mecum glorieris omnino non in te, sed in me divitem te factum glorieris. Si hoc modo vel tu vel quispiam, audiens vocem, aperuerit mihi januam, cuncta quæ gessit bona referendo ad Dei gloriam, introibo ad illum, et in pectore ejus tanquam in domo amici habebo fiduciam ; et nunc quidem cœnabo, id est, delactabor, cum illo de bonis conscientiæ ejus ; ipse autem in futuro mecum bonis meis perfruetur. « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo ; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. » In isto gradu vincere, est per maturitatem sapientiæ, cunctam jac-
C tantiæ et inanis gloriæ levitatem procul abigere, et cum ipse magnus aliis videatur, parvulum in oculis suis ecce. Juxta quod eadem sapientia dicit : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (*Eccli.* III). » Humilitas enim, a cujus societate sapientia nunquam defuit, in cœlum volare consuevit. Ait ergo : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, » non ut exæquetur Divinitati, sed ut consocietur æternitati : « Sicut et ego vici, » inquit. Quomodo is qui hæc loquitur Christus, vicit, nisi per inæstimabilem magnitudinem suæ humilitatis et charitatis ? « Cum enim in forma Dei esset (*Philip.* II), » noluit solus in illa forma gloriari, sed voluit homines qui, peccante primo homine, facti fuerant inglorii gloriæ suæ
D comparticipes fieri. Idcirco « semetipsum exinanivit formam servi accipiens, idcirco humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*ibib.*), » Summa hæc humilitatis et sapientiæ victoria est, quæ primi hominis superbiam atque stultitiam destruxit. « Vici ego, inquit, et propter hoc sedi cum patre meo in throno ejus. » Nam propter hoc Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, dixitque illi, « sede a dextris meis (*Psal.* CIV). » Hoc ejus exemplum velle imitari, audire est quid hic spiritus sapientiæ dicat Ecclesiis. Revera qui hæc audivit auribus illis, quæ jam septies hic requisitæ sunt de

homine interiori, non solum non gloriatur in factis suis, quantumlibet bonis et multis, verum etiam cruciatur laudibus suis, delectatur contumeliis. Sapit enim illi quod de jam dicto victore et omnium vincentium principe propheta dixit : « Dabit percutienti maxillam, saturabitur opprobriis (*Thren.* III). »

383 PROLOGUS IN SUBSEQUENTES LIBROS.

Qui habet aures audivit a septem spiritibus Dei quid ipsorum quisque dicat vel dixerit Ecclesiis. Deinceps audiendum est quid et qualiter eorumdem quisque in Christo vel per Christum operatus, et adhuc operaturus sit ; cujus enim dicta secundum septem spiritus a spiritu timoris ad spiritum sapientiæ proficiscendo, per ordinem scrutati sumus, ejusdem Filii Dei facta mirabilia figuris vel imaginibus mysticis signata, septemque periochis distincta secundum eosdem spiritus, sed ordine converso nunc aperire, ipso adjuvante conabimur. Nam a spiritu sapientiæ incipientes per ordinem ad spiritum timoris perveniemus, qui videlicet ordo super eum Christum in propheta est præscriptus, ubi super florem requiescet spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* II). *Denique ubi Ecclesiis proponitur ascensus, ut superius diximus, ordo iste convertitur, qui descendit ad nos Domino est dispositus, quemadmodum Psalmista dicit :* Initium sapientiæ timor Domini (*Psal* CX). *Nec vero coacta est expositio, ut secundum hunc ordinem spirituum ista sacramentorum scriptura digesta dicatur ; ultro enim in plerisque per facta imaginaria ostendit sese proprietas cujusque spiritus. Quod ut brevi judicio pateat, post ordinatissimam Dei sedem positam in cælo, cujus in dispositione, recte spiritus sapientiæ prædicabitur, librum septem sigillis signatum aperit agnus, solvens signacula ejus, et illud manifeste opus laudabile est spiritus intellectus, qui est in ordine secundus. Deinde magni consilii Angelus, stans juxta aram templi, conspicitur, et mysticis septem tubarum cantibus, mysterium Dei consummatur, quod ad spiritum consilii pertinere non dubitamus. Quarto loco draco magnus et rufus habens capita septem, mulierem impugnat. Michaele præliante et angelis ejus, draco cum angelis suis in terram projicitur, ut illic sine dubio spiritus fortitudinis, qui quartus est, commendatur. Quinto loco spiritus scientiæ in septem angelorum phialis. Sexto loco in sanguine martyrum Jesu, quo mulier ebria ostenditur, laus est pietatis. Septimo autem in adveniente hora judicii Dei, quando a terra, a mari, et ab inferno omnes redduntur mortui sine dubio totum spectat ad timoris spiritum. Deinde finis ubi ornata ostenditur Jerusalem, uxor agni, civitas Dei. Quid pulchrius hoc spectaculo, mirabilium Dei, o vos quicunque spectatores Dei adestis? Aperiat jam nobis ipse* qui habet clavem David sanctus et verus, *et sanctitatem et veritatem istam claris oculis absque caligine intueamur.*

LIBER SECUNDUS.

CAP. IV. — « Post hæc vidi, et ecce ostium apertum in cœlo. » Vidi cum dicit, et hoc in loco et in cæteris, recte beatitudinis ejus commemoramur, qua vere beatissimus est inter eos quibus Veritas ait : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis (*Luc.* XX). » Gloria namque quam viderat cum cæteris, gloria Verbi incarnati, de qua dicit : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I) ; cujus rem viderat cum cæteris, gloriosa videlicet signa, et præ cæteris eo tempore quod clausa erat terra, et exsulabat propter Verbum Dei, apertum est ei cœlum, et per latitudinem ejus ad videnda hæc libero spiritu incessit. » Et ecce, inquit, ostium apertum in cœlo. » Cœlum hic cœlestem vitam significat, ad quam nuper resurgendo Christus a mortuis, universam Ecclesiam suscitaverat consurgentem secum, resurrectione prima. Quid est autem hoc ostium, nisi ipse qui dicit : « Ego sum ostium. » Denique tunc, ut cœlum terrigenis introeuntibus pateat, hoc ostium apertum est, quando Christus passus, et latus ejus lancea militum patefactum est (*Joan.* X). Extunc enim regnum Dei intra nos est, destructo videlicet regno peccati, quod eatenus regnabat in mundo. Illa tali apertione hujus ostii, Scripturarum quoque arcana patuerunt, quas nimirum spiritualiter intelligere, et secundum eas vivere, regnare jam est in regno Dei, et conversationem habere in cœlis. « Igitur vidi, inquit, ostium apertum in cœlo, id est, quod sciebam in re, vidi in imagine, scilicet regni cœlorum januam Christum esse ; januam patefactam hominibus ab ipsius passione (*Luc.* XVII). Et vox prima quam audivi tan-

quam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oporteat fieri cito post hæc.» Vox hæc prima ipsius est, cujus et illa fuit, quam superius audivit dicentis, « quod vides scribe. » Idcirco non absolute dixit, et vox quam audivi, sed vox prima quam audivi. Cæterum verbis aut sensu non eadem quæ prima fuit. Tunc enim dictum est, « quod vides scribe (*Apoc.* I), » nunc autem dicitur ei, « ascende huc. » Et hic et illic tanquam vox tubæ fuit, quia videlicet nihil in occulto, sed palam loqui mundo intendit ; hæc vel illa dicit aut ostendit Græcis et Barbaris, sapientibus atque insipientibus palam est evangelizandum : Non enim est cur quisquam erubescat Evangelium. Virtus enim Dei est (*Rom.* I), et quidquid loquitur, forte, pulchrum atque honestum, rationabile et verum, atque ad salutem hominis omnino necessarium est. Quod dixit, « ascende huc, » ad quid dixerit, vel illuc ascendere quid sit, ex eo intelligitur quod ipse Joannes ait : « Statim fui in spiritu. » Ergo ascendere illuc, est in spiritu excedere omnes sensus carnis atque spiritualia videre oculis spiritualibus. Et ipse qui « ascende » dixit, eumdem ascensum dicendo effecit, quia « statim fui in spiritu, » inquit. At idem superius : « Fui, inquit, in spiritu Dominica die (*Apoc.* I). » Quomodo ergo nunc iterum dicit, « statim fui in spiritu, » quasi non et ante istam vocem, vel antequam videret ostium apertum in cœlo, non fuisset in spiritu, nisi quia non una visione cuncta hæc vidit quæ in hoc libro continentur ? Sed rursum quæri potest quomodo, postquam vidit ostium apertum in cœlo, tunc demum audita voce statim fuit in spiritu, cum ipsum quod vidit ostium videri non potuerit nisi in spiritu. Neque enim ita cœlum ut structura manifesta ostiis compactum est, et seris ac vectibus. Itaque sic dictum recte statim intelligitur, « fui in spiritu, » ac si diceret, statim intellexi spirituali sensu ea quæ mihi per imagines ostendebantur, ut ad intellectum pertinere non dubitemus quod ait illa vox, « et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc. » Neque enim, ut quidam hæretici dixerunt, sic fiebant hujusmodi propheticæ visiones, ut non intelligerent ipsi prophetæ quid rerum aut sensuum continerent illæ ipsorum visiones. Proinde non opus erat ut, quemadmodum superius dixerat, scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc, ita et hic diceret ei, et ostendam tibi quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc ; nam ea quæ viderat, et quæ tunc erant, sciebat quia et præterita cum Domino usque **385** ad finem ejus ambulans, viderat ; et præsentem Ecclesiæ statum tunc videbat, futura autem necdum sciebat. Recte ergo de futuris tantum instruens : « Ostendam, inquit, tibi, quæ oportet fieri cito post hæc. » Attamen eorum quæ viderat vel quæ præterierant, non tam sibi quam nobis instruendis, multas et valde mystica vidit imagines. « Et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. » Aperto ostio sedes posita conspicitur in cœlo, quia, passo Christo, regnum

A Dei positum sive dispositum est, ut sedeat Deus in illo, principe hujus mundi foras misso (*Joan.* XII). Hæc namque sedes est Ecclesia, sedes extunc parata, in qua Deus sedet et regnat. Unde Psalmista cum dixisset : « Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se (*Psal.* XCII), » continuo subjunxit : « Parata sedes tua extunc, a sæculo tu es (*ibid.*). » Ubi enim indutus Dominus decorem et fortitudinem, regnavit, id est, virgineam assumens carnem, et mortem resurgendo vincens ut regnaret super nos, ipse justitia et vita nostra regnum destruxit peccati et mortis (*II Tim.* I ; *Hebr.* II), extunc sedes ejus parata, extunc sedes, id est Ecclesia, in cœlo posita est (*Ephes.* II). Quomodo posita in cœlo ? Translata videlicet de inferno patriar-

B charum et prophetarum Ecclesia, electorumque omnium quicunque fuerunt a justo Abel usque ad ultimum qui tunc migravit a sæculo, collocata erat in cœlo, fruebatur paradiso, faciemque Dei videbat pariete inimicitiarum dissoluto. Sed et ipsa, quæ adhuc exsulabat, sive nunc exsulat per corpus in mundo, Ecclesia, sive illius Ecclesiæ pars, jam per conversationem et per cœlestium amorem posita erat in cœlo. « Supra sedem sedens, » Deus et Pater est ; nam persona Filii agnus est, qui, ut in sequentibus narratur, « librum accepit de dextra sedentis (*Apoc.* V). » Nec vero in habitu sedentis, id est regnantis Dei Patris, deest honor et gloria Filii, quippe qui sedem illam sessuro per humanitatem suam paravit uni Deo, Patri et Filio et Spiritui sancto. Paravit enim et usque in finem parare sive acquirere non desinit

C regnum Deo et Patri ; cujus videlicet acquisitionis summum atque extremum erit dies judicii, in quo Filius in forma hominis omnibus apparebit sedens in sede majestatis, unde Apostolus dicit : « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri (*I Cor.* XV). » — « Cum, inquit, regnum Deo, et Patri tradiderit, » id est, cum credentes ad contemplationem Dei et Patris perduxerit.

« Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardii. » Jaspidis aquatici sardius ignei coloris est. « Qui ergo sedebat similis erat aspectui jaspidis et sardii, » qua videlicet Deus judicii Dominus, et olim mundum per aquam judicavit, idemque tandem per ignem judicabit. Proinde coloribus illis, videlicet aquatico et igneo dicitur esse similis, quia

D nimirum et ex judicio quod factum est per aquam, et ex judicio quod faciendum est per ignem, Deus qui nobis in sua substantia est invisibilis, cognoscitur quam fortis atque zelotes sit (*Exod.* XX). Inter utrumque judicium misericordia processit, dum is diluvium mundo induxit, et mundum per ignem judicabit, pœnitentiam interim et remissionem peccatorum evangelizare non desinit, et accedentes per fidem a sua gratia non repellit. Unde continuo subjungit : « Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. » Iris quippe propitiationis est signum, dicente Domino ad Noe : « Ponam arcum meum in nubibus cœli, et recordabor fœderis mei

quod pepigi tecum (*Gen.* IV). » Iris ergo in circuitu sedis, misericordia est cunctis eam quærentibus præparata in adventu Redemptoris, quæ usque per circuitum mundi cum magno evangelicæ prædicationis præconio judicium præcurrit. Verumtamen sicut nec illud judicium per aquam sine misericordia fuit, quæ octo animas in arca salvavit, nec illud judicium per ignem sine misericordia erit illis, qui propter sex misericordiæ opera quæ fecerunt, statuerunt a dextris, dicente Rege : « Esurivi enim et dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV), » et cætera ; ita nec iste de quo nunc loquimur adventus misericordiæ sine judicio processit. Cur enim maxime ædificaretur misericordia per passionem Christi, « nunc, inquit, judicium est mundi (*Joan.* XII). » Sed et ante ejusdem passionis articulum quodam loco dicit : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant ; et qui vident, cæci fiant (*Joan.* IX). » Cum ergo et illic misericordia cum judicio concurrens, octo animas salvaverit, unde reformaretur orbis, et in futuro judicio misericordia necessaria sit, ut quid nunc, quando in judicium se venisse dicit, misericordia sic describitur ut dicatur, « et iris erat in circuitu sedis, » quod, ut jam dictum est, signum est propitiationis? Videlicet propter magnitudinem sive multitudinem misericordiæ, in qua nunc advenit, quia sic judicavis, sic fecit judicium mundi, ut in ipsa judicatione tota intentione pœnitentiam et remissionem peccatorum per suum sanguinem conderet, misericors ipse et fidelis pontifex, nostramque naturam propter peccatum marcentem et arefactam sicut fenum, ad immarcessibilem gloriæ statum resurgendo reduceret. Unde et cum dixisset : « Et iris erat in circuitu sedis, » addidit, « similis visioni smaragdinæ. » Smaragdus quippe nimiæ viriditatis est, adeo ut herbas virentes, frondesque ac gemmas, et omnem circa se inficiat aerem sua viriditate repercussum. « Iris ergo similis est visioni smaragdinæ, » quia misericordia hæc senium nostrum in solidam reformabit pulchritudinem viriditatis æternæ. « Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. » Sicut in sede regnum Dei, sic in sedilibus judiciariam sanctorum intelligimus potestatem, qua scriptum est : « Judicabunt sancti nationes (*Sap.* III). » Quare autem numero viginti quatuor ostenduntur seniores in sedilibus sedentes? Super hoc diversa Patrum expositio est. Nam alii (quorum beatus Hieronymus unus et notissimus) libros priscæ legis viginti quatuor hic per totidem seniores figuratos intelligi volunt. Alii nonnulli Ecclesiam per geminum Testamentum de patriarchis et apostolis generatam in eisdem senioribus intelligunt, aut certe illos qui perfectionem operis, quæ senario numero commendatur, clara Evangelii prædicatione consummant. Nam quater seni viginti quatuor faciunt. Nos autem et hunc et illum sensum non inutilem approbantes, nihilominus tamen de majestate Scripturarum certum aliquid proferre conemur. « Sedes illa in cœlo posita, » quam, ut jam dictum est, intelligimus regnum Dei, cujus in circuitu erant hæc sedilia, extunc poni cœpta est, ex quo regnum Israelitici populi David, Christi secundum carnem Pater obtinuit. Ille enim in typum ejusdem Christi futuri Filii sui regnavit in populo Dei. Et sicut futurum erat, ut, destructo peccati regno, regnaret ille justitiæ rex, manu fortis et desiderabilis; sic factum est, ut abjecto regno Saul, quem propter superbiam Deus projecit, regnaret David (*I Reg.* XVI) « quasi tenerrimus ligni vermiculus (*II Reg.* XXIII), humilis in oculis suis, quatenus recto ordine supernæ dignitatis prior filio suo sederet rex pater in populo Dei. Nam ut non dubitemus ita esse quod scilicet illius Patris et **386** hujus filii una sedes sit, occurrit auctoritas evangelica, cum ad Mariam Gabriel archangelus dicit : « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*Luc.* I). » Si ergo sedem illam in cœlo positam dilatato sensu intueamur, in qua sedit David, et post eum hic filius ejus, statim apparet quæ sint sedilia viginti quatuor in circuitu ejus, vel qui seniores viginti quatuor, et quomodo in circuitu ejus. Nam post Filium, cui Dominus Deus dedit sedem David patris sui, successerunt duodecim judices, et ante patrem illum, qui primus in illa sede sedit electione Dei, præfuerunt populo Dei duodecim judices. Primus Othoniel, filius Cenez, frater Caleb ; secundus Aod, filius Gera, filii Jemini ; tertius Samgar, filius Anath ; quartus Barac, filius Abinoem de Cedes Nephthalim ; quintus Gedeon filius Joas ; sextus Jair Galaadites ; septimus Jephte Galaadites ; octavus Abessan de Betthleem ; nonus Ahialon Zabulonites ; decimus Abdon filius Hellel Pharaotonites ; undecimus Samson ; duodecimus Samuel (*Judic.* III *et se.*). Isti sedem illam, sedem vel regnum David tempore præcedentes, quasi ab anteriori parte sedem in cœlo positam circumsedent. Alii vero judices, duodecim videlicet apostoli, quibus dictum est : « Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX), » filio David temporaliter succedentes, circum sedem illam quasi a parte posteriori sedent. Sunt ergo « in circuitu sedis sedilia viginti quatuor et super thronos viginti quatuor seniores. » Et recte seniores dicti sunt, quia videlicet per maturitatem fidei suæ populum Dei juveniliter lascivientem coercuerunt. Nam de illis anterioribus scriptum est : « Suscitavitque Dominus judices qui liberarent eos de vastantium manibus ; sed nec illos audire voluerunt, fornicantes cum diis alienis, et adorantes eos (*Judic.* II). » Et subinde : « Cumque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, et multa pejora faciebant quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, et servientes eis, et

adorantes eos. » Vere ergo seniores fuerunt et sunt, quorum venerabilis senectus non diuturna, neque numero annorum, sed canis sensibus interioris hominis computata, juvenilis populi fornicationes corrigebat (*Sap.* IV) ; Deumque ut audiret afflictorum gemitus, sapienti interpellatione ad misericordiam flectebat. Idcirco vestimentis albis, » id est jucunditate æterna, « circumamicti » sunt. « Et coronæ aureæ in capitibus eorum, » quia videlicet coronæ ejus participes sunt, cujus et nomen hæreditaverunt, et officio functi sunt. Dicti sunt enim salvatores ; quia populum Dei ne periret salvaverunt. Exempli gratia : « Et clamaverunt filii Israel ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem, Othoniel videlicet filium Cenez (*Judic.* III). » Aureæ coronæ pretiosam significant retributionem gloriæ sempiternæ. Porro de judicibus posterioribus, id est de apostolis Christi, notum est quam vere seniores, id est sapientes, fuerint et sint ; et quam vere vestimentitis albis circumamicti sunt et coronas aureas in capitibus acceperunt, quia vicerunt mundum, superaverunt diabolum, liberaverunt captivum mortis populum et sempiternam vitam per Christi gratiam acquisierunt. Sequitur :

« Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua. » Postquam seniores nostri vel sedilia eorum disposita sunt circa thronum, fulgura et voces, et tonitrua procedunt, qui postquam apostoli judices orbis constituti, officium prædicandi acceperunt, fulgura miraculorum, voces prædicationum, et tonitrua comminationum de futuro judicio atque gehennalibus malorum pœnis dare non desierunt. Hoc est quod Marcus ait : « Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* XVI). » Hæc omnia, fulgura scilicet, voces ac tonitrua, de throno procedunt ab eo qui sedet super thronum. Neque enim fulgurare, voces dare et tonitrua facere a semetipsis habuerunt, sed desursum acceperunt. Etenim « omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jacob.* I). » — « Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. » Ante thronum septem spiritus Dei sunt. Ipsi enim illuminant sæpe dictum regnum Dei, Ecclesiam Dei. Illic quidem, id est, in illa gloria cœlesti sic illuminant, ut facie ad faciem videant claritatem Dei, hic autem ubi ex parte peregrinatur adhuc in Ecclesia, sic eam illuminant, ut nondum quidem perfecte sed quasi per speculum et in ænigmate videat (*I Cor.* XIII), et quod satis sit ad declarandos errores, cognoscat veritatem Dei juxta promissum dicentis : « Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (*Joan.* XVI). » Ex quo enim is, qui hæc in passione sua loquebatur, resurrexit et in cœlum ascendit, ex eo lampadum istarum splendor mundo latius emicuit. Lucent autem septem lampades istæ ex uno candelabro, septem spiritus isti ex uno eodemque Christo ; et lumen eorum

A quinquagesimo die post resurrectionem ejus super discipulos ejus in linguis igneis apparuit (*Act.* II). Prima lampas spiritus sapientiæ est. Secunda spiritus intellectus et deinde per ordinem cæteri spiritus, sic ut in propheta dispositi leguntur, super unum florem requiescentes ; hoc loco lampades dicuntur, juxta prophetam alium, super unum candelabrum lucentes.

« Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum, simile crystallo. » Ad quid « mare in conspectu sedis ? » Ad hoc videlicet, ut qui vult ascendere in illa sedem Dei introire in illud regnum Dei, ingrediatur licet, transeat hic mare, et illuminetur splendido prædictarum lampadarum lumine. Christi namque baptismus mare dicitur, videlicet pro similitudine notissima maris Rubri,
B per quod populus Dei ab Ægyptiaca servitute liberatus immolato agno transivit, submerso Pharaone cum curribus et equis vel equitibus suis (*Exod.* XIX ; *I Cor.* X). Mare ergo in conspectu erat sedis, quia baptismi sacramentum in ipsa conditum est positione sedis, dum per mortem Christi pararetur regnum Dei, quando lanceato latere ejus, exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX). Ex eo namque origo baptismi, mox ab eodem resurgente, data est regula baptizandi. Ait enim : « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Ibi, scilicet in conspectu sedis, mare, et ibi lampades, quia nimirum ubi Christus passus est, ut foras misso mundi principe Deus regnaret, ibi et extunc baptisma, et ibi peccatorum remissio atque gratiarum Spiritus sancti di-
C visiones. Erat autem mare hoc vitreum, quia videlicet baptisma purum est ac lucidum, puram ac simplicem exigens confessionem peccatorum, et ut qui accedit, non aliud corde credat, et aliud confiteatur, sicut vitrum non aliud continet intus quam quod foris perspicitur, non aliud foris simulat quam quod continet intus. Et si homines latet quemadmodum latuit Simon ille Magus, Spiritum sanctum cujus
387 lumine mare hoc vitreum translucet, latere non potest (*Act.* VIII). Unde scriptum est : « Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet fictum, et non liberabit maledictum a labiis suis, quoniam renum illius testis est Deus, et cordis ejus scrutator est verus et linguæ illius auditor (*Sap.* I). » Et ostendens quod nullus eum confessione duplici fallere
D possit, cum præmisisset, « quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum (*ibid.*), » ita breviter enuntiavit, « et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis (*ibid.*). » Quomodo enim vocem profitentis nesciat, vel vocem dijudicare non possit, qui etiam cordis verus est testis ? Igitur qui accedit, fictus accedere caveat, quia mare vitreum est, et totum quod illic agitur vel dicitur, Spiritui sancto perspicuum est. Porro vitrum sicut lucidum, ita et fragile est. Nunquid hoc « mare ut vitreum » ita et fragile semper erit ? Non utique. Sequitur enim : « Simile crystallo. » Ergo mare hic prius quidem ut lucidum, ita est et fragile, sed post ut lucidum, ita et solidum. Denique

confessores lucidi aqua et spiritu renati, nunc quidem fragiles sunt corpore mortali, sed post in illa resurrectionis gloria solidi erunt, anima beata et corpore incorruptibili. Nam hoc est quod Apostolus ait : « Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit propter justificationem (*Rom.* VIII). » — « Mortuum est, » dixit, pro eo ut diceret, certissime moriturum est propter peccatum, licet in baptismo sit deletum. Nam in anima quidem per baptismum reviviscimus a morte qua mortuus est Adam, eodem die quo vetitum comedit, unde et dicit : « Spiritus vero vivit propter justificationem, » sed corpore nihilominus morimur, morte qua Deus posuit, dicendo homini, « quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III), » et emittendo illum ne sumeret etiam de ligno vitæ, et in sic in anima mortuus, corpore viveret in æternum, quod esset infelicissimum. Cum ergo spiritus vivat propter justificationem, corpus tamen adhuc mortuum, id est, certissime moriturum est, propter peccatum. Ecce « tanquam mare vitreum, » quia baptizati et vivificatæ fidei lucidi sumus ut vitrum, et mortalitate corporum fragiles sumus ut vitrum. Sequitur autem Apostolus : « Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in nobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, convivificabit et mortalia corpora nostra propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis (*Rom.* VIII). » Ecce quod dixit, « simile crystallo. » Crystallus namque lapis est, ex aqua per glaciem in soliditatem lapideam transmutata, et corpus Christi pro conditione fragili atque mortali erat aqua, nunc autem per gloriam ressurrectionis solidatum est soliditate æterna. Lucet nunc divinitas in corpore illo, sicut soli in vitro periit mortalitas in corpore illo, sicut aquæ mobilitas vel fluxus a crystallo. Porro ad ejusdem Christi similitudinem, resurrecturos atque immolandos, id est, impassibiles nos fore speramus. Erit ergo mare vitreum quidem, sed simile crystallo.

« Et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum, simile leoni ; et secundum animal, simile vitulo ; et tertium animal, habens faciem quasi hominis ; et quartum animal simile aquilæ volanti. » Hæc animalia facie et nomine jamdudum sanctæ Ecclesiæ præcognita sunt, quod sint figuræ quatuor evangelistarum. Verum secundum ordinem litteræ, prius quærendum est, qualiter hæc animalia et in medio sedis et in circuitu sedis esse dicantur, cum viginti quatuor seniores qui utique numero plures sunt, in circuitu et non etiam in medio sedis esse supra dicti sint. Quod ut certius inveniri possit, illud quoque primum scire oportet, quia juxta Ezechielem « hæc animalia et quatuor sunt, et unum (*Ezech.* I). » Sic enim ille cum in prima visione dixisset : « Ex medio eorum similitudo quatuor animalium (*ibid.*), » et cætera, dicit in visione altera : « Ipsum est animal quod videram juxta

A fluvium Chobar. Cumque ambularent cherubim, ibant pariter et rotæ juxta ea (*Ezech.* X). » Ac deinceps : « Ipsum est animal quo vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chobar. Et intellexi quia cherubim essent quatuor, et quatuor vultus uni, et quatuor alæ uni, et similitudo manus hominis sub alis eorum, et similitudo vultuum eorum ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobard (*ibid.*). » Ipse quodque paululum aperit quomodo quatuor animalia et unum animal sit, cum dicit : « Quatuor facies uni erant, et quatuor pennæ uni (*Ezech.* I). » Primo itaque dicimus, quia animal unum, unus est Christus ; quatuor autem animalia, vel quatuor unius facies, quatuor sunt principalia Christi sacramenta, quæ Christiano ignorare non liceat, quorum primum est

B incarnatio ; secundum, passio ; tertium, resurrectio ; quartum, ascensio. Has quippe facies non agnoscere, hæc sacramenta nescire Christiano non licet, imo et quotidiana confessione ad illa respicere oportet, sicut in Symbola nobis apostolica traditio proposuit. Præmisso namque, « Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, » sequuntur quatuor hæc distincta, sic : « Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. » Hoc est primum sacramentum vel facies prima. « Passus sub Pontio Pilato, crucifixus mortuus et sepultus, descendit ad inferna ; » hæc est facies secunda. « Tertia die resurrexit a mortuis ; » hæc est facies tertia. » Ascendit in

C cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos mortuos ; » hæc est facies quarta. Est autem incarnationis mysteriorum facies hominis, qui nimirum verus Deus vere est incarnatus, et veram ex utero Virginis sine peccato naturam hominis assumpsit. Passionis vero sacramentum facies est vituli, quia videlicet vitulus qui pro peccato immolabatur ex præcepto legis (*Levit.* IV), passionem significabat Redemptoris qui immolandus erat pro peccatis nostris. Et alia quidem animalia offerebantur, agnus vel ovis, et hircus, columba et turtur ; sed eorum præcipuum animal erat vitulus : is maxime, cujus quia pro peccato erat sacerdotis sive multitudinis, corpus extra castra cremabatur. De cujus rei mysterio ait Apostolus : « Propter quod et Jesus ut sanctificaret per

D semetipsum populum, extra portam passus est. Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium portantes (*Hebr.* XIII). » Porro victoriosa resurrectio ejus, facies leonis est. Hinc enim præscius patriarcha Jacob dixerat : « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti ; requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna, quis suscitabit eum ? » (*Gen.* XLIX.) Tandem ascensionis sublimitas, facies est aquilæ, quam prospiciens beatus Job, dicit de perfidia Judaici populi : « Semitam ignoravit avis (*Job.* XXVIII). » Nunc jam dicendum est quomodo hæc animalia sive unius animalis quatuor facies, et in medio sedis, et in circuitu sedis sint. Medium

sedis, quam supra jam diximus esse regnum Dei, cœptum in David, completum autem in Christo, cui Dominus Deus sedem dedit ejusdem David patris sui (*Luc.* I), plenitudinem temporis intelligimus, in qua Christus jam dicta incarnationis, **388** passionis, resurrectionis et ascensionis suæ mysteria celebravit. Porro circuitum ejusdem sedis hinc quatuor volumina Evangelii, inde quinque accepimus libros Moysis. Namque et in illo medio et in isto circuitu sedis, mirabiliter cernimus apparere facies istas, faciem leonis, faciem vituli, faciem hominis et faciem aquilæ volantis. Denique in Pentateucho Moysis hoc ordine facies istæ dispositæ sunt. Cæterum in quatuor Evangeliorum libris non idem observandus est, præsertim cum in processu ejusdem Domini prima sit facies hominis, id est mysterium incarnationis. Notandum vero quod non solum quatuor, verum etiam quinque facies in hac Apocalypsi conspiciuntur, cum post istas, leonis, hominis, vituli atque aquilæ volantis facies agnus quoque stat in medio, librum aperiens et solvens signacula ejus. Singulæ de singulis libris Moysis hoc ordine susceptæ comprobantur. Primum in Genesi faciem leonis habemus, cum Jacob patriarcha benedicens loquitur: « Catulus leonis Juda, ad prædam fili mi, ascendisti (*Gen.* XLIX), » et cætera, ut supra. Deinde in Exodo, agnus quartadecima die primi mensis ad vesperam in cunctis domibus filiorum Israel, in typum ejusdem Redemptoris nostri, immolatus comeditur (*Exod.* XII). Deinde in Levitico vitulus pro peccato sacerdotis sive multitudinis immolari, et corpus ejus extra castra cremari jubetur (*Levit.* IV). Verum quia unius ejusdemque Dominicæ passionis sacramentum per agnum et per vitulum figuratur, recte pro duabus una facies vituli, quæ major est tam apud istum quam apud prophetam Ezechielem, in numero habetur. Tertia ergo facies hominis de libro Deuteronomii suscipitur, cum Moyses ex ore Domini loquatur ad populum: « Prophetam de gente tua, et ex fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ut petisti in monte Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui (*Deut.* XVIII), » etc. His namque verbis cum dicit, « de gente tua, et de fratribus tuis, » et addit « sicut me, » verus homo promittitur Christus, in veritate naturæ humanæ. Quartam deinde faciem aquilæ volantis, in cantico Deuteronomii præscriptam invenimus, ubi Moyses ita loquitur: « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eos atque portavit in humeris suis (*Deut.* XXXII). » Et hic quidem Joannes secundum ordinem illius scripturæ veteris primam ponit faciem leonis, propheta vero Ezechiel secundum ordinem rei gerendæ quam prævidebat, primam

A posuit faciem hominis. Nam in Evangelio Christus prius homo est, per naturam; deinde vitulus, per passionem; deinde leo, per resurrectionem; deinde aquila volans, per ascensionem. Evangelistarum vero, prout modus sermonis, qui ab unoquoque conscriptus est, conducere videtur, alius hominis, alius leonis, alius vituli, alius aquilæ volantis habere faciem dicitur, et tam in ista quam in illa prophetica istorum animalium visione prædicari meretur. Et de Luca quidem et Joanne omnium una est sententia, quod ille scilicet Lucas vituli; hic autem scilicet Joannes, aquilæ volantis facie merito figuretur. De Matthæo autem et Marco diversa sententia est; aliis, quorum beatus Hieronymus unus et præcipuus est, Matthæum in homine, et Marcum

B in leone: aliis, quorum beatus Augustinus maximus vel notissimus est, Matthæum in leone, et Marcum suscipientibus in homine. Lucas namque tam in principio quam in fine sermonis, circa templum vel sacerdotium versatur. Apud illum Sanctus sanctorum qualiter unctus, id est, de Spiritu sancto fuerit conceptus (*Luc.* I), fideli narratione refertur, itemque ad Jordanem, ubi Spiritus sanctus super eumdem verum sacerdotem in columbæ specie descendit (*Luc.* III). Hic evangelista tanquam sacerdotem in expiandis peccatis assignans, non descendendo, sed ascendendo generationes ejus enarrat, ascendensque transit ad Abraham, et pervenit ad Deum cui mundati atque expiati reconciliamur per ejusdem Christi sacerdotium. Unde et principium

C et finem ejusdem quam digessit genealogiæ adoptivis patribus, sive filiis præscribit, dicendo in initio: « Jesus, ut putabatur, erat filius Joseph, qui fuit Heli, in fine autem de Adam, qui fuit Dei (*ibid.*). » Nam neque Joseph Jesum, neque Heli Joseph genuit, sed optivum [adoptivum] habuit, neque Deus Adam genuit, sed plasmavit. Nimirum quia sacerdotalem Domini personam susceperat texendam, recte sic processit, quia sacerdotis genitura, qua nos Christus regenerat, tota adoptiva est, et non ex carne, sed ex spiritu ac pietate descendit. Apud hunc et pro revertendo filio prodigo vitulus saginatus occiditur (*Luc.* XV), et fere omnes parabolæ clementiam resonant; et pius sacerdos factus in agonia, prolixius cum sudore sanguineo orat (*Luc.* XXII), et in fine suo latronem pœnitentem suscipit,

D « hodie, inquiens, mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII). » Itaque tota serie faciem vituli possidet, sacerdotem et sacrificium nostrum attentius intuens, et post resurrectionem ejus scribens, ex ore ipsius oportet in nomine ejus prædicari in omnes gentes remissionem peccatorum (*Luc.* XXIV). Joannes sublimi intellectu ultra omnem creaturam evolans, et apertos mentis oculos æterni solis infigens radio, dicere vel scribere meruit: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I); » et ita per omnem sermonis sui textum altissime procedens, divinitatis Christi tota intentione

firmavit testimonium. Apud istum « sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis (*Deut.* XXXII), » quando, sicut hic ait : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I) ; » et colloquens parvulis ad intelligendam suæ vel paternæ majestatis gloriam, sublimiter excitavit ; quod nimirum est aquilæ pullos ad volandum provocari, monstravitque illis opus esse in humeris portari ; exempli gratia, dicendo sic : « Si ergo videritis Filium hominis ascendentem supra, ubi erat prius (*Joan.* VI). » Et alibi : « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. (*Joan.* III). » Ergo si nemo ascendit, nisi qui descendit, verum est, quia omnes qui illic sunt vel erunt, « ipse tanquam aquila portavit in humeris suis. » Itaque in facie aquilæ Joannis eminet, et de isto quoque concorditer apud omnes una sententia est. Porro de Matthæo et Marco diversa, ut jam dictum est, Patrum est sententia. Nam beatus Augustinus juxta ordinem libri istius, Matthæum dicit in leone intelligi, qui regiæ dignitatis in Chisto posapiam narrat (*Matth.* I) ; « Quia vicit leo de tribu Juda (*Apoc.* V). »—« Catulus enim leonis Juda (*Gen.* XLIX), » et in quo ut rex a rege timetur, a magis adoratur, ubi etiam rex servis rationem ponit (*Matth.* XXV), rex nuptias filio facit (*Matth.* XXII), et ad ultimum rex segregat oves ab hædis (*Matth.* XXV). Verumtamen plures in ea sententia concordant, qua huic ascribitur facies hominis. Nec frustra. Nam et si pro quadam similitudine regiæ majestatis, de qua sæpius scribit, leonis regis bestiarum **389** faciem recte imitari videtur ; considerandum tamen est, quia sæpius hominem quam regem scribit, et fere nusquam regem sine homine ponit. Ait enim : « Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo (*Matth.* XXII). » Non ait tantum regi, sed « homini regi. » Sed et ubi segregat oves ab hædis rex, et dicit stantibus a dextris : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV), » signanter exprimitur facies Filii hominis. Ait enim : « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ (*ibid.*). » Alias autem et in parabolis, ubi de nomine regis tacetur, homo scribitur. Exempli gratia : « Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios (*Matth.* XX). » Et : « Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos (*Matth.* XXV). » Præter hæc et in visione prophetica, ubi rex iste regnaturus Danieli præmonstratur, venerabiliter facies hominis præscribitur, hoc modo : « Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit et usque in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum ; et omnis populus, tribus ac linguæ ipsi servient (*Dan.* VII). » Itaque in Matthæo, quanquam per similitudinem regiæ potestatis facies leonis regis bestiarum recte possit intelligi, nihilominus pro ipso nomine hominis, quem et regi conjungit, et sine regis nomine frequentius ponit, congrue satis intelligitur facies hominis, maxime quia sic incipit : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*Matth.* I), » quia illorum Christus Jesus secundum carnem filius vel semen est. Marcus idcirco videtur habere faciem leonis, quia quasi cum rugitu terribili, id est prædicatione pœnitentiæ, suum Evangelium incipit, et in judicii sive condemnationis comminatione finit. Incipit enim a prædicatione Joannis, dicendo sic : « Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei. Sicut scriptum est in Isaia propheta : Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te : Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptizans et prædicans baptismum pœnitentiæ (*Marc.* I; *Malach.* III ; *Isa.* XL), » etc. In fine quoque dicit : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI). » Ergo quia tam in principio quam in fine terrorem pectoribus incutit, recte pro intentione sua terrificam habere faciem leonis intelligitur, cujus rugitum, id est, supremum judicium nullus impœnitens effugere poterit. Sed et erga discipulos suos ipse Dominus plus aliquid de severitate Magistri apud hunc evangelistam ostendit. Exempli gratia : « Quid, inquit, cogitatis, quia panes non habetis ? nondum cognoscitis neque intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum? Oculos habentes non videtis, et aures habentes non auditis? » (*Marc.* VIII.) Item cum dixisset eis, « quomodo Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget : at illi, inquit, ignorabant Verbum, et timebant eum interrogare. Qui cum domi essent, interrogabat eos : Quid in via tractabatis ? At illi tacebant (*Marc.* IX). » Et isti quidem quia quatuor prædictas unius animalis facies, id est, quatuor unius Christi sacramenta scribendo quoque intuiti sunt, quamdam exinde singuli similitudinem insignius ducere meruerunt.

Alii vero quicunque in Ecclesia Christi bene præsunt, cuilibet earumdem facierum, quantulumcunque similes sunt. Nam ille prudenter in exterioribus administrando, homo est ; alius cœlestia sublimiter contemplando, aquila est ; alius severitatem magistri digne exercendo, et virga disciplinæ bene utendo, leo est ; alius per spiritum mansuetudinis inferioribus compatiendo, vitulus est. Qui autem omnium istarum virtutum particeps est, et secundum omnia hæc pro tempore et re semetipsum conformare et aptare potest, ille vero utilis est in domo Dei, et illi cum Apostolo dicere licet : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi *I Cor.* IV).

[1] Hæc animalia plena, inquit, oculis ante et retro.» In Evangelio Christus « lux mundi, » quem « qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII), » loquitur Judæis : « Etsi ergo

testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde venio et quo vado. Vos autem nescitis unde venio et quo vado (*ibid.*). » Nimirum istud quoque recte poterat dicere illis, et quibusque similibus illorum recte potest dici : Vos autem nescitis unde venitis aut quo itis. Hoc denique homines infideles animalia cæca atque immunda, differunt ab hominibus piis animalibus luminosis atque mundis ; quod illi nec attendere volunt, isti autem sciunt et diligenter attendunt unde veniant, aut quo vadant, ac perinde animalia ante et retro oculis plena sunt. Primum de Christo, quod animal et unum est ; et quatuor, ut supra jam dictum est, habet facies, id est quatuor sacramenta principalia, scilicet incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem ; de quibus vel per quæ nobis agnoscendus est. De Christo, inquam, certum tenet Catholica fides, quia per singula horum ante et retro oculis plenus est, quia per singula horum scit unde venit et quo vadit. Dum de Spiritu sancto concipitur ex utero Virginis, scit quia a Deo Patre exit, et in mundum venit. Nobis namque retro erat vel est, quod « a Patre exivit (*Joan.* XVI), » imo quod « in principio erat Verbum, Deus apud Deum, » et inde huc venit, ante autem, quod in hunc mundum veniens visibilis apparuit, quod « Verbum caro factum habitavit in nobis (*Joan.* I). » Item dum « sicut ovis ad occisionem ducitur (*Isa.* LIII), » nihilominus ante et retro oculis plenus est, sciens unde venit et quo vadit. Scit enim quia natus de utero Virginis, peccatum neque originale contraxit, neque actuale admisit ; sicque de Spiritu sancto conceptus novus homo venit et vadit, ad portandas iniquitates omnium nostrum, prævidens quia, juxta prophetam, « si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur (*ibid.*). » Item dum resurgit a mortuis, similiter ante et retro oculis plenus est ; sciens quia de extrema vilitate venit, ubi minoratus est ab angelis (*Psal.* VIII, imo tanquam vermis et homo (*Psal.* XXI) conculcari potuit et quia vadit et ascendit, ut gloria et honore coronatus constituatur super opera manuum Patris, et omnia pedibus ejus subjecta sint (*Psal.* VIII). Item dum ascendit in cœlum feliciter oculis ante et retro plenus est ; sciens quia de judicio judicatus, ab hominibus venit, et quia ad judicium omnes homines judicaturus vadit. In Christo igitur quatuor animalia ante et retro oculis plena sunt, quia in singulis eorum dicere potest : « Scio unde veni, et quo vado (*Joan.* VIII), » ac perinde « testimonium meum verum est (*ibid.*). » Porro tam evangelistis jam dictis quam cunctis imitatoribus ejusdem Christi magno studio semper cautum est, ut et ipsi pro modulo pro similiter animalia sint ante et retro plena oculis, id est sciant unde veniant et quo vadant. Scire namque unde veniant, multum valet illis ad profundæ humilitatis custodiam; scire autem quo vadant, proficit illis ad fortitudinem suam legitime custodiendam, juxta illud Psalmistæ: **390** « Fortitudinem meam ad te custodiam (*Psal.* LVIII). » Unde enim veniunt et quo vadunt? De nihilo veniunt quia de nihilo creati sunt, et hoc oculis retro aspiciunt, vadunt autem ad revelationem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII), et istud oculis ante se prospiciunt. Item de peccatis et vitiis veniunt, et ad virtutum victorias vadunt. Exempli gratia : Matthæus (*cap.* IX) de telonio venit, ubi illum Jesus sedentem vidit, et scribendo Evangelium sive librum generationis Christi, vadit ad thronum istum dare gloriam et honorem, et benedictionem cum animalibus cæteris sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum (*I Petr.* V). Retro plenus est oculis, humili conscientia recogitans, quis vel qualis fuerit ; ante plenus est oculis, cum simplici gratiarum actione recognoscens quid acceperit, et qualis factus sit. Sic et cæteri sancti animalia Dei sunt, ante et retro plena oculis sunt, sciendo unde venerint, vel unde facti sint, et quo vadant, vel ad quid facti sint ; sciendo etiam quales per meritum fuerint, et quales per gratiam facti sint : itemque pœnitudinem gerendo de malis præteritis, cavendo de futuris.

« Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas. » In uno Christo primum hoc ita considerandum est quia singula horum quæ prædicta sunt, scilicet sive incarnatio, sive passio, sive resurrectio, sive ascensio ; « singula, » inquam, « horum senas habent alas, » quia singula hæc in novo homine plena et vera et operata est antiqua divinitas, Verbi æterni sempiterna deitas, quæ sex diebus condidit omnia. In eo namque et dum incarnatur sive nascitur, et dum patitur, æque et dum resurgit, in cœlum ascendit, vera et perfecta divinitas inhabitat, et æque hæc omnia sive singula ita senas habent alas, ut omnem sensum extollentem se adversus scientiam Dei, perfectio scripturæ illorum sublimiter evadat (*II Cor.* X), nec teneri aut illaqueari captiosis vanæ philosophiæ sermunculis formidat. Neque enim per terram repit, sed perfecta veritate cœlum tenens, terram despicit. Perfectionem ejus veritatis senarius alarum numerus sua nobis perfectione innuit. Hic namque numerus perfectorum numerorum primus est, quia videlicet primus constat ex suis partibus. Habet enim mediam partem, id est tria ; secundam, id est duo ; tertiam, id est unum. Hæc autem, scilicet tria, duo et unum sex perficiunt. Sex ergo alas habent singula, id est perfecta est in singulis salutaris doctrinæ veritas. Sed et cæteris quoque, etiam qui studium sive ministerium doctrinæ aut scripturæ non habent, ut evolat de angustia, et fugere possint a ventura ira, senas oportet habere alas, id est, sex misericordiæ opera, quæ is, qui sedet super thronum, stantibus a dextris ita enumerat : « Esurivi, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi potum ; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me ; infirmus fui, et visitastis me ; in carcere eram, et venistis ad me (*Matth.* XXV). » Sequitur : « Et in circuitu et intus plena sunt oculis. » Per circuitum

activa, per intus contemplativa vita recte intelligitur. A Qui enim activæ vitæ operibus deservit, per multa circuit, testante Domino cum dicit: « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima (*Luc.* x). » Qui autem contemplativam tenet, meditando in lege Domini, intus est, intus quiescit, intus cum Maria sedet ad pedes Domini. Igitur animalia hæc, et in circuitu, et intus plena sunt oculis, quia prædicatores Evangelii sive quique prælati, si legitime præsunt, tam in exteriori actione quam in interna contemplatione cauti sunt et providi. « Et requiem non habebant die ac nocte, dicentes : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. » Ex quo sedes in cœlo posita est, et Dominus super illam sedet, id est ex quo destructo peccati regno, B regnum justitiæ statutum est per passionem Christi, et in Ecclesia sua Dominus regnavit ; requiem, id est otium, non habent hæc animalia, ter sanctum Dominum conclamantia, qui sanctam Trinitatem toto mundo prædicat evangelica doctrina. Hujus sanctæ Trinitatis gloriam vel notitiam principaliter in Christo, prædicant illa sæpe dicta quatuor sacramenta principalia, scilicet incarnatio, passio, resurrectio et ascensio. Hoc ante non fiebat. Nullus enim nomen hoc prædicatione publica revelabat. Primum animal, sive prima facies, scilicet incarnatio Christi, hanc beatam Trinitatem hoc modo personat : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; ideoque et quod nascatur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). » Altissimus sive Deus, C Pater est ; qui autem concipitur, Filius Dei est ; et qui ad operandum vel creandum de virgine Filio sive Verbo Dei, corpus humanum supervenit atque obumbrat concipienti, Spiritus sanctus est. Hæc ergo prima facies, id est incarnatio ter sanctum personat, sanctam Trinitatem prædicat.

Secunda facies, id est passio, nihilominus eamdem Trinitatem commendat, sic : « Ego, inquit Filius, rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis (*Joan.* XIV). » Item : « Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia (*ibid.*). » Tertia deinde facies nihilominus hoc ipsum Trinitatis nomen astruit, dicente Filio, qua die resurgens apparuit discipulis : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos in mundum. Et cum hoc dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite D Spiritum sanctum (*Joan.* XX). » Et alibi : « Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Quarta demum facies, scilicet ascensio, sonorius prædicat gloriam hujus beatæ Trinitatis, cum juxta prophetiam dicentis: « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Filius ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Dei Patris ; hoc præmisso cum ascenderet, « ego mittam promissum Patris mei in vos (*Luc.* XXIV), » et exinde decimo die promissum illud, videlicet Spiritus sanctus advenit, et apostolorum corda replevit, simulque ora eorum ad prædicandum latius aperuit (*Act.* II). Ab istis quasi quatuor principalibus formis, quatuor evangelistæ informati, et illo sancti Spiritus igne afflati, qui prædicto die super apostolos venit, sic prædicaverunt et sic scripserunt ; ut, sicut jam dictum est, alius hominis, alius vituli, alius leonis, alius imitaretur faciem aquilæ volantis. Atque extunc tam isti quam cæteri prædicatores Evangelii « requiem non habuerunt die ac nocte, » id est, non cessaverunt in prosperitate, non siluerunt in adversitate, prædicando sanctæ et individuæ Trinitatis fidem, quod est tertio dicere : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens. » Quod autem addunt, in laudis tam speciosæ consummationem dicentia hæc animalia, « qui erat, et qui est, et qui venturus est, » victoriosa adversus omnes persequentes gratulatio est. Non enim deerant aut defuturi erant adversarii, qui minis et terroribus, cunctisque mortium sive pœnarum generibus compescere niterentur conclamationem hujus prædicationis. Sed confidant hi sancti prædicatores, quis is quem prædicant, « et erat, et est, et venturus est. » « Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X) ; » sive, « et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : Timete eum **391** qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete (*Luc.* XII). » Non ergo, vel hi qui occiduntur timeant, vel hi qui occidunt morientibus insultent, quia is quem prædicamus in Trinitate Deus verus et unus, et erat priusquam corpus istud fieret, imo et « priusquam montes fierent ac formaretur terra (*Psal.* LXXXIX), » et nunc est, dando confessoribus suis stantibus ante reges et præsides os et sapientiam, cui non possunt resistere et contradicere omnes ipsorum adversarii, et cum fatigati occidendo desierint occidere, venturus est ut judicet causam occisionis, et tunc capillus de capite ipsorum non peribit (*Matth.* X).

« Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. » Divinæ majestatis omnipotentiæ atque bonitatis Dei admirationem magnifice hæc animalia auxerunt, dando gloriam, et honorem, et benedictionem eidem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum. Ecce hæc est admiratio illa qua longe ante attonitus in spiritu Psalmista dicebat : « Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra ! » (*Psal.* VIII.) Et continuo quid admiraretur aperiens, « quoniam, inquit, elevata est magnificentia tua super cœlos (*ibid.*). » Quartam istorum ani-

malium faciem, scilicet ascensionem Domini, hoc versiculo per anticipationem declamavit. Nam postmodum quatuor facies per ordinem breviter annotavit, dicendo : « Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum ? (*Psal.* VIII.) Hæc enim est facies prima, facies hominis, scilicet incarnatio Verbi Dei, qua caro factum est, et Filius hominis : « Minuisti eum paulo minus ab angelis (*ibid.*). » Hæc est secunda facies, facies vituli, scilicet passio ejusdem Domini, in qua sic minoratus est ab angelis, ut pateretur et moreretur, cum sancti angeli neque mortales, neque passibiles sint. Unde cum anxium duceret agonem, « apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum (*Luc.* XXII), » quasi major minorem, id est, impassibilis patientem, non mortalis morientem : « Gloria et honore coronasti eum (*Psal.* VIII). Hæc est facies tertia, facies leonis, scilicet resurrectio ejusdem Domini, in qua propter passionem mortis spoliato inferno victor coronatus est gloria immortalitatis et honore incorruptionis. « Et constituisti eum super opera manuum tuarum (*ibid.*). » Hæc est facies quarta, facies aquilæ volantis, scilicet ascensio ejusdem Domini, qua illuc caro ascendit, unde carnem susceptura divinitas descendit, et sedet a dextris Dei. His dictis iterum pro magnitudine rerum repetit in fine admirans et exclamans idipsum quod in exordio dixerat : « Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra ! » Quomodo hæc super omnia opera Domini admirationem fecerunt, huic priusquam fierent in spiritu prævidenti, sic universæ terræ hæc præ cæteris operibus Domini Dei cum fierent, et ex quo facta sunt, maxime admiranda sunt, prædicantibus apostolis, prædicantibus et scribentibus quatuor earumdem facierum animalibus, id est evangelistis. Cum, inquit, darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum. Ei qui sedet super thronum, gloriam dictis gratiosis, honorem vero damus factis officiosis. Glorificamus eum, dum bonitatem ejus digne et laudabiliter prædicamus : honorificamus eum, dum corda et corpora nostra sancte vivendo vasa honoris et habitacula munda sancto ejus Spiritui præparamus. Verum et sic glorificare, et sic honorificare Deum, non ex nobis habemus, sed ex dono ipsius, quemadmodum dicit et Apostolus : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei in nobis, et non ex nobis (*II Cor.* IV). » Item : « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III). » Addimus ergo tertium, dare scilicet benedictionem, id est, gratiarum actionem ei qui nos idoneos fecit, ut ipsum glorificare possimus factis nostris, dicimusque cum eodem Apostolo in eadem Epistola sic : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra (*II Cor.* I). » Sic fecerunt animalia

A hæc primitias gloriæ et honoris habentia. Glorificaverunt Deum prædicando sapientiæ et scientiæ sermone, et ore facundo ; honorificaverunt Deum, non suam, sed Dei voluntatem faciendo, carnemque suam pro honore Dei cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo (*Galat.* V) ; benedixerunt Deum, totum quod ad gloriam ejus dicere, totum quod ad honorem ejus facere poterant, non sibi, sed illi attribuendo, qui sancto Spiritu misso de cœlo sic docuit eos simplices et idiotas, ut scirent et possent ad gloriam ejus loqui, sic animavit eatenus infirmos, ut possent ad honorem ejus non solum vivere, sed etiam mori. Hæc tria illi dederunt « sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, » magnam suæ inopiæ refocillationem, magnam exinde hau-

B rientes sanctæ spei recreationem, quod dum glorificantes, honorificantes atque benedicentes Deum, persecutionem patiuntur et occiduntur, superstitem relinquunt illum sedentem super thronum, qui vivit in sæcula sæculorum, quippe eo ipso quod superstes est, et vivit in sæcula sæculorum, curare potest post ipsos de mortibus eorum, et requirere sanguinem eorum. Hæc illis dantibus, « procidebant, ait, viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum. » Summa causa totius, pro qua sedens ille et vivens a nobis adorari dignatur, gratia et misericordia est quam in Christo, vel per Christum nobis est operatus. Nam adorari pro bonis temporalibus non adeo gratum habet, quomodo

C adorabat illum carnalis ille Israel, qui in eo quod dicebatur illi : « Et dabo tibi terram fluentem lac et mel (*Exod.* XIII ; *Deut.* VI ; *Levit.* XX), » et in cæteris hujusmodi dictis non nisi terrenas intelligebant vel attendebant promissiones. Cæterum sancti et perfecti patres, et Moyses, et quotquot erant tales Spiritum Dei habentes, propter futuram istam Christi gratiam, Deum adorabant, et idcirco adorando, sive sacrificando animalia hæc, sive facies istos, de quibus loquimur, sicut jam supra dictum est, figurabant. Cum ergo darent illa animalia gloriam et honorem, et benedictionem, « procidebant viginti quatuor seniores et adorabant, » quia videlicet ubi sacramenta illa sæpe dicta in Christo celebrata, et per evangelicos præcones mundo prædicata sunt, ex eo « in nomine ejus flectitur omne genu, cœle-

D stium, terrestrium, et infernorum (*Philipp.* II), » et inter hæc omnia illi maxime qui pro regno ejus laboraverunt ; quorum, ut supra jam dictum est, et in Veteri Testamento ante regnum David præcipui sunt duodecim judices Israel (*Judic.* III), et in Novo Testamento, jam regnante Christo, super sedem David duodecim apostoli judicaturi duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). « Adorantes autem mittebant, inquit, **392** coronas suas ante thronum. » Qui in regno, vel pro regno Dei laboraverunt, digne in conspectu regnantis et sedentis coronati sunt. Verum isti considerantes, quia non suis meritis, sed gratia prævenientis et subsequentis misericordiæ, coronas

assecuti sunt, et perpendentes quia is propter quem et per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat, auctor salutis eorum per passionem consummatus est. Nonne ipsi suam dignitatem parvifaciunt, et totum quod meruerunt cum humili reverentia illi attribuunt? « Mittunt ergo ante thronum coronas suas », id est quidquid virtutis, quidquid habent dignitatis. Deo cum gratiarum actione offerunt dicentes: « Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt. » Comparetur dignitas quorumlibet sanctorum vel justorum, comparentur dignitates vel merita seniorum, dignitati vel operi sive merito hujus Antiqui dierum, dignitates vel merita illorum, quid sunt? Ille enim creavit omnia, et propter voluntatem ejus B erant et creata sunt, id est, nullius consilio vel merito, sed sola voluntate ejus erant et creata sunt. « Creasti omnia, » dixit; et iterum, « erant et creata sunt. » Non superflue creationis verbum repetivit, sed duas creaturæ rationalis creationes intelligi voluit, quarum posterior quidem, sed utilior illa est, qua sumus in Christo per Spiritum sanctum recreati, de qua Psalmista: « Emittes, inquit, spiritum tuum, et creabuntur (*Psal.* CIII). » Prior autem est illa in Genesi: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos (*Gen.* I). » De A ista creatione qua per Spiritum sanctum recreati sumus, de qua dicit et Apostolus: « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus (*Ephes.* II); » de ista, inquam, creatione primum dixit: Quia tu creasti omnia, id est omnes homines, sive omnium creaturarum genera, quemadmodum et in Apostolo habemus, « quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia (*Colos.* I). » Porro de priore creatione addidit, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt. Parum erat dixisse, erant, nisi addidisset, et creata sunt, id est, initium existendi acceperunt propter voluntatem tuam. Quis ergo seniorum istorum sapientum tantam dignitatem considerans judicet sese esse dignum? Sic ab oculis eorum respectu dignitatis illius, omnes suæ dignitates disparent, quomodo in præsentia solis super terram omnes stellæ teguntur et non parent. « Tu ergo, inquit, Domine Deus noster, tu solus dignus es accipere gloriam, honorem, et virtutem. » Gloriam videlicet, quia de nihilo a te creata sunt; honorem, quia propter voluntatem tuam per generationum successiones erant; virtutem, quia per spiritum tuum secunda creatione creata sunt. Ergo « non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* CXIII). »

LIBER QUARTUS.

CAP. V. — « Et vidi in dextera sedentis super C thronum librum scriptum intus et foris signatum sigillis septem. » Præcedenti visione laudem vel opus spiritus sapientiæ spectavimus in dispositione throni ejus, nunc in ista, quæ sequitur, spiritum intellectus prædicamus, sive prædicari intelligimus in apertione libri et solutione septem signaculorum ejus. Et in illa quidem visione unus est thronus sive sedes, et circa illa septem insignia scilicet « ostium apertum in cœlo, vox audita tanquam vox tubæ loquentis, iris in circuitu sedis, et seniores sedentes super sedilia viginti quatuor, lampades ardentes ante thronum, quæ et ipsæ in numero septem sunt, et in conspectu sedis tanquam mare vitreum, et in medio sedis, et in circuitu ejus quatuor animalia plena oculis ante et retro (*Apoc.* IV). » In ista visione D præter id quod Agnus videtur habens cornua septem et oculos septem, unus est liber et signacula ejus septem. Hoc dicimus, ut in istis sancti septiformis Spiritus revelationibus, et in cæteris quæ sequuntur septenarii numeri sacramentum valde commendari non ignoremus. « Et vidi, inquit, in dextera sedentis super thronum librum. » Unus est, liber, sancta Scriptura est: Scriptura, inquam, omnis divinitus inspirata, quæ idcirco dicitur et est unus liber, quia uno spiritu est conscripta, et unius Verbi Dei thesaurus sive sacrarium est. Liber iste in Isaia quoque et scienti litteras et nescienti irreserabilis. Cujus tamen etiam illic ita prædicatur apertio: « In die illa audient surdi verba libri (*Isa.* XXIX). » De quo et Ezechiel: « Et vidi, inquit, et ecce manus missa ad me, in qua erat liber involutus, et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris (*Ezech.* II). » Ubi et hoc quod Joannes tacuit, quid videlicet in libro scriptum esset, adjunxit dicens: « Et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ (*ibid.*). » Cuncta enim series et Veteris et Novi Testamenti, pœnitentiam pro peccatis agendam, regnum cœleste quærendum, et fletus infernales præmonet esse fugiendos. « Librum » ergo, id est omnem Scripturam, librum magnum, « et sacrum vidi, inquit, in dextera sedentis super thronum. » Veraciter in dextera, juxta illud in Deuteronomio: « In dextera ejus ignea lex (*Deut.* XXXIII). » Sapientia vero dicit: « In sinistra ejus divitiæ et gloria (*Prov.* III). « Ignea lex » id-

ipsum 393 quod hic liber scilicet, et omnis Scriptura sancta est, ut jam dictum. Verbum quippe sive eloquium Domini est, de quo et Psalmista: « Ignitum, ait, eloquium tuum vehementer (*Psal.* CXVIII). » Attendamus ergo quia sedens iste super thronum, multum potens et valde dives est, et distantes atque diversas a dextris atque a sinistris facultates possidet, a dextris hunc librum, legem igneam: a sinistris divitias et gloriam. Quanto melior est dextera, quam sinistra, tanto felicius bonum est liber iste sive ignea lex quam divitiæ et gloria Quænam sunt divitiæ hoc loco, et quæ gloria, nisi divitiæ terrenæ et mundana gloria? Bene ergo in sinistra ejus divitiæ et gloria, quia bonum, quod habet hujusmodi bonum divitiarum et gloriæ temporalis, tale est ut non solis detur electis, imo sæpius desit et tardius detur electis quam reprobis. Ignea vero lex, scilicet iste liber tantummodo electorum bonum et consolatio est; et ista est pars quæ semper permanet, testante Domino cum dicit in Evangelio: « Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea (*Luc.* X). » Et nonnulli quidem, ut David et Salomon, multum de utraque parte acceperunt, de dextera scilicet librum, de sinistra divitias et gloriam; quippe qui cum scientia legis Dei, divitias quoque habuerunt et gloriam temporalis regni, et utraque dona fuerunt hujus sedentis in throno; sed expedit omni animæ, cui hæc data sunt, ut quod a dextera datum est, habeat in jucunditate; quod autem a sinistra, teneat sub se, et moderetur liberali dispensatione, dicatque: « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant.* II). » Quod est dicere: Temporalia bona sub mea sunt dispositione, pars autem illa, quæ illis transeuntibus permanet, pars optima, quæ est Verbum Dei, legere vel audire, et intellecta commendare memoriæ, in summa mihi est delectatione. « Scriptum, ait, intus et foris, signatum sigillis septem. » Intus et foris scriptus est liber, quia nimirum sancta Scriptura et historiali sive litterali tenore legendo et spirituali sensu intelligenda est. Signatus est quoque sigillis septem, ita videlicet, ut omnem in se contineat mysteriorum Christi plenitudinem, quæ nisi veniens adimplesset, nemo intelligeret, et tanquam signacula firmissima solvere cupiens frustra laboraret, quia convenientia non essent, quæcunque quasi exponendo dicere contenderet. Denique hi, quibus Christus non venit, vel qui Christum non receperunt, nunc usque clausum et signatum versant librum, imo nec signatum esse vident, quia « velamen positum est supra cor eorum (*II Cor.* III), » et quæcunque quasi exponendo fari gestiunt, convenientia non sunt. Bene autem dictum est, « signatum sigillis septem, » quia videlicet septem sunt Christi mysteria, circa quæ versatur sancta legalis et prophetica Scriptura, scilicet incarnatio, passio, resurrectio, ascensio, datum Spiritus sancti Paracleti, vocatio gentium, secundus adventus Christi ad judicandum; de quibus suis in locis ipso donante dicemus per singula. Ita

A quippe istis mysteri sancta Scriptura est signata, ut quicunque ista non recipit, nullatenus veritatem ejus intelligere prævaleat.

« Et audivi [vidi] angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus. » Angelus iste fortis ista prædicans voce magna sanctorum antiquorum anhelans exspectationem, magnumque desiderium significat, de quibus in Evangelio Dominus: « Multi, inquit, prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Matth.* XIII) » Et apostolus ad Hebræos enumeratis patribus: « Juxta fidem, inquit, defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt

B super terram » (*Hebr.* XI). » Et infra: « Et hi omnes, inqui, testimonio fidei probati inventi non acceperunt repromissionem. Deo pro nobis aliquid melius providente, ut ne sine nobis consummarentur (*ibid.*) » Nimirum exspectatio et illa a longe illorum salutio atque confessio, magnus erat magni desiderii clamor, qualem hic in ista visione significari decuit, magna voce angeli fortis fortiter prædicantis. Exempli gratia: illi de quibus novissime dixit, omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones. Legebant quod in uno eorum scriptum est de Filii Dei incarnatione: « Ecce virgo [concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII). » Ac deinceps: « Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis; et factus est principatus

C super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Fortis Deus, Pater futuri sæculi, Princeps pacis (*Isa.* IX). » Et in alio de divina ejusdem nativitate: « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II). » Item de ejusdem passione: « Vere languores nostros et peccata nostra ipse portavit; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum (*Isa.* LIII). » Et in alio: « Foderunt, inquit, manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI). » Item de ejusdem resurrectione: « Venite et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit et sanabit nos; percutiet, et curabit nos. Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos et vivemus in conspectu ejus

D (*Ose.* VI). » Et in psalmo: « Ego dormivi et soporatus sum et exsurrexi (*Psal.* III); » et item; « Exsurrexi et adhuc sum tecum (*Psal.* CXXXVIII). » Item de ejusdem ascensione: « Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos (*Psal.* VIII). » Et iterum: « Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ (*Psal.* XLVI). » Et alibi: « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Item de adventu vel dato Spiritus sancti. « Et erit in novissimis diebus, effundam de spiritu meo super carnem, dicit Dominus, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ (*Joel.* II). » Et in alio: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini abom-

nibus inquinamentis vestris, et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri (*Ezech.* XXXVI); » sive, ut subinde ait, « et spiritum meum ponam in medio vestri (*ibid.*). » Item de vocatione gentium et abjectione Judæorum : « Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam (*Rom.* IX ; *Ose.* II). » Et in alio : « Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt (*Psal.* XVII). » Item de judicio ejusdem : « Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui (*Isa.* III). » Et alibi : « Domine, exaltetur manus tua, et non videant, videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostos tuos devoret (*Isa.* XXVI). » Hæc, inquam, legebant et multa his similia, quia omnis fere Scripturarum plenitudo circa septem hæc versatur mysteria, et desiderantes atque suspirantes videre illorum adimpletionem, dicebant : « Quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus ? » Circumspiciebant animo omne semen Israel, videbant quotidie nascentes et morientes, perpendebant vivos et commemorabant mortuos, et nullus omnino tantus erat vel talis apparebat, qui solveret hæc septem signacula, id est in quo vel per quem implerentur tot et tanta hæc mysteria. Hoc est quod sequitur :

« Et nemo poterat in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. » Erant in cœlo angeli, erant in terra viventes homines justi, nonnulli erant subtus terram, **394** scilicet apud inferos in quadam tamen requie, patriarchæ et prophetæ, reges quoque et justi plurimi mortui, et nemo illorum poterat aut potuerat aperire librum, id est, jam dicta adimplere mysteria Scripturarum ; neque respicere illum, id est, nec saltem sperare de semetipso, quod tantum tamque divinum posset exsequi salutis mundo negotium. Sequitur :

« Et ego flebam multum, quia nemo inventus est dignus aperire librum nec videre eum. » Parum erat huic beato Joannis audisse vocem magnam fortis angeli fortiter prædicantis, « quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus ; » qua voce vel qua prædicatione, magnum sanctorum antiquorum desiderium significabatur, nisi et unctio de qua ipse Joannes alibi loquitur, « et unctio ejus docet vos de omnibus (*I Joan.* II), » mentem ejus inungeret, ut in ipso excessu præ dulcedine rerum quas viderat fleret, suoque fletu sanctorum illorum desiderium experietur quam flebile fuisset.

« Flebam ergo, inquit, multum. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula ejus. » Hæc talis dictio unius de senioribus, non solum flentem consolatur, verum etiam videntem atque visurum docilem reddit, ut rerum sive imaginum quas videt cognitor fieri melius possit, præmonitus atque ad memoriam rerum gestarum ad fletus, in ipso excessu verbis hujuscemodi. « Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David. » Leonem nominat ei qui protinus agnum visurus erat. Sequitur enim :

« Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum. » Cur hoc ? Videlicet quia is qui per mansuetudinem et patientiam in sua passione dignus erat, « et sicut agnus erat coram tondente se obmutescens, non aperuit os suum (*Isa.* LIII), » ipso consummata eadem passione, mox tanquam catulus leonis ad prædam ascendens, infernum spoliaverat atque in sepulcro requiescens, et accumbens ut leo et quasi leæna (*Gen.* XLIX), ipsam quoque mortem corporis, et in semetipso et in nobis tertio die magno rugitu, magno cum terræmotu contriverat. Sane multo amplius iste leo tunc rugiet, quando ad judicandum veniens, tempestate valida circumtonante, mortuos omnes ac si dormientes, evigilare faciet. Ait ergo : « Ecce leo de tribu Juda, » id est homo talis qualis juxta propheticam veritatem, quam Jacob patriarcha prædixit, nasci de tribu Juda, vicit fortitudine sua principem adversæ fortitudinis, tantus ac talis, ut dignus fuerit ac sit, « aperire librum, et solvere septem signacula ejus. » Quare autem dixit « de tribu Juda radix David, » cum sic dicere potuisset, de tribu Juda, de stirpe David ? Christus enim, ut de tribu Inda, ita et de semine David est. Cur ergo ut de tribu Juda, non ita dixit, de stirpe vel de semine David ? Videlicet quia tali dictione rem vel causam non tetigisset unde leo sit, et unde vincere potuerit. Christus namque unde de tribu Juda est ex semine David, non inde Deus est, neque inde mortem vicit aut resurgere potuit, sed inde homo est, et inde tanquam agnus mori vel occidi potuit. Magnificentius ergo dictum est, ut dici debuit, « radix David. » Magnificum quippe et mirabile est ejus esse radicem de cujus stirpe descendit. Nam si ad carnem respicias Christi, sic non est ille radix David quomodo [quoniam] non radicem vitis portat, sed vitem radix. Itaque secundum divinitatem dictum est « radix David ; » quia videlicet sicut radix vitem aut palmitem (*Jer.* II), ita patrem suæ carnis David, portat Christus secundum suam divinitatem. Unde enim David et tota gens illa in Scripturis propheticis « vinea Domini dici consuevit (*Isa.* V), nisi quia per fidem venturo inhærebat Christo, qui dicit, « Ego sum vitis ? » (*Joan.* XV.) Denique sicut apostoli palmites, sic David vitis hujus est palmes, nec aliquis veterum aut novorum ad vineam Domini pertinere potest aut potuit, nisi qui per fidem viti huic inhæret aut inhæsit. Sequitur :

« Et vidi et ecce in medio throni et quatuor animalium et seniorum Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem et oculos septem. » Unus idemque Christus qui agnus est innocenter moriendo, leo quoque factus est mortem fortiter evincendo. Utrumque autem veteris Scripturæ auctoritate fundatum est. Nam quem leonem sive ca-

tulum leonis Jacob patriarcha prædixit (*Gen.* XLIX), eumdem per agnum Moyses in Ægypto figuravit (*Exod.* XII). Quomodo autem in medio throni stat Agnus iste, et quatuor animalium et seniorum, nisi quia sicut alibi dicitur, « Rex regum est, et Dominus dominantium? (*Apoc.* XIX.) Nam potestatem ejus et sapientiam qua dominatur et imperat, exprimit dicendo, « habentem cornua septem, et oculos septem. » Septiformis namque spiritus in Christo vel super Christum requiescens, qui supra septem lampadibus hic propter eminentiam potestatis et fortitudinis septem cornibus, et propter illuminationem gratiæ vel sapientiæ septem oculis comparatur. Unde loquitur Job : « Apud ipsum est fortitudo et sapientia (*Job.* XII). » Item: « Apud ipsum est sapientia et fortitudo (*ibid.*). Igitur « Agnum vidi, inquit, stantem in medio throni, et quatuor animalium et seniorum, id est Christum Sanctum sanctorum regnantem et dominantem in medio omnium sanctorum, » cornibus septem et oculis septem, » id est spiritus septem, quorum omnem in se habet plenitudinem corroborantem et illuminantem omnes, qui per fidem in circuitu ejus sunt. Additur quoque « tanquam occisum. » Quid est « tanquam occisum, » nisi aliquando occisum, nunc autem vivum ? Nam ille quidem « resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI), » verumtamen signa mortis ejus, loca clavorum in manibus ejus et pedibus, locus lanceæ in latere ejus, quæ suis discipulis post resurrectionem sua ostendit et palpanda præbuit, in memoriam sempiternam reservantur, sibi ad gloriam, nobis ad gratiam, inimicis ejus ad crudelem conscientiam: « ut videant et confundantur, » juxta illud propheticum: Videbunt in quem pupugerunt (*Zach.* XII.)

« Et venit et accepit dextera sedentis in throno librum. » Cum, ut supra jam dictum est, « in dextera sedentis, ignea sit lex (*Deut.* XXXIII), » quæ est iste liber, « in sinistra vero illius divitiæ et gloria (*Prov.* III), » valde notandum, quia veniens Christus in hunc mundum per incarnationis mysterium, nihil divitiarum aut gloriæ de sinistra, sed tantummodo librum sive igneam legem accepit de dextera. Bonum exemplum cunctis præbens discipulis, et credentibus in se, nihil divitiarum aut gloriæ voluit aut quæsivit in hoc mundo, pauper et egenus iste, imo et cum offerretur ei, sicut legimus in Evangelio, « quia venturi erant » hi quos saturaverat de quinque panibus et duobus piscibus, « ut raperent eum et facerent regem » super se, sciens hoc « ipse fugit (*Joan.* VI). » Tantummodo meditari in lege Domini die ac nocte, tantummodo librum de dextera dignatus est accipere, intendens aperire illum, et solvere septem signacula ejus. Consequuntur quidem illum qui exemplo ejus pro posse suo librum hunc accipiunt, labores et adversitates sæculi, sed de isto etiam scriptum est : « Saturabitur opprobriis (*Thren.* III). » id est opprobria sustinere pro justitia dulce illi erit. « Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt

A coram Agno, habentes singuli citharas et phialas **395** plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula ejus. » Magna res vehementer summumque agebatur negotium cum veniret agnus ille, et accipiens aperiret librum, bonisque ac legitimis opus erat testibus ad defendendum atque testificandum, quod ipse dignus esset accipere et aperire librum, id est, in quo deberent impleri Scripturæ vel cuncta oracula prophetarum. Quis enim illi credidit cum diceret se a Deo Patre esse missum ad tale ministerium ? Nam econtra perfidi Judæi dixerunt : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum (*Joan.*

B VIII). » Et multa in hunc modum. Hinc Joannes Baptista gemebundus clamat : « Qui de cœlo venit super omnes est, et quæ vidit et audivit hoc testatur, et testimonum ejus nemo accepit (*Joan.* III). » — « Nemo, inquit, accepit, » imo omnes contra steterunt, omnes falsum testem clamaverunt, et tanquam magum et seductorem interfecerunt ; exempli gratia : quia dicenti pontifici : « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei benedicti (*Matth.* XXVI), veritatem respondit ; et ille videns quia testimonium ejus nemo accepit, tacuit; « et sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum (*Isa.* LIII). Quid multa ? Tanquam falsum testem occiderunt illum, sicut jam dictum est, et sic maxime aperuit librum, implevit oracula Scripturarum. Ergo ut vel occiso non deesset testi-

C monium, ecce triplex dignitatis ejus testificatio sufficiens et abundans secundum sacræ legis edictum, quia « in ore duorum vel trium testium stat omne verbum (*Deut.* XIX). » Primus hoc loco testis, est universa sanctorum veterum ac novorum Ecclesia, quæ hic intelligitur per quatuordecim seniores et quatuor animalia. Ecclesia namque una omnium electorum, prædicat scriptis, prædicat miraculis, in illo homine Jesu Christo, qui crucifixus est, completa esse omnia, et dicit : « Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabunt super terram. » Secundus testis, omnis

D sanctorum angelorum chorus vel exercitus est, qui incarnandum annuntiaverunt (*Matth.* I). natum cum gloria in altissimis decantaverunt (*Luc.* I, II), tentato in deserto ministraverunt (*Matth.* IV), agonizantem in passione, ut Lucas testatur, confortaverunt (*Luc.* XXII), resurgentis gloriam beatis mulieribus apparentes prolocuti sunt (*Matth.* XXVIII), ascendentis triumphum, et judicaturi reditum sanctis apostolis intimaverunt (*Act.* I). Ait ergo : « Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium, et seniorum, et erat numerus eorum millia millium voce magna dicentium : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et

divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. » Tertius testis, omnis creaturæ universitas est, quia « omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I), » et hoc est maximum atque constantissimum dignitatis ejus testimonium, quia sine dubio nemo dignior illo « per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil (*ibid.*). » Pulchritudo cœli, et omnium quæ in eo sunt, pulchritudo terræ et omnium quæ in ea sunt, pulchritudo aquarum et omnium quæ in eis sunt naturali quodam concentu dignitati ejus perhibent testimonium, quia, sicut jam dictum est, « omnia per ipsum facta sunt, » quia videlicet Deus Pater « ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt (*Psal.* XXX, CXLVIII). » Hic autem est illius dicentis verbum, illius mandantis mandatum. Ait ergo : « Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in ea sunt, omnes audivi dicentes : Sedenti in throno et Agno benedictio et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. » Nunc jam diligentius et testium dignitatem atque reverentiam, et testimoniorum attendamus fidem atque constantiam.

« Cum, inquit, aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderant coram Agno, habentes singuli citharas et phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. » Antequam aperuisset agnus librum, antequam per passionem suam adimplesset veritatem Scripturarum, præter paucissimos, præter tres magos ab Oriente venientes (*Matth.* II), et præter illum illuminatum a nativitate cæcum (*Joan.* IX), fere nullus invenitur procidendo adorasse Agnum, Christum Dei Filium, sed postquam aperuit, postquam obedientiam consummavit, « omne genu curvatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum ((*Philip.* II). » Nec vero solummodo genu flectitur, sed adoratio plena procidendo perficitur, sicut in Psalmo scriptum est : « Coram illo procident Æthiopes, et adorabunt eum omnes reges (*Psal.* LXXI). » Apostoli quoque neque illum adorare, neque in nomine ejus adhuc petere noverant. Unde et dicebat illis jam instante hora suæ passionis : « Usque modo non petistis quidquam in nomine meo (*Joan.* XVI). » Ac deinceps : « Illo die in nomine meo petetis (*ibid.*). » Ex quo, propter quod « humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Deus illum exaltavit (*Philip.* II) », ex eo jam exigitur, ut adoremus et procidamus ante eum, et nomine ejus petamus, dicentes Deo Patri : Da vel præsta hoc vel illud, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. « Cum ergo aperuisset librum, » cum adimplesset omnia quæ de ipso scripta sunt, « quatuor animalia et viginti quatuor seniores coram Agno adorantes ceciderunt, » quia sancti omnes novi pariter et veteres in cœlo et in terra, quicunque adorant Patrem, adorant et Filium, adorant Deum et hominem Jesum Christum habentes singuli citharas, instrumenta videlicet laudum necessariorum, instrumenta non manufacta, sed pectora fidelia, et corpora cum plectro linguæ Dei personantia laudem. Citharis namque ubi ligno chordæ tenduntur, corpora propter Christum mortificata recte comparantur. Habent etiam phialas, vascula videlicet ore lato patentia, id est corda non angusta, sed per charitatem dilatata. Hujusmodi phialæ plenæ sunt odoramentorum, « quæ sunt, inquit, orationes sanctorum. » Nimirum et hoc ipsum latitudo oris phialarum, id est, ampla charitas efficit cordium vel odoramentorum nomine honorentur orationes sanctorum. Unde est illud in Psalmo : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL). » Et in consummatione virtutis et orationis suæ pius Magister dicit : « Ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis (*Ephes.* V). »

« Et cantabant canticum novum dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabunt super terram. » Adorabant et citharizabant, spirabant odoramenta orationum, » et cantabant canticum novum, » atque hoc erat et est magnum et ineffabile tripudium. « Novum, inquit, cantabant canticum, » nam et cantores omnes ipsi novi sunt, omnes veterem hominem deposuerunt (*Ephes.* IV), et nova in Christo creatura sunt. Tota nimirum cantici materia nova erat, quia noviter agnus occisus aperuerat librum, et redemerat eos in sanguine suo, quemadmodum et ipsi cantantes dicunt : **396** Recte ergo novum dicuntur cantare canticum. Quod est illud canticum ? « Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus. » Dominum dicunt Agnum, Rex enim est regnum, et Dominus dominantium.

Cum autem jam dictum sit quod aperuisset librum, quomodo nunc dicunt, « dignus es accipere et aperire librum ? » Semel enim passus et mortuus est, et hoc modo librum semel aperuit, id est Scripturas implevit. Ergo quod dicunt ei qui jam aperuerat, id est, adimpleverat, « dignus es accipere, » id est, ac si dicant, dignus es et potens sensum legentibus aperire, et intelligentiam Scripturarum dare. Nam et hoc et illud unus idemque pro sua dignitate effecit. Moriens Scripturas adimplevit, resurgens Spiritum sanctum dedit apostolis, qui ad intelligendas Scripturas sensum illis aperuit, et signacula libri solvi, id est, soluta et intelligibilia facta esse mysteria Scripturarum ostendit. Unde hæc, Domine, dignitas tibi ? « Quoniam occisus es, inquiunt, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. » Nisi occisus fuisses, nequaquam liber aperiri potuisset. Propterea Petro evaginanti gladium cum mallet homines occidere quam ab hominibus occidi, te verum Agnum Dei, dixisti : « Converte gladium tuum in locum suum. Non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duode-

cim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? quia sic oportet fieri (*Matth.* XXVI). » « Quoniam ergo occisus es, in eo ipso operuisti librum, et implesti veritatem Scripturarum. « Occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo. » Notandum tale canticum in duobus quæ sequuntur multitudinis angelorum et omnis creaturæ testimoniis non esse, quia videlicet neque angeli, quippe qui non perierant, neque creatura alia quæcunque rationalis non est, sed sola hominum Ecclesia, quæ hic intelligitur per viginti quatuor seniores et quatuor animalia, in sanguine Christi redempta est. Propterea isti quidem dicunt, quoniam « occisus es, et redemisti nos ; « angeli autem hoc tantum, « dignus est Agnus qui occisus est, » et non addunt, « et redemisti nos. » Porro cæteræ omnes creaturæ quæ in cœlo, et quæ super terram, et quæ sub terra, et quæ in mari sunt, nihil horum dicunt, sed tantummodo sedendi super thronum a quo factæ sunt, et Agno per quem factæ sunt, suo modo benedicunt. Soli ergo homines sunt qui primi ante angelos et ante omnem creaturam primum in isto cantico perhibent testimonium, dicendo : « Quoniam occisus es, et redemisti nos. » Cui redemisti nos? Deo, inquiunt, unde redemisti nos « Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. » Ex magna utique dispersione congregasti nos, ex magna dissensione adunasti nos. Et hoc namque homines multum a semetipsis dissentiunt quod multarum tribuum, dissonantium linguarum, dissimilium populorum, et diversarum sunt nationum. Porro ex hoc adeo dissentiunt quod a diabolo capti diversorum tenentur irretiti laqueis errorum. Sed tu redemisti nos Deo ut faceres nos Dei filios, ut, sicut in Evangelio scriptum est, « filios Dei, qui erant dispersi, congregares in unum (*Joan.* XI). » Agnus qui in Ægypto in figuram tui occisus est, ex una tantum gente populum illum in sanguine suo redemit, ita videlicet ut sanguis ejus de limine sumptus, et in superliminari, et super utrumque postem positus domorum in quibus comedebatur (*Exod.* XII), percussorem non sineret ingredi et percutere, et occisis Ægyptiorum primogenitis, hi qui prius tenebantur ab eis non solum dimitterentur, sed etiam compellerentur exire, et diviso mari Rubro, ipsi quidem salvi pertransirent, persequentes autem eos Ægyptii cum curribus et equis suis in mediis fluctibus interirent. Taliter tunc Agnus ille populum illum redemit, imo tunc Dominus dominator Agne, per illius agni immolationem figurativa redemptione illos redemisti. Nunc autem tu per temetipsum ita redemisti nos Deo in sanguine tuo, ut sanguis tuus, qui pro nobis effusus est, de baptismi tui sacramento sumptus, signo crucis frontibus nostris imprimatur, itemque de sacro altari sumptus super utrumque postem domorum nostrarum ponitur, dum et cordis et corporis ore percipitur. Hoc facto percussor diabolus ingredi non permittitur, sed primogenitum, id est, originale peccatum in nobis deletur, omnia duæ contra nos erant actualia peccata, nosque persequebantur, in aquis baptismi absorbentur. Ita redemisti nos liberans a malignis spiritibus, et congregans de nationibus, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes. Illud quoque quod ad hoc redemisti nos, ut faceres Deo nostro regnum et sacerdotes, qui eramus servi peccati, et dæmonum sacrificatores, in illa umbra præfiguratum est : Redactos in servitutem Ægyptiorum, et servientes diis eorum, filios Israel ad hoc redemisti, ut faceres Deo qualecunque regnum, et de tribu Levi sacerdotes qualiscunque sacrificii, sic incipiens et sic mandans Pharaoni : « Dimitte populum meum ut sacrificet mihi (*Exod.* V). » Factum est tandem in manu forti, et populus ille regnum erat Deo, donec malo consilio dicerent ad Samuel : « Nequaquam, sed regem constitue super nos. » Item : « Constitue super nos regem ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes. » Dominus autem ad Samuelem : « Non, inquit, te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos (*I Reg.* VIII). » Ergo et in illa figura sic illos de servitute Ægyptiorum hominum pariter et deorum redemisti, ut faceres regnum Deo et de illis sacerdotes Dei. Nos secundum illam figuram fecisti in veritate Deo nostro regnum et sacerdotes, ut jam non simus servi peccati, sed regnum justitiæ, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore (*Rom.* VI), imo nec ipsum corpus jam mortale sit, cum mors per gloriam resurrectionis absorpta fuerit (*I Cor.* XV). Ecce jam et regnum hic incipit, et sacerdotes sumus Dei, nunc sacrificantes hostiam salutarem corporis et sanguinis tui, tunc autem et plane regnaturi, et incessabiles laudum hostias sacrificaturi : Vere magna largitas redimentis, qui ad hoc redemit servos peccati, ut non servos faciat vel habent, sed regnum et sacerdotes Dei. Confitentur quidem omnes redempti, et verum dicunt, quia sunt servi ejus qui eos redemit, sed ipse qui redimit, non servos, sed amicos, non subservientes, sed conregnantes facit, et dicit. Quid multa? Conditione sui sunt servi emptitii, dignatione illius vocantur et sunt amici, et filii vocantur, et sunt regnum et sacerdotes Dei. « Et regnabunt, inquit, super terram. » Quomodo illi jam dicti de ergastulo Ægyptiorum liberati regnaverunt super illam repromissionis terram, unde Chananæi et Amorrhæi propter sua peccata ejecti sunt ; ita isti regnabunt super veram repromissionis terram, super terram viventium, unde propter superbiam illi apostatæ spiritus ejecti sunt. Notandum vero, quod de prima persona transierunt ad tertiam, cum præmisso, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, adjungunt et regnabunt super terram. Religiosa valde transitio est hæc, declinans etiam in sonos vocis vane glorantium similitudinem : etenim cum veraciter dicere possent, et regnabimus super terram, magis humiliter dicere placuit, et regnabunt super terram. Itaque et fecisti nos Deo nostro regnum, sit laudatio omnium **397** communiter confitentium, et regnabunt super terram, dictum

est singulorum humili se reverentia deprimentium. Sed nec illud prætereundum est, quod non dictum est, et regnabunt in terra, sed « regnabunt super terram. » Sancti quippe conditione in terra sunt, quia spiritus eorum in terreno corpore sunt, sed vita et conversatione super terram sunt, et super terrena atque corruptibilia membra sua tenent principatum. Et quidem nunc quandiu corpora mortalia sunt, cum labore et sollicitudine regunt illa, in futuro autem in pace et securitate super illa regnabunt.

« Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium et seniorum, et erat numerus eorum millia millium voce magna dicentium : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere divinitatem, virtutem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. » Primus testis, ad quem magis pertinet hoc negotium, scilicet omnis cœtus electorum hominum, prædicto modo suum edixerat testimonium, et inde « vidi, ait testis, alterius vocem, et hic erat omnis chorus angelorum stantium in circuitu throni, et animalium et seniorum, » videlicet ad magnum spectaculum redemptionis et salvationis hominum. Numerus eorum infinitus est. Hoc enim satis admirative prædicat dicendo, « et erat numerus eorum milia millium. » Denique numerus eorum millia millium, cum non dicatur quot millia, manifeste numerum sonat infinitum. Ita in Daniele cum dicitur : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei (*Dan.* VII), » multus quidem numerus est decies millies centena millia, sed tamen finitus, numerus vero millia millium finitus non est. Ad istorum, scilicet angelorum omnem multitudinem pertinet huic Agno perhibere testimonium, quia videlicet, etsi non per ipsum redempti sunt, quia non perierant, attamen et per divinitatem ejus conditi sunt, et per sanguinem ejus nobis conciliati sunt, juxta illud Apostoli : « Quia in ipso condita sunt universa in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt (*Coloss* I). » Et subinde : « Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia in ipso pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt (*ibid.*). » Et alibi : « Ut notum nobis faceret sacramentum voluntatis suæ secundum bene placitum ejus quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum (*Ephes* I). » Exponit statim quid sit illud beneplacitum Dei, ita subjungendo : « Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terris sunt in ipso (*ibid.*). » Hoc enim erat beneplacitum Dei, videlicet impleto tempore ordinationis suæ instaurare in fide Christi quæ in cœlis sunt semiplena, id est numerus angelorum qui diminutus erat, et quæ in terris sunt evacuata, scilicet homines qui perierant. Igitur quia angeli et in ipso conditi, et per sanguinem ejus hominibus conciliati sunt, et ex hominibus numerus eorum suppletur per ipsum, bene in circuitu throni et animalium et seniorum, ecce adsunt ad testificandum, et auditur testimonium illorum voce magna, id est, magno affectu dicentium : « Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, » etc. Quia angeli sunt qui non perierunt, idcirco non dicunt : Dignus est Agnus qui occisus est et redemit nos, quomodo paulo ante dixerunt homines, « quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo ; » sed hoc tantum dicunt, « dignus est Agnus qui occisus est. » Septem numero insignia testificantes Agno ascribunt, virtutem, divinitatem, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, benedictionem. Et in isto numero laudum pariter intelligimus universa, quæcunque satis continentur Scripturis ejusdem Agni Christi præconia. Sunt enim et alia multa hujusmodi majestatis et sublimitatis ejus nomina, regnum, imperium, salus, vita, potestas, et his similia. Legebantur hæc sparsim in Scripturis ; exempli gratia, in Isaia sic : « Parvulus enim natus est nobis, filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et regni ejus non erit finis (*Isa.* IX). » Legebant hæc Judæi, sed indignum judicabant eum quem sicut agnum occiderant. Indignum omnino et ineptum reputabant cunctis nominibus istis, quippe cum ista sint præconia Christi, ipsi autem nolebant istum filium (ut putabant) Joseph, filium (ut improperabant) fabri, Christum ullatenus esse vel dici (*Joan.* VI ; *Matth.* XIII). Decertant econtra testificantes angeli : Agnus iste qui occisus est, » hic vermis et non homo (*Psal.* XXI), » qui conculcatus et crucifixus est, hic Filius hominis, filius quidem Mariæ, sed non filius Joseph, dignus est accipere omnia hæc, dignus est de quo dicantur et prædicentur omnia ista. Dignus est accipere virtutem, dignus est esse vel dici rex ille, de quo Psalmista : « Domine, inquit, in virtute tua lætabitur rex (*Psal.* XX). » Dignus est accipere divinitatem, dignus est hoc nomine « quod est super omne nomen (*Philip.* II), » quod nomen Deus est; et hoc accipe de propheta jam dicto, apud quem Deus est dictus hoc modo : Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus (*Isa.* IX). » Dignus est accipere sapientiam, dignus est ut is ipse esse credatur, de quo Jeremias : « Ecce, inquit, dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit (*Jer.* XXIII). » Dignus est accipere fortitudinem, ut credatur esse is ipse de quo ibidem Isaias, ubi dixerat, « et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, » addidit « fortis (*Isa.* IX). » Et de quo Psalmista : « Dominus, inquit, fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII). » Dignus est accipere honorem, ut is ipse credatur esse, de quo idem Psalmista : « Ex quibus, inquit, delectaverunt te filiæ regum, in honore tuo (*Psal.* XLIV). » Et alibi : « Honor regis judicium diligit (*Psal.* XCVIII). » Dignus est accipere

gloriam simul et honorem,ut jam dictum est,ut is esse non dubitetur,de quo itidem Psalmista : « Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum (*Psal.* VIII). » Item : « Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum (*Psal.* XX).» Dignus est accipere benedictionem,ut is esse cognoscatur et credatur, de quo ibidem continuo Psalmista dicit : « Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi (*ibid.*). » Item ut credatur esse illud semen de quo ad Abraham Deus locutus est : « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII. » Et in David : « Sit nomen ejus benedictum in sæcula, ante solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ (*Psal.* LXXI).» Item ad ipsum :« Speciosus forma præ filiis hominum,diffusa est gratia in labiis tuis,propterea benedixit te Deus in æternum (*Psal.* XLIV). » Accipiat ergo agnus qui occisus est, accipiat, ut dignus est,virtutem ad ejiciendos dæmones de templis vel delubris gentium et de latebris simulacrorum, ubi colebantur et ubi dabant responsa fallaciæ suæ, mentiendo se deos esse, atque inde proturbet eos Dominus virtutum,juxta illud in Psalmista : « Et in virtute brachii tui dispersisti inimicos tuos (*Psal.* LXXXVIII). » Accipiat divinitatem, ut dignus est, ut expulsis diis falsis **398** de cordibus gentium,ipse solus adoretur qui verus Deus est,ut fiat item quod in psalmo scriptum est :« Regnabit Deus super gentes (*Psal.* XLVI) ; » et ut decantet jam totus orbis, « quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit (*Psal.*XCV).» Accipiat sapientiam, ut dignus est, quatenus neminem suorum « quis seducere possit per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi,et non secundum ipsum (*Coloss.* II).» Accipiat, inquam, sapientiam et fortitudinem, ut quæ sunt stulta mundi eligens, confundat sapientes ; et infirma mundi eligens,confundat fortia (*Isa* XXIX ; *I Cor.* I) ; juxta illud quod scriptum est in Job :« Perdam sapientiam sapientum,et prudentiam prudentium reprobabo (*Job.* V),» quod est accipere sapientiam ; fortitudinem autem,juxta illud in Psalmo : « Accingere gladio tuo super femur tuum,potentissime. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis (*Psal.*XLIV).» Ita fiet ut neque sapientia philosophorum oculis agni,neque fortitudo regum aut imperatorum,cornibus agni qui occisus est, obviare aut resistere possit, quin habeatur Deus sapiens et fortis ; et audiant et credant in eum omnes populi. Accipiat et honorem, ut dignus est, quatenus corda et corpora quæ malignorum spirituum et vitiorum omnium fuerant receptacula, fiant ipsius habitacula munda et templa venerabilia, sintque ut continuo Psalmus dicit : « Sedes tua, in sæculum sæculi (*ibid.*), » sintque filiæ regum delectantes te in honore tuo, id est, civitates quas reges sæculi construxerunt, sive Ecclesiæ quæ ab apostolis propagatæ tanquam filiæ regum sint sancte viventes pro honore tuo.Accipiat cum honore gloriam,ut dignus sit, ut gentes quæ bene vivendo honorant eum, etiam bene loquendo glorificant eum, prædicando Sanctum sanctorum meliorem angelis, excelsiorem cœlis, sedentem ad dexteram majestatis, atque ita « omnis lingua, ut Apostolus ait, confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II). » Accipiat et benedictionem, ut dignus est, benedicant eum omnes sancti ejus,non sibi,sed illi attribuendo id quod sunt (*I Cor.* XV), gratias agentes Deo Patri per ipsum.

« Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et quæ super terram,et quæ sub terra,et quæ sunt in mari, et quæ in ea sunt omnes audivi, dicentes : Sedenti in throno et Agno benedictio,et honor, et gloria,et potestas in sæcula sæculorum.» Creaturæ illæ,quibus Christi passio pacis et gloriæ contulit commodum,scilicet cœtus uterque angelorum et hominum, ejusdem mortis Christi in sua testificatione titulum posuerunt, isti, scilicet homines dicentes Agno : « Dignus es,Domine,quoniam occisus es et redemisti nos ; » illi, videlicet angeli qui redempti non sunt, quia non perierant,dicentes hoc tantum,dignus est agnus qui occisus est. Porro« creaturæ cæteræ quæ in cœlo, et quæ super terram, et quæ sub terra, et quæ sub cœlo, et quæ in ea sunt,sol, luna et stellæ, aquæ quæ super cœlos sunt, » et cæteræ omnes quas in laudando Dominum Psalmista excitat (*Psal.* CXLVIII),quarum omnium est tertium hoc loco testimonium, ut stet hoc propositum de dignitate agni verbum, neque de redemptione sui, ut animalia et viginti quatuor seniores,neque saltem de occisione agni,ut omnes angeli,ullam faciunt mentionem,sed tantummodo dicunt : « Sedenti in throno et agno benedictio, » etc. Neque enim occisus est agnus ob talium creaturarum redemptionem, aut ob ullam earum instaurationem. Tantummodo quia creata sunt creatori concinunt, non quidem rationali aut vocali confessione,sed naturali sui status præsentatione. Et quia hominum redemptio atque angelicorum ordinum instauratio, per solius Agni occisionem facta est ; sola enim Filii persona passa est, natura vero vel substantia creaturarum omnium, dicente Patre per Verbum, id est, per eumdem Filium condita est, recte et homines et angeli sola in illa jam dicta confessione sua occisionem agni prædicant : istæ autem creaturæ et sedentem in throno, scilicet Patrem et Agnum, id est, Filium Patris laudant.Prima in earum laude est benedictio. Cur hoc ? Videlicet quia sunt etiam in his quædam creaturæ quæ non solum præcepto ejus in natura sunt, sed etiam benedictione ejus in suæ successionis posteritate subsistunt, scilicet omnis creatura vivens atque motabilis,quam produxerant,aquæ,in species suas,et omne volatile secundum genus suum.

Scriptum est enim : « Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis dicens : Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram (*Genes.* I). » Recte ergo primam benedictionis vocem emittunt ei, per cujus subsistunt benedictionem. Dant deinde et honorem : inquam Domino domus magnæ quam condidit ipse tanta et tam speciosa tamque diffusa pulchritudine. Fabricatori quippe domus honor in eadem domo debetur, quemadmodum dicit Apostolus : « Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo ; qui autem fabricavit omnia Deus est (*Hebr.* III). » Et quidem domus Dei sumus nos, sicut subinde idem Apostolus : « Christus vero, inquit, tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos (*ibid.*) ; veruntamen et hæc mundi fabrica nihilominus quædam domus Dei est quam tanta creaturarum diversitas tanquam familia ejus inhabitat. Dant illi et gloriam, videlicet ut etiam pro tali factura glorietur et dicat : « Ego Dominus creans cœlos et formans terram (*Isa.* XLV). » Et in Isaia : « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palma ponderavit ? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera? (*Isa.* XL.) » Et his similia. Dant ei et potestatem, cum videlicet cunctis evanescentibus mundi hujus potestatibus, solus qui sedet in throno, et Agnus potestatem creaturæ suæ obtineat ; quemadmodum Danieli ostensum est visione clarissima. « Et vidi, inquit, quoniam interfecta esset bestia, perisset corpus ejus, et traditum esset igni ad comburendum, aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, et tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus et tempus. Aspiciebam ergo in visu noctis, et ecce cum nubibus cœli Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum ; et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum ; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur (*Dan.* VII). » Hanc potestatem dat illi etiam creatura quæ est sub terra, scilicet infernali carcere inclusa, veruntamen non voluntaria confessione, sed coacta concessione. Nam et ipsi maligni spiritus, volentes nolentes, sedentis in throno, et agni potestatem confitebuntur.

« Et quatuor animalia dicebant : Amen. » Amen, *vere*, sive *fideliter* interpretatur. Amen ergo dicere, est verum testimonium confirmare. Dicunt hic et faciunt « quatuor animalia, id est quatuor Evangelia, confirmant quod Agno æque ut sedenti in throno, quod Filio Jesu Christo æque ut Patri Deo, **399** benedictionem, et honorem, et gloriam, et potestatem, suo modo asserat vel testetur omnis creatura. » Quartum tamen animal simile aquilæ volanti, » quod est hic ipse Joannes, manifestius hic amen dicit, scribendo, quia « omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). » « Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum. » Finis vel consummatio testimoniorum omnium, adoratio est perseverans in æternum, cujus videlicet adorationis viginti quatuor seniores, id est omnes Ecclesiæ sive Ecclesiarum prælati et judices, sic digne agunt principatum, sicut testificationis exercuerunt magisterium.

Cap. VI. — « Et vidi cum aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui : Veni et vide. » Supra compendio dixerat Agnum aperuisse librum, nunc vero ejusdem libri apertionem ordine digerit per singulorum sigillorum solutionem. Jam autem, et nos supra diximus, septem libri signacula, septem esse (quæ clausa in Scripturis continebantur) ejusdem Agni Jesu Christi mysteria, scilicet ejus incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti effusionem, gentium, derelicta Judæa, vocationem, judicium ultimum et sæculi consummationem. Cum ergo Christus Jesus qui in forma Dei erat, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et in similitudinem hominum factus est (*Philip.* II) ; tunc utique « Agnus unum de septem sigillis » aperuit. Quandam enim partem Scripturarum, quarum omnis intentio circa jam dicta versatur mysteria, tunc adimplevit. Exempli gratia : « In sole posuit tabernaculum suum ; et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII) ; » Item : « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis (*Psal.* XLIV). » Ac deinceps : » Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem ; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*ibid.*). » Et alibi : « Homo natus est in ea ; et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI). » Et in Isaia : « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII). Hæc et cætera hujusmodi tunc adimplevit Jesus Christus, quando formam servi accepit, qui erat in forma Dei (*Philip.* II). Oportet autem eum qui talium dictorum sibi signaculum solvi, id est, intelligentiam cupit aperiri, prius habere meritum fidei.

Sequitur ergo : « Et audivi unum de quatuor animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui magni : Veni et vide. » Nam veni et vide, hoc est primum crede, et sic demum intellige. Porro animal hoc unum de quatuor, ipsa est facies hominis, id est, incarnatio ejusdem Christi Filii Dei. Principaliter namque, ut superius jam dictum est, quatuor animalia, quatuor maxima sunt Christi sacramenta, quæ nullo Christiano nescire liceat, scilicet incarnatio, passio, resurrectio et ascensio ; secundarie vero ipsi, qui quatuor scripserunt Evangelia. Unum itaque vel primum ex quatuor animalibus, incarnatio Christi est, cujus videlicet incarnationis voces toties audimus, quoties eadem incarnatio nobis in Ecclesia prædicatur. Auditur autem vox tanquam

tonitrui, quia videlicet non sicut probrosa vanitas susurrat in angulis, sed palam omni mundo prædicari amat plenitudo partus virginalis, ita ut merito comparetur tonantibus cœlis juxta illud Davidicum : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* XVIII). »

» Et vidi, et ecce equus albus et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret » — « Et vidi, » id est, intellexi. Et revera omnis qui venit, id est qui fideliter credit, ipse intelligit incarnationis Christi mysterium sic esse velut equum et sedentem super illum, intelligit non hominem tantum aut Deum tantum, sed hominem simul et habitantem in homine Deum, hominem Deo, vel Deum homini in unitate personæ conjunctum. Nam, quomodo equum et super eum sedentem hominem, unum equitem dicimus, sic hominem hunc et inhabitantem Deum, unum confitemur Christum. Attamen Deus huic homini multo conjunctior est, quam equo homo qui illi insidet, quia homo ex equo descendit, ab homine isto Deus, qui illum assumpsit, nunquam discedit. Semel tantum caro mortua in sepulcro jacuit, sed ab anima divinitas nunquam discessit. Resurrexit caro, anima resumpta cum virtute divinitatis, et deinceps tam caro quam anima cum verbo permanet unus Christus invisibilis.

Itaque equum album, et eum qui sedebat super eum, unum intelligimus Christum, et hunc equum illud esse jumentum, de quo in illa parabola, de homine qui inciderat in latrones sic dictum est : « Et appropians, videlicet Samaritanus, alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum (*Luc.* X). » Samaritanum illum sedentem super jumentum suum, unum intelligimus Deum, et hominem Christum. Qui profecto vulneratum hominem super jumentum suum imposuit, quia peccata generis humani ipse in corpore suo pertulit (*Isa.* LIII). Et recte hic equus albus dicitur, quia quod certum tenet fides Catholica, hic homo de Spiritu sancto conceptus, sine peccato de virgine est natus. Solus iste est qui non in iniquitatibus conceptus est, quem non in peccatis mater sua concepit (*Psal.* L), in peccatis videlicet prævaricationis Adæ, in quo omnes peccaverunt, ut Apostolus ait (*Rom.* V), sed non iste, quem, ut jam dictum est, de Spiritu sancto Virgo concepit « Et qui sedebat super illum, habebat arcum. » Arcum habebat, ipse enim est vir sagittarius, de quo in Job contra Behemoth dicitur :« Non fugabit eum vir sagittarius (*Job* XLI), » scilicet de perfidorum cordibus, qui nullis futuri judicii comminationibus acquiescunt, ut convertantur. Arcus quippe de longinquo feriens, judicium significat, quod nondum est, sed in extremum differtur diem. Hunc judicii arcum ille habebat, quia judicium omne, sive potestatem faciendi judicium, Pater illi dabat, et illud facturus, pœnitentiam prius prædicare et peccatorum remissionem dare veniebat (*Joan.* V).

A « Et data est illi corona, » id est, sancta in duodecim apostolis Ecclesia primitiva. Unde est illud in Psalmista : « Posuisti in capite ejus coronam (*Psal.* XX). » Nam in capite ejus coronam « de lapide pretioso (*ibid.*) » posuisti, hoc est, in initio prædicationis ejus chorum apostolorum, qui utique secundum fidem lapides vivi, lapides sunt pretiosi, tu Pater illi dedisti. Unde dicit : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Tui erant, et mihi eos dedisti (*Joan.* XVII). » — « Et exivit vincens ut vinceret. » Exivit videlicet anno suo incipiente tricesimo baptizatus ad prædicandum atque in ipso exitu suo vicit tentatorem diabolum. Statim quippe a Spiritu sancto ductus in desertum, cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus et postea esuriret, in tribus tentationibus, ut legimus (*Matth.* III).

B tentatorem vicit, a quo primus homo tentatus et victus fuit. Itaque exivit vincens, ob hoc ut vinceret, id est, ob hoc tentationes suas vicit, ut nostras, in quibus victi fueramus, tentationes superaret. Unde et Apostolus : « In eo enim in quo passus est ipse tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari (*Hebr.* II). » Itaque sic exivit, sic nascendo et vivendo peccato caruit, **400** et omnia tentamina vicit, ut ad mala nostra vincenda tota properaret intentione charitatis.

« Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens : Veni et vide. » Quando Christus « Jesus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II), » magnum utique sigillum libri agnus

C aperuit. Plurimam quippe partem Scripturarum eadem sua passione adimplevit, et intelligibilem fecit. Exempli gratia : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isa.* LIII). » Item : « Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum (*ibid.*). » Ac deinceps :« Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse multorum peccata tulit, et pro transgressoribus exoravit (*ibid.*). » Et in Psalmo :« Foderunt manus meas, et pedes meos (*Psal.* XXI). » Item : « Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*ibid.*). » Hæc et alia quam plurima de prophetis et de psalmis, plurima et magnifica dicta vel decreta sanctæ ac mysticæ legis sub hoc secundo sigillo clausa tenebantur, quod tunc agnus

D iste solvit, quando Christus Jesus agonizans in patibulum crucis ascendit, et spiritu tradito, mortuus in sepulcro quievit. « Audivi, inquit, secundum animal, dicens : Veni et vide. » Secundum animal, id est, facies vituli, ipsa est passio Domini, cujus vocem toties audimus, quoties ipsa nobis annuntiatur, maxime autem quando baptizamur, et quando sacramentum corporis et sanguinis ejus celebramus aut percipimus. « Quicunque enim baptizati sumus in Christo Jesu, ait Apostolus, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI), » et quotiescunque manducamus panem hunc, et calicem bibimus, mortem Domini annuntiamus (*I Cor.* XI). Venimus

et videmus, id est, credimus et intelligimus.

« Et exivit alius equus rufus, et qui sedebat super eum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra. » Equus rufus civitatis diaboli, civitatis Babyloniæ est populus sanguinolentus, et sessor atque agitator ejus diabolus est. Apud Zachariam (*cap.* I) quidem legimus equum Domini roseum, sed equus ille non alius est, quam is, qui supra visus est equus albus. Ille namque et propria munditia albus est, et proprio sanguine est roseus, propter quod in Canticis dicitur: « Dilectus meus candidus et rubicundus (*Cant.* v), » hic autem sanguine alieno, sanguine sanctorum, quem effudit, rufus est. Hic equus exivit, in jam dicta passione Domini (*Matth.* XVIII), jamdudum rufus omni sanguine justo, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, et tunc exivit, ut impleret mensuram homicidiorum suorum junctis sibi gentilibus, et Pontio Pilato, ad occidendum Dominum. Diabolus enim sedebat super eum. Et datum est ei, ut sumeret pacem de terra, ut auferret pacem de subdita sibi generatione terrena, ita ut invicem interficiant. Hoc illi datum, id est, permissum est suadenti Judæis, quorum utique sessor erat, et quos agitabat, quatenus seditiosum Barabbam sibi dimitti, Jesum vero postularent crucifigi (*Matth.* XXVII). Hoc namque agendo, pacem de terra sumpsit, id est absumpsit. Nunquam enim extunc pax fuit genti illi, justo videlicet judicio, ut qui peremerant principem pacis, seditiones hæreditarent Barabbæ, quem sibi petierant dimitti. Et ideo pacem sumere de terra, datum est ei (ut invicem interficiant), quod quam verum sit, plenius videt atque miratur, quisquis illud tam mirabile quam miserabile, Hierosolymorum excidium sub Tito et Vespasiano factum legit, cujus videlicet excidii nos adhuc in solutione sexti sigilli meminisse oportebit. « Et datus est ei gladius magnus. » Gladius magnus, magna et longa persecutio intelligitur, quem videlicet persecutionis gladium equus ille malignus a Christo usque ad novissimos electos ejus tanquam a capite magni corporis usque ad ejus pedes ducere permittitur. Verum de hoc plenius suo loco dicendum erit, ubi de sanguine sanctorum ebria demonstratur Babylon meretrix.

« Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni, et vide. » Qua die resurrexit Christus Jesus a mortuis, et stans in medio discipulorum suorum, dixit eis: « Pax vobis, accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX); » nimirum agnus tertium libri sigillum aperuit, quia magna Scripturarum præconia, quæ de ipso erant, adimplevit. Exempli gratia: « Catulus leonis Juda ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum? » (*Gen.* XLV.) Et illud in Osee: « Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne (*Ose.* III). » Et in Psalmo: « Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus no-

A men illi (*Psal.* LXVII). » Item: « Exsurrexi, et adhuc sum tecum (*Psal.* CXXXVIII). » Hæc et his similia dum adimplevit, intelligibilia fecit Christus resurgendo ex mortuis, tunc, ut jam dictum est, agnus tertium sigillum aperuit. Porro, tertium animal, sive unius animalis tertia facies, ipsa resurrectio est, cujus vocem toties audimus, dicentis: « Veni et vide, » quoties ejusdem resurrectionis gloria prædicatur nobis ore gratulantis Ecclesiæ. Et ecce equus niger, et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. » Equus niger, falsorum fratrum caterva, est quales prior Dominus contribules suos Judæos perpessus est unum se Patrem habere Deum gloriantes. Equus iste niger cum sessore suo diabolo tunc apparuit, stateram habens in manu

B sua, quando primum hæc ipsa resurrectio Jesu Christi falsis fratribus illis est nuntiata. Sic enim Matthæus narrat: « Ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum, omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem (*Matth.* XXVIII). » Itaque qui supra nigrum sedebat equum, stateram habebat in manu sua, quia diabolus mendax, falsos et mendaces agitans, egit uti ad negandam et dissimulandam

C Christi resurrectionem, mendacium compararent appensa pecunia. Non tunc data est illi statera, sed « habebat, inquit, stateram in manu sua, » jam enim similiter fecerat, quando Judas falsorum fratrum unus vel notissimus, pecuniam ab eis ob traditionem sanguinis innocentis, scilicet triginta argenteos acceperat. Unde et dicitur huic: « Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum et oleum ne læseris. » Computemus libras, quantæ contingant triginta argenteis sive denariis, videlicet ita ut octo libræ binis semper supputentur denariis juxta præsentem traditionem, qua dicitur « bilibris tritici denario et tres bilibres hordei denario, » et fiunt insimul libræ centum viginti. Tot autem erant in initio credentes, quos ille venditione

D sua redemptos, Christus in hoc mundo superstites reliquit, sicut in Actibus apostolorum Lucas dicit: « Erat autem turba hominum simul fere centum viginti (*Act.* I). » Dicatur ergo huic, « stateram in manu sua habenti: Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denaria, et vinum et oleum ne læseris. » Quod est dicere: Et si multitudinem Judæorum **401** infidelium lædis, divulgato mendacio, quod pecunia copiosa coemisti, ne tamen usquequaque glorieris, quia nequaquam eos qui ad me pertinent lædere conceditur tibi, quos venditus ego redemi, quorum licet nunc numerus parvus sit, omnes tamen idem numerus significat, qui per verbum eo-

rum sunt credituri, fidemque habituri sanctæ Trinitatis. Nam juxta præfatum numerum triginta argenteorum, cum « bilibris tritici denario, et tres bilibros hordei » væneunt denario, fiunt simul tritici libræ triginta, hordei vero libræ ter triginta, id est nonaginta, et in omnibus his numerus ternarius fidem sanctæ Trinitatis exprimens, late coruscat. Simul « vero triginta et nonaginta centum viginti faciunt, qui numerus, ut jam dictum est, initio credentium fuit (*Joan.* XII). » Et imparis quidem meriti fuerunt, quemadmodum triticum et hordeum in commodis agricolæ non ejusdem momenti sunt, verumtamen omnes de uno grano frumenti, quod cecidit in terram, et mortuum fuit fructificando succreverunt, et eamdem, ut jam dictum est, Trinitatis fidem tenuerunt et prædicaverunt. Quidquid fiat, quidquid facias de fratribus illis pro sua falsitate nigris, istos lædere, istos in errorem vel mendacium adducere non conceditur tibi. Vinum quoque et oleum, ut lædere possis, non tibi conceditur. Quod vinum et quod oleum? Profecto geminum sancti Spiritus datum; primum quippe sancti Spiritus datum, oleum, quia sic primum datus est, ut esset remissio peccatorum, dicente ipso qui dedit ipsa die qua resurrexit a mortuis: « Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX). » Secundum vero datum recte dicitur vinum, quia nimirum secundo sic datus est Spiritus sanctus ut esset fortitudo credentium; ut credentes faceret verbosos et constantes ad prædicandum, ita ut dicerent aliqui, « quia musto pleni sunt isti (*Act.* II). » Igitur, o niger agitator equi nigri, qui stateram in manu bajulas, negotiare quantum vis; et appensa pecuniam copiosa effice ut publice dicatur, quia discipuli ejus nocte venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus (*Matth.* XXI), dummodo efficere non possis, quin in veritate permaneant isti centum viginti, geminum accipientes donum Spiritus sancti, unde fiat ut non evacuetur propositum Dei, ut non obscuretur, vel abscondatur gloria resurgentis Christi.

« Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: Veni et vide. » Quando Christus astantibus apostolis ascendit in cœlum et sedet a dextris Dei, ut Marcus ait (*cap.* XVI), et sicut Lucas quoque testatur, » videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I), » tunc utique quartum libri sigillum agnus aperuit, partem enim Scripturarum, quibus istud sacramentum quartum continebatur, adimplevit. Exempli gratia: « Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ (*Psal.* XLVI). » In jubilatione videlicet eorumdem apostolorum, quibus videntibus elevatus est, nam ipsi adorantes, inquit Lucas, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno; in voce autem tubæ, id est, cum testificatione pronuntiationis angelicæ, qua dictum est, sic veniet, subauditur ad judicandum, « quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I). » Item: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis; donec po-

A nam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX). » Et alibi: « Ascendisti in altum, cepisti captivitatem (*Psal.* LXVII), » sive, ut alia editio habet: « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. » Hæc et his similia dum adimplevit, dum idem qui descenderat, ipse super omnes cœlos ascendit, « tunc, » ut jam dictum est, « quartum libri sigillum Agnus aperuit. » Sed adversus hunc sedentem ad illam dexteram majestatis in excelsis, sævit invidia diaboli, per hæreticorum blasphemantium ora rabida derogans in cœlo regnanti, cui per linguas manusque Judæorum atque gentilium, contumelias irrogaverat in terra patienti. « Auditur vox quarti animalis dicentis: Veni et vide. » Illi autem nolunt venire et videre, sed econtra stare et invidere. Toties namque
B hoc animal auditur, quoties eadem ascensio Christi, sive consessus ejus ad dexteram Patris ore confitentis Ecclesiæ prædicatur. Sed invidet hæreticus Arius, dicens « quia minor est Patre Filius. » Sequitur ergo:

« Ecce equus pallidus, et qui sedebat desuper, nomen illi Mors, et Infernus sequebatur eum. » Denique pallidus equus hæreticorum est furor lividus et invidus, quorum insania tanta est, ut eos audiens recte pro Christo glorificato illud sapientis dicas: « Gloriam semper sequitur invidia. » Vident quidem, sed invident, juxta illud: « Peccator videbit et irascetur (*Psal.* CXI). » Vident, quia qui sedet ad dexteram patris, Filius Dei dicitur, et est Deus, eidem Patri coæqualis et consempiternus. Legunt enim et audiunt Scripturas, quibus hoc astruitur, et dicere
C non audent, quia mentiuntur. Æqualitati tamen derogant quamvis Deum fateantur. Quare? quia quod Deus est, inquiunt, hoc ei Pater donavit, quemadmodum Apostolus dicit: « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur (*Philipp.* II), » etc. Non quærunt, cui donavit, utrum homini, an Deo. Quando enim donaverit, evidenter apparet: « Humiliavit semetipsum, inquit usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*ibid.*). » Nunquid antequam hoc fieret, non erat altus Dei Filius, Dei Verbum, Deus apud Deum, sed
D postea quam propter hoc exaltatus est, « quia factus est obediens usque ad mortem crucis, » tunc cœpit altus esse Dei Filius, unicus Dei Deus, tunc cœpit habere nomen quod est super omne nomen? quis hoc insipientissimus diceret? Hoc ergo illi donatum est, ut homini, secundum quem « Filius factus est obediens usque ad mortem crucis, » quod jam habebat idem ipse Dei Filius Deus, Deo natus æqualis. Verum de his a catholicis Patribus contra illum pallidum diaboli equum sufficienter disputatum est. Recte ergo de equo illo dicitur: « Et qui sedebat desuper, nomen illi Mors, et Infernus sequebatur eum. » Quia videlicet « invidia diaboli mors introivit in orbem ter-

rerum (*Sap.* II). « Ipse quoque diabolus et ministri A ejus persequentes mors et infernus dicti sunt, eo quod multis mortis causa et infernorum sunt. Potest et simpliciter accipi, quod hic spiritualiter mortuos, ibi pœna sequatur æterna. « Et data est ei potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ. » Ecce Arii vesania de Alexandria nascens, ad Gallicum usque pervenit Oceanum, non fame tantum verbi Dei, sed et gladio corporali bestialiter pios insequens. Amplius autem ad sensum et hoc proficit, ut quatuor partes terræ ipsas intelligamus, quas et hic præsens scriptura numerat, dicendo : « Interficere gladio, fame, morte, et bestiis terræ ; » et in propheta Ezechiele sua quatuor judicia pessima Dominus ipse nuncupat. « Quod et si quatuor, inquit, judicia mea pessima B gladium et famem, bestias malas, et pestilentiam misero in Jesusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus, **402** tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias (*Ezech.* XIX). » Ista sunt namque partes terræ, id est, portiones mentis terrenæ. Solet enim pars pro portione poni usu sacræ Scripturæ, alias singulariter, alias pluraliter. Singulariter, ut illic : « Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum (*Psal.* X). » Pluraliter vero, ut illic : « Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Psal.* LXII). » Itaque super quatuor partes terræ, id est, super quatuor judicia illa pessima, quæ sunt portiones sive retributiones mentis terrenæ, data est huic equo pallido, id est furori hæretico, potestas, ut « gladio, fame, morte, et bestiis terræ C interficiat. »

Notandum vero quod de quatuor judiciis istis pessimis unum tantummodo hic nomine commutatum est, scilicet pestilentia, pro quo nomine speciali generale nomen quod est mors, positum est. Et recte, quia videlicet furor humanus eo nunquam pertinget, ut super pestilentiam, id est, creandi pestilentiam potestatem habeat, quomodo Dominus Deus, cujus in persona dicit propheta : « Ego Dominus faciens pacem et creans malum (*Isa.* XLV), » id est afflictionem, cujus quatuor partes sunt ista quatuor judicia pessima, gladius, fames, pestilentia, et malæ bestiæ. Sed nec famem creandi potestatem habet, nisi quod panem auferendo fame quempiam necare potest. Quod cum facit, nihilominus tamen verum est, quod D Scriptura dicit : « Non interficiet Dominus fame animam justi (*Prov.* X). » Aliud namque est quod persecutor concluso justo panem subtrahit, quod sæpe factum est, aliud, quod justo bene servienti, verbi gratia, bene evangelizanti panis deest, eumque interficit fames, Deo nusquam porrigente unde reficiatur, quod nunquam accidisse Scriptura ulla refert. Nihilominus malas bestias creare furor hæreticus non potest, sed tantum bestiis objicere, atque ita interficere fidelis animæ corpus potest. Gladium materialem vel quodcunque instrumentum mortis ferreum formare, et in eo interficere potest, ipsam autem materiam creare non potest. Sola ex his quatuor pestilentia est, quam solus Deus et creare, et in ea interficere potest ; atque idcirco recte pro pestilentia nomen, ut jam dictum est, generale, scilicet mors, hic positum est ; multos continens vel significans mortium modus, quicunque esse vel excogitari possunt, præter gladii, famis et malarum bestiarum mortes.

« Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ? » Quando is qui ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, mittendo apostolis Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, qui illos induceret in omnem veritatem, tunc profecto agnus quintum libri sigillum aperuit. Quædam enim non parva Scripturarum præconia quæ de ipso erant, tunc adimplevit. Exempli gratia : « Et erit in die illa, dicit Dominus, effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum (*Zach.* XII). » Item : « Et erit post hæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt (*Joel.* II), » et cætera. Illorum namque et similium doctorum eatenus clausum mysterium ita nunc apertum est, ut Petrus diceret : « Viri Judæi et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia ; sed hoc est quod dictum est per prophetam Joel : Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, » et cætera usque ad id quod ait : « Et omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Act.* II). » Aperto autem sigillo hoc : « Vidi, inquit, subtus altare, animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant, et clamabant voce magna, dicentes : Uquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ? » Animæ istæ sive interfecti isti, judicium et vindictam reposcentes sanguinis sui, omnes illi sunt, quos occiderunt homicidæ sectatores Cain, quos clamantes oportebat exaudiri, sicut prædixerat Dominus pessimæ generationi illi : « Ecce, inquit, ego mittam ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex illis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare (*Matth.* XXIII). » Omnes istas animas, omnes istos interfectos vidi, inquit, clamantes, scilicet ut venirent hæc omnia super generationem istam. Quare? quia videlicet implebant mensuram patrum suorum, prophetas illos, sapientes

illos, et scribas, quos illo die Spiritus sanctus impleverat, occidendo, crucifigendo, flagellando in synagogis suis, et persequendo de civitate in civitatem. Quare autem sub [subtus] altare Dei clamare vel interfecti esse videntur ? Videlicet quia primus eorum Abel propter sacrificium Deo placitum ab invidente fratre occisus est, et omnes qui a sanguine illius justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occiderunt inter templum et altare, interfecti sunt, propter eamdem fidem sive verbum atque testimonium passi sunt, et ita sub testamento Dei tanquam sub ara reconditi clamant voce magna, sicut de illo primo dictum est : « Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra (*Gen.* IV). » Magna autem vox sive magnus clamor, magnum est desiderium eorum quæ Dominum facere velle norunt. Nec enim fas est credere, animas illas contra Dei nutum quidquam cupere, cum eorum desideria ex ipsius pendeant voluntate. Clamantes ergo et judicium et vindictam requirentes, recte, ut fieri solet, in cunctis solemnibus orationibus sive postulationibus a laude incipiunt, appellando sanctum et verum. Et pulchre nimis compellatur nominibus istis, ut per ipsa commoveatur, quia debitor est sanctus in suis factis, de factis aliorum facere veritatem judicii. Dicendo autem de his qui habitant in terra, graviter Judaici criminis exprimit summam. Judæi namque quia toti habitabant in terra, quia terræ inhærebant, quia cœlestia non quærentes, tantummodo terrena depressis animis intuebantur, et cupiebant, idcirco sanctos interfecerunt propter verbum Dei, et propter testimonium quod cœlesti regno Dei perhibebant, non probantes, imo redarguentes illorum cupiditatem terrenam. Ipsum quoque Dominum propter ejusdem terrenæ habitationis causam fictam interfecerunt. Dixerunt enim : « Si dimittimus eum sic, venient Romani et tollent nostrum et locum et gentem (*Joan.* XI). » Unde culpans eos Spiritus sanctus per Psalmistam : « Et in iracundia, inquit, terræ loquentes, dolos cogitabant (*Psal.* XXXIV). » Talium pater atque exemplum fuit ille Cain, qui primus sanguinem justum fudit, primusque civitatem ædificans atque dedicans ex nomine filii sui, vagus a Deo et profugus habitabat in terra (*Gen.* IV). Quod enim judicium vel qualis est vindicta, quam istæ animæ magna voce clamantes exposcere visæ
493 sunt; nisi ut secundum exemplum illius Cain, Judæi a facie Dei ejecti atque absconditi, vagi et profugi, sicut patet hodie, essent super terram ? Dixerat enim ipse Christus in Psalmo : « Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei. » Sed quid ? « Disperge illos in virtute tua (*Psal.* LVIII), » inquit. Valet enim populis ad retinendam memoriam [commemorationem] Christi; id quod Judæi non omnino occisi, sed cum libris suis eumdem Christum testificantibus, per omnes gentes dispersi sunt. Hoc itaque voce magna clamabant ad illum judicem sive vindicem sanctum et verum, ut eos de terra et civitate illa

A jam ejiceret, et cadere in ore gladii atque captivos duci faceret in omnes gentes. Sicut tunc illis ipse terribili præfiguravit signo, quando fecit quasi flagellum de funiculis, et omnes ejecit de templo, dicens illis post hæc inter cætera : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Joan.* II). » Longum quippe de funiculis flagellum, longum significavit, quo constricti erant, « funiculum peccatorum, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare (*Matth.* XXIII). » De quo cum fuerit filius Joiadæ, quæritur quare Barachiæ dicatur filius, et non Joiadæ Barachias, in lingua nostra benedictus Domini dicitur, et sacerdotis Joiadæ justitia Hebræo nomine demonstratur. Sed iterum quæritur, cur usque ad
B illum Zachariam vel illius Zachariæ sanguinem dixerit aut dicere debuerit. Sanguis namque illius Zachariæ non finis, sed fere principium fuit sanguinis justi, quem illa Jerusalem fudit, vel qui in ea vel in circuitu ejus fusus est. Illum Zachariam lapidaverunt ad imperium regis Joas, cæteros autem non paucos deinde reges et principes Judæ interfecerunt, præcipue Manasses (*IV Reg.* XXI), de quo Scriptura refert, quia suum quoque filium traduxit per ignem, et sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os (*II Par.* XXIII). Verum ut de illis et sequentibus taceam, et ad evangelica tempora, quando hæc dicebantur, perveniam, sanguis sanctorum innocentum, sanguis sancti Joannis Baptistæ, sanguis ipsius Domini, de quo dixerunt, « sanguis ejus super nos et super filios nostros
C (*Matth.* XXVII), » sanguis istorum prophetarum, et sapientum et scribarum, de quibus dicebat : « Ecce ego mitto ad vos prophetas, sapientes, et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis (*Matth.* XXIII), » et cætera ; nonne maxime debuerat venire super eos ? Consideremus ergo quod ait usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare (*ibid.*), ne forte evangelica prophetia sit de Jacobo justo fratre ipsius Domini. Nam præter nomen Zachariæ cætera cuncta conveniunt huic. Potest autem propter similitudinem causæ vel mortis suæ rectissime Zacharias dici, quomodo item propter similitudinem causæ idem Dominus noster Joannem Baptistam Eliam nuncupavit (*Matth.* XI). Hoc admisso nihil est quod repugnet, nam et filius
D Barachiæ vicinius dicitur iste quam ille, qui fuit filius Joiadæ. Barachias namque *benedictus Domini* interpretatur. Iste autem et hujus Jacobi et cæterorum apostolorum pater Christus Dominus, in hoc eodem Evangelii loco benedictum Domini sese nuncupari voluit, dicens eis : « Dico enim vobis, non me videbitis amodo donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXIII). » Hoc sine dubio non sine auctoritate Scripturæ vult aut voluit, de qua et paulo ante pueri assumpserant ut dicerent : « Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. » Versus namque est psalmi centesimi septimi decimi. Et vide quanta secundum

locum quoque similitudo mortis, et illius quem primum ex prophetis illa civitas occidit, et hujus post quem nullum eidem civitati occidere licuit, ut merito uterque, uno Zachariæ nomine consignificati, debeant intelligi. De illo sic est scriptum : « Spiritus itaque Domini induit Zachariam filium Joiadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis : Hæc dicit Dominus : Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, sed dereliquistis Dominum, ut derelinquat vos ? Qui congregati adversus eum miserunt lapides juxta regis imperium in atriis domus Domini (*II Par.* XXIV). » De isto autem ita refert Josephus (*De morte Jacobi* lib. XX, *Antiq.* cap. 7) : « Ananus, inquit, pontifex adolescens Anani filius de genere sacerdotali, accepta occasione, concilium congregavit, et compellens publice Jacobum, ut Christum Dei Filium denegaret, contradicentem lapidari jussit. Qui cum præcipitatus de pinna templi confractis cruribus adhuc semianimis, tollens manus ad cœlum diceret : « Domine, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt ; » fullonis fuste, quo uda vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit. » Tradit idem Josephus, tantæ eum sanctitatis fuisse et celebritatis in populo, ut propter ejus necem creditum sit subversam Jerosolymam. Sufficiens ergo similitudo est, ut recte sic iste dicatur Zacharias, quomodo Joannes dicitur Elias. Uterque etiam secundum nomen Zachariæ, quod interpretatur *memor Domini*, in ipso mortis articulo memor fuit Domini, nisi quod ille secundum austeritatem legis cum moreretur, ait : « Videat Deus et requirat ; » iste autem secundum dulcedinem Evangelii, « Domine, inquit, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt. » Justus quidem uterque etiam in his verbis extremis, sed differenter, videlicet pro ratione vel qualitate utriusque temporis legalis et evangelici. Quod si cui forte hæc displicent, dicat ipse si potest, cum in diversis diversa legantur, ut beatus Hieronymus ait, quis Zacharias ille sit, cujus et pater proprie Barachias dictus fuerit, et ipse inter templum et altare occisus sit, et in eo sanguis justus, qui super Judæos venit, terminari debuerit ; nos jam sequentia videamus.

« Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleantur conservi eorum, et fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut et illi. » Stolæ interfectis illis sive animabus interfectorum, quia indigebant, datæ sunt ; nudi quippe fuerant, nuditate quam omnibus posteris suis primi parentes nostri reliquerant, de quibus scriptum est : « Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata (*Gen.* III). » Sed nunquid verbum Dei et testimonium quod habebant, propter quod et interfecti fuerant, stola illis sive amictus non erat ? Si verbum, aut nomen sive cultus Dei, vestis aut stola animæ non esset, nequaquam Scriptura diceret : « Videns ergo Moyses populum quod nudatus esset, spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat (*Exod.* XXXII). » Cum ergo cultus Dei, verbum Dei, stola sit animæ, istæ autem animæ propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant fuerint passæ, quid est quod quasi adhuc nudæ essent, datæ dicuntur eis singulæ stolæ albæ. Sed notandum quod non dictum sit tantummodo, datæ sunt illis stolæ, sed stolæ albæ : nam stolas quidem habebant, id est, illam propter quam interfecti fuerant verbi Dei sive testimonii justitiam, sed illæ stolæ nondum albæ erant. Nisi lavarentur in sanguine Christi, candidæ esse non **404** poterant. Testatur unus ex illis Isaias, qui sine dubio verbum Dei, et testimonium habuit, propter quod et interfectus fuit ; nam serratum quoque illum a Manasse autumant Judæi : « Facti sumus ut immundi omnes nos, quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). » Et David : « Asperges me, inquit, hyssopo et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). » Et Zacharias : « In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutione peccatoris et menstruatæ (*Zach.* XIII). » Nihil immundius menstruata, quæ quidquid tetigerit, secundum legem immundum facit. Et huic comparandæ erant omnes, ut ipsi testantur, ipsorum justitiæ, videlicet nisi ejus, in quem credebant et quem exspectabant, abluerentur Christi sanguine. Ergo stolas quidem jam habebant, sed stolæ ipsæ albæ nondum fuerant. Proinde quod dictum est, « et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ ; » sic intelligendum est ac si diceretur, et datum est illis ut stolæ eorum essent albæ, quanquam et ipsæ stolæ, id est, qualescunque eorum justitiæ non ab ipsis essent, sed a Deo fuissent datæ. Et idcirco cum legimus hic, « et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, » ut intelligamus id esse ac si diceretur, et stolæ illorum factæ sunt albæ, simul meminisse debemus, quod postmodum de his et conservis eorum scriptum est : « Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni (*Apoc.* VII). » Inter hæc animadvertere perpulchrum est, quia illis quidem jam mortuis, stolæ illorum dealbatæ sunt in sanguine Agni, qua hora idem Agnus suum in cruce sanguinem fudit : istis autem conservis et fratribus eorum, qui post illam passionem Christi, vel post adventum Spiritus sancti ad eamdem fidem ingrediuntur, adhuc viventibus stolæ suæ candidantur, quando in eodem Christo Jesu, sive in morte Jesu Christi baptizantur (*Rom.* VI). Si autem post hoc etiam proprium pro eodem Christo sanguinem fundunt, quod fecerunt et adhuc plurimi sub novissima persecutione Antichristi facturi sunt, multo amplius candent dealbatæ stolæ ipsorum. Illud quoque sciendum quia non idcirco « datæ sunt illis stolæ albæ, » quia clamabant, sanguinis sui judicium reposcentes et vindictam, sed quia interfecti fuerunt propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant. Nam ubi Christus passus est ; tunc, ut jam dictum est, dealbatæ sunt

A stolæ eorum in sanguine ejusdem Christi. Clamor autem ille jam dudum audiri cœperat, ex quo occisus est primus ille Abel, dicente Deo: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra (*Gen.* IV). » Item quod dictum est eis, « ut requiescerent tempus adhuc modicum, » non idcirco dictum est, ut cessavit clamare, non enim clamare cessat aut cessabit usque in finem sæculi sanguis eorum, quippe cum de jam dicto Abel dicat Apostolus, quia per fidem suam defunctus adhuc loquitur (*Hebr.* XI), quandiu in Ecclesia clamans dicet : « Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum qui effusus est, » sive « ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est ; introeant in conspectu tuo gemitus compeditorum (*Psal.* LXXVIII) ; » quandiu, inquam, terra, quæ est
B Ecclesia clamabit, et hæc vel his similia dicet, non sic requiescent ut clamare cessent. Quod ergo dictum est illis, « ut requiescerent tempus adhuc modicum, » intelligendum est vel subaudiendum, non ab illo clamore reposcente vindictam sanguinis sui, sed a laboribus suis, sicut in hoc eodem libro legimus : « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis (*Apoc.* XIV). Quod cum ita sit, cur ita dictum est, ut requiescerent tempus adhuc modicum ? Nunquid requies eorum durabit ad tempus modicum ? Non utique, sed idcirco sic dictum est, quia post tempus modicum, cum impleti fuerint conservi eorum, et fratres eorum, qui occidendi sunt quemadmodum et ipsi, tunc fiet aliud quid magnum, ut copiosum suæ requietionis capiant augmentum. Resurgent enim, et quibus nunc datæ sunt singulæ
C stolæ albæ, tunc dabuntur geminæ, ut sint beati tam immortali beatitudine animæ, quam beata corporis immortalitate. Scimus enim quia peccante Adam, in quo omnes peccaverunt, omnes nihilominus in eo duplici stola, scilicet corporis et animæ felicitate spoliati sunt. De prima quæ est animæ, sic scriptum est : « Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata (*Gen.* III). » Talis amictus nimirum animæ nuditas erat, quia videlicet tota confusio carnis, deintus ubi perierat animæ pulchritudo, procedebat. Altera nuditas est corporis mortalitas, de qua cum dixit Deus : « Quia pulviss es et in pulverem reverteris (*ibid.*). » Fecit quoque, ut ait Scriptura, Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas. Sic enim tunicati vere
D nudi erant, et naturali, quam prius sine amictu non erubescebant, corporum suorum, quæ plasmaverat Deus, spoliati pulchritudine, signumque in ipsis tunicis gestantes nuditatis et miseriæ suæ, videlicet quod corpora eorum mortalia sic veterascere et deficere deberent, sicut veterascunt tunicæ pelliceæ. Igitur qui in primo parente duplicem stolam, id est, et animæ et corporis felicitatem perdiderant, nunc interim singulas habeant stolas, id est, felices tantummodo sint in anima, et sic requiescant donec accipiant, quod futurum est post tempus modicum, stolam alteram, id est, immortalium quoque corporum gloriam.

« Et vidi, cum aperuisset sigillum sextum, et ecce terræmotus factus est magnus, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, » etc. Terræ motum istum, et solis nigredinem, atque lunæ sanguineum ruborem, stellarum casum, et cætera malorum prodigia, quæ hic scripta sunt, plerique ad novissimam persecutionem et ad Antichristi tempora referunt. Nos autem proposito tenemur, et scripturarum lucernam librique reserati claritatem, qua possumus, via sequi conamur. Ceptum ergo sequamur ordinem. Quando repellentibus Judæis verbum Dei et indignos se vitæ æternæ judicantibus (*Act.* XIV), apostoli ad gentes conversi sunt, ac deinde circumdata est ab exercitu Romano Jerusalem, et ceciderunt in ore gladii, et captivi ducti sunt in omnes gentes, tunc utique sextum agnus libri sigillum aperuit, quia videlicet multa quæ de hoc scripta erant, tunc adimpleta sunt. Unde et in Evangelio ipse Dominus, quia « dies, inquit, ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt (*Luc.* XXI). » Exempli gratia : « Ecce, inquit Isaias, respice populus tuus omnes nos, civitas sancti tui facta est deserta Sion. Deserta facta est Jerusalem, desolata domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustione ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nunquid super his continebis te, Domine, tacebis et affliges nos vehementer ? » (*Isa.* LXIV.) Et respondit Dominus : « Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. Et dixi : Ecce ego ad gentem quæ non invocabat nomen tuum (*Isa.* LXV). » Exponens causam cur eisdem, scilicet Judæis, derelicta domo sua deserta sese ad gentes convertat ; expandi, inquit, manus meas tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Multa sunt valdeque sonora et ad intelligendum aperta quæ sub isto sigillo continebantur, id est, **405** quæ Judæorum desertionem atque gentium vocationem claris vocibus legis et prophetarum atque psalmorum futuram testificabantur. Nunc jam ejusdem sigilli sexti reseratum locum spatiosum perambulemus. « Cum, inquit, aperuisset sigillum sextum, ecce terræmotus factus est magnus. » Et est sensus : Ut impleretur id quod de Judæorum dispersione atque gentium convocatione in sacris litteris continebatur, mota est terra, commotus est orbis Romanus, Vespasiano et Tito arma undique contrahentibus et Jerusalem exercitu suo circumdantibus.

« Tunc sol, inquit, factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellæ cœli ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos, cum a vento magno movetur. » Jerusalem illa, terrena æstimatione sua, erat sicut sol, et erat sicut luna, quippe cum fuisset sedes David, in qua ille homo regnando temporaliter sederat. Legebant enim id quod ipse David in psalmo cane-

bat ex Dei persona: « Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis (*Psal.* LXXXVIII). » At ille non de sede manufacta, non de lapideo, aut, ut multum aureo throno, qualem sibi rex præpotens facere poterat, hoc dicebat, quod tanquam sol in conspectu Dei manere deberet, aut sicut luna perfecta, sed de hominibus sanctis, qui revera sedes Christi sunt, et civitas, qui in futuro quantum ad animam erunt sicut sol, et quantum ad corpus sicut luna perfecta, quæ utique tunc plus emittit luminis quando perfecta est et plena. Ergo verum quidem Scriptura dicebat, quod sedes David, id est, manu fortis Christi, sic foret sicut sol, et sicut luna perfecta. Sed illa civitas, illa Satanæ synagoga fallebatur præsumptione sua, reputans quod esset sol mundi, et orbis terrarum luna pro generis Davidici et templi augustissimi Salomonis longe pervulgata gloria. « Talis sol tunc factus est niger tanquam saccus cilicinus, et talis luna tota facta est sicut sanguis, » quando civitatis illius intolerabilis superbia, duraque rebellio gentium cunctarum victores Romanos adversus seipsam concitavit. Legamus Josephum miserabilem excidii illius tragœdiam referentem, quæ pro suo magnitudine legentibus semper nova est. Quo abiit illa quasi solaris pulchritudo. Niger factus est ille sol, et purpurea splendoris ejus superbia versa est in cilicium. Imo, ut Jeremias quoque prædixerat, « denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum (*Thren.* IV). » Et erit, inquit Isaias, pro suavi odore, fetor; et pro zona, funiculus; et pro crispante crine, calvitium; et pro fascia pectorali, cilicium (*Isa.* III). » Non partim, sed, ut ait, « tota facta est luna illa sicut sanguis; » foris obsidione, intus seditione, foris et intus ferro et igne, amplius autem intus ferro vel sanguine, pavore et fame. Nam « foris vastabat eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene, et consumebantur fame (*Deut.* XXXII). »—« Manus mulierum misericordium, inquit Jeremias, coxerunt filios suos; facti sunt cibus eorum in contritionem filiæ populi mei. » Quare? « Propter peccata, inquit, prophetarum ejus, et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum (*Thren.* IV). » Millia interfectorum vix quisquam dinumerare potuit. « Sol ergo factus est niger sicut saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis; » ita recte talis denigratio sive decoloratio præsignari debuerat tenebris illis, quæ factæ sunt super universam terram, quando sol verus Christus scelere ipsorum exstinguebatur in patibulo crucis (*Luc.* XXIII). Neque enim tantummodo foris ita denigrati, verum etiam, quod gravius est intus in corde sunt excæcati. Persequebatur quippe lunam illam justa sententia, ut fieret tota sicut sanguis, suomet judicio, cum dicerent illi, « sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). »—« Et stellæ cœli, inquit, ceciderunt super terram. » Stellis quoque sua æstimatione Judæi populares comparabiles erant, præsertim cum audirent dicentem Moysen: « Dixitque vobis illo tempore, non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus noster multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cœli plurimi. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia (*Deut.* I). » Ex hoc quoque Moyses non humana lenitate, sed pro divina dixit auctoritate, quippe qui Dominum noverat et scripserat dixisse ad Abraham: « Suspice cœlum et numera stellas si potes. » Et rursum: « Sic, inquit, erit semen tuum (*Gen.* XV). » Et quidem secundum hanc auctoritatem semen Abrahæ stellis cœli comparabile erat, verumtamen non omnino vel utcunque, sed pro parte electorum, id est, eorum qui non tantum carnis, sed promissionis sunt filii. Etenim non qui filii carnis, inquit Apostolus, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine (*Rom.* IX). At illi non promissionis, sed tantum carnis filii erant. Quod etiam improperabat illis prophetica veritas, dicendo: « Qui existis de aquis Juda (*Isa.* XLVIII). » Ceciderunt ergo qui videbantur sibi esse stellæ cœli; ceciderunt, inquam, non ut veræ stellæ cœli, sed sicut grossi immaturi fructus fici, magno vento movente agitati, id est, spiritu diabolico multum exagitati. Congrua sane similitudo ab arbore fici et grossis ejus caducis, quia videlicet illi quoque, qui tunc temporis in Christum crediderant ex Judæis, et erant quasi primi fructus crucis Christi, exciderunt magno vento movente, vento invidiæ scilicet odientes gentium salutem, et contra fidem Evangelii suam æmulantes plerique circumcisionem, sicut et Actus apostolici testantur (*Act.* XV, XXI). Itaque sponte excidentes a gratia Christi, recte ceciderunt etiam in ore gladii fere omnes Judæi; et qui superfuerunt, captivi in omnes gentes ducti sunt, non stellis, ut jam dictum est, sed pulveri quem projicit ventus a facie terræ comparabiles.

« Et cœlum recessit sicut liber involutus. » Cœlum in quo sibi quasi stellæ lucere videbantur, scientia legis erat, in qua cum despectu gentium omnium quasi alti et nitiduli Judæi gloriabantur. « Sed auferetur a vobis, inquit, Deus, regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. » Cœlum ergo recessit, quia videlicet sensus illorum coangustati sunt, et disparuit ab illis, imo non data est illis, propter inopiam cordis, spiritualis sacræ legis intelligentia. Quomodo recessit? » Sicut liber involutus, » inquit. Pulchre satis innuit, quid per cœlum recedens intelligi voluerit, qui recessum illum libro involuto similavit. Quid namque est dicere, qui cœlum sicut liber involutus recessit, nisi ac si diceretur, quia involuta et clausa illis est omnis Scriptura divina et cœlestis? Et illis quidem a quibus recessit hoc cœlum, hic cœlestis liber involutus, imo et signatus

est ; nobis autem, ad quos venit recedendo ab illis, A reseratus et apertus est. Nam hoc est quod nunc in manibus habemus tractantes, quia « librum de dextera sedentis in throno signatum accepit Agnus, et solvit septem signacula ejus, videlicet nobis aperiens qui fidem ejus habemus, confitentes quia dignus est eumdem accipere librum, et solvere septem signacula ejus. » — « Et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt. Et reges terræ, et principes, **406** et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber, absconderunt se in speluncis et petris montium. Et dicunt montibus et petris, cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare ? » Quid aliud Dominus noster dicebat, conversus ad mulieres quæ B plangebant et lamentabantur eum, quod traditus esset a præside voluntati Judæorum, et duceretur ad crucifigendum ? « Filiæ, inquit, Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros, quoniam ecce venient die in quibus dicent : Beatæ steriles et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt (*Luc.* XXIII). » Tunc « incipient dicere montibus, cadite super nos ; et collibus, operite nos. » Dies namque venturæ a Romanis obsidionis et captivitatis significat, de quibus superius inter alia discipulis ait : « Tunc qui in Judæa sunt fugient in montes (*Luc.* XXI), » etc. « Tunc, inquit, incipient dicere montibus, cadite super nos ; et collibus, operite nos. » Denique et Josephus refert, insistentibus sibi Romanis, Judæos certatim cavernas montium et collium petisse speluncas, ita ut C semetipsum testetur munitiore quodam destructæ urbis Jotopatæ in Spelæo cum quadraginta comitibus proditum, inventum, atque ab hostibus captum. Montes ergo qui sint, et insulæ quæ de locis suis motæ sunt, manifestioribus exprimit vocabulis dicendo, et reges terræ et principes et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis, et petris montium. Reges namque isti et principes ipsi sunt, de quibus et in psalmo scriptum est : « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* II). » Hoc denique versiculo præmisso in actibus apostolorum : « Convenerunt enim, inquiunt, vere in civitatem istam adversus puerum sanctum tuum Jesum quem D unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium decreverunt fieri (*Act.* IV). » Montes isti propter superbiam, insulæ autem recte dicuntur propter profundam avaritiam. Non quidem in propria persona illi Herodes et Pontius Pilatus ad illud obsidionis malum pervenerunt, sed prius suum singuli receperunt judicium, verum quotquot tunc temporis inventi sunt potentes aut principes, Pharisæi atque pontifices, eo modo quo jam dictum est, de locis suis moti sunt, ejiciente illos Domino Jesu de templo suo, et de loco suo flagello iracundiæ suæ, cadentes in ore gladii, ruente pariter illo suo templo et civitate super oculos ipsorum in combustione ignis, et ipsi qui supererant captivi in omnes gentes abducti. Interea frustra « dicebant montibus et petris, cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira agni. » Frustra, inquam, abscondebantur in montibus et in cavernis petrarum, frustra nihilominus spem habebant in Abraham, Isaac, et Jacob, Moyse quoque et cæteris patribus atque prophetis, montibus utique magnis, et viventibus petris. Nam illi non eos tunc protegebant, imo magis accusabant. Manifeste quippe illis Dominus de Moyse dicit : « Est qui vos accuset Moyses, in quo speratis (*Joan.* V). » Et hoc dixisse sine dubio illis competit, « abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. » Nescire enim non poterant in conscientia truci quin Agnus quem occiderant, iterum viveret, et potenter irasceretur eis. Quoniam, inquiunt, venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare ? Dies iræ ipsorum, scilicet sedentis super thronum, et Agni, patris et Filii, Domini, et Christi ejus, « adversus quem astiterunt et convenerunt principes isti, jam venit, et adhuc veniet (*Matth.* XXIV) ; » quia videlicet initia dolorum sunt omnia hæc : finis autem eorumdem dolorum, finis inconsummabilis et consummatio infinita erit in gehenna. Sic enim de his in cantico Deuteronomii Deus ipse proclamat : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII). » Et quis poterit stare ? Vere nullus poterit stare, nullus poterit resistere. Bene autem illi erit quicunque pro eo quod non stetit aut resistit, tunc poterit iram fugere. Simile quid in eodem Hierosolymorum excidio juxta litteram factum est : « Appropinquante namque bello Romano et exterminio Judaicæ gentis, oraculo admoniti omnes, qui erant in provincia Christiani, longius discesserunt, ut ecclesiastica narrat Historia, et trans Jordanem sedentes manebant ad tempus in civitate Pella, sub tutela Agrippæ regis Judæorum, cujus in Actibus apostolorum mentio est, qui cum ea, quæ sibi obtemperare volebat, parte Judæorum, semper Romanorum imperio subditus agebat.

CAP. VII. — « Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque super ullam arborem. » Quo ergo iret, quo recederet cœlum, de quo supra dixit, « et cœlum recessit sicut liber involutus ? » Illud quippe cœlum, id est doctrina vel scientia cœlestis, a Judæis recessit, dicentibus apostolis, qui et ipsi juxta Psalmistam, sunt cœli qui enarrant gloriam Dei sive firmamentum opera ejus annuntians (*Psal.* XVIII) : « Vobis quidem primum oportebat loqui Verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Quo iret cœlum illud, et quomodo converteretur ad gentes ? Quatuor namque

angeli stantes super quatuor angulos terræ, tenebant, inquit, quatuor ventos, id est, omnia regna mundi prohibebant veritatis prædicatores. Venti quippe hoc loco in bonam partem accipiuntur, et apostolos Christi sive universos significant prædicatores Evangelii. Unde et Psalmista dicit in laudibus nominis Dei : « Educens nubes ad extremis terræ, fulgura in pluviam fecit, qui producit ventos de thesauris suis (*Psal.* CXXXIV). » Et est sensus : illos qui nunc sunt cœlum, de quo dixi, « omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra (*ibid.*), » id est, in perfectioribus et in minoribus sanctis illos, inquam, apostolos sive apostolicos viros educens et elevans ab extremis terræ, id est, ab ea vilitate in qua erant inter terrenos, et secundum possessionem temporalium, et secundum scientiam, tantum sæcularia appetentes, fecit esse nubes, officium nubium eis injunxit, ut pluerent abundantia prædicationis, et fulgurarent clarissima atque terribili comminatione judicii Dei, atque eosdem sic sublimavit, sic extendit secundum agilitatem intellectus, quomodo sublimiter producti volant venti, et hoc totum de thesauris suis, de donis suis, de occultis judiciis et consiliis suis. Ergo venti isti idem sunt qui et nubes, scilicet agiles et expediti, scientes et facundi prædicatores Evangelii. Porro, « quatuor angeli stantes super quatuor angulos terræ universa regna sunt, » quorum quatuor ista principalia hæc fuere, Babylonicum, Persicum, Macedonicum atque Romanum. Quatuor ista, imo universa terrarum regna, ventos prædictos tenebant, id est, tenere volebant, ne flarent super terram, neque super mare, neque super ullam arborem, id est, ne prædicarent fidem Christi in ullis provinciis, in aliquibus insulis, in ulla qualitate aut conditione hominum. Hoc prohibendo tenebant **407** ventos istos. Nec vero levite, aut parva intentione tenebant, sed legibus ac proscriptionibus publicis, et cunctis pœnarum generibus adversus veritatis præcones propositis. Sed attende quid sequitur :

« Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. » Alter iste Angelus, ille est magni consilii Angelus, qui jam dictis apostolis suis, dicit : « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Iste ascendit ab ortu solis, videlicet illuminare his, qui sedebant in tenebris et in umbra mortis, ascendens ab inferis, resurgens ex mortuis, quæ resurrectio vere nobis ortus est solis et ascendendo dicens illis : « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*ibid*). » Hunc talem, inquit, vidi habentem signum Dei vivi, id est, palam facientem ex verbis et operibus suis, quod sit Deus vivus, Filius Dei vivi, quod et Petrus videns et agnoscens, dixerat illi : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » Vere « Deus vivus et Filius Dei vivi, » qui mortuus quoque secundum carnem detineri a morte non potuit, sed resurrexit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat illum detineri ab eo (*Act.* II). Ab hoc signo debere illum cognosci, Apostolus quoque insinuat, cum dicit : « Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri (*Rom.* I). » Nam quod vere Filius sit Dei vivi, ex eo maxime claruit, quod resurrexit a mortuis. Hoc sigum habens voce magna clamavit quatuor angelis : « Clamavit, inquam, et clamantibus apostolis suis conclamavit, ita ut « in omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Clamorem quippe vel sermonem eorum cooperando firmavit, sequentibus signis (*Marc.* XVI). Audierunt illi angeli quibus datum est nocere terræ et mari, id est, senserunt virtutem insuperabilem evangelicæ prædicationis in univera regna mundi, quæ potentatu suo præfocabant omnia, nec ullum sinebant respirare pro libitu sui juris. « Nolite, inquit, nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. » Hoc dicere illis, est malam voluntatem eorum impedire, ut quantumcunque insaniant vel noceant, atque tyrannizent, persequendo, proscribendo, occidendo, Dei tamen propositum præpedire vel avertere non valent, quominus eos, « quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis ejusdem Filii vocet, justificet et magnificet (*Rom.* VIII). » Signum vocationis atque justificationis, meritumque et spes futuræ magnificationis est, signari servos ejusdem Dei in frontibus eorum signo crucis quod olim fuit opprobrium et pœna damnatorum, nunc autem decus et salus justorum. « Nolite nocere, » nolite impedire, o angeli potentes, o regna potentia, quatuor angulos sive partes terræ obtinentia, sed eousque inefficax potentatus vester, et vanus sit furor vester, eousque frivolæ vestræ leges et inanes sint sanctiones, universa mortium genera dictitantes, ut nihilominus signemus servos Dei nostri vexillo victoriosæ crucis, non tantum in abscondito cordium, sed etiam in aperto, in frontibus eorum. Servos Dei nostri, dixit Angelus iste, cum sit Deus, et habeat signum, id est, proprietatem Dei vivi, Deum omnium Deum suum esse profitens, quemadmodum dicit et in Evangelio apostolis suis : « Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum (*Joan.* XX). » Et hic Dei nostri, et illic Deum meum dicit, videlicet pro humilitate assumpti hominis.

« Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. » Servorum Dei quicunque signantur in frontibus suis, revelata justitia Dei in Evangelio ejus, per magnam vocem hujus clamantis angeli, quamvis distinctio non sit, sive acceptio personarum (*Coloss.*

III), utrum Judæi sint an Græci, primum tamen locum obtinent Judæi, dicente Apostolo: « Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco (*Rom.* II). » Econtra illorum, qui istud signum Dei vivi non recipiunt, primi in damnationem Judæi sunt, dicente ipso in eodem loco : » Ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, et Græci (*ibid.*). » Recte ergo et hic primo loco numerantur, « qui signati sunt Judæi ex omni tribu filiorum Israel, » et deinde, « post hæc vidi, inquit, turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, » quas omnes Apostolus sub uno Græci vocabulo vult intelligi. Porro numeri hujus centum quadraginta quatuor millium generationem B sive compositionem, si rite perspicis, pulchrum tibi atque præclarum ex eo mysterium elucescit. Dicamus ergo aliquid quod forte simplicioribus minus planum sit aut intelligibile, sed causa præsens ita postulat, arithmeticis vero, qui maxime rationes noverunt abaci, rationabile atque jucundum continuo apparebit. Duodenarius qui numerus erat primorum filiorum Israel, ita disponitur, ut in deceno unitas, in singulari vero limite binarius constituatur. Ut autem isti duodecim primogeniti in totidem, id est, duodecim millia succrescant, unitas illa decena unum et alterum limitem transit, et in tertio consistit, et decem millia sunt. Item binarius singularis, qui conjunctus eidem decenæ unitati duodecim perficiebat, unum et alterum limitem transit, et in tertio consistit, et duo millia sunt. Quæ videlicet duo C millia decem millibus jam dictis in secundo ab ejus limite constitutis connumerantur, et duodecim millia fiunt. Ita qui duodecim tantum erant filii Israel, jam in duodecim millia multiplicati. rursus duodecies multiplicantur, et fiunt « centum quadraginta quatuor millia. » Qui videlicet numerus ita disponitur. ut tribus limitibus distinguatur. Nam in centeno milleno unitas, in deceno milleno quaternarius, in milleno item quaternarius collocatur. Nota diligenter. Duodecim primi vel singulares, ut duodecim millia fiant, tres limites ascendunt; et eadem duodecim millia duodecies secundum eumdem numerum filiorum Israel ducta, centum quadraginta quatuor millia faciunt; numerum videlicet tribus, ut jam dictum est, limitibus distributum. Quid ergo sanctam D hujus revelationis gratiam intendere arbitramur, nisi id quod omnis legalis, prophetica, evangelica atque apostolica veritas testatur, nulli valere ad salutem quod sit Israel aut Abrahæ filius per carnem, nisi sit etiam filius ejusdem per eam, quæ non minus quam trium nominum confessione perficitur, fidem? Fidei namque confessio nunc revelatæ gratiæ tempore manifestas necessario exprimit personas Patris, et Filii et Spiritus sancti. Dudum autem in illa umbra Mosaicæ legis arcana professione significabatur totidem nominum paternorum in illo populo Dei, Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Jacob palam confitentibus atque invocantibus universis (*Exod.* III). Et nunc quidem in frontibus suis signantur servi Dei signaculo crucis et sanguinis Christi, in confessione nominis unius Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, **408** tunc autem signabant postes domorum suarum sub jam dictis nominibus Abraham, Isaac et Jacob : unum Deum confitentes ejusdem Dei auctoritate prædocti. Dixerat enim Moysi : « Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum; et hoc memoriale meum in generatione et generationem (*ibid.*). » Quid ergo, inquam, in his taliter multiplicatis, taliterque dispositis intelligimus numeris, nisi ac si dicerentur servi Dei nostri, signati nostri ex Judæis sunt hi, qui non tantum secundum carnem sed et secundum fidem filii sunt Israel aut Abrahæ fidelis patris sui? « Non enim, inquit Apostolus, omnes qui ex Israel hi Israelitæ; neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine (*Rom.* IX). » Itaque hoc numero finito, innumerabilis significatur Ecclesiæ totius multitudo, quæ de patriarchis, vel prosapia carnis, vel fidei imitatione progenita est. Porro et in ordine isto nominum duodecim filiorum Israel, ratio mystica non deest; quia videlicet non secundum ordinem suæ generationis, quæ secundum carnem geniti vel nati sunt, hic dispositi inveniuntur : quod utique non per ignorantiam accidit; sed certi causa mysterii. Hoc ergo eodem sensu et eisdem quibus ante nos verbis tractatum est, hic perscribere non pigeat.

« Ex tribu Juda duodecim millia signati, » etc. Convenienter et a Juda inchoat, ex qua tribu ortus est Dominus noster; et Dan prætermisit, ex qua dicitur Antichristus esse nascendus, sicut scriptum est: « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi ut cadat ascensor ejus retro (*Gen.* XLIX); » quia non ordinem terrenæ generationis, sed juxta interpretationem nominum virtutes Ecclesiæ decrevit exponere. Quæ a confessione et laude præsenti ad dexteram vitæ festinat æternæ. Hoc enim nomen Juda qui primus, et Benjamin, qui ultimus ponitur, sonant. Primus ergo Judas qui *confessio* sive *laudatio* interpretatur, ponitur; quia ante initia confessionis, culmen bonorum operum nullus apprehendit, et nisi per confessionem renuntiemus actibus malis, non informamur rectis. Secundus Ruben qui interpretatur *videns filium.* In filiis opera designari testatur Psalmista, qui in beati viri benedictionibus inter cætera dicit : » Filii tui sicut novellæ olivarum. » Et infra : « Et videas filios filiorum tuorum (*Psal.* CXXVII). » Non enim qui timet Dominum, nisi genuerit filios nepotesque susceperit, non potest esse beatus, cum virgines fideles potior merces exspectet; sed in filiis opera, in filiis vero filiorum fructus operum, id est, mercedem designat

[illegible]. Post Judam vero Ruben, id est post exordia divinæ confessionis et laudis, perfectio sequitur actionis. Sed quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (*Act.* XIV), » post Ruben sequitur Gad, qui *tentatio* vel *accinctus* interpretatur. Post inchoationem enim boni operis, majoribus necesse est hominem tentationibus probari atque ad bella graviora succingi, ut fidei illius fortitudo comprobetur, dicente Salomone: « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II). » Item Psalmista: « Præcinxisti me, inquit, virtute ad bellum (*Psal.* XVII). » Et quoniam beatificamus eos qui sustinuerunt sufferentiam (*Jac.* I), ideo post Gad Aser, id est *beatus*, ponitur, congruo satis ordine. Beatus enim vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Qui vero hujus beatitudinis fidi la promissione securi non angustantur; sed spe gaudentes, in tribulatione patientes, cum psalmographo decantant: « In tribulatione dilatasti me (*Psal.* IV), » et item: « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum (*Psal.* CXVIII), » et cum matre beati Samuelis exsultantes dicunt: » Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo (*I Reg.* II), » propterea Nephtalim succedit, quod est latitudo. Sed ei ipsum Manasse sequitur, qui interpretatur *oblitus* sive *necessitas*. Cujus nominis mysterio monemur, ut tentationum præsentium angoribus edocti, ea quæ retro sunt obliviscentes (*Philip.* III), sic in ea quæ ante sunt secundum Apostolum extendamur, ut carnis curam non in desideriis, sed sola necessitate humanæ conditionis astricti faciamus (*Rom.* XIII). De qua Psalmista meliora suspirans ait orans: « De necessitatibus meis eripe me (*Psal.* XXIV). » Huic supponitur Simeon, id est, *audivit tristitiam*, vel *nomen habitaculi*; ut etiam qualitate hujus vocabuli evidentius judicaret, et quid hic habendum, et quid sit salubriter exspectandum. Illis enim habitaculi cœlestis gaudium dabitur, quorum hic animus fructuosa pœnitentia contristatur, quibus et dicitur: « Tristitia vestra vertetur in gaudium (*Joan.* XVI). » Proinde Levi subnectitur, id est *additus*. In quo intelligimus sive eos qui in temporalibus æterna mereantur, sicut Salomon dicit: « Redemptio animæ viri propriæ divitiæ (*Prov.* XIII); » sive illos qui Dei sequendo consilium percipiunt in hoc sæculo centuplicia cum tribulationibus, in futuro autem sæculo vitam æternam. (*Matth.* XIX). His et quod scriptum est, convenit: « Qui addit scientiam addit et laborem (*Eccle.* I). » Nam sancto Job ad hoc tribulationum acerbitas addebatur, ut probato præmiorum merces amplior redderetur. Unde non immerito Issachar ei ordine recte succedit, qui interpretatur *merces*; quia, sicut docet Apostolus, » non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom* VIII); « fructuosius quippe pugnatur, ubi merces certa speratur. Hæc autem in habitaculo fortitudinis Deus operatur et perficit, quod dicitur Zabulon, quando virtus in infirmitate perficitur, et corpus quod ab inimicis putatur interemptum, et per cujus materiam animo quoque inferre nituntur interitum, Deo confortante experiuntur invictum (*II Cor.* XII). Augmento succedente fidei, quod vocabulum Joseph indicat, gratiarum videlicet addendo dona designans, sive de talentorum dupla redhibitione usuras commodi spiritalis intelligas, sive in his quæ votiva fidelium religione [illegible] Deo redduntur, accipias. Atque ut hos omnes, quos et ordo, et interpretatio nominum hic significative positos indicat, in futuro judicio ad dextram Christi regis æterni futuros intelligas (*Matth.* XXV), Benjamin, ut prædixi, postremo loco supponitur, id est *filius dexteræ*, tanquam ipse finis sit ordinis, cum novissima inimica destructa morte felicitas hæreditatis æternæ donabitur electis (*I Cor.* XV); sive unusquisque fidelium filius dexteræ jure dicatur, seu omnis Ecclesiæ cœtus, de qua canimus, « astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate (*Psal.* XLIV). » Sciendum quia de tribu Dan nasciturus est Antichristus, justa illud Jacob: « Fiat Dan coluber in via » et cætera usquo, « cadat ascensor ejus retro (*Gen.* XLIX). » Ejicitur itaque ex hoc loco Dan, ut ostendatur Antichristus ex omni numero ejiciendus sanctorum. Imo sicut iste de hoc catalogo spirituali est ejectus, sic omnes Israelitæ, qui non ex fide, sed tantum ex carne sunt Abrahæ, ab omni numero et cœtu filiorum et hæreditate ejusdem patris Abrahæ sive Israel, extorres judicantur.

« Post hæc vidit turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro qui sedet **403** super thronum, et Agno. » Omnes isti conservi sunt et fratres eorum, quibus supra datæ sunt stolæ albæ (*Apoc.* VI), dictumque est ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleantur conservi et fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut et illi: » Sunt enim isti amicti stolis albis. » Dicit autem postmodum unus de senioribus: « Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? » Et subjungit: « Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. » Sunt ergo illi qui ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, filii Abrahæ, filii sanctorum patriarcharum, cum dicantur et sint fratres illorum sanctorum piorum. Et recte. Nam et Apostolus dicit de illo patre sanctorum Abraham: « Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam, et sit pater circumcisionis, non his tantum qui sunt ex circumcisione, sed et his qui sequuntur vestigia fidei, quæ est in præputio

patris nostri Abrahæ (*Rom.* IV). » Sed jam dicta

A

hic paulo diligentius percurramus. « Vidi, inquit, turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. » Numerus sanctorum in Scripturis bifariam intelligitur, alias quidem pro multitudine ipsorum, alias autem pro multiplici profectu virtutum. Pro multitudine ipsorum, ut illic : « Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur (*Psal.* CXXXVIII). » Non quod plures sint quam arena, sed idem est ac si dicat : Non paucos, sed multos assumam ; et ad modum rei numeratæ et bene custoditæ eos custodiam. Pro multiplici incremento virtutum sive beatitudine, ut illic : « Notum fac mihi, Domine, finem meum ; et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi (*Psal.* XXXVIII). » Non quod ibi plures sint dies, sed una tantum continentior

B

quam simul omnes dies, ubi est spatiositas interminabilis, numerus non transitorius, sed status vitæ permanentis et æternus. Secundum utrumque modum turbam illam dinumerare nemo poterat. Nam et pluralitate sua hi qui jam sunt cum eis, qui novissima persecutione Antichristi martyres stolas atque victoriæ palmas accepturi sunt, soli Deo numerati vel numerabiles sunt, et quam multorum dierum sint, de quibus et alibi in consolatione justi dicitur : « Longitudine dierum implebo eum (*Psal.* XC), » æstimari non potest, quippe ubi numerus infinitus est. « Ex omnibus, inquit, gentibus, et tribubus, et populis, et linguis. » Gens et tribus hoc differunt, quod una gens multas tribus habet. Gens enim est multitudo ab uno principio orta, sive ab

C

alia natione secundum propriam collectionem distincta ; sicut ab uno Jacob vel Israel una gens Israelitica, quæ duodecim tribus habebat. Romana autem gens in triginta et quinque curias, quæ nomine alio, quamvis non proprie, tribus appellantur, dispertita erat. Porro populus aliquando pro gente, aliquando pro unius tantum civitatis habitatoribus poni solet. De linguis hoc sciendum, quia, quamvis prius gentes et tribus, atque populos, ac deinde linguas posuit, non ex gentibus linguæ, sed ex linguis gentes exortæ sunt. In initio quot gentes, tot linguæ fuerunt. Deinde plures gentes quam linguæ ; quia ex una lingua multæ sunt gentes exortæ. Sunt autem tres linguæ sacræ, Hebræa, Græca, Latina, quæ in toto orbe maxime excellunt. His enim tribus linguis super crucem Domini a Pilato fuit

D

causa ejus scripta (*Joan.* XIX). Unde et propter obscuritatem sanctarum Scripturarum, harum trium linguarum cognitio necessaria est ; « ut ad alteram recurratur, si quam dubitationem nominis vel interpretationem sermo unius linguæ attulerit. Igitur jam non gloriari licebit carnali Judaismo vel circumcisione carnis, in eo quod scriptum est primitus : « Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus (*Psal.* LXXV) ; » quia « ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis » (ecce sunt) in quibus notus sit Deus ; in quibus magnum et victoriosum sit nomen ejus. « Stantes ante thronum et in conspectu Agni amicti stolis albis et palmæ in manibus eorum. » Nimirum hæc statio ante thronum vel ipse thronus ille est, de quo Daniel cum præmisisset : « Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit, » subinde dixit : « Thronus ejus flamma ignis : rotæ ejus ignis accensus. » Item : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei (*Dan.* VII). » Non quidem istis talibus et taliter stantibus thronus ille flamma est ignis urentis, nisi tantum ignis illuminantis ; sed profecto illis qui occiderunt, flamma erit ignis urentis sive liquefacientis, quemadmodum Psalmista dicit : « Sicut cera fluit a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII). » Quid enim istis est ante thronum stare, nisi hoc ipsum quod illis superioribus sub altare Dei clamare ? Nempe et isti stantes, et illi clamantes idem prospiciunt, idem judicium et vindictam sui sanguinis exposcunt. Stantes autem ante thronum, stabant etiam in conspectu Agni. Nihil verius. Etenim cum Deo Patre in eodem throno sedet hic agnus a dextris ejus. Nam hoc ipsum est quod ibidem Daniel loquitur : « Aspiciebam ergo in visu noctis ; et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit ; et in conspectu ejus obtulerunt eum ; ei dedit et potestatem, et honorem, et regnum (*Dan.* VII), » etc. Bene quoque ita stantes amicti sunt stolis albis ; subauditur sanguine agni dealbatis, ut videlicet illi cui astant similes sint. Nam vestimentum ejus, ait idem qui supra, quasi nix candidum ; et capilli capitis ejus quasi lana munda (*ibid.*). » — « Et palmæ, inquit, in manibus eorum. » Quia nimirum quatuor angelos supradictos, id est, quatuor principalia regna mundi, vicerunt, et ipsis volentibus nocere reluctantibus, et omni conatu resistentibus, nihilominus signati sunt, et signum Dei vivi in frontibus suis acceperunt. Unde per pugnam quatuor ventorum, post excursum quatuor bestiarum, ait idem qui supra, « venit Antiquus dierum (*ibid.*), » et judicium dedit sanctis excelsi, et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti : « Palmæ ergo in manibus eorum, » et ipsæ palmæ florentes, interim crescunt, donec penitus interficiatur bestia quarta, aliarum quoque bestiarum penitus omnis ablata sit potestas, tandemque ultimum sedeat judicium, regnumque, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi, singulis stolis quas nunc habent in illa corporum gloriosa resurrectione duplicatis. « Et clamabant voce magna, dicentes : salus Deo nostro qui sedet super thronum et Agno. » Perditio et mors quæ per unum hominem in hunc mundum intraverat, in omnes homines pertransierat, quia in eo omnes peccaverunt. Sed sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ita, inquit Apostolus, per unum Christum damnatio et mors peccati, præstans vitam æternam (*Rom.* V).

Recte ergo memores sancti quod in primo homine peccaverint, et per peccatum ejus mortui fuerint, gratia autem Dei per Jesum Christum salvi facti sunt, confitentur et dicunt : « Salus, » subauditur, **110** quia salvati sumus, « Deo nostro, » non nobis attribuatur, « et Agno, » id est Filio Dei, per cujus sanguinem in salutem recuperati sumus.

Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Amen. » Sicut turbæ magnæ ex omnibus gentibus, tribubus, et populis, et linguis, numerus nemini comprehensibilis est,ita et hic,et superius,ubi primum Agnus librum accepit (*Apoc.* III), angelorum numerus definitus non est,de istis jam illic dictum est, quia et si non per ipsum redempti sunt, quia non perierant,attamen per divinitatem ejus conditi sunt, et per sanguinem ejus, ut Apostolus quoque testis est,nobis conciliati,sive pacificati sunt (*Coloss.* I),et instauratus est hominibus [cœtus] numerus ipsorum,qui diminutus fuerat per ruinam angelorum apostatarum. Ergo qui « ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes, Amen : » congratulatio est beatorum beatis et beatificatis, sive recuperatis illis qui perierant congaudentium. « Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. » Septem sunt voculæ, benedictio,sapientia, claritas, gratiarum actio,honor, virtus, fortitudo. Solet autem septenario numero designari universitas,tam apud sæculares philosophos quam apud ecclesiasticos, ergo et hic quidquid laudis,quid quid glorificationis aut jubilationis concipere potest mens aut proferre, quæcunque illa est lingua angelorum, sub istis voculis, non dubitamus ab illis beatis spiritibus Deo nostro declamari, pro sanctis omnibus, quia mortui fuerant, et revixerunt ; perierant, et inventi sunt.

« Et respondens unus de senioribus, dixit mihi : Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt ? Et dixi : Domine mi, tu scis. Et dixit mihi : Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas,et dealbaverunt eas in sanguine agni,ideo sunt ante thronum Dei.et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. » Cum hæc hujusmodi dictio, qui sunt, et unde venerunt, non responsio sit, sed interrogatio sive percontatio, recte tamen respondisse dicitur, videlicet eo quod ad respondendum intendat, id est, ut idcirco interroget, ut cum attentum ipsa interrogatione fecerit, tunc demum respondeat. « Hi sunt, inquit, qui venerunt de tribulatione magna. » Vere ex magna tribulatione omnes sancti venerunt, cujus videlicet tribulationis causa vel initium fuit originale peccatum (*II Tim.* III). Omnes enim qui extunc pie vivere voluerunt, tribulationem sive persecutionem passi sunt. Veruntamen in illa tribulatione insignius atque splendidius, veluti aurum in camino ignis,martyres fulserunt, de quibus continuo subjungit,dicens : « et laverunt stolas suas in sanguine Agni. » Nam et si universa Ecclesia sanguine Christi mundata est ab omni delicto, multo magis isti mundati atque candidati sunt,qui adeo communicaverunt sanguini Christi, ut suum quoque sanguinem funderent pro Christo.

Ideo suut ante thronum Dei,videlicet quia mundi sunt, quia candidi sunt,quia in stolis albis spectabiles et gratiosi incedunt, idcirco familiares assistunt,ideo læti aspicientem aspiciunt, et dulcedine pleni atque ineffabiliter occupati,ejus quem vident, mutuos ab intuitu ejus aspectus avertere non possunt.Nec vero dubium,quin præsentia sua clament idem ante thronum, quod subtus altare piorum animæ interfectorum : « Usquequo, Domine, non judicas et vindicas sanguinem nostrum ? » (*Apoc.* VI.) « Et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. » Die ac nocte, id est in æternitate serviunt, sive ministrant,ut Daniel ait, « millia millium ministrabant ei (*Dan.* VII), » non utique laborioso sive servili ministerio,sed jucundo atque liberali amoris æterni tripudio. Hic enim dum vivitur,servitus sive ministerium Dei labor et opus est, ibi autem servitus Dei laboris præmium,et servitutis merces est. « In templo ejus, » inquit Christus ; omnis illa patria templum Dei est, sanctuarium Dei est, Sanctum sanctorum est, quo nihil immundum admitti potest.Hic quidem dum vivitur, in templum Dei, ubi nomen ejus invocatur, nihil immundum admitti debet,in illud autem templum Dei non manufactum, ubi facies conspicitur, nihil immundum admitti potest. « Et qui sedet super thronum,habitat super illos. » Et in ipsis,et super ipsos habitat, qui sedet super thronum ; nam ipsi et domus,et thronus ejus sunt.In ipsis habitat,tanquam vita ipsorum ; super ipsos habitat, tanquam ornamentum et gloria ipsorum.

« Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam Agnus qui in medio throni est, reget eos,et deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. » Pene eisdem verbis,et eodem sensu Isaias loquitur : « Non esurient, neque sitient amplius, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos,et ad fontes aquarum potabit eos (*Isa.* XLIX). » Nam et quod ille dixit : « Ecce isti de longe venient, et isti ab aquilone et mari,et isti de terra australi (*ibid.*), » hoc est quod hic dicit : Turbam quam vidit ex omnibus esse gentibus tribubus,et populis,et linguis. Item, quod cum dixisset Dominus : « Nolite timere eos qui corpus occidunt, » statim adjunxit : « et post hæc non habent quid faciant (*Luc.* XII), » hoc magnifice hic amplificat,cum dicit : « Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, » fuit enim quondam in pote-

statu persecutorum, sive homicidarum illorum, ut sancti esurirent atque sitirent, ut æstu afficerentur, et gelu, « circumeuntes, ut Apostolus ait, in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, et cavernis terræ (*Hebr.* XI.) » Verum hoc jam in potestate illorum amplius non erit, ut faciant. Sed et illa esurie laudabili, et bona siti, quam hic sancti habebant, de qualibus et Dominus : « Beati, inquit, qui esuriunt, et sitiunt justitiam, non esurient aut sitient amplius, nam ibi saturabuntur et inebriabuntur (*Matth.* V). » Denique isti fontes aquarum, ad quos deducet eos Agnus, qui regit eos, illi sunt fontes, sive ille fons atque torrens, quem prospiciebat Psalmista, cum diceret : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ (*Psal.* XXXV). » Quis hæc explanare sufficiet ? quis digne hæc tractabit, aut exponet ? imo quis ista sensu percipiet ? Qualem aut quantum Scriptura laborat intimare nobis divinæ charitatis affectum, dicendo : « Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum ? » Deficimus in hac admiratione, « quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se (*Isa.* LXIV ; *I Cor.* II). »

[Cap. VIII.] « Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora. » Quando is qui ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei, veniet ad judicandos vivos et mortuos, tunc sigillum septimum solvetur, quia Scripturarum non parvum aut leve momentum adimplebitur. Exempli gratia : De illa die judicii Sophonias propheta dicit : « Juxta est dies **411** Domini magnus, juxta est et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ dies tenebrarum et caliginis, dies A nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris, super civitates munitas et super angulos excelsos. Et tribulabo homines, et ambulabunt cæci, quia Domino peccaverunt. Et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. In igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus in terra (*Sophon.* I). » Hæc et hujusmodi, quæ passim leguntur in Scripturis, tunc adimplebuntur, et tunc finis erit, quia tunc consummabuntur omnia. Ait ergo : « Factum est silentium in cœlo quasi media hora. » Silentium quippe hoc loco recte quietem illam significare intelligitur, de qua Psalmista loquitur : « Terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicio Deus, ut salvos B faceret omnes mansuetos terræ. » Præmisit enim : « De cœlo auditum fecisti judicium (*Psal.* LXXV), » more prophetico pro futuro tempore ponens præteritum. Et est sensus : Quando de cœlo veniens, auditum facies judicium, dicendo justis : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV), » etc, tunc terra tremuit, et quievit, id est, impii timebunt, et desinent male operari. Sed et sancti qui nunc sub altari Dei clamant, ut supra scriptum est, dicentes : « Usquequo, Domine, non judicas et vindicas sanguinem nostrum (*Apoc.* VI), » tunc quiescent, finemque ponent suo clamori, quia tunc factum erit, tunc judicatum erit, interfectoribus eorum undique eliminatis ut ultra interficere non possint. Hujusmodi silentium sive quietem in cœlo, id est, in cœlesti Ecclesia sine C fine futuram, silentium illud significabat. Quod autem ait, « quasi media hora, » et ad significationem satis est, jam dictæ pacis et quietis, et ad disjunctionem valet eorum, quæ præmissa sunt, et eorum quæ sequuntur ; quia videlicet jam nunc ab alio exordio mysteriorum sive revelationis, ordo recapitulatur.

LIBER QUINTUS

« Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ. Et ecce alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum in manu sua. » Sicut vere dixit Christus, quia persecutores corpus occidunt, sed animam occidere non possunt (*Matth.* X), sic vere dixit Christi Apostolus, quia « laboro usque ad vincula, sed verbum Dei non est alligatum (*II Tim.* II). » Ecce enim laborante isto Christi discipulo usque ad exsilia, et in angusta secundum corpus clauso insula, verbum Dei liberum atque expeditum liberam ejus animam per ampla ducit sæculorum spatia, tota amplitudine dilatatam, ut per annorum millia, per omnium fere Scriptura- D rum quasi multa milliaria, digestas operum Dei rationes mysticas coram se conspiciat. Ducit ac reducit a primis usque ad novissima, a novissimis usque ad priora sæcula, videlicet ab ultimi sigilli apertione, quod in novissimo die aperiendum erit, usque ad primam tubam quæ post diluvium personuit ad destructionem peccati, ad astruendum quod cura esset Deo de peccatis hominum, et quod omnes in novissimo die judicaturus sit. Operosum atque perpulchrum est ostendere de Scripturis, ubi, quando vel quomodo quisque angelorum istorum tuba cecinerit quæ tertia pars terræ ignea grandine combusta sit, qui mons magnus in mare missus, et quæ tertia pars

maris sive creaturæ mortua sit, quæ tertia pars fluminum amara facta, vel in absinthium versa sit quæ vel cujus solis aut stellarum tertia pars percussa et obscurata fuerit, quis puteus abyssi, et quomodo illum stella de cœlo cadens, aperuerit, unde fumus ascendit, et locustæ exierunt, qui quatuor angeli alligati in flumine magno Euphrate, sed ad vocem jubentis Dei soluti, quod ultimum sit Væ, et quæ voces dicentium : « Factum est regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum : » operosum est, inquam, certis et locis Scripturarum ostendere hæc omnia, novissimum magni judicii diem, claris testimoniis præcurrentia.

Præterea jam hic sciendum, quia quando plagæ jam dictæ fieri cœperint, ad fidem sive confirmationem futuri judicii Dei, simul quoque misericordiæ præparatio non defuit, quæ judicium illud fugientibus semper præsto est, et omnibus occurrit. Pulchre ergo ubi dictum est, « vidi septem angelos, et datæ sunt illis septem tubæ, » antequam aliquis illorum tuba caneret ; « ecce, inquit, alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum, » etc. Iste namque angelus, sive angeli istius actus vel habitus, misericordis atque fidelis pontificis Christi sacerdotium designat, quod ibi jam figurari cœptum est, ubi angeli tuba, et plagæ fieri cœperunt, quod sermonis nostri sequentia pro posse declarabunt. Itaque sicut in præcedentibus septem libri sigillis absolutis, spiritum intellectus, sic in istis septem angelorum tubis, et in illo alio angelo thuribulum habente, spiritum consilii operatum esse sive operari agnoscimus. Unde post cantum tubæ sexti angeli, levat manum suam in cœlum forti angelus, jurans per viventem in sæcula 152 sæculorum, quia in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei. Mysterium namque hoc loco idem est quod secretum consilium. Et hoc vere magnum fuit consilium magni Dei, quod ultimum judicium per ignem futurum non ita repente aut ex improviso voluit evenire, sicut illud anterius judicium per aquam factum, sed multa præmisit ad idem judicium pertinentia, per quæ non dubitaretur esse futurum, socia ubique misericordia pro illis, quos pœnitentiam agere vel acturos esse prævidit ante ipsum judicium. Habentes ergo in hac recapitulatione magnam misericordiæ atque judicii materiam, unde grandis sermo jure nobis sit, nisi quia imbecilles sumus ad dicendum, primum de misericordiæ instrumento loquamur, secundum talem hujusce angeli actum vel habitum. Res ipsa jam postulare videtur, ut primo inquiramus, quis esse secundum suam personam æstimetur iste angelus ; deinde cujus figuram gestet, sive quem significet, dicemus, juxta sensum, quem publicus sanctæ Ecclesiæ jamdudum commendavit usus. Omnium quidem angelorum pium atque benignum esse studium circa genus humanum, multa commendant sanctarum testimonia Scripturarum, ut exempli gratia illud evangelicum : « Dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV). » Illi congaudentes redemptioni nostræ, nato Domino magna multitudine solemnizantes atque persultantes « gloriam in altissimis Deo, et in terra pacem hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II ; *Matth.* II), » decantando annuntiant et annuntiando decantant : ipsi resurgente Domino, eodemque ascendente in cœlo (*Act.* I), in albis vestibus apparentes, salutis nostræ festivitatem concelebrant, et celebrandam fidei nostræ intimare festinant. Verumtamen præ omnibus Michael atque Gabriel coram Domino pro nobis sunt, propter nos satagunt, et in nostrum eunt atque veniunt adjutorium, sicut testatur utrumque, Vetus scilicet et Novum Testamentum. Nam in Veteri Daniel audivit vocem dicentis sibi : « Gabriel, fac intelligere istam visionem (*Dan.* VIII). » Virum istum, qui Gabrieli loqui præcepit, ut Danielem faciat intelligere visionem, Judæi Michael autumant. Consequenter autem, quia visio de præliis erat regumque certaminibus, imo regnorum successionibus, Gabriel, qui præpositus est præliis huic officio mancipatur. Gabriel enim in nostra lingua vertitur *fortitudo* vel *robustus Dei*. Unde et eo tempore quo erat Dominus nasciturus, et indicturus bellum dæmonibus, et triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam et ad Mariam (*Luc* I), et postea in psalmis de Domino legimus triumphante : « Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens, Dominus fortis ipse est rex gloriæ (*Psal.* XXIII). » De hoc in alia visione idem propheta : « Adhuc, inquit, me loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini et docuit me (*Dan.* IX). » Porro ubi populo prospera promittuntur, et propitiatio vel expiatio necessaria est, Michael dirigitur, qui interpretatur, *quis sicut Deus* ? Hinc est illud. « Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus, et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum (*Dan.* X). » Itemque post pauca : « Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis, et nemo est adjutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester est (*ibid.*). » Denique cum dicit : Nisi Michael particeps vester est adjutor meus, subaudiendum est, ad rogandum Deum pro vobis, ad offerendas Deo orationes vestras. In Novo autem Testamento, et Gabriel annuntiandæ Dominicæ incarnationis fungitur officio (*Luc.* I), et Michael princeps in prælio contra diabolum secundum hanc ipsam Apocalypsin declaratur. Nam « factum est, inquit, prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone (*Apoc.* XII), » etc. Cum igitur omnium, ut jam dictum est, angelorum circa nos homines pium sit benevolentia pervigili studium, multo maxime de istis hoc sentiendum est, quos utriusque, Veteris scilicet, et Novi Testamenti tam celebre per nomina sua tantis negotiis designat præconium. Sed et istorum tam excellentium maximus nobis est Michael, quippe qui et illius testimonio prin-

ceps noster et dicitur et est, princeps in prælio, princeps in orationis suffragio, usque ad finem sæculi princeps iste principatur populo Dei, testante eodem angelo, qui et supra cum diceret Danieli : « In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui et veniet tempus, quale non fuit ex eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud (*Dan.* XII). » Pro filiis populi tui cum dicitur Danieli, nos ipsos recte intelligimus, quia nimirum et nos, quicunque ex fide Abrahæ sumus, cum Daniele et cum omnibus non tantum carnis, sed et fide Abrahæ filii unus populus auctoritate Scripturarum et dicimur et sumus (*Rom.* IV). His itaque testimoniis astipulantibus, veraciter agnoscimus et dicimus, hunc angelum, qui tali schemate stetit juxta aram templi, Michaelem esse archangelum principem nostrum, et istum cunctis retro sæculis antequam nasceretur nobis de Virgine puer, qui dicitur et est magni consilii Angelus ; ante, inquam, scilicet ex quo gentes cœperunt, ex quo credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Gen.* XV), istum stetisse pro filiis populi illius, eorumque fuisse adjutorem non dubitamus. Ex quo credidit Abraham Deo, ut jam dictum est, et reputatum est ei ad justitiam, « iste angelus stetit juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua. » Nondum significationem stantis attigimus, de qua postmodum dicturi sumus, sed adjutorii ejus quo populum priorem in propria persona adjuvit princeps, actus commemorare intendimus. Quam ergo juxta aram templi, vel cujus templi juxta aram illum stetisse intelligimus ? Nimirum templum Dei sanctum, sancta universalis Ecclesia est, et hujus templi ara sive altare Christus est. Quomodo in templo manufacto visibile altare omnimoda dignitate religionis præeminet, sic in Ecclesia sua Deus et homo Christus, divina simul et regia majestate præpollet. Quomodo juxta aram hujusmodi iste angelus stetit? Ubi primum ara ipsa in templo suo fundata est; ubi Christus per fidem in cordibus patrum repositus est credentium huic verbo : « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » quod utique semen Christus est, extunc angelus iste gentis illius princeps factus est, et idcirco recte juxta aram stetisse dicitur : quia propter hujusmodi fidem tutor et adjutor illi populo datus est. » Stetit ergo, inquit, habens thuribulum aureum in manu sua. » Thuribulum aureum fides illorum erat sancta, fides pura, fides aurea, videlicet multis tribulationibus eorumdem super terram peregrinantium, velut aurum in camino ignis probata. Hanc illorum fidem tanquam thuribulum habebat in manu sua, scilicet ipsam habens pro illis justitiæ causam, ad impetranda Dei beneficia. Unde et sequitur :

« Et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. » Quid per incensa velit intelligi **413** ipse exposuit dicendo, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum. Ergo incensa quæ illi data sunt, sanctorum orationes sunt. Quid autem orabant sancti illi, quorum iste angelus in tali ministerio princeps erat, sicut prophetica veritas astruit ! Quid orabant, vel pro qua re orationes maxime faciebant ! Plenæ quidem sunt divinæ paginæ clamoribus magnis quam orationibus illorum qui non nisi in necessitate et temporali salute Deum invocare noverunt. Exempli gratia : « Mortuus est rex Ægypti, et ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt ad Dominum. Ascenditque clamor eorum ad Dominum pro operibus et audivit gemitum eorum (*Exod.* II). » Item : « Iratus est Dominus contra Israel, tradidit eos in manibus illius, servieruntque ei, et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatores et liberavit eos (*Judic.* III). » Plenæ, inquam, sunt divinæ paginæ hujusmodi clamoribus illorum. Sed nunquid hi soli clamores, universæ illæ orationes sanctorum, et universa incensa fuerunt quæ isti angelo data sunt? Si nihil aliud adoraverunt, ergone orationes illorum, incensa vocari, et ante altare sive ante thronum in conspectu Dei adoleri dignæ fuerunt ? Igitur orationes sanctorum Patrum sive Patriarcharum quæ hic incensa digne vocari meruerunt, illæ fuerunt quas effundebant propter Christum, propter adipiscendum ejus adventum magno patri Abrahæ repromissum, ut in ipso benedicerentur cum omnibus gentibus sive cognationibus terræ (*Gen.* XXII), atque absolverentur ad illa primæ prævaricationis maledictione. Hoc maxime David sanctus in Psalmis patenter intendit, quos orando canit, quippe qui et pro ipsa intentione tantæ dignitatis judicat easdem orationes suas, ut in persona ejus, cujus adventum suspirat, plerosque psalmos proferat, quod ipse sensus eorum indubitanter attendentibus indicat. Exempli gratia : « Deus, laudem meam ne tacueris, etc. » Pro eo ut diceret : Deus, laudem Christi Filii tui ne tacueris, « quia os peccatoris et os dolosi super eum apertum est. Locuti sunt adversus illum lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt eum, et expugnaverunt eum gratis (*Psal.* CVIII). » Proinde hæc et hujusmodi incensa vere esse non ignorans quodam loco cum dixisset : » Domine, clamavi ad te, exaudi me ; intende voci meæ cum clamavero ad te ; » subjunxit continuo : « Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo (*Psal.* CXL). « Et est sensus : Hoc fac, ut oratio mea sit directa, non in conspectu hominum, qui sospitatem corporis et divitias orare et similia, directam putant esse orationem, sed in conspectu tuo, in beneplacito tuo, quod idem est ac si diceret : Hoc fac me orare quod orandum est. Sequitur ergo :

« Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. » Fumus incensorum suavissima est affectio sanctorum precum, quæ sic ex fide per dilectionem operante dulcescit, et coram Deo consurgit, quomodo ab igne cremante dum liquescit incensum, fumum creat odoriferum, sursum naribus patulis sensum inspirans insitæ

suavitatis. Hucusque pulchra gradatione hujuscemodi fumus ascendit. De orationibus sanctorum ad manum angeli, de manu angeli, coram Deo ascendit. Quid deinde?

« Et accepit angelus thuribulum et implevit illud de igne altaris, et misit in terram. » Et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus magnus. » Hoc thuribulum aureum fumus incensorum, hoc manus angeli mediantis impetravit, ut de igne altaris pleno thuribulo mitteretur in terram, et fierent « tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus magnus. Hoc, inquam, ut manifestius dictum sit, aurea sanctorum patrum fides emeruit, ut tanta fierent in gente illa signa atque prodigia, quibus contrita est Ægyptus, Pharao submersus cum curribus suis et equitibus suis, filiis Israel per medium mare transeuntibus (*Exod.* XIV), utque fieret in monte Sinai quod scriptum est : « Jam advenerat dies tertius, et mane inclaruerat, et ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem; clangorque buccinæ vehementer perstrepebat, timuitque populus qui erat in castris (*Exod.* XIX). » Hoc respiciens Moyses homo Dei, salvo sacratiore intellectu, dum benediceret filiis Israel dixit : « Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex (*Deut.* XXXIII). » Igneam legem dixit, ne dubites per ignem quem angelus iste misit in terram, recte legem debere intelligi. Et quid est lex ignea, nisi lex spiritus Dei, qui per ignem solet significari, conscripta : et contra peccata perseverantia zelo fortissimo fervida? Quod autem iste ignis manu angelica in terram missus sit, quod ista lex ignea per angelos administrata sit, Stephanus protomartyr in Actibus apostolorum patenter edicit : « Et occiderunt, inquit, eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis (*Act.* VII). » Quid hoc testimonio manifestius? « Legem, inquit, in dispositione angelorum accepistis. » Apostolus quoque ad Galatas scribens dicit : « Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui repromiserat ordinata per angelos in manu mediatoris (*Galat.* III). » Qua in manu vel cujus mediatoris? In manu nimirum mediatoris Angeli magni, qui nunc mediator Dei et hominum est, homo Christus Jesus; hunc enim et jam dictus protomartyr in Actibus apostolorum patenter innuit dicendo : Hunc Moysem Deus principem et Redemptorem misit cum manu Angeli qui apparuit illi in rubo (*Act.* VII; *Exod.* III). Et Malachias propheta manifestius exprimit, quis vel quantus sit Angelus iste, cum dicit : « Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis (*Malach.* III). Itaque quomodo angeli, quorum in dispositione sive ordinatione, promissio ad Abraham, et Isaac et Jacob facta est, et lex data est, plures fuerunt, iste qui auctoritate prophetica princeps illius populi dicitur fuisse, archangelus Michael in tanto negotio nullatenus defuisse credendus est. Nam etsi illic de suæ personæ manifestis indiciis tacet, alias non tacet. Denique « cum esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos et vidit virum stantem contra se, et evaginatum gladium tenentem, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio (*Josue* V). Sane quod dixit, « sed sum princeps exercitus Domini, » non sufficiens fuisset descriptio personæ hujus Michaelis archangeli, nisi supplevisset ipsa quam supra diximus auctoritas prophetalis, qua dixit ille alius angelus, « et nemo est adjutor meus in omnibus iis nisi Michael princeps vester (*Dan.* X). » Itemque alibi : « In tempore, inquit, illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui (*Dan.* XII). » Multa sunt nimis et plura, quam ut præsenti loco commemorare patiatur tenor propositi nostri, quæ per ministerium principis hujus facta sunt, sicut Scripturis sacris continentur, ex quibus omnibus magnus iste princeps, quia per ipsum disposita sunt, sortitus est nomen Michael, quod interpretatur **414** *quis sicut Deus*? Quid enim aliud hoc nomine innuitur, nisi quia qualia per ipsum facta sunt, nemo facere possit nisi Deus? Hoc denique et Psalmista perspiciens : « Quis Deus, inquit, magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia (*Psal.* LXXVI) » etc. Sciendum tandem quia angelus iste non in re, sed tantum in significatione mediator fuit. Nam idem Apostolus, ut supra meminimus, dixit, « quia lex propter transgressores posita est, donec veniret semen cui repromiserat ordinata per angelos in manu mediatoris (*Galat.* III). » Et alibi dicit : « Unus Deus et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*I Tim.* II); » significatione ergo qualiter mediator fuerit, id est qualiter mediatorem Dei et hominum secundum hanc visionem significaverit, jam dicendum est : « Venit, inquit, angelus et stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua. » Angelum esse Christum Dei Filium : angelum, id est nuntium magni consilii (*Isa.* IX). Hunc esse vel dici non solum prophetica, verum etiam legalis auctoritas astruit, cum ad Moysen Deus dicit : « Ecce ego mittam Angelum qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo (*Exod.* XXIII). » Nam Angelus, in quo debeat esse nomen Dei, id est, qui Deus aut Dominus jure debeat dici, unus et solus est Deus, Christus Dei Filius. Hic, inquit, venit, videlicet in hunc mundum, per incarnationis mysterium. Nam et ex eo quod sic venit, et voluntatem Patris nobis annuntiavit, angelus dicitur et est. « Veniens autem stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua. » Quomodo stetit ante altare, nisi præsto

se exhibens ad subeundum opus obedientiæ spontaneæ? Cum enim tanquam Deus manu sua se tueri posset, tanquam homo infirmum se inveniri et teneri passus est, dixitque orans ad Patrem : « Mi Pater, si possibile est transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu (*Matth.* XXVI, *Luc* XXII). » Itaque non se defendens stetit ante altare, videlicet tanquam ovis ductus ad immolandum, et non aperuit os suum (*Isa.* LIII). Taliter astitit, aureum in manu sua habens thuribulum ; scilicet, apparens in conspectu Ecclesiæ factus ipse thuribulum, ut super altare crucis thuribulum suum aureum, id est, corpus immaculatum et de Spiritu sancto conceptum, offerret Patri pro nobis. « Et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare, quod est ante thronum. » De orationibus sanctorum obtulit incensa. Ipsi enim libavit Ecclesia preces suas, dicens: « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL). » Accepisse autem de orationibus sanctorum idem dicitur et obtulisse, quia per ipsum omnium possunt preces ad Dominum suaviter pervenire. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo, Christo Domino se hostiam suavitatis offerente compunctio cordis sanctorum acceptabilis facta est, quæ ab igne nascens intimo, sicut fumus solet excitare lacrymas, et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, bene thuribulum igne plenum inducit. « Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum (*Joan.* III). » Quod proprie de Christi humanitate novimus adimpletum, « in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II). » Et misit in terram. Sic et Dominus in Evangelio: « Ignem, inquit, veni mittere in terram (*Luc.* XII). » — « Et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus. » Tonitrua, comminationes supernæ ; et voces, id est exhortationes ; et fulgura, id est splendores miraculorum ; terræmotus, ut quibusdam insequentibus, quibusdam vero sequentibus : iis dicentibus bonus est, illis autem non, sed seducit turbas (*Joan.* VII). Nunc ad ordinem recurramus. Diximus supra, quia sicut in præceptis præcedentibus, septem libri sigillis absolutis, spiritum intellectus, sic in istis septem angelorum tubis, et in illo alio angelo thuribulum habente, spiritum consilii operatum esse sive operari agnoscimus, ipsum tamen Dei consilium in eo magnum et mirabile fuisse vel esse, quod ultimum judicium per ignem futurum, non repente, aut ex improviso voluit evenire, sicut illud alterius judicium per aquam factum ; sed multa præmisit ad idem judicium pertinentia, per quæ non dubitaretur futurum esse, socia ubique misericordia, pro illis quos pœnitentiam agere vel acturos esse prævidit ante ipsum judicium. Cum igitur angelus iste staret, ut supra jam dictum est, datus in principem Abrahæ et semini ejus, sumpto thuribulo paratus ad suscipienda orationum incensa, ad impetranda pro illis misericordiæ suffragia.

A « Tunc et septem angelis septem tubæ datæ sunt, et paraverunt se ut tuba canerent. » Videlicet ad intonandum judicium adversus peccata gentium, quæ sub eodem tempore vias suas ingredi cœperunt. Tubæ, inquam, illis datæ sunt, videlicet ad excitandum orbem terrarum, ut pugnaret pro Deo adversus insensatos, ut per quæ peccabant, per ipsa et punirentur (*Sap.* V). « Et primus angelus tuba cecinit, et facta est grando et ignis, mista in sanguine, et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum combusta est, et omne fenum viride combustum est. » Primi angeli vel primæ tubæ cantus, clamor ille fuit, de quo Dominus ad prædictum patrem Abraham taliter locutus est : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. B Descendam, et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverunt : an non est ita, ut sciam (*Gen.* XVIII). Denique ab angelis nobis deputatis, quotidie die noctuque Domino factori nostro opera nostra nuntiantur. Si ergo magnum sit opus quod agimus, dum annuntiatur ipsa annuntiatio quasi cantus tubæ est, quasi magnus clamor. Sive pergrande peccatum sive oratio sit vehemens, ante Deum clamor est. Nam qui dixit : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, ipse alio loco dicit : Nidi afflictionem populi mei, et clamorem ejus audivi (*Exod.* III). » Canente ergo tuba primi angeli, facta est grando, » etc. Quando vel quomodo hoc factum sit, cui incognitum est? C « Pluit enim Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem, et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia (*Gen.* XIX). » Denique terræ, arborum atque feni nomine, homines subintelligendi sunt, cum bene nota Scripturarum auctoritate. Terræ, ut exempli gratia, cum Deus dicit : « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III), » sive, terra es, et in terram ibis. Et alibi : « Quid superbis, terra et cinis? (*Eccli.* X.) » Arborum, cum idem Dominus dixit : « Non est arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala, faciens fructum bonum ((*Matth.* VII ; *Luc.* VI). » Feni, cum idem Dominus dixit per prophetam, « Clama : Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Exsiccatum est fenum, et cecidit D flos, verbum autem Domini manet in æternum (*Isa.* XL). » Ergo terra, arbores, fenum viride, homines Sodomitæ cupidi, elati, luxuriosi, imo libidinosi fuerunt. Sed cur tertia pars terræ sive arborum, id est, hominum dicti sunt? videlicet ob duplicem causam, quia et de stirpe Cham, et impœnitentes fuerunt : genus **415** quippe Cham recte tertia pars hominum dicitur, et est, quia nimirum tres erant filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, et Japhet. Porro Cham ipse est pater Chanaan, de cujus posteris Sodomitæ disseminati sunt, sicut scriptum est : » Per hos disseminati sunt populi Chananæorum, facti sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram

usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam et Gomorrham, et ad Adamam, et Seboim usque Lesa (*Gen.* x). » Ergo natura, id est, genere sive natione tertia pars, id est, de tertia parte hominum erant, cum essent de stirpe maledicti Chanaan unius ex filiis Cham, dicente patre : « Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis (*Gen.* ix). » Hæc una est causa, ob quam Sodomitæ tertia pars terræ, sive tertia pars arborum recte dicantur. Alia est causa, quia sicut jam dictum est, impœnitentes fuerunt, peccatum suum prædicantes nec abscondentes (*Prov.* xxi). Unde hactenus iis qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis, cur damnentur a Deo judice, causa redditur hujusmodi : « Quia peccatum suum, inquit, sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt (*Isa.* iii). » Impœnitentes namque ita pars tertia hominum sunt, ut justi qui digne prædicare debeant, et peccatores qui audiunt, et ad prædicationem illorum convertuntur, salvare non dubitentur animas suas, et sola quæ superest, impœnitentium pars sine dubio mittenda sit in gehennam.

« Et secundus angelus tuba cecinit, et tanquam mons magnus igne ardens, missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis ; et mortua est tertia pars creaturæ, quæ habent animas, et tertia pars navium interiit. » Tunc secundus angelus tuba cecinit, quando mortuo rege Ægypti, ingemiscentes filii Israel propter opera, vociferati sunt ad Dominum, ascenditque clamor eorum ad Deum pro operibus, et audivit gemitum eorum : « Canente autem hac tuba, tanquam mons, inquit, magnus igne ardens missus est in mare. » — « Recordatus est enim, inquit Scriptura, fœderis, quod pepigit Deus cum Abraham, Isaac, et Jacob, et respexit super filios Israel, et liberavit eos (*Exod.* i, iii). « Quomodo liberavit eos ? « Extende, inquit, manum tuam super mare, et revertantur aquæ ad Ægyptios, super currus et equites eorum. Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant in mare, ne unus quidem superfuit ex eis (*Exod.* ii, iv). » Ergo tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, scilicet Pharao cum curribus suis, exemplar superbiæ diabolicæ. Montis namque nomine superbia ; ignis ardentis eorumdem, scilicet Pharaonis et Ægyptiorum, designatur invidia. Nam de superbia illorum Jethro quoque cognatus Moysi cum dixisset : « Benedictus Dominus qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Ægypti, » continuo subjunxit : « Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos, eo quod superbe egerint contra illos (*Exod.* xviii). » Porro invidiæ suæ ignem urentem ipse satis indicat Pharao, cum dicit in initio : « Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est, venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur (*Exod.* i). » Maris nomine gentes hic significantur, quemadmodum et in Psalmo cum dicit : « Et transferentur montes in cor maris (*Psal.* xlv). » Idem est enim, ac si diceretur, dum a Judæis in medium gentium transibunt apostoli. Navium quoque nomine vita hominum transitoria designatur, quemadmodum et in Job : « Dies mei, inquit, transierunt, sicut naves poma portantes (*Job.* ix). » Itaque et hic per tertiam partem maris sive navium, sicut supra, per tertiam partem terræ atque arborum, tertia pars hominum intelligitur recte, scilicet progenies Cham ; Ægyptii namque de Mesraim, uno ex posteris Cham, exorti sunt. Scriptum quippe est : « Filii autem Cham, Chus et Mesraim, et Phur, et Chanaan, » ac deinceps : « At vero Mesraim genuit Ludim, et Ananim et Laabin, et Neptuim, et Phetusim, et Chessuim, de quibus egressi sunt Philistiim, et Capturim (*Gen.* x). » Quod ex isto, scilicet Mesraim, Ægyptii quoque, ut jam dictum est, orti sunt, antiquiores tradunt. Psalmista quoque patrem ejus Cham, patrem Ægyptiorum fuisse astruit, cum dicit : « Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham (*Psal.* lxxvii *et* civ), » id est ubi filii Cham, filii Noe habitant. Aliam nihilominus ob causam Ægyptii tertia pars fuerunt, videlicet quia et ipsi impœnitentes fuerunt, adeo ut cum coram illis signa et prodigia multiplicarentur, ipsi amplius indurarentur. Oderant enim filios Israel, et invidebant eis, et idcirco, ut proprium est odientium atque invidentium, quanto plura videbant pro eis signa fieri, quæ gloria illorum erat, tanto duriores efficiebantur, augmentum per singula signa capiente magnitudine odii. Hoc prævidens ipse Dominus dicebat ad Moysem : « Ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum (*Exod.* vii). » Quod idem est ac si diceret : Ego quidem signa coram eo faciam, sed hæc illi ad nihil aliud valebunt, nisi ut odientis crescat invidia, invidentis augescat odium. Impœnitentes ergo erant, et cum, ut supra dictum est, tres sunt partes hominum, alii quippe justi, alii pœnitentes, alii impœnitentes sint, isti, quia de impœnitentibus erant, de tertia parte erant. Quod autem hic dicitur, quia « tertia pars maris facta est sanguis, » quoniam mare, ut supra jam dictum est, gentes significat : quod, inquam, tertia pars maris, et tertia pars quæ habebat animas mortua est, patenter ad illud spectat quod percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus (*Exod.* vii), quæ versa est in sanguinem, et pisces qui erant in flumine, mortui sunt, et jumenta quoque igne et grandine combussit (*Exod.* ix). Unde et Psalmista : « Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum. » Ac deinceps : « Et tradidit grandini jumenta eorum. » Item : « Viam fecit semitæ iræ suæ, et non pepercit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte conclusit. » Et rursus : « Qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus (*Psal.* lxxvii *et* civ). » Jam ergo secundum litteram tertia pars hominum, id est genus Cham, unius ex tribus filiis Noe, secundo percussa est. Historicas namque per-

cussiones ostendere magis intendimus.

« Et tertius angelus tuba cecinit. Et cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum, et nomen stellæ dicitur absinthium. Et facta est tertia pars aquarum absinthium, et multi homines mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. » Fluminum quoque nomine gentes significantur, ut illic : « Elevaverunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum (*Psal.* XCII), » quod est dicere : Inimicæ gentes elevabunt tanquam fluctus quasdam commotiones suas, scilicet minas, verbera et cætera talia ; et hoc facient a vocibus aquarum multarum, id est, propter voces prædicantium Evangelium Christi, sive propter clamosas accusationes multorum, cum populari tumultu dicentium (*Act.* XVII), novæ religionis cultores, suorumque exterminatores advenisse deorum. Porro tertia pars gentium, sicut jam dictum est, genus erat Cham. Igitur tunc tertius angelus tuba cecinit, quando post quadraginta annos ab exitu filiorum Israel de Ægypto, completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, et cæterarum gentium sive regnorum Chanaan. Quod et patientia Dei exspectans, cum dixisset ab Abraham : « Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, » et cætera, ita subjunxit : « Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus (*Gen.* XV). » Itaque canente tuba tertia, id est, istorum quoque clamore ascendente ad Deum, eo quod perseveranter peccando iniquitates suas adimplessent, tempusque esset ut jam terra illos evomere deberet.

« Cecidit, inquit, de cœlo stella magna ardens tanquam facula. » Stella ardens tanquam facula, id est, ira Dei magna de cœlo cecidit super gentes illas ; ira, inquam, Dei nobis stella, illis tanquam facula. Nobis enim lucet ira Dei, et ad cognitionem proficit ejusdem Dei, quæ illos tanquam facula consumpsit, ita ut furore suo arderent, et nullam misericordiam quærerent, neque se victoribus traderent. Nam sic scriptum est : « Non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitat in Gabaon. Omnes bellando cepit Josue. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut prædixerat Dominus Moysi (*Josue.* XI). » « Et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum, » id est, in illas gentes, quæ sicut jam dictum est, de tertia erant parte hominum, scilicet, de genere Cham. Item ob aliam causam de tertia erant parte hominum, videlicet quia impœnitentes erant ; nam tres partes ibi maxime distinctæ apparuerunt, justorum scilicet quod erant filii Israel propter Dei cultum : pœnitentium, ut erat domus Raab meretricis, quæ nuntios filiorum Israel suscepit (*Josue* II), de qua et scriptum est : « Raab vero meretricem et domum patris ejus atque omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israel, usque in præsentem diem (*Josue* VI) » Porro impœnitentium pars ipsi erant, quippe et magnalia Dei quæ in Ægypto et deinceps facta fuerant, æque ipsi audierant, et inde, illa inquit, elanguerunt omnes habitatores terræ ; sed non, ut ipsa et domus ejus, ad pœnitentiam conversi sunt.

« Et nomen, inquit, stellæ dicitur absinthium. » Absinthium Græcum nomen est herbæ, quæ gustu amarissima est, suavis odore, temperamentum corpori præstans, cujus contusa folia succo suo vomitum extorquent, et auferendis doloribus vel contusionibus corporum ultissima comprobantur. Huic recte comparatur, ejusque nomine nuncupatur ira illa vel sententia Dei, quæ super gentes illas venit, ita ut evomeret eos de terra, et quasi malis humoribus ejectis, revelato pectore liberaretur. Sic enim de illis ipse loquitur : « Omnes exsecrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam. Cavete ergo et ne vos evomat cum paria feceritis, sic evomuit gentem quæ fuit ante vos (*Levit.* XVIII *et* XX). » Recte ergo, ut dictum est, stella illa cadens, id est, sententia Dei super gentes illas veniens, dicitur absinthium, quæ talem talemque necessarium terræ illi fecit vomitum. « Et facta est tertia pars aquarum absinthium, et multi homines mortui sunt, quia amaræ factæ sunt. Facta est absinthium, id est, demonstrata est esse amarissima, nimiumque perniciosa filiis Israel eorumdem cohabitatio gentium, « et multi ex eis mortui sunt, de aquis, » id est de gentibus illis, quia amaræ factæ sunt ; » videlicet sicut prædixerat Deus ipse Israeli denuntians per Moysen : « Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, qui tibi sint in ruinam. Non ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicatæ fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis (*Exod.* XXXIV), » etc. Non enim audierunt prohibentem Dominum, sed biberunt aquas amaras multi, et mortui sunt, id est, commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.

« Et quartus angelus tuba cecinit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ut obscuraretur tertia pars eorum, diei non luceret pars tertia et noctis similiter. » Elevata est manus percutientis a tertia parte terræ, maris atque fluminum, ad solem, lunam et stellas, et percussa est tertia pars eorum, id est, a genere Cham tertia, ut jam sæpe dictum est, parte hominum sive gentium, terram amantium, semetipsos amaricantium, et semper in vitiis et peccatis defluentium, ad ipsum genus Sem, ad ipsum semen Abrahæ, ad ipsam stirpem Jacob. Nam sicut illi qui Deum non quærunt, qui cœlum non suspiciunt, propter hoc ipsum terra sunt, mare sunt, flumina sunt, sic econtra semen vel filii Abrahæ, sol sunt, luna sunt, stellæ sunt. Sol videlicet propter Christum verum

solem, semen unum eidem Abrahæ repromissum, A Luna propterea, quia ecclesia sunt. Stellæ, propter divisivam, quam habuerunt singuli superni luminis gratiam. Quod prospiciens Moyses : « Et estis, inquit, hodie sicut stellæ cœli plurimi (*Deut.* I). » Noverat quippe et scripserat Deum dixisse ad Abraham : « Suspice cœlum, et numera stellas si potes ; » moxque subjunxit, « sic erit semen tuum (*Gen.* xv). » Amplius autem ad comprobandum quod sub nominibus solis, lunæ ac stellarum, gens illa sive patres et matres, singulique filii gentis illius recte debeant intelligi, illud testimonium vel solum sufficit : « Vidi, inquit Joseph, quasi solem et lunam, et stellas undecim adorare me. » Quod cum patri suo retulisset : « Quid, inquit ille, sibi vult hoc somnium quod vidisti ? num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram ? (*Gen.* XXXVII).» Igitur « quartus angelus tuba cecinit, » id est murmuratio filiorum Israel in deserto præsente angelo qui præcedebat eos in columna nubis, nimium concitiata, usque ad aures Domini pervenit. Unde Moyses : « Accedite, inquit, coram Domino: audivit enim murmur vestrum (*Exod.* XIII). » Diu tuba illa personuit, diu aures Dei cantus illi horrisonus moleste tetigit. Quapropter permotus ipse dicebat Moysi : « Vade, descende, peccavit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti : recesserunt cito de via quam ostendisti eis (*Exod.* XVI). » Deinde tunc aures ejusdem Domini tuba illa molestissime tetigit, quando reversis exploratoribus et detrahentibus terræ quam inspexerant apud filios Israel, vociferans omnis turba flevit, et murmurati sunt contra Moysem et Aaron cuncti filii Israel, dicentes : « Utinam mortui essemus in Ægypto, et non in hac vasta solitudine. Utinam pereamus, et non introducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, et uxores et liberi nostri ducantur captivi (*Num.* XIV), » etc. Tunc profecto percussa est tertia pars solis illius, lunæ illius, stellarum illarum : « Juravit enim in ira sua, si introibunt in requiem meam (*Psal.* XCIV).» — « Vivo ego, inquit, omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci, non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum. » Ac deinceps : « Vivo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt corpora vestra, omnes qui murmurati estis a viginti annis et supra, et murmurastis contra me, **417** non intrabitis terram super quam levavi manum meam ut inhabitare vos facerem, præter Caleph filium Jephone, et Josue filium Nun (*Num.* XIV). » Notum est ex sacris historiis, quomodo disperierint, quibus adhuc pro causis disperditi sint, ita ut alios terra vivos absorberet, alios ignis egressus a Domino interficeret, alios gladius concideret (*Num.* XVI). Vita et fine suo palam fecerunt, quod et ipsi quoque de tertia parte essent. Non quidem secundum carnis progeniem de tertia parte generis humani erant, id est de genere Cham, sicut supra memorati Sodomitæ, sicut Ægyptii, sicut Chananæi, sed secundum imitationem de eadem parte erant, testante Deo, cum tali Israeli per prophetam loquitur : « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. » Amorrhæus quippe et Cethæus fuere de genere Cham, et filii Chanaan. Ergo tertia pars isti fuerunt, ut putabatur, solis, lunæ, et stellarum, id est, populi sanctorum : revera autem tertia pars, id est, ad tertiam partem pertinentes hominum sive gentium, partem Cham, partem Chanaan.

Ita factum est, ut diei non luceret hæc pars tertia, et noctis similiter. Semen illud Abrahæ sive gens Israelitica, quo respectu sol, et luna, eodem erat dies clara, et nox lucida. Dies clara, videlicet pro consanguineo sibi Christo patribus repromisso, sole æterno. Nox lucida, pro rerum temporalium eventu B bono, terræque Chanaan possessione promissa, et regno terreno multis mirabilium Dei signis illustrato. At illi infideles murmuratores, quicunque in superbia Deo detraxerunt, et ob hoc ore Dei dicti sunt multitudo pessima. Exempli gratia, cum dixit: «Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me (*Num.* XIV) ? » Neque in futura vita Christum solem, neque in præsenti vita temporalem videre meruerunt patrum hæreditatem. Itaque diei similiter et noctis pars ista, quæ putabatur diei esse et noctis lucidæ, eum potius ad illam, ut jam dictum est, tertiam partem pertineret, in qua Chanaan reputatus est, non luxit, non clarificata est, sed tenebrosam post memoriam reliquit.

« Et vidi, et audivi, vocem unius volantis aquilæ C per medium cœli, dicentis voce magna : Væ, væ, væ habitantibus in terra, de cæteris vocibus angelorum trium, qui erant tuba canituri [cantaturi]. » Aquila hæc volans et prænuntia, sacra Scriptura est. Notandum quod præcedentes quatuor percussiones nulla aquila prænuntiavit, quia videlicet Sodomitis, quod cœlesti igne vel sulphurea pluvia perdendi : Pharaoni et Ægyptiis, quod in mari Rubro perituri ; Amorrhæis, quod completis iniquitatibus suis puniendi, et a terra sua forent evomendi, nulla scriptura, nulla lex scripta comminata est aut prædixit. Tantummodo per legem naturalem judicati et damnati sunt. Similiter et murmuratores filii Israel, quorum corpora prostrata sunt in deserto, eamdem murmurationis et rebellionis suæ pœnam quam passuri essent, scriptura prædicente vel per indicium scri- D pturæ non audierant; quippe, qui et ante murmurare cœperunt, quam scriptura condita vel scripta esset lex, antequam saltem priores tabulæ decem præceptorum digito Dei scriptæ essent, quæ ipsæ factæ sunt ante scriptam legem, væ illi populo incumbebat. Verbi gratia, cum dixisset Dominus pro reatu vituli quem fecit Aaron : « Cerno quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos (*Exod.* XXXII). » Cumque non dimitteretur stante Moyse in confractione, id est, in nimia mentis humilitate in conspectu ejus, ait tandem : « Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum (*ibid*). » Lex, inquam, non-

dum scripta, aut certe recitata fuerat, et idcirco nec istud væ prænuntiasse scribitur hic volans aquila. Tria væ quæ supersunt, sancta Scriptura prænuntiavit. Primum videlicet quo filii Israel in eo passi sunt quod peccantes Domino traditi sunt in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos, et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum. Secundum quod pertulerunt in eo quod in captivitatem ducti sunt, et quatuor regnorum, scilicet Babylonii, Persici, et Macedonici, atque Romani fortitudinem imperiosam propter peccata sua miserabiliter sustinuerunt, quorum quartum, scilicet Romanum imperium bestia terribilis atque mirabilis et fortis nimis, et dentes ferreos habens magnos, comedit eos atque comminuit, et reliqua pedibus suis conculcavit (*Dan.* VII). Tertium erat væ, ultimum judicium, quando tam ipsi, quibus scripta est lex, quam et omnes gentes condigna recipient, qui videlicet « quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur (*Rom.* II). » Hæc, inquam, tria priusquam fierent, Deus per suam scripturam enuntiare voluit, et idcirco recte per volantem aquilam hic tertio pronuntiatur væ, « de cæteris vocibus trium angelorum qui erant tuba canituri. » Et quibus vel qualibus væ? Habitantibus, inquit, in terra, id est eis quos omnino ne sursum aspiciant, detrahit terra, detinet affectio terrena. Et recte sancta Scriptura volanti aquilæ assimilatur; aquilæ, inquam, volanti per medium cœlum, quia videlicet tota ejus intentio sursum tendit, et terrena despicit, soli justitiæ, qui est Christus, claros et apertos oculos infigens, et per publicum, utpote irreprehensibilis et honesta, tota cum libertate procedens.

[CAP. IX.] Et quintus angelus tuba cecinit, et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, et data est illi clavis putei abyssi, et aperuit puteum abyssi, et cætera usque « væ unum abiit. » Hac unum væ magnum et prolixum, magna et multa breviter et mirabiliter replicat, mala variæ servitutis filiorum Abrahæ ludibria, quod scilicet post mortem Josue peccaverunt Domino servientes Baalim, et Astaroth, et hoc tradidit eos in manus Chusanrasathaim regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis; quod iterum fecerunt malum in conspectu Domini, et ob hoc confortavit adversus eos Eglon regem Moab, servieruntque ei decem et octo annis (*Judic.* III); quod rursus addiderunt facere malum, et tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Chanaan, qui et vehementer oppressit eos per viginti annos (*Judic.* IV): quod inde fecerunt malum, et idcirco tradidit eos in manus Madian septem annis (*Judic.* VI); quod iterum dimiserunt Dominum, et non colebant eum, et idcirco iratus tradidit eos in manus Philistiim et filiorum Amon (*Judic.* X). Postquam ab illis longe duello contusi tandem per virtutem victoriosi regis David ita sunt liberati, ut humiliaret Philistæos, et cætera gentes in circuitu, sicut scriptum est: « Et tulit David frenum tributi de manu Philistinorum, et percussit Moab (II *Reg.* XII) et cætera, eo processit iniquitas ipsorum, ut scinderentur decem tribus a domo David et templo Domini, vitulos aureos sibi fabricantes, primi hæretici, et universæ exemplum hæreticæ perversitatis (III *Reg.* XII). Nunc jam litteræ ordinem prosequamur: « Et quintus, inquit, angelus tuba cecinit, et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram. » Tunc profecto ille quintus angelus tuba cecinit, quando impleta est veritas Dei, quæ dixerat Moysi: « Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus **418** iste consurgens fornicabitur post Deos alienos in terra ad quam ingredietur, ut habitet in ea. Ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus quod pepigi cum eo (*Deut.* XXXI). » Item: « Ego enim, inquit Moyses, scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, et ingrediente vobiscum semper contentiose egistis contra Dominum, quanto magis cum mortuus fuero. » Ac deinceps: « Novi enim quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito a via quam præcepi vobis (*ibid.*) » Tunc, inquam, » quintus angelus tuba cecinit, » quando nuntiatum est omnia scienti Deo quod post deos alienos fornicaretur Israel. « Et vidi, inquit, stellam de cœlo cecidisse in terram. » Stella ista, quæ de cœlo cecidit, diabolus est, cui propheta dicit: « Quomodo de cœlo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris (*Isa.* XIX). » Et notandum quod hujusmodi stellam non dixit: Vidi cadere, sed vidi cecidisse. Jamdudum quippe ceciderat et per terram repebat, quando hæc fieri cœperunt, quæ præsenti loco ista visio mystica replicat. Quando ille cecidit, nullus hominum erat qui videret, præter illum qui in Evangelio suo loquitur, dicens: « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X). » Qui enim hæc dicit homo Christus, prius erat Deus, quam homo fieret, prius quam angelus ille, stella illa, sive lucifer ille caderet, imo priusquam angelus aut creatura aliqua fieret. Bene ergo non ait: vidi cadere, sed vidi cecidisse. « Et data est ei clavis putei abyssi, et aperuit puteum abyssi. Et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ. » Summam breviter mystica significatione tangit causæ vel originis, quæ idololatriæ vel omnis hæreseos initium fuerit. Nam « data est illi clavis putei abyssi, » id est, permissa est potestas sive facultas angelo illi, qui in veritate non stetit, omnis mendaci fundamentum nullum habentis, nec enim alicui rei innititur existenti. Idcirco bene mendacium quod loquitur ex propriis, et cujus pater est (*Joan.* VIII), puteus dicitur abyssi, videlicet infinitæ profunditatis: quia, sicut jam dictum est, rerum existentium fundamentum non habet, nihilque ei subest, loquitur enim quod non est. Hunc talem puteum abyssi aperuit miseris loquens hominibus, et dicens, se Deum esse, suadensque sese in simulacris pro Deo colendum. « Et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ. » Ascendit, inquam, videlicet etiam usque ad sapientes sæculi, quos obscuravit. De quibus et Apostolus dicit:

Sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I), » etc. Et tunc fumus putei, qui sicut fumus dicitur fornacis magnæ, quia videlicet sicut fumus non nisi ex subjacente igne fit, sic non nisi ex præcedente causa cupiditatis sive concupiscentiæ nascitur cæcitas mentis, sive obscuratio cordis insipientis. « Et obscuratus est sol et aer de fumo putei. » Ad id perventum est, propter quod et casum stellæ, et apertionem præmiserat putei abyssi fumantis. Sol namque et aer ille, ut supra jam dictum est, erat Israel. Sol propter patres vel patrum fidem, ex quibus Christus sol justitiæ secundum carnem ; aer vero propter susceptam exinde ejusdem fidei illuminationem. Hic post mortem Josue obscuratus est, ut dimitteret Dominum Deum patrum suorum, et sequeretur deos alienos, deosque populorum qui in circuitu habitabant (*Judic.* II). Suscitavit illis judices Dominus, qui liberarent eos de vastantium manibus. Sed nec illos audire voluerunt fornicantes cum diis alienis, et adorantes eos. Sol ergo et aer de fumo putei obscuratus est. Quid deinde?

« Et de fumo exierunt locustæ in terram. » Locustæ de fumo exierunt, quia videlicet propter fumum erroris et stultitiæ quæ obscurati sunt, hostes illis suscitati judicio divino emerserunt Mesopotamii et Moabitæ, Chinanæi et Madianitæ, simulque Amalecitæ, Philisthiim, et filii Amon. Dicit enim de illis quodam loco Scriptura sic : « Ipsi enim, et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes (*Judic.* VI). Non utique vane aut sine pondere instar locustarum dixit ; sed qui revera multitudines ejusmodi ad malum exsultantes, levitate animi et corporis, tanquam totidem locustas salientes intuetur et irridet is qui habitat in cœlis, providens illis cito futurum quod per quemdam Sapientia ejus dicit : « Florebit amygdalus, et impinguabitur locusta (*Eccl.* XII). » Quod idem est ac si dicat : Qui nunc viridis et rectus incedit, et tanquam locusta salit, canescet, et curvus vix incedere incipiet, habensque crura tumentia, nequaquam ut nunc levis et gesticulosus in saltum sese excutiet ; locusta namque impinguatur, dum transacta levi juventute crura tumescunt, ut fieri solet senibus. « Locustæ ergo exierunt, » id est, hostes Israeli propter peccata multiplicati sunt. « Et data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones terræ. » Scorpio vermis potius quam animal, aut serpens armartus aculeo, et ex eo Græce vocatur, quod cauda figat et arcuato vulnere venena diffundat, idcirco dixit, « scorpiones terræ, » quia scorpio vermis terrenus est, ore vel capite innoxio præblandiens, et tunc demum cauda conversa incautum feriens. Hujusmodi potestas locustis illis data est, ut videlicet cum Israel ad illecebras lege Dei prohibitas per mulierum lenocinia provocassent

A et transgressores factos auxilio Dei nudassent, tunc demum adversus eos armis consurgerent. Hoc primus Balac filius Sephor rex Moab facere didicit, per Balaam ariolum dicentem sibi : « Verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium quid populus tuus populo huic faciat (*Num.* XXIV). » Illo namque ejus consilio factum est, ut fornicaretur populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua (*Num.* XXV). Unde postmodum facta ultione, iratus Moyses principibus ait : « Cur feminas reservatis ? Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt in Domino, super peccato Phegor, unde et percussus est populus ? » (*Num.* XXXI). Hoc ergo primum per Balaam facere didicerunt, scorpiones Madianitæ sive

B Moabitæ, et post hæc etiam gentes aliæ. Sic enim scriptum est post mortem Josue : « Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, et Ethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas eorum filiis tradiderunt, et servierunt diis eorum (*Judic.* III). » In hoc facto, nimirum scorpiones quasi blandum caput porrexerunt, sed continuo cauda percusserunt. Consequenter enim, victores illorum, quibus Deus iratus erat, effecti, vehementer illos afflixerunt. « Et præceptum est illis, ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Perspicue ostendit, quia non per proprietatem, sed per similitudinem locustas de fumo illo exisse dicit, dum quod locustarum est fa-

C cere, hoc illis interdictum esse scribit. Locustarum namque est lædere fenum terræ, et omne viride, omnemque arborem, quemadmodum inter plagas Ægypti scriptum est : « Devorata est

419 igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat, nihilque omnino virens relictum est in lignis et herbis terræ in cuncta Ægypto (*Exod.* X). » Istis autem, ne quid talium, sed tantum homines læderent, quia videlicet et ipsi homines erant, qui hic locusta dicti sunt. Attamen futurum erat, ut hostes ejusdem populi peccatis exigentibus, non solum homines, sed et fenum, et omne viride, et omnem arborem, imo universam terram eorum læderent, et civitates igni succenderent, sed nondum erat tempus. Postmo-

D dum ubi tuba cecinit sextus angelus, hoc factum esse memorabimus. Nam ubi quintus iste angelus tuba cecinit ita plaga temperata est, ut læderentur et in servitutem redigerentur tantum homines. Et quidem tunc temporis « cum sævisset Israel, ait Scriptura, ascendebat Madian et Amalec, et cæteri orientalium nationum, instar locustarum universa complentes, sicut erant in herbis cuncta vastabant, nihilque omnino ad vitam pertinens, relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos (*Judic.* VI) ; » sed illa læsio comparatione ejus, de qua post hæc dicendum est, ubi Babylonio igne cuncta cremata sunt, nec læsio reputanda est. Quod tandem ait de

hominibus, qui lædendi essent, distinctionem faciens, qui non habent signum Dei in frontibus suis, idem est ac si diceretur : qui dereliquerunt legem Dei sui, qui a fide patris sui Abrahæ sunt alienati. Nam quod modo signum Dei, signum crucis Jesu Christi pingimus Christiani in frontibus nostris, hoc suo more secundum tempus facere fuerant jussi, ut videlicet in carne sua circumcisi, postes et superliminaria domorum suarum signarent sanguine agni (*Exod.* XII) ; at illi hoc facere contemnebant, servientes diis alienis. Erant igitur homines non habentes signum Dei in frontibus suis, non habentes fidem in cordibus suis.

« Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarentur mensibus quippe. » Et hoc futurum erat, ut occiderentur, sive caderent in ore gladii, sed nondum tempus erat, nondum hoc datum est illis locustis. Sed quid ? « Ut cruciarentur, inquit, mensibus quinque. » Menses quinque, quibus cruciati sunt, mutationes servitutis fuerunt quinque, quibus hostibus suis sunt traditi, et servierunt illis, quas hoc ordine Scriptura digessit. Primo tradidit eos Dominus in manus Chusanrasathæim regis Mesopotamiæ, servieruntque octo annis. Secundo confortavit adversum eos Eglon regem Moab, et copulavit ei filios Amon, et Amalec, servieruntque decem et octo annis (*Judic.* III). » Tertio tradidit eos in manus Jabin regis Chanaan, qui et oppressit eos viginti annis (*Judic.* IV). Quarto « tradidit eos in manus Madian septem annis, et oppressi sunt valde ab eis (*Judic.* VI). » Quinto tradidit eos in manus Philisthiim, a quibus et variis sunt afflictionibus contusi (*Judic.* X), donec ventum est ad David, qui « et tulit, inquit Scriptura, de manu Philistinorum frenum tributi (*II Reg.* VIII). » Quæ deinde Israel mala propter peccata sua pertulit, ad tempore Babyloniæ captivitatis, ad cantum pertinet tubæ sexti angeli. Quinque ergo mensibus cruciati sunt, quia quinquies in servitutem traditi sunt. Quare autem mensium potius quam annorum nomine vel numero illa servitutis tempora designantur ? videlicet quia in mensibus secundum lunam, quos solos Hebræi, de quibus sermo est, noverunt vel computant, mutabilitas crementi vel decrementi est, quæ et stultorum mutabilitatem significat dicente Scriptura ; « Stultus ut luna mutatur (*Eccli.* XXVII). » An non illi ut luna mutabantur, ut merito stultitiæ arguerentur. Sic enim de illis scriptum est : « Cumque Dominus judices suscitaret in diebus eorum reflectebatur misericordia, et audivit afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium (*Judic.* II) ; » postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, et multa majora faciebant quam patres eorum, sequentes deos alienos, et servientes eis, et adorantes eos. Quod ergo dictum est, sed ut cruciarentur mensibus quinque, idem est ac si diceretur ; sed ut quinquies in stultitiam mutati, in servitutem redigerentur per vices quinque. « Et cruciatus eorum ut cruciatus, scorpii, cum percutit hominem. » Hoc idem est quod supra dicit : et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. » Nam sicut scorpius prius capite blanditur, et post cauda feriens, mortifera venena diffundit, sic illi prius ad illecebras sacrificiorum, et ad connubia provocabant eos filiarum suarum, ut Deus offenderetur, et tunc demum adversus inermes, et quasi nudos armati consurgebant, cum auxilio deesset Deus, quo veluti armis et scuto protegebantur. Sed idcirco de scorpionum et locustarum similitudine nunc repetit, quia plura est inde dicturus.

« Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam. Et cupient mori, et fugiet mors ab ipsis. » Hæc dicta recte accipias, tanquam supradictæ aquilæ volantis, et dicentis : « Væ, væ, væ, de tribus angelis qui erant tuba canituri (*Apoc.* VIII), » quorum istud væ primum est. Tanquam dicat : Væ istud tantum erit, ut « quærant homines mortem, et non inveniant eam ; ut cupiam mori, e fugiat mors ab eis, » id est, ut mors illis vita charior sit, ut miseriam longam compendio finire velint. Quare ? videlicet iram talem jam tunc cœperunt thesaurizare sibi, quando frustra mortem optaverunt sibi, nulla existente causa, cum nihil noceret eis. Dixerunt enim : « Utinam mortui essemus in Ægypto, et non in hac vasta solitudine. Utinam pereamus et non introducat nos Dominus in terram istam, et non cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi (*Num.* XIV). » Tunc cupierunt mori, ut sonabat lingua præ nimio rancore et amaritudine impatientis animi, fiet illis succrescentibus peccatis, ut pro re optent mori, et fugiet mors ab eis, præceptum servantibus locustis, ut non occidant, sed crucient eos mensibus quinque. « Et similitudinem locustarum similes equis paratis in prælium. » Quid magis dissimile secundum rem vel naturam, quam equi et locustæ ? Quid tam impar et inæquale ? Ergo aut locustæ in equorum magnitudinem creverunt, aut quod mirabilius est, isti homines ita minuti sunt, ut locustæ, comparatione ipsorum, magnitudinem habere viderentur equorum. Nimirum hoc, quod posterius dixi factum esse constat judicio Dei, non decremento vel diminutione corporum, sed defectu animarum. Qui enim pro vita contemptibili locustæ erant in oculis Domini, locustæ ut erant permanserunt, scilicet, lascivientes Chananæorum populi ; qui autem homines esse debuerant, imminuti sunt merito, et quodammodo locustæ locustarum effecti timentes eos, quibus debuerant esse timori. Reddebat enim illis vicem judex, quia videlicet filii erant patrum detractorum et murmuratorum, eorum peccata sequentes ; qui detraxerant eidem terræ dicentes : « Populus quem aspeximus proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere gigantum, quibus comparati, quasi locustæ videbamur (*Num.* XIII). » Ergo quasi prosecutione, tunc illis dixit Deus : « Sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis, in solitudine hac jacerunt cadavera vestra (*Num*

vivi, [illegible] nihilominus posteris eorum hæc aquila volans, et væ pronuntians pene 120 loquitur et dicit : Sicut locuti estis, sic fiet vobis. Locustæ illæ comparatione vestri similes erunt equis, vos comparati illis locustæ videbimini. Item : Sicut locuti estis, utinam mortui essemus, utinam pereamus, sic fiet vobis. Quæretis mortem, et non invenietis ; cupietis mori, et mors fugiet a vobis. Sed nec illud vacat quod cum dixisset, « similes equis, » addidit, « paratis in prælium, » videlicet magnam exprimit illarum confidentiam locustarum, magnam vim animorum hostilium, ut ultro veniant ad prælium, et eos armis, quærant, quos prius fugerunt. Quod evenisse patenter historiæ referunt. « Et super capita eorum tanquam coronæ similes auro. » Reges vel principes gentium illarum, qui per capita recte intelliguntur, tanquam coronati, et non vere coronati victoriis fuerunt, quia videlicet non sua virtute illi vicerunt, sed pro peccatis suis isti homines victi sunt. Ipsæ quoque coronæ non veraciter aureæ, sed similes auro dicuntur, quia nimirum falsum erat, quidquid de victoria tanquam sapientes et fortes gloriabantur. Non enim virtutis eorum aurum erat quod prævalebant, sed divinæ dispensationis examen, quo Israel exercebatur ad suimet experientiam. Nam et hoc præmonstrat Scriptura : « Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et omnes qui noverant bella Chananæorum, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus et habere consuetudinem præliandi (*Judic.* III). »

« Et facies earum sicut facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, et dentes eorum sicut leonum erant, et habebant loricas, sicut loricas ferreas. » Cuncta hæc in diminutionem filiorum Israel accipi possunt quasdam quasi magnitudines illarum efferendo locustarum ; ut, sicut jam dictum est, ipsi potius comparati illis, quasi locustæ viderentur. Distincte tamen in facie humana simulatio rationis ; in capillis mulierum fluxi et effeminati mores ; in dentibus leonum, qui et laniare, et naturalem solent afferre putorem, mentis ferocitas; in loricis ferreis, omnis armatura bellica recte intelligitur : quæ tanta illis erat, ut falcatis quoque curribus abundarent. Nam et hoc de rege Chanaan scriptum est, quia nongentos habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppressit eos (*Judic.* IV). » Et vox alarum earum sicut vox equorum currentium in bellum. » Vox alarum, exaltatio est superbiæ locustarum talium, quarum et audivimus vocem, exempli gratia, in primo libro Regum sibimetipsis dicentium : « Confortamini, et estote viri Philisthiim, ne serviatis Hebræis, sicut illi servierunt vobis, confortamini, et bellate (*I Reg.* IV). » Nempe hoc dicere, confortamini, et bellate, vox erat quasi currentium equorum multorum currentium in bellum. « Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum, potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. » Hoc

A jam tertio locustæ illæ, scilicet hostes Israel scorpionibus similes demonstrati sunt, id est, facie velut innocui, sed in posterioribus venena servantes. Cur hoc? Videlicet quia tertio leguntur filii Israel decepti fuisse per gentium illarum mulieres, quatenus offenso Deo in conspectu hostium caderent, velut arma sua non habentes. Primo ubi scriptum est, quod supra meminimus, quia vocaverunt eos filii Moab ad sacrificia sua. « Et fornicatus est, inquit Scriptura, populus cum filiabus Moab, et adoraverunt deos earum, initiatusque est Israel Beelphegor (*Num.* XXIII). » Secundo, ubi post mortem Josue scriptum est : « Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, et Ethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Evæi, et Jebusæi, et duxerunt uxores filias eorum (*Judic.* I), » etc.

B Tertio ubi de Salomone scriptum est, « quia amavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Cethæas, et depravatum est per mulieres cor ejus, et iratus est Dominus (*III Reg.* XI). » Et primo quidem gravis fuit ira Domini dicentis: « Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, et occidat, inquit, unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor (*Num.* XXIII). » Secundo autem gravior, « quia tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos (*Psal.* CV). » Tertio vero gravissima, quia scissa est gens una, et unum regnum in duo regna et ipsa schismata irreparabilia sunt, hostibus postmodum data (*III Reg.* XII). « Venit enim

C rex Assyriorum, et transtulit Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala, et in Habor fluvios Gozan, in civitatibus Medorum (*IV Reg.* XVII). » Verum illa translatio Israel in Assyrios, sicut et traductio Judæ in Babylonem, ad cantum pertinet tubæ sexti angeli, de quo postmodum dicendum est. Sequitur ergo repetens quod jam dixerat : « Potestas eorum nocere hominibus mensibus quinque, » id est servituti eos subjicere per vices quinque. « Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollion, et Latine habet nomen Exterminans. « Angelus iste abyssi, manifeste contrarius est Angelo magni consilii, rex contrarius regi, rex filiorum superbiæ adversus vel oppositus regi filiorum sapientiæ. Nam et Scriptura nominis hujus, et Scriptura nominis illius Hebraice,

D Græce et Latine deposita, illum malum, istum bonum gentibus omnibus agnoscendum prædicat. Hebraice namque, Græce et Latine scimus scriptum « Jesus Nazarenus rex Judæorum (*Joan.* XII). » Ille Hebraice Jesus, Græce Soter, Latine Salvator. Hic autem ut nunc in præsenti habemus, Hebraice Abaddon, Græce Apollion, Latine Exterminator. Agnoscendus, inquam, erat iste Exterminator illis quibus agnitus ille Salvator, ut dum scitur, quam novus sit iste Exterminator, melius sciatur, quam vere, quam recte is qui ab isto salva, vocetur Salvator. Porro nomen Exterminatoris prius auctoritas divina in veteri Scriptura pone expressit cum

dicit : « Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios ; cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium, et non sinet percussorem ingredi domos vestras, et lædere (*Exod* XII). » Unus idemque angelus rex abyssi, Exterminator sive percussor et illic nonnisi in domibus quæ sanguinem non habebant in superliminari et utroque poste, permissus est quemquam lædere, et hic præceptum habet cum suis locustis, nonnisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis, cruciare.

« Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ. Et sextus angelus tuba cecinit, et audivi vocem unam ex cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, dicentem sexto angelo qui habebat tubam: Solve quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. » Sextus angelus tuba diu cecinerat, quando super Jerusalem et Judam Dominus locutus est : « Ecce ego adduco mala super locum istum, et super habitatores ejus, cunctaque maledicta, quæ scripta sunt in libro hoc, quem legerunt coram rege Juda, quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus manuum suarum. Idcirco stillabit furor meus super locum istum, et non exstinguetur (*II Par.* XXXIV). » Quid enim iniquitatis, quid clamoris, de gente illa, de regibus, principibus et sacerdotibus gentis illius, unde judicium et justitiam exspectaverat **421** Dominus, non audierat? Prophetas ejus occiderant, altaria ejus suffoderant, et sanguine innocentium impleverant Jerusalem usque ad os. Sculptile quoque et conflatile signum posuerant in domo Domini. De qua locutus est Dominus ad David et ad Salomonem filium ejus, dicens (*III Reg.* XIX) : « In domo hac et in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum (*II Par.* XXXIII). » Nimirum propter peccata ejusmodi adduxit super eos Dominus regem Chaldæorum, et interfecit juvenes eorum gladio in domo Sanctuarii (*II Par.* XXXVI). Non est misertus adolescentis, et virginis, et senis, nec decrepiti quidem sed omnes tradidit manibus ejus, et incenderunt hostes domum Domini, destruxerunt murum Jerusalem, universas turres combusserunt, et quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt. Si quis evaserat gladium ductus in Babylonem servivit regi, et filiis ejus. Post hoc secundum sustinuerunt, licet mitius sibi regnum Persarum, deinde jugum tertii regni Græcorum, propter perseverantium multitudinem peccatorum. Sub quarto tandem regno Romanorum impleverunt mensuram patrum suorum, occidendo Christum Dei Filium, ut veniret super eos vel super generationem illam omnis sanguis justus, qui effusus est super terram (*Matth.* XXIII). Ait ergo : « Et audivi vocem unam ex cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Domini, dicentem sexto angelo qui habebat tubam : Solve quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. » Vox ista quam audivit, quatuor angelos solvere jubentis, permissio

A judiciumque fuit malum, id est, afflictionem hominibus propter peccata ipsorum juste creantis et adducentis, quemadmodum in Isaia dicit : « Ego Dominus faciens pacem, et creans malum (*Isa.* XLV). » Porro altare hoc aureum, ipsum est, de quo supra habemus, quia « venit Angelus, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua (*Apoc.* VIII), » et cætera. Et hoc altare jam superius fidem Christi fuisse diximus, fundatam in sanctorum Patrum cordibus, ex quo primum ad Abraham Deus locutus est, « in semine tuo, inquiens, benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Quid igitur sunt cornua altaris, nisi patriarchæ et prophetæ, regesque et duces, sive judices illius populi, principes ejusdem fidei, quam et cecinerunt scriptis, præsignaverunt factis mysticis ?

B Et quidem unum est cornu maximum hujus altaris, de quo Psalmista : « Constituite, inquit, diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris (*Psal.* CXVII), » id est, vacate a servilibus operibus peccati, in multiplicitate virtutum intenti usque ad cognitionem divinitatis Christi ; sed nihilominus sic multa sunt cornua altaris, sicut multi participes ejusdem Christi, de quibus et alibi Psalmista dicit : « Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ pro consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » Quomodo ex hujusmodi cornibus altaris audita est vox dicentis, « solve quatuor angelos ? » Prophetico modo, concessivo modo : Nam et præscientes prædixerunt, et consentientes divinæ justitiæ concesserunt, quatenus quatuor regna, quæ consurgere haberent, de terra solverentur, id est

C nullis obstaculis sanctorum angelorum, et præcipue Michaelis principis cohiberentur, quin populum Judæorum, cujus erat princeps, captivarent, occiderent, in servitutem redigerent, et in omnes gentes dispergerent. Exempli gratia : Jeremias in semetipso considerans peccata populi prophetas persequentis, et multos ex eis interficientis, ipsumque Christum interfecturi : « Et tu, inquit, Domine exercituum probator justi, qui vides renes eorum, videam, quæso, ultionem tuam ex eis, tibi enim revelavi causam meam (*Jer.* XI). » Daniel eadem quatuor regna sub imaginibus quatuor bestiarum prævidens sic exprimit : « Prima quasi leæna, hæc est regnum Babyloniorum. Sequens similis urso, hæc est regnum Persarum et Medorum. Tertia quasi pardus, hæc est regnum Græcorum. Quarta sine nomine, terribilis

D atque mirabilis, fortis nimis, hæc est regnum Romanorum (*Dan.* VII). » Plerique scriptores Persarum et Medorum regnum prætereuntes, sive cum regno Babyloniorum pro uno computantes, Africanum, cujus caput Carthago exstitit, tertio loco ponunt. Principio, inquiunt, fuit Babylonium, deinde Macedonicum, post etiam Afrinum, atque in fine Romanum, quod usque nunc manet. Ita fuerunt ineffabili ordinatione per quatuor mundi cardines, quatuor regnorum principatus distinctis gradibus eminentes, ut Babylum regnum ab oriente, Romanum ab occidende, a meridie Carthaginense, a septentrione Macedonicum. Verum hujusmodi computatio

vel agere Scripturæ non pertinuit in tali negotio A cum de regnis ageret, vel agere deberet, tantum his quæ gentem Hebræorum propter peccata sibi permissam diversis temporibus afflixerunt. Nam quod in Daniele de bestia, quæ similis erat urso, et in parte stetit, et sic dicebant ei, « surge, comede carnes plurimas, » notum est quod regnum Persarum et Medorum significaverit (*Dan.* VII). Quodque dicitur in parte una stetisse, idem est ac si dicatur, regnum illud adversum Israel nihil crudele gessisse. Item quod dicebant ei, « surge, comede carnes plurimas, » illud tempus significat, quando sub Assuero ad suggestionem Aman Agagitæ, una die omnes Judæi jussi sunt trucidari (*Esther.* III). Et pulchre non ait devorabit eos, sed sic dicebant ei, ut conatus tantum fuerit, et nequaquam rei exitus consecutus. B Ut autem pro regnis angeli scriberentur, dicendo, « solve quatuor angelos, » illa causa est quia angelis regna credita sunt, et in eodem propheta principes regnorum scribuntur. Ait enim Danieli angelus, qui venerat propter sermones ejus : « Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus. Et ecce Michael unus de principibus primus venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum (*Dan.* X). » Restitit enim princeps, id est, angelus Persarum faciens pro credita sibi provincia, ne captivorum omnis populus dimitteretur. Resistente autem Persarum angelo, venit mihi, inquit, in adjutorium is qui præest populo Israel, videlicet princeps sive archangelus Michael. Postmodum dicit : « Et nunc revertar, ut prælier adversum principem Persarum. Cum ergo egrederer, C apparuit princeps Græcorum veniens (*ibid.*). » Apparuit, id est, ingressus est in conspectu Dei, scilicet ut accusaret Persarum principem atque Medorum, ut in locum eorum regnum Macedonum succederet. Et revera mira sacramenta Dei, laxato enim de captivitate populo Judæorum, Persarum regnum atque Medorum, interfecto Dario, subvertit Alexander rex Macedonum, et princeps Græcorum vicit principem Persarum. Igitur quod ait angelo, qui habebat thuribulum, « solve quatuor angelos qui alligati sunt, » idem est, ac si dicat, omnia cornua altaris, id est sancti patres, sancti principes vel prophetæ illius gentis, quondam Deum verum secundum fidem paternam colentes. Ne resistas quatuor regnis, ne offeras incensa orationum contra illa pro Judæis, ne D impedias orando quin veniant et prævaleant contra eos et adducant captivos. Alligati fuisse dicuntur in flumine magno Euphrate, id est, hactenus non permissi terminos Israel introire. Nam flumen Euphrates recte ponitur pro cunctis terminis Israel, idcirco videlicet, quia secundum auctoritatem Scripturæ, hic fluvius **422** unus de terminis illius est. Sic enim ad eos a Domino dictum est : « A deserto et Libano usque ad flumen magnum Euphratem, erit terminus vester (*Josue*, I). » Quando ergo primum transierunt Assyrii sive Chaldæi flumen magnum Euphraten, et ab ipsis transductus est in captivitatem populus

Israel sive Juda, tunc angeli illi solvebantur, ne alligati tenerentur in illo magno flumine Euphrate. Loquente tunc temporis Domino ad Jeremiam : « Vade et posside tibi lumbare sive cinctorium lineum, et pones illud super lumbos tuos. » Ac deinceps : « Tolle, inquit, lumbare sive cinctorium quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, et surgens vade ad Euphraten, et absconde illud in foramine petræ. » Et abiit Jeremias, et fecit sic. « Et post dies plurimos dixit iterum Dominus ? Surge, vade ad Euphraten, et tolle inde lumbare quod præcepi tibi ut absconderes ibi. Et abii, inquit, ad Euphraten et fodi, et tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud, et ecce computruerat, ita ut nullo usui aptum esset. Et factum est verbum Domini ad me dicens : Sic computrescere faciam superbiam Juda, et superbiam Jerusalem multam, et populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Juda (*Jer.* XIII), » et cætera. Denique lumbare sive cinctorium, quod Dei renibus jungebatur, populus Israel erat, qui in lini similitudinem assumptus de terra, et illotus, nec mollitudinem habuit, nec candorem, et tamen per illius misericordiam adhæsit Deo. Cumque peccasset (rationale quippe est hujuscemodi linum atque lumbare) ductus est trans Euphraten, et in Assyrios, et ibi absconditus est, hoc est, in multitudine magnarum et innumerabilium gentium quodammodo absorptus et nihil reputatus. Post longum autem tempus ipse propheta in typum Dei populum liberat de captivitate, qui nihilominus et post reditum præcepta Dei non fecit, sed secutus deos alienos, ad extremum et manus in Dei Filium misit, et sic æterna perditione contabuit, quomodo lumbare illud computruit et nulli erat aptum usui. Hæc idcirco de propheta præsenti loco sumpta sint, ut non dubium vel ignotum sit, quomodo vel in quo Angeli illi in flumine magno Euphrate alligati fuerint. Videlicet quandiu lumbare illud Dei renibus adhæsit, eodem lumbari sive cinctorio tenebantur astricti ; quando autem jubente Domino Jeremias illud in Euphrate abscondit, illi sunt soluti, quod est dicere : Quandiu populus Israel sive Juda legem Dei sui custodivit, regna illa non laceraverunt eos, neque captivaverunt eos Assyrii sive Chaldæi ; quando autem deos alienos coluerunt et servierunt Baal, imo et prophetas occiderunt, illi permittente Deo transierunt Euphraten, et traduxerunt eos in captivitatem (*IV Reg.* XXI). Quis enim sapiens, absque Dei ordinatione putet illud accidisse, sive ab alio, quam a Deo angelos ejusmodi solutos fuisse ? Denique omnem potestatem a Deo esse, omnemque ordinationem, et qui non legerunt sentiunt, et qui legerunt agnoscunt. Quod si potestates a Deo sunt, testante quoque Apostolo cum dicit : « Non est enim potestas nisi a Deo (*Rom.* XIII) ; » quanto magis regna, a quibus reliquæ potestates progrediuntur ? Si autem regna diversa, quanto magis regnum aliquod maximum, cui reli-

quorum regnorum potestas universa subjicitur, qualia nimirum ista fuere, unumquodque suo tempore? Sequitur ergo :

« Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati sunt in horam, et diem, et mensem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum. » Quis dinumerare posset occisiones sive strages hominum, quas regna illa per totum mundum surgendo et cadendo fecerunt? Quare autem hoc fieri est permissum, nisi propter peccata hominum? Peccatores enim et impii erant, omnesque in maligno positi, ad nihil aliud nisi occidi vel occidere parati et intenti (*I Joan.* v). Recte ergo dicuntur tertia pars hominum, id est omnes reprobi, qualis fuit Cham tertius post diluvium pater hominum. Sed ad ea magis respiciendum est, quæ ad præsens pertinent negotium, videlicet quæ in gentem Judæorum mala fecerunt, Deo judice, propter peccata ipsorum. « Qui parati sunt, inquit, in horam, diem, et mensem, et annum. » Cum hac distinctione quadripartita rememorandum est id quod supra dixit in cantu tubæ quinti angeli : « Et dictum est illis, inquit, ne occiderent eos, sed ut cruciarentur mensibus quinque. » Cruciatus illos mensium quinque, monstravimus fuisse servitutes quinque, quibus servierunt. Primo videlicet regi Mesopotamiæ, secundo regi Moab, tertio Chanaan, quarto Madian, quinto Philisthiim. Hoc ergo rememorantes, sicut per menses servitutes illas, sic per horam, et diem, et mensem, et annum, captivitates sive servitutes intelligimus, quas perpessi sunt sub istorum dominatione regnorum, ita distantes diuturnitate, vel quantitate temporum, sicut palam est diversarum esse quantitatum « horam, et diem, et mensem, et annum. » Videlicet per horam illos intelligimus septuaginta annos, qui a transmigratione Babylonis usque ad annum primum Darii filii Assueri de semine Medorum computantur, qui subvertit regnum Chaldæorum. Per diem ducentos et triginta annos regni Persarum, scilicet usque ad initium regni Macedonum. Per mensem trecentos annos regni Macedonum, videlicet, usque ad imperium Romanorum. Per annum Romani imperii diuturnitatem sub quo Judæi non utcunque captivi, sicut prius, sed miserabiliter comminuti atque conculcati, et qui mortibus superfuerunt, venditi in omnes gentes dispersi sunt ei quasi toto anno, id est, usque ad finem sæculi sic dispersi permanebunt. Quomodo vel ad quid tali hora, tali die, tali mense et tali anno parati fuerunt? videlicet ad rapiendam permissionem sive opportunitatem male agendi, sicut servi nequam parati steterunt, et sicut flagella Dei in malum suum pro hujusmodi apparatu servorum malorum Dominus Deus Assur virgam et furoris sui baculum, ipsumque Nabuchodonosor, qui ad captivandum Judæos primus affuit, primusque servivit, vocat servum suum : « Væ, inquit, Assur : Virga furoris mei, et baculus ipse est, in manu ejus indignatio mea (*Isa.* x). » Item : « Ecce ergo mittam et assumam omnes cognationes Aquilonis, ait Dominus,

A et Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum, et adducam eas super terram istam et super habitatores ejus (*Jer.* xxv). » Quid mercedis pro hoc servitio acceperit, postmodum claret dicente ipso, cui servierat : « Cumque impleti fuerint anni septuaginta, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum (*ibid.*), » et cætera. De cæteris quoque regnis idem sentiendum, quia singula post concessa mali servitii tempora, mala sibi præmia receperunt. Notandum et hic, quia Judæos reputat in genere Cham, qui vel cujus genus, ut sæpe dictum est, post diluvium legitur esse tertia pars hominum, quia non nisi tres filii Noe fuerunt, qui cum illo arcam egressi sunt (*Gen.* viii) Quomodo Judæos in illo reputat ?
B videlicet dicendo, ut occiderent tertiam partem hominum. Et recte : Nam sub eodem tempore, quo sic occidi et captivari merebantur, propheta quasi rationem reddens, cur ita futurum esset, hoc genti illi improperabat: « Pater tuus **123** Amorrhæus et mater tua Cethæa (*Ezech.* xvi. » Et cui dubium, quia Cethæus et Amorrhæus non de Sem, sed de semine Cham pullulaverunt ? Sequitur :

« Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia audivi numerum eorum. « Non abs re numerus equestris exercitus scribitur, quia videlicet in equis et equitibus superbia regnorum illorum plurimum gloriabatur. Unde contra Ezechiam clamante Rabsace, rex magnus rex Assyriorum dicit imium gloriabundus : « Sed nunc trade te domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia equo-
C rum, ner poteris ex te præbere ascensores eorum (*Isa.* xxxvi). » Porro quod dicit, « vicies millies dena millia, » idem ac si diceret, e converso decies millies viginti millia, quæ sunt ducentis mille millia. Idem, inquam, est in quantitate, sed non mysterii ratione. Omnino aliud intelligere licet, per hoc quod sic dixit, « vicies millies dena millia, » quam si dixisset, decies millies viginti millia.

Ut clarius atque intelligibilius fiat quod nunc dicere cupimus, prius de natura multiplicitatis numerorum pauca dicamus. Unitas, id est character, qui sicut Abacistæ melius norunt, in primo limite, qui et singularis dicitur, unum significat, transpositus ultra in quintum limitem decem millia desi-
D gnat. Item binarius, id est character, qui in jam dicto singulari limite duos significat, translatus ad eumdem, id est quintum limitem, qui decenus millenus dicitur, viginti millia designat. Sunt itaque in uno eodemque deceno limite, et unitas multiplicanda, et binarius multiplicator, unitas videlicet decies millena, et binarius nihilominus vicies millenus. Nonnihil mysterii in hoc subesse arbitramur quod in ista quantitate equestris exercitus, in uno eodemque limite cubant unitas et binarius, et quod non unitas binarium multiplicat secundum hunc modum, ut diceretur, et decis millies viginti milla audivi numerum eorum, sed econtra binarius unita-

tem, dicendo : « Et vicies millies dena millia audivi numerum eorum » Quid enim unitas decena millia nisi gentem Hebræam unius Dei cultricem significat? Quid porro binarius decenus millenus (qui interdum infamis est) in Scriptura, ut illic de immundis vero bina et bina ingrediuntur,in arcam? (*Gen*.VII.) Igitur unitas in eodem limite cum binario cubat,quia videlicet gens Israelitica,quæ unius Dei populus esse debuerat,in terra gentium immundarum et abominabilia facientum collocata est. Illic profecto non gens Israelitica gentes immundas et idololatras ad mundam vitam uniusque Dei cultrum convertit,sed econtra gentes immundæ et idololatræ gentem illam ad immunda et abominabilia perverterunt.Nam hoc est,quod Esdras et Nehemias, cæterique qui cum eis erant,timentes Dominum reversi de Babylone deplorant, dicentes : « Quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum (*I Esdr*. IX). » Et post aliqua: « Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis,et in delicto nostro maximo,quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra,et dedisti nobis salutem sicut est hodie,ut non converteremur, et irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia jungeremus cum populis abominationum istarum (*ibid.*),» etc.Amplius autem cum sub regno Græcorum essent, non ipsi Græcos ad veri et unius Dei cultum converterunt, sed econtra Græci illos in leges Deo vero adversas perverterunt. Nam hoc est quod in libro Machabæorum Mathathias cum filiis suis scissis vestibus plangit, dicens : « Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei,et contritionem civitatis sanctæ, ét sedere illic cum datur in manibus inimicorum ? Sancta in manus extraneorum facta sunt,templum ejus sicut homo ignobilis (*I Machab*. II). » etc.Multi enim ex Israel consenserant relinquere legem Dei,et sacrificabant idolis.Itaque recte non unitas binarium, sed binarius unitatem multiplicat, et quod inde excrescit, item binarius est,fiunt enim ducenties mille millia.Siquidem per binarium multiplicata unitas binarius fit hoc modo, bis unum, duo : et quia unitas decies millena et binarius decies millenus est,ipse binarius, qui in eo excrescit, in quinto ab eo,qui multiplicatur limite ponitur, et sicut jam dictum est, ducenties mille millia sunt,ibique binarius tam multiplex immundam Israelis et gentium permistionem significat. Sequitur :

« Et vidi equos in visione, et qui sedebant super eos habebant loricas igneas,et hyacinthinas ,et sulphureas, et capita equorum erant tanquam capita leonum et de ore ipsorum procedit ignis, et fumus, et sulphur. Ab iis tribus plagis occisa est tertia pars hominum,de igne,et fumo et sulphure, qui procedebat ex ore ipsorum. » Numerum quidem non definiendo,sed mysterium ejus significando præscripserat,dicens : « Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia audivi numerum eorum.»

A Nunc demum et equorum et equitum subscribit dicendo, et ita « vidi equos, et qui sedebant super eos,» Assyrii sive Chaldæi, Persæ et Macedones, atque Romani,cum fuerint vel sint natura homines, equos ascendentes,et in equis gloriantes,nihilominus tamen proquadam similitudine dicuntur et fuerunt equi, imo, et asini, juxta illud propheticum : « Carnes asinorum carnes eorum, et fluxus equorum, fluxus eorum (*Ezech*. XXIII). » Quorum vel qualium equitum fuerunt isti equi vel qui sedebant super eos, nisi agitatores superborum atque luxuriosorum spiritus maligni ? Isti sedebant super eos, isti agitabant eos, et cum salirent in curribus et in equis,currus et equi erant diaboli. « Habentes, inquit,loricas igneas,et hyacinthinas et sulphureas.»
B Spiritus namque maligni, quorum cordibus præsident,eorum sunt pœnis amicti, imo et quales efficiant eos,quibus insident, tales in præsenti visione apparent. Quales autem efficiunt, nisi cupidos, superbos,libidinosos? quid vero per ignem nisi cupiditas? quid per hyacinthum, qui color cœli faciem imitari dicitur, nisi superbiam? quid per sulphur fetidum, nisi libidinem maximeque eam quæ est contra naturam intelligimus? Tales nimirum regnorum illorum gentes fuerunt,cupiditate ardentes,superbia tumentes,libidine fetentes. Bene ergo postquam de equitibus dixit, eadem fere de equis subjunxit ; « et de ore, inquiens, ipsorum procedit ignis et fumus,et sulphur.» Solummodo hyacinthinarum appositionem loricarum commutavit,pro illo
C colore superbiam significante ponens fumum, per quod nihilominus superbia significari solet, juxta illud Psalmistæ:« Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati,deficientes quemadmodum fumus deficient (*Psal*. XXXVI). » Igitur equitibus de quibus dixerat, « habentes loricas igneas et hyacinthinas et sulphureas,» equos suppares fuisse testatur, cum dicit, « et de ore ipsorum procedit ignis,et fumus, et sulphur.» Similes enim sunt homines ejusmodi malignis spiritibus insessoribus atque habitatoribus suis, licet dæmones in hoc minus habeant, ut non acti, sed tantum voluntate libidinosi sint, quippe qui sine carnibus sunt. Et quis hæc ignoret,quod illic inimici Domini,cupidi, superbi fuerint et libidinosi?Nam de igne cupiditatis
424 eorum quidpiam prædicare ex abundanti est.
D Palam quippe est,quia ignis eorum ejusmodi totum mundum conflagravit,regnumque adversus regnum concitando, nullam orbi terrarum requiem vel refrigerium concessit.

Porro de fumigante illorum superbia, illud pro argumento satis est quod reges eorum homines mortales deos se haberi voluerunt,ut exempli gratia : « Nabuchodonosor, qui præceperat Holoferni quatenus omnes deos terræ exterminaret, ut ipse solus diceretur deus ab iis nationibus,quæ possent ejus potentia subjugari (*Judith*,III).» Item in regno Persarum Aman superbissimus indignans quod a Mardochæo non adoraretur, pro causa hac omnem

Judæorum nationem qui erant in regno Assueri perdere conatus est (*Esther.* III). In regno Græcorum Antiochus illustris ascendens Hierosolymam in multitudine gravi, intravit in sanctificationem cum superbia, et locutus est superbia magna, existimans præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum, propter mentis elationem (*I Machab.* I). In regno Romanorum elati imperatores, etiam dum viverent pro diis honorari voluerunt (*II Machab.* V). Unde Octaviano Augusto Flaccus adulans, inter cætera dicit :

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.
(HORAT. *in epist.* 1, *lib.* II).

Itemque Virgilius de eodem :

O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
VIRGIL. *in Bucol.*

Quid tandem de libidinibus regnorum eorumdem multis opus est? Nam, ut de divinarum testimoniis taceam Scripturarum, quale illud est Apostoli : « Tradidit illos Deus in reprobum sensum (*Rom.* I). » Quid turpe de illis non cantant satyræ Græcorum et Latinorum? Præter hæc unum quid interposuit, quod maxime ferocitatem sive crudelitatem designat hujusmodi equorum, « Et capita, inquiens, equorum erant tanquam capita leonum. » Hoc ita perspicuum est, ut in Daniele primum regnorum illorum, scilicet Babylonium, significatum sit per leænam. « Prima, inquit, bestia, quasi leæna, et alas habebat quasi aquilæ (*Dan.* VII). » Sic enim regnum illud propter sævitiam et crudelitatem figuratum est, sive propter luxuriam, et vitam libidini servientem, non leo, sed leæna appellatur. Aiunt enim hi, qui de bestiarum scripsere naturis, leænas esse ferociores, maxime si catulos nutriant, et semper gestire ad coitum. Quod autem habeat alas aquilæ, superbiam regni significat potentissimi. Quæres quare ab hujusmodi equis vel equitibus homines, id est, Israeliticum populum occidi permisit Deus? Sequitur, et dicit : « Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne, et fumo, et sulphure, quæ procedebant ex ore ipsorum. » Ab iis tribus plagis, id est propter istas tres plagas, quomodo et in psalmo : « A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ (*Psal.* CI), » id est, propter vocem diaboli dicentis : « Comedite et eritis sicut dii (*Gen.* III), » quæ materia principiumque fuit gemitus mei, contabui, et factus sum mortalis. Et propter illam vocem creditam, quemadmodum in tabescente corpore adhæret os carni, ita in me rationalitas consentit sensualitati. Item : « Quia cinerem tanquam panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam, a facie iræ et indignationis tuæ (*Psal.* CI), » id est, propter faciem sive præsentiam iræ et indignationis tuæ. Itaque « ab iis tribus plagis, » id est propter istas tres plagas, « occisa est tertia pars hominum de igne, et fumo,

A et sulphure, » id est propter ignem, et fumum, et sulphurem, quæ peccata fuisse jam diximus gentium sive regnorum illorum, videlicet concupiscentiam, superbiam, libidinemque sodomiticam. Eadem enim et ipsi fecerunt, et eorum similes in culpa fuerunt, quibus ad pœnam traditi sunt. Hoc nobis Scripturarum testimoniis comprobare ex abundanti est, sicut fuit Apostolo, ubi commemoratis sceleribus gentilium, convertitur ad Judæum reprehendentem et judicantem eos, qui ex gentibus crediderant, dicitque ad eum : « Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas (*Rom.* II). » Juste igitur occisa est hæc pars hominum, scilicet gens Hebraica, quia tribus istis B peccati plagis coram Deo consauciata fuerat. Inde et dicitur « tertia pars hominum, » id est reputatur in parte Cham, qui unus de tribus filiis Noe peccator fuit et maledictus esse meruit. Processisse autem dicuntur hæ plagæ ex ore equorum, quia videlicet ut talia facerent Judæi, ex collocutione et consortio gentium contraxerunt. Exempli gratia, Jason frater Oniæ (ut in libro Machabæorum legitur) Antiochi favens scelestis imperiis, legitima civium jura destituens, prava instituta sancibat. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, et optimos quosque Ephœborum, in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam et profectus gentilis et alienigenæ conversationis, propter impii et non sacerdotis Jasonis nefarium et inauditum scelus, ita ut sacerdo- C tes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo et sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palestræ et præbitionis ejus injustæ, et in exercitiis disci, et patrii quidem honoris nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur (*II Mach.* IV). Quarum gratia periculosa eos contentio habebat, et eorum instituta æmulabantur, ac per omnia iis consimiles esse cupiebant, quod hostes et peremptores habuerant. Ita et igne perusti, et fumo elati sive obscurati, et sulphure corrupti sunt, quæ de ore procedebant ejusmodi equorum, et idcirco ab illis occisi atque captivati sunt Deo judice, Deo potestatem illis equis juste tradente, ut quorum gloriolas et libidines sectabantur, eorum gladiis occiderentur. De qua potestate illis D tradita protinus sequitur :

« Potestas enim equorum in ore eorum est et in caudis eorum. » Et est sensus; idcirco namque potestatem in eos Deo dante deceperunt, quia illi ad ora illorum accesserunt suscipiendo errores eorum. Et caudis eorum adhæserunt, id est, prophetis sive ariolis et magis eorum consenserunt. Nam « propheta docens mendacium, ait Isaias, ipse cauda est (*Isa* IX), » videlicet, quia quodammodo protegit stercora, dum ipsum quod loquitur mendacium quanta potest verisimilitudine perornat. Et ejusmodi caudas equorum, id est, prophetias tales sive ariolos gentilium Israelem habuisse, permulta sunt exempla sive te

stimonia Scripturarum, quippe cum unus Helias de talibus quadringentos quinquaginta viros occiderit omnes prophetas Baal (*IV Reg* XVIII). Igitur « potestas equorum in ore ipsorum et in caudis eorum, » id est, potestatem quam habuerunt in populum Dei, regna illa, malæ collocutiones et pseudoprophetæ, incantores, magi et arioli sive aruspices eumdem populum seducendo illis acquisierunt, qualibus maxime Babylonii et Persæ abundaverunt. Et quasi quæreres unde de caudis ut talem potestatem fecerint, continuo subjungit : « Nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, et in illis nocent. » Similes sunt serpentibus, id est imitantur malignos spiritus, suntque pleni spiritu mendacii, qui per serpentem primum hominem decepit, « habent capita et in iis nocent, » id est principibus et potentibus, regibus et imperatoribus adhærent, et eorum patrocinio fulti, quos seducere non valent, premere prævalent, ut ipsorum vel inviti sequantur errorem. **425** Nam, exempli gratia, in ipso Israel prophetarum Baal Jezabel caput erat (*ibid.*), et pro tali capite sic fortes erant, ut contradicere illis nemo ausus fuerit, nisi solus Helias, licet præter eum reliqui essent septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal. Eodem modo reges Babyloniorum et Persarum, cæterorumque regnorum, magis et aruspicibus suis capita fuerunt, ut ipsorum vi sive gladio perficerent, quod ore suo loquendo sive suadendo de populo verum Deum colente facere non possent (*IV Reg.* XIX). « Et cæteri homines qui non

A sunt occisi plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt neque audire, neque ambulare, et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis neque a fornicatione sua, neque a furtis suis. » Certum est quia non omnes homines illos, homines Israelitas sive Judæos illorum regnorum reges occiderunt. Nam et novissimo illorum, scilicet Romano imperio, quod quasi bestia terribilis atque mirabilis cuncta comedit atque comminuit (*Dan.* VII), aliqui superfuerunt qui captivi ducerentur in omnes gentes. Itemque certum est, quia sic captivi et dispersi pœnitentiam non egerunt ab homicidiis et B cæteris peccatis suis, nam usque hodie Christo rebelles existunt, et Christum blasphemant, quem patres eorum occiderunt. Quid igitur erit illis ? Quid subaudiendum est in dictione hujusmodi ? Fecim enim eclipsim, id est, defectum sermonis, dicendo, « et cæteri homines, qui non sunt occisi plagis, » etc. Quid ergo erit ? nunquid erunt impuniti ? Non utique, sed subaudiendum est, quia ipsi bibent de phialis plenis iracundia Dei viventis (*Apoc.* XVI). De quibus suo loco plenius dicendum erit, ut non prosit eis quod corporaliter non fuerunt occisi, cum in æterna morte animæ sint detinendi tanto profondius, quanto in peccatis suis permanent pertinacius, qui tot plagis vel mortibus attriti, non sunt ad percutientem se reversi.

LIBER SEXTUS.

De septem tubis, una superest tuba novissima, postquam tuba ejusmodi nulla cantura est. Sex enim tubæ cecinerunt, et cum tantum septem datæ fuerint, totidem angelis, singulæ singulis, profecto septima quæ superest, novissima est, quam et Apostolus non ignorans Corinthiis dicit : « Omnes quidem resurgemus, sed non immutabimur. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti (*I Cor.* XV). » Item ad Thessalonicenses : « Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo (*I Thess.* IV). » Hoc idem, videlicet quod hæc tuba septima novissima sit, jurans hic protinus fortis angelus astruit dicendo, quia tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli cum cæperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos prophetas. Hic timor, et tremor et valde terribilis exspectatio est. Non enim hæc tuba cæteris consimilis existimanda est, alius fragor, alia tempestas quam in cæteris cantibus tubarum, in illius tubæ clangore comparebit. Nam et propheta circa

C ejus descriptionem valde laborat cum dicit : « Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris (*Sophon.* I). » Sed quid multis nitimur argumentis ? Etenim pro argumento magnitudinis tubæ illius vel solum illud sufficit quod Filius Dei suo illam adventu prævenire curavit, et declamare nobis sua voce quod illa talis tuba cantura sit, ut non simus imparati. Nam et hoc quod sequitur.

CAP. X. — « Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, et iris erat in capite ejus. » Et subinde : « Et angelus quem vidi levavit manum suam in cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum ; qui creavit cœlum et ea quæ in eo sunt, et terram et ea quæ in ea sunt, D et mare et ea quæ in illo sunt, quia tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos prophetas. » Quis enim ille est angelus, nisi Angelus magni con-

silii, Angelus testamenti Dei sæpe dictus et sæpe dicendus, vere alius, et longe dissimilis angelis omnibus. Hunc Angelum fortem dicit, nam vere est fortis, imo et princeps fortitudinis. Hinc et Psalmista: « Dominus, inquit, fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII). » Proinde et angelus ille qui hunc venientem prænuntiavit, Gabriel dicitur, id est fortitudo Dei. « De cœlo, inquit, vidi illum descendentem. » De cœlo, inquam, videlicet ubi erat prius. Nam quo descendit de cœlo, nisi in uterum virginis? Non enim de illo virginis utero initium habuit existendi, sicut quidam dixerunt blasphemantes hæretici, quorum primus Cherintus fuit, sed in illum uterum de cœlo descendit, de sinu Patris advenit. Et qui Deus erat homo factus est; quodque erat Verbum in principio, caro factum est, non mutata in carnem divinitate, sed assumpta carne. Hoc est quod dicit, « amictum nube. » Nubes enim et hic et in plerisque Scripturarum locis mysticis carnem illam significat, **426** pulchra nimirum et congrua considerata similitudine, quia videlicet sicut sol, cum nube tegitur et latet, et tamen scitur quia præsens est dum suum orbem non ostendit, et tamen orbi universo diem facit; sic in illa carne Deus et latuit, et præsens dignosci potuit, dum divinitatem suam, ut semper erat, invisibilem continuit, et tamen per opera visibilia mundum universum illuminavit. « Et iris, inquit, in capite ejus. » Iris, id est arcus cœlestis, misericordiam designat ejusdem fortissimi; est enim signum vel pro signo datus propitiationis, dicente Domino ad Noe: « Nequaquam interficietur omnis caro ultra aquis diluvii; » ac deinceps: « Hoc signum fœderis inter me et vos; arcum meum ponam in nubibus, et erit signum inter me et inter terram (*Gen.* IX). » Igitur « iris in capite ejus, » id est, misericordia in summa et principali intentione adventus ejus. Idcirco namque sic nube carnis amictus advenit, ut præpararet nos talesque efficeret, qui possimus stare in illa die judicii, cum tuba illa novissima cecinerit, quæ præparatio est peccatorum remissionem dare, quod fecit ille pœnitentiam prædicans et lavans nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Hebr.* V). Unde misericors et fidelis dicitur pontifex, quia talis erat iris in capite ejus. » Et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columna ignis. » Facies ejus est notitia ejus, quæ a tempore resurrectionis ejus (qua clarificatus est claritate quam habuit priusquam mundus fieret [*Joan.* XVII]), orbi universo sereno lumine infulsit, impleto quod Zacharias eodem mox nasciluro præcinens: « Visitavit nos, inquit, oriens ex alto, illuminare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent (*Luc.* I). » Hujus solis resurgentis ortum respiciens Paulus apostolus dicit: « Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII). » Nox enim prius erat, extunc autem sole surgente, dies appropinquantibus sibi appropinquat. Marcus quoque Evangelista in mysterio loquens, cum dixisset: « Et valde mane una Sabbatorum veniunt

A ad monumentum orto jam sole (*Marc.* XVI). » Nam mystice dictum intelligatur, de isto sole justitiæ, qui diem novum mundo indidit sua resurrectione, repugnantia sunt, valde mane, et orto jam sole. « Et pedes ejus, inquit, tanquam columna ignis. » Hæc descriptio nonnihil a priore differt, ubi primum ipse, qui nunc describitur, huic Joanni visus est. Illic namque primum Filius hominis manifeste scribitur, hoc autem in loco Angelus mortis dicitur. Illic et caput ejus et capilli tanquam lana alba et tanquam nix candidi scribuntur (*Apoc.* I). Hic autem de hujusmodi canitie tacetur, et hoc solum dicitur, quia « iris erat in capite ejus. » Illic scriptum est: « Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. » Hic autem nunc dicitur: « Et pedes ejus tanquam columna ignis. » Has talium descriptionum

B diversitates quærere cur habitæ sint non otiosum est. Dicimus ergo, quia prioris illius habitudinis alia fuit causa vel intentio quam illic non tacuimus, et alia hujus præsentis quam similiter præterire non conamur. Illic namque contra Cherintum et Hebionem, cæterosque antichristos, qui interim dum hic Joannes in insula Pathmos exsularet, Christum ante Mariam fuisse negare cœperant, ostendebatur eidem illo tali schemate vel figura, quale scripturus foret evangelium, vel quale oporteret eum de Christo perhibere testimonium. Hic autem omnibus fidelibus pariter et infidelibus significabatur, quale vel quantum orbi universo impendeat negotium, propter quod venerit Christus in hunc mundum, ut providum sive inexcusabilem

C faceret omnem hominem, novissimæ tubæ terribilem sonum, id est ultimum prænuntiando judicium. Idcirco et illic naturam utramque unius ejusdemque Christi recte significatam accipimus; hic autem officium ejus. Inde est quod illic Filius hominis, quod naturæ est; hic autem dicitur Angelus, quod officii est. Item, illic caput ejus scribitur pro canitie candidum, significando divinæ naturæ antiquitatem, hic autem « iris in capite ejus, » videlicet designando suscepti officii misericordiam et pietatem. Illic pedes qui sunt infimæ partes cujusque corporis, dicti sunt similes aurichalco, quo significatur inferior, id est humana Christi natura, permanente substantia, in auream transmutata esse gloriam divinitatis. Hic autem pedes ejus dicuntur tanquam

D columna ignis, quo dicto significantur prædicatores ejus, per quos venit ad nos, Spiritu sancto firmati atque illustrati sunt. Sunt enim pedes ejus omnes Evangelii ejus portitores atque ministri, de quibus et Propheta dicit: « Quam speciosi pedes evangelizantis et annuntiantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus (*Isa.* LII). » Isti pedes ex eo facti sunt « tanquam columna ignis, ex quo venit super eos Spiritus sanctus tanquam ignis. Extunc enim qui prius fuerant imbecilles et pavidi, idiotæ et sine litteris, facti sunt fortes et securi, facundi et omnium Scripturarum periti (*Act.* II). Exempli gratia: Petrus

ante frigidus, et ad prunas sedens et calefaciens se, timuit et negavit propter vocem unius ancillæ ostiariæ (*Luc.* XXII); extunc autem columna ignis, sive columna ignea factus est, ut et firmiter stans Ecclesiam Dei tanquam columna sustineret, et zelo bono fervens tanquam ignis, principes et reges, summosque imperatores in verbo virtutis justitiæque responsis adureret, et eidem Ecclesiæ quam velut columma sustinet, velut ignis lucem veritatis infunderet.

« Et habebat in manu sua libellum apertum. » Libellus iste idem liber, quem vidit idem Joannes signatum sigillis septem in dextera sedentis super thronum (*Apoc.* V). Apertus autem nunc dicitur, videlicet quemadmodum et illic scriptum est, quia Agnus illum aperuit, et solvit signacula ejus. Siquidem, agnus qui illic librum aperuisse scribitur, ipse est Angelus iste qui hic in manu sua libellum apertum habere cernitur. Habet enim in manu sua veraciter libellum hunc apertum, quia videlicet in potestate ejus est nota facere credentibus in se secreta Scripturarum. Hæc potestas jam tunc in manu ejus erat quando resurgens, et apparens discipulis suis, sicut Evangelista refert, « aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). »—« Et posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram. » Omnes ejusmodi pedes hujus angeli, ex quo facti sunt « sicut columna ignis, » id est, ex quo Spiritu sancto sunt firmati et illustrati, eo ipso quod sic firmati, sic sunt illustrati, omnes dexteri, id est boni sunt et electi. At vero priusquam sic firmarentur, sic illustrarentur, videlicet ante passionem Dominicam, omnes sinistri, quia multi reprobi omnes autem infirmi erant. Nam exempli gratia, loquente illo, et dicente: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, » et iis simina: « Multi discipulorum ejus, inquit evangelista, audientes, abieruut retro, et jam non cum illo ibant (*ibid.*). » De residuis quoque duodecim unus diabolus erat. Petrus quoque nunc pes fortis et dexter, pes bonus et electus, et juxta prophetam valde speciosus, tunc pene sinister fuit, quia lapsus est, et eum quem portare, id est prædicare debuerat, Christum negando cecidit. Itaque ante passionem Dominicam omnes, ut jam dictum est, pedes hujusmodi fuerunt sinistri, quia multi reprobi, omnes **427** autem erant infirmi. Scimus autem, quia pedes isti ante jam dictam passionem Dominicam, tantummodo Judæam perambulaverunt, id est, in sola Judæa prædicaverunt, ipso sic præcipiente illis: « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* X). » Post passionem vero suam cum resurrexisset a mortuis, dicit eis: « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ; euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII; *Marc.* XVI). » Igitur pedem suum dexterum

A posuit super mare, sinistrum autem super terram, id est, prædicatores suos jam confirmatos in universitatem gentium misit; cum autem adhuc essent infirmi, tantum in Judæa illis prædicari jussit. Nam plerumque nomine terræ, Judæa; maris autem vocabulo, gentes significantur, ut, exempli gratia, in psalmo, cum dicit: « Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris (*Psal.* XLV). » Est enim hic sensus: Non timebimus futuras tribulationes, quæ erunt dum turbabitur terra, id est Judæi, qui debuerant esse terra culta et fertilis, et modo sunt tantum terra, id est solis terenis dediti, et in medium gentium transferentur apostoli. Sequitur:

« Et clamavit voce magna, quemadmodum cum B leo rugit. » Ponendo pedes suos angelus iste dexterum super mare, sinistrum autem super terram, sicut jam dictum est, voce magna clamavit, quia prædicatores suos constituendo, vocem evangelicam, quam totus orbis audiret, mirabiliter edidit. Quomodo vel quam magna voce clamavit? Ita, inquit, « quemadmodum cum leo rugit. » Vere quemadmodum cum leo rugit. Nam et hoc patriarcha Jacob prædixerat iis verbis: « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti, ut leo et quasi leæna (*Gen.* XLIX). » Et propheta Amos: « Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam (*Amos* I). » Et multis aliis prophetarum dictis hujusmodi prædicatur hoc ipsum quod nunc dicitur, « quemadmodum cum leo rugit. » Aiunt qui de naturis scripserunt, quia ad vocem C sive rugitum leonis omnia contremiscunt, et cuncta animantium natura terretur. Hinc est illud prophetæ: « Leo rugiet, quis non timebit? » et statim ostendens quid per hanc similitudinem velit intelligi: « Dominus Deus, inquit, locutus est, et quis non prophetabit? » (*Amos* III). Itaque et sic sciendum et subintelligendum est, clamorem hujus angeli sic magna voce clamantis, « quemadmodum cum leo rugit, » illum fuisse clamorem passionis vel mortis ejus, quo infernus contremuit, et cœlum patefactum est, patuitque janua cœli, sive paradisi animabus prorumpentibus effractis claustri inferni, tremuitque terra, et aperta sunt monumenta, multaque sanctorum qui dormierant surrexerunt corpora (*Matth.* XXVII), cunctaque bestiarum natura, id est, mali-D gnorum spirituum territa est potentia, et sicut illic prophetice dictum est: « Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? » (*Amos* III). Omnis prophetia cunctorum prophetarum oracula consonuerunt, et quid vellent, aperuerunt, ad tantum tam magni clamorem Angeli illius. Unde et protinus sequitur: « Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. » Quid enim sunt septem tonitrua, quo numero plerumque et maxime in hoc libro significatur universitas, nisi omnium qui a sæculo sunt sanctorum prophetarum oracula? Eorum profecto voces prius sic erant tanquam tonitrua, quia sicut tonitruum, et terribiliter sonat, et tamen articulatum

sive intelligibilem sonum non dat; sic voces legis et prophetarum prius et terribiliter sonabant, et tamen quid eisdem vocibus significaretur, populares non intelligebant. Exempli gratia: In cantico Deuteronomii scriptum est: « Levabo ad cœlum manum meam, et dicam, vivo ego in æternum; si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea. Reddam ultionem hostibus meis, et iis qui oderunt me retribuam (*Deut.* XXXII). » Qui illic loquebatur, dicens: « Levabo ad cœlum manum meam, » et cætera: Ipse est angelus iste, de quo hic postmodum dicitur: « Et angelus quem vidi stantem, levavit manum suam in cœlum, » et reliqua. Amplius autem hic pro exemplo resplendet illud dictum in Osee: « Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos (*Ose.* VI). » Hoc etenim pulchre in sensu contingit illud quod nunc dictum est, « et clamavit voce magna quemadmodum cum leo rugit; » rugitus quippe leonis hanc vim habet, ut tradunt physiologi. Cum genuerit leæna catulum, tribus diebus et tribus noctibus, catulus dormit, et tunc demum patris fremitu veluti trumefactus cubilis locus, suscitare dicitur catulum dormientem. Quod si ita est, nimirum magna similitudinis causa est cur merito nunc dici debuerit, « quemadmodum cum leo rugit, » quia videlicet sic nostra in Christo natura tribus diebus et tribus noctibus somno mortis obdormierat, et tunc demum divinitatis potentia veluti fremitu leonis tremefactus est sepulcri locus, et surrexit qui fuerat mortuus homo in Deo assumptus, in quo et nos omnes surreximus. Hæc et iis similia profecto prius erant tonitrua, id est, soni sive voces quasi inarticulatæ, eo quod mysteria continerent nondum intelligibilia, sed postquam Angelus iste tali modo clamavit, facta sunt intelligibilia, apeniente illo sensum discipulis suis ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). Ait ergo: « Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. » Sequitur:

« Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram. Et audivi vocem de cœlo dicentem: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere. » Ego, inquit, scripturus eram. Quid est ea scribere, quæ locuta sunt septem tonitrua, nisi per calamum et atramentum tractando, cuncta explanare mysteria Scripturarum? Hoc iste non fecit, neque cæteri apostoli. Quare? nunquid nescierunt, neque intellexerunt? Absit hoc! Imo ipsi erant amici, qualibus nihil deberet abscondi, quemadmodum ipse dicit: « Jam non dico vos servos, sed amicos meos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis (*Joan.* XV). » Nota feci vobis, dixit, pro eo ut diceret, nota faciam, quia videlicet cum hæc diceret, id quod mox facturus erat, tam certum erat, ac si jam fecisset. Mox enim resurgendo aperire habeat illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV), dando Spiritum veritatis, qui eos omnem veritatem doceret (*Joan.* XVI), cum fuerint eatenus homines sine litteris, et idiotæ. Quare ergo? Nunquid noluerunt, vel propter laboris impa-

A tientiam subterfugerunt? Non utique. Nam ego, inquit iste, scripturus eram, id est, scribere volebam. Quid igitur obstitit, nisi præceptum vel regula sanctæ discretionis? Non enim cuncta simul vel eodem tempore poterant expleri, propter tarditatem hominum, qui tunc rudes erant et imbecilles ad audiendam sapientiam ejusmodi. Unde Paulus apostolus cum dixisset: « Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. » continuo subjuuxit: « De quo nobis grandis sermo, et interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberitis magistri esse propter **428** tempus, indigetis ut vos doceamini, quæ sunt elementa exordii sermonum

B Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo (*Hebr.* V), » etc. Ergo ut non scriberent tam iste quam cæteri Apostoli, ea quæ locuti sunt ejusmodi tonitrua, non illis facultas defuit aut voluntas, sed eorum qui audituri sive lecturi tunc essent obfuit sensus imbecillitas. Alioquin nisi pro causa hujusmodi tempus importunum tunc fuisset. Sicut idem Apostolus interdum pro tempore et re pauca prælibavit. Exempli gratia: cum dixit, « scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit (*Galat.* IV), » eorumque mysterium allegoricum perstrinxit. Et sicut hic idem Joannes testimonio legis et prophetarum competenter uti scivit vel potuit, exempli gratia, dicendo: « Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo (*Exod.*

C XII; *Joan.* XIX). Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt (*Zach.* XII). » Sic et cæteras voces, quas continebant cuncta illa legis et prophetarum tonitrua explicare scissent et potuissent. Fuerit ergo laudandæ discretionis illorum necessarium duntaxat fide ponere fundamentum, cum non defuturos in posterum scirent vel sperarent eos, qui ut cætera bona, sic et sacrarum expositiones Scripturarum superædificarent. Unde idem apostolus: « Dei enim, inquit, sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat. Unusquisque autem videat, quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si

D quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit (*I Cor.* III), » etc. Hæc ille de superædificantibus. Scimus autem, quia superædificantium principales duæ distinctiones sunt, quia videlicet alius in activa, alius in contemplativa superædificat vita. Quod si activæ vitæ opera, quæ sunt, esurièntem cibare, sitienti potum dare, nudum vestire, hospitem colligere, infirmum et in carcere positum visitare, digne quisquam existimat aurum, argentum, lapides pretiosos reputari debere; quanto dignius contemplativæ vitæ insignia splendida, quæ sunt, verba Dei audire, ea-

denique ruminare, sanctarumque Scripturarum mysteria, et voce proferre, et calamo scribere, talibus nominibus, scilicet auri, argenti, lapidum pretiosorum debet subintelligere? Hoc denique est aurum, hoc argentum, hoc lapides pretiosos superædificare, sanctam Scripturam quæ extrinsecus in littera videtur subobscura, præclaris sensibus intrinsecus ornatam ostendere. Et hoc nimirum spirituale opus apud illam Sapientis animæ amicam magnum habet meritum, sicut et ipsa testificans: « Et qui, inquit, elucidant me, vitam æternam habebunt (*Eccli.* XXIV). » Profecto et ipse Apostolus ibidem in supra dicto, hoc maxime studium sese intendere innuit, cum postmodum dicit: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysterium Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur (*I Cor.* IV), » etc. Dicit ergo: « Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere, » quod est dicere: Mysteria Scripturarum quæ tibi datum nosse, promptumque est exponere, signa, claude, id est, signata ut sunt, et clausa posteris quærenda relinque, ut non sint velut merces ultroneæ, de quibus vulgo dicitur, quod soleat putere. Pretiosa erunt, quando opus erit, ut quærantur scilicet argentibus diversis hæresibus, quas necesse erit esse, ut qui probati fuerint manifesti fiant (*I Cor.* XI). Tunc et præclara ingenia multorum multipliciter exercebuntur, et quæ de Scripturarum thesauris laborioso fuerint studio conquisita, non vilia videbuntur. Hoc dictum huic nihilominus universo dici arbitramur ordini illi primorum discipulorum Christi, quorum unus, et præ cæteris dilectus erat hic. Sequitur:

« Et Angelus quem vidi stantem supra mare et supra terram, levavit manum suam in cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, et ea quæ in illo sunt, et terram, et ea quæ in ea sunt, et mare, et ea quæ in eo sunt, quia tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos prophetas. » Quod paulo ante dixerat, « et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit, » hoc ipsum nunc repetit, latius et vehementius exprimens quid clamaverit, vel clamando quid fecerit. Levavit, inquit, manum suam in cœlum. Manus angeli hujus illa est magnificentia, et elevatio manus illa est elevatio magnificentiæ, quam admirans Psalmista, loquitur: « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos (*Psal.* VIII). » Quæ autem illa est magnificentia, nisi resurrectio et ascensio Dominica? Sequitur enim postmodum, et dicit ad Patrem ejusdem Domini nostri: « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*ibid.*) » Nimirum hæc ipsa manus elevatio, id est, magnificentiæ sive omnipotentiæ tanti angeli ab illa cœpit exaltatione, de qua ipse dixit: « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII). » Elevatus namque sive exaltatus in altitudinem crucis, jam ipso cruciatu mortis in eo levabat manum suam, quod consummabatur auctor salutis omnium, primam faciens nobis resurrectionem, quæ est animarum, quia videlicet peccata delebat omnium per sanguinem suum (*Rom.* VIII). Elevatus deinde et resurgens de sepulcro, eadem ipsa resurrectionis elevatione fiebat primogenitus mortuorum (*I Cor.* XV) id est, princeps ex mortuis resurgentium, secundam in semetipso dedicans resurrectionem, quæ est corporum. Deinde cernentibus apostolis suis, elevatus et ascendens in cœlum, eadem ipsa ascensionis elevatione constitutus est judex vivorum omnium et mortuorum sedens ad dexteram Patris, hoc modo contestantibus angelis: » Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum (*Act.* I). » Hac omnimoda suæ manus elevatione in cœlum, « juravit angelus iste per viventem in sæcula sæculorum. » Juravit, inquit, id est, immutabili veritate firmavit. Neque enim verbis aut vulgari juramentorum effusione juravit, sicut testis est totus evangelici textus sermonis, in quo nusquam invenitur, quod verbo vel voce juraverit, imo et constat quod jurare omnino dissuaserit, ait enim: « Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Et subinde; Sit autem sermo vester, est, est, non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est (*Levit.* XIX; *Matth.* V). » Juravit ergo, id est, immutabili ut jam dictum est, veritate firmavit. Hoc solum interponens dictis suis pro signo firmamenti: Amen, amen dico vobis, id est, vere sive fideliter dico vobis, dum quidpiam tale proloquitur, quod hujusce veritatis interpositione **429** dignum sit. Exempli gratia: « Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent (*Joan.* V). » Venit hora quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. Ita juravit per viventem in sæcula sæculorum, id est per semetipsum qui fuit mortuus, et nunc vivit in sæcula sæculorum (*Apoc.* I). « Resurgens enim ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Ne longius quæramus, cum dicit, sicut jam diximus, amen, amen, jurat, id est affirmat per semetipsum quem constat esse veritatem, testem fidelem, sicut et longe supra testatur spiritus, dicens Ecclesiis: « Hæc dicit, amen, testis fidelis et verus (*Apoc.* III). » — « Ipse est per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil (*Joan.* I). » Seipsum ergo describens, recte dicit: « Qui creavit cœlum, et ea quæ in illo sunt, et terram, et ea quæ in ea sunt, et mare, et ea quæ in eo sunt. » Quod ipse esset ille vivens, per quem

juraret quod ita jurando per semetipsum juraret, A ipso ejusdem stantis habitu subintelligi promptum est. Sic namque stabat, ut contingeret tria hæc, ipsum se esse significans, qui omnia contineret. Dextrum namque pedem super mare, sinistrum autem super terram posuerat, et in cœlum, quod horum tertium vel primum est, manum suam levaverat. Qui ergo creavit hæc, qui manu sua et pedibus suis, id est omnipotentia sua, continet hæc, certum est, quia quod juravit in hæc verba, quæ dixit adimplere potest. Quid enim jurat? Quia tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei. Tempora quippe circa vel intra cœlum, et terram, et mare, et ea quæ in eis sunt, variantur, sibique deducendo succedunt, ac perinde B qui illa creavit, sine dubio tempora quoque illorum præfixit, eademque finire potens est cum voluerit. « Quia tempus, inquit, amplius non erit, » subauditur pœnitentiæ, quemadmodum fuit hactenus, posquam anteriores tubis cecinerunt angeli. Nam et postquam primus angelus tuba cecinit, et descendente igne in Pentapoli perierunt impii, evadente justo Lot, tempus pœnitentiæ superfuit (*Gen.* XIX), et postquam secundus angelus tuba cecinit, et transeunte populo Dei per mare Rubrum, inimici illorum sunt demersi (*Exod.* XIV), tempus pœnitentiæ superfuit residuis, et postquam tertius angelus tuba cecinit, et habitatores terræ per opera odibilia defluentes, in manu filiorum Israel perdere voluit, tempus pœnitentiæ reservatum fuit (*Josue* I, XII), et postquam quartas angelus tuba cecinit, et quasi in C solum, id est in populum Dei ira facta est, ut corporea eorum in deserto prosternerentur (*Num.* XVI), tempus pœnitentiæ datum est cæteris, et postquam quintus angelus tuba cecinit, et illi qui introierant in terram repromissionis, et traditi sunt quinquies in manus gentium (*Judic.* II, III), pro eo quod non disperdiderunt gentes (*Psal.* CV), quas dixit Dominus illis, tempus pœnitentiæ superfuit, et postquam sextus angelus tuba cecinit; et soluti sunt quatuor angeli, id est quatuor principalia regna mundi, Babylonicum, Persicum, Macedonium atque Romanum, ut occiderent, et in captivitatem Judæorum ducerent genus propter peccata ejusdem populi, adhuc pœnitentiæ locus est, ut reliquiæ salvæ sint (*Rom.* IX). Sed tandem quid cum septimus angelus D tuba cecinerit, id est cum venerit extrema dies judicii? Nihil omnino temporis amplius erit, nullus locus, nullum spatium pœnitendi ultra jam erit. Namque illa particularia sive localia judicia fuerunt, illud judicium universale erit, neque reservabitur huic sæculo quisquam, ut pœnitentiam agere possit. Cum ille tuba canere cœperit, quæ tuba novissima erit, cujus et apostolus Paulus meminit, « omnes, inquiens, resurgemus in momento, in ictu oculi, in in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti (*I Cor.* XV); » (tunc consummabitur mysterium), id est secretum consilium Dei, quo hactenus usus est erga peccatores flagellando et inter flagella longa illis spatia præstando pœnitendi. In quo consummabitur illud mysterium Dei? In eo nimirum quod ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam, sicut evangelizavit per servos suos prophetas, id est per apostolos et evangelistas (*Matth.* XXV). Nam istos quoque Dominus prophetas appellat. « Ecce, inquit, ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et Scribas (*Matth.* XXIII). » Prophetæ namque veraciter sunt dicti, qui de summis rebus, de judicio, sæculoque futuro prophetaverunt. Tanta erit illa novissima tuba, ut qui illam prospiciunt, qui de illa loquuntur, et magnitudinem ejus prædicant, recte Dominus ipse appellat prophetas.

« Et vox quam audivi de cœlo [Et audivi vocem] iterum loquentem mecum, et dicentem: Vade, accipe libellum apertum de manu angeli stantis supra mare et super terram. » Vox ista, vox fuit alterius, quam illius angeli fortis, supra mare, et supra terram stantis, dixit enim: « Vade, accipe libellum apertum de manu angeli stantis supra mare, et supra terram. » Cujus ergo vox ista erat, nisi ejus angeli qui hæc et cætera illi ostendebat, quique illi in primordio dixerat, quod vides, scribe in libro? (*Apoc.* XI). Et forte idcirco nunc dicit se iterum audisse vocem ejusmodi, quia quod illic semel significatum est dicendo « quod vides, scribe; idipsum nunc iterum significatur, dicendo: « Vade, et libellum accipe. » Verumtamen quoniam postmodum sic dicitur: « Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicens: Surge, et metire templum Dei, » sic distinguere licet, ut quod dictum est huic: « Vade et accipe libellum apertum de manu angeli, » commune sit ei cum cæteris apostolis, videlicet Scripturas sensu aperto intelligere, et evangelicæ officium subisse prædicationis. Quod autem postmodum dicit: « Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicens: Surge et metire templum Dei, » proprium ei datum significaverit, scilicet jus et facultatem scribendi Evangelium, et ponendi terminos evangelicæ fidei, quos nulli transgredi licitum sit, unde postmodum dicendum erit: « Et abii ad angelum dicens ei, ut daret mihi librum. Et dicit mihi: Accipe librum et devora illum, et faciet amaricare ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu angeli et devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. » Quid enim fuit hic Joanni, cæterisque apostolis abire ad hunc angelum post clamorem ejus tam magnum, et dicere illi, ut daret eis libellum, quem in manu tenebat apertum, nisi id quod omnes ex evangelica veritate notum habemus, quia post ejus victoris ascensionem regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, ut sederent ibi quousque induerentur virtute ex alto, fierentque fortes et idonei ad prædicandum ea quæ scripta erant in illo libello, imo in magno sanctorum prophetarum, legis quoque et Psalmorum libro? Nempe

quod, sicut Lucas testatur, omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu,et fratribus ejus. Hoc erat dicere illi magno angelo, **430** ut daret illis librum ad devorandum,id est appareret eis, et idoneos faceret ad prædicandum Evangelium, dando Spiritum sanctum,quo agente posset homo illorum interior devorare talem librum, id est et legendo in imis visceribus recondere, et prædicando ructuare sanctarum sacramenta Scripturarum.Quod et factum est. Nam « cum complerentur dies Pentecostes factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes.Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* I). » Ait ergo : « Et accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum. » Ac si dicat : Et accepi dono Filii Dei, et Patris ejus facultatem intelligendi Scripturas,ac prædicandi virtutem et ministerium,et legendo atque intelligendo, nec non et loquendo sive prædicando delectatus, refectus et confortatus sum. « Et erat, inquit, in ore meo, tanquàm mel dulce. » Nihil verius. Nam de hujusmodi gustu Psalmista loquitur : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum ori meo ! » (*Psal.* CXVIII). Et ipsa sancta Scriptura, vere Dei sapientia de semetipsa dicit : « Transite ad me omnes qui concupiscitis me,et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient (*Eccli.* XXIV).» Hæc et his similia quæ dicuntur in Scripturis de dulcedine hujusce libelli,sola melius persentit felix anima quæcunque meruit experiri quæ gustavit quæque gustando dulcis ipsa effectus est tanquam favus mellis,quo delectatus ipse sponsus,et dilectus ejus dicit ei : « Favus distillans labia tua,sponsa,mel et lac sub lingua tua (*Cant.* IV). » Sed vide quid sequitur : « Et cum devorassem, inquit, eum,amaricatus est venter meus. » Magna vere dulcedo libelli hujus quotiescunque devoratur, sed ipsa dulcedo nunc interim, dum in hoc sæculo vivitur, multis amaritudinibus respergitur. Non enim adversarii desunt, qui tribulationum et mortis interdum inferant absinthium. Nam hoc est, quod de illis, qui in illa sua dulcedine simul amaritudine ejusdem amaricati sunt, scimus et didicimus, quia calicem Domini biberunt, juxta promissum ipsius dicentis : « Potestis bibire calicem quem ego bibiturus sum ?» et rursum : « Calicem quidem meum bibetis (*Matth.* XX),» etc.Is ipse Joannes quamvis materiali gladio, sive aliqua hominum vi non fuerit, peremptus,non tamen omnino exspers fuit amaritudinis illius.Nam et in ferventis olei dolium fuerat missus, et nunc cum hæc videret,in Pathmos insula exsilio relegatus tenebatur. Igitur accipiat quidem librum, et

A devoret illum cuicunque hoc datum est, sed illud sciat quia cum devoraverit illum, cum vivere et docere cœperit secundum illum, venter, id est anima ejus amaricabitur a persequentibus juxta quod et veridicus pronuntiat Paulus : « Omnes qui pie volunt vivere, persecutionem patientur (*II Tim.* III). » Ad reliqua tendamus.

« Et dicit mihi : Oportet te iterum prophetare populis, et gentibus,et linguis et regibus multis.» Quæ hactenus viderat vel audierat in descensu vel habitu illius angeli, communia sibi cum cæteris fuere apostolis, quia videlicet et ipsi libellum apertum de manu angeli acceperunt, et devoraverunt, et fuit in ore eorum dulce tanquam mel ; venter autem eorum amaricatus est, id est acceperunt
B aperto sibi sensu ad intelligendas Scripturas per Spiritum sanctum,prædicandi officium,et pro bona voluntate fuit illis dulce hoc facere, pro infidelium autem et impiorum persecutione ventres, id est animæ eorum amaricatæ sunt.Hoc autem quod nunc refert dictum sibi : «Oportet te iterum prophetare,» erga proprietatem dictum vel actum intelligendum est ipsius personæ, ut quod dictum est, « oportet te iterum prophetare, » hoc sit, oportet te ab hoc exsilio absolvi, et evangelicam veritatem calamo et atramento conscribere. Sequitur enim : « Et datus est mihi calamus similis virgæ. » Ergo oportet te, inquit, iterum prophetare, ac si dicat : Jam dudum quidem scio quod absolvi velis a corpore, ex toto corde desiderans faciem meam videre, et odor meus concupiscentias æternitatis excitavit in te, et pro
C hoc multoties rogasti me, ut venires ad me. Dixi tibi quoties rogasti me, et nunc dico tibi, exspecta ut populum liberes crediturum mihi. Ob hanc causam oportet te exspectare, « oportet te iterum prophetare populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis,» id est quod summa cum reverentia legant, et audiant populi, et linguæ, et reges multi. Nam ecce dum exsulas tu, interim Cherintus insanit, Marcion furit,Hebion blasphemare incipit,cæterique bacchantur Antichristi contra verbum fidei, contra majestatem et antiquam divinitatem Filii Dei,dicentes quod ante Mariam non fuerit,et quod tam recens Deus sit, ut ex illa initium existendi acceperit. Præterea futurum est, ut veniat Arius, pervicax satelles diaboli, dicturus et persuasurus populis et
D gentibus, et regibus multis, quod idem Filius Dei creatura sit, et in tempore esse cœperit, quodque fuerit tempus, quando idem Filius non fuerit. Propter istos oportet te iterum prophetare et providere populis, et gentibus et linguis, et regibus multis, ut ab his pestibus populum Christianum liberes crediturum mihi. Quomodo prophetare ? Ait :

CAP. XI. — « Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicens : Surge, et metire templum Dei et altare,et adorantes in eo : Atrium autem quod est foris templum,ejice foras, et ne metiaris eum [illud] quoniam datum est gentibus. » Calamus similis virgæ facultatem scribendi significat cum magisterii

auctoritate. Calamus namque scriptorum, virga magistrorum est. Et sunt vel fuerunt aliqui, quibus calamus datus est, sed non similis virgæ, id est similis facultas, sed non cum magisterii dignitate, vel de nulla illorum sententia sive dictione liceat cuiquam ecclesiastico dubitare. Hoc namque magisterium tantummodo prophetarum et apostolorum est, et illis solis hæc virga data est. Unde in psalmo sic determinatum est : « Dominus narrabit in Scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in ea (*Psal.* LXXXVI). »

« Et principum horum, inquit, qui fuerunt in ea, » id est apostolorum et prophetarum, sive etiam evangelistarum. Vide quid dicat : Qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis apostolis, quodcunque aliud postea dicitur, abscindatur, nec habeat postea auctoritatem. Quamvis ergo sit aliquis sanctus post apostolos, quamvis disertus sit, non habeat auctoritatem, quoniam « Dominus narrat in Scripturis populorum et principum horum, qui fuerunt in ea. » Igitur datus est mihi calamus similis virgæ, id est data est mihi facultas scribendi cum principatu, et omnimoda magisterii auctoritate, ut principatum cathedramque magisterialem haberem in medio Ecclesiæ, cujus ad pedes sederent, cujus ab ore penderent omnes filii Ecclesiæ, non dubium habituri, non negligere ausuri quidpiam eorum, quæcunque
431 meo calamo exaratum haberet volumen meum, volumen evangelicæ veritatis et gratiæ. Talis calamus mihi datus est, et is qui dedit præcepit ita dicens : « Surge et metire templum Dei et altare et adorantes in eo. » Ac si dicat : Ecce congregatio taurorum in vaccis populorum, id est, ecce tumultus hæreticorum in Ecclesiis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento, ut ejiciant a templo Dei, qui probitatem tenent, qui probi et probati sunt, sensumque probatum habent in omni verbo vel sermone divino. Insurge, increpemus feras istas, feras arundinis, tauros cornupetas et cervicosos vastatores Scripturarum veritatis. Surge, inquam, et metire templum Dei et altare, id est, Christum Dei Filium, qui et templum Dei est, et altare sanctæ Ecclesiæ, templum videlicet Dei, secundum corpus quod assumpsit ex virgine ; altare vero, secundum dignitatem utriusque naturæ, divinæ scilicet et humanæ. « Corpus namque quod assumpsit, templum Dei est, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II), » propterea dixit : « Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud ; hoc autem dicebat de templo corporis sui (*Joan.* II). » Porro altare sanctæ Ecclesiæ est eadem substantia jam glorificati corporis, simul cum illa quæ habitat in eo plenitudine divinitatis, juxta veridicam auctoritatem sanctæ ac mysticæ legis, in qua Deus dicit : « Altare de terra facietis mihi (*Exod.* XX), » id est, Christum verum Deum verumque hominem, terreno corpore incarnatum sive incorporatum confitentes, veras hostias offeretis mihi. Istud templum

A plum Dei, istud altare metire. Nam ecce mali mensores male et pessime mensi sunt, et de terminis ejus, quod hæretica infidelitate nimium mutilant, dicendo, Christum non fuisse ante Mariam, grandem tumultum facere incipiunt : Tu ergo metire, et mensuras ejus extende, calamo isto præscribens quantæ longitudinis aut latitudinis sit aut debeat esse. Longitudinem ejus supra extende ; supra, inquam, ante Mariam et ante Abraham, imo et ante Adam, sed et ante cœlum et terram usque ad antiquum dierum, usque ad antiquitatem antiqui dierum et dic : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I). » Ita metire templum hoc, et altare, et tam longe mensuras
B ejus extende. Metire etiam adorantes in eo, id est, ostende cujus vel quantæ magnitudinis sint, qui fideliter credentes bene sentiunt de eo. Verbi gratia, sic dicendo : Quotquot autem receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Sic metire, et talis vel tantæ mensuræ fore illos ostende, ut filii Dei nominentur et sint. « Atrium autem quod est foris, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus. » Quod est illud atrium quod jam foris est, nisi quodcunque conventiculum hæreticorum, qui et si sese intus esse contendunt, nihilominus, tamen foris sunt, et in illud Dei templum, id est ad Christum nequaquam pertinent aut perveniunt ? Illos ergo foras ejice, id est foris esse, foras exisse convince. Exempli gratia, ut dicas : « Ex nobis
C exierunt, sed non erant ex nobis (*I Joan.* II). » Illud atrium, illos hæreticos, qui sicut atrium templo quidem vicinum est, sed in templo vel templum non est, ita sunt « habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem abnegantes (*II Tim.* III), » ne metiaris, id est, nihil ad illss pertinere contesteris mensuram illam, quæ data est his qui receperunt eum, qui credunt in nomine ejus, scilicet potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). Quare ? Quoniam, inquit, datum est gentibus, id est, quoniam inter gentiles reputantur. Dicunt se Christianos esse et non sunt, sed mentiuntur, quia Christiani non sunt, sed cum gentibus eodem malignitatis spiritu debacchantes, Christianos persequuntur. Nam hoc est quod sequitur : « Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. Et dabo
D duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti sacco [saccis]. » Notum est, ex historiis ecclesiasticis, quia civitatem sanctam, id est Ecclesiam, hæretici cum gentibus simili furore persecuti sunt, non tantum mensibus quadraginta duobus, sed mensibus et annis multo plurimis. Cur ergo dixit mensibus quadraginta duobus, qui menses non sunt amplius quam trium annorum et semissis ? videlicet propter intimandam magnitudinem persecutionis Antichristi, quæ tanta erit, ut pene sola debeat cognosci vel praenosci, et pro cunctis persecutionibus sola computari, quari cæteræ persecutiones illi comparatæ persecutiones

non sint aut fuerint. Illam nimirum persecutionem tanti futuram esse temporis, Daniel quoque hoc modo dictum sibi audivit : « Et putabit quod possit mutare tempora, et leges, et tradentur in manu ejus usque ad tempus et tempora, et dimidium temporis (*Dan.* VII). » Item : « Quia in tempus et tempora, et dimidium temporis, et cum completa fuerit dispersio manus populi Dei, complebuntur universa hæc (*Dan.* XII). » Tempus namque et tempora, et dimidium temporis, tres et semis annos intelligimus. Nam et supra in eodem Propheta legimus, quod septem tempora transierunt super Nabuchodonosor, id est, septem anni efferationis ejus (*Dan.* IV), Ipse quoque quod per tempus, et tempora, et dimidium temporis, annum, et duos annos, et dimidium anni velit intelligi, manifestius exprimit per numerum dierum postmodum dicendo sic : « Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta (*Dan.* XII). » Etenim si juxta rationem mensium lunarium, quos solos cum embolismis suis noverunt Hebræi, dies istos dividas, vix paucos supra invenies quam attinet ad tempus et tempora, et dimidium temporis, id est, ad annum et duos annos, et dimidium anni. Nunc illud quærere dignum est, cur hic Joannes cum dicere potuisset, et civitatem sanctam calcabunt tribus annis et dimidio, dicere maluit mensibus quadraginta duobus ; itemque : « Et prophetabunt, inquit, diebus mille ducentis sexaginta, » qui sunt dies eorumdem temporum sive annorum trium ac semissis, tricenis diebus per menses singulos distributus. Nunquid enim casu vel absque ratione numeros istos mensium atque dierum taxare maluit? Non utique, sed sicut alias in Scripturis per numeros multa significatur sensuum utilium dignitas pulchra et delectabilis, ita et hic sub numeris istis pulchrum aliquid et delectabile vult intelligi. Quod ut manifestius fiat, de natura quorumdam numerorum ratio postulat aliquid prælibare quod ostium intelligentiæ citius aperiat. Numerorum parium alii sunt superflui, alii diminuti, alii perfecti. Perfecti dicuntur, qui suis patribus æqui sunt, nec crassantur abundantia, nec egent inopia : ut exempli gratia, senarius : namque senarius habet partem mediam, id est tres ; et tertiam, id est duos ; et sextam, id est unum ; quæ in unam summam si redactæ sint, per totum numeri corpus suis partibus invenitur, id est, integer ex ipsis senarius restituitur. Diminutus vero ille numerus dicitur, cujus eodem modo compositæ partes pauciores sunt, et ejusdem numeri cujus erant partes multitudine superantur, ut exempli gratia, octonarius : Habet enim octonarius partem mediam, id est quatuor ; habet et quartam, id est duos ; habet ex octavam, id est unam. Quæ cunctæ in unum redactæ septem colligunt, minorem scilicet summam quam erat octonarius concludentes. Porro superflui nominantur illi, quorum partes ultra quam satis

A est sese porrexerint, ut exempli gratia, duodenarius ; hujus enim partes majorem summam colligunt quam erat ipse duodenarius. Est enim duodenarii medietas sex, pars tertia quatuor, pars quarta tres, pars sexta duo, pars duodecima unum. Omnisque hic cumulus redundat in sedecim majorem utique summam quam erat duodecim, Eot autem, inquiunt philosophi tam sæculares quam ecclesiastici, magna in his similitudo virtutis et vitii. Perfectus namque virtutum, diminutus atque superfluus similitudinem habet vitiorum. Nimirum de superfluis isti sunt numeri, qvos hic Scriptura ista nobis obtulit, videlicet quadraginta duo et mille ducenti sexaginta. Habet namque hic numerus, scilicet quadraginta duo, partem mediam, id est viginti unum, tertiam
B id est quatuordecim, sextam, id est septem, septimam, id est sex, quartam decimam, id est tria, vicesimam primam, id est duo, quadragesimam secundam, id est unum. Quæ profecto partes in unum redactæ, majorem summam quam erant quadraginta duo simul colligunt. Quinquaginta enim et quatuor faciunt. Ita numerus iste mensium quadraginta duorum superfluit, et ultra mensuram suæ originis partes excrescunt, tanquam si quis multis super naturam manibus natus sit, ut Centimanus gigas, vel triplici conjunctus corpore ut Gerion tergeminus, vel quidquid unquam monstruosum naturæ in partium multiplicatione subripuit. Amplius autem numerus dierum mille ducentorum sexaginta in partibus suis excrescit et superfluit,
C habet namque hic numerus mediam partem, id est sexcentos triginta ; tertiam partem, id est quadringentos viginti ; quartam, id est trecentos quindecim ; quintam, id est ducentos quadraginta duo ; sextam, id est ducentos decem ; septimam, id est centum octoginta ; nonam, id est centum quadraginta ; decimam, id est centum viginti sex ; duodecimam, id est centum quinque ; quartam decimam, id est nonaginta ; quintam decimam, id est octoginta quatuor ; octavam decimam, id est septuaginta ; vicesimam, id est sexaginta tres ; vicesimam primam, id est sexaginta ; vicesimam octavam, id est quadraginta quinque ; tricesimam, id est quadraginta duo ; tricesimam quintam, id est triginta sex ; tricesimam sextam, id est triginta quinque ; quadragesimam secundam, id est triginta ;
D quadragesimam quintam, id est viginti octo ; sexagesimam, id est viginti unum : sexagesimam tertiam, id est viginti ; septuagesimam, id est octodecim ; octogesimam quartam, id est quindecim ; nonagesimam, id est quatuordecim ; centesimam quintam, id est duodecim ; centesimam vicesimam sextam, id est decem ; centesimam quadragesimam, id est novem ; centesimam octogesimam, id est septem ; ducentesimam decimam, id est sex ; ducentesimam quinquagesimam secundam, id est quinque; trecentesimam quintam decimam, id est quatuor; quadringentesimam vicesimam, id est tres ; sexcentesimam tricesimam, id est duo ; millesimam ducentesimam

sexagesimam, id est unum. Omnes istæ partes numeri hujus, id est, mille ducentorum sexaginta in unum redactæ tria millia centum et octo faciunt. In tantum numerus iste suis partibus excrescit et effluit. Cum igitur, ut supra jam dictum est, philosophorum omnium tam sæcularium quam ecclesiasticorum eadem sententia sit, similitudinem in hujusmodi numeris, qui ita sunt vel dicuntur superflui, non virtutis esse, sed vitii; quid scripturæ hujus auctorem intendere arbitramur, dum mavult dicere, menses quadraginta duos; itemque dies mille ducentos sexaginta, quam tempus et tempora, et dimidium temporis, sive annum et duos annos, et dimidium anni? Quid, inquam, nisi ut significet ex numeris tam superfluis illam, quæ tunc temporis futura esse a Domino prædicta abundantiam iniquitatis? Ipse enim dixit: « Et quoniam abundavit iniquitas refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV); » sed et alibi scriptum est: « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX). » Utrumque scriptura veridica tradit, et quia annuntiante Christo Domino, hi qui credentes vel Christiani dicerentur multiplicandi essent super numerum, multis vacuam nominis hujus professionem suscipientibus, qui ad electorum non pertinerent numerum, et quia tempore persecutionis abundante iniquitate refrigescere haberet charitas multorum. Bene ergo et numerus mensium quadraginta duorum satis superfluus, et numerus dierum mille ducentorum sexaginta, multo maxime superfluus, hic legentibus offertur, ut utrumque scilicet et multiplicitas credentium sive profitentium, de qua dictum est, « annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum, » et abundantia iniquitatis de qua item scriptum est: « Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum, » pulchra et venerabili significatione mysterium regni Dei noscere merentibus significetur. Qui porro sunt, vel quid sibi volunt duo testes isti, de quibus dicit: « Et dabo duobus testibus meis et prophetabunt? Nunquid non plures quam duos homines testes ad prophetandum iste prophetarum Dominus et auctor habuit vel habiturus est? Nunquid non testes ejus omnes, ut de cæteris nunc confessoribus taceam, apostoli sunt et martyres? Magna vere et gravissima, ponderisque immensi est hæc in ore potentis dictio, ut cum testes habeat tam multos tamque innumerabiles, duos tantum se habere pronuntiet, et hoc legitimo satis testium numero contentus sit. Duorum namque ad minus hominum testimonium lex sacra recipit, et si plures non sint, tamen paucis contenta est. Sic enim dicit: « Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum (*Deut.* XIX). » Igitur et dabo, inquit, duobus testibus meis, et prophetabunt. Sic intelligi digne potest ac si diceret: « Cum tu mensus fueris templum Dei et altare, » id est, cum in terminos fidei dilataveris; et

A prolongaveris, ut expedit calamo tuo, id est, auctoritate Scripturæ evangelicæ, non patiar deesse aliquos qui te testificentur pro me ita scripsisse, ita sensisse. Quid enim si ita dixi, et verum dixi, « quia multi vocati, pauci vero electi? » (*Matth.* XX). Nunquam tam pauci erunt electi, nunquam per abundantiam iniquitatis ita refrigescet charitas, ut minus quam duos testes invenire queat Evangelii veritas. Quid vero, inquis, si saltem duo testes contra tot adversarios exstiterint? Nimirum justum ac legitimum damnationis judicium ad ejiciendum foras illud quod supra dixi, « atrium gentibus datum. » Nonne et contra tantam multitudinem filiorum Israel murmurantium et terræ repromissionis detrahentium, duo testes, videlicet, Josue filius Nun, et Caleph filius Jephone, suf-
B fecerunt ad ipsorum judicium, ut merito prosternerentur in deserto corpora eorum? Soli namque duo hi ad omnem multitudinem locuti sunt, dicentes: Terra **433** quam lustravimus valde bona est, » et omnis multitudo, quia testimonium illorum non recepit, in deserto prostrata est (*Num.* XIII). Igitur et nunc etiamsi non plures, quam duo testes mihi fuerint, qui testimonium perhibeant veritati, omnis multitudo contradicentium portabit judicium quantacunque sit. Si enim et in passione duo falsi testes adversariis meis contra me sufficere visi sunt, qui surgentes dixerunt: « Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et in triduo reædificare illud (*Matth.* XXVI), » cur non et mihi versa vice contra adversarios meos duo veri testes sufficere debeant? Ve-
C rumtamen quoniam, ut supra dicere vel quærere cœperam, innumerabiles nobis sunt multitudines martyrum, id est testium, etiamsi numerare velimus solos illos qui in testimonio sanguinem suum fuderunt, recte jam dicendum quia testes hujus qui hæc loquitur, et vere quam multi sunt, et nihilominus juxta quamdam rationem tantummodo duo, id est, duobus ordinibus distincti sunt, videlicet, quomodo Henoch et Elias, ambo sancti et Deo dilecti a semetipsis differunt. Henoch namque nullas legitur persecutiones pertulisse, sed in pace cum Deo ambulavit, et non inveniebatur, quia tulit eum Deus (*Gen.* V). Elias vero notum est quantas persecutiones impiissimæ Jezabelis pertulit (*III Reg.* XVIII). Secundum duos illos usque hodie et usque in finem sæculi testes Christi distincti sunt, ita
D videlicet ut alii sint testes, qui in pace sanctæ Ecclesiæ fideliter viventes, loquendo pariter et scribendo testimonium veritati perhibuerunt et perhibere non desinunt; alii qui in persecutione pro statu fidei pugnando, supradictas templi Dei et altaris, et adorantium in eo mensuras defenderunt, et in defensione sanguinem suum fuderunt vel fusuri sunt. Hi duo sanctorum ordines recte dicuntur duo testes. Ait ergo: « Et dabo duobus testibus meis. » Quid dabo eis? Nimirum os et sapientiam, sicut promisi, dicens: « Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis: Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt

resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI). » Quo dicto non utique testibus suis sollicitudinem adimit, sed hoc imperat, ut non prophetent de cordibus suis, illa tantummodo scire et dicere contenti, quæ sancta Scriptura porrexerit, quæ sanctus sanctæ Scripturæ conditor Spiritus suggesserit. « Et prophetabunt, inquit, diebus mille ducentis sexaginta. » Prophetabunt, id est prædicabunt, non utcunque, sed ita ut intelligant et revelent ea quæ intus reposita sunt arcana Scripturarum, et hoc diebus mille ducentis sexaginta, id est, etiam in illa non omnes refrigescentes iniquitatis abundantia quam hujus numeri supra scripta superfluitas significat. Diximus quidem pro posse de hujus numeri natura superflua. Sed adhuc restat quod forte quis quærat, videlicet, quod cum Daniel dies scripserit mille ducentos nonaginta, istis magis placuerit dicere mille ducentos sexaginta. Ad hoc respondere licet, quia paulo quidem major est numerus mille ducenti nonaginta quam mille ducenti sexaginta, verumtamen de partibus minoris hujus quam de partibus majoris illius, excrescit multo numerosior quantitas. Hujus namque minoris numeri, id est, mille ducentorum sexaginta partes coacervatæ, ultra tria millia, sicut jam præmonstratum est, excrescunt, illius autem majoris partes (quamvis et ipse superfluus sit) ad duo millia non perveniunt. Quod etiam hic demonstrare promptum est, habet namque ille Danielis numerus, scilicet mille ducenti nonaginta partem mediam, id est, sexcentos quadraginta quinque; tertiam, id est quadringentos triginta; quintam, id est ducentos quinquaginta octo; sextam, id est ducentos quindecim; decimam, id est centum viginti octo; quintam decimam, id est octoginta sex; tricesimam, id est quadraginta tres; quadragesimam tertiam, id est triginta; octogesimam sextam, id est quindecim; centesimam vicesimam nonam, id est decem; ducentesimam quintam decimam, id est sex; ducentesimam quinquagesimam octavam, id est quinque; quadringentesimam tricesimam, id est tres; sexcentesimam quadragesimam quintam, id est duo; millesimam ducentesimam nonagesimam, id est unum. Plures vel alias hujus numeri partes non facile quis reperiet, quæ videlicet partes simul coacervatæ superfluunt quidem ultra quantitatem, cujus partes sunt; verumtamen nec ad duo millia, sicut jam dictum est, excrescunt; faciunt enim mille octingentos septuaginta octo, cum numeri minoris, id est, mille ducentorum sexaginta, qui præsenti loco datus est, in uno redactæ partes, ultra tria millia, sicut jam dictum est, protendantur. Igitur et ille Daniel et iste Joannes, sive is qui Joanni loquitur, uterque numeris superfluis usus, illam de qua sæpe dictum est, iniquitatis abundantiam significat (*Matth.* XXIV). Sed iste qui ex ipsius Domini ore audierat, quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum, ut eamdem iniquitatis abundantiam acrius innueret, et multo magis superfluum numerum accepit vel dedit, et ab eadem temporis quantitate quam Daniel præviderat, non valde in longum recessit. Notandum tamen valde quod cum dixisset, « et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, » addidit, « amicti sacco. » Quid est enim amicti sacco, nisi multum humiliati, omnimodo pœnitentiæ studio? Saccus namque duram pœnitentiæ austeritatem significat, quo lugentes operiri solent, maximeque pœnitentes. Sicut de rege Ninive scriptum est, quia ad prædicationem Jonæ surrexit de solio suo, et abjecit pallium suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere (*Jon.* III). Sed quis non miretur testes istos tantæ dignitatis sacco debere amiciri? Attamen ita est. Eorum namque est in sacco et cinere peccata hominum lugere, et tanto magis coram Domino humiliari, quanto major in suo tempore est abundantia iniquitatis. Sic Elias cum Jezabel et Achab prophetas Domini occiderent, et altaria ejus suffoderent, non mollibus vestiebatur aut in domibus regum erat, sed in desertis, incultus et hispidus, asperam vitam ducebat (*III Reg.* XIX) Nam de ejusmodi cultu vel habitu ejus sic scriptum est: « Cujus figuræ et habitus, inquit Ochozias, est vir qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus et zona pellicea accinctis [accinctus] renibus. Qui ait: Elias Thesbytes est (*IV Reg.* I). » Hoc respiciens et Apostolus cum dixisset: « Sancti ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, » etiam hæc intulit: « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti (*Hebr.* II). » Itaque testes isti fideles, eo ipso quod fideles sunt vel erunt illa tribulatione, peccata lugebunt populorum, quomodo tum Elias et Elisæus in desertis, in solitudinibus; in montibus, et in speluncis peccata Israelis lugebunt, cæterique filii prophetarum. Nunquid enim absque causa peccati, dies illi tribulationis tales erunt? Non utique, sed sicut alibi scriptum est: « De humo non egredietur dolor, sic et tunc non pro nihilo, sed pro peccato consurget illa tribulatio (*Job.* V). » Cum autem multa sint peccata in populo Christianitatis, **434** non abs re est scire vel quærere Scripturarum exemplis, quo maxime vel quali pro peccato illa talis tribulatio contra Ecclesiam consurgere permittenda sit. Illustris et notæ scientiæ vel fidei vir beatus Hieronymus locum illum in Michæa pertractans: « Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes: « Nunquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala propter hæc, causa vestri; Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum (*Mich.* III). » Hæc inter cætera dicit Petrus apostolus: « Argentum, inquit, et aurum non habeo (*Act.* III). » Poterat utique Simoni Mago vendere quod petebat, imo poterat simulare vendentem (*Act.* VIII). Spiritus enim sanctus nec venundari nec

emi potest, sed oblatam pecuniam cum offerente A damnavit. Nunc videas prophetas Jerusalem non habere in ore prophetiam, et in Domino requiescere, et dicere : « Non venient super nos mala. » Quorum causa speculatorium Dei hostili aratro dividitur, et locus quondam pacis ruinis plenus fit, et templum Domini in vepres spinasque convertitur, et est habitaculum bestiarum. Et post aliqua : « Propter quod causa nostri qui tales sumus, qui Sion ædificamus in sanguine, et Jerusalem in iniquitate, qui judicamus in muneribus, qui in mercedibus respondemus, qui in pecunia divinamus, et super hoc fictam nobis sanctimoniam vindicantes dicimus : Non venient super nos mala. » Audiamus sententiam Domini quæ sequatur : Sion, et Jerusalem, et mons templi, speculatorium, et visio pacis, B et templum Christi, in consummatione et in fine, quando refrixerit charitas, et rara fides fuerit, quasi ager arabitur, et redigetur in tumulos, et erit in ecclesia silvarum, ut ubi amplæ quondam domus erant, et absque numero acervi frugum, ibi vix parva sit casula servans speciem ciborum, refectionem animæ non habentium. Cum hæc dicit, profecte scire nobis et dicere licet, quia causa futuræ tribulationis tam magnæ peccatum est maxime graduum Ecclesiasticorum, pecccatum venalitatis et avaritiæ, quod nunc aspicimus et ubique regnare videmus, ambitione nimia cuncta devastante avaritia pene universa reposita intus in Ecclesiis devorante, ubi quia licet vivere, libet etiam ambire. Unde tunc merito fiet, ut quia non licebit vivere, C etiam non libeat ambire, multo amplius, multo miserabilius quam tempore persecutionis Neronianæ sive Diocletianæ, quibus urgentibus nimirum gradus ecclesiasticos nec emere delectabat, nec vendere vacabat. Igitur amicti sacco prophetabunt, id est pœnitentiam agentes et aliis prædicantes, et populo testimonium veritatis annuntiabunt, et Deo quatenus plagam cessare faciat, sive ut se ne in errorem inducantur liberet, tota intentione supplicabunt. Sequitur :

« Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra in conspectu Domini stantes. » Quasi quæreres, quis ex eo quod amicti sacco prophetabunt, fructus sperari deberet ? « Hi sunt, inquit, duæ olivæ, et duo candelabra. » Ac si dicat : Quia sic prophetabunt, idcirco erunt in suo tempore arbores bonæ, arbores olivæ, pulchræ et fructiferæ, feraces misericordiæ D de cœlo impetratæ, ut propter eos brevientur dies illi tam mali, tam calamitosi. Ipsi namque sunt electi illi, de quibus ipse in Evangelio futura hæc prænuntians dicit : « Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset [fieret] salva omnis caro ; sed propter electos quos elegit breviavit dies (*Marc.* XIII). » Itaque erunt olivæ, id est causæ misericordiæ tunc accelerandæ. Oliva namque misericordiam Domini solet in Scripturis significare, non solummodo pro similitudine fructus, cujus suavi et leni vulnera curantur unctione, verum etiam pro ipso suo nomine quod tractum est a Græco ἔλεος, quod Latine dicitur misericordia, Candelabra vero in quo sunt ? In eo videlicet quod in illis diebus tam nigris, tam tenebrosis, clara prophetia sive prædicatione lucebunt, ita ut fieri non possit ut in errorem inducatur quispiam electorum. Cujus videlicet erroris tantum erit periculum, ut dicere curaverit ipse Dominus custos electorum : « Surgent enim pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi (*Matth.* XXIV). » Itaque et duæ olivæ et duo candelabra hi sunt. Sic in illo tempore, cum Jezabel, nox, et illius antiquæ Ecclesiæ magna obscuritas, cœlum obtenebrasset, et per suos satellites prophetas Baal tenebras spargeret, stetit Elias, qui et tanquam candelabrum lucem funderet opportunam, quatenus diceret populus : « Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus, » et tanquam oliva de cœlo impetraret populo misericordiam, ut cœlum daret pluviam, et terra daret fructum suum (*III Reg.* XVIII). Unde dicitur in laudibus patrum : « Et surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum illius quasi facula ardebat. » Et post pauca : « Qui inscriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium et restituere tribui [tribus] Jacob : beati sunt qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt (*Eccli.* XLVIII). » Elisæus tunc temporis oliva altera, et alterum fuit candelabrum, qui pro ejusdem utilitatis intentione, ut misero populo posset prodesse, hoc, optione sibi data, elegit orare quatenus magistri spiritus duplex fieret in se. De quo ibidem scriptum est : « Et in Elisæo completus est spiritus ejus. Et quidem in omnibus istis, inquit, illum non pœnituit populum, et non recesserunt a peccatis suis usque dum abjecti sunt de terra sua, et dispersi sunt in omnem terram. » Attamen sequitur : « Et relicta est gens perpauca, et princeps in domum [domo] David. » Et continuo subjungit : « Quidam eorum fecerunt quod placeret Deo, alii autem multa cemmiserunt peccata (*ibid.*). » Ac si dicat : Etsi non omnes correxerunt, attamen multis ad correctionem profuerunt. Nimirum ita erit et tecum. Istis namque olivis et candelabris, de quibus nunc dicitur, in conspectu Domini stantibus, etsi multi scandalizabuntur, fieri tamen non poterit, ut etiam electi in errorem inducantur. Sane quod ait de istis in conspectu Domini stantibus, ejusdem Eliæ sive Elisæi quoque professioni consonat, quorum alter videlicet Elias dicit ad Achab : « Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia (*III Reg.* XVII) ; » alter vero, scilicet Elisæus ad Joram regem Israel : « Vivit Dominus exercituum, inquit, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, ne attendissem quidem te, nec respexissem (*IV Reg.* III). » Et hic et illic verbum stantis, habitum significat virtutis quod videlicet testes fideles, testes Domini, non cum errantibus et foris ejiciendis jacent in peccatis et vitiis, sed cum veritate recti atque expediti stant in exercitio pietatis, in defensione

justitiæ, in obsequio Dei super thronum sedentis, et orbem terræ in æquitate judicantis. Sequitur :

« Et si quis voluerit nocere, ignis exiet de ore ipsorum, et devorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum ne pluat diebus prophetiæ eorum et potestatem habent super quas convertendi eas in sanguinem, 435 et percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint. » Tota hæc testium dignitas cum Scripturarum majestate procedit, et pulchrius quam verbis queat explicari, dum futuris vel [et] præsentibus intendit, præteritorum quoque memores nos esse compellit, si verum volumus eorum quæ dicuntur sensum consequi. Cum enim dicere sic posset : Si quis eos voluerit in errorem inducere, et prædicationem sive regulam veritatis hæreticæ pravitatis turbidinibus obruere, judicium damnationis exiet de ore eorum. ut anathematizent eos et Satanæ in æternum tradant interitum ; cur sic maluit intelligere, « et si quis eos voluerit nocere, ignis exiet de ore ipsorum, et devorabit inimicos eorum ? » Cur, inquam, nisi quia potestatis ejus in illo sæpe dicto Elia mysticum præcessit exemplum ? Sic enim scriptum est : « Misitque ad eum, videlicet Ochozias quinquagenarium principem, et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum, sedentique in vertice montis ait : Homo Dei, rex præcepit ut descendas. Respondensque Elias, dixit quinquagenario : Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te et quinquaginta tuos. Descenditque ignis de cœlo et devoravit eum, et quinquaginta qui cum eo erant (*IV Reg.* I). » Misit principem quinquagenarium alterum, et quinquaginta cum eo, et similiter « ignis exivit de ore ejus, » id est, descendit ad imperium oris ejus, et devoravit eos. Unde constat quod intentione nocendi dixerint : Homo Dei, rex præcepit ut descendas : Homo Dei, hæc dicit rex : Festina, descende, et idcirco dixerit ille : Descendat ignis de cœlo et devoret vos, dictumque effectus consecutus sit. Nimirum quomodo tunc ignis de ore illius visibilis exivit, et inimicos ejus regia cum tumore mandata perferentes devoravit, sic de ore istorum ignis exiet invisibilis, id est, judicium dominationis, devorabit eos, qui regibus impiis, regumque impiorum capiti Antichristo adulantes nocere illi sive lædere illos voluerint. Item cum dicere posset: Hi habent potestatem ligandi in cœlo et in terra, ut non veniat super inimicos eorum propitiatio vel peccatorum remissio, cunctis diebus ministerii vel officii, id est, usque in finem sæculi, sive in sempiternum, cur sic dicere maluit: Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ eorum? Cur, inquam, nisi quia talis quoque pluviæ sive potestatis ad pluviam hujusmodi cohibendam in eodem Elia claruit mysterium ? « Ille etenim oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam et terra dedit fructum suum. » Quod eum

A facere Domino jubente intenderet, magna cum potestate dixerat regi Achab : « Vivit Dominus Deus Israel in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba (*III Reg.* XVII ; *Jacob* ; V ; *III Reg.* XVIII). » Sic profecto testes isti adversariis suis inimicis Christi et hostibus veritatis claudunt cœlum, clausa continent ora sua qui ipsi sunt cœlum, ne pluant super eos verbum, nolentes effundere sermonem, ubi auditus non est, utpote quos secundum Apostolum « post primam et secundam admonitionem devitare debent, quia subversi et proprio judicio condemnati sunt (*Tit.* III). » Talem ob causam primum Judæis subversis, et proprio judicio condemnatis, clausum est hujusmodi cœlum Deum sequentes auctorem, qui de illis vel contra

B illos in propheta culpam ipsorum prævidens, « nubibus meis, inquit, mandabo ne pluant super eos imbrem (*Isa.* V). » Item cum dicere posset : Et potestatem habent super doctrinas nequam condemnandi eas, et anathematis dare sententiam » ut quicunque receperit eas, similem sortiatur damnationem, cur sic maluit dicere : « Et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, » nisi ut ad mysticam non mitteret historiam, ubi testes Moyses et Aaron aquas Ægypti verterunt in sanguinem ? (*Exod.* VII). Denique quomodo illis potestatem habentibus materiales Ægyptiorum aquæ vesrsæ sunt in sanguinem, sic istis judicii divini potestate utentibus, hæreticorum pravam doctrinam effundentium, et omnium illis consen-

C tientium conscientiæ, hic audiunt horridam et sanguineam, quam sunt bibituri mortis æternæ damnationem. Addidit hic, et percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint habent potestatem, subaudiendum est, quomodo illi jam dicti Moyses et Aaron terram Ægyptiam visibiliter tot plagis percusserunt. Sic enim sententiis multiplicibus terram, id est, terrenos homines invisibiliter percutiunt, donec deficiant rebelles et ultima damnatione involvantur, quomodo illi terram Ægypti visibiliter tandiu contriverunt, donec ultima plaga percussi Ægyptii cum rege suo devolverentur in maris profundum. Sequitur :

« Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendet de abysso faciet adversus illos bellum, et vincet illos et occidet eos. Et jacebunt corpora

D eorum in plateis civitatis magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. » Cum, inquit, finierint testimonium suum. Nimirum cuique testium fidelium suum præfinitum est tempus, suusque numerus, videlicet quousque testificandi officio fungantur, vel quam usque ad mensuram meritorum illorum cumulus sit perficiendus. Hoc ignorantes ipsi dum adhuc in corpore viventes a Domino peregrinantur (*II Cor.* V), festinanter nonnunquam cupiunt dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I), non attendentes præ festinatione desiderii sursum ad Deum anhelantes, utrum perfecerint testimonium suum an non. Ille

autem sciens et prævidens quid vel quantum adhuc supersit, ad ipsorum profectum differt complere desiderium, quemadmodum et iste Joannes, sicut in gestis ejus legimus, cum multoties rogaret, quatenus hinc exire et ad Christum sibi venire concederetur, refert responsum fuisse sibi : « Exspecta ut populum liberes crediturum mihi. » Item persecutores impii, verbi Dei profectum et gloriam testimonii ejus odientes, testes sanctos, auferre de terra festinant, Deus autem servat illos, et insidiantium conatus prævenit et cassat, donec illi testimonium suum finiant, sic et ipsum regem fidelem, testiumque fidelium principem Christum festinabat Herodes occidere, et permissus non est, donec illi testimonium suum finiret, quod ita Lucas refert : « Accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi : Exi, vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis : Ite et dicite vulpi : Ecce ejicio dæmonia. et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consumor. Verumtamen oportet me hodie et cras, et sequenti die ambulare : quia non capit prophetam perire extra Jerusalem (*Luc.* XIII). » Igitur cum finierint testimonium suum, id est, non antequam finiant testimonium suum, bestia scilicet Antichristus, qui jamdudum, ut ait Apostolus, « operatus est et operatur ministerium iniquitatis, faciet adversus illos bellum (*II Thess.* II). » Quale bellum ? Nimirum quale solet esse inter veritatem et mendacium. Isti namque testes, contra quos ille facit vel faciet bellum, non ferro materiali, sed tantum verbo veritatis pugnare consueverunt. Bellum ergo faciet adversus illos, id est, veritatem fortiter erecto impugnabit mendacio. « Et vincet illos, » id est, pene usque ad victoriam deprimet illos, **436** sicut illud quod alibi dictum est : « Et impleverunt ambas naviculas ita ut mergerenter (*Luc.* V), » id esse oportet, ad submersionem premerentur. Exsurgent enim, inquit Christus, pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos (*Marc.* XIII). » Tunc itaque pius martyr inter tormenta signa non faciet, bestia autem illa mendacia faciet signa par prophetas suos, et in hoc videbitur superior. Quid tandem ? « Ecce occidet illos, » inquit. Quis occidet nisi is qui occidere solet ? Nam ipse quidem in persona sua nondum venit, qui proprie Antichristus dicitur, et constat quia venturus est, sed in spiritu ejus jam venit Nero, et post eum cæteri, in quibus ille filius perditionis, qui in suo tempore revelandus est ministerium iniquitatis jam diu multumque operatus.

« Et jacebunt corpora eorum in platea civitatis magnæ. » Bestia quæ ascendet de abysso, id est, de occulto nobisque incognito malitiæ et tenebrarum profundo ubi nunc est diabolus Deo contrarius, antequam perditum illum hominem ingressus proprie dicatur ; et sit Antichristus, cum occiderit corpus, post hæc amplius non habebit quid faciat (*Luc.* XII), sed hoc tantum faciet, ut corpora quæ occiderit insepulta jacere faciat in plateis. Hoc quam sæpe jam factum sit, non ignorat, qui martyrum gesta vel passiones legit. Porro, civitas magna cujus in plateis jacuerunt vel jacebunt testium istorum corpora, civitas est sanctæ civitati contraria, civitas diaboli contraria civitate vel Ecclesiæ Dei, cujus primus civis et opifex fuit fratricida Cain (*Gen.* IV), et exinde omnes filii superbiæ, cujus vel quorum rex ipse diabolus est. « Ipse enim, inquit Dominus ad Beatum Job, rex est super omnes filios superbiæ (*Job.* XLI). » Ejusmodi civitatis ædificia sunt vitia omnia, maximeque libido et superbia. Ideo nunc dicit : Quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus. » Sodoma videlicet propter libidinem maxime illam quæ est contra naturam, cujus Sodoma illa localis in sua pœna horrendum fuit exemplum (*Gen.* XV). Ægyptus propter superbiam, cujus quam damnabilis sit præsumptio, Ægyptii cum rege suo in mare mersi cum curribus et equis magnum et famosum universo mundo præbuere documentum (*Exod.* XIV). Recte ergo talibus denotatur vocabulis illa civitas. « Ubi, inquit, et Dominus eorum crucifixus est. » Dominus testium istorum Jesus Christus est testis fidelis, et hic Hierosolymis extra portam civitatis crucifixus est. Ergone Jerusalem civitas illa, in qua reges olim justi regnaverunt, in qua singulare fuit unius Dei templum, Sodoma vocatur et Ægyptus ? Ita plane si ad propheticam respicias veritatem qua suggerente Isaias ita locutus est : « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei, populus Gomorrhæ. » Præmiserat autem in titulo, dicens : « Visio Isaiæ filii Amos quam vidit super Judam et Jerusalem (*Isa.* I). » Igitur qui carnaliter erant Juda et Jerusalem, spiritualiter illic Sodoma et Gomorrha dicti sunt. Alius quoque propheta cum dicit eidem populo, « pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa (*Ezech.* XVI), » nomini huic alteri locum et causam dat, ut Ægyptus dicatur eadem civitas, quia videlicet sicut Amorrhæi et Cethæi, sic et Ægyptii de posteritate maledicti Cham fuere exorti. Ferat proinde opprobrium suum civitas illa, ubi Dominus istorum crucifixus est, ut vocetur spiritaliter Sodoma et Ægyptus, id est, pars computetur magnæ civitatis diaboli, quæ istis nominibus denotatur. Et sicut super Sodomam pluit Dominus ignem et sulphur (*Gen.* XIX), et sicut in Ægypto aquæ virga Moysi percussæ in sanguinem versæ sunt (*Exod.* VII), sic illi qui Dominum crucifixerunt, dignum cum cæteris, imo pro cæteris ubique gentium homicidis atque immundis subeant æternum ignis et sanguinis judicium.

« Et videbunt de populis, et tribubus, linguis, et gentibus corpora eorum tribus diebus et dimidio, et non sinent ea poni in monumentis. Et inhabitantes te terram gaudebunt super illos, et jucundabuntur, et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui inhabitant super terram. » Peccatum peccatorum, omnium deterrimum

est, impios lætari cum malefecerint, et exsultare in rebus pessimis, et merito talibus multus et inexhaustus repositus est thesaurus iræ Dei viventis (*Prov.* II). Hoc peccatum in illos occisores testium sanctorum gravissime denotat enuntiatio hæc, qua nunc dicitur : « Et videbunt et gaudebunt et jucundabuntur, et munera mittent invicem. » Quid enim videbunt? Utique magnum scelus suum, scilicet corpora sanctorum quas occiderunt non posita in monumentis, et suæ potestatis esse, ut non ponantur in monumentis. Et quamobrem super hoc tantopere gaudebunt, et jucundabuntur, et munera mittent invicem? Quoniam, inquit, hi duo prophetæ cruciaverunt eos, et subaudiendum est, quia occidendo illos magno, ut ipsi putant, cruciatu liberaverunt semetipsos. In promptu esset de gestis vel præliis sanctorum proferre exempla, et demonstrare ubi vel quando truces homicidæ prostratis legionibus martyrum gavisi et jucundati fuerint, imo et in medio funerum discumbentes, profusis conviviis, epulati fuerint, tanquam de maximis hostibus ingentes triumphos consecuti. Sed unum de Domino ipsorum qui crucifixus est exemplum sufficit. Cum enim crucifixissent illum, ita gavisi sunt et jucundati, ut moventes capita sua dicerent : « Vah! qui destruis templum Dei et in triduo illud reædificas (*Matth.* XXVII). » Præterea, quasi munus sibi miserunt invicem, ducentes illum ad Annam primum, deinde ad Caipham, deinde ad Pilatum, deinde ad Herodem, deinde rursus ad Pilatum. Ita quasi spectaculi munus miserunt invicem, et huic muneri suo gratiam impiam habuerunt. Denique Annas honorem sibi fieri arbitratus est quod ad se duceretur primum, quia erat socer Caiphæ (*Luc.* XXIII). Pilatus autem et Herodes amici facti sunt in ipsa die, nam antea inimici erant ad invicem. Adeo gaudebant et jucundabantur, tanquam immenso liberati cruciatu, quia videlicet sicut nunc dictum est, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui inhabitant super terram, sic multo vehementius ipse Dominus prophetarum cruciaverat eos, adeo ut gravis esset illis etiam ad videndum. Pro eo quod ipsi erant inhabitantes terram, id est, non minus corde quam corpore terræ sive terrenis cupiditatibus inhærebant, iste autem cœlestia loquebatur et terrenam illorum reprehendebat avaritiam. Verumtamen quod de testibus istis dicitur, et corpora eorum non sinent poni in monumentis, hoc in illum dominum ipsorum, qui crucifixus est illi facere non sunt permissi. Providerat enim illi Spiritus sanctus sacræ ac mysticæ legis per præceptum hujusmodi : « Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno (*Deut.* XXI). » In qua sententia notandum quod maledictum, non pœna facit sed culpa, cum sic præmittit, et diligenter determinat, « quando peccaverit homo

A quod morte plectendum est, » demumque subjungit, **437** « et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo. » At illi eum qui non habebat culpam arbitratu quidem suo maledictum esse voluerunt propter pœnam. Verumtamen sicut jam dictum est auctoritate legis suffragante, non licuit eis prohibere sepulturam, atque ita et in hoc nescientes saluti nostræ deservierunt, ut cujus anima descenderat ad inferos, cunctas per potentiam insitæ sibi divinitatis liberatura electorum animas, ejus corpus non prohibita sibi sepultura poneretur in terra, daturum corporibus mortuorum ut de sepulcris suis exsiliant in resurrectione futura. Notandum tandem quod sic tempora circumscribit, ut dicat, tribus diebus et dimidio videbunt corpora eorum, rursumque : « Et

B post tres dies et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos et steterunt super pedes suos. » Quantum enim temporis supra significaverat, dicendo : « Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. » Itemque : « Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, » tantumdem significat, dicendo, « nunc tribus diebus et dimidio. » Itemque : « Et post dies tres et dimidium. » Tempus ergo, et tempora, et dimidium temporis, id est annos tres et semissem, tres dies ac dimidium hic appellat. Cur hoc? Cur dum prophetarent testes isti, tempus prophetiæ illorum diebus mille ducentis sexaginta, id est, tribus annis et dimidio præfinitum est, postquam autem prophetaverunt, postquam bestia occidit corpora, post hæc non habitura quid faciat, pro tribus

C annis et dimidio, tres dies et dimidium dicere vel scribere complacitum est? (*Joan.* XXI). Nimirum quia sanctis Dei testibus in agone permolesto pro veritate certantibus, dum instat, dum præsens est angustiæ tempus, dum quo nolunt, ducuntur sensui fragilissimæ carnis longum videtur, postquam autem abierit tempus illud, « ut jam ultra non sit mors, neque luctus, neque clamor, neque dolor, quæ prima abierunt (*Apoc.* XXI), » tunc demum positis in æternitate beata, respicientibus post tergum, breve videbitur fuisse quod pertulerunt, et tunc perpendent quam vere Apostolus dixerit : « Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). » Ait ergo : « Et post dies tres, et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos, » id est post breve tempus, quamvis

D multum videatur, futurum est, et reduces spiritus in jussu omnipotentis revertantur in artus proprios, et resurgant qui mortui in sepulcris jacuerant, vel etiam insepulti projecti fuerant. Mutata sunt tempora verborum, cum hactenus de futuro fieri enuntiatio, et civitatem sanctam calcabunt, et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt, et jacebunt in plateis corpora eorum, et videbunt de populis, et gaudebunt, nunc autem præterito tempore sic dicitur, « spiritus vitæ a Deo intravit in eos, et steterunt. » Nimirum hoc indicio mutata esse persona significatur, quia videlicet ab eo quod supra dictum est, « atrium autem quod est foris templum ejice foras, et ne me-

tiaris, quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt; hæc et cætera usque ad hunc locum, verba sunt ejus personæ quæ calamum dedit, hic autem persona Joannis rursum loqui incipit eodem tempore verborum, scilicet præterito, quo loquebatur superius, quod non inusitatum constat esse sermonibus propheticis. Sæpius namque dum futura prænuntiant verbis utuntur præteriti temporis. « Et steterunt, inquit, super pedes suos. » Subauditur in magna constantia. Hoc enim innuit illud quod additum est,« super pedes suos. » — « Tunc » etenim, ut Sapientia dicit, « stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores illorum. Videntes turbabuntur timore horribili (*Sap.* v). » De quo timore malorum, simulque de illo statu sanctorum hic protinus subditur: « Et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem illis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici illorum. » Hoc nimirum viderunt, imo visuri sunt inimici eorum, quia vocem audient magnam dicentis: « Ascendite huc, » dicentis: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* xxv). » — « Tunc, inquit Apostolus, rapiemur in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus (*I Thes.* iv). » Hoc est quod « videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementesque præ angustia spiritus, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est (*Sap.* v). »

« Et in illa hora factus est terræ motus magnus, et decima pars civitatis cecidit et occisi sunt in terræ motu nomina hominum septem millia. Et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. » Nihil verius quam quod in illa hora, quando resurgent mortui, fiet terræ motus magnus, ut evigilent omnes, cum tali tanquam profundo somno sopiantur. Porro, quod supra civitatem magnam dixit, quam et spiritualiter Sodomam et Ægyptum vocari asseruit, id nunc non civitatem, sed decimam appellat partem civitatis, quam et cecidisse, vel casuram esse dixit. Et revera quæ dicitur civitas diaboli, non civitas est, sed ruinæ sunt magnæ et sanctæ civitatis Jerusalem cœlestis, cujus novem sunt angelorum ordines, et idcirco qui inde ceciderunt, et homines, qui de illorum sorte sunt, recte dicuntur « decima pars, » ruinosa pars ejusdem « civitatis. » Utrique ceciderunt, id est, cadent, videlicet in infernum, cum diabolo et angelis ejus, et homines sequaces ejus: idcirco non fuit contentus dixisse, « et decima pars civitatis cecidit, » sed addidit, « et occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia. » Nam septem millia hominum, idem est ac si diceret universitas hominum impiorum.

A Maluit tamen dicere « nomina hominum » quam simpliciter homines, per quod intelligimus nominatos in hoc sæculo, et inclytos homines, videlicet de qualibus in Psalmo scriptum est: « Tabernacula eorum in progenie, et progenie vocaverunt nomina sua in terris suis (*Psal.* xlviii). » Et in Isaia: « Propter hoc dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes ejus, et populus ejus, et sublimes ejus, gloriosique ejus ad eum (*Isa.* v). Quomodo cecidit vel casura est illa decima pars civitatis, et hominum nomina quomodo occidenda sunt in illa hora terræ motus tam magni? Nimirum eodem, qui dicet testibus suis: « Ascendite huc, » id est, « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum; » eodem, inquam, Domino dicente: B « Cadite illuc, » id est, « Discedite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv), » cadent et ibunt in supplicium æternum. « Et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. » Qui sunt vel inerunt reliqui, nisi omnes electi qui stabunt a dextris? Nunquid autem isti timebunt vel timore mittentur, quando diabolus, videntibus cunctis, præcipitabitur? Timebunt plane, quia sic ad beatum Job Domino loquente audivimus vel legimus: « Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur (*Job.* xli). » **438** Tanto quippe pondere terroris excutientur, ut sanctorum etiam prædicatorum, quos angelos Scriptura nominare consuevit, fortitudo turbetur. Erit autem in eis aliquo modo tremor lætus, et timor securus, quia et cœlesti regno se remunerari certi C erunt, et pro carnis infirmitate contremiscent per tanti turbinis metum. « Et dederunt, inquit, gloriam Deo cœli. » Videlicet admirantes virtutem Fortissimi, qui tam fortem tamque superbum tam fortiter præcipitabit. Tali modo decima pars supernæ civitatis, quæ dudum de cœlo cecidit, remanentibus novem, ut jam dictum est, angelorum ordinibus, tunc de terra quoque et de aere isto (in quo hactenus nequiter vagantur illi magni spiritus) cadet et præcipitabitur, quam videlicet partem Apostolus vocat « spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* vi), » et homines impii simul mittentur. « Væ secundum abiit, ecce væ tertium veniet cito. » Hoc illi loco superiori jungitur (*Apoc.* ix), ubi præmissio, « væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ, » continuo sequitur, quia « angelus sextus tuba cecinit. » Et plaga D magna subscribitur, solutis quatuor angelis, a quibus occisa est tertia pars hominum tribus plagis, scilicet plaga ignis, plaga fumi et plaga sulphuris. Siquidem ea quæ hoc sequenti libello tractata sunt ab eo loco quo sic cœpit: « Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo (*Apoc.* x), » usque ad præsentem locum quo nunc dicit, « væ secundum abiit, et ecce væ tertium veniet cito, » neque ad illum secundum, neque ad istud tertium væ, sed ad laudem pertinet Christi, et magnificentiam gloriæ ejus et misericordiæ, qui illud ultimum væ, ne electis ejus imparatis ex improviso superveniret, per semetipsum venire et illud prænuntiare dignatus est.

Hoc enim advertentes quæcunque credimus, quia Christus Jesus in hunc mundum peccatores salvos facere venit (*I Tim.* I), et quæcunque legimus, quia per semetipsum ore proprio in Evangelio sub illud ultimum væ, id est, judicium damnationis impiorum futurum esse prædixit, dicamus cum isto, qui hæc dicit vel scribit, quia « secundum væ abiit, et ecce væ tertium veniet cito. »

« Et septimus angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes : Factum est regnum hujus mundi Domini nostri, et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras [et qui venturus es, quia] qui accepisti virtutem tuam magnam et regnasti. Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis, et prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram. » Tuba hæc septima, illa, ut jam supra memoravimus, tuba novissima est, cujus et Apostolus meminit, ubi ad Corinthios scribens, ita dicit : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti (*I Cor.* XV). » Itemque ad Thessalonicenses : « Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo (*I Thess.* IV). » Quis autem dubitet ad cantum tubæ illius septimæ, sive novissimæ, resurrectionem mortuorum pertinere vel futuram esse, de qua et illic Apostolus dicit, « et mortui resurgent incorrupti, » et hic iste jam præmisit, quia « spiritus vitæ a Deo intravit in eos, et steterunt super pedes suos ? » Quare ergo sic iste anticipavit, ut prius diceret, « spiritus vitæ a Deo intravit in eos, » quod est mortuos resurgere, et deinde scriberet, « væ secundum abiit, et ecce væ tertium veniet cito, » addens continuo, « et septimus angelus tuba cecinit ? » Quare, inquam, nisi quia resurgere a mortuis, et stare super pedes, non est væ, sed gaudium magnum testibus illis, de quibus vel pro quibus illam prophetiam contexuit ? Denique et quod dixit, quia facto terræ motu decima pars civitatis cecidit, quoniam pro gloria testium eorumdem dixit, magis in gaudium sanctorum debuit enuntiari, et idcirco tandem ad illud væ respiciens septimæ tubæ cantum intulit, cujus canentis hæc summa est vox, qua ipsum væ ita concludit : « Et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis, et exterminandi eos qui corruperunt terram. » Hoc nimirum est ultimum væ, et iste cantus tubæ septimæ, de quo veraciter juravit iste angelus fortis, « quia tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei (*Apoc.* X). » Canente ergo septimo angelo, « factæ sunt voces, inquit, magnæ in cœlo, dicentes : Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. » Voces istæ magnæ beatorum angelorum et sanctorum omnium non conticescent in æternum. Cum autem dicunt, « factum est regnum hujus mundi Domini nostri, et Christi ejus, » subintelligendum est nobis, ita ut impletum sit jam ex illa novissima tuba, id quod Domino Filio dixit Pater Dominus : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX). » Nam tunc quidem regnat Dominus, et jam Christus ejus qui dicit in Psalmo : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II), » in gloria regni sui est, ex quo resurrexit a mortuis, et in cœlum ascendit juxta propheticum ejusdem Psalmistæ præconium : « Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum (*Psal.* VIII). » Sed adhuc rebellis ex magna parte recalcitrat mundus, et sanctos ejus ministros persequitur. Proinde Apostolus cum hujus testimonii meminisset dicens : « Gloria et honore coronasti eum, et constuisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus ; » continuo subjunxit futurum de quo loquimur : « Nunc autem nondum videmus omnia illi esse subjecta (*Hebr.* II). » Itaque, sicut jam dictum est, jam quidem regnat Dominus, et Christus ejus, et præsens quoque Ecclesia regnum ejus dicitur et est, sed sunt adhuc multa in regno ejus scandala, quæ canente novissima tuba colligentur. Quod cum factum fuerit, tunc demum pleno ore rite cantabitur : « Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus, » quia vinctis in carcere inferni cunctis hostibus, pacatum regnum, et in pace regnabunt in sæculo sæculorum. « Et viginti quatuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es et qui eras, quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti, et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis, et prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram. » Multis et bonis Dei operibus, magnis et æternis beneficiis ejus magnæ et sempiternæ gratiarum actiones debentur. Quid autem ista ejusdem Domini Dei omnipotentis beneficio majus et pulchrius, quod commemorantes dicunt, « quia accepisti virtutem tuam et regnasti ? » Quid enim magnificentius, quam quod virtutem suam Dominus accepit, **439** et regnavit ? Regnabat quippe peccatum, regnabat mors ab Adam, regnabat diabolus mundi obtinens principatum, et hic erat fortis armatus, qui in pace sua possidebat, et custodiebat atrium suum (*Joan.* XII ; *Matth.* XII ; *Luc.* XI). Super hoc generi humano condolens accepit virtutem suam, et regnavit, supervenit fortior, vicit illum, et vasa ejus diripuit. Hæc est illa acceptio virtutis et regni, de qua et Psalmista prædixit : « Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitu-

dinem et præcinxit se (*Psal.* XCII). » Quomodo vel quando illam virtutem suam accepit ? Imo quæ est illa virtus Dei, nisi spiritus Dei, digitus Dei, dicente ipso qui regnavit: « Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei ? » (*Matth.* XII.) Nam quod spiritus Dei virtus ejus recte dicatur, et sit, Gabriel quoque archangelus ad Mariam testatur, cum dicit : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). » Unde notandum quod non dixerint tantum, quia « accepisti virtutem ; » sed accepisti, inquiunt, virtutem « tuam. » Etenim homo factus Dei Filius, sive cum fieret homo, in ipsa quidem conceptione sui virtutem istam accepit, sed antequam fieret homo, virtus eadem sua erat, quia suus et Patris unus Spiritus erat. Itaque non sine magno pondere dictum est,« accepisti virtutem tuam,» quia quod fideliter credimus virtutem sive spiritum,quem in natura humanitatis dono accepit, eamdem virtutem, eumdem spiritum, priusquam mundus fieret, unus idemque Dei Filius in natura Divinitatis consubstantialem sibi habuit. Recte igitur ubi tale tantumque regnantis Domini beneficium consummabitur,cadentes«in facies suas viginti quatuor seniores,» id est universi Ecclesiarum Patres, magistri sive rectores, adorant, et dicunt : « Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens,« etc. Illa gratiarum actio cadentium in facies suas, id est ordinata, reverentia subjicientium animas suas, finem nullum habitura est. Quod dicunt, « qui es,et qui eras,» malam damnatorum adversariorum voluntatem percutit, et sine fine diverberat, qui hoc agere nitebantur, ut non esset, ut non subsisteret, sicut Psalmista ex persona ipsius adversum illos contestatur : « Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus ? » (*Psal.* XL.) Præmisso namque « quia accepisti virtutem tuam,et regnasti,» id est, incarnatus de tuo Spiritu sancto, et principem mundi foras ejecisti, continuo subnectunt :

« Et iratæ sunt gentes. » Ad quid enim iratæ sunt gentes,vel quid irascendo efficere voluerunt gentes, nisi hoc ut non esset ? Sane hic a nomine gentium Judæi non excipiuntur, quia primi irati sunt, et maxime inviderunt, tradentes illum gentibus ad illudendum,et flagellandum et crucifigendum(*Matth.* XX ; *Luc.* XVIII), dicentes, sicut jam meminimus : « Quando morietur,et peribit nomen ejus? » Unde item in Psalmo vehementer insultabundus illis improperat Spiritus sanctus : « Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? » (*Psal.*II.) Vere inania meditati sunt, quia tu, Domine, et antequam homo fieres. Deus eras, et nunc postquam gentes iratæ sunt, et fremuerunt te occidentes,resurrexisti, et es. Hinc est quod itidem in David dicis ad Patrem : « Exsurrexi, et adhuc sum tecum (*Psal.* CXXXVIII). » « Iratæ sunt » igitur « gentes,» id est,te occiderunt,et, sicut jam dictum est, te occidendo fremuerunt. Sed quid deinde ? « Et advenit, inquiunt, ira tua. » Recte et ordinate, quia gentes prius iratæ sunt, post

A advenit ira tua. Hic est ordo justitiæ legitimus, ut nulli Deus irascatur, nisi illi qui prior fuerit iratus intumescendo, resistendo, suumque reatum in similitudinem prævaricatoris Adæ defendendo. Ubi quis irascitur, et resistit, ibi demum Deus irascitur et resistit, et contra fortem utitur sua vi, quæ non potest portari. Hinc Psalmista cum dixisset : « Tu terribilis es, et quis resistet tibi, » continuo subjunxit, « extunc ira tua (*Psal.* LXXV) » Ac si dicat : Non ex quo quis peccat,sed ex quo peccatum suum defendendo, tuæque justitiæ resistendo multiplicat, extunc ira tua, cui non est qui resistere valeat, sicut alibi scriptum est : « Deus, cujus iræ nemo resistere potest (*Job.* IX). » Hic et particulariter in singulis hominibus,et universaliter in omni genere humano B judicii ordo servatur. Dicunt ergo : « Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua. » Ac si dicant : Quia gentes pœnitentiam, te prædicante, recipere noluerunt,sed econtra magis «iratæ sunt,»et « fremuerunt, et inania meditati sunt, et astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum,adversus Dominum, et adversus Christum ejus (*Psal.* II),» juste nunc demum advenit ira tua,sicut ibidem de te subscriptum est : « Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos (*ibid.*). » Nam exponentes quid dixerint, « et advenit ira tua, » subsequuntur, et dicunt : « Et tempus mortuorum judicari,et reddere mercedem servis tuis, et prophetis, et sanctis, et timentibus,nomen tuum pusillis et magnis,et exterminandi eos, qui corruperunt terram. » Iræ ejus quæ advenit, effectus est, exterminare eos qui C corruperunt terram. Nam reddere mercedem sanctis, non ira, sed gratia pro gratia est, gratia beatitudinis pro gratia vocationis, vel fidei beatitudinem promerentis. Et recte sic sermo contextus vel ordinatus est, ut prius dictum sit, « reddere mercedem servis suis, » ac deinde, « et exterminandi eos qui corruperunt terram. » Nam et secundum veridicum ordinem sive ordinatam veritatem Evangelii, prius merces reddetur dextris servis Dei, deinde exterminabuntur sinistri.Prius enim dicet Rex ille his, qui a dextris erunt : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV). » Ac deinde his qui a sinistris erunt : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*ibib.*). » Tali namque modo et servis Dei merces reddetur, et corruptores terræ D exterminabuntur.Qui autem sunt corruptores terræ, nisi corruptores corporum et animarum, servientes omnimodæ cupiditati suæ ? Neque enim in judicio Dei causa exigitur corruptionis, nisi ejus qua corrumpitur creatura rationalis, quæ cum terra Dei esse deberet, et afferre fructum fidei, sanctimoniæ et pacis,sive dilectionis, ita corrupta est in semetipsa, ut amaras incredulitatis omniumque libidinum spinas afferret, ac perinde maledictioni deputata sit. Ita in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, « consummabitur mysterium Dei, » et sicut juravit Angelus ille fortis, qui stetit supra mare, et supra terram, manumque suam in cœlum

levavit (*Apoc.* x), tempus amplius non erit, » tempus pœnitentiæ non dabitur ultra peccatoribus, per tantos tubarum præcedentium (quas enumeravimus) cantus terrificos sufficienter præmonitis. Non partim, sicut in cæterarum cantibus tubarum, sed si- A mul omnes corruptores terræ peribunt, et exterminabuntur in jussu regnantis Domini, in voce archangeli, in tuba Dei (*I Thess.* iv), ut nullum ultra regno Dei faciant scandalum.

110 LIBER SEPTIMUS.

Cap. XII. — Et apertum est templum Domini in B cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus. Et facta sunt fulgura, et voces, et terræ motus et grando magna. Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. » Meminisse hic oportet loci superioris, ubi septem angelis stantibus in conspectu Dei, datæ sunt septem tubæ, qui et paraverunt se, ut tuba canerent (*Apoc.* viii), quorum per cantus singulos qui acciderit, quid actum sit, Scriptura hæc per ordinem hactenus digessit. Nam illic antequam dicatur, « et septem angeli paraverunt se, ut tuba canerent, » introductio fit alterius angeli, « qui venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum, et C data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum (*ibid.*). » Ita dispositis hinc septem angelis, quibus tubæ datæ sunt, inde alio angelo qui habebat thuribulum aureum, prius digestum est quid actum sit per singulos cantus tubarum, et conscriptæ sunt septem vindictæ peccatorum. Et nunc demum resumpto principio, scribitur quid actum sit cum officio angeli habentis thuribulum aureum, et narratur grande bellum certamenque prolixum angeli, qui et nunc Michael dicitur, præliantis cum dracone magno et rufo septem capitum, et insignes declamantur victoriæ martyrum, cantantium tandem post labores præliorum, quasi canticum novum. Hic manifeste spiritus fortitudinis opera prædicantur, qui in ordine septem spirituum D quartus invenitur, spiritui consilii conjunctus, cujus in septem tubis canentibus providentiam supra memoravimus. Ait ergo: « Et apertum est templum Domini in cœlo. » Conjunctione ista qua dicit, « et apertum est, » nos ad superiora reducit, ubi dixerat: « Et alius angelus venit, et stetit ante altare, etc. Simul namque actum est, ut et templum Domini aperiretur, et juxta altare staret angelus. Tunc etenim templum Domini apertum est, quando fidem Domini, promissiones Christi in cordibus suis receperunt sancti homines, et tunc juxta altare stetit angelus, quando propter eamdem fidem genti justorum Michael est princeps deputatus, sicut in suo loco plenius cum Scripturarum auctoritate monstravimus « Apertum est » ergo « templum Domini in cœlo, id est, » crediderunt, et credendo in Christum venturum, templum Domini facti sunt sancti patres, Abraham, Isaac et Jacob. « Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus. » Id est prospecta, et a longe salutata est incarnatio Christi Filii Dei, quæ nunc in templo suo, id est in Ecclesia sua, auro mundissimo, id est, divinitatis suæ magna claritate radians conspicitur. Idcirco autem per arcam testamenti recte incarnatio intelligitur Filii Dei, quia videlicet in typum ejus, Domino jubente, fecit Moyses in eremo simul arcam fœderis simul et propitiatorium (*Exod.* xxxvii). Arca namque eumdem Dei Filium incarnandum, propitiatorium vero eumdem significabat pro peccatis hominum passurum. « Et facta sunt fulgura et voces, et terræ motus, et grando magna. » Subauditur ubi accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram (*Apoc.* viii). Sic enim illic continuo subjunctum est: « Et facta sunt tonitrua, et voces, et terræ motus. » Quod licet recte intelligatur de Spiritu sancto, quem Dominus in apostolos suos misit, qui et sedit super eos tanquam ignis (*Act.* ii), nihilominus tamen et de eo recte intelligi diximus quod genti illi lex data est in monte Sinai (*Exod.* xix) in dispositione angelorum, ut ait Stephanus protomartyr (*Act.* vii). Siquidem fulgura et voces quæ per apostolos spiritualiter micuerunt, vel auditæ sunt, realiter in monte Sinai, quando data est lex, non defuerunt, ut recte de utraque, scilicet legis et Evangelii commotione, intelligere liceat illud Psalmistæ: « Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est (*Psal.* lxiv), » etc. Itaque ad illa reducta tempora, quibus beata sanctorum progenies Christi venturi fidem in promissione concepit, et cæteræ gentes vias suas permissæ sunt ingredi, sicut in septem tubis totidem notas et insignes spectavimus vindictas peccatorum, sic nunc jam in his quæ sequuntur usque ad Agnum stantem supra montem Sion bella spectemus victoriasque sanctorum. Hoc ita incipit: « Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. » Vere magnum et magnæ rei fuit hoc signum. Significabat namque mulier illa sanctam Ecclesiam, quam et in multis prophetarum

locis Scripturarum invenimus appellari mulierem viro suo, id est, Deo conjunctam et dilectam, imo et nonnunquam pro parte prævaricatorum, vitiis et peccatis idololatriæ servientium redargui velut adulteram. Hæc mulier extunc recte dicitur « amicta sole, » ex quo Christum verum justitiæ Solem accepit in repromissione. « Luna sub pedibus ejus, » id est, temporalium bonorum claritas sub administratione ejus. Luna namque pro sui mutabilitate **441** recte mundi hujus bona mutabilia significat, quibus stultus servit, sapiens imperat. Hoc ergo laudi est sanctis patribus quod divites quidem fuerunt, sicut sacræ historiæ tradunt, sed ipsas divitias non passi sunt suis affectibus dominari, sed ipsi dominati sunt divitiis, dispensando ut poscebat usus privatus aut publicus, atque ita laudabiliter ejusmodi divites excusantur, quia non est sensus in crimine, sed affectus. At contra quisquis credidit quidem in Christum, sed affectu inhæret et servit lucris rerum temporalium, servus est, non dominus illarum, neque dici recte potest de anima ejus, quod sit « mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, sed nimis perverse amiciri luna, solemque nititur habere sub pedibus. Sequitur : « Et in capite ejus corona stellarum duodecim. » In capite hujus mulieris corona stellarum duodecim conspicitur, quia in initio nascentis Ecclesiæ duodecim patriarchæ, itemque in initio renascentis ejusdem duodecim apostoli notissimi ac splendidi dinumerantur. Nunc interim ordinem mirabilium cœlestium secuturi, coronam duodecim stellarum, numerum intelligimus duodecim filiorum sive tribuum Israel. Nam et Joseph somnium narrans : « Videbam, inquit, solem et lunam, et stellas undecim adorare me (*Gen.* XXXVII). » Etenim pater ipse propter Christum quem in promissione habebat, quasi sol erat ; mater autem quæcunque illi optiva erat (quoniam naturalis mater obierat) luna era pro ejusdem Christi fide lucida ; undecim autem fratres quibus somnium narrabat, undecim stellæ futuræ erant : Joseph ipse stella erat duodecima. Igitur « in capite mulieris corona stellarum duodecim, » in initio Ecclesiæ chorus filiorum vel tribuum Israel duodecim. « Et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. » Qui erat habere in utero, nisi promissionis fidem servare in cordis secreto ? Etenim quando primum ad Abraham locutus est Deus, dicens : « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen* XXII) » (quod profecto semen Christus est [*Galat.* v]), ille promittenti credidit, et in eamdem fidem sperantibus ejus posteris, extunc mulier in utero habere cœpit. Erat autem Deus qui promiserat ejusdem mulieris vir, paterque et auctor illius conceptionis, id est fidei, per quam Christus qui venturus erat, jam in patrum credentium cordibus habitabat. Proficiente autem per tempora credentium multitudine, successerunt Moyses et prophetæ, qui fidem quam susceperant, loquendo pariter et scribendo non sine magna desiderii intentione si-

A gnificabant. Sequitur ergo : « Et clamabat parturiens et cruciatur ut pariat. » Quod dixit, « et clamabat parturiens, » hoc repetivit, imo complevit addendo, « et cruciatur ut pariat. » Parum quippe fuisset dixisse hoc tantum, et clamabat parturiens. Videretur enim nihil amplius intelligi velle quam si dixisset, cum pareret, cœpit clamare. At illa priusquam pareret, priusquam partum effunderet, parturivit et clamavit. Parturire namque est ante partum cruciari ; quia videlicet parturire meditativum, parere autem perfectum verbum est. Igitur quomodo mulier carnaliter gravida, instante hora pariendi tota est in meditatione partus sui, tandiu in illa exspectatione occupata est, tandiu cruciatum sustinet donec pariat, ita et illa talis mulier spiri-

B taliter prægnans, « clamabat, inquit, parturiens, et cruciatur ut pariat. » Clamores ejus multos ad medium proferre possemus, sed exempli gratia unus hic in Isaia propheta sufficit locus : « Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est ? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor. Et vidimus eum, et non erat aspectus ; et desideravimus eum : despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem ; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isa.* LIII). » Hæc et his similia dicentes sancti prophetæ cum clamarent et dolerent, nunquid

C ejusdem clamoris vel doloris sui causam evenire, certamve esse nolebant ? Imo maxime cupiebant, ipso attestante Domino cum dicit : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt ; et audire quæ vos auditis, et non audierunt (*Luc.* XIX). » Nonne in hoc quoque vera est similitudo mulieris parturientis, et parturiendo clamantis ? Illa namque parturiendo quidem clamat, quia dolet ; sed nimirum sic mavult dolere quam sano utero sterilis permanere. Sequitur : « Et visum est aliud signum in cœlo, et ecce draco magnus et rufus habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus suis septem diademata, et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram. Et draco stetit ante mulierem

D quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferreo. Et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus. » Vere aliud, id est alterius rei, fuit hoc signum. Fuit enim signum diaboli, qui semper adversus mulierem illam inimicitias exercuit, et exercere non desinit, malas sibi, bonas autem mulieri. Deus namque bonus, easdem pro bono mulieris inimicitias posuit, quemadmodum in initio loquens ad serpentem dicit : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcanco ejus (*Gen.* III). » Denique serpen-

tis illius, id est diaboli, qui in serpente locutus est, A draco iste signum fuit; sicut econtra mulier illa sole amicta signum erat Ecclesiæ totius, cujus beata Virgo Maria portio maxima, et portio est optima pro felicitate uteri proprii. « Visum est » ergo, inquit, « signum aliud; et ecce draco magnus et rufus. » Unde magnus et unde rufus? Magnus, videlicet quia « habens capita septem, et cornua decem; » rufus autem ex eo maxime, quia « cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, » et rufum sanguinem sitiens, « stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. » Inde magnus, inde rufus. Quid porro significabant illa septem capita? Hoc nimirum ut compendiosius clarescat, primo sciendum est draconem talem sic magnum, sic rufum, ita significasse diabolum, ut B simul etiam significaret corpus ejus universum, scilicet omnem generationem nequam, generationem Cain, adversantem ab initio generationi sanctæ, generationi Abel, generationi quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob (*Psal.* XXIII); cujus, ut jam dictum est, mulier talis signum fuit. His ita perspectis, jam intelligi promptum est capita draconis illos recte dici, qui principales exstiterunt in opere sive intentione diaboli, videlicet in obsidione jam dictæ mulieris, in intentione occidendi puerperium Ecclesiæ Dei, præfocandi verbum Dei, destruendi fidem seminis Abrahæ, id est Christi. Hujusmodi capita veraciter septem sunt: quia nimirum ex quo pater Abraham et posteri ejus fidem seminis « in quo benedicentur omnes gentes » susceperunt, septem sunt mundi hujus regna ex C traditione sanctarum Scripturarum, quæ adversus eamdem fidem dimicaverunt, sed nondum venit regnum septimum. **442** Primum namque ex quo credidit Abraham, regnum fuit Pharaonis et Ægyptiorum filios Israel odientium (*Exod.* I); secundum regnum fuit Jezabelis, et filiorum vel posterorum ejus impiorum, regnum Israel et Juda, qui prophetas occiderunt (*III Reg.* XIX); tertium Babylonicum; quartum Persicum sive Medicum; quintum Macedonicum; sextum Romanum; septimum quod futurum est Antichristi regnum. Præter hæc regna septem nullum aliud memorat sancta Scriptura stetisse vel stare ante illam mulierem ad devorandum filium ejus, contra sanctam Ecclesiam, ex quo credidit Abraham, ad destruendam fidem seminis D ejus. Singulorum hujusmodi capitum sanguineos rictus paulisper exempli gratia contingamus. Primus Ægyptiorum rex Pharao, populo suo dicit: « Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid feminei, reservate (*Exod.* I). » Item: « Vacatis otio, et idcirco dicitis: Eamus et sacrificemus Domino (*Exod.* V). » Et multa his similia. Post hunc Jezabel captivato viro suo regi Achab, ut abiret et serviret Baal, et adoraret eum, prophetas Domini occidit, quemadmodum et Elias Thesbytes gemebundus dicit: « Domine, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam (*III Reg.* XIX). » In Juda quoque semen ejusdem Jezabelis, rex Joas Zachariam prophetam occidit atque extunc etiam in Jerusalem draco ille mulieris hujus sanguinem bibere cœpit, prophetas occidendo ne prophetarent, vel quia prophetabant in nomine Domini (*I Paral.* XXIV): nec ante destitit, donec partu editum filium ejus crucifigendo devorasse se credidit. Sed de hoc posterius planius dicendo erit. Tertio loco Nabuchodonosor rex Babylonis, traductis in captivitatem cum reliquis Judæis prophetis Domini, statuam erexit, et eo usque abolere voluit nomen Domini, ut diceret tribus pueris: « Si non adoraveritis, mittemini in fornacem ignis ardentis. Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea (*Dan.* III)? » et cætera. Quarto deinde loco regnum Persarum atque Medorum, genus universum Judæorum, in quo tantum catenus notus erat Deus, delere voluit agente Aman hoste Judæorum (*Esther.* III), qui erat de stirpe Agag, quem occidit, et in frusta concidit Samuel coram Domino (*I Reg.* XV). Cum enim illum exaltasset rex Assuerus, et posuisset solium ejus super omnes principes, quos habebat, cunctique servi regis qui in foribus palatii morabantur, flecterent genu et adorarent Aman, solus autem Mardochæus non flecteret genu, neque adoraret eum, iratus est valde, et pro nihilo ducens in unum Mardochæum mittere manus suas, magis voluit omnem Judæorum qui erant in regno Assueri perdere nationem. Unde Esther: « Hostis, inquit, et inimicus noster pessimus est iste Aman (*Esther.* VII). » Item: « Nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem (*ibid.*). » Quintum caput draconis hujus, regnum Macedonicum. Qualiter regnante Antiocho, qui appellatus est Epiphanes, id est nobilis sive illustris, mulierem istam infestaverit, compellendo Judæos ut se transferrent a patriis et Dei legibus: De quo etiam videlicet Antiocho scriptum est: Quia « misit contaminare quod in Hierosolymis erat templum, et cognominare Jovis Olympii, et in Garizim prout erant hi qui locum inhabitabant, Jovis hospitalis (*II Machab.* VI), » Machabæorum passiones et prælia testantur. Nam illud quod maxime ad nequissimam draconis intentionem pertinet, sic incipit: « Duæ mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse, quas infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt (*ibid.*). » Quid enim intendebat per hoc et per cætera quæ sequuntur, nisi hoc ut conceptus mulieris, id est, seminis Abrahæ fides, cujus testimonium illisis erat signaculum circumcisionis, funditus exstingueretur? De sexto capite, id est regno Romanorum, quis nesciat quantum sævierit ad devorandum filium hujus mulieris? Nempe istud est quod cum capite illo, secundo scilicet Judaico regno, concordi rictu ferociter nimis hiavit, in primis ut filium illum in persona propria devoraret, quando traditus est Filius hominis

gentibus, ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum (*Matth.* xx), capite illo scilicet Judaico populo dicente ministro hujus alterius magni capitis: « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* xix). » Deinde, quod paulo post dicemus, bellum maximum quod fecit draco repugnante Michaele et angelis ejus. Item quod adjecit, facere prælium cum reliquis de semine mulieris hujus, quo capite factum est nisi Romano imperio, quod per orbem universum missis edictis et legibus publicis tot millia martyrum interfecit? De septimo tandem capite cum se erexerit, id est, de homine peccati, filio perditionis Antichristo cum revelatus fuerit, « qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur (*II Thess.* ii), » quis nesciat quia mulierem istam sive reliquias seminis ejus ita persequetur, ut quemadmodum Dominus dicit, talis tunc tribulatio sit, qualis non fuit ab initio, nec est, nec erit? (*Matth.* xxiv.) Ipse namque erit de quo Danieli angelus dicit: « Et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret (*Dan.* ii), » etc. De istis septem capitibus alio postmodum loco cum dixisset huic Joanni angelus: « Septem capita bestiis septem montes et reges septem sunt, » continuo subjunxit: « Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit. Et cum venerit, oportet illum breve tempus manere (*Apoc.* xvii). » Quod hic tacitum est, illic suppletur, videlicet quod super bestiam (quæ non est alia nisi draco iste) mulier sederit, mulier alia, mulieri isti quam draco impugnat semper opposita, id est, civitas diaboli civitati Dei semper contraria. Quid autem est quod ait, « quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit? » Videlicet quia cum hæc viderentur vel scriberentur, quinque regnorum jam dictorum reges, qui mulierem sæpe dictam persecuti sunt, jandudum transierant, regis autem regni Romani, regis sive imperatoris Neronis decreta contra Christi Ecclesiam sæviebant, et a successoribus ejus servabantur. Alius autem, scilicet Antichristus, nondum venerat, sed necdum venit. Sed de his alias. Nunc præsentia persequamur. Cum dixisset, « habens capita septem, » addidit, « et cornua decem. » In Daniele quoque scriptum est de bestia quarta, quæ significabat regnum Romanorum, quod haberet cornua decem. Et omnes fere scriptores ecclesiastici tradiderunt in consummationem mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges qui orbem Romanum inter se dividant, et undecimum surrecturum esse parvulum regem, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, regem Ægyptiorum, regem Africæ, regem Æthiopiæ atque hoc esse quod illic scriptum est: « Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primi evulsa sunt de facie ejus (*Dan.* vii), » quod videlicet cornu erit Antichristus. Verum hic ubi non quarta bestia, ut illic, solum significans regnum Romanorum, sed draco, id est diabolus, conspicitur, et septem ejus capita describuntur, nulla-

A que fit mentio de tribus evulsis cornibus, aliud dicere licet, quod cœpto sensui cum Scripturarum auctoritate conjungatur. Septem quidem tantummodo draconis capita, sed decem videntur cornua. Quia videlicet **443** unum ex regnis supradictis, regnum Macedonicum, in reges quatuor divisum fuit. Mortuo namque Alexandro Magno, surrexerunt pro eo quatuor duces ejus, qui sibi imperium diviserunt. Ægyptum enim Ptolomeus Lagi filius tenuit, Macedonas Philippus, qui et Arideus, frater Alexandri, Syriam, et Babylonem, et omnia regna Orientis Seleucus Nicanor, Asiæ regnavit Antigonus. Hoc est quod in Daniele legimus: « Hircus autem caprarum factus est magnus nimis. Cumque crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt cornua quatuor

B subter illud per quatuor ventos cœli (*Dan.* viii). » Quod exponens angelus dicit: « Porro hircus caprarum rex Græcorum est; et cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo, quatuor reges de gente ejus consurgent; » continuoque addidit, « sed non in fortitudine ejus (*ibid.*). » Nullus enim illorum fortitudini sive magnitudini Alexandri potuit æquari. Itaque septem, ut jam dictum est, capita, sed decem cornua, id est septem regna, sed decem fuerunt reges, quibus draco ille sese armaverat, sed sequitur adhuc:

« Et in capitibus suis septem diademata. » Si decem cornua decem reges sunt, quomodo non totidem sunt diademata, quot cornua? Nonne omnes illi quoque reges quatuor, in quos regnum illud unum

C divisum est, habuerunt diademata? Scriptum est enim in libro Machabæorum primo: « Et obtinuerunt pueri, ejus videlicet Alexandri, regnum unusquisque in loco suo, et imposuerunt sibi omnes diademata post mortem ejus (*I Mach.* i). » Quomodo ergo non dictum est decem, sed « septem diademata, » cum fuerint decem cornua? Nimirum quia, quamvis unius capitis quatuor cornua, id est, unius regni Macedonici reges quatuor fuerint, uno tantum ex illis adversus mulierem draco usus est, scilicet posteritate Seleuci, cujus in partem Syria, in qua continebatur Judæa, obvenit. Ex illis namque qui regnaverunt in Syria, exivit radix peccatrix Antiochus Epiphanes, id est Illustris. Hoc unum diadema ex illis quatuor draco rufus in sua

D causa contra mulierem induit, et illud sanguine sanctorum sævus homicida cruentavit. Denique licet et cæteræ regni divisi partes Judæam interdum laceraverint, tamen hoc vere constat, quia patris unius rex qui Syriam et cum illa Judæam obtinebat, causam draconis contra mulierem egit, intentionem diaboli contra Dei legem exercuit. Hic, ut jam dictum est, erat Antiochus Illustris, de quo Daniel prævidens dicit: « De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum, et factum est grande contra meridiem, et contra orientem, et contra fortitudinem, et magnificatum est usque ad fortitudinem cœli. Et dejecit de fortitudine, et de

stellis et conculcavit eas, et usque ad principem A fortitudinis magnificatum est, et ab eo tulit juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est contra juge sacrificium propter peccata et prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur (*Dan.* VIII). » Quod itidem exponens angelus qui supra : « Post regnum, inquit, eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, intelligens propositiones, et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis. Et supra quam credi potest universa vastabit, et prosperabitur, et faciet, et interficiet robustos, et populum sanctorum secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu ejus, et cor suum magnificabit, et in copia rerum omnium occidet plurimos, et contra principem principum consurget (*ibid.*). » B Iste namque rex ille jam dictus Antiochus exstitit, qui « usque ad fortitudinem cœli, » id est, filios Israel, qui angelorum vallabantur auxilio, erexit magnificentiam suam, ita ut de sanctis plurimos idololatriæ subjiceret, et velut stellas cœli conculcaret pedibus suis. Atque ita factum est, ut meridiem et orientem, id est, Ægyptum et Persidem, suo teneret imperio. Quodque ait, « et usque ad principem fortitudinis magnificatus est, » hoc significat quod erectus sit contra Deum, et sanctos illius persecutus, et ab eo tulerit juge sacrificium, quod mane et vespere offerebatur, et polluerit atque dejecerit locum sanctificationis ejus : et hoc non sua virtute, sed propter peccata populi. Atque ita factum est, ut veritas prosterneretur in terram, et cultu idolorum florente, Dei religio (quæ istius sæpe dictæ C mulieris erat ornatus) conquiesceret. Nunc cætera prosequamur.

« Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram. » Stellas cœli filios Israel significare jam supra diximus, et duodecim stellarum coronam quam in capite suo mulier habebat, duodecim fuisse patriarchas, per quos Ecclesia in initio propagata est, juxta illud somnium Joseph dicentis : « Videbam solem et lunam, et stellas undecim adorare me (*Gen.* XXXVII), » Ipse namque Joseph stella erat duodecima. Ad omnem quoque multitudinem filiorum Israel Moyses dicit : « Dixique vobis in illo tempore : Non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cœli plurimi D (*Deut.* I). » Quis autem nesciat in illa oppugnatione mulieris, ubicumque draco illam impugnavit, plerosque ex illa gente fovisse et adjuvisse dolosam nequitiam draconis? Nam exempli gratia : Ubi in Antiocho jam dicto draco iste sævire cœpit, sic scriptum est : « In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis dicentes : Eamus et disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos mala multa. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliquos de populo, et abierunt ad regem, et dedit illis potestatem ut facerent justitiam gentium. Et ædificaverunt gymnasium in Hierosolymis secundum leges nationum, et fecerunt sibi præputia, et recesserunt a testamento sancto, et juncti sunt nationibus, et venundati sunt, ut facerent malum (*I Mach.* I). » Plura omittimus quæ proferri possent in exemplum stellarum ejusmodi cadentium de altitudine cœli, de dignitate testamenti Dei, ita ut etiam adjuvarent partes diaboli, impugnando illos qui perseverare volebant in religione paternæ fidei. Cauda ergo draconis palam est, quia trahebat tertiam partem stellarum cœli. « Et misit eas, inquit, in terram. » Ut videlicet terræ incumberent, qui cœlo intendere debuerant, terrena tantum cuperent, qui beatam cœlestium spem expectare jussi fuerant. Sequitur :

« Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. » Hæc erat intentio draconis tot capita subrigentis, tot cornua vibrantis. Hæc, inquam, erat nequissima cupiditas diaboli, tot regna commoventis, tot reges inflammantis in odium divinæ religionis, ut « eum peperisset mulier, quæ erat paritura, » cum Christum edidisset Ecclesia, pariente Virgine Maria, « filium ejus devoraret, » id est, nomen ejus de hominum memoria tolleret, ut partus hujusmodi nulla utilitas, nullus fructus existeret. Sed sequitur :

Et peperit filium masculum, qui recturus erat gentes in virga ferrea. » Ac si dicat : Ille quidem draco funestus mulieris parturientis excitatus clamoribus, stabat ante illam attentus, ut devoraret filium ejus, maximeque in Herode insaniebat sanguineum caput, quando prophetico commotus ille **444** oraculo quod audierat, « et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel (*Malach.* XV ; (*Matth.* XI), » quæsivit puerum ad perdendum eum, misitque in Bethlehem, et occidit omnes pueros qui erant in ea, et in omnibus finibus ejus, quasi impossibile foret non simul occidi et illum. Sed hic fatuus draco, qui in illo sæviebat, quomodo consilium sive propositum Dei evacuare se posse putabat? Ille namque « recturus erat gentes in virga ferrea, » et hoc in Scripturis veritatis præfixum erat, exempli gratia, ipso dicente in Psalmisto : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea (*Psal.* II). » Quomodo ergo illum tam cito malitiosa draconis fatuitas devorare se posse sperabat, cum scriptum fuisset de illo, quod recturus esset gentes in virga ferrea? Sane « virga ferrea, » id est inflexibili justitia. Item quod ait « filium masculum, » idem est ac si diceret fortissimum. Masculus enim, id est fortis, filius tunc natus est nobis, quemadmodum propheta prædixerat : « Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis (*Isa.* IX). » Egit tamen

draco ille quantum potuit, non desistens filium illum persequi, ut devoraret, » id est ut memoriam ejus deleret, dicens illud quod in Psalmo audimus : « Quando morietur, et peribit nomen ejus ? » (*Psal.* XL.) Hæc dicendo impatienter affecit ut crucifigeretur ; et hoc agendo, devorari illum, et perire putavit nomen ejus. Sed vide quid sequitur : « Et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus. » Quam vere hoc factum sit quis nescit ? Quis non audivit ? Cum enim devoratus esse putaretur, utpote in terra sepultus, et signato lapide in terra conclusus (*Matth.* XXVII), tunc solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, resurrexit et in cœlum ascendit, et sedet a dextris Dei (*Act.* II), triumphante veritate Scripturæ dicentis in David : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Raptus est igitur filius mulieris, Ecclesiæ filius, mulieris Virginis Mariæ ad Deum et ad thronum ejus, atque illinc despiciens universa capita draconis irridet, sicut itidem in Psalmo Spiritus sanctus locutus est : « Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos ; ego autem constitutus sum rex ab eo (*Psal.* II), » etc. Sequitur :

« Et mulier fugit in solitudinem ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. » Rapto filio suo ad Deum, et ad thronum ejus, « mulier in solitudinem fugit, » id est, sedente jam Christo Domino ad dexteram Patris, et dato Spiritu sancto, Ecclesia illius temporis vitam solitariam elegit. Sic enim in Actibus apostolorum legimus : « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Nec quisquam aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Dividebantur autem singulis prout cuique opus erat (*Act.* IV). » Nimirum hoc erat, mulierem fugisse in solitudinem, quia videlicet nihil possidere vel concupiscere in hoc mundo, fida et tranquilla mentis solitudo est : contra, possidere vel cupere vel ambire, non solitudo, sed magna sollicitudo et inquietudo est. Itaque « in solitudinem mulier fugit, » quando Ecclesia nil in hoc mundo possidere proposuit, provocans filios suos ad imitandum se. Exempli gratia, cum in Apostolo dicit : « Præterit enim figura hujus mundi. Volo tamen vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo (*I Cor.* VII). » Inter hæc et hujusmodi dicit : « Vellem autem omnes homines esse sicut meipsum (*ibid.*). » In hujusmodi solitudine « habet, » inquit, « mulier locum paratum a Deo. » Quis est locus mulieris in hac solitudine, nisi Deus ipse ? Denique et Psalmista orans dicit : « Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii (*Psal.* XXX). » Et in Job de peccatore pereunte scriptum est : « Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus (*Job.* VII). » Nam quod ait, « neque

A cognoscet eum amplius locus ejus, » idem est ac si diceret : Non requiret eum amplius Deus, qui omnium beatorum locus est, extra quem nullus est beatus, in quo etiam nunc dum ab ipso peregrinamur, pes animæ, id est Christiana spes, figitur. Hunc locum paratum habet a Deo, a nullo enim parari nobis potest Deus, nisi ab ipso Deo, et hoc in illa tali solitudine, ubi contemplationi vacando possit hunc locum suum cognoscere, semperque casum suum cavere, dicendo : « Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me (*Psal.* XXXV). » Præterea et in hoc paratus est illis locus a Deo in illa solitudine, « ut ibi pascant illam. » Hanc enim legem Dominus præscripsit filiis, matris Ecclesiæ filiis, qui nondum pervenerunt ad apicem B perfectionis maternæ, ut nihil in hoc mundo velint possidere, et hoc illis jussit, ut pascant illam matrem suam, id est, evangelizantem sibi charitatem maternam, perfectionem apostolicam. Dixit enim : « Dignus est operarius cibo suo (*Matth.* X). » Et alibi : « In eadem autem domo manete edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua (*Luc.* X). » Hujus dignitatis sive debiti memor Apostolus ad Corinthios dicit : « Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt ? Et qui altari deserviunt, cum altari participantur. Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium denuntiant, de Evangelio vivere (*I Cor.* IX). » Item : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus ? » (*Ibid.*) Pascunt ergo illam « diebus mille ducentis sexaginta, » id est, C quandiu peregrinando in hoc sæculo persecutiones tolerat. Nam quia tanto tempore agitanda est persecutio summa, dracone ista in illo perditionis filio, scilicet Antichristo, totas effundente inimicitias, recte tot diebus universa persecutionum omnium tempora subintelligimus, de quo videlicet tempore sive dierum numero jam loco alio plenius tractatum est. Sequitur :

« Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone. Et draco pugnabat et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. » Magnum et mirabile in conspectu animæ Joannis talium imaginum spectaculum, mirabilis sensus sive animæ ejus habitus, quem concipere poterat D spectando talia vel tanta, tamque honorifica signa mirabilium secretorum. Vix summam admirationis somniare vel meditando nobismetipsis imaginare possumus, videlicet admirabili cum horrore illud persensisse. Quam invitus draco ille diabolus de templis et aris vel simulacris gentium pelleretur : quod fieri cœptum est, ubi raptus est filius ille ad Deum et thronum ejus. Dixit enim mox ascensurus : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI ; *Matth.* XII ; *Luc.* XI). » Quod idem erat ac si diceret : Euntes fortem illum armatum a me jam victum de atrio suo propellite,

draconem illum diabolum a me fune ligatum, imo et quasi hamo captum, et in salibus nares perforatum, circulo in naribus, et armilla in maxilla perforata constrictum de templis et aris extrahite, ut
235 vasa ejus traham ad me, sicut prædixi : Quia si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII). » Inde terrifici sonitus persecutionum per orbem universum, quarum erat signum hoc prælium imaginarium, prælium magnum. « Factum est, inquit, prælium magnum. » Ubi? « In cœlo. » Per quod significabatur Ecclesia, terra longe altior, terrenis hominibus et terrena sapientibus longe superior, cujus « est in cœlis conversatio (*Philipp.* III). » Non enim jam Ecclesia, postquam raptus est Filius ejus ad Deum et ad thronum ejus, pugnare dignaretur in terra, quod antea licito facere solebat, quando propter terram, propter terrena bona, sancti reges et prophetæ armis materialibus multa gesserunt prælia. Nunc alius erat causæ status, et alius perfectæ intentionis affectus, contemnere terram et appetere cœlum, cohibere manus et liberare linguam eruditam, offerre gladiis carnem et verbo defendere fidem. Pugnabat itaque in cœlo. Quomodo autem draco erat, vel pugnabat in cœlo? In cœlo nimirum erat arbitratu suo, videbaturque sibi « similis Altissimo (*Isa.* XIV), » cum exhiberetur ei quasi divina religio, et a miseris gentibus, quas seduxerat, coleretur pro Deo. Itaque et ipse pugnabat quasi in cœlo, dum contenderet haberi pro cœlesti Deo. Propterea nemo fere est qui nesciat draconem istum in aere vagari, et permissam usque ad tempus judicii exercere potestatem, ipsumque aerem usitato in Scripturis more cœlum dici, ut illic : « Volucres cœli et pisces maris (*Psal.* VIII). » In isto cœlo, id est in aere, nos quoque usque hodie contra illum pugnam habemus, sicut et Apostolus ad Ephesios scribens loquitur : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates et rectores mundi tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI). » Sunt ergo spiritualia nequitiæ, scilicet draco iste et angeli ejus, in cœlestibus, non ubi sidera disposita effulgent et sancti angeli commorantur, sed in hujus aeris infirmi caliginoso habitaculo, ubi et nebula conglobatur. Et tamen scriptum est quod « cooperit cœlum nubibus (*Psal.* CXLVI), » ubi et aves non volitant, et tamen dicuntur volatilia cœli. In his ergo cœlestibus, non in illa superiore tranquillitate cœlestium habitant isti nequissimi spiritus, contra quos nobis colluctatio spiritalis indicitur, ut, devictis angelis malis, illo præmio perfruamur, quo angelis bonis incorrupta æternitate sociemur. Unde alio loco idem Apostolus, cum significaret tenebrosum diaboli principatum, « secundum spiritum, inquit, mundi hujus, secundum principem potestatis aeris, qui nunc operatur in filiis infidelitatis (*Ephes.* II). » Quod ait hic, « principem potestatis aeris, » hoc illic dixit, « spiritualia nequitiæ in cœlestibus. » Igitur et juxta litteram sic recte intelligitur, quod prælium imaginarium in isto cœlo, id est aere, Joannes fieri viderit, in significationem ejus prælii, quod de templis et aris, imo et de cordibus hominum diabolus jam cœperat ejici, cujus videlicet prælii finis erit, ut mittatur in ignem æternum draco iste cum angelis suis (*Matth.* XXV), atque ita fiat quod subjectum est : « Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. » In cœlo, inquam, non tantum quod est spiritalis vel cœlestis fidelium hic peregrinantium conversatio, sed nec in aere isto in quem detrusus est, detrudendus iterum in tartarum illo judicii die magno et tremendo. Sed jam ipsa verba ordine prosequamur. « Michael, inquit, et angeli ejus præliabantur cum dracone : et draco pugnabat et angeli ejus. » Nusquam in tota serie Scripturarum ante illum sæpe dictæ mulieris partum Michael archangelus pugnasse cum dracone, eumque vicisse legitur, quia videlicet nondum draconis ejusdem caput, ut vinci posset ab angelis, contriverat ille mulieris filius, quod nunc fecit, et faciendo raptus est ad Deum et ad thronum ejus. Unde et illi in Psalmo canitur : « Tu contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis (*Psal.* LXXIII). » Et quidem plura leguntur in Scripturis anteacta pro hominibus insignia angelicæ fortitudinis. Exempli gratia, ut illic : « Factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia (*IV Reg.* XIX; *Isa.* XXXVII). » Verum hoc et cætera huic similia fieri non erat pugnare angelos bonos adversus angelos malos pro hominibus impiis ad pietatem convertendis, sed erat angelos bonos ad impiorum hominum perditionem malum angelorum servitio uti, testante Psalmo cum dicit : « Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem et iram et tribulationem, immissiones per angelos malos (*Psal.* LXXXVII). » Hic non ita est. Mali angeli non immittuntur ut homines impii occidantur, sed contra malos angelos a bonis angelis prælium committitur, ut homines ab impietatis errore liberentur. Quomodo prælium hoc gestum est, aut geritur? Quibus vel qualibus armis acies illæ utuntur : Et quidem in illa visione Joannis hujus armorum materialium quasdam similitudines videri potuisse non dubitamus, sed angeli sive boni sive mali, cum sint spiritus, corporali sive materiali armatura non induuntur. Attamen draco ille quod natura non habuit arte maligna sibi assumpsit, scilicet omne genus armorum quibus bella geruntur inter homines, et homicidia peraguntur, scilicet gladios regum et imperatorum, secures consulum, et vincula carceresque judicum et omnia omnia omnino genera tormentorum. Primus quem Romæ invasit, sive arripuit, Neronis gladius exstitit, et in illo pugnavit. At vero Michael et angeli ejus econtra præliantes, nihil de hujusmodi genere armorum habuerunt aut quæsierunt, sed ut « sunt administratori spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hæbr.* I), » commilitonibus suæ patris hominibus Christianis, qui sunt vel erant de semine illius magnæ mu-

lieris, signa miraculorum ab Jesu Christo per Spiritum sanctum data ministraverunt, præsentes illis et cooperantes ad curandos infirmos, ad suscitandos mortuos, assistentes piis martyribus, in tormentis et aculeis colloquentes illis, et colloquio suo consolantes et refoventes illos in carceribus et vinculis, religantes etiam angelos draconis, et extrahentes de antiquis templorum simulacris, quæ omnia sic esse facta non ignorat quisquis sanctorum martyrum, sive apostolorum gesta legit. Exempli gratia? Ubi agonizanti in aculeo martyri miles adhuc gentilis dicit: « Video ante te juvenem pulcherrimum stantem cum linteo extergentem membra tua. De quo te adjuro te, per Christum qui ad te misit angelum suum, ne me derelinquas. » Nunquid illic tantum, ubi visibiliter apparuerunt, sancti angeli piis martyribus præsentes fuisse credendi sunt? Imo et ubi visibiliter non apparuerunt, præsentes semper affuerunt, compatientes patientibus, adhærentes laborantibus, vulnera dinumerantes, sanguinem profluentem metientes, responsa singulorum conscribentes, et inter hæc omnia, preces gemitusque morientium, aureo thuribulo velut incensa multa concremans ante oculos Domini Dei, et illius qui raptus fuerat ad thronum ejus filii victoriosi, perferebat Michael. Hoc modo cum dracone prœliabatur Michael et angeli ejus. Cæterum armis materialibus ad defensionem sui pars ista nihil agere moliebatur, cum **446** totæ interdum legiones martyrum prosternerentur, arma tenentes militaria, quibus ad defensionem reipublicæ fideliter sese ac fortiter accinxerunt, quæ tamen in causa fidei Christianæ ullatenus attrectare despiciebant. Unde verissime propheta cum dixisset: « Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus, superastis, » addidit, « sicut in die Madian (*Isa.* IX), » videlicet quando mirabili genere pugnandi Gedeon cum trecentis viris Madian superavit. Quomodo? Intra lagenas missæ sunt lampades, confractis vero lagenis ostensæ sunt lampades, quarum coruscante luce hostes territi in fugam versi sunt (*Judic.* VII). Designatus est in tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum, quorum despecta salute martyres hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis et gladiis, sed patientia superarent. Nimirum hujusce prœlii complices esse, imo duces et principes Michaelem et angelos ejus jure delectabat. Draco et angeli ejus materialibus quoque, ut jam dictum est, armis pugnabant, et illius sexti capitis, scilicet Romani regni, eandem cruentum cæde Christianorum, et abundantia sanguinis imbutum, quoties se in pugnam excutiebat, toties orbem terrarum sanguine compluebat. « Et non valuerunt, inquit, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. » Quid non valuerunt? Nimirum contra fortioris Michaelis et angelorum ejus fortitudinem diutius stare, quin foras ejicerentur cum illo suo principe rufo dracone, sicut

A ille filius mulieris prædixerat: « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII). » Ita namque foras ejectus est, ut in locis in quibus sordes ejus computruerant religio Christiana floreret, in templis in quibus idolum cujusque turpitudinis steterat crux Christi splendesceret, ut per ora quæ Jovem adulterum cantitare solita fuerant nomen Christi et laus sanctæ Trinitatis cum gloria personaret. Hoc est quod ait: « Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. » Quod idem est ac si diceretur: Neque relictus est illi locus in quo exhiberetur ei cœlestis vel divina religio. Futurum autem est ut, sicut jam supra dictum est, nec in isto illi vacet comparere cœlo aerio. Eousque prœlium protenditur, donec in profundum inferni « videntibus cunctis » præcipi-

B tetur (*Job.* XL), non ultra, saltem ad hoc cœlum, ascensurus. Unde adhuc sequitur: « Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. » Nam « projectus est in terram, » id est, perdita grandi æstimatione qua cœlum sibi obtinere videbatur, dum coleretur ut Deus, amisso electorum populo, in quo cœlo suo jam inhabitat Deus, eos tantum nunc possidet, qui pertinaciter terram diligendo, ipsi terra sunt, tandemque cum illis et angelis suis mittetur in ignem æternum. Nimirum quando sic projicitur, tunc melius cognoscitur ab eis quorum de cordibus ejicitur, vel quibus videntibus præcipitatur. Recte ergo nunc tandem

C nominibus et proprietatibus suis idem draco describitur, cum dicitur: « Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem. » Nam quasi quæreres, quis est ille draco magnus? addidit dicens, « serpens antiquus; » ac si diceret: Draco tam magnus ipse est ille serpens, qui in tempore antiquo quando factus est primus homo, serpentem animantem ingressus, per os ejus locutus est, et inde serpens dici meretur, quia per serpentem, quem ingressus est, opus iniquitatis et malitiæ operatus est, decipiendo plasma Dei, in eo quod ait: Comedite et eritis sicut dii (*Gen.* III). » Item quasi quæreres quod est nomen ejus, addidit, « qui vocatur diabolus et Satanas. » Diabolus *deorsum fluens*, Satanas *adversarius* interpretatur, utrorum-

D que vocabulorum causæ notæ sunt. Diabolus namque, id est deorsum fluens, idcirco dicitur, quia de cœlo per superbiam cadendo (*Isa.* XIV) deorsum fluxit, periitque peccator a facie Dei sicut fluit cera a faci ignis (*Psal.* LXXVII). Satanas, id est adversarius, idcirco dicitur, quia sic quoque de cœlo lapsus, Deo creatori adversari non desinit. Adhuc enim tanquam parum sit aut fuerit quod dixit: « Similis ero Altissimo (*Isa.* XIV), » altius per tumorem extollitur, testante Apostolo cum de illo perditionis filio, in quo iste diabolus, erat, ita loquitur: « Homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut

[illegible] (*II Thess.* II). « In quo Satanas iste adversatur ? In eo videlicet quod loquitur mendacium, ut decipiat creaturam, ad faciendum secundum adulterium, ostendens se tanquam sit Deus, atque ita diabolus ipse pro Deo, tanquam adulter pro viro legitimo suscipiatur. Sequitur ergo. « Qui seducit universum orbem. » Quo enim vel unde seducit vel abducit orbem universum, nisi a cultu Dei debito ad cultum suimet indebitum ? Hic talis « projectus est in terram, » ut videlicet solus Deus suum cœlum, id est mentes intimas et religionem publicam possideat electorum omnium, ille autem solam possideat terram, id est perditorum hominum vitam omni modo terrenam, de qualibus ad Deum initio seductionis locutus est Deus : « Terram comedes cunctis diebus (*Gen.* III). » Terræ ejusmodi portio præcipua sunt Judæi, qui quasi æmulando terram crucifixerunt Deum cœli, loquentes cum astutia maligni hujus serpentis, quemadmodum in persona ejusdem Christi Psalmus dicit : Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant (*Psal.* XXXIV). » Nempe quasi justæ iracundiæ causam pergrandem sibi finxerunt, quando velut pavitantes et tremebundi dixerunt : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem (*Joan.* XI). Itaque et istos terram suam serpens comedit, completa prophetia cantici Deuteronomii quæ dicit : « Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium (*Deut.* XXXII). » Sequitur : « Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem : Nunc facta est salus et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animam suam usque ad mortem. Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis. » Vox illa magna quam iste in spiritu audivit, concentus iste publicus, quo cœlum Dei, id est Ecclesia, per totum orbem hodie laudes canit, concinentibus, imo præcinentibus angelis gloriam Deo in excelsis (*Luc.* II), secundum propheticam concessionem psalmi dicentis Deo Altissimo : Omnis terra adoret te, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo (*Psal.* LXXV). » Et subinde : Benedicite, gentes, Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus (*ibid.*). » Vis igitur audire, et scire qui fructus, quæve utilitas ex eo provenerit, quod ille draco magnus, ille serpens antiquus, diabolus, et Satanas, projectus est in terram cum angelis suis. Dicunt magna voce cantores gratiæ Dei, laudatores operum Christi Filii Dei : « Nunc facta est solus, et virtus et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. » Unde constat ita factum esse ? « Quia projectus est, inquiunt, accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. » Ergone antequam

447

ille projiceretur in terram, non erat salus, et non erat virtus ? Non erat regnum, non erat potestas Dei nostri et Christi ejus ? Non utique salus erat, sed perditio et mors ; non erat virtus, sed infirmitas et corruptio, non erat in hominibus regnum Dei nostri, sed regnum peccati et mortis, non erant potestas Christi ejus, sed potestas principis tenebrarum, qui in hoc mundo principabatur. Non erat hæc omnia facta, sed futura, vel facienda promittebantur, et paucos in lege veteri spes ista consolabatur. Quando autem raptus ad Deum et ad thronum ejus ipsa passione et resurrectione qua rapiebatur, et transibat ex hoc mundo ad Patrem, perditionem, et mortem, corporum quoque mortalium corruptionem destruit, tunc « facta est salus et virtus. » Salus, id est remissio peccatorum nostrorum, quæ est resurrectio animarum ; et virtus, id est reformatio resurgentium corporum nostrorum. Tunc, inquam, et extunc « factum est regnum » imo facti sumus nos regnum Dei nostri, et facta est potestas Christi ejus in cœlo, et in terra, quemadmodum non ante, sed postquam resurrexit ipse astruens : « Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Recte igitur quia projectus est ille Satanas, ita cantatum est. Quare autem vel unde ille Satanas « accusator fratrum » dictus est aut dici debet ? Videlicet quia tenebat chirographum decreti adversum nos, quod nobis contrarium erat, in quo peccatum Adæ scriptum erat, cujus nos recitatione semper accusabat, confidens ac jactabundus, quod illo chirographo teste genus humanum jure esset possessio sua. Verum ubi projectus est, ibi chirographum illud perdidit, quemadmodum Apostolus dicit : « Convivificavit nos Deus cum Christo donans nobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci, et expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso (*Col.* II). » Quo facto irruerunt super eum, videlicet draconem magnum vulneratum, sicut in Psalmo canitur : « Tu humiliasti vulneratum superbum (*Psal.* LXXXVIII). » Irruerunt, inquam, sancti apostoli et martyres, sicut præsens quoque prælium testatur, adjuvantibus Michaele et angelis ejus, magnum concidentes adversarium et de victoria Christi in suo pariter et ejus sanguine triumpharent hoc est quod nunc cantantes illi cœlestes dicunt :

« Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animam suam usque ad mortem. » Qui ipsi vicerunt illum ? Nimirum illi qui accusabantur ab accusatore illo, in ipsa accusatione sive accusationis causa, constanti certamine, legitima sui defensione illum vicerunt, et obmutescere fecerunt : et hoc non propter virtutem justitiæ sive conditionis propriæ, sed « propter sanguinem Agni » quo redempti sunt, et « propter verbum testimonii sui, » id est propter fidem per quam testimonium reddit illis spiritus quod sint

filii Dei (*Rom.* VIII). Adde quod, pro eodem verbo testimonii sui, propter confessionem fidei, suas animas expenderunt victores sive præliatores isti. Nam hoc est quod nunc dicitur : « Et non dilexerunt animam suam usque ad mortem. » Non dilexerunt, id est odio habuerunt odio perfecto, de quo Dominus ipsorum dicit in Evangelio : « Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam (*Joan.* XII). » Sic non diligendo, imo odiendo animam suam, ipsi vicerunt illum : « Propterea lætamini, cœli, et vos qui habitatis in eis. » Vos cœli, vos beatæ patriæ sinus lucidi, « propterea lætamini et vos qui habitatis in eis, » o fratres nostri, qui prius accusabamini quod terra essetis, et ab illo magno et antiquo serpente comedi jure deberetis, nunc autem in cœlis habitatis, imo et cœli estis de quibus ille projectus et foras missus est. Sequitur :

« Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet ! » Lætantibus cœlis, et his qui habitant in eis, quasi a dextris reducto oculo, sinistro respiciens : « Væ, inquit, terræ et mari ! » Meminisse namque debemus quod ante dictum est ; « Et projectus est draco ille magnus in terram, et scire terram illam, in quam de cœlo projectus est, impiorum et non credentium esse molem durissimam atque gravissimam, sola terrena et vana quærentium. Unde et redarguuntur voce Spiritus sancti in Psalmo dicentis : « Filii hominum, usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium ? » (*Psal.* IV.) Dicuntur etiam mare, propter inquietas quas patiuntur et amant omnium vitiorum curarumque inutilium amaritudines, imo et fluctus feri maris dicuntur in Scripturis, juxta illud Judæ apostoli : « Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones (*Jud.*, 12). » Et ut altius cum divina Scripturæ antiquæ auctoritate hanc terram et hoc mare a cœlo illo distinguamus, de quo projectus est draco ille, terra et mare omnes illi sunt, qui ultra benedictionem quæ data fuerat antequam peccaret Adam, creverant et multiplicati sunt, dicente ad mulierem Domino Deo : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos (*Gen.* III). » Nam illi cœli sunt quos ante peccatum nasci jussit benedicendo illis duobus primis et dicendo : « Crescite et multiplicamini (*Gen.* I). » Et de isto cœlo sic projectus est, ut omnes, secundum propositum vocati sancti, imo præsciti et prædestinati, justificati et magnificati (*Rom.* VIII), constituantur a dextris, dicaturque eis secundum propositum quo in primis illis parentibus fuerant benedicti : « Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum (*Matth.* XXV), » sintque ipsi patenter cœlum, sive regnum cœlorum. « Væ igitur, inquit, terræ et mari, » videlicet omnibus qui cœlum non merentur esse vel dici. Quare ? « Quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam. » Apostropham fecit ad illam terram et illud mare quasi requisissent dicentes : Quare vel unde nobis væ ? « Diabolus, inquit, descendit ad vos, » subauditur de cœlo projectus. Sed nunquid antequam de illo cœlo, de illis qui nunc dicuntur cœlum sive regnum cœlorum, projiceretur, terram illam et mare illud non possidebat ? Imo et securior possidebat, et multo magis hæc illi possidenti in pace erant, pace sua, pace maligna. Quomodo ergo ad hæc descendit ? Nimirum majorem ebulliendo iram in illis. Nam hoc est quod addidit, « habens iram magnam. » Profecto et antea cum ira possidebat terram illam et mare illud, quia videlicet quasi naturale semper habuit odium adversum humanum genus. Cur ergo nunc dicit, « habens iram, » addens etiam, « magnam, » nisi quia extunc nequiores fecit eos qui terra et mare dicuntur. Nam exempli gratia de Judæis, utique terrenis, id est terram diligentibus, ita Dominus mystice loquitur : « Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa, quærens requiem, et non inveniens dicit : Revertar in domum meam unde exivi, et cum venerit, invenit scopis mundatam. **448** Et tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus (*Matth.* X). » Hæc namque dicendo, vehementi invectione proloquimur quod, postquam draco ille de cœlo projectus est in illam terram, multiplicata iniquitate descendit, id est postquam Christo passo princeps hujus mundi foras missus est (*Joan.* XII), majore cum nequitia Judæos possidet quam possederit olim in terra Ægypti, a quibus tunc exivit, dum susciperent cultum unius veri Dei. Porro de gentibus, quæ per mare hic, ut alibi jam dictum est, recte significantur, de gentibus, inquam, quæcunque non receperunt Evangelium Christi, similiter constat quod nequius eos nunc possidet quam antea possidebat, cum Christus nondum illis annuntiatus fuisset, quod nunc factum est. Unde Apostolus : « Sed dico : Nunquid non audierunt ? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Rom.* XVI ; (*Psal.* XVIII). » Et de illis quicunque adhuc gentes sunt, quicunque post illum auditum gentiliter vivunt, quid Scriptura dicit, unde colligere possumus quod ad illos, licet jam posssessos, diabolus de cœlo descenderit ? Cum dixisset Psalmista : « Exsurge, Domine, non confortetur homo, » continuo subjunxit : « Judicentur gentes in conspectu tuo (*Psal.* IX). » Et addidit adhuc : « Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt (*ibid.*), » subauditur et non dii, ut quidam ipsorum principes haberi volunt aut voluerunt. Quem legislatorem super eos constitui concedit, nisi diabolum, latorem legis suæ, non Dei, non legis justitiæ, sed peccati ? Descendit ergo ad vos, o terra et mare, diabolus qui vos antea segnius possidebat. Qualis ad vos descendit ? « Habens, inquit,

iram magnam. » In quo iram ejus quam nunc habet sic descendens, sic projectus, discernere possumus quod vere magna sit comparatione ejus iræ quam prius habuit? In eo videlicet quod prius vos faciebat errare per ignorantiam, nunc autem facit vos blasphemare per invidiam. Hæc est ira magna, invidia maligna vobis inspirata. Nunc enim, quia Christi Evangelium audistis, excusationem de peccato vestro non habetis (*Joan.* xv), et claret quia non ignorantes, id est irati, sed invidentes estis. Tales vos ille multiplicatis secum nequitiæ spiritibus nunc agitat, « sciens quia modicum tempus habet. » Scit enim qui dies judicii prope est, ultra quod sibi mulierem illam persequi non vacet. Sequitur :

« Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum. Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis. Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen ut eam faceret trahi a flumine. » Hoc illud est propter quod exclamaverat, dicens : « Væ terræ et mari ! » etc. Hæc illa est ira magna projecti in terram draconis, qui vocatur diabolus et Satanas, quam videlicet iram mirabiliter hæc visio mirabilis insinuat in eo quod dictum est : « Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. » Revocemus ad memoriam, de gestis ecclesiasticis, quomodo postquam draco ille « projectus est in terram, » postquam, proficiente Christiana fide, desertis ac destructis idolis, amisit usurpatam quasi divinæ culturæ gloriam. Jam Romani fastigio imperii filium adorante mulieris hujus, qui raptus est ad Deum et ad thronum ejus, » Christiano imperatore Constantino in fronte sua signum gestante crucis Christi, Arius presbyter magnus hæresiarches sub nomine Christiano in blasphemiam Christi Filii Dei procaciter nimis erupit, loquacitate intolerabili, et cognoscemus quam vere, quam congrue, secundum rei gerendæ proprietatem, istud in visione demonstratum, et taliter dictum aut scriptum sit. Quid enim verius quam quod nunc ait, quia « postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, » mittens post illam « ex ore suo aquam tanquam flumen ? » Vidit enim diabolus non posse ulterius veterem idololatriam, summis principibus inclinatis ad suscipiendam Christiani nominis professionem, totamque convertit suæ malignitatis abundantiam ad Scripturarum veritatem corrumpendam, atque hoc modo cœpit persequi « mulierem, quæ peperit masculum. » Vide quid dicat, quia non ait, persecutus est masculum filium, sed « persecutus est, inquit, mulierem quæ peperit masculum. » Non enim per os Arii, cæterorumque ejusmodi hæreticorum doctrinam profundens impiam, hoc aperte exigebat a quolibet, ut negaret Christum, sive nomen Christianum, sed ut Christum quisque confitens, non in quam apostolica veritas tradiderat reciperet confessionis aut fidei regulam, hoc intendens, imo contendens, persequebatur mulierem illam, ut de Christi Ecclesia suam Satanas faceret synagogam. Nimia loquacitate et clamosa hoc agens contentione, mittebat « ex ore suo serpens ille aquam tanquam flumen. » Nota quod non dixit, misit ex ore suo flumen, sed « misit aquam tanquam flumen. » Aqua denique quam serpens ille « de ore suo » mittit, similitudinem fluminis habere potest, sed vere flumen esse non potest. Nam flumen verum, flumen aquæ vivæ, sancta Scriptura, veraque catholica doctrina est, quam Ecclesia, quæ est mulier ista, mittere consuevit de fonte veritatis, quam habens in semetipsa hortus est Domini, sicut dicitur in Canticis : « Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus (*Cant.* iv). » Item in Evangelio : « Qui in me credit, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* vii). » Serpens autem de ore suo, quod erat Arius, aquas mortuas, aquas putidas doctrinæ nequam emittebat, sed quia de Scripturis ei dum disputabat, et testimonia sibi usurpabat, quas recipit et habet mulier ista, aquam suam flumen aquæ vivæ, flumen sanæ doctrinæ videri solebat. Et quid hoc ? « Ut eam, inquit, trahi faceret a flumine. » Nimirum a fide in perfidiam, a veritate in mendacium, a luce in tenebras, a vita in mortem, ab altitudine in profundum, a cœlo in infernum. Sic enim et tam in diversa imo contraria trahuntur quicunque profluentem ex ore blasphemantium hæreticorum loquacitatem mirantes sequuntur.

« Et » audivit « terra mulierem, et aperuit os suum, et absorbuit flumen quod misit draco de ore suo. » Tunc utique quando illud famosissimum in Nicæa concilium fervor Christiani principis Constantini excitavit, publicis asinis atque mulis, et curracibus equis, episcopos et qui cum eis erunt, ad synodum venire præcipiens, tunc, inquam, audivit « terra mulierem, » quia de tota pene terra, de toto orbe terrarum convenientes viri illustres, ex omnibus gentibus viri religiosi, viri famosi, disputare scientes, omni elocutionis arte exercitati, ad defendendam catholicæ veritatis Ecclesiam consederunt, inter quos eminentissimi erant magnus Eustachius Antiochenæ Ecclesiæ præsul, et Eusebius, cognomine Pamphili, aliique quamplures, quorum meritis et vivi curati et mortui ferebantur suscitati, inter quos erant etiam nonnulli ferro ignito superioribus persecutionibus **449** ambusti, sive dextros oculos effossi, aut certe dextras suas abscissi. Unus horum erat Paphnutius Ægyptius. Illic nimirum videbatur populus athletarum et martyrum Christi in uno loco congregatorum. Aderant simul Syri, Cilices, Phœnices, Arabes, Palestini, Ægyptii, Thebæi, Libyes, Mesopotamii, Persæ, Scythæ, Pontici, Asiani, Phryges, Thraces, Macedones, Achivi, et Epirotæ. Cunctarum omnino Ecclesiarum, quæ totam Europam,

Libyamque et Asiam replebant, simul erant ministorum Dei congesta cacumina, unaque orationis domus, tanquam a Deo dilatata intrinsecus ferebat omnes in idem. Illic « terra, » id est conventus congregatus de universa terra, « aperuit os suum, » scilicet ad loquendum, ad disputandum, et ad proferenda testimonia Scripturarum, « et absorbuit flumen quod misit draco de ore suo, » id est annihilavit atque damnavit sectam doctrinæ nequam, quæ confecta fuerat spiritu diabolico. Illic namque Arii dogma destructum est. Nihilominus et tunc, quando Constantinopolitanum, quo Eunomii et Macedonii error convincitur; et tunc, quando Ephesinum, in quo Nestorii impietas judicatur; et tunc, quando Chalcedonense, in quo Euthychis, Dioscorique pravitas reprobatur, celebratum est concilium, « terra aperuit os suum, et absorbuit » ejusmodi « flumen, » evadente muliere, et duabus alis volante, sicut hic prædictum est:

Quia « datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis. » Magna namque aquila, sicut alio jam loco superius diximus, sancta est Scriptura, et hujus duæ alæ duo sunt Testamenta, quæ huic mulieri data, id est intelligibilia sunt facta, ut habeat quo sublevet in cœlum cor suum, et non incidat flumen quod fluit, per terram, flumen diabolicum, flumen hæreticæ loquacitatis laqueosum, et sophisticis retibus plenum. Ejusmodi habens alas in desertum volat in locum suum, id est, sanctum sectatur otium, ut vacet illi meditationi inservire Scripturarum, juxta illud Sapientis: « Scribæ sapientia in tempore otii, et qui minoratur actu percipiet eam (*Eccli.* XXXVIII). » — « Qui minoratur actu, » id est qui corporali exercitatione minus exercetur, quemadmodum Jacob, qui simplex domi habitabat, non tantum agens quantum Esau, qui utpote venator corporaliter exercebatur (*Gen.* XXV). Idcirco namque Jacob sapientiam percepit, illi autem exercitatio qua exercebatur ad modicum profecit. Proinde Apostolus strenuum instruens discipulum: « Exerce autem, inquit, teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ (*I Tim.* IV). » Illuc ergo mulier hæc evolans in illud desertum, in illum talem locum suum, et sanctum otium, ad pietatis exercitium, « alitur, » inquit, sudauditur contemplatione veritatis, et lectionibus sacris, imo et corporalibus, ut jam alibi dictum est, ex munificentia filiorum suorum stipendiis. « Alitur, inquam, a facie serpentis, » id est ita ut non timeat serpentem. « Per tempus et tempora et dimidium temporis, » id est tribus annis et dimidio, quanto tempore Antichristus persecutione sua mundum vexabit, atque idcirco recte per hunc terminum omne intelligitur tempus, quo persecutionem patitur Ecclesia, pro eo quod in Christo pie vivit. Absorptum est itaque flumen sive phantasma fluminis serpentini, quando concilium sanctum, concilium Nicænum, nefarium Arii dogma damnavit. Sed vide quid sequitur: « Et iratus est draco in mulierem, et adjecit [abiit] facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandatum Dei, et habent testimonium Jesu. » — Iratus est draco in mulierem, » quia videlicet jam exstincto Ario, rursus per quemdam præbyteum dogma illius pullulavit. Hinc rursus privatim et publice disputationes, diceptationes, injuriæ, inimicitiæ, et plurima quæ de talibus sæpius solent evenire. Nec longa mora interfuit, et de imperatoris Constantii levitate præsumentes hæretici, bellum commoverunt Christianis, nec minora fecerunt quam fecerant dudum persequentes tyranni gentiles et sacrilegi. Ait ergo de dracone mulierem persequente:

« Et adjecit facere prælium cum reliquis de semine ejus. » Videlicet quia parum proficiebat solo flumine, quod miserat de ore suo, quia trahere non poterat mulierem illo doctrinæ suæ profluvio, bellum exterius adjecit, gladium linguæ suæ vis hæretica crudeliter addidit. Et primum quidem catholici suis expellebantur ecclesiis, deinde tormentis etiam communicare cogebantur hæreticis, ita ut plurimi plagarum immanitate deficerent: alii substantiis, alii humana civilitate privabantur, aliis in frontibus characteres ponebantur ut essent hujusmodi signo notati. Hæc agebantur per universas urbes Orientis, præcipue tamen in regia urbe Constantinopoli. Accesserat namque tandem in auxilium diaboli Valens imperator alloquio seductus hæreticæ conjugis, quæ primitus Arianæ fallaciæ captionibus irretita, virum quoque corruere secum in blasphemiæ foveam persuasit, auctore seductionis Eudoxio, qui tunc temporis Constantinopolitanæ gubernacula tenens Ecclesiæ, navim suam mergebat, non regebat. Hac fiducia freti Ariani amplius effrenati, vexabant vehementer orthodoxos, cædentes, contumeliis agentes, carceribus recludentes, damnificantes sæpe pecuniis, et omnia contra eos facientes importabiliter. Sed cur parva de magnis loquor? denique quanta, quam crudelia hæretici in catholicos commiserint, cum sparsim, imo prolixe ecclesiasticis contineantur historiis, pro documenta breviore vel solæ sufficiunt litteræ mirabilis Petri Alexandrini, in quibus ille tragœdias illorum temporum deplorans, hæc inter cætera dicit: « Lucius, quasi successor mihi expulso directus, lupi nequitiam et actus habere festinans, magnus impietatis diabolicæ socius indivisus, armiger amarissimus, et minister ejus, collecta multitudine populorum, presbyteros atque diaconos decem et novem numero comprehendens, quorum quidam octogesimum transcenderant annum, tanquam captos in quodam scelere, et Romanorum inimicos legibus coarctabat. Hæc etiam principem Valentem grata habere pronuntians: Flectimini, inquit, miserrimi, et Arianorum concordate dogmatibus, flectimini, ignoscet enim vobis divinitas. » Et post aliqua: « O multa inhumanitas judicantis,

magisque præjudicantis! Qui enim propter pietatem decertati sunt, nec homicidis comparari possunt. Quorum utique corpora insepulta relicta sunt, et pie laborantes escis bestiarum volatiliumque projecti sunt. Quique patribus natorum, naturali conscientia comparari voluerunt, velut iniqui, capite secti sunt. Quæ lex Romanorum, quæ barbarorum sententia, quoslibet patribus condolentes punit? Quando quispiam veterum hujusmodi gessit iniquitatem? » His atque hujuscemodi crudelibus gestis perspicuum est, quando vel quomodo draco ille cum flumine loquacitatis male dogmatizantis quod emisit de ore suo, « bellum quoque facere adjecit cum reliquis de semine mulieris, » qui superfuerant funestis persecutorum gentilium gladiis. Sed isti reliqui quales **450** erant, vel quomodo possent vinci. Ait enim: « Qui custodiunt mandata Dei, et habent A testimonium Jesu. » Idem enim est ac si dicat: Qui vigilantes sunt in bonis operibus et sancto confirmati Spiritu. Ipse namque spiritus testimonium est Jesu, reddendo, ut Apostolus ait, « testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei (*Rom.* VIII). » Isti ergo tam flumine quam bello persecutionis circumventi, dicebant fortes, dicebant insuperabiles cuicunque Arianæ impietatis defensori: « Quiesce, jam quiesce his nos terrere sermonibus, cessa verba vana proferre. Nos neque novum, neque recentem colimus Deum. Et licet inaniter furias, teque concutias, sicut vehemens ventus, in dogmatibus pietatis usque ad mortem consistimus, non impotentem, non insipientem, non sine veritate aliquando fatentes Deum, non aliquando quidem existentem, sicut B impietas Arii temporalem prædicat Filium, et his similia.

LIBER OCTAVUS

CAP. XIII. — « Et steti super arenam maris, et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem, et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ. » Quæ huc usque visu vel scripta tractavimus de dracone magno et rufo tot capitum, tam multorum cornuum, qui devorare intenderat illius beatæ mulieris filium masculum, et illo rapto ad Deum et ad thronum ejus, tam grande commisit prælium cum his qui habent testimonium ejus, hactenus et ante nostram ætatem rebus adimpleta esse luce clarius est. Adhuc una tribulatio in novissimo futura est, qua cæteræ complebuntur, dura, et omnium C pessima, tribulationum, quando, ut Apostolus ait, « Revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, signis, et prodigiis, et mendaciis, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo, inquit, mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati (*II Thess.* II). » Illa, inquam, una tribulatio nunc superest, quæ, quod vere magna futura sit, Dominus ipse gravissime testatus est, ita ut diceret: « Erunt enim D dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus usque nunc, neque fient (*Matth.* XXIV), » Item: « Surgent, inquit, pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest), etiam electi (*ibid.*). » De illo homine peccati, filio perditionis, de extollentia et adversatione ejus, de virtute et signis atque prodigiis ejus mendacibus, de tribulatione magna qua electos tribulabit, ut decipere possit, nunc visio hæc cœlestis agere incipit, dum hic spectator mirabilium dicit: « Et steti super arenam maris. » Dignum spectaculo est quod dicit: Steti super arenam maris. » Nam super arenam non fida statio, sed ruina, sive propinquitas ruinæ spectari solet. Exempli gratia, ut in Evangelio: « Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis est viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna (*Matth.* VII). » Cum ergo super arenam ruina contingere soleat, hic autem se super arenam stetisse dicat, quid per hoc innuitur nisi temporis illius difficultas, et tribulationis nimietas, quæ tanta erit, ut quemadmodum dicit: « Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, » quando et talia totque fient prodigia mendacii, « ut in errorem inducantur (si fieri potest), etiam electi? » — « Steti » igitur, inquit, « super arenam maris, » dubium et periculosum valde significans tunc temporis statum, quando electi et stantes vacillabunt, et vacillantes stabunt, quia cum ipsa tribulatione signa videntes, etiam ipsi quia cum mirabuntur, sed fieri non poterit ut in errorem inducantur. Itaque stans super arenam maris:

« Vidi, ait, de mari bestiam ascendentem. » De quo mari? De illo nimirum, cui væ, cui ira et sempiternus ardor gehennæ, quia diabolus, videlicet bestia, quæ nunc ascendere dicitur, ad illud descendit, sicut supra dictum est, ubi draco ille de cœlo projectus fuerat: « Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam (*Apoc.* XII). »

Ille draco, ille diabolus nunc alio quidem, sed vicino nomine bestia dicitur, non abs re, sed pro novæ rei magnitudine, quia videlicet qui prius erat diabolus et draco dicebatur, in homine erit, et homine armabitur, et et homo peccati, homo, ut paulo ante meminimus, erit filius perditionis. Idcirco pulchre appellatio quoque mutata est, ut bestia dicatur; erit enim homo ille secundum operationem ejusdem Satanæ Deo et omni creaturæ infestus, secundum proprietatem sive etymologiam appellationis, quia bestia quasi festia dicitur, per antiphrasim, eo quod infesta sit. « De mari, » id est de sæculo præsenti nequam, de fluxu generis humani nascendo bestia talis ascendit, de multitudine impiorum, de undosa **451** populositate malignantium. Traduut nonnulli quod ille locus maris, unde nasci debeat, Babylonia sit. Nam sicut, inquiunt, Dominus et Redemptor noster Bethlehem sibi prævidit, ubi pro nobis humanitatem assumere dignaretur (*Matth.* II; *Mich.* V), sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur locum novit aptum, in quo radix omnium malorum oriri debeat, scilicet civitatem Babyloniæ. Verum quoniam hoc certam auctoritatem, in Scripturis non habet authenticis undecunque ascendat, ubicunque nascatur, sciendum quoniam in ipso conceptionis ejus initio, diabolus simul introibit in uterum matris ejus, et ex virtute diaboli confovebitur, et conturbabitur in ventre matris ejus, et virtus diaboli semper cum illo erit. Et sicut in matre Dominis nostri Spiritus sanctus venit, et eam sua virtute obumbravit et divinitate replevit, ut de Spiritu sancto conciperet, et quod nasceretur divinum esset (*Luc.* I), ita quoque diabolus in matrem Antichristi descendet, et totam eam replebit, totam circumdabit, totam tenebit, totam interius et exterius possidebit, ut, diabolo cooperante, per hominem concipiat, et quod natum fuerit totum sit iniquum, totum malum. Unde et ille, talis taliter conceptus, « homo peccati » recte dicitur (*II Thess.* II), et est propria appellatio ejus. Nullus enim usquam in omnibus Scripturis tali appellatione censetur. Servi quidem peccati dicuntur et dici possunt, omnes qui faciunt peccatum, quemadmodum Dominus dicit : « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII; *Rom.* VI). » Sed hic singularis peccator, ut aliquid plusquam peccati servitus in illo esse significetur, « homo peccati » recte dici debuit, quia, videlicet quemadmodum « Christus, » qui, ut ait Apostolus, « factus est nobis justitia (*I Cor.* I), » homo justus et Deus justitiæ dicitur, sic econtra ille Christo contrarius, homo peccator, et homo peccati recte nuncupatur. Notandum deinde quod non dixit, « vidi de mari bestiam illam progredientem, sed « vidi, inquit, ascendentem. » Quid enim est illam videri vel dici ascendentem? Aut quo ascendere sive ascensuram esse putamus bestiam talem? Nunquid in cœlum unde cecidit, juxta Veritatem dicentem : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X). » Non utique qui cecidit ille ascendit, sed qui descendit ipse solus ascendit (*Joan.* III), de quo et Apostolus dicit : « Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia (*Ephes.* IV). » Quo ergo ascendit iste, qui non descendit, sed cecidit? Nusquam ascendit, sed in semetipso magis ac magis tumuit, omnino sic intelligi oportet : « Vidi bestiam ascendentem, » ac si diceretur: Vidi bestiam in semetipsa se extollentem. Totus namque ascensus ejus, tanta extollentia est, quantam Apostolus per hæc verba intimare intendit : « Et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. » Melius igitur atque vehementius dictum est, ut dici debuit : « Vidi bestiam ascendentem, » quam si diceretur : Vidi bestiam de mari exeuntem, quia sic et per nomen bestiæ stultitiæ ferocitatis ejus, et per verbum ascendentis, nimio tumori ejusdem competenter exprobratur.

« Habentem, inquit, capita septem et cornua decem. » Hoc et de dracone illo magno et rufo supra dixit quod haberet capita septem et cornua decem. Nimirum quia et bestia hæc et draco ille unus idemque diabolus est, cum corpore suo, id est cum universo impiorum populo. Nam sicut illis jam dictum est, « capita septem » regna sunt septem, quorum persecutiones bene ex Scripturis cognitæ eo tendebant, ut in mundo exstingueretur sanctum veræ divinitatis nomen. Et quidem hactenus sparsim atque successim capita illa frenduerunt, unumquodque vice sua contra Deum faciens bellum. Primo, regnum Ægyptiorum filiis Israel illudentium Pharaone dicente : « Vacatis otio, et idcirco dicitis : Eamus et sacrificemus Domino (*Exod.* V). » Secundo, regnum carnalis Israel, Jezabel et posteris ejus prophetas Domini occidentibus (*III Reg.* XIX). Tertio, regnum Babyloniorum, Nabuchodonosor compellente captivatum Dei populum auream, quam fecerat statuam adorare (*Dan.* III). Quarto, regnum Persarum atque Medorum, volente Aman Judæorum genus universum perimere (*Esther.* III). Quinto, regno Græcorum, Antiocho Epiphane crudelia nimis et impia gerente, ut in libro Machabæorum legimus (*I Mach.* I). Sexto, regnum Romanorum, Nerone et posteris ejus Christianos persequentibus (*II Mach.* V). Septimum, quod futurum est, regnum Antichristi, eodem filio perditionis tantam persecutionem agente, quanta ab initio creaturæ non fuit, nec erit (*Matth.* XXIV). Ita inquam, hactenus sparsim atque successim singula debacchata sunt capita draconis. Cum autem venerit quod nunc tractamus, cum bestia hæc de mari ascenderit, habens capita septem, cuncta simul capita rictibus propriis hiabunt atque frendent super Christianos dentibus suis, secundum intentionem septimi et maximi capitis, quod Antichristus erit. Nam ille per universum orbem nuntios mittet, et prædicatores suos. Prædica-

tio autem ejus et potestas pertinget a mari usque ad mare, ab oriente usque ad occidentem, ab aquilone usque ad septentrionem. Reges et principes primo ad se convertet, ac deinde per illos persecutionem sub omni cœlo excitabit super omnes populos Christum confitentes. Proinde notandum quod, cum dixisset, « habentem capita septem et cornua decem, » addidit: « Et super cornua ejus decem diademata. » Hoc loco quot cornua, totidem scribuntur diademata. Non ita autem supra, sed decem quidem scripta sunt draconis illius cornua, septem vero diademata. Meminisse ergo debemus regnorum eorumdem, quæ jam numeravimus, quia cum regna fuerint septem, reges illorum fuere decem, quoniam regnum Græcorum, quod unum erat, mortuo Alexandro Magno, in quatuor ejus successores divisum est, Ptolomæum Lagi filium, Philippum cognomento Arideum, Seleucum, qui et Nicanor, et Antigonum. In partem Seleuci (sicut illo jam loco diximus, ubi de dracone et capitibus atque cornibus ejus tractavimus) Syria cum Judæis cessit, et hujus tantum posteri, quorum deterrimus ille Antiochus Epiphanes exstitit, impugnaverunt nomen Domini, sicut habemus ex memorabilibus Machabæorum gestis. Quapropter quoniam septem regnorum decem quidem reges fuerunt, sed tres divisiones regni, Græcorum reges contra Dei cultum nihil egerunt, bene illic decem quidem cornua, septem capitum draconis, sed septem tantum diademata numerata sunt. At vero cum venerit ille filius perditionis, non ita erit. Nullum quippe regnum; nulla pars cujusque regni a persecutione in Christianos vacabit. Bene igitur quot cornua, tot diademata, quia videlicet quot erunt reges, tot erunt hujusce impietatis ministeria.

« Et super capita ejus nomina blasphemiæ. » « Nomina blasphemiæ, » id est nomina divinitatis usurpatæ vel affectatæ similitudinis divinæ. Et quidem de primo istorum capitum, id est de regno Ægyptiorum, certum est quia blasphemavit, non tantum in eo quod contra Deum stetit, filios Israel premendo, ut nullam haberent recordationem nominis Domini, verum etiam in eo, quod ipsam **452** affectavit similitudinem Dei (*Ephes.* v). Unde et typum tenet diaboli, diciturque Prophetæ in exprobrationem illius ex ore Domini: « Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti et populo ejus: Cui similis factus es in magnitudine tua? » (*Ezech.* xxxi.) Et post aliqua: « Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam, in medio incircumcisorum dormies cum his qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao et omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus (*ibid.*). » De regno Israelitarum certum est quia Jezabel blasphemavit, non tantummodo cogens Baal pro Deo coli, verum etiam pervertendo jurationem nominis Domini tunc temporis usitatam, ut quia solitum erat sic jurari: « Hæc mihi faciat Deus et hæc addat (*III Reg.* ii), » ipsa sic juraret, exempli gratia, contra Eliam: « Hæc mihi A faciant dii, et hæc addant, nisi cras hac hora posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis (*III Reg.* xix), » subauditur prophetis Baal, quos occidisti. De regno Babyloniorum notum est quia magnifice gloriatum est, maxime quando statuam erexit auream, compellens ut adorarent eam, blasphemavit et dixit: « Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea? » (*Dan.* iii.) Itemque in libro Judith scriptum est: « Præceperat enim Holoferni Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur Deus ab iis nationibus quæ potuissent ejus potentiæ subjugari (*Judith.* iii). » De regno Persarum atque Medorum item novimus, quia superbiæ nomen illi Aman superbissimus incripsit, quia, comperto quod Mardo-B chæus non se adoraret, valde iratus est (*Esther.* iii). Mardochæus autem orans hæc ad Deum inter cætera dicit: « Libenter pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem, sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quem adorarem excepto Deo meo (*Esther.* xiii). » Quod cum dicit satis exprimit quia superbus ille non qualemcunque adorationem, sed illam exigebat sibi quæ soli Deo debita est. Nam est adoratio qua, salvo honore Dei, liceat adorare et adorari, quam Mardochæus non tantopere refugisset, cum et propheta sanctus regem hominem adoraverit, sicut scriptum est: « Et nuntiaverunt regi dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset et stetisset in conspectu regis, et adorasset pronus in terram (*III Reg.* i), » etc. De regno Græcorum fere nemo qui nesciat C quia blasphemavit, et blasphemiæ notam sibi inussit, videlicet quando Antiochus sæpe dictus, ascendens Jerosolymis « in multitudine gravi, intravit in sanctificationem cum superbia, et locutus est superbiam magnam (*I Mach.* i). » De cujus superbia blasphemia Daniel prævidens: « Et magnificatus est, inquit, usque ad fortitudinem cœli, et dejecti de fortitudine et de stellis, et conculcavit eas, et usque ad principem fortitudinis magnificatus est, et ab eo tulit juge sacrificium (*Dan.* viii), » etc. De regno Romanorum quis nesciat quod blasphemiæ nomen sibi altius inscripserit dando regibus suis rapinam divini nominis. Nam (ut de cæteris taceam, qui, postquam mortui fuerunt, inter deos relati sunt). Octavianus Augustus adhuc vivens et in corpore præ-D sens deus dictus est, templum quoque atque simulacrum, nec non et sacrificiorum ritus sibimet exhibitos a fatuis nimiumque stultis adulantium populorum turbis nimius præsumptor admisit. De regno Antichristi quod caput septimum erit, non longius exempla petantur sive testimonia blasphemiæ, qua caput illum impurum notandum sive coronandum sit. Nam hic postmodum de illo Scriptura ista dicit: « Et datum est ei os loquens magna et blasphemiam, et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus. » Igitur super capita bestiæ nomina blasphemiæ, quia singula regna regibus suis nomen, quod est Deus, ascripserunt, vel ipsi reges

ultro præripuerunt, quod nimirum est blasphemare. « Et bestia quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut ursi, et os ejus sicut os leonis. » Pardus in visione Danielis, ubi quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se, regnum significat Macedonum. Est autem bestia velocissima quæ præceps fertur ad sanguinem, et saltu in mortem ruit. Comparatur ergo illi regnum Macedonum, regnum Alexandri, cujus victoriis velocius nihil fuit, quippe qui ab Illyrico et Adriatico mari usque ad Indicum Oceanum et Gangem fluvium, non tam præliis quam victoriis percurrit, et sex annis Europæ partem, et omnem sibi Asiam subjugavit.

Illi regno ejusmodi pardo similis erat, inquit, bestia quam vidi, videlicet secundum malignitatem supra dicti Antiochi, qui, ut idem Daniel prædixit, « magnificatus est usque ad fortitudinem cœli, » sive usque ad principem fortitudinis, et ab eo juge sacrificium tulit. Denique hoc plerique doctorum ita ad Antichristum referunt, ut quod sub illo Antiocho in typo factum est, sub Antichristo in veritate dicant esse complendum. Igitur « similis erat pardo, » id est complebit Antichristus illud quod per Antiochum præfiguratum est de illo : « Et pedes, inquit, ejus sicut ursi. » Ursus in eadem Danielis visione regnum Persarum atque Medorum significat, videlicet propter ejusdem regni duritiam atque ferocitatem (*Dan.* VII). Illius ursi pedibus pedes hujus bestiæ comparantur. Qui porro erunt hujus pedes, nisi nequitiæ ejus satellites, pessimarum ejus legationum per totum mundum ad effundendum sanguinem portitores? Et qui illius ursi, scilicet illius regni Persarum atque Medorum pedes fuerunt, nisi complices Aman Agagitæ, hostis Judæorum, quia susceptas, imo impetratas a rege crudeles epistolas de occidentis Judæis, sæva mandata continentes, portare festinaverunt? (*Esther.* III.) Quod ergo dicit, « et pedes ejus similes urso, » id est ac si diceret: Et ministri ejus sicut Aman ad effundendum sanguinem erunt festini. « Et os ejus sicut os leonis. » In eadem visione Danielis non leo, sed, quod sævius est, leæna, regnum Babylonicum significat, videlicet propter sævitiam ejus, et crudelitatem, sive propter luxuriam, et vitam libidini servientem. Igitur os ejus sicut os leonis, videlicet cum superba loquitur atque crudelia, velut ille rex Babylonis cum diceret : « Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea? » (*Dan.* III.) Et nota quod illic in visione Danielis, prima ponitur leæna, deinde alia similis urso, deinde alia quasi pardus, deinde bestia quarta sine nomine terribilis atque mirabilis, et fortis nimis (*Dan.* VII), hic autem ordine reciprocato regnum Antichristi primum, bestia dicitur nomine generali absque nomine speciali. Deinde in ea similitudo pardi, deinde in pedibus ejus similitudo ursi, deinde in ore ejus similitudo leonis. Per quod mystice apostasia diabolici spiritus, qui in homine illo totus redundabit, significatur quam pertinax sit, mala sua reciprocando se-

A que in sua vestigia revolvendo. Sequitur adhuc : « Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam. » Mirabiliter et illuc reducti in eadem visione Danielis detinemur, ut cum dicit : « Dedit illi draco virtutem suam (*Dan.* XIII), » hoc esse videamus contrarium ei quod filio hominis dedit ille Antiquus dierum, virtutem et potestatem suam magnam. Sicut illic post ascensum bestiarum **453** illarum grandium, leænæ, ursi, pardi, et quartæ » cujus nomen tacuit, continuo sequitur : « Et aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit. » Et subinde : « Aspiciebam ego in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum,
B et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, et tribus et linguæ servient ei. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur (*Dan.* VII). » Hic econtra postquam feram illam communi sive generali vocabulo bestiam appellavit, « eamque similem pardo, pedes ejus sicut ursi, et os sicut leonis » habere dixit; et hoc innuit quia ille homo peccati usque ad antiquum draconem pervenit, dicendo : « Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam, » ac postmodum repetendo : « Et data est ei potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem. » Porro quod illic dictum est : « Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. » Hic in isto contrario nullatenus saltem adulteratum,
C ut cætera sunt, invenimus. Nec enim potestas illa quam dedit iste huic filio perditionis, æterna sive incorruptibilis potest esse vel dici. Quid igitur sibi vult iste ruinosus peccati tyrannus, iste mortis præpositus? Quomodo Altissimum hic imitatur? Num istud est illud quod olim promittebat sibi, dicens in corde suo, « similis ero Altissimo? » (*Isa.* XIV.) O veternosum patrem mendacii, quomodo in eo quo maxime mendax est, veracem se esse vult gloriari? Quid enim hac similitudine dissimulius, quid hac imitatione separatius? huc oculos suos mirantes ad tale spectaculum, convertat omne cœlum, cunctus orbis terrarum, universæ generationes sæculorum. Altissimus de corde suo veritatem, verum, et bonum Verbum genuit, ipsumque incarnari voluit, atque illi
D homini propter profectam humilitatis obedientiam, potestatem suam vere magnam in cœlo et in terra dedit; hic autem imitator ejus, memor quod dixerat, « ero similis Altissimo, » quasi similiter volens facere, mendacium de corde suo genuit, ipsumque in homine illo qui venturus est, totum congregabit atque fundabit. Illi quoque omnem potestatem suam dabit, videlicet omnia regna mundi. Verumtamen nec illud de suo, sed de rapina dabit. Nam quod in Evangelio Salvatori tentando ostendens omnia regna mundi et gloriam eorum, dicensque : « Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me; » addit etiam : « Hæc omnia mihi tradita sunt, et cui volo do illa

(*Matth.* IV; *Luc.* III). » Mentitur, quia non omnino aut vere tradita sunt illi, sed ipse rapuit, cujus videlicet rapinæ principium deceptio fuit, qua primum hominem decepit. Denique juxta veritatem, « Domini est terra plenitudo ejus (*Psal.* XXIII), » nihilque est omnino quod illius esse non debeat, præter solum rationalis creaturæ vitium. Ergo quod dicendo potestatem sive virtutem, addidit magnam, non pro vero, sed pro æstimatione ejus dictum intellige. Videamus adhuc quod sequitur :

« Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est. » Unus idemque homo peccati Antichristus, et paulo ante bestia capitum septem, et hic unum de capitibus bestiæ dicitur, videlicet bestia tot capitum, pro corpore suo quod est omnis generatio impiorum, unum autem caput pro sua persona, et pro illius temporis sui quo revelandus est principatu, rex omnium superbiæ filiorum. Sane quod hic dicit, « caput istud bestiæ quasi occisum in mortem, et plagam mortis ejus curatam ; » hoc idem post aliqua repetit, caput ipsum bestiæ appellans, cum dicit : « Ut faciant imaginem bestiæ quæ habet plagam gladii, et vixit. » Ubi quæso caput istud occisum fuit, ubi plagam gladii accepit ? quomodo plaga mortis ejus curata est ? quomodo vixit ? imo quomodo istud ad nomen spectat Antichristi, id est Christo contrarii ? Vere modo mirabili, modo exsecrabili. Verus namque Christus plagas clavorum, et plagam lanceæ accepit, et peccato mortuus fuit ; nunc autem mors ejus curata est, et ipse Deo vivit. Hic autem, o res mira ! in cœlo coram Patre, et Filio et Spiritu sancto, judicio subactus coram omni cœlorum curia, beatorumque angelorum sancto senatu, pro superbiæ crimine sententiam capitalem accepit, et gladio percussus est æternæ damnationis, atque ita Deo mortuus peccato vixit, et adhuc. Vivit, certe vivit, quia semetipsum nimis pertinaciter defendit, neque se pro mortuo, sed pro Deo vult haberi, imo supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, se extollit (*II Thess.* II). Nunquid ergo vere plaga mortis ejus curata est ? Non curata est, sed ipse rebellis gladii, rebellis sententiæ Dei, nihil sibi plagam illam nocuisse contendit. Quid enim ? Et antequam in illum ingrediatur diabolus, proprium vas filius perditionis, quamvis in cœli percussus fuerit, templa sibi atque aras atque sacerdotes, et sacrificia quasi Deo vivo conquisivit; postquam hominem illum ingressus fuerit, regna mundi obtinebit et in templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus. Quomodo is concedet vel propriæ saltem conscientiæ consentiens quod occisus, quod vulneratus unquam fuerit, aut vulnerari aut occidi unquam debuerit ? O tyranne, tyranne, miramur unde tam fatua duritia, tam dura fatuitas, quomodo vel unde tibi, et tamen in genere nostros multos tibi conformes a te prædoctos legimus, videmus secundum exemplum tuum indurari et infatuari. Nam quisquis in crimine convictus, judicio addictus, contra conscientiam propriam facit, A consciusque criminis semetipsum defendens, sententiam relidit. Exempli gratia : Potens quisquam adulterii sive homicidii reus atque rebellis dum gladium anathematis, quo juste percutitur, vi sua relidit, recte atque vere de isto judicamus quia habet plagam gladii et vivit, id est, quia in conscientia proprio judicio condemnatus est, et tamen per contumaciam sese defendit tanquam justus sit. Sequitur :

« Et admirata est universa terra post bestiam, et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ, et adoraverunt bestiam, dicentes : Quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea ? » Hic illa generatio maxime culpatur, quæ talem illum hominem susceptura est, secundum gravem et viridicam conquestionem illius hominis qui « benedictus venit in B nomine Domini, » qua dicit : « Ego veni in nomine Patris mei, et non susceperunt me : alius veniet in nomine suo, illum suscipient (*Joan.* XV). » Illi namque terra sunt, et terrena sapiunt ; et illa susceptio, qua suscipient illum, admiratio ista est de qua nunc dicit : « Et admirata est universa terra post bestiam. » In hoc ergo culpantur, in hoc illis exprobratur, quia nisi terra essent, si quid eorum quæ sursum sunt saperent, non admirarentur, non magnipenderent terrenam ejus altitudinem, terrenam potentiam, terrenam gloriam, quam verus Christus adeo nihili pendit, ut eo tempore quando primum salutabatur rex Israel a turbis dicentibus : « Benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI), » asello sedere voluerit, in contemptum omnis terrenæ celsitudinis. Amplius autem eos percutit in eo C quod subjungit : Et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ, et adoraverunt **454** bestiam dicentes : Quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea ? » Dicturus, « et adoraverunt bestiam, » præmisit, et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ. » Quare ? Videlicet quia ut adorarent bestiam, causa illa præcedens effecit quod adoraverunt draconem talis bestiæ parentem. Etenim quomodo Apostolus dicit, « Eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, ideo mittet illis operationem erroris ut credant mendacio (*II Thess.* II). » Item eodem modo recte dicas: « Eo quod adoraverunt draconem, » id est diabolum, idcirco errare permittuntur ut adorarent bestiam, id est Antichristum. Sed dicis : Quomodo saltem impii D dicantur adorasse diabolum, qui etiam sæpe maledicunt diabolum ? Ad hæc, inquam : Certe (ut de cæteris modo taceam) saltem in eo diabolum adoraverunt, quod mammonæ servierunt. Nam et Apostolus de avaritia dicit, quod simulacrorum servitus sit (*Ephes.* V). Ergo quia mammonæ jamdudum servi fuerant, et mammonæ serviendo adorabant diabolum, quid miraris quod deinde bestiam adoraverunt habentem divitias, valentem dare aurum et argentum, utpote cui dedit draco potestatem omnium quæ sua sunt ? Itaque admirantes et adorantes dicent : « Quis similis bestiæ ? » Ita percontabuntur, sibique respondebunt : Nullus. Dicent adhuc : « Et quis po-

terit pugnare cum ea ? » Sic fatui fatua loquentes, non recordabuntur quod quondam Pharao cum curribus et equitibus suis, pugnante Deo pro Israele, in mare mersus sit (*Exod.* XIV), quod canes comederunt Jezabel (IV *Reg.* IV), quod Nabuchodonosor ex hominibus ejectus est, et per septem tempora fenum comedit ut bos (*Dan.* IV), quod Aman in patibulo appensus est (*Esther.* VII), quod Antiochus vivens intrinsecus computruit (*I Machab.* IV), et sicut Daniel prædixerat sine manu contritus est, quod Nero minister diaboli ut dedecorose vixit, ita et turpius periit (*Daniel.* VIII). Horum non recordabuntur, imo nec si quis commemoret hæc audire patientur. Nam de ipsis maxime verum erit quod dicit Apostolus : « Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (*I Tim.* IV). » Tam stultæ admirationis exemplum in illis quoque mirari possumus, de quibus in Actibus apostolorum scriptum est: « Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis (*Act.* XII). » Denique » quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea, » voces Dei sunt et non hominis, id est, voces quas soli Deo liceat appellare et non homini. Exempli gratia, in psalmo justus dicit : « Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tui ?» (*Psal.* XXXIV.) Isti autem dicunt: « Quis similis bestiæ,» id est quis similis Christo ? Nam ex persona Joannis bestia dicitur, a seductis autem ille homo Christus dicetur. Item justus Deo dicit : « Tu terribilis es, et quis resistet tibi ? » (*Psal.* LXXV.) Isti autem econtra dicunt de bestia : « Et quis poterit pugnare cum ea ? » Hoc est quod nunc diximus exemplum ejus Herodem quoque fuisse, cui vulgus nimis prona adulatione acclamavit, Voces Dei et non hominis. Et quantum fuit propter quod illi, videlicet Herodi voces acclamaverunt ejusmodi? Exiguum sane longeque minus quam futura est magnitudo hujus bestiæ. Josephus in decimo nono libro *Antiquitatum* evidentius commemorat illud vanitatis ridiculum : « Cum, inquit, in honorem Cæsaris spectacula civibus ederet, votivo ut videbatur salutis Cæsaris die, cumque illuc totius provinciæ viri et honore et facultatibus præditi convenissent, secundo spectaculorum die indutus veste fulgenti ex auro argentoque mirabiliter intexta, incipiente die procedit, ad theatrum. Ubi cum primos solis radios argentea vestis gremio suscepisset, repercusso splendore duplicatam spectantibus lucem fulgore metalli vibrantis effudit, ut intuentibus perstringeret aciem terror aspectus, et per hoc plus aliquid de eo quam humanæ naturæ est, artifex arrogantia mentiretur, illico adulantis vulgi concrepant voces, honorem sonantes, sed exitium ferentes, et hinc atque illinc ab eis clamantibus Deus compellabatur, utque fieret propitius simpliciter exorabatur, dicentibus populis, quod nunc usque te ut hominem timuimus, sed ex hoc jam supra humanam naturam te esse fatemur. » Igitur si pro veste argentea sole radiante repercussa

A homini unius provinciæ regulo tantum attribuerunt, quanto pulas bestiæ tam magnæ clangore voces Dei concrepabunt, possidenti omne aurum et omne argentum, simul etiam fulgenti luce miraculorum ? aut nunquid homines illius temporis minus proni erunt ad adulandum? Quales enim illis novissimis diebus illis periculosis temporibus homines erunt. Nimirum, ut ait Apostolus, « seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei (II *Tim.* III). » Cum istis miserit Deus operationem erroris, quid miraris eos acclamare voces Dei et non hominis ? (II *Tim.* II ; *Act.*
B XII.) Et de illo quidem in Herode tenuiter dictum est, eo quod non dedisset honorem Deo, scilicet acquiescendo immoderato favori populi, de ista vero bestia longe majus est, quod hæc Scriptura dicit. Sequitur enim :

« Et datum est ei os loquens magna, et blasphemiam ; et data est illi potestas facere menses quadraginta duos. » Et continuo ut exponat oris illius magnitudinem, vel quæ magna illud os locuturum sit, adhuc addit : « Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant. » Itemque exponens quæ potestas illi detur, vel qualiter acceptam exerceat potestatem per menses quadraginta duos, addit adhuc : « Et datum est illi bellum facere
C cum sanctis et vincere illos. Et data est ei potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem. » Hoc peccati insigne est ejus de quo scriptum est. « Et ipse est rex super omnes filios superbiæ (*Job.* XLI), » quod non tantum acquiescet immoderato favori dicentium, Quis similis bestiæ ; verum etiam os magnum, os magna loquens habebit, arrogando sibi magnificentiam Dei et exigendo ab omnibus voces Dei non hominis, ut dicant omnes, Quis similis tui. Hoc exiget non tantum ore, verum etiam bellica potestate. Idcirco aperiet os suum in blasphemias ad Deum : videlicet, sicut ait Apostolus, extollendo se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (II *Thess.* II). Idcirco bellum faciet cum sanctis, et vincet illos, videlicet qui blasphemante ore non poterit, bellando se vindicabit atque
D occidendo. Et nota diligenter quod hæc omnia faciet secundum nomen suum, imo secundum hæc jam nomen illi impositum est, quod est Antichristus, id est, Christo contrarius. Etenim omnia quæ hic dicuntur contraria sunt eis quæ de Christo legimus. Primo quod datum est illi os loquens magna, ori Christi contrarium est. Denique os Christi parvum et taciturnum fuit. Scriptum quippe est : « Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum ; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente obmutescet, et non aperiet os suum (*Isa.* XXXV). » Item in propheta cujus evangelista quoque meminit : « Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in

plateis vocem ejus (*Isa.* XLII; *Matth.* XII). » Et hic
455 quidem in blasphemias ad Deum illud os magniloquum aperiet; ille autem in confessionem et laudem Dei os suum aperuit. Exempli gratia, cum dicit: « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ (*Matth.* XI). » Hæc omnino contraria sunt. Item non solum nomen Domini, sed et tabernaculum ejus, et eos qui habitant in cœlo blasphemabit. Ille autem non solummodo Patri Domino cœli et terræ confessus est, sed et tabernaculum ejus, id est Ecclesiam, et eos qui in cœlis habitant vel habitaturi sunt, honorificavit et beatificavit, et in hoc os suum aperuit, sicut in Evangelio scriptum est: « Et aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V), » etc. quæ ita concludit: « Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlo (*ibid*). » Hæc manifeste contraria sunt. Item « potestas ejus facere bellum cum sanctis per menses quadraginta duos; » illius autem potestas per tandumdem temporis fuit pacem parare sanctis, quemadmodum dicit: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV). Hæc nimirum contraria sunt. Item « potestas hujus in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem; » illius autem potestas a Deo nulla in quemquam fuit, ut ne saltem de minimis judicaret agellis. Imo « cum dixisset ei quidam de turba: Magister dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem, ille dixit ei: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? » (*Luc.* XII.) Sed et cum cognovisset quia venturi essent hi quos paverat de quinque panibus et duobus piscibus numero quasi quinque millia, ut raperent et facerent eum regem, « fugit, inquit evangelista, in montem ipse solus (*Joan.* VI), » quia videlicet sicut postea dixit Pilato: « Regnum ejus non erat de hoc mundo, nec est (*Joan.* XVIII). » Hæc nihilominus contraria sunt. Sequitur enim:

« Et adorabunt omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ agni qui occisus est ab origine mundi. » Magnam et veram illorum qui eum adoraturi sunt determinationem fecit, dicendo: « quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ agni. » In libro vitæ, hoc est in cœlo, sicut in Evangelio dictum est: « Sed in hoc gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlo (*Luc.* X). » Ubi ergo scripta sunt nomina illorum qui eum adorabunt? in terra sicut propheta testatur: « Recedentes a te in terra scribentur (*Jer.* XVII). Hoc ipsum in præsenti determinatione tacitum non est. Dicturus namque « quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ, » præmisit « omnes qui inhabitant terram. » Nam terram inhabitare est terrenis toto desiderio inhiare. Quod qui facit, a Deo recedit, et in terra scribitur, juxta quod alibi prophetica confessione dictum est: « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur (*Psal.* LXVIII). » At ille solos adoratores illos admittit, « quorum nomina scripta sunt in libro vitæ ab origine mundi. » Qui liber est præscientiæ Dei, et beatæ certitudo prædestinationis, sicut certa cum determinatione Angelus ad Danielem dixit: « Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro (*Dan.* III). » Scripturæ istæ contrarium sunt, et libri ipsi contrarii, sed et scribendorum librorum causæ contrariæ sunt. Nam libri boni libri vitæ, in quo scripti sunt omnes et soli salvandi, causa est propositum Dei, de quo Apostolus dicit: « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* VIII), » etc. De isto libro cum dixisset hic, « quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni qui occisus est, » addidit: « ab origine mundi. » Non sic legendum vel subintelligendum est, « in libro vitæ Agni qui occisus est ab origine mundi, » sed ita: Quorum nomina non sunt ab origine mundi scripta in libro vitæ Agni qui occisus est. Et est sensus: Non sunt scripta in libro vitæ ab origine mundi, id est, non fuerunt in proposito Dei in ipsa origine mundi, videlicet quando creatis primis hominibus bene dixit illis, et ait: « Crescite et multiplicamini et replete terram et subjicite eam (*Gen.* I). » Denique quos illo benedictione jussit nasci, omnes et soli in libro vitæ sunt scripti. Qui, videlicet liber vitæ, idcirco recte dicitur Agni, quia cuncti electi, quorum nomina in illo scripta sunt, non aliter quam per Agnum Jesum Christum, per sanguinem ejusdem Agni Jesu Christi, benedictionem illam qua nasci vel multiplicari jussi sunt, quam in Adam perdiderunt, recuperare potuerunt aut possunt. Ad gloriam illius ut nascerentur et viverent, erant in proposito, et præscientia, et prædestinatione Dei, sicut Apostolus jam loco supra dicto cum dixisset: « His qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit et prædestinavit, » continuo subjecit, « conformes fieri imaginis Filii sui, et per humilitatem mortis ejus vocati, sive ex dispersione in unum congregati, et justificati, et magnificati sunt. » Porro libri mali, libri mortis, in quo scripti sunt omnes et soli qui non pertinent ad illud propositum Dei, causa fuit peccatum, quando primum in hunc mundum intravit per invidiam diaboli (*Sap.* II), testante Scriptura, cum non ante sed post actum ejusdem peccati Deus mulieri dicit: « Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos (*Gen.* III). » Ista multiplicitas sive superfluitas conceptuum, et ab initio semper multitudine sua vehementer oppressit tardius atque parcius nascentes filios benedictionis, incipiens a primogenito Evæ Cain, qui fratrem suum Abel justum occidit (*Gen.* IV), et in illis novissimis diebus, de quibus nunc sermo est, adorans et dicens, « quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea, » residuos persequetur, et occidet filios ejusdem benedictionis. Sequitur:

« Si quis habet aurem, audiat. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet, et qui gladio occiderit, oportet eum [gladio] similiter occidi. » Vehementer dos excitare atque ad audiendum attentos

A facere voluit, præmittendo : « Si quis habet aurem, audiat. » Quis autem ad istam vocem hæsitet? Quis non statim propositionem veram esse concedat, qua dicit : « Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: et qui gladio occiderit, oportet eum similiter occidi ? » Idem namque est quod cum Petro dixisset: « Converte gladium tuum in locum suum, » continuo subjunxit : « omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt (*Matth.* XXVI). » Ubi et subaudiendum est, nisi pœnitentiam egerint: quemadmodum et in lege, ubi dictum est, qui hoc vel illud fecerit. Exempli gratia : « Qui percusserit volens hominem occidere, morte morietur (*Exod.* XXI.), » subaudiendum est, nisi pœnitentiam egerit. Aliter enim regula sanæ doctrinæ non stabit. Itaque vera propositione audita vel concessa, respice et consi- B dera quia bestia hæc, homo iste peccati qui se dicit Christum esse, sed bestia est, gladium accepit, in captivitatem duxit, et gladio occidit, faciendo bellum cum sanctis, ut, sicut postmodum hæc Scriptura dicit, « occidatur quicunque imaginem ejus non adoraverit. » Igitur inexcusabiles erunt quicunque bestiam talem adorabunt. Habent enim signum quo cognoscant certissime esse illum non Dei, sed diaboli filium, utpote hominem homicidam, hominem sanguinarium. Nam « in hoc, inquit hic idem Joannes, manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli (I *Joan.* III). » In quo manifesti sunt? Continuo cum subjunxisset : « Omnis qui non est **456** justus, non est ex Deo, » addidit : « Et qui non diligit fratrem suum. » Statimque e vestigio cum dixisset : C quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum, adjecit atque ait : « Non sic Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum (*ibid.*). » Hoc est signum in quo cognoscant hi, qui ex Deo sunt, ex maligno illum esse malignum, quia occidet, sicut dictum, et in captivitatem ducet, quod non facit nec fecit omnis qui ex Deo est. Hoc audiat si quis habet aurem, hoc ad memoriam revocet quisquis fidelem habet rationem. Et cum viderit illum ducere in captivitatem et gladio occidere, etiam si scientiæ copiam, vel testimoniorum de Scripturis non habet abundantiam, saltem ex hoc solo quod ille homicida est, sciat quod ex Deo non est, et idcirco non stabit. Sed sicut cæteri homines recipiunt vicem, ut qui gladium D acceperint gladio pereant ; ita et iste pro captivitate captivitatem, pro occisione recipiat occisionem, pro temporali æternam, pro simpla duplam, ut qui sanctorum corpora tantum captivavit atque occidit, ipse captivitatem recipiat et occisionem simul animæ et corporis. Quid enim si non statim fiet? Imo si statim fieret, si statim cum prima blasphemia illud os magnum appellaretur, et cum initio belli sive gladii quem accipiet, statim gladio cœlesti periret, unde vel in quo patientia sanctorum probaretur et fides ? Sequitur :

« Hæc est patientia et fides sanctorum. » Ac si dicat : In hoc sanctorum fidelis patientia patiensque fides probanda est, quia bestia illa faciet quidem et prosperabitur et dirigetur dolus in manu ejus. At illi nihilominus tamen credent et perseveranter pro vero habebunt id quod dictum est, quia qui in captivitatem duxerit captivabitur, et qui gladio occiderit, ipse similiter occidetur. Nec vero frustrabitur hæc patientia fidesque sanctorum, quia post finem vel consummationem bestia lis occisionis quæ per menses quadraginta duos protelabitur, imo abbreviabitur, interficiet illum Dominus Jesus spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui (II *Thess.* II). Sequitur :

« Et vidi aliam bestiam, ascendentem de terra, habentem cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco ; et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus. Et fecit terram et habitantes ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. » Bestiam illam septem capitum universam impiorum generationem esse jam diximus, et ipsa septem capita septem fuisse vel esse regna mundi, quorum potentia diversis temporibus sanctos Altissimi contrivit, quorum septimum caput Antichristus erit. Quæ est ergo hæc alia bestia quam vidit ascendentem de terra ? Aut quomodo duæ sunt bestiæ, cum unum sit corpus generationis pravæ et perversæ, sicut contra unum est corpus generationis unius sanctæ et electæ ? Ad hæc sciendum quia generatio nequam cum una sit, alia tamen et alia dicitur bestia, propter geminam vim scilicet bellicam sive regiam atque magicam. De magica vi nunc Scriptura hæc narrationem divinæ visionis incipit, cum dicit : « Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, » Quando putas alia bestia hæc ascendit quam iste ascendentem vidit? Nimirum uno eodemque tempore quando illa bestia prior ascendit, habens septem capita, quorum septimum caput regnum erit Antichristi. Etenim ubi primum generatio impiorum generationem sanctorum servituti subjecit et afflixit, atque ad amaritudinem perduxit in operibus duris luti et lateris, insuper Pharaone præcipiente omni populo suo ac dicente : « Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite ; quidquid feminei, reservate (*Exod.* I) ; tunc cum illa regia sive hostica vi pariter contra Deum ascendit et magica vis. Quomodo ? Videlicet cum ingressi fuissent Moyses et Aaron ad Pharaonem, ut facerent signa sicut præceperat Dominus, « Vocavit Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incarnationes ægyptias et arcana quædam similiter (*Exod.* VII). » Igitur aliam bestiam tunc ascendentem vidi, inquit. Quid autem hoc ad rem præsentem, ubi manifeste de aperta persecutione loquebatur Antichristi, quæ erit in diebus novissimis ? Profecto quia prius quidem esse cœperunt, et pugnæ adversus Deum præstigia magorum, sed tunc magis abundant. « Surgent enim, inquit Christus, pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita

ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV). » Hoc idem de bestia hac præsenti capitulo Scripturæ hujus series declarabit. Nunquam defuit hæc pessima vis in societate crudelis gladii, regibus (qui persecuti sunt et contriverunt sanctos Altissimi) Ægyptis, Israeliticis, Babyloniis, Medis atque Persis, Græcis, Romanis nec potestati Antichristi deerit, imo abundantior atque potentior aderit. Verum Romani imperatores illa secretius usi sunt, quorum Julianus apostata malitiosus atque ardentius arti illi incubuit; Græci quoque atque Macedones non adeo evidenter; superiores autem Persæ, Babylonii atque Ægyptii, publice et quasi licenter illa usi sunt, publicisque nominibus magi ipsorum se prædicaverunt, nec absconderunt. Porro Israelitici reges magnos suos prophetali nomine palliabant, qualium una die quadringentos quinquaginta viros Elias occidit, omnes prophetas Baal (*III Reg.* XVIII). Qualem bestiam hanc ascendentem iste vidit? « Habentem, inquit, cornua duo similia agni, et loquebatur sicut draco. » Sicut bestia septem capitum, quæ prius descripta est per cornua decem, sic et bestia hæc habet cornua duo; quia videlicet sicut regnorum decem primi reges fuere notissimi, quos et superius commemoravi, ita et magicæ artis duo sunt auctores notissimi, magisque notati, quos contra Moysem et Aaron, sicut jam dictum est, Pharao convocavit. Duo namque fuerunt, Jannes et Mambres, sicut et Apostolus meminit. Qui cum dixisset: « Ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, continuo subjunxit: « Quemadmodum enim Jannes et Mambres restituerunt Moysi, ita et isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit (II *Tim.* III). » Igitur duo cornua bestia hæc habuit, ubi primum ascendit, id est duos principes suæ efficaciæ magica ars habuit, ubi primum contra Deum stetit. Et cornua hæc similia agni, videlicet superba et contraria similitudine, faciendo similiter miracula, ut fiunt per Verbum Dei, quod est Agnus Dei. Nam et si litteram historicam spectes, ubi primum bestia hæc ascendit, valde convenienter, et proprie dictum est, « similia agni. » Denique cuncta quæ fecerunt signa Moyses et Aaron coram Pharaone et Ægyptiis pulchre dicuntur signa agni, videlicet pro eo quod cuncta illa consummata sunt per sanguinem agni, quem populus Israel ut ultima plaga Pharao et Ægyptus tangerentur, ad vesperam immolavit (*Exod.* XII). Illic plane cornua bestiæ similia videbantur cornibus agni, ubi scriptum est: « Fecerunt malefici
457 etiam ipsi per incantatores suas Ægyptias et arcana quædam similiter, projeceruntque singuli virgas suas quæ versæ sunt in dracones (*Exod.* VII). » Item: « Cum elevans virgam Moyses percussisset aquam fluminis et versa esset in sanguinem, fecerunt, inquit Scriptura, similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis (*ibid.*). » Tertium fecerunt per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti (*Exod.* VIII). Hucusque fingere potuerunt similitudinem cornuum agni, sed ultra non potuerunt, victosque se esse fatentes, dixerunt: « Digitus Dei hic est (*ibid.*). » Eodem modo per tempora sequentia sub cæteris regnis supradictis ars magica semper affectavit similitudinem Dei, voluitque videri quod non minora faceret signa quam fiebant per Verbum Dei. De qua præsumptione hujus bestiæ nunc protinus dicit: « Et loquebatur sicut draco, id est sicut diabolus, qui taliter locutus est: Ero similis Altissimo (*Isa.* XIV). » Nam et hoc legimus in plerisque veteribus gestis, quod ut pro diis colerentur, quibusdam magicis exigebant tormentis. « Et hæc bestia potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus. » Ac si dicat: Signa facientes magi confortabant regios animos ad non credendum, et resistendum signis et virtutibus Dei, ut non minus potentes viderentur sibi quam erat Deus, qui cum tantis prædicabatur prodigiis, cum haberent et ipsi secum tales qui similia facerent illi. Hoc erat facere omnem potestatem bestiæ in conspectu ejus, æstimationem magnifici cordis ejus roborare, ne sibimet impotens videretur.

« Et fecerunt terram, et inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. » Cæteris omissis quæ acta sunt, ex quo apparuerunt illa jam dicta duo cornua similia agni, quæ perpetravit ars magica, conjuncta contra Deum regnorum supra dictorum gladiis, ad illos de quibus paulo ante loquebatur dies novissimos præsens littera nos reducit. Nam bestia, cujus curata est plaga mortis, » septimum bestiæ caput erit Antichristus, de cujus plaga ubi illam acceperit, quomodo curata sit, sive curatam videri velit, jam supra pro posse dictum est. Ergo fecit, id est faciet terram, et omnes habitantes in ea, scilicet terrenos homines, thesaurizantes non in cœlo, sed in terra, cupiditate sacrilegia adorare bestiam primam, videlicet principalem Antichristi potentiam, bestialemque ejus suscipere extollentiam, qua extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (II *Thess.* II). Quomodo hoc fecit? Ait: « Et fecit signa magna, ut ignem faceret de cœlo descendere in terram, in conspectu hominum. » Magna vis, magna et mira efficacia spiritus seductionis. Sed quibus hoc erit magnum? Nimirum « his qui pereunt, ut ait Apostolus, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent (*ibid.*). » Diligenter animadvertendum; cum enim dicit Apostolus « eum, cujus adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, » ita subjungendo « his qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, » evidenter

astruit, quia nisi periissent jam non seducerentur, nisi claritatem veritatis prius intus reliquissent, nequaquam foris mendacibus prodigiis acquiescerent. Annon iste consuetus et antiquus est ordo pereundi? Denique et de primis hominibus fere omnes idem scimus, quia nisi prius intus per superbiam periissent, nisi charitatem veritatis reliquissent, non tam facile foris tentati cederent, non tam cito prodigioso serpentis bruti animantis colloquio [alloquio] sese inclinarent, aut promissionibus crederent. Quapropter idipsum quod nunc universaliter Apostolus dicit, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, lamentabili valde et damnoso nobis exemplo constans et indubitabile verum est, quia sic primis parentibus nostris accidit, quibus, quia charitatem veritatis non receperunt, misit Deus in illo serpente operationem errroris. Non ergo miremur quasi novum id quod fiet illis, ut signa magna faciat in conspectu eorum bestia talis, seducat eos, sicut mox subjungendo Scriptura dicit: « Et seducit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, et vixit. Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ. » Nullum quippe seducet nisi eum qui periit, qui charitatem veritatis reliquit. Quid autem veræ aut inauditæ magnitudinis habent signa hæc maxima quæ facere poterit, quæque hic Scriptura pro ipsorum excellentia posuit? Unum namque est in eo quod ait, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in conspectu hominum. Aliud vero miraculum in eo quod dicit: « Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ. » Nunquid hæc talia vel tanta sunt, qualia vel quanta diabolus unquam fecerit? Nonne ignem quoque de cœlo descendere fecit in conspectu hominum, data sibi potestate, ut tentaret Job? « Ignis Dei, » ait ille nuntius, qui nesciret quid ageretur, quid Satan moliretur, « ignis Dei cecidit de cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi (*Job.* I). » Nonne item diabolus idem, spiritum dedit imagini suæ, et ut loqueretur imago sua, quando serpens locutus est verba maligna, verba mortifera? Nam per qualemcunque imaginem suam diabolus eo tempore locuturus sit de illo serpente qui hominem primum decepit, constat quod imago ejus sit, eo vel maxime quod illud reptile genus humanum extunc quasi naturaliter odit (*Gen.* III). Quomodo ergo excusabiles erunt, qui per hujusmodi signa seducti, bestiam illam adorabunt? Nunquid de ignorantia excusari poterunt? Nempe si ignorant, si non legerunt quod primis hominibus talis imago bestiæ, scilicet serpens locutus fuerit, et quod ignem de cœlo super oves beati Job descendere fecerit, insipientes sunt.

A si autem norunt, si legerunt, et tamen non sibi cavent, stulti sunt. Psalmista vero dicit: « Quia simul insipiens et stultus peribunt (*Psal.* XLVIII). » Quod si imaginem manu factam velis intelligi, cui spiritum datura sit, ut loquatur, pro eo, quod cum dixisset Scriptura: « et seducit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, » subjunxit, atque ait, dicens, « habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ; » si, inquam, imaginem hic vulgari sensu velis accipi, quales possunt ab hominibus fieri in ligno et lapide, sive quocunque æramento, multo magis miraculum istud diabolicæ malitiæ usitatum fuit, ut loqueretur imago hujusmodi. Husjusmodi namque imagines loquebantur in templis arte spiritus maligni cavernas

B patentes irrepentis ante exaltatum signum crucis Christi. Si igitur bestia hæc sua persuasione egerit ut faciant homines imaginem illius bestiæ majoris, exempli gratia, ut Isaias ait: « Artifex lignarius extendit normam, formavit idolum in runcina, fecit illud in angularibus, et in circino tornavit illud, et fecit imaginem viri quasi speciosum **458** hominem habitantem in domo (*Isa.* XLIV), » et tali modo sederit in domo Dei, ille homo peccati, filius perditionis, in loco de quo signum crucis Christi dejecerit, nonne multo magis insipiens aut stultus erit, qui curvabitur, et adorabit illud? Nimirum, ut ait idem Propheta, « cor insipiens adorabit illud, et non liberabit, imo perditioni dabit animam suam (*Ibid.* » Talium signorum verus Christus nullum

C fecit, aut facere debuit. Nusquam ignem de cœlo in conspectu hominum descendere fecit, licet hoc ante adventum ejus Elias in virtute ipsius fecerit (*IV Reg.* I), nullam aliquando imaginem loqui fecit, aut facere debuit. Quæ enim utilitas est in signis hujusmodi? Imo cum dicerent illi discipuli ejus Jacobus et Joannes: « Domine, vis, dicimus, ut ignis de cœlo descendat, et consumat illos, videlicet Samaritanos qui non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis Jerusalem, conversus increpavit illos, et dixit: Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare (*Luc.* IX). » Item cum a Pilato remissus esset ad Herodem, qui et viso illo gavisus est valde, quia sperabat signum aliquod videre ab eo fieri, nihil illi respondit maluitque ab eo sperni et illudi quam curiositatem

D ejus supervacuis pascere signis, quippe qui non quærebat signa pietatis, sed miracula vanitatis (*Luc.* XXIII). At ille solummodo in causa vel in tempore opportuno, qualia signa dignetur facere, vel profiteri, breviter edicit. Exempli gratia, cum loquitur discipulis Joannis: « Euntes, renuntiate Joanni quæ vidistis et audistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur (*Matth.* XIII). » Talium pietatis signorum non erit opifex pietatis adversarius, scilicet « bestia quæ habet plagam gladii, et vixit, » neque alia bestia prophetes ejus, sicut non fecerunt duo cornua ejus Jannes et Mam-

bres, de quibus supra diximus. Illi namque nec Moysi saltem signa quæ illo tempore utiliter gesta sunt, sequi vel imitari potuerunt, sed defecerunt, et manifesta fuit omnibus insipientia eorum. De plaga gladii quam habet bestia, jam superius dictum est. Sequitur:

« Et faciet ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur. » Hoc Christus non fecit, neque prophetæ ejus, neque apostoli docuerunt, neque reges Christiani jam facti hoc acceperunt, ut occidant et sanguine cumulandum existiment Christi servitium. Verus namque Deus non coacta, sed spontanea servitia vult (*II Cor.* IX). Ergo et in hoc, imo maxime in hoc palam faciet sensum habentibus et ratione pollentibus, quod vere sit Antichristus, quod vere non Christus, sed secundum nomen suum Christo sit contrarius. Hic est Christus qui sanguinem suum fudit; hic est Antichristus qui sanguinem fudit alienum « Et faciet omnes pusillos cum magnis, divites et pauperes, liberos et servos, habere characterem in dextra manu, aut in frontibus suis, et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. » Hæc est illa perversa æmulatio : hic est illi longe dissimiliter similis Altissimo : Altissimus namque « faciet omnes pusillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos » absque distinctione personarum sive originum, Judæorum aut Græcorum ; omnes, inquam, aqualiter habere faciet characterem suum in frontibus suis, et in manu sua, auctoritate legali pariter et evangelica. Nam in lege dicit : « Verba quæ ego præcipio tibi, meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens aut consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua (*Deut.* VI). » In Evangelio autem dicit : « Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Cum enim baptizentur omnes, sive pusilli, sive magni, accipiunt in frontibus suis characterem nominis Christi, id est signaculum crucis, et numerum nominis Domini numerum trium personarum, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Item et hunc numerum accipiunt, ut profiteantur unius Christi, quia Christus non homo tantum, aut Deus tantum, sed et Deus et homo, ex anima rationali et humana carne, et Verbi divinitate in una persona consistens. Hunc numerum de frontibus, et cordibus, et ore omnium pseudoprophetæ auferre conabuntur, ut econtra character nominis bestiæ, et numerus nominis ejus inscribatur.

« Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ Numerus enim hominis est, et numerus ejus est sexcenti sexaginta sex. » Vigilantem vult esse auditorem, dum quasi digito locum designans atque circumspiciens : « Hic, inquit, sapientia est. » Et continuo : « Si quis habet sapientiam, computet numerum bestiæ. » Qualem numerum, vel quare computet numerum bestiæ ? » Numerus enim, inquit, hominis est, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex. » Quid est hoc quod et numerum præscribit ipse et tamen dicit, « qui habet sapientiam, computet numerum bestiæ. » Num istud intendit, ut computando sapienter hoc totum perquiras quot in isto numero sint monades, aut certe decades ? Quis sapientiam habens istud tam grandi scripto quæreret, vel quærendum proponeret ? Ergo quoniam ad computandum citatur hic non alius, nisi qui sapientiam habet, forte in numero problema est. Et quidem viri illustres Scripturæ hujus tractatores, ante nos hunc numerum strenue versantes, nomina quædam adverterunt, tria Græca, et unum Gotticum : ΑΝΤΕΜΟΣ ΑΡΝΟΥΜΕ ΤΕΙΤΑΝ ΓΕΝΣΗΡΙΚΟΣ : quorum primum interpretatur, *honori contrarins* ; secundum, *nego* ; tertium vero, *sol* ; quartum, *gentium seductor*. Singulorum nominum istorum litteræ, numerum istum in se continent sexcenta sexaginta sex. Nam prima hujus nominis, quod est ΑΝΤΕΜΟΣ, littera A unum, N quinquaginta, T trecentos, E breve quinque, M quadraginta, O breve, septuaginta, Σ ducentos significat. Similiter alio nomine ΑΡΝΟΥΜΕ ; nam A unum ostendit, P centum, N quinquaginta, O breve, septuaginta, Υ quadringentos, M quadraginta, E breve, quinque, qui simul ducti faciunt sexcenta sexaginta sex. Nominis autem quod est ΤΕΙΤΑΝ, littera T trecentos exprimit, E breve, quinque, I decem : item T trecentos, Α unum, Ν quinquaginta, qui simul juncti faciunt sexcenta sexaginta sex. Porro nomen Gotticum Græcis litteris scriptum est hoc modo, ΓΕΝΣΗΡΙΚΟΣ ; Γ tria, E quinque, N quinquaginta, Σ ducentos, H octo, P centum, I decem, K viginti, O septuaginta, Σ ducentos ostendit. Laudanda hæc patrum inspectio ; verumtamen est adhuc quod non otiose quæratur. Nunquid enim illa bestia talibus volet nominibus appellari, talibus vocabulis salutari? Nunquid eos, a quibus honori contrarius sive gentium seductor dicetur, pace sua remunerabit, ut vendere vel emere possint? Sic enim hic habes, ut ne quis posset emere aut vendere, nisi qui habent characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. Nunquid hoc edicet, ut contrarius quod est Satan, sive ΑΝΤΕΜΟΣ, aut ut negator, vel gentium seductor pronuntietur, et ut qui hoc pronuntiavit, ille sit liber, ille vendere vel emere possit? Aut nunquid giganteo nomine quod est ΤΕΙΤΑΝ contentus erit, cum extollatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ostendens se tanquam sit Deus? Apud nos scribitur **459** DICLVX eumdem numerum continens. Nam D quingentos, I unum, C centum, L quinquaginta, V quinque, X decem significat, quæ in unum collecta faciunt similiter sexcenta sexaginta sex. Sed etiam si in Scriptura hoc loco nomen istud illi palam ascriberet, et nominis hujus numerum sexcenta sexaginta sex esse diceret, nonne tunc quoque ad quærendum superesset quid ad illum hominem hic numerus pertineret? Igitur quoniam et numerus hic positus est, et tamen ad computationem ejusdem sapientia quæritur, dicendo : « Si quis habet intellectum, computet numerum

bestiæ, » sapientiam quæramus, sanctam Scripturam consulamus, sine qua nihil constans aut certum, sive de numero Dei sive de numero bestiæ, quæ adversus Deum extollitur, invenire aut dicere possumus. Nam sicut ille Samson veraciter dicere potuit : « Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam (*Judic.* XIV) ; » sic Dominus noster Jesus Christus, cujus nimirum propositiones sive problemata sunt omnia, quæ in hoc libro continentur profunda mysteria, veraciter nobis dicat : Si non araveritis in alia Scriptura, non invenietis solutionem numeri hujus, quem præsens signavit Scriptura. Primo diligenter animadvertendum est quia prius quidem cum dixisset ut ne quis possit aut emere vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum, signanter addidit nominis ejus ; post vero cum dicit : « Si quis habet sapientiam, computet numerum, » de nomine nullam mentionem fecit, sed tantummodo « computet numerum bestiæ, » inquit, ac deinde, « et numerus ejus absque interpositione nominis est, ait, sexcenti sexaginta sex. »

Cur hoc, nisi aliud nomen bestiæ significat, et aliud ipsa est? Bestia namque ipsa homo est, et in ea diabolus inhabitat; nomen autem ejus quod sibi usurpat, quod nisi quis confessus fuerit, vendere aut emere non poterit, Deus. Adversatur namque, « et extollitur, ut jam sæpe dictum est, supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ; ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus (*II Thes.* II). » Duos ergo hic numeros intelligi oportet, alterum nominis ejus, quod illa bestia sibi usurpat, scilicet Dei, alterum bestiæ, id est hominis ejus quod ipsa erit. Alius namque est numerus Dei, et alius hominis ; imo omnis creaturæ rationalis quæ ad Creatoris gratiam non pertingit, sive hominis, sive angeli. Debuerat quidem unus esse numerus Creatoris et creaturæ sed creatura numerum sibi alium elegit, dissentiendo a Creatore. Quis est ille numerus Creatoris? Numerus septenarius, sicut Scriptura dicit : « Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit ab omni opere suo quod patrarat. Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret (*Gen.* II). » Quis est autem numerus creaturæ? Numerus senarius, quia videlicet numero dierum senario creaturam universam Scriptura comprehendit, et in sexta die, imo et sextus dies creatura est hominis. Et ille quidem ad hoc conditus est, ut post obedientiæ opus consummatum, cum Deo in septimo sabbatizaret, id est requiesceret, eoque compleretur bono quod significatur, dicendo : « Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat. » Significat namque dies septimus remunerationem boni operis, Apostolo quoque teste, cum dicit : « Ingrediemur enim in requiem qui credimus, quemadmodum dixit : Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam (*Psal.* XCIV). » Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis, dixit quodam loco de die septimo sic : « Et requievit Deus septima die ab omnibus operibus suis (*Gen.* II), et in isto rursum : « si introibunt in requiem meam. » Quoniam ergo superest quosdam introire in illam, et hi quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quamdam ; hodie in David, dicendo post tantum temporis, sicut supra dictum est : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Hebr.* IV ; *Psal.* XCIV), » etc. Ut, inquam, in illum diei requiem introiret, ut in illius numeri septenarii sabbatismo cum Deo sabbatizaret homo idcirco conditus est ; sed neque homo tunc introivit, neque diabolus, qui illum decepit, unquam introibit. Nam uterque sine Deo, imo contra Deum, in creatura mundi, et in semetipso voluit gloriari. Ait ergo : « Numerus enim hominis est. » Præmiserat autem : « Si quis habet sapientiam, computet numerum bestiæ. » Ac si dicat : Si quis habet sapientiam, cum viderit illum hominem peccati, filium perditionis, potentem ac divitem, extollentem se, et resistentes sibi occidentem, et in omnibus magnifice gloriantem, recogitet ac perpendat quia quidquid loquitur, quidquid agit, non pertinet ad illam requiem, non est de illa septima Creatoris, de verbo Dei, de regno charitatis, sed totum tantummodo de creatura mundi, de concupiscentia oculorum (*I Joan.* II), de superbia vitæ, ac proinde quasi certo confirmatus argumento sciat et dicat, quia ille homo non est ipse quem se esse dixit, non est Deus, sed fallaciter se ostendit, tanquam sit Deus. Cum igitur dixisset, « numerus enim hominis est » senarius simplex sive singularis, subintelligi potest, siquidem homo ille, homo tantum, et non etiam diabolus esset. At vero homo ille, quidem natura, sed diabolus in illo totus erit cum omni suo virtute, tota plenitudine, et ejusdem, videlicet hominis adventus, ut ait Apostolus, erit secundum operationem Satanæ (*II Thess.* II). Sequitur ergo : « Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex. » Ecce senarius numerus tertio repetitus, imo in decuplum, atque inde in centuplum multiplicatus est. Notum maxime arithmeticis sive abacistis est, quod nunc dicimus : Senarius character de primo, id est, singulari limite in secundum, id est, decimum transgressus, sexaginta facit, idemque in tertium, id est, centenum traductus, sexcentos efficit. Cum ergo dicit : « et numerus ejus sexcenti sexaginta sex, » senarius qui erat numerus hominis, ut jam dictum est, ad septimum diem, ad Sabbatum, id est requiem Dei propter suam prævaricationem non pertingentis, secundi et tertii limitis transgressione multiplicatus est. Quid est hoc, nisi quia diabolus Satanas, cujus secundum operationem ille homo veniet et qui in illo totus habitabit, postquam semel a requie Dei, a sabbatismo cœlesti sese excussit, secundo ac tertio laborem suum multiplicavit? Nota replicamus, ubi, quando, quomodo numerum suum sic multiplicave-

rit transgressor antiquus, multiplicator laboriosus. Primo, ubi perfectis cœlo et terra, et omni ornatu eorum, « die septimo complevit Deus opus suum quod fecerat et requievit ab omni opere quod patrarat (*Gen.* II), » ille cum requiescente Creatore in septimo ejus die non requiescebat, quinetiam jamdudum propter inquietudinem superbiæ suæ de cœlo in istum caliginosum aerem projectus, in circuitu ambulabat impius et laborabat (*Psal.* XI). Erat ergo in numero senario, in ista sex dierum creatura, in quo videlicet senario, detineri dolens homo pœnitens, septimumque diem suspirans dicit in Psalmo: « Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi (*Psal.* XXXVIII); » ille autem impius et prævaricator **160** Angelus non sic, sed cum
B esset foris a requie sive septima die, et senarius ejus adhuc simplex sive singularis esset, non contentus fuit labore suo, sed adjecit per invidiam ut genus humanum in eumdem laborem traheret secum, decipiendo protoplastum. Hoc agendo utique transgressionem auxit, et recte sicut proprius, ita et hominis labor imputatur illi. Multiplicatus est ergo primus ejus senarius, et factus est jam numerus ejus sexaginta sex. Verum nec isto contentus, adjiciet adhuc ut illum hominem peccati, filium perditionis, totus ingrediatur, et faciet per illum id quod nunc de bestia maligna præsenti loco miramur. Illic nimirum tertia transgressione senarius ejus multiplicabitur, quando is qui hominem primum dolo decepit sine vi, idem et dolo in prodigiis
C mendacibus pariterque vi sive gladio Dei hominumque manifestus hostis utetur, perseverante invidia qua mundo mortem induxit, perseverante imo et in pejus aucta superbia qua sese in cœlo adversus Deum extulit. Bene igitur cum dixisset, « numerus enim hominis est, » addidit: « et numerus ejus sexcenti sexaginta sex, » quia videlicet labor peccati, qui in homine cum Deo non sabbatizante simplex est, in illa bestia notis incrementis secundo ac tertio multiplicatus est. His animadversis non

A abs re esse cuiquam videri debet quod plagam mortis ejus hæc scriptura ter commemorat. Primo, cum dicit, « et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est. » Secundo, cum dicit: « et fecit terram, et inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. » Tertio, cum dicit, « ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, et vixit. » Ter namque malignus ille plagatus est. Primo, quando judicatus in cœlo sententiam damnationis accepit (*Isa.* XIV); secundo, quando in serpente per quem deceperat hominem, maledictione multatus est (*Gen.* I); tertio, quando Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus suis (*Luc.* X). Hic est
B verus bestiæ numerus sexcenti sexaginta sex. Cæterum numerum nominis ejus quem qui non habuerit, vendere aut emere non poterit, sic falso illi attribuitur, sicut et ipsum nomen quo se jactat, ostendens se, tanquam sit Deus (II *Thess.* II). Numerus namque septenarius Dei est et Agni; Dei, inquam, qui die septimo requievit (*Gen.* II), et agni cujus in hoc ipso libro septem sunt cornua, septemque oculi. Denique quod hæc bestia septem ostentat capita, violentum est atque contrarium. Contra illud quod Deus die septimo requievit, caput hujus septimum plagam habet mortis, plagam gladii, et non requiescit, sed semper laborat, et in labore vivit, juxta Psalmistam dicentem: « Et laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem (*Psal.* XLVIII). »
C Idcirco et sicut supra dictum est, et super septem capita ejus nomina blasphemiæ, quia non est nomen ejus Deus, quod inscripsit suis capitibus, sicut illic memoravimus (*Apoc.* V). Quod si non est hoc nomen ejus, certe nec nominis numerus. Iste numerus meriti est, et pro vero illi attribuitur, sicut jam dictum est, « sexcenti sexaginta sex, » et nusquam ad septimum pervenit, quia nunquam pœnitentiam egit, sive acturus est, ut requiescere possit.

LIBER NONUS

CAP. XIV. — « Et vidi et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum illo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. » Quo nunc eamus, quo sermonis cursum dirigamus, septem spirituum Domini lucidus ordo cominus ostendit, quem proposuimus sequi, sine quo nihil nos videre, et nusquam rectum tenere tramitem nos posse sumus arbitrati. Neque enim frustra gratiam et pacem a septem spiritibus qui in conspectu throni Dei sunt, Joannes iste in initio voluminis septem scribit Ecclesiis. Est autem in ordine spirituum eorumdem

D secundum propheticum Isaiæ præconium quintu sientiæ spiritus (*Isa.* XI), sequens illum cujus magnalia præcedenti visione spectavimus, in præliis martyrum, scilicet fortitudinis spiritum, quorum videlicet præliorum summum vel novissimum certamen erit illud quod per semetipsam faciet bestia prima, cujus paulo ante computavimus numerum, quæ nimirum bestia Antichristus erit, qui in suo tempore revelandus est. Igitur quo nunc eamus, nescimus, sed iste lucidus, ut jam dictum est, spirituum ordo ducit nos, ut recapitulationem hic fieri perpendamus, et ea quæ in hoc mundo gessit sanctus

scientiæ Spiritus ab hoc loco contemplemur, ubi supra montem Sion stans conspicitur Agnus. Nam ubi primum scientia Dei dari cœpit vel scribi, illic et Agnus Dei Christus cœpit figurari. Etenim ubi primus scientiæ Dei scriptor legem scripsit Moyses, illic agnus in typum Christi immolari cœptus est, et sanguine ejus signati sunt postes filiorum Israel (*Exod.* XII). Proinde et in istis centum quadraginta quatuor millibus cantantibus quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia et seniores, et in quatuor angelis volantibus per medium cœli, et habentibus Evangelium æternum, quorum quartus ipse est Joannes qui dixit : « Et audivi vocem de cœlo dicentem : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur ! » et in septem phialis septem angelorum, in istis, inquam, omnes scientiæ cœlestis, id est, sanctæ Scripturæ constructores sive conscriptores **461** intelligimus, et secundum istos sive secundum istorum studia, mirabilem sanctum scientiæ Spiritum prædicare ingredimur. « Et vidi, inquit, et ecce Agnus stabat supra montem Sion. » Visio ista Joannis oculum a fine sæculorum, ubi paulo ante viderat bestiam sive malignum bestiæ caput Antichristum gladio damnationis æternæ percussum, sursum reducit ad principia sæculorum, scilicet ad tempora promissionis vel fidei patriarcharum, unde recapitulationes istæ omnes currunt atque recurrunt.

Sane Agnus iste Christus est, qui nunc quidem ecce in persona sua stat supra montem Sion, supra omnem Ecclesiæ dignitatem, supra omnem principatum, omnesque virtutes cœlorum, tunc autem quando promissio fiebat vel recenter facta fuerat, stetit in figura, sicut jam dictum est, quando vel ex quo immolatus est Agnus in domibus filiorum Israel (*ibid.*). cujus sanguine postibus signatis, dum comederentur carnes ejus, mortua sunt primogenita Ægyptiorum, et filii Israel transierunt per mare Rubrum, et Pharao cum curribus et equitibus suis illos persequens submersus est. Agnus iste nomen suum et nomen Patris sui scripsit in frontibus nostris cum signaculo crucis. Tunc autem sumebatur de sanguine agni qui erat in limine, et ponebatur in superliminari, et super utrumque postem (*ibid.*). In qua nimirum positione divinum erat crucis præsagium sive sacramentum, profuturum illis in plenitudine temporis, in tempore benedictionis, quando verus agnus Christus semen Abrahæ, « in quo benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » immolandus erat in ara crucis. Istos vidi stantes cum Agno, quia nimirum quicunque secundum fidem Abrahæ vel promissionem Dei significabantur, sanguine illo benedicti sunt cum Christo, et vivunt cum illo. Quid autem sibi vult iste illorum numerus, centum quadraginta quatuor millia ? Hoc nimirum nobis innuit, quod filii Israel sive filii Abrahæ, qui per venturum Christum essent salvandi, opus erat, ut non tantum carnis, sed fidei vel promissionis existerent filii. « Non enim, inquit Apostolus, omnes qui ex

A Israel sunt, hi Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine (*Rom.* XIX). » Hanc fidem simul cum operibus Abrahæ numeri hujus plenitudo mystice significat. Denique numerus primorum filiorum carnis Israel, scilicet, duodenarius, si semel et iterum ac tertio in decuplum multiplicetur, norunt abacistæ quia duodecim millia fiunt. Item si duodecim milia per eumdem duodenarium multiplicentur, fiunt centum quadraginta quatuor milia. Lubet adhuc dicere manifestus : duodecim, qui numerus primorum, ut jam dictum est, filiorum erat Israel, in decuplum trans lucti, fiunt centum viginti. Rursus centum viginti in decuplum promoti, fiunt mille ducenti. Item mille
B ducenti decies multiplicati, fiunt, ut alio loco jam dictum est, duodecim millia signati. Hæc trina in decuplum multiplicatio fidem nobis pulchre innuit sanctæ Trinitatis, cujus cum confessione mystica domus suas signabant illi, confitentes Deum Abraham, Deum Isaac, et Deum Jacob (*Exod.* III). Quia vero sola fides sine operibus ad perfectionem sive ad vitam non sufficit, rursus per duodenarium multiplicentur duodecim millia, et fiant centum quadraginta quatuor millia, quo numero et fidei confessio, et bonorum operum significatur multiplicitas. Igitur stantes cum Agno tot sancti nomen ejusdem Agni, « et nomen Patris ejus scriptum habentes in frontibus suis, » omnes perfecti sunt illius temporis filii Abrahæ, quo videlicet tempore
C pro paschalis agni immolatione per singulas annos passurus, pro omni mundo Christus præfigurabatur. Eorum perfectionem magnifice et mirabiliter continuo præsens littera commendat. Sequitur enim :

« Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni, et vocem quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sédem et ante quatuor animalia, et seniores, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex
D hominibus primitiæ Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium. Sine macula sunt ante thronum Dei. » Primum de hoc capitulo causa postulat prælibare id quod cum dixisset : « Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra, » continuo velut interrogatus, pro quo merito suo soli possint illi dicere canticum ejusmodi : « Hi sunt, inquit, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. » De virginitate carnis, potest quidem collaudatio ista non inutiliter accipi. Valet enim plurimum ad exhortandum, ad confortandum, ad corroborandum dulce illud virginei de-

coris propositum, in quo licet cogitare quæ Domini A sunt (*I Cor.* VII). Nam vere magnam habet prærogativam virginitas carnis sociata cum virginitate mentis. Verumtamen ut propositum ordinem teneamus, dicendum est et aliud, cui nulla de Scripturis auctoritas sive ratio refragari comprobetur. Neque enim virginitati carnis tantum tribuere quisquam leviter audebit, ut canticum aliquod cantandum virginibus sanctis, incantabile fore judicet omnibus aliis, quantumlibet magni sint quidem ex eis, exempli gratia, Petro apostolo de Novo, et Moysi de Veteri Testimento; de quibus constat, quod secundum carnem virginolis propositi non fuerint. His igitur breviter præmissis, nunc ordinem prosequamur. « Et audivi, inquit, vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, et vocem tonitrui B magni. » Stante Agno supra montem Sion cum suis signatis, cœpit audiri vox de cœlo tanquam vox aquarum multarum et tanquam vox tonitrui magni, quia videlicet, quando per typicam immolationem paschalis agni Ægypto cœpit præfigurari passio Christi Filii Dei, tunc etiam cœpit audiri per Scripturam vox Dei, quia tunc Moyses legem scripsit, quam utique non de terra, sed de cœlo, non ab homine, sed ex Deo accipit. Post hunc cæteri justi et prophetæ scientiam Dei scripserunt, et ipsi quoque non de terra, sed de cœlo locuti sunt. Unde est illud : « Neque enim voluntate humana allata est aliquando Scriptura sacra, sed Spiritu sancto inspirati loeuti sunt sancti Dei homines (*II Pet.* I). » — « Audivi ergo, inquit, vocem de cœlo. » Porro Scripturæ sacræ aquarum nomine solent C aliquando significari, ut illic : « Omnes sitientes venite ad aquas (*Isa.* LV). » Tonitruo quoque solet assimilari, videlicet propter terribilem comminationem judicii futuri, juxta illud : « Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam (*Psal.* XVII). » Sane judicium primum per aquam jam factum, secundum autem eædem Scripturæ, quasi quandoque contonando testantur per ignem futurum (*Gen.* VII; *Isa.* LXVI). Recte igitur vocem illam, vocem Scripturarum cœlestium, « tanquam vocem aquarum multarum » dicit, « et tanquam **462** vocem tonitrui magni. » Verumtamen non solum judicium vox illa sonat, pœnasque malorum, sed etiam misericordiam et sempiterna præmia sanctorum, quæ nimirum auditu vel intellectu dulcia D et delectabilia sunt. Sequitur ergo :

« Et vocem quam audivi sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. » Denique sicut in tonitruo terroris asperitas, in citharis vero sonantibus delectationis est suavitas, ita in Scripturis sanctis comminatio judicii peccatores terret, et salubriter turbat, promissio vero præmiorum bene operantes mulcet et lætificat. Et notandum quod in citharis chordæ sonantes audientes quidem delectant, sed ipsæ in extensione sua quodammodo laborant; sic denique hi, per quos sancta Scriptura condita est, quo quique tempore bona promittendo bonos auditores delectaverunt, seu ipsi apud semetipsos laboraverunt, et plerumque, fatigati sunt. Unde primus illorum Moyses dicebat ad Dominum : « Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? » Ac deinceps : « Sin aliter tibi videtur, obsecro interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis (*Num.* XI). » Sed et diversis præterea modis fatigabantur sancti illi, sicut et apostolus eorum reminiscens inter cætera dicit : « Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti (*Hebr.* XI), » etc. Erant igitur sicut citharædi citharizantes in citharis suis; quia videlicet testimonia veritatis personantes, extendebantur tribulationibus multis. Set et spontanea extensione sese affligebant, ut cœlestem beatæ cantionis mererentur accipere gratiam, sicut de Daniele et sociis ejus legimus, quia propositis sibi regalibus epulis, hoc magis elegerunt propter Deum ut leguminibus vescerentur. Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro, et sapientiam; Danieli vero intelligentiam omnium visionum et somniorum (*Daniel.* IV). Sequitur ergo :

« Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia et seniores. » Citharizabant et cantabant, id est semetipsos affligebant et gloriam Dei personabant. Quid autem sibi vult, quod non ait : Et cantabant canticum novum, sed « quasi canticum novum? » Quid enim est canticum novum? Nam hoc præcognito continuo clarebit quid sit, « quasi canticum novum. » Canticum novum est Testamentum Novum, in quo veterem hominem deposuimus, et novum induimus (*Ephes.* IV), in quo innovati similitudinem terreni parentis evasimus (*I Cor.* XIV), et ad formam cœlestis auctoris translati sumus, porro quasi novum canticum Vetus est Testamentum, quod per quasdam similitudines, figurasque multiplices eadem significat quæ Novum Testamentum continet. Cantabant igitur « quasi canticum novum, » id est, mirabili prophetici Spiritus potentia prævidebant evangelicæ gratiæ sacramentum. Et secundum hoc exemplar faciebant et docebant legale ministerium et per figuras competentes profitebantur Agnum Dei Christum pro salute mundi passurum, suaque passione mundum innovaturum (*II Petr.* I). Ita « cantabant ante sedem et ante quatuor animalia, » id est in præparatione regni Dei, in obsequio Evangelii Christi, ad instructionem eorum quorum venerabilis senectus, id est, vita immaculata regit Ecclesiam Dei. Sequitur enim :

« Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. » Quare nemo alius dicere poterat? Quia videlicet non voluntate humana aliquando allatum

est ejusmodi canticum, sed Spiritu sancto inspirati cecinerunt cantores, id est auctores Scripturarum. Et pro quo merito suo illi canticum illud dicere potuerunt ? Ait : « Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. » Quomodo vel quibus cum mulieribus non sunt coinquinati ? Nimirum cum mulieribus alienigenis, super quibus præceperat Dominus filiis Israel, dicens : « Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum (*III Reg.* XI ; *Deut.* VII). » Nonne causa magna est, et merito canticum Agni de ore tollitur eorum, quicunque ejusmodi mulieribus coinquinati sunt ? Denique cum coinquinatione carnis simul animæ quoque propter amorem mulierum, cum dæmoniis fornicatæ sunt (*Num.* XXV). Primum propter illas « initiati sunt Beelphegor (*Psal.* CV), » sicut scriptum est, « usque in præsentem diem macula hujus sceleris in illis permanet (*Josue.* XXII). » Deinde multiplicatæ sunt cum ejusmodi mulieribus coinquinationes, et earum omnium palmam tenet impiissima Jezabel (*III Reg.* XVI). Et quis ejusmodi ignem alligavit in sinu suo, et vestimenta ejus non sunt combusta ? (*Prov.* VI.) Salomon quoque sapientissimus, quia talibus ardentissimo amore copulatus est, incombustus non evasit (*III Reg.* XI). Depravatum est enim cor ejus ab illis, cum jam esset senex, et abiit et servivit diis et deabus earum. Dicat ergo pro maxima laude : « Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim permanserunt, » quia soli illi Deo vero virginem castam se exhibere, et corruptores gentium non deos, sed dæmones effugere potuerunt, qui sese a mulieribus illorum incoinquinatos custodierunt (*II Cor.* XI). Tales utique virgines canticum bonum sibi thesaurizaverunt, dum adhærentes unico viro suo, uni Deo suo, verbum bonum de pectore ejus mente conceperunt, ore protulerunt, calamo quoque quidam ex eis, ut legeremus nos, conscripserunt. « Hi, inquit, empti sunt de terra. » Item : « Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. » Et rursum : « Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno. » Quatuor enuntiationes istæ splendidæ vigilantibus et apertis oculis in ordine suo conspiciendæ sunt, quia nimirum gratiæ simul et meriti, nec non et præmii castissima præconia sunt. Denique quod valde notandum est, prima et quarta gratiam prædicat, secundum meritum, tertia præmium commendat ; siquidem prima est, quod « empti sunt de terra ; » quarta, « hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, » quæ ambæ idem prædicant, scilicet Redemptoris gratiam. Quisnam ignoret, eosdem sanctos iræ fuisse filios et per gratiam esse redemptos ? Unus ex illa gente, sanctus et magnus Paulus ait : « Eramus enim et nos natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II). » Præmisso ergo præconio, tunc demum enuntiatur meritum. « Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. » Et recte ; dicit enim et dicere debet quisque eorum : « Laboravi et sollicitus fui non coinquinari, non autem ego, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV). » Subditur statim, et præmium dicendo : « Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.. » Agnum sequuntur, videlicet emptorem, sive Redemptorem, cujus sunt sanguine redempti. Hinc Petrus apostolus ait : « Redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, pretioso sanguine, quasi Agni incontaminati et immaculati Christi (*I Petr.* I). » Repetitio, hi empti sunt ex hominibus, magnæ intentionis est indicium, ut non obliviscamur eos gratia Redemptoris esse id quod sunt (*I Cor.* XV). Nam de terra et ex hominibus idem est, tanquam si diceret, ex massa terrena generis humani, quæ universa in primo parente **463** sub peccato se vendidit. Notandum præterea, quia cum dixisset : « Hi sequuntur Agnum, » addidit : « quocunque ierit. » Numquid enim Agnus necessario, pro negotiis regni sui disponendis, de loco ad locum vadit, aliosque in comitatum assumens, sese absentat aliis ? Sed nimirum remoto variatione hujusmodi, duobus modis « sequuntur Agnum quocunque ierit, » videlicet investigatione judiciorum ejus, quæ in sacris continentur Scripturis, de qualibus sanctorum iste unus dicit : « In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui (*Psal.* CXVIII), » et imitatione exemplorum ejus, de quibus item unus illorum dicit : « Vias tuas custodivi, et a præceptis ejus non discessi (*Job* XXIII). » Sequuntur ergo Agnum quocunque ierit, dum judicia ejus et per spiritum intelligunt, et per charitatem laudant, et justificant eum in eisdem omnibus judiciis ejus, et dum exemplum charitatis ejus imitantur usque ad mortem, quemadmodum Joannes dicit : « Quia ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere (*I Joan.* III). » Item et hoc non prætereundum, quia cum dixisset : « Hi empti sunt ex hominibus, » addidit « primitiæ Deo et Agno. » Nam et per hoc liquet priores sanctos intelligi, de qualibus sancta et mystica lex dicit : « si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus, torres eas igni, et confringes eas in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino, fundens supra oleum et thus imponens (*Levit.* II). » Spicæ namque adhuc virentes fuerunt priores sæculi sancti homines, de quibus tunc offerimus munus Domino, quando bene vivere proponimus eorum exemplo. Verum in eorum actibus nonnulla inveniuntur tunc concessa, quæ nunc maturiore sæculo Evangelii falce resecantur, sic postmodum ad sedentem super nubem Filium hominis dicitur : « Mitte falcem tuam acutam, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ (*Apoc.* XIV). » Torres ergo eas igni, id est per sanctum discretionis Spiritum statum, discernens utriusque temporis, ea quæ imitanda non esse in Evangelio didicisti, non quidem reprehendens, sed nec imitaberis, et sic offeres cum impositione olei et thuris, id est, bona illorum imitaberis, cum charitate ad

honorem Dei. Igitur « hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, » quod idem est ac si diceret : Istos redemit de massa generis humani, Agnus Dei Christus, testimonio fidei probatos, inventos ille priori et recenti adhuc sæculo. De quo testimonio fidei adhuc subditur : « Et in ore ipsorum non est inventum mandacium. » Fideles enim fuerunt, mendacium non coluerunt, sed unum vivum et verum Deum. De qualibus cum nullum superesse putaret Elias, nisi se solum, diceretque : « Domine, prophetas tuos occiderunt, et altaria tua suffoderunt, et relictus sum ego solus, et quærunt animam meam (*III Reg.* XIX) ; » reliqui, ait Dominus, septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal (*ibid.*). Itaque quia cum mulieribus supradictis, non sunt coinquinati, et mandacium deorum illarum non sunt locuti : « Sine macula, inquit, sunt ante thronum Dei : Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum [cœli], habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum et linguam, et populum, dicens magna voce : Timete Dominum et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum. Et alius angelus secutus est, dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes ; et angelus tertius secutus est illos, dicens voce magna : Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, et hic bibet de vino iræ Dei, qui mistus est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum et ante conspectum Agni ; et fumus tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum ; nec habent requiem die ac nocte qui adoraverint bestiam et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui, qui in Domino moriuntur ! Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. » Post canticum unius montis Sion, quatuor isti non stant in uno qui libet monte vel loco, sed volant per medium cœlum, et voce magna et voce publica toti mundo prædicant. Quartus ipse est Joannes, qui de semetipso humilius sentiens, non dixit : Quartus secutus est tres alios volantes per medium cœlum, sed : « Audivi, inquit, vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe ; Beati mortui, qui in Domino moriuntur ! » Siquidem quemadmodum dixerat, « vidi angelum volantem per medium cœlum, ut evangelizaret, dicens : Timete Dominum, » et alius secutus est eum, dicens : « Cecidit, cecidit Babylon : » et tertius secutus est eos, dicens : « Si quis adoraverit bestiam, » et cætera, sic poterat dicere : Et quartus ego secuturus eram eos, dicens : « Beati mortui, qui in Domino moriuntur. » Sed recte sic maluit loqui, ut et de seipso humilius nuntiaret, et rem aliquantulum exprimeret. Nunc enim per istos evangelizantes, sive Evangelium æternum habentes, quorum quarto in loco seipsum ponit, quatuor evangelistas datur intelligi, quorum ipse est quartus, quia novissimus Evangelium scripsit. Interea meminisse oportet quia supra diximus, septem spirituum, qui in conspectu throni Dei sunt, ordinem respicientes, sub imaginibus præsentis hujus visionis propria spiritus scientiæ opera sive dona prædicari. Quidquid autem hujus gratiæ datum fuerat ante adventum Christi, quidquid erat cœlestis scientiæ in lege et prophetis, in uno tantum monte Sion, in uno tantum celebrabatur templo, quod erat in Hierosolymis, ibi enim tamtummodo erant sancta illius populi. At ubi Christus venit, continuo per publicum orbis terrarum Evangelium ejus sonuit, sociatis sibi et lege et prophetis, et tunc scientia Dei multiplicata est, completo quod Daniel prædixerat, quia pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia (*Daniel.* XII). Recte igitur secundum has visione, prius quidem canticum in montem tantum Sion auditum est, isti autem quatuor angeli per medium cœlum volant evangelzantes, quia videlicet lex et prophetæ prius in angusto gentis unius loco sonabant, nunc autem apostolis prædicantibus Christi Evangelium, cum testimonio legis et prophetarum, totus mundus audivit, quia « in omnem terram exivit sonus eorum, et in finibus orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Porro quod Evangelii prædicatores, sive sancti quique sacerdotes recte angeli dicantur, fere nulli dubium est, cum scriptum sit : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ruquirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malach.* II). » Ipse Agnus, ex cujus ore sine dubio requiritur, et requirenda est universa lex, Angelus magni consilii dictus est, Angelus quippe non naturæ, sed officii nomen est, et est Græcum vocabulum, quod Latine dicimus nuntium. **464** Bene ergo cum supra dixerit : « Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, » nunc dicit : « Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum. » Nunc singula dicta scrutemur, simulque perpendamus, utrum singuli secundum facies suas loquantur. Notæ quippe sunt facies eorum, et ordo quo in hac eadem Apocalypsi saperius designatæ sunt. Nam animal primum simile est leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. De diversitate ordinis hujus ab eo qui in Ezechiele scriptus est, suo loco aliqua diximus (*Ezech.* I). Sane quod nunc de primo dicit, « volantem per medium, cœlum, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et supra omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum ; » idem et de alio qui secutus est eum, et de tertio qui secutus est eos, de quarto qui personam suam exprimit, pariter subintelligendum est. Primo quod ait, « volantem per medium cœlum ; » dictioni suprascriptæ fere oppositum est, qua dixit stetisse cum

Agno supra montem Sion, « centum quadraginta quatuor cantantes quasi canticum novum.» Illi cantantes stabant supra unum montem Sion,isti autem et cæteri sequentes volebant per medium cœlum. Quod est dicere : Antequam in semetipso pateretur Agnus Dei, cum adhuc sacrificaretur in figura ejus agnus irrationalis, tantum in Sion, sive in Judæa erat notitia vel scientia Dei, ubi autem ille passus est,continuo illa scientia ad omnes gentes convolavit, illo volatu, de quo propheta, cum dixisset : « Venite,ascendamus ad montem Domini,et ad domum Dei Jacob et docebit nos vias suas,et ambulabimus in semitis ejus,» subjunxit atque ait : « Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* II). » Volabat ergo, id est, exibat de una gente ad omnem mundum,et hoc per medium cœlum,id est,in auditu omnium, non in una tantum lingua ut prius, coangustatum habens Dei verbum, sed omnibus linguis dilatatum,maxime autem Græca et Latina, quibus æque ut Hebraica lingua scripsit Pilatus super caput ejusdem Agni in cruce hunc titulum : « Jesus Nazarenus rex Judæorum (*Joan.* XIX). » Sed et libertatem evangelizantium designat hic volatus per medium cœlum. Neque enim quidquam eorum, quæ evangelizant in angulo gestum, aut erubescendum est ; hinc ipse Dominus ait : « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta (*Matth.* X).» Hinc Paulus ait:« Græcis ac Barbaris sapientibus et insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est,et vobis qui Romæ estis evangelizare. Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti,Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est(*Habac* II) : Justus autem ex fide vivit. Revelatur enim ira Dei in cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent (*Rom.* I). » Volantem igitur per medium cœlum,id est cor habentem sursum cum despectu terrenorum incedentem per publicum,non erubescentem ministerium suum, eo quod nihil gerat aut doceat inhonestum aut infirmum. Nam hoc est quod sequitur : « Habentem Evangelium æternum.» Virtus enim Dei est,veritas Dei est, quæ transire aut veterascere non potest. « Nam cœlum, inquit, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt(*Matth.* XXIV ; *Luc.* XXI). » Quod vel ad quid volabat ?

« Ut evangelizaret,inquit,sedentibus super terram, et super omnem gentem,et tribum,et linguam,et populum. » Et est sensus : Ut prædicaret in omnes gentes, incipiens a Jerusalem, absque acceptione personarum,absque distinctione Judæorum et gentium,et tribuum, et linguarum,et populorum.« Timete,ait, Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt,et fontes aquarum.» Sic in hoc libro superius

A quatuor animalia designata esse meminimus, ut facies leonis prima sit. Nam animal primum simile leoni. Porro natura leonis, timorem cæteris animantibus incutit. Nam ad rugitum ejus universa animantium natura contremiscit. Unde est illud. « Leo rugiet, quis non timebit ? » (*Amos* III.) Et continuo : « Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit ? » Recte ergo primus timorem exigit dicendo : « Timete Dominum, et date honorem illi.» Causaque timoris congrua redditur, » quia venit, inquit, hora judicii ejus. » Timor iste pœnalis est,cujus causa est exspectatio judicii, nondum plena sapientia, sed sapientiæ inchoatio,sicut scriptum est : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX). » Habet tamen nonnihil justitiæ, quia de fide B procedit. Nisi enim quis judicium futura credat, non timet.Est ergo utilis, dum peccatorem sollicitum reddit,et ad pœnitentiam compellit. Unde cum dixisset : « Timete Dominum, » continuo subjunxit:« Et date honorem illi.» In quo ? videlicet in eo ut relictis simulacris, ad ipsum convertamini. Sequitur enim : « Et adorate eum, qui fecit cœlum et terram,et mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum.»Et alius angelus secutus est eum,dicens: « Cecidit,cecidit Babylon illa magna,quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes. » Et hic secundus,secundum faciem suam dicit, secundum faciem vituli;nam secundum animal simile vitulo. Vitulus autem sacrificium pro peccato offerabatur,cujus sanguis in sancta per pontificem inferebatur,corpus autem cremabatur extra castra(*Levit.* IX), Dominum C nostrum Jesum Christum significans, qui pro peccato generis humani oblatus,et extra portam passus est.Quod Apostolus commemorans sequitur et dicit: « Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes (*Hebr.* III). » Ait ergo : « Cecidit, cecidit Babylon. » Babylon, quod interpretatur *confusio,* regnum est peccati, principatus mundi et latrocinium diaboli;hoc sine dubio deletum est omnino in electis per passionem Christi, sicut ipse continuo passurus dixit: « Nunc judicium est mundi,nunc princeps mundi hujus ejicietur foras(*Joan.* XII). » Quidquid inquinationis, sive per vim, sive per suasionem civitas diaboli, civitas Dei ingessit, ex quo civitatem illam primus Cain, cruentis manibus ædificavit (*Gen.* IV), et ex quo filii Dei, D scilicet de stirpe Seth,videntes filias hominum quod pulchræ essent, videlicet quæ erant de stirpe Cain, (*Gen.* VI), universa iniquitas, omnia peccata, quæ de commissione reproborum electi contradixerant, pariter cum originali peccato per mortem Christi deleta sunt, et rectores mundi hujus, tenebrarum harum (*Ephes.* VI), de potestate pristina corruerunt,ut non seducerent gentes, ut liceret gentibus converti ad Deum verum, agere pœnitentiam, et accipere remissionem peccatorum. Cecidit ergo, « cecidit Babylon,quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes,» id est, judicium factum est, princeps mundi hujus per mortem Christi judicatus

est, et exinanita est omnis erroris confusio, quia ebrietas fornicari a Deo, et in iram mitti faciebat omnes gentes. Sane cum improperio dicitur magna, quia semetipsam superbiendo magnificabat.

« Et tertius secutus est eos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, et hic bibet de **465** vino iræ Dei, qui mistus est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni. Et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum : nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverint bestiam et imaginem ejus : et si quis acceperit characterem nominis ejus. « Et iste tertius secundum faciem suam dicit, secundum faciem hominis. Nam « tertium, inquit, animal habens faciem quasi hominis. » Quid enim dicit ? Post primum qui dixerat, « timete Dominum, » et adorate eum, legem ponit et sententiam præscribit eis qui adoraverint aliam, præter eumdem Deum. Nam in judicandis illis, qui hoc fecerint, facies hominis omnibus apparebit. De bestia hac, et imagine ejus, de nomine ejus, imo de numero nominis ejus, et de charactere ejus, quem qui non habuerit in illa novissima persecutione, vendere aut emere non possit, superius dictum est. Porro quod sic ait : « Et hic bibet, » idcirco ait, quia dixerat anterior, « cecidit, cecidit Babylon, » cui nimirum cadere poculum damnationis bibere est. Ipsa autem damnationis pœna, vinum aut merum mistum, gravissima cum ironia dicitur, nam fel amarissimum magis proprie diceretur. Alias, et vere vinum merum est, quia judicium justum et irreprehensibile est. Illic omnino sine misericordia judicium erit. Quis enim miserebitur, ubi et ipse Agnus misericordiarum suarum memor jam non erit? Notandum quippe quod, cum dixisset, « et cruciabitur igne et sulphure, » addidit : « in conspectu angelorum sanctorum, » nec isto contentus, addidit adhuc: « et in conspectu Agni. » Judicem ipsum hic Agnum appellavit, et tamen addidit adhuc : « Et fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendet, nec habent requiem die ac nocte, » etc. Magnum et mirabile est quod is qui judicat vel punit sic ipse Agnus est, et tamen in sæcula sæculorum ad misericordiam inflexibilis est, et dicitur. Multa hic judiciorum ejus abyssus nos latet. Multi ignorantiam profunditatis hujus impatienter tulerunt; et quasi nimiam severitatem Deo ascribere fugientes, æternitatem tormentorum fore negaverunt, non considerantes stultitiam suam, quia, dum misericordem facere contendunt, mendacem facere non timuerunt eum qui dixit : « Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam (*Matth.* xxv). » At vero sancti veridicæ Scripturæ credunt, Deumque nihilominus misericordem esse sine dubio sentiunt, suum quoque potius defectum esse deputant, quod altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei penetrare (*Rom.* xi), vel judicia ejus comprehendere, et vias ejus investigare non possunt, eumdemque defectum suum patientissime ferunt, cognoscentes ex parte, donec veniat quod perfectum est (*I Cor.* xiii). Unde mox subditur: « Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. » Hic, inquit, id est, in eo quod dicuntur esse cruciendi in sæcula sæculorum, in conspectu Agni, in eo quod dicitur Agnus fore illis ad misericordiam in sæcula sæculorum inflexibilis patientia sanctorum est, dum non quasi de nimia severitate murmurant, qui custodiunt mandata Dei, videlicet scientes futurum esse judicium, qui custodiunt fidem Jesu, scilicet non dubitantes fidelem et veracem esse Jesum, qui tam terribile prælocutus et comminatus est judicium. Sequitur.

« Et audivi vocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos. » Et iste quartus secundum faciem suam audit et scribit, secundum faciem aquilæ volantis. « Nam quartum, inquit, animal simile aquilæ volanti. » Iste est Joannes qui quarto loco audit et scribit ; quia post alios evangelistas rogatus ab Ecclesiis, doctusque revelationibus de cœlo, accepit secundum faciem, ut jam dictum est, « aquilæ volantis, » incipiens secretam altitudinem principii sempiterni, et inde incipiens ea scripsit, quæ fere omnia in sæculo alio, id est, in cœlo reposita sunt. Eorum omnium quæ scripsit, nimirum hic finis, et hæc summa est: « Beati mortui qui in Domino moriuntur, » etc.

« Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam. » Quem supra designaverat dicens, « et vidi, et ecce stabat supra montem Sion, » eumdem manifestius se vidisse exprimit, « similem dicens Filio hominis, » quia videlicet qui prius in lege per agnum immaculatum figurabatur, ipse per semetipsum in Evangelio locutus est, Filius hominis factus, de Maria Virgine incarnatus. Nam caro illa virginea, caro immaculata, sine aliqua sorde peccati originalis assumpta, per nubem candidam hic significata est secundum prophetam dicentem: « Ecce ascendit Dominus super nubem candidam, et ingredietur Ægyptum (*Isa.* xix), » id est, assumet carnem de Virgine, et ingredietur in hoc mundum. Nam quomodo sol super nubem candidam, diem quidem nobis efficit, sed non totam claritatem suam ostendit, lucem quidem dat, sed formam suam subtrahit, nec totos ignes suos exerit, et frigus tamen competenter exsuperat præteritæ algidæ noctis ; sic divinitas clarissima in carne miraculis quidem, et sermone sapientiæ nos illuminavit, sed non semetipsam, sicut est, manifestavit ; locutus quidem est, et fecit ut Deus, non tamen formam Dei ostendit, nec totam virtutem suam exercuit, et tamen ad expugnanda spiritalia nequitiæ satisfecit. Sedebat ergo super nubem candidam, similitudo Filii hominis, imo, et ipsa super quam sedere videbatur, non rea-

liter nubes erat, sed similitudo nubis. Neque enim A corporaliter, sed in spiritu ista videbat. Quanquam autem ista sessio Filii hominis, de secundo ejus adventu recte accipi videatur, nos tamen ut propositum rerum gestarum ordinem pro posse teneamus, de primo ejus adventu accipere non congrue possumus. Denique in Agno stante supra montem Sion, ejusque cantoribus centum quadraginta quatuor millibus typicum legis sacrificium, et integros fideles temporis illius, in quatuor Evangelii æterni præconibus hujus Filii hominis quadrigas evangelicas accepimus. Nunc ergo dicendum qualiter in primo adventu sua gemina falce acuta usus fuerit, secundum præsens capitulum hujus visionis. Nam et hic falcem ad metendum, et postmodum alius angelus, per quem significatur idem, qui Filius hominis magni B consilii Angelus, falcem ad vindemiandum in manu sua habere dicitur. Sedentem, ut jam dictum est, « vidi, inquit, Filium hominis habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam. » Duplicem ob causam hic Filius hominis auream in capite suo dicitur habere coronam, tum quia rex, tum quia sacerdos est. Nam quod sacerdotii honor coronam habebat, testatur Sapiens, cum in laudibus patrum de sacerdote dicit Aaron : « Corona aurea super mitram ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris et opus virtutis (*Eccli.* XLVI). » Dicit autem hoc de lamina sancta, in qua scriptum est ineffabile nomen Domini tetragrammaton, id est quatuor litterarum. Significabat enim coronam hujus Filii hominis, de qua Psalmista, cum dixisset: « Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius ho- C minis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, » continuo subjunxit : **466** « Gloria et honore coronasti eum (*Psal.* VIII). » Et illud nomen ejus, de quo dicit Apostolus : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen (*Philip.* II). » Habeat igitur « in capite suo coronam auream, et in manu sua, inquit, falcem acutam ; » subauditur ad metendum. Sequitur enim :

« Et aliter angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam acutam, quia venit hora ut metatur quoniam aruit messis terræ. Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram et messuit terram. » Quærenda est ergo messis, quam primo adventu suo D hic Filius hominis messuerit. Nam de illa messe quam intendit, dicens : « Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite zizania, et ligate ea in fasciculos ad comburendum ; triticum autem recondite in horreum meum (*Matth.* XIII). » De illa, inquam, messe certum est quod finis sæculi sit. Dixit enim: « Messis vero consummatio sæculi est; messores autem angeli sunt. » Ubi ergo messis alia invenitur ? Nimirum ubi hic idem Filius hominis fatigatus ex itinere, et sedens super puteum, fidem gentium paratam esse videns ad audiendum dicebat discipulis suis : « Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt et messis venit ? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit et congregat fructum in vitam æternam, ut qui seminat simul gaudeat, et qui metit (*Joan.* IV). » — « Ego misi vos metere quod non seminastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis (*Luc.* X). » Quinam sunt illi qui laboraverunt, vel qui seminaverunt, nisi Moyses et prophetæ, qui Christum venturum prædixerunt ? Porro alii in labores illorum introierunt et sata illorum messuerunt, quia videlicet illi Christum, quem prophetaverunt, tempore suo non viderunt, apostolorum autem beati oculi viderunt. Cum ergo venisset Christus, jam tempus messis exstitit, ut videlicet quemadmodum metendo plenum frumentum in spica separatur ab arida stipula, ita ut suscipiendo Christum vivificans spiritus separatur ab occidente littera. Itaque exiens alter angelus de templo, et clamans voce magna : « Mitte, inquit, falcem tuam acutam, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. » Quis porro iste alter angelus sit, evangelica Filii hominis nobis insinuat auctoritas, cum de præcursore suo Joanne dicit: « Quid existis in desertum videre ? prophetam? Etiam dico vobis, et plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te (*Matth.* XI ; *Malach.* III). » Ergo Angelus Joannes, et hic idcirco recte dicitur alter Angelus, quia et hic Filius hominis ad quem clamat, cujus præco vel præcussor est, Angelus dicitur sicut et propheta, in quo illud de Joanne scriptum est, continuo dicit :« Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. » Hic alter angelus exivit de templo, imo et de templi illius manufacti umbratico sacerdotio. Sacerdos namque erat pater ejus Zacharias, et secundum legem patri sacerdoti filius sacerdos succedere jure debebat. At ipse exivit, in desertum abiit, zonam pelliceam et pilos camelorum præclaris illius sacerdotii stolis prætulit. Illuc ivit clamare voce magna, supplicare magno desiderio, ut eum quem salutaverat exsultando clausus in utero, videre et ostendere mereretur mundo. Nesciebat quippe illum facie, licet per spiritum prophetiæ scire eum advenisse (*Matth.* IV). Quid ergo dicebat: « Mitte falcem tuam acutam. » Hoc est manifestare in Israel, et prædica per temetipsum, et prædicando doce homines foris relinquere occidentem litteram, et colligere vivificantem spiritum, et intelligere quod hactenus lex et prophetæ prophetaverunt. Quare ? « Quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. » Quemadmodum in agris quandiu frumentum spica nondum plene formatum est, ad maturitatem ductum est, foris cum stipula manet ; ubi autem permaturuit, tunc demum secatur, et stipula foris relicta intus comportatur. Ita quandiu venturus exspectabaris,

lex carnaliter observabatur : ubi autem tu advenisti jam te prædicante, littera legis cum carnalibus Judæis foris relinquenda, et spiritalis sensus intus colligendus est, ita ut verbi gratia sint cœlibes, et tamen nihilominus, imo multo melius attendant id quod dictum est : « Maledictus omnis qui non facit semen in Israel. » Tandiu clamavit, donec illi responsum est, ut veniret in aqua baptizans dato hujuscemodi signo : « Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem in eo, hic est qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I). » Factumque est, atque hoc signo manifestatus in Israel. extunc cœpit prædicare et dicere : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III, IV). » Sequitur ergo : « Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, et messuit terram. » Messis illius primitiæ apostoli fuerunt, et post illos omnes qui ex gente illa credentes, relicta carnalium cæremoniarum arida stipula, legem spiritualem spiritualiter adimplere studuerunt. Porro de illis omnibus qui stipulam illam, id est legis occidentem litteram carnaliter æmulantes et evangelico spiritu invidentes, apostolos Christi persecuti sunt, eadem impietate qua ipsum occiderunt Christum, quale factum sit judicium sequentia visionis protinus significant.

« Et alius angelus exivit de templo quod est in cœlo, habens, et ipse falcem acutam. Et alius angelus de altari, qui habet potestatem super ignem, clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens : Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ ; quoniam maturæ sunt uvæ ejus. Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum, et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta. » Alius iste angelus eumdem significat Christum, jam Per passionem mortis acquisitam habentem potestatem in cœlo et in terra, quemadmodum dixit, postquam resurrexit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Hic in manu sua falcem acutam, id est, in eadem potestate sua inevitabilem habebat sententiam, videlicet super inimicos suos Judæos justo judicio proferendam, ut sicut prædixerat de illis cum jam caderent in ore gladii, et captivi ducerentur in omnes gentes (*Luc.* XXIII). Ejusmodi falcem habens exivit de templo quod est in cœlo. Jam enim quando venit ira ejus super infelices Judæos, circumdante illos exercitu Romano, ipse ascenderat in cœlum et intraverat in illud templum suum non manufactum, ubi nunc, sicut ipse Apostolus ait : « Assistit vultui Dei, pro nobis Pontifex factus in æternum (*Hebr.* IX). »

« Et alius angelus de altari qui habebat potestatem super ignem, clamavit voce magna ei qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus. » Angelus qui hæc clamat Moyses recte intelligitur, qui Judæos accusat. Ipse namque Dominus quodam loco dixit eis : « Nolite putare quod ego accusaturus **467** sim vos apud Patrem ; est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis (*Joan.* V). » Iste nimirum clamavit et accusavit botros amarissimos, scilicet Judæos, qui Dominum totius vineæ aceto misto cum felle potaverant (*Matth.* XXVII), et usque in bodiernum diem accusare non desinit, exempli gratia, quoties legitur aut canitur illud de cantico Deuteronomii: « De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ ; uva eorum uva fellis et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). » Hæc profecto cum dicit, clamat et accusat vineam malo suo vindemiandam. Quid autem est quod de altari clamare, et super ignem potestatem habere dicitur? Tabernaculum, et altare, et sancta sanctorum primus idem Moyses illis fecerat (*Levit.* IX), et in illo altari sic super ignem potestatem habebat, ut eo invocante ignis a Domino super holocausta decenderet, itemque irato illo contra sacerdotii temeratores, et dicente ad Deum, ne respicias ad sacrificia eorum, non super holocausta ignis propitiationis descenderet, imo eosdem præsumptores, videlicet Core et omne concilium ejus, ignis iræ Dei consumeret. Et quidem de illo altari ritus ab eodem Moyse Judæis traditus, propitiatio erat usque ad illud eorum sacrilegium, quo Dominum occiderunt (*Num.* XVI). Extunc autem clamante Moyse, et dicente ad Deum, ne respicias sacrificia eorum, omnia sancta illorum igne excidit, resistentibus Romanis, irrecuperabiliter exusta sunt. « Mitte ergo, inquit, falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ. » Quare? Quoniam, inquit, maturæ sunt uvæ ejus, id est quoniam impletæ sunt iniquitates ejus, quemadmodum per concessionem dixerat ipse paulo post occidendus : « Implete mensuram patrum vestrorum. » Et post pauca : « Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex eis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare (*Matth.* XXIII). » Sequitur ergo : « Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terræ ; et misit in lacum iræ Dei magnum. » Nota est orbi universo vindemiatio illa, excidium illud infelicissimum, quo super illos congestus est acervus omnium miseriarum, quarum ipsæ quoque lectiones horrore et admiratione plenæ sunt.

Sed quid est quod cum dixisset : « Et vindemiavit vineam terræ, » addidit : « et misit in lacum iræ Dei magnum, » Nimirum idipsum quod per Moysen, cum præmissum esset, » ignis succensus est in furore meo, » adjunctum est : « et ardebit usque ad inferni novissime (*Deut.* XXXII). » Non enim tantummodo materiali gladio vindemiati, aut corporali

tantum captivitate captivati sunt, sed temporali pariter et æterna damnatione damnati. Unde et propheta per confessionem loquitur : « Et duplici contritione contere eos, Domine Deus meus (*Jer.* XVII). » Hinc est quod adhuc subjungitur : « Et calcatus est lacus extra civitatem. » Quid est enim extra civitatem, nisi extra regnum Dei, extra Ecclesiam Christi? Ejecti namque sunt de civitate illa, cujus principem occiderunt, ac regno illo, cujus regem crucifixerunt. Idcirco autem ejecti sunt, quia sic voluerunt, dicendo : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX). » Cum ergo civitatis æternæ regem super se regnare nolentes, Romano exercitu circumdante pessundati sunt, nimirum lacus extra civitatem calcatus est. Et, o inæstimabilis calamitas, inconsolabilis miseria! Non sic botris illis, quomodo aliis qui calcantur intra muros civitatis, et ideo pro torcularibus cantant, quia sic calcantur pressuris hujus mundi, non defluunt in stagnum inferni, sed in apothecam Domini, in illa dilectissima tabernacula Domini, in illa ubi concupiscentes deficiunt, et deficientes concupiscunt atria Domini (*Psal.* LXXXIII). Damnationem sive contritionem illorum duplicem mirabiliter significavit, vel significatam vidit : « Et calcatus est, inquit, lacus extra civitatem. » — « Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta. » Ordo verborum est : Et extra civitatem per stadia mille sexcenta calcatus est lacus, et exivit sanguis usque ad frenos equorum.

« Per stadia, inquit, mille sexcenta, longe extra calcatus est. » Nimirum hoc plus quam Sabbati iter est. Denique secundum legem, non plus quam mille passus in Sabbato extra progredi licet. Porro « stadia mille sexcenta, » ducenta sunt passuum millia. Longe ergo plus est quam Sabbati iter. Dominus autem apud quem tota lex spiritualis est, statum vel sæculum illud quod præsenti vitæ succedit, Sabbati nomine vult intelligi, dum tam populi illius prædictam tribulationem et iram, quam illam, quæ per omnes sub Antichristo futura est, prænuntians : « Orate autem, inquit, ne fiat fuga vestra hieme, vel Sabbato (*Matth.* XXIV). » Et est sensus : Orate, ne finis omnium mors vos comprehendat in infidelitatis hieme, vel ne tunc primum converti, et per pœnitentiam velitis effugere iram Dei, quando non licet operari. O igitur miseri, nunquam misericordiam consecuturi, quorum tam longe extra civitatem calcatus est lacus, ut jam in illam non possint reverti, quia Sabbatum est illic, quo non licet plus quam mille passus proficisci, id est, non nisi de minoribus peccatis veniam consequi. Qui porro sunt equi, quorum usque ad frenos sanguis exivit, nisi spiritus maligni, qui nunc quidem, quasi infrenes equi per aerem feruntur indomiti, ultimo judicio tandem aliquando frenandi? Nimirum usque ad frenos equorum ejusmodi sanguis illorum exivit, quia socii et compares erunt dæmonum in suppliciis æternis. Scripta namque jam est sententia, qua dicetur : « Ite, maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). »

CAP. XV.— « Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem habentes septem plagas novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. » Post canticum cantatum cum Agno supra montem Sion, et post volatus magnasque voces trium angelorum, quibus additus Joannes ipse quartus est, sedente Filio hominis, et vindemiante vineam terræ, septem angeli « habentes septem plagas novissimas, » in septem phialis, sicut postmodum scriptum est, conspiciuntur : quia post prisca legis et prophetarum cantica, condito Christi Evangelio, jamque sedente ad dexteram Patris eodem Christo, cujus judicio populus Judaicus modo supra dicto vindemiatus est, prædicatores sancti multiplicati sunt, orbemque universum scientia Domini repleverunt. Meminisse namque et hic convenit, quia libri hujus partes distinguendo secundum septem spiritus Domini, eum cujus operum imagines præcedenti conspiciuntur in visione, jam diximus, sanctum esse Spiritum scientiæ. In phialis ergo recte intelligitur illa profusio, sive multiplicitas, de qua in Daniele scriptum est : « Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia (*Daniel.* XII); » simulque illa linguarum copia, de qua David, cum dixisset : « Dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam, » continuo subjunxit : « Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (*Psal.* XVIII). » Phialæ namque ore grandi exterius dilatantur, unde et nomen sortiuntur. Siquidem *phy* Græce, *os* Latine, *alin* vero *vitrum* dicitur, et inde vasa hujusmodi dicta sunt, quod ex quo vitro facta, ventre mediocri contenta, ore, ut **468** jam dictum est, patulo dilatantur : nimirum hujuscemodi vasculis, prædicatores Novi Testamenti, apostoli sive apostolici viri recte similantur, quorum et mentes Spiritus sanctus scientia sua intus replevit, et ora foris dilatavit, ut sicut jam dictum est, non essent loquelæ neque sermones, quorum non audirentur voces eorum, id est, ut in ore eorum, omnia genera nascerentur linguarum. Econtra cantores supradicti, apud quos lex et prophetæ, in una tantum Hebræa gente latebant, quippe cantica illa una tantum, id est, Hebræa lingua cantabant sive legebant, cyathis assimilantur : quæ vascula ventre distenta ore pusillo coangustantur. Ait itaque : « Et vidi aliud signum in cœlo magnum, et mirabile. » Revera post illud signum, quo viderat stante Agno supra montem Sion, stare cum illo centum quadraginta quatuor millia, cantantes canticum novum, magnum et mirabile est hoc signum, quo videlicet Filio hominis vindemiante vineam terræ, angelos illos septem plagas novissimas habere, et in illis iram Dei consummare.

Qui enim sunt septem isti angeli, nisi universi prædicatores Evangelii, veritatis nuntii? Nam quia Spiritus sanctus, qui jam dictas, et postmodum

dicendas illis phialas dedit, septiformis est, recte septenario numero comprehenduntur, et simul intelliguntur universi. Porro plagas novissimas, primarum respectu plagarum dicit, quas videlicet primas septem plagas memoravimus superius, ubi septem angeli septem cecinerunt tubis. De singulis istis plagis novissimis postmodum ordine dicendum erit, quomodo illæ primæ, istæ novissimæ dicantur, et sint. Verumtamen et hic breviter prælibandum est, quia plagæ illæ idcirco primæ dicuntur, quia percusserunt corpora; istæ autem novissimæ, quia perveniunt usque ad animas. Unde et notandum est quod dicit, quoniam in illis consummata est ira Dei: ira namque Dei occidendo corpora inchoatur, et postquam occiderit, animas in gehennam mittendo consummatur. Sequitur: « Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos, qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus stantes super mare vitreum mistum, habentes citharas Dei, et cantabant canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni dicentes: « Magna et mirabilia opera tua. Domine Deus omnipotens, justæ et veræ viæ tuæ, rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? Quia tu solus es pius, quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt. » Isti reservati sunt in vasis misericordiæ, et cantando salutem suam, citharizando Salvatoris sui gratiam, feliciter effugerunt de terra, et de mari, de fluminibus fontibusque aquarum, de solis æstu vel igni, de sede vel regno bestiæ tenebroso, de flumine magno Euphrate, de aere sive potestatibus aeris hujus, in quæ omnia phialæ iræ Dei jam dictæ postmodum effusæ narrantur. Isti enim sunt, qui revelata per Evangelium ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum, crediderunt et pœnitentiam egerunt et baptizati sunt in remissionem peccatorum (*Rom.* I). Idcirco ab illis iræ filiis, qui credere noluerunt, narrationis ordine segregantur, et prius istorum salus, ac deinde illorum perditio narratur. Ait itaque: « Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne. » Hoc mare baptismi Christi sacramentum, est aqua illa, quæ cum sanguine de lanceato latere ejus pendentis in cruce visibiliter cucurrit, quæ peccata omnia delet et mundat, sed non sine invisibilis Spiritus sancti potentia sive præsentia. Recte ergo cum dixisset, « et vidi tanquam mare, » addidit, « mistum igne; quia videlicet in baptismo, sicut jam dictum est, visibilia aqua nihil ageret sine invisibili Spiritus virtute. Et pulchre, cum dicere posset: Et vidi aquam, dicere maluit: « Et vidi tanquam mare, » quia nimirum baptismi Christi, quo peccata sorbentur, cum Rubro mari, quo Pharao cum curribus et equitibus suis periit (*Exod.* XIV), non parva vel ignota quædam similitudo est. Novit autem Catholica fides, quia illi quoque priores citharœdi sive cantores, qui visi sunt stantes cum Agno supra montem Sion, simul cum istis junioribus supra hoc mare steterunt, id est, non sine aqua baptismi, non sine sanguine passionis Christi, et igne Spiritus sancti salvi facti, vel ad perfectum adducti sunt. Neque enim illa sacramenta umbratica, verbi gratia quod in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, quod manna comederunt, quod aquam de petra biberunt (*I Cor.* X); non, inquam, hæc et cætera figurativa Dei miracula, illos ad perfectum adduxerunt, sed per illa omnia, quasi catechizati, tandem advenientis Salvatoris passione regenerati sunt, tunc in simul omnes, quando patefacto, sicut jam dictum est, ejus latere, et profluente aqua cum sanguine, sacramentum baptismatis conditum est. Nos enim idcirco singulatim baptizamur, quia Ecclesiæ, quæ tunc regenerata est, nondum incorporati eramus, imo necdum omnino eramus. Igitur quod nunc ait: « Et eos qui vicerunt bestiam et imaginem ejus vidi stantes super mare vitreum, » tam de Veteris quam de novi Testamenti sanctis omnibus recte intelligimus; quia nimirum et illi crediderunt venturum, et isti qui credunt advenisse Christum, ipsa fide dum credunt et baptizantur, vicerunt bestiam et imaginem ejus, id est diabolum et omnem impium hominem imitatorem ejus. Denique cuncta crimina, universa peccata, tam originalia quam actualia, quæcunque sive suasione, sive exemplo ingessit istis, illa bestia, et illa imago ejus in mare isto obruuntur, ipsi vero supra mare stant, id est, superstites sunt, ut transeant ad veram terram promissionis quam promittendo tunc abscondebat littera legis, nunc autem revelat spiritus Evangelii. Quapropter pulchre dicitur hoc mare vitreum, quia sicut in vitro quod continetur translucet, sic in isto Evangelii sacramento jam nihil occultum est, sed quod primum in figura gerebatur, nunc in re geritur, et totum manifestum est. Sed idcirco mare vitreum dictum recte intelligis ut cognoscas, quia omnes qui accedunt, debent esse vitrei, id est, simplices, per veritatem puræ confessionis, quia scriptum est: « Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum. Qui autem scrutatur corda et renes Deus (*Sap.* I; *Jer.* XVII), » ipse videt, qua mente, quo affectu quisque stet supra hoc mare, quali vel quanta cum gratiarum actione accipiat, sive respiciat mare quod pertransivit, quales vel quantos inimicos persequentes evaserit, quomodo super hoc non ingratus humili exsultatione trepidit aut tripudiet in laudem Dei. Unde et protinus subjungit: « Habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni. » Profecto citharæ Dei non manu factæ sunt, qualibus homo fidiculas arte dimensas superextendit, sed citharæ pectorum fidelium, in quibus per fidem musica cœlestis, id est verbum inhabitat veritatis, ubi chordæ sunt extentæ præceptorum Dei, de qualibus Psalmista dicit: « Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi (*Psal.* XXXII). » Decem quippe legis præcepta sunt, quorum sine observatione non valet Deo quicunque hoc mare transivit. Cum enim dixisset:

« Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » addidit adhuc : « Docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis (*Matth.* XXVIII). » Hæc nimirum observare, est super hoc mare stando cantare primum
469 in cithara, deinde in psalterio clarius sonante, id est, primum in timore, deinde in perfecta charitate. « Habentes igitur citharas Dei, » inquit, id est, bene operantes ad gloriam Dei, non ut videantur, vel audiantur ipsi ab hominibus, sed ut glorificent Patrem ipsorum qui est in cœlis (*Matth.* V). Porro quod dicit : « et cantantes canticum Moysi servi Dei, » juxta historiam notum est quod vel quale canticum Moyses servus Dei, cum filiis Israel transito mari cantaverit, submerso Pharaone cum curribus et equitibus suis : « Cantemus, inquit, Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus projecit in mare (*Exod.* XV), » etc. Juxta mysticum evangelicæ veritatis intellectum, qualiter canticum hoc eis congruat, qui de lavacro regenerationis ascenderunt, fere nullus ignorat. Cum ergo dixisset : « Cantantes canticum Moysi servi Dei, » recte addidit, « et canticum Agni, » quia nimirum, quod sub Moysi historialiter in figura gestum est illo transitu maris, hic spiritualiter in baptismate suo, quo nos regeneravit, Agnus Dei Christus adimplevit. Et pulchre hoc loco Scriptura præsens, Filium Dei, cujus in morte baptizati sumus (*Rom.* VI), Agnum Dei nominavit, quia videlicet quando Moyses canticum illud cecinit, idipsum propter quod canebat, evenerat per immolationem Agni, mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam (*Exod.* XII), Domino jubente, immolati in typum ejusdem Christi Filii Dei, propter peccata nostra, ut ea tolleret immolandi. « Magna, inquiunt, et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, justæ et veræ viæ tuæ, rex sæculorum. » Hoc nimirum etsi non verbis, sensu nihilominus canticum est Moysi servi Dei. Etenim cantico illo non semel, sed multis vicibus in operibus illis collaudant magnificentiam Domini. « Gloriose enim, inquit, magnificatus est ; » item : « Dextera tua magnificata est in fortitudine (*Exod.* XV, XVII). » Item : « Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui magnificus in sanctitate ? » (*ibid.*) Ergo canticum est Moysi, cantatur enim et sensu et exemplo Moysi. Sunt autem duo maxima, quæ hoc brevi versiculo citharizant in voce exsultationis et confessionis, scilicet fortitudo Dei, et justitia regis sempiterni. Nam quod dicunt, magna et mirabilia opera tua, fortitudinis laus ; quod adjiciunt, justæ et veræ viæ tuæ, justitiæ confessio est ; nimirum hæc duo in anima confitentis, non æqualium meritorum sunt. Nam bene quidem meretur, qui fortissimi spirituum Dei mirabilia videns opera, timet et laudat atque confitetur. Optime autem is qui justitiam ejus in eisdem operibus, et ubi intelligit, contra calumniatorem defendere nititur, et ubi deficit, minor sensu, nihilominus cum dilectione veneratur, et dicit illud quod quemque nostrum dicere docet Apostolus :

A « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! » (*Rom.* XI.) Exempli gratia : Pharaone submerso cum curribus et equitibus suis, super quo cantatur supradictum canticum Moysi servi Dei : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est (*Exod.* XV), » promptum est scire cur Domino, ut vere forti cantetur, quia manifestum est fortitudinis ejus mirabile opus. Ubi autem de eodem Pharaone loquitur Deus : « Ego indurabo cor ejus (*Exod.* VII), » itemque ad Moysen : « Miserebor cui voluero (*Exod.* XXXIII), » ibi procul dubio, etsi minus videtur, credenda et confitenda est justitia viarum ejus. Nam inde fit, ut prius latebat ipsa subjectionis humilitas, interdum aliqua ex parte cognoscere mereatur, donec veniat quod perfectum

B est (*I Cor.* XIII). Sunt autem ipsæ viæ Domini duæ, altera misericordia, altera veritas. Sic enim dicit Scriptura : « Universæ viæ Domini, misericordia et veritas (*Psal.* XXIV). » De misericordia cantant victores isti, « quia tu solus es pius, quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo. » Hoc namque gratuitæ misericordiæ, vel misericordis gratiæ est, « quod gentibus omnibus absque personarum distinctione evangelizatum est, ut venirent, et ut hi qui erant longe, prope fierent (*Ephes.* II). » Idcirco cum dixisset, » quia tu solus pius es, » ipsum pietatis opus subjunxit : « quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo. » Porro de secunda via, quæ est veritas, protinus dicunt hi : « Quoniam judicia tua manifesta sunt. » Subauditur

C enim quod sint vera. Vero namque judicio factum est et illud quod ad supra memoratum Pharaonem dicit : quia in hoc ipsum te excitavi, ut ostendam in te fortitudinem meam, et illud quod modo superius dictum est (*Exod.* VII), vindemiavit gentem Judaicam, ut non solummodo cæci fierent, qui prius videbant, verum etiam caderent in ore gladii, et captivi ducerentur in omnes gentes (*Rom.* V). Hujuscemodi ejus judicia manifesta sunt, non quidem omnibus, sed eis, quibus ipse per spiritum suum revelavit (*I Cor.* II), et non perfecte adhuc, sed ex parte donec veniat, quod perfectum est (*I Cor.* XIII). Quorum secundum sensum poterat hic latius tractari, si non traheremur studio proficiscendi. Inter hujusmodi opera fortitudinis et justitiæ Domini, admirantes

D dicunt cantores isti : « Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum ? » Cum dicunt, quis non timebit, subaudiendum est, et pacem habebit? Sic enim alia Scriptura dicit : « Quis restitit ei, et pacem habuit ? » (*Joan.* IX.) Item et alibi scriptum est : « Tu terribilis, et quis resistet tibi ? » (*Psal.* LXXV.) Subauditur enim nullus. Et protinus causa gravissima redditur, cur resistere posset nullus : « Extunc ira tua. » Et est sensus : Ex quo peccator non per infirmitatem labendo aut per ignorantiam errando, sed per superbiam tibi resistendo peccat, extunc ira tua, ut videlicet non jam dissimules aut aversum evoces, sed ferias atque fortiter confringas.

Igitur « quis non timebit te, Domine, et magnificat nomen tuum, » idem est ac si dicat : Cum tam magna et mirabilia sint opera tua, Domine, tamque justæ et veræ viæ tuæ, superbi et ingrati ubi pacebunt? Qui enim non timet nunc, subjectus timebit, imo conturbabitur oppressus, juxta illud, quod per Isaiam prophetica in eum invectione dicitur : « Ingredere in petram, abscondere fossa humo a facie Domini, et a gloria majestatis ejus (*Isa.* II), » cum surrexerit percutere terram.

« Post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo, et exierunt septem angeli, habentes septem plagas, de templo, vestiti lapide mundo candido, et præcincti circa pectora zonis aureis. Et unus ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. » Post hæc, inquit, vidi, subauditur id quod supra jam narrare cœperam, dixerat enim : « Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem, habentes septem plagas novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. » Sed cum hoc dicere cœpisset protinus omisit, pulchramque digressionem fecit, ut prius id quod simul viderat, scriberet, scilicet mare vitreum, et eos qui stando supra illud plagas illas gratia Christi evaserunt, et deinde ordinem plagarum earumdem, qualiter effusæ sint, sive effundantur in eos qui non crediderunt, et supra mare illud stare neglexerunt. Nam hic est ordo evangelicus: « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI). » Prius salus credentibus, deinde damnatio proposita est non credentibus. « Vidi ergo, inquit, post hæc, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo. » **470** Templum tabernaculi testimonii Ecclesia erat temporis anterioris, cujus ritus omnis vel ordo figurativus a tabernaculo testimonii initiatus est quod fecit in eremo Moyses (*Exod.* XXXVI). Hoc templum, id est hæc Ecclesia, in una tantum gente Judæa claudebatur, in qua sola notus erat Deus (*Psal.* LXV). Claudebatur loci angustiis, claudebatur non intellectis cæremoniarum causis mysticis atque figurativis. Verum Domino Jesu tradente spiritum, et in morte sua supradictum condente baptismatis sacramentum, velum templi scissum est a summo usque deorsum, et ipse resurgens a mortuis, aperuit discipulis suis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXIV). Apertum est ergo templum tabernaculi testimonii. Ubi? « In cœlo, » inquit. Cœlum vel cœli, omnes sancti, in quibus Deus habitat, et maxime apostoli sunt. De illis namque scriptum est : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* XVIII). » In cœlo ergo, id est, in apostolorum cordibus apertum est, utpote quibus, sicut jam supra dictum est, aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas. Itaque sic aperto templo, « Exierunt septem angeli, habentes septem plagas de templo. » Quomodo exierunt, vel quo exierunt? Nimirum relinquendo car-

A nales legis cæremonias de templo exierunt, imo et excutiendo pulverem pedum suorum in Judæos incredulos, ad gentes exierunt (*Matth.* XX; *Act.* XV). « Habentes, inquit, septem phialas, » id est, prædicare jussi iram et indignationem, et tribulationem in omnem animam hominis operantis malum (*II Tim.* IV). Judæi primum et Græci, sic econtrario gloriam et honorem et pacem in omnem animam hominis operantis bonum, primum Judæi et Græci, videlicet quales erant illi, quos paulo ante dixit stantes supra mare, et cantantes canticum Moysi servi Dei. At vero plagas hujusmodi habentes, et sæculo huic nunquam mala ventura opportune, importune nuntiaturi oportebat, ut essent inter adversa securi, et ad perferendas tentationes bene præparati. Sequitur ergo; B « Vestiti lapide mundo candido, et præcincti circa pectora zonis aureis. » Lapis mundus et candidus Christus est, sanctus, innocens et impollutus. Ait autem Apostolus : « Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Galat.* III). » Porro zona aurea circa pectora, charitas in cordibus perfecta, Nam « charitas Dei, inquit idem Apostolus, diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis (*Rom.* V). » Bene igitur præparati et præmuniti exierunt, foris contra persecutiones lapidei, intus contra tentationes præcincti. « Et unus, inquit, ex quatuor animalibus dedit septem angelis, septem phialas plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. » Tunc angelis istis phialæ datæ sunt, quando qui erant homines sine litteris et idiotæ, acceperunt, sicut jam diximus supra, Scripturarum C intelligentiam, et omnium linguarum copiam. Hoc quando et qualiter factum sit, unus et solus ex quatuor evangelistis Lucas scribit : « Cum autem, inquit, complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco (*Act.* II), » etc. Recte igitur phialas unus ex quatuor animalibus dedit, quia unus tantum ex quatuor evangelistis narravit, quomodo discipulorum et corda per scientiam, et ora per omnimodam eloquentiam, tanquam phialas dilatavit, de quibus jam superius dictum est. Et illud quoque superius dictum est, quia Spiritus sanctus qui replevit illos, septiformis est. Et idcirco quamvis duodecim fuerunt apostoli, imo centum viginti discipuli, super quos Spiritus sanctus descendit, recte tam eos omnes quam D universos prædicatores, quos extunc usque in finem sæculi Spiritus idem mittere non desinit, numero suo designant septem angeli. Ejusmodi phialas, quod valde terribile est, plenas dicit iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. Quid enim est Dei viventis in sæcula sæculorum iracundia, nisi æterni judicii sententia, æterna peccatorum vindicta? Hujus nimirum iracundiæ phialæ plenæ sunt, eis qui non credunt, qui veritati contradicunt, qui opera iniquitatis faciunt (*Rom.* II). Hæc ira Dei de cœlo per ministerium Evangelii istorum revelatur super eos. Olim non ita plenas iracundiæ habebant phialas præcones sancti, sicut jam superius dictum est :

« In una tantum gente,in una lingua ora sua constringebant, et cyathi potius quam phialæ erant, paucis hominibus loquentes,et eisdem per figuras et ænigmata loquendo, pleraque subtrahentes. » Istorum ora linguis omnibus in universum orbem terrarum dilatata sunt,ut palam regibus et gentibus annuntiarent futuri judicii imminentem iracundiam, simulque ipsam,quæ judicatura est personam,quæ dictura est his qui a sinistris ejus erunt: « Ite,maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* xxv). » Sequitur :

« Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus. Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ angelorum. »Exeuntibus angelis de templo, ipsum templum fumo impletum est ;quia videlicet prædicatoribus relinquentibus et relinquendas esse docentibus carnales legis cæremonias,Judæi nimium impatientes, suo furore excæcati sunt, et hoc a majestate Dei et de virtute ejus, id est, propter prædicationem sanctæ Trinitatis, et propter miracula quæ virtuose fiebant, cum prædicatione fidet hujus. Sic et Isaias scribit,quia clamantibus Seraphim,« Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, impleta est domus Domini fumo (*Isa.* vi). » Ubi enim prædicari cœpit una majestas Trinitatis, Patris, et Filii,et Spiritus sancti et regnum Domini sedentis, ut ait idem propheta, super solium excelsum et elevatum, scilicet ad dexteram Patris, supra omnem virtutem, et principatum, et potestatem, Judaica corda suus livor excæcavit, et hic est fumus, quo templum impletum est a majestate Dei.Neque enim aliis,nisi tantum incredulis obortus est ille fumus. Stephanus cum staret in medio illorum, ejusmodi fumum sibimet facientium,nihilominus clare vidit, imo et multo clarius videre meruit, dum intuens in cœlum dixit : « Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei (*Act.* vii). » Hic denique de consortio angelorum istorum erat, qui de templo exierunt, et inde accusabatur a dicentibus : « Audivimus enim eum dicentem, quod Jesus Nazarenus hic destruet locum istum,et immutabit traditiones,quas tradidit nobis Moyses. » Hic quoque phialam habebat plenam iracundiæ Dei cum diceret illis :« Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus vos semper Spiritui sancto restitistis, » etc.« Et nemo, inquit, poterat introire in templum,donec consummarentur septem plagæ septem angelorum. » Quod est dicere : Et nemo potest convertere populum Judaicum,donec per totum orbem prædicetur Christi Evangelium, quo plagosum nuntiatur imminere judicium.

CAP. XVI. — « Et audivi vocem magnam de templo dicentem septem angelis : Ite, effundite phialas iræ Dei in terram. » Magna vox ista est, quia magnam sonat iram. Hæc de templo auditur ; quia cum de cæremoniis templi Judaici exituri essent,sicut jam dictum est, eisdem angelis mox passurus prædixerat Dominus Jesus : « Et cum venerit Paracletus,

A ille arguet mundum de peccato, et de justitia, **471** et de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me ; de justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me ; de judicio autem quia princeps mundi hujus jam judicatus est. » — « Ite,ergo, inquit,et effundite phialas iræ Dei in terram, » id est, palam arguite mundum et dicite quas ob causas homines, qui terra sunt amando terram, Dei viventis mereantur iram. « Et abiit primus et effudit phialam suam in terram ; et factum est vulnus sævum ac pessimum,in homines qui habent characterem bestiæ,et eos qui adoraverunt imaginem ejus.» Hic jam ad memoriam revocandus est primarum ordo plagarum, scilicet earum,quæ superius ad voces septem angelorum tubis B canentium factæ sunt. Illarum namque respectu, plagæ istæ novissimæ dictæ sunt. Ad vocem primi angeli, tertia pars terræ combusta ; ad vocem secundi, tertia pars maris sanguis facta ; atque ad vocem tertii, tertia pars fluminum in absinthium versa ; et ad vocem quarti, tertia pars solis, lunæ atque stellarum obscurata est ; ad vocem quinti angeli, locustæ pugnaces de puteo abyssi in terram exierunt ; et ad vocem sexti, quatuor angeli, qui alligati erant in flumine magno Euphrate, soluti sunt ; atque ad vocem septimi, victoriosæ voces in cœlo factæ sunt. Eodem ordine per easdem mundi partes, plagæ istæ novissimæ effunduntur. Prima namque in terram, secunda in mare, tertia in flumina et super fontes aquarum, quarta in solem, quinta in sedem bestiæ, sexta in flumen magnum C Euphraten, septima effunditur in aerem. Loco putei abyssi, sedem bestiæ in hoc ordine scripsit, cætera eisdem nominibus expressit. Nunc ergo novissimæ istæ primis illis conferendæ sunt,singulæ singulis,pariterque videndum prout veritas sese ostendere dignabitur, qua ratione post illas istæ novissimæ dicantur, vel sint. « Et factum est, inquit, vulnus sævum ac pessimum in homines. qui habent characterem bestiæ, et eos qui adoraverunt imaginem ejus. » Bestiæ, id est, diaboli character superbia est,et hunc habere recte judicatur, quisquis scienter et per contemplum peccat, sicut de quibusdam Apostolus,quia «cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt (*Rom.* i), » imo et sicut idem D ait : « Non probaverunt Deum habere in notitia (*ibid.*). »Itaque et in eo quod sequitur,et in eos qui adoraverunt imaginem ejus, promptum est intelligi idololatriæ scelus,quia dicit ibidem de illis Apostolus : «Et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,ut volucrum,et bestiarum,et quadrupedum,et serpentium (*ibid.*). » In istos profecto factum est vulnus sævum ac pessimum. Quod est illud vulnus sævum ac pessimum ! « Propterea,inquit, tradidit eos Deus in passiones ignominiæ, ut faciant ea, quæ non conveniunt.Nam feminæ eorum immutaverunt usum naturæ in eum usum, qui est contra naturam.

Similiter et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in semetipsis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes (*Rom.* I). Quid hoc vulnere pejus aut sævius? Idcirco cum dixisset, « vulnus sævum, » addidit : « ac pessimum. » Est enim non solum peccatum, sed et pessima peccati pœna. Igitur primus effudit phialam suam in terram, id est, in eos qui peccaverunt peccatum Sodomorum, quorum peccatum fuit saturitas panis et otium, quos terra cœpit; quæ, ut Scriptura refert, irrigabatur prius, sicut paradisus Domini (*Gen.* XIII); eos, inquam, redarguit et convicit, idcirco tam pessime ulceratos esse, quia Deum in notitia habere non probaverunt, et palam pronuntiavit, quod pro hoc peccato, imo ab hac pœna peccati jure transferri debeant ad pœnam ignis æterni. Hoc modo suam iste phialam effudit, sed nihilominus factum est in illis vulnus sævum ac pessimum, ipsi enim hujusmodi passionibus sese exulcerare perstiterunt, post auditum futuri judicii adjicientes contemptum. In quo hæc prima phiala, et in illa prima tuba differunt, ut recte illa tuba primarum, et hæc phiala novissimarum una dicatur plagarum. In eo videlicet quod Scriptura, in qua tuba illa sonuisse, id est, clamor Sodomorum ad Deum legitur ascendisse, nullam futuræ in novissimo die damnationis, vel judicii sententiam, sive doctrinam protulit, sed tantummodo, quod præsentialiter atque visibiliter factum est, narravit, scilicet quod corporali morte multati sunt per pluviam ignis et sulphuris. Hic econtra, ubi prædicatores Evangelii de cœlo relevant iram, nullam in similes peccatores corporalis visibiliter aut præsentialiter de cœlo vindicta descendit, sed comminatio fit de futuro tempore, de invisibili et æterna damnatione, dicendo : « Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte (*Rom.* I). » Quæ illic pro ratione temporis tacita est futura peccatorum pœna, hic palam pronuntiatur ; et econtra quæ illic acta est corporalis vel præsentialis pœna, hic pro exemplo quidem commemoratur, sed non infertur. Ergo recte illa de primis, hæc plaga una dicitur de novissimis. Notandum præterea, quia illic tertia tantum terræ vel arborum pars combusta esse narratur, per quas videlicet arbores figurata locutione homines significantur, hic autem non tertia pars hominum, sed homines sævo ac pessimo vulnere plagati esse referuntur. Denique tam Sodomitæ quam Ægyptii, nec non et Chananæi, quæ gentes temporibus illis diversa judicia sustinuerunt, omnes de tertia parte hominum fuerunt, scilicet de stirpe Cham, qui ex tribus filiis Noe unus fuit, quem et Pater maledixit (*Gen.* IX). Sed in novissimo magni judicii die, nunquid illa sola pars generis humani, quæ de Cham processit, secundum opera sua judicabitur? Imo « absque distinctione personarum, vel gentium ira et indignatio, et tribulatio in omnem animam hominis operantis malum, ait Apostolus, Judæi primum et A Græci (*Rom.* II), » quorum neuter de posteris Cham, sed alter de posteris Sem, alter de posteris Japhet. Recte igitur non, ut illic, in tertiam partem hominum, sed in homines vindicta secuta est. « Et secundus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui ; et omnis anima vivens mortua est in mari. » Mare omnes illi sunt, qui elati potentia sæculi, tumorem imitantur Pharaonis et Ægypti. Pharao namque, et servi ejus Ægyptii, tanquam mare tumuerunt, et fluctus suos elevaverunt contra Dominum (*Exod.* XIV). Nam sicut mare tumidum reciprocis intra semetipsum fluctibus confunditur, et nunc accessibus, nunc recessibus effertur, tandemque in semetipso delassatum frenatur atque sedatur : sic Pharao vel Ægyptus, B contendendo contra Deum; variabatur, nunc dicendo, peccavi, nunc ingravando rursus cor suum quod simile erat recessui et accessui maris, tandemque congruo moribus suis elemento, scilicet in medio maris periit. Omnes ergo qui similiter contendendo contra Dominum variantur in semetipsis. Exempli gratia, de qualibus Psalmista dicit : « Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum ; et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem ipsorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus (*Psal.* LXXVII) ; » omnes, inquam, qui in ejusmodi infidelitate perseverant, recte intelliguntur **472** sub appellatione maris, et in eos effunditur phiala iracundiæ Dei taliter, ut C modo supra dicto plaga novissima sit. Etenim ubi secunda tuba cecinit, per quam intelligimus clamorem filiorum Israel, qui ascendit ad Deum, propter superbiam Ægyptiorum, nulla de novissimo die judicii, vel de pœnis inferni comminatio in eo sonuit, sed tantummodo minutis præsentium malorum plagis decies percussi, et tandem in mari Rubro leguntur cantantur submersi (*Exod.* XIV). Superbia illorum igne ardens invidiæ illic significatur, ubi secundo canente Angelo, « et tanquam mons magnus, inquit, igne ardens missus est in mare (*Apoc.* VIII). » Porro Evangelii prædicatio, nil tale infert similibus impiis, sed futuro illos judicio terribiliter addicit. Itaque, et illa ad canticum Angeli demersio montis ardentis secunda, de primis ; et hæc effusio phialæ in mare, secunda dicitur de D plagis novissimis. « Et factus est, inquit, sanguis tanquam mortui. » Id est, damnatio hujusmodi impiorum erit, sicut damnatio diaboli, qui vere jamdudum mortuus, id est, Deo vivo contrarius est. Ei namque sociabuntur, dicente Judice : « Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » — « Et ait, omnis anima vivens mortua est in mari. » Quia videlicet non tantum tertia pars generis humani, de qua fuerunt Ægyptii, orti sunt quippe et ipsi ex uno de posteris Cham, sicut jam dictum est, sed omnis anima indifferenter judicabitur, quicunque est in mari hujusmodi, sive Judæi anima sit, sive Græci. Et recte anima quæ sic

moritur, vivens mori dicitur, quia videlicet vivere in peccato dicitur, quicunque scienter et bono invidens, malum operatur; sic Pharao, qui non per ignorantiam, sed per invidiam filios Israel persequebatur. « Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum; et factus est sanguis. » Fluminum appellatione hoc loco illi intelligendi sunt, qui materiali quoque gladio Sanctos persecuti sunt. In ejusmodi flumina fontesque aquarum tertio angelo tuba canente, stella magna ardens tanquam facula de cœlo cecidit, id est, ira Dei, quod septem gentes ad introitum filiorum Israel Josue duce delevit. Illæ namque gentes odio habuerunt Israel, ex quo ascendit de terra Ægypti, sicut habes in cantico Moysi. Cum enim dixisset: « Dux fuisti in misericordia populi quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum, » continuo subjuncti: « Ascenderunt populi et irati sunt, dolores obtinuerunt omnes habitatores Philisthiim (*Deut.* XXXII), » etc. Nondum enim pertransierant filii Israel et illi jam torquebantur. Unde et imprecando dicitur: « Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus iste quem possedisti (*Exod.* XV). » Primus Amalec bello illos aggressus est, quem pugnantem orando vicit Moyses. Unde dicit Balaam filius Beor: « Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur (*Num.* XXIV). » Horum idcirco nunc meminisse libuit, ne dicas eos qui arma tulerunt contra Israel, zelo et necessitate ductos omnes propter terram suam quam auferret Israel. Solam quippe terram, in qua jus sepulcri sibi emerat, Abraham, ubi cum eo et cum Sara matre sua sepulti erant Isaac et Jacob, ex promisso Dei repetebat Israel (*Gen.* XXIII). Quare ergo venit Amalec qui erat ex Edom fratre Jacob et pugnavit cum Israel? Quare ipse Edom exivit armatus obviam fratri suo? Igitur super flumina et super fontes aquarum, quorum in tertium partem tunc ita Dei cecidit, quando tertius angelus tuba cecinit, effudit hic tertius angelus phialam suam? « Et factus est, inquit, sanguis. » Tunc non ita factum est, sed facta est tertia pars aquarum in absinthium, et multi homines mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. Multi namque Chananæorum, qui erant de sæpe dicta tertia parte hominum tunc superfuerunt, inter quos etiam « commisti sunt filii Israel, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum (*Psal.* CVIII). » Quod utique erat aquas verti illis in absinthium, quæ et bibentibus ita amaræ factæ sunt, ut propterea Dei sui iram incurrerent. Porro hic, ubi effunditur novissimarum tertia plagarum, id est, phiala tertia, non ita est: non tertia pars aquarum fit in absinthium, sed universaliter fit sanguis. Non enim sola posteritas Cham, qui, ut sæpe dictum est, de tribus Noe filiis unus fuit, sed universitas gentium persecutricum æterno judicio addicitur, per hanc tertiam phialam iracundiæ Dei, ita ut jam non

A supersit ex eis, qui sanctos ejus persequi, aut sollicitare ulterius possint. Sequitur: « Et audivi angelum aquarum dicentem: justus es, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti; quia sanguinem sanctorum et prophetarum fuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere, uti digni sunt. » Quis est iste angelus aquarum? Imo quales istæ aquæ sunt? Utique fideles, de qualibus in Isaia scriptum est: Aquæ ejus fideles sunt: « Qui ambulat, inquit, in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat autem suam, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos, ne videat malum; iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt

B (*Isa.* XXXIII). » Porro a quæ fideles aquæ vivæ sunt, quæ de ventre credentis fluunt, sicut ait earumdem dator aquarum: « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). « Ergo iste Angelus aquarum ille est, cujus aquæ illæ sunt, cui datæ sunt, cujus de ventre fluunt, videlicet omnis scriba doctus in regno cœlorum (*Matth.* XIII), omnis sanctarum fidelis interpres, sive etiam auctor Scripturarum, qui pro eo quod labia ejus custodiunt scientiam (*Malach.* II), meretur hoc loco insigniter dici angelus aquarum: non quod secundum personam unus homo tantum, sed quod secundum fidem unus sit sensus omnium. Omnium quippe, qui veraciter in sanctarum conversantur aquis Scripturarum, unus spiritus est, et una fides, et si illas rite consulas, omnes concor-

C diter dicunt, et in isto consentiunt, quia Deus judex justus est. Ait igitur angelus aquarum: « Justus es, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti; quia sanguinem sanctorum et prophetarum fuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere, ut digni sunt. » Hæc descriptio æterni Dei, jam ante in hac Scriptura frequentata est, « qui eras, et qui es, et qui venturus es. » Porro tertium hoc, et qui venturus es, idcirco non dicitur hic, quia confessio ista, justitiæ Dei temporis illius est, post quod jam ultra non est venturus. Igitur qui es, et qui eras; id est, qui et nunc permanes in sæcula, et qui eras ante sæcula, in quo frustrata sunt omnia, quæ nomen tuum absorbere molita sunt flumina. Es enim qui eras, et in sua firmitate stat, et persistit illa veritas

D prophetica: « Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent; et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI). » — « Tu, inquit, qui hæc judicasti, justus es. » Quid enim judicasti? Quia sanguinem sanctorum et prophetarum fuderunt; idcirco sanguinem eis bibere dedisti, et hac retributione homicidas, et sanguinarios dignos judicasti. **473** Nimirum in tali damnatione, primi ante omnes gentes bibere digni sunt Judæi, quippe qui non solum sanctorum et prophetarum sanguinem fude-

runt, verum etiam ipsum Sanctum sanctorum et prophetarum Dominum occiderunt. Idcirco jam adhuc viventes prægustant potum sanguinis ubique miseri, et torti conscientia crudeli, trahentes a patribus suis hæreditatem sanguinis, cum isto, quasi scripto testamento : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XVI). » Idcirco quidquid de scripturarum aquis bibere se putant in synagogis suis, sanguis ejus fit ; quia mortifero illas intellectu corrumpunt sibimetipsis, concedente illis, et judicante Spiritu prophetiæ, cum dicit : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem et in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva (*Psal.* LXVIII). » Sequitur : « Et audivi altare dicens : Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua. » Apud nonnullos ita legitur : Et audivi *alterum* dicens ; et legendo *alterum*, subaudiri voluit verbum sive responsum. Porro in emendatioribus codicibus *altare* scriptum est, et hoc non frustra placet, si recolas sanctos et prophetas, quorum isti sanguinem fudisse accusantur superius subtus altare clamasse ad Deum, ubi sic scriptum est : « Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium, quod habebant, et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine sanctus et verus, non judicas, et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ? »(*Apoc.* VI.) Ut autem dicatur, « audivi altare dicens, » sitque sensus, audivi eos qui erant subtus altare dicentes, non inusitatus apud grammaticos locutionis modus est, fitque per tropum, qui metonymia dicitur per id quod continet, significans id quod continetur. Igitur « audivi altare dicens » id est, audivi subtus altare illos quos prius audieram non jam clamantes, et judicium aut vindictam sui sanguinis reposcentes, sed jam peracta vindicta quam exigebant, judicantis atque vindicantis justitiam laudantes atque dicentes : « Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua. » Vera utique in verbo, justa in facto. « Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu afficere homines et igni. » Illic ubi quartus angelus tuba cecinit, percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, tertiaque pars stellarum (*Apoc.* VIII). Et hic et illic per solem illa Dei sedes intelligitur, de qua in psalmo dicitur : « Et sedes ejus sicut sol in conspectu meo (*Psal.* LXXXVIII). » scilicet Ecclesia, de qua vel in qua Christus est, Sol justitiæ.

Verum hoc interesse didicimus, quod talis illic Ecclesia significata est, qualis habens jam repromissionem nasciturі ex se solis Christi, de Ægypto ascendit, et percussa est atque in deserto prostrata pars ejus quæ murmuravit. Hic autem talis significatur, qualis de baptismo post Christi passionem ascendit, et damnantur in ea qui sunt falsi fratres, falsi Christiani, Deum se nosse confitentes, factis autem negantes (*Tit.* I). Denique in eos quoque pleno ore sua effunditur phiala, pro eo quod sua eleemosynis redimere negligunt peccata (*Daniel.* IV), nec faciunt sex opera misericordiæ quæ sunt, esurientem cibare, sitienti potum dare, nudum vestire, hospitem colligere, infirmum visitare, ad eum qui in carcere est, venire (*Matth.* XXV). Qui ista non faciunt, imo et facientibus detrahunt, nunquid non et ipsi bibunt de phiala iracundiæ Dei ut eant in ignem æternum ? « Effudit igitur phialam suam in solem, et datum est illi æstu afficere homines et igni. » Hoc datum est huic angelo, ut homines videlicet carnales, inter quos verbi gratia zelus est et contentio (*I Cor.* III), redarguens quod homines sint, afficiat eos malo duplici, æstu et igni, id est, præsentiali pariter et futura potestate judicandi. Nam « de illis quidem, qui foris sunt, dicit Apostolus, quid ad nos judicare, » et subaudiendum, in præsenti : « de illis autem qui intus sunt, nonne vos judicatis (*I Cor.* V), » ait, et intelligendum est, tam de præsenti quam de futuro judicio. Judicant namque prælati jam nunc eos, qui intus sunt, exempli gratia, cum dicit idem Apostolus : « Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi tradere ejusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini (*ibid.*). » Taliter judicare nimirum, est homines æstu afficere. Æstuant namque quodam pudoris æstu, quando a cœtu Ecclesiæ segregantur, ita ut nec ave dicere, nec cibum liceat cum hujusmodi sumere (II *Joan.* I). Quod si tali æstu correpti non corriguntur, tunc demum justum erit, ut in futuro afficiant eos igni, ut judicio ipsorum, quoniam rebelles et contemptores exstiterunt, tradantur gehennæ igni. Sequitur : « Et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei, habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam. » Hoc plerumque et fecerunt et faciunt in omni ordine Ecclesiæ homines ejusmodi, superbi, elati, procaces, protervi, detractores, murmurosi, voluptatum amatores, doctrinæ sanctæ contemptores, qualium omnium exemplum fuerunt Datan et Abiron (*Num.* XVI), et cæteri carne et non fide filii Israel, quorum, sicut superius in ordine septem tubarum, quarto canente angelo meminimus, corpora in deserto, diversis modis postrata sunt. Ejusmodi namque homines, quando pro suis excessibus corripiuntur, æstuant æstu magno, videlicet irascendo, contradicendo, contentionis rixæ, et implacabilis odii flammam (*Rom.* X), contra rectores suos conspirando, secundum formam jam dictorum Datan et Abiron, et cæterorum, qui consurrexerunt adversus Moysen, et Aaron (*Num.* XVI). Talium amaritudo et verba mala, quæ proferunt ex abundantia fellis, quanti sint criminis, illud insinuat quod subjungit : « Et blasphemaverunt nomen Dei. » Quidquid enim adversus prælatos vel patres insaniunt, totum redundat in Deum, quemadmodum jam dicti attestantur Moyses et Aaron : « Nos enim, inquiunt, quid sumus, quia murmuratis contra nos?

Neque enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. » Hoc ipsum præsens locus adhuc altius exprimit, cum præmisso, « et blasphemaverunt nomen Dei, » subjungitur, « habentis potestatem super has plagas. » Ac si dicatur : Blasphemando prælatos, et eorum contemnendo judicialem sententiam, non ipsos, sed nomen Dei : Blasphemant, et idcirco illis culpa hæc pro blasphemia in Deum juste reputabitur ; quia quod prælati propter disciplinam faciunt, aut judicant, non sua, sed Dei potestate vel auctoritate faciunt. Quod perpendens Paulus, non dubitat dicere quod sciret esse districtus, videlicet pro potestate ejus, qui in ipso loquebatur. Ait enim : « An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? » (*II Cor.* XIII.) Recte igitur rebellio contra disciplinam, pro blasphemia in Deum illis reputatur, præsertim, quia de illis subditur adhuc : « Neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam. » Cor namque impœnitens convincitur blasphemare Deum, imo Spiritum sanctum, quia, dum defendit iniquitatem, sine dubio pugnat contra Deum, impugnat Spiritus sancti judicium. Hinc est illud quod ad Saul Samuel loquitur : « Quoniam quasi peccatum ariolandi est, nolle auscultare, **474** et quasi idololatriæ scelus, nolle aquiescere (*I Reg.* XV). » — « Et quintus effudit phialam suam super sedem bestiæ, et factum est regnum ejus tenebrosum : et commanducaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. » Ubi quintus angelus tuba cecinit, illic aperitur fumigantis puteus abyssi, hic autem ubi quintus angelus phialam suam effudit, sedes bestiæ contenebrescit. In cæteris tam tubarum cantibus quam phialarum effusionibus res sive partes mundi nominibus eisdem proferuntur, terra, mare, flumina et fontes, sol et fluvius Euphrates ; hic appellatio variatur, cum pro puteo abyssi, sedes bestiæ scribitur. Quid rogo est sedes bestiæ, nisi illud super quod bestia innititur ? Quid autem illud est, nisi mendacium? Denique sicut auctoritas Dei non nisi veritas est; sic fulcimentum diaboli, non nisi mendacium est. Igitur sicut illic in puteo abyssi, sic et istic in sede bestiæ, mandacium recte intelligitur. Nimirum ex quo diaboli mendacio, per linguas hæreticorum se prodente, venerabilis ordo sanctorum Patrum econtra exsurrexit, et perfidiam illorum promptis Scripturarum testimoniis convictam, insuper æterno anathemate damnavit, extunc angelus iste suam super sedem bestiæ phialam effudit. Sed quid econtra hæretici ? Nunquid quieverent, et vitrici obtemperaverunt veritati ? Non utique, imo magis insanierunt, et magis suam impietatem dilataverunt, et in furore suo laborare fecerunt orbem terrarum. Sequitur ergo : « et factum est regnum ejus tenebrosum, et commenducaverunt linguas suas præ dolore. » Ipsi enim regnum bestiæ sunt vel fuerunt, utpote in quibus locum paratum invenit illa sedes bestiæ, id est mendacium. Effusa ergo phiala regnum bestiæ factum est tenebrosum, quia datis sententiis judicialibus super perfidiam hæreticorum, illi furore et invidia fumigantes amplius excæcati sunt. Quomodo autem isti commenducaverunt linguas suas ? Nimirum contra semetipsos sentiendo, contraria sibimetipsis dicendo, adversus semetipsos sectarum contrarietatibus dimicando. Nam contra Catholicam quidem Ecclesiam pari, et quasi concordi malignitatis spiritu depugnant, sed contra semetipsos discorditer confligendo, hæreses multifidas fecerunt, et ita suas quique partes defendendo, contendendo atque rixando linguas suas commanducant. Quare ? « Præ dolore, » inquit, id est, præ invidia. Non enim hic dolor aliter intelligendus est, quam illic, ubi scriptum est : « Ecce parturiit injustitiam, et concepit dolorem, et peperit iniquitatem (*Psal.* IX). » Item : « Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo, sub lingua ejus labor et dolor (*Psal.* VII). » Præ dolore hujusmodi linguas suas commenducaverunt, id est, præ invidia sectas inter se contrarias faciendo, semetipsos linguis suis infestaverunt. Additur adhuc : « Et blasphemaverunt Deum præ doloribus et vulneribus suis. » Mira res : « Et blasphemaverunt, inquit, Deum. » Quare ? « Præ doloribus et vulneribus suis, » id est, propter invidias et odia privata, quæ profecto vulnera sunt non corporis, sed cordis. Hoc mirabile est, attamen verum est. Nam exempli gratia sicut ecclesiasticæ litteræ testantur, propter odium in Alexandrum pontificem suum Arius presbyter in blasphemiam contra Deum erupit, et ut illi scandalum concitaret, quoniam oderat eum, et invidebat illi, contraria de Filio Dei dogmatizare cœpit. Igitur universaliter de hæreticis veraciter dixerit : « Quia blasphemaverunt Deum præ doloribus et vulneribus suis. » Ad extremum dicit adhuc : « Et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. » Quomodo isti agerent pœnitentiam, qui contra Spiritum sanctum verba dicebant ? Denique sicut priorum quoque patrum tradit auctoritas, ille contra Spiritum sanctum verbum dicit, qui non per ignorantiam, sed per invidentiam sanctæ Scripturæ contradicit, quæ sine dubio voces, et verba sunt Spiritus sancti. Dominus autem dicit : « Quia quicunque dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. » Judicium namque est Spiritus sancti, ut qui sic peccaverit, nunquam condignam pœnitentiam agere inspiret illi. Ubi autem pœnitentia non præcedit, remissio non potest subsequi. Non igitur remittetur eis qui pœnitentiam non egerunt, neque agere potuerunt ex operibus suis, deserti judicio Spiritus sancti, quia blasphemaverunt Deum, non per ignorantiam, sed ut jam dictum est, « præ doloribus et vulneribus suis, » doloribus invidiæ, vulneribus odii.

« Et sextus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten, et siccavit aquas ejus, ut pararetur via regibus ab ortu solis. Et vidi de ore dra-

conis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum procedere. » Ubi sextus angelus tuba cecinit, soluti sunt quatuor angeli qui alligati erant in flumine magno Euphrate, et plaga fuit corripiens populum Dei, per quatuor principalia regna mundi, sub quibus afflicti sunt filii Israel, sive Juda per judicium Dei. Non fuit illa plaga de novissimis, in quibus consummatur iracundia Dei ; quia non animas, sed corpora tradebat talibus angelis, id est regnis terrenis. At vero hæc phiala in flumen effunditur iracundiæ Dei, in illud flumen, non ut solvantur tales angeli, sed ut siccarentur aquæ ejus, et pararetur via regibus ab ortu solis. Ergo in aquam fluminis effunditur phiala iræ Dei, et idcirco aquam talem oportet intelligi, cui rationabiliter dicatur deberi iracundia Dei. Alias autem eum et mare, et flumina, et fontes aquarum in sanguine anteriores phialæ damnaverint, quid est quod flumen Euphrates propriam meretur phialam, nisi quia inter cætera mala quæ fiunt sub sole, malum quoddam aquæ fluminis hujus significant. Est enim malum, cujus damnationem in anterioribus phialis nondum attingimus, quod hic et prius per aquas fluminis illius, et deinde per tres immundos spiritus in modum ranarum prorepentes significari recte intelligitur. Nimirum malum hoc trifidum est, et ejus partes sunt præstigia magorum, commenta philosophorum, figmenta poetarum. Eorum profunda malitia, et turbida loquacitas, congrue per aquas Euphratis significatur. Quia videlicet Euphrates Babyloniæ flumen est, et per eam fluens in multa capita dividitur, quæ ipso quoque nomine suo in Scripturis significare solet universam generationem impiorum, contrariam generationi rectorum, civitatem diaboli, contrariam civitati Dei. Babylon quippe interpretatur *confusio*. Igitur postquam in mare et super flumina, fontesque aquarum phialæ effusæ sunt, effunditur et ista in Euphraten, quia condemnationem sibi, acquisierant tyranni, vel reges impii cum nationibus sibi subditus, illis quoque ira debetur, qui illos dementaverunt, erroremque illis auxerunt vaniloquiis, imo et scripturis sui malitiosis, mendacibus, fabulosis. Antequam super aquas hujusmodi revelaretur ira Dei de cœlo per Evangelium Christi, non poterant eas transire reges sancti, scilicet hi qui principes sive auctores fuerunt Scripturarum veritatis, quorum etiam sæculari dignitate reges fuerunt nonnulli, quales recte dicuntur venisse ab ortu solis, **475** quia non venerunt aut locuti sunt a semetipsis, sed ut loquerentur, quid loquerentur acceperunt ab illuminatione Divinitatis. Non poterant aquas illas transire reges isti, non poterant cum una lingua Hebraica occurrere Græcis facundis, disertisque latinis grammaticis, rhetoribus, dialecticis, tot poetis, tragicis, comicis, satyricis. At « ubi venit ille spiritus veritatis, ut argueret mundum de peccato, et de justitia, et de judicio (*Joan.* XVI) ; » nimirum arguendo id quoque effecit, ut siccarentur tantæ aquæ tam magni fluminis : stultam enim fecit sapientiam hujus mundi. Procedente uamque sapientia Dei, et rationem reddente de eo, quod videbatur stultum Dei, quemadmodum Apostolus dicit : « Nos autem prædicamus Jesum Christum, et hunc crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam (*I Cor.* I), » ex comparatione ejus stultum esse apparuit et aridum, quod eatenus grande videbatur et profundum. Quam vilis, quamque exsecrabilis et abjecta fuerit vel apparuerit illa talis sapientia sæculi in oculis eorum quos veritas illuminavit, pulchre in sua persona insinuat cum dicit : « Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum procedere. » Spiritus immundos ait, id est sectas, quasi sapientiæ, et scientiæ magicæ, poeticæ et philosophicæ, quas contrarius sancto Spiritui immundus hujus mundi spiritus aspiravit. Spiritus namque immundos magi præcipue patronos, quo nescio infelici quodam pacto, asciverunt sibi poetæ sub nominibus honestis, eosdem rogitant spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumptione deos appellantes cum dæmones sint. Porro qui philosophis spiritus aspiravit, is quoque sine dubio immundus exstitit. Annon de illis Apostolus dicit : « Quia dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt et evanuerunt in cogitationibus suis? » (*Rom.* I.) Et vide quantam usque ad immunditiam evanuerunt, qui servientes creaturæ potius quam Creatori, propterea in passiones ignominiæ sive in desideria cordis sui in immunditiam traditi sunt. Recte igitur dicuntur spiritus immundi. Porro draconis nomine diabolus, bestiæ vero appellatione bestiale regnum diaboli hoc loco designari recte intelligitur ; nam apud Danielem per quatuor bestias quatuor mundi principalia regna significantur, scilicet Babylonicum, Persicum sive Medicum, Macedonicum atque Romanum. De ore ergo draconis spiritus primus processit, quia magicam artem humana curiositas de confabulatione diaboli addidicit. De ore bestiæ sequens spiritus exivit, quia bestiali regno mundi hujus adulando humanæ mentis ignobilitas, reges terrenos, homines figmentis poeticis in deos evexit, et in cœlum stellarumque orbes translatos fabulosis næniis decantavit. Pseudopropheta philosophia quoque exstitit, quæ fanaticorum spurcitias deorum, verbi gratia adulteria Jovis, zelumque Junonis sororis et conjugis, et meretricia Veneris, et cætera talia retulit ad elementa mundi, cupiens ea quæ jam erubescere poterant homines, de diis suis quasi interpretationibus subornare allegoricis. Vere pseudopropheta talis quisque interpres exstitit, quia de corde suo prophetavit (*Ezech.* XIII), et vane pudorem humanum consolatus, adulteria deorum fictis et inutilibus adornando mysteriis, et in eo remanendo nihilominus ut serviret creaturæ potius quam Creatori (*Rom.* I), qui est benedictus in sæcula, amen. «Vidi, inquit, de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprephetæ exire spiritus tres immun-

dos, » et addidit adhuc: « In modum ranarum. » Nimirum ranæ et immundæ sunt et turpes et exiguæ et quasi loquaces. In luto namque commorantes importune et quasi cum garrulitate coaxando quietem auferunt. Congrua ergo assimilatio dum ranis adæquantur, vel similes perhibentur hi qui sibi magni et eloquentes videntur. Verbi gratia, poetæ qui sibi magna sonare videntur, sed omnis eorum materia fabulosa lutum est, et magnitudo eorum inflatio est. Quapropter quoniam scientia illorum cum nulla sit (*II Cor.* x), inflatur adversus scientiam Dei, pulchre satis eorum spiritui congruit illud de fabella Æsopi, ubi sufflando tentatus se extendere ad magnitudinem bovis, dum conatur, et pellem frustra distendit, tandem ultra vires sufflando crepuit. Denique ubi nunc illi sunt grandiloqui, qui se extulerunt adversus veram magnitudinem scientiæ Dei? « Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus eorum in æternum permanet (*Psal.* IX). » Quis enim loquacitati illorum hominum credit? Imo quis eorum theologias turpes legens vel audiens non irridet? Porro magi quorum principes in Ægypto Jannes et Mambres, per incantationes suas coram Pharaone adversus Moysen et Aaron ranas eduxerunt, et ultra non valuerunt, modum recte dicuntur habere ranarum ut eis similes sint quas contra Deum fecerunt, ultra quas eorum præstigia non valuerunt. Sequitur:

« Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum Omnipotentis. » Vere, inquit, illos spiritus immundos dixerim, sunt enim spiritus dæmoniorum. Nam revera cum veritati contraria sunt dogmata eorum, nulli dubium quin omnes magnitudines, imo inflatione ejusmodi sint aspirationes dæmoniorum. « Et procedunt, inquit, ad reges totius terræ congregare illos in prælium. » Primi hoc, ut sancta narrat Scriptura, jam dicti malefici illi Jannes et Mambres fecerunt. Processit enim qui in illis erat spiritus seductionis, ad regem Ægypti, fiducia signorum quæ faciebant quasi similia signis virtutis Dei, auxerunt stultitiam ejus ut contra Deum pugnantem pro Israel auderet præliari. Tales vel simili modo cæteri malefici, poetæ, philosophi congregaverant reges totius terræ, non quidem in unum locum, sed in unum eumdemque pessimæ voluntatis stratum, ut præliarentur contra Dominum, ut præventi magna æstimatione illorum reges terræ, dedignarentur aut negligerent magna æstimare miracula quæ servi Domini facerent, vel mirari sapientiam quam prædicarent, quoniam et illi econtra mira facere et magnifice ut sapientes illi loqui consuevissent. Præliati sunt ergo et præliari non desinunt persequendo omnes, qui in Christo pie vivere volunt, sed malo suo, quia taliter congregati in prælium congregabuntur in judicium, unde cum dixisset hic, congregare illos in prælium, addidit: « Ad diem magnam Omnipotentis. » Nam dies Omnipotentis dies erit judicii, sine dubio magnus,

A sicut propheta dicit: « Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis; vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis (*Sophon.* I), » etc. Juxta est, ait ille, et verum est. Nam, etsi aliqua mora videtur, ex quo ille prophetavit usque ad illum diem magnum omnipotentis, at certe prope est unicuique mors, id est, præsentis vitæ finis, et nescitur quando venturus sit. Ait ergo confestim; « Ecce venio sicut fur (*Luc.* XII). » Malus servus dicit in corde suo: « Moram facit Dominus venire; » Dominus autem dicit: « Ecce adsum, cito venio; » additque « sicut fur, » videlicet negligentibus et dormientibus formidandus. Furis namque similitudinem ipse sibi adhibere dignatus est, dum præmisso servis suis præcepit, [præcepto?] ut vigilent, « quia nescitis, inquiens **476** qua

B hora Filius hominis venturus est, » ait: « Illud autem scitote quoniam, si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam (*ibid.*). » Eadem intentione, vel causa, qua illic dicit: Sint lumbi vestri præcincti, beati servi illi quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes, continuo et hic subjungit: « Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. » Hoc propter magnum diem suum Omnipotens intulit, qua præmissum erat congregare reges terræ in prælium ad diem magnum Omnipotentis. Sequitur:

« Et congregavit illos in prælium in loco qui vocatur Hebraice Harmagedon. » Quos illos congregavit? Utique reges, quia de regibus congregatio ista scribi cœpta est. Sunt autem hic diversi imo

C oppositi et contrarii reges. Nam de bonis regibus præmissum fuerat, ut pararetur via regibus ab ortu solis, de malis vero subjunctum, « et procedent ad reges totius terræ congregare illos in prælium. » Quos ergo regum istorum congregavit in loco, qui vocatur Hebraice Harmagedon, vel quis congregavit illos tali in loco? Non enim singularem aliquem præmiserat, neque aperte distinguit, quos malos aut bonos congregaverit. Ergo dicere licet quia malorum et bonorum congregatio hic illa præsignata est, de qua non ignoramus, quia, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, tunc congregabuntur ante eum non solum reges sed etiam omnes gentes. Illic in prælium mirabile congregabuntur, quia videlicet illic prælii malorum et bonorum mi-

D rabilis et horrendus finis statutus est. Ille status recte designatur hoc nomine, quod hic ponitur Harmagedon. Interpretatur enim *consurrectio in priora*, sive *mons globosus*. Congregationem ergo illam recte significat, ubi et sancti reges, qui venerunt ab ortu solis in priora consurgent, et ad judicandum sedebunt, et mali reges tanquam mons globosus tollentur cum diabolo suo principe, quia tunc revera dicetur monti huic tollere et mittere non jam in mare, sed in profundum gehennæ. « Et septimus effudit phialam suam in aerem. Et exivit vox magna de templo a throno dicens: Factum est. » Et illic ubi « septimus angelus tuba cecinit, factæ sunt voces

magnæ in cœlo dicentes: Factum est regnum mundi hujus Domini nostri et Christi ejus (*Apoc.* XI). » Itaque et hic cum dicitur, factum est, idem intelligendum est, scilicet « regnum Domini nostri et Christi ejus, » illa tamen cum discretione, ut plus iracundiæ Dei viventis in hac septima phiala quam in illa septima tuba perpendamus. Istæ namque plagæ novissimæ sunt, illæ autem primæ; quæ in eo discernuntur quod illæ visibilium, istæ invisibilium diversitates distinctionesque sunt malorum. Ergo in illa septima tuba, visibilis conflagratio universi mundi hujus, in ista septima phiala recte illa plenitudo damnationis intelligitur, qua dæmones puniendi sunt, qui nunc per istum aerem de cœlo projecti vagantur. Nam hoc est quod dicit: « Et septimus effudit phialam suam in aerem, » id est, super catervas sive potestates aereas. Et recte in illos phiala effunditur septima, quia videlicet quidquid malorum præcedentibus sex phialis vindicatur, in ipsos redundat, qui malorum eorumdem incentores sunt. Unde et principatus, et potestates, et rectores mundi hujus, tenebrarum harum ab Apostolo vocantur (*Ephes.* VI). Cum igitur dicit magna vox ista: « Factum est, » idem est ac si dicat: In electis regnum Dei adimpletum, et in reprobis ira Dei consummata est, quia diabolus quoque cum angelis suis in profundum inferni præcipitatus est. « Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræmotus factus est magnus qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus sic magnus. » Non post illam vocem magnam dicentem, factum est, sed interim dum phialas suas effundunt angeli, « facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræmotus. » Fulgura namque miracula, voces testimonia Scripturarum; tonitrua, comminationes futurorum sunt malorum, quibus omnibus confirmaverunt sermonem suum angeli qui phialas suas effuderunt, id est prædicatores qui judicium Dei futurum prædicare missi sunt in mundum universum. Porro terræmotus qui factus est sic magnus, terræmotus cordium nostrorum exstitit, quæ commota sunt audita prædicatione Evangelii, in quo revelatur ira Dei. De hoc tali terræmotu Psalmista dicit: « Commota est et contremuit terra, et fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis (*Psal.* XVII). » etc. Talis terræmotus sic magnus non fuit, inquit, ex quo homines fuerunt super terram; quia videlicet nunquam ante Christi adventum factum fuerat, ut prædicatores missi universum commoverent mundum, ut cœlis enarrantibus gloriam Dei, in omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). Terræmotus ejusdem magnitudinem ex subsequentibus vult intelligi, cum dicit: « Et facta est civitas magna in tres partes, et civitates gentium ceciderunt. » Civitas magna hoc loco generis humani universitas est. Nam ne putemus jam hic eam solam intelligi divisionem in qua deputantur tantummodo reprobi, continuo subjungit de illa, et dicit: « Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini iræ indignationis ejus. » Ergo utrumque oportet animadverti, et unumquodque suo sensu probabiliter distingui. Quod universitas mundi non solum una civitas, verum etiam quasi unum atrium unius fortis ante adventum Christi exstiterit, permistum ex electis ac reprobis, nota Domini nostri Jesu Christi auctoritas hoc modo tradit: « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet; si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus in quibus confidebat auferet, et spolia ejus distribuet (*Luc.* XI). » Porro quod hæc civitas ad prædicationem Evangelii, quo sicut istæ phialæ suimet effusione significant, revelatur ira Dei, in tres partes dividenda esset, ipse Dominus hoc modo prædixit: « Nolite putare quod venerim pacem mittere in terram; non enim veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus (*Matth.* X). » Istæ sunt tres partes, quas Lucas adhuc distinctius expressit his verbis: « Putatis quia veni pacem dare in terram? non, dico vobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in una domo divisi: tres in duos, et duo in tres dividentur: pater in filium, et filius in patrem suum; mater in filiam, et filia in matrem; socrus in nurum, et nurus in socrum suam (*Luc.* XII). » Notandum quia duo sunt, scilicet pater et mater, id est vir et uxor, in quo tres dividuntur: ipsi autem duo, scilicet vir et uxor, contra se nequaquam propter Evangelium dividuntur. Neque Evangelii causa, imo nulla nisi sola fornicationis causa, viro ab uxore, vel uxori a viro discedere conceditur. Igitur phialis effusis iracundiæ Dei civitas magna in tres partes facta est, id est, revelata per Evangelium ira Dei aliis ad pœnitentiam confugientibus, aliis in pœnitentia remanentibus, **477** communes hominum necessitudines, quæ naturaliter magnæ sunt, trifariam divisæ sunt, dum sibi in via Domini non consentiunt, disceditque filius a patre, filia a matre, et nurus a socru sua. His partibus factis, dum isti convertuntur, et fiunt Jerusalem civitas Dei, illi aversi permanent, ut erant Babylon civitas diaboli, profecto fiunt inexcusabiles, et tunc demum peccati illorum, quo fideles persequuntur, Deus recordatur, ut videlicet sicut scriptum est: « Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum (*Psal.* IX). » Sequitur: « Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini iræ indignationis ejus. » Sententiam damnationis appellat calicem vini, addendo, « iræ et indignationis; » videlicet, ad distantiam boni et præclari calicis, de quo in psalmo Deus dicit: « Et calix meus inebrians quam præclarus est (*Psal.* XXII)! » Denique sicut calix ille gratiæ feliciter, sic econtra iste calix iræ infeliciter inebriat, ut civitas diaboli æterna sopiatur stultitia, sic-

ut dicit Ecclesiates : « Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud inferos quo tu properas (*Eccle.* IX). » Causam adhuc majorem reddit, cur civitas illa talem in memoriam ante Deum venerit. Ait enim : « Et omnis Insula fugit, et montes non sunt inventi. » Idem namque est ac si diceret : Et in eo civitas illa memoriam sui in malum suum suscitavit, quia persecutionem tanquam fluctus maris fugientes servi Dei absconderunt se in remotis locis, sicut et de antiquioribus sanctis Paulus congemiscendo dicit : « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, et in speluncis, et in cavernis terræ (*Hebr.* XI). » Denique per insulas, Ecclesias, per montes sanctos, eminentiores significari in Scripturis usitatum est. Nunquid per ipsam sanctorum fugam Evangelii prædicatio conticuit ? Non utique, imo magis invaluit. Sequitur ergo : « Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines. » Et est sensus : Quanto majores sancti persecutiones passi sunt, tanto magis prædicaverunt, et iram Dei de cœlo super omnem impietatem hominum revelaverunt. « Hæc erat grando magna, inquit, sicut talentum ; » quo dicto significat unicuique reddi quod meretur, quasi ad pondus secundum peccati sui modum (*Deut.* XXV). At illi qui ejusmodi sunt homines impii, et rebelles justitiæ et veritatis, quanto plus arguuntur, tanto deteriores fiunt, imo interdum verbo quosque resistunt et contradicunt, et maledicunt. Sequitur ergo : « Et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer. » Quod est dicere : Et converterunt se ad blasphemias impii, propter insuperabilem constantiam prædicationis, et quia ratione non poterant defendi, sævierunt maledictis, quia tantus erat in illis spiritus sapientiæ et fortitudinis, ut nullo modo possent exsuperari. Tales primum sunt Judæi, de quibus in Actibus apostolorum Lucas dicit: « Cum venissent ad Macedoniam Silas et Timothæus, instabat verbo Paulus testificans Judæis esse Christum Jesum. Contradicentibus autem eis et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit eis : Sanguis vester super caput vestrum ; mundus ego ex hoc ad gentes vadam (*Act.* XVIII). »

LIBER DECIMUS.

Dehinc per imagines congruas dictaque convenientia demonstratur spiritus pietatis, quid erga electos suos operetur aut operaturus sit. Est enim opus sive officium Spiritus sancti secundum hoc ipsum nomen quod spiritus pietatis, sanctos omnes in hoc sæculo peregrinantes, et persecutiones pie vivendo patientes, consolari (*II Tim.* III) ; ut non fatigentur adversis, neque æmulentur in malignantibus, dum faciendo iniquitatem elevantur et exaltantur in gloria hujus mundi, et cupitis fruuntur divitiis. Hoc autem in Scripturæ hujus parte ista quam nunc ingredimur duobus agitur modis. Primo namque demonstratur, cito auferendam esse malignorum vim, qui sanctos persequuntur ; deinde successuram fore gloriam regni Dei, in quo Deus a sanctis suis frequens alleluia dicentibus æterna cum exsultatione laudabitur. Igitur sicut in præcedentium septem phialarum effusione recte spiritum scientiæ prædicari animadvertimus, ita in istis spiritum pietatis per opera sua commendari non dubitamus, qui illum in sæpe memorato propheticæ lectionis ordine sequitur. Iste namque sextus est septem spirituum, a quibus gratia mandatur Ecclesiis in capite libri hujus. Ait :

CAP. XVII. — « Et venit unus de septem angelis qui habebat septem phialas, et locutus est mecum dicens : Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedit super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino fornicationis [prostitutionis] ejus. » Unus iste de septem angelis septem phialas habentibus unam fidem, et unum significat spiritum qui in eis loquitur. Omnes quippe angeli isti, id est, omnes scriptores, sive Scripturarum tractatores quos Ecclesia sancta recipit, idem dicunt, idem sapiunt, et schismata in eis non sunt. Porro Joannes qui unum illum ad se venisse, secumque locutum **478** esse dicit, tot et tanta verba consolationis, hoc loco sanctorum omnium in sua persona typum gerit, quicunque in hoc sæculo peregrinantes meruerunt vel merentur per consolationem Scripturarum beata spe confortari. Nam hic idem Joannes quando hæc vidit, particeps eorum factus erat in tribulatione quippe qui in Pathmos insula exsulabat, propter Evangelium illuc missus a Domitiano Cæsare, et idcirco communes eorum consolationes propria meruit experiri visione. « Veni, inquit, ostendam tibi dammationem meretricis magnæ. » Ac si dicat : O tu quisquis es, æternæ inquisitor civitatis vel patriæ, cujus rex unus est, id est, qui condidit illam Deus, quid tantis cum suspiriis prospectas festinantem processum terrenæ patriæ vel civitatis diaboli, quæ paululum remorante regno unius regis Dei regnare festinat, multorum regum quasi multorum hydra capitum, et quasi multorum concubitorum meretrix ? Ne doleas aut fatigeris animo, quasi pro magna felicitate ejus jam regnantis et insultantis exsilio tuo. Veni et ego ostendam tibi damnationem ejus quæ sibi magna videtur. « Pro eo quod sedet super aquas multas. » Vere enim sedet hæc meretrix super aquas multas,

est, impios lætari cum malefecerint, et exsultare in rebus pessimis, et merito talibus multus et inexhaustus repositus est thesaurus iræ Dei viventis (*Prov.* II). Hoc peccatum in illos occisores testium sanctorum gravissime denotat enuntiatio hæc, qua nunc dicitur : « Et videbunt et gaudebunt et jucundabuntur, et munera mittent invicem. » Quid enim videbunt? Utique magnum scelus suum, scilicet corpora sanctorum quas occiderunt non posita in monumentis, et suæ potestatis esse, ut non ponantur in monumentis. Et quamobrem super hoc tantopere gaudebunt, et jucundabuntur, et munera mittent invicem? Quoniam, inquit, hi duo prophetæ cruciaverunt eos, et subaudiendum est, quia occidendo illos magno, ut ipsi putant, cruciatu liberaverunt semetipsos. In promptu esset de gestis vel præliis sanctorum proferre exempla, et demonstrare ubi vel quando truces homicidæ prostratis legionibus martyrum gavisi et jucundati fuerint, imo et in medio funerum discumbentes, profusis conviviis, epulati fuerint, tanquam de maximis hostibus ingentes triumphos consecuti. Sed unum de Domino ipsorum qui crucifixus est exemplum sufficit. Cum enim crucifixissent illum, ita gavisi sunt et jucundati, ut moventes capita sua dicerent : « Vah! qui destruis templum Dei et in triduo illud reædificas (*Matth.* XXVII). » Præterea, quasi munus sibi miserunt invicem, ducentes illum ad Annam primum, deinde ad Caipham, deinde ad Pilatum, deinde ad Herodem, deinde rursus ad Pilatum. Ita quasi spectaculi munus miserunt invicem, et huic muneri suo gratiam impiam habuerunt. Denique Annas honorem sibi fieri arbitratus est quod ad se duceretur primum, quia erat socer Caiphæ (*Luc.* XXIII). Pilatus autem et Herodes amici facti sunt in ipsa die, nam antea inimici erant ad invicem. Adeo gaudebant et jucundabantur, tanquam immenso liberati cruciatu, quia videlicet sicut nunc dictum est, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui inhabitant super terram, sic multo vehementius ipse Dominus prophetarum cruciaverat eos, adeo ut gravis esset illis etiam ad videndum. Pro eo quod ipsi erant inhabitantes terram, id est, non minus corde quam corpore terræ sive terrenis cupiditatibus inhærebant, iste autem cœlestia loquebatur et terrenam illorum reprehendebat avaritiam. Verumtamen quod de testibus istis dicitur, et corpora eorum non sinent poni in monumentis, hoc in illum dominum ipsorum, qui crucifixus est illi facere non sunt permissi. Providerat enim illi Spiritus sanctus sacræ ac mysticæ legis per præceptum hujusmodi : « Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno (*Deut.* XXI). » In qua sententia notandum quod maledictum, non pœna facit sed culpa, cum sic præmittit, et diligenter determinat, « quando peccaverit homo quod morte plectendum est, » demumque subjungit, **437** « et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo. » At illi eum qui non habebat culpam arbitratu quidem suo maledictum esse voluerunt propter pœnam. Verumtamen sicut jam dictum est auctoritate legis suffragante, non licuit eis prohibere sepulturam, atque ita et in hoc nescientes saluti nostræ deservierunt, ut cujus anima descenderat ad inferos, cunctas per potentiam insitæ sibi divinitatis liberatura electorum animas, ejus corpus non prohibita sibi sepultura poneretur in terra, daturum corporibus mortuorum ut de sepulcris suis exsiliant in resurrectione futura. Notandum tandem quod sic tempora circumscribit, ut dicat, tribus diebus et dimidio videbunt corpora eorum, rursumque : « Et post tres dies et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos et steterunt super pedes suos. » Quantum enim temporis supra significaverat, dicendo : « Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. » Itemque : « Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, » tantumdem significat, dicendo, « nunc tribus diebus et dimidio. » Itemque : « Et post dies tres et dimidium. » Tempus ergo, et tempora, et dimidium temporis, id est annos tres et semissem, tres dies ac dimidium hic appellat. Cur hoc? Cur dum prophetarent testes isti, tempus prophetiæ illorum diebus mille ducentis sexaginta, id est, tribus annis et dimidio præfinitum est, postquam autem prophetaverunt, postquam bestia occidit corpora, post hæc non habitura quid faciat, pro tribus annis et dimidio, tres dies et dimidium dicere vel scribere complacitum est? (*Joan.* XXI). Nimirum quia sanctis Dei testibus in agone permolesto pro veritate certantibus, dum instat, dum præsens est angustiæ tempus, dum quo nolunt, ducuntur sensui fragilissimæ carnis longum videtur, postquam autem abierit tempus illud, « ut jam ultra non sit mors, neque luctus, neque clamor, neque dolor, quæ prima abierunt (*Apoc.* XXI), » tunc demum positis in æternitate beata, respicientibus post tergum, breve videbitur fuisse quod pertulerunt, et tunc perpendent quam vere Apostolus dixerit : « Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). » Ait ergo : « Et post dies tres, et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos, » id est post breve tempus, quamvis multum videatur, futurum est, et reduces spiritus in jussu omnipotentis revertantur in artus proprios, et resurgant qui mortui in sepulcris jacuerant, vel etiam insepulti projecti fuerant. Mutata sunt tempora verborum, cum hactenus de futuro fieri enuntiatio, et civitatem sanctam calcabunt, et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt, et jacebunt in plateis corpora eorum, et videbunt de populis, et gaudebunt, nunc autem præterito tempore sic dicitur, « spiritus vitæ a Deo intravit in eos, et steterunt. » Nimirum hoc indicio mutata esse persona significatur, quia videlicet ab eo quod supradictum est, « atrium autem quod est foris templum ejice foras, et ne me-

tiaris, quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt ; hæc et cætera usque ad hunc locum, verba sunt ejus personæ quæ calamum dedit, hic autem persona Joannis rursum loqui incipit eodem tempore verborum, scilicet præterito, quo loquebatur superius, quod non inusitatum constat esse sermonibus propheticis. Sæpius namque dum futura prænuntiant verbis utuntur præteriti temporis. « Et steterunt, inquit, super pedes suos. » Subauditur in magna constantia. Hoc enim innuit illud quod additum est,« super pedes suos. » — « Tunc » etenim, ut Sapientia dicit, « stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores illorum. Videntes turbabuntur timore horribili (*Sap.* v). » De quo timore malorum, simulque de illo statu sanctorum hic protinus subditur : « Et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem illis : Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici illorum. » Hoc nimirum viderunt, imo visuri sunt inimici eorum, quia vocem audient magnam dicentis : « Ascendite huc,» dicentis : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* xxv). » — « Tunc, inquit Apostolus, rapiemur in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus (*I Thes.* iv). » Hoc est quod « videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementesque præ angustia spiritus, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est (*Sap.* v). »

« Et in illa hora factus est terræ motus magnus, et decima pars civitatis cecidit et occisi sunt in terræ motu nomina hominum septem millia. Et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. » Nihil verius quam quod in illa hora, quando resurgent mortui, fiet terræ motus magnus, ut evigilent omnes, cum tali tanquam profundo somno sopiantur. Porro, quod supra civitatem magnam dixit, quam et spiritualiter Sodomam et Ægyptum vocari asseruit, id nunc non civitatem, sed decimam appellat partem civitatis, quam et cecidisse, vel casuram esse dixit. Et revera quæ dicitur civitas diaboli, non civitas est, sed ruinæ sunt magnæ et sanctæ civitatis Jerusalem cœlestis, cujus novem sunt angelorum ordines, et idcirco qui inde ceciderunt, et homines, qui de illorum sorte sunt, recte dicuntur « decima pars,» ruinosa pars ejusdem « civitatis.» Utrique ceciderunt, id est, cadent, videlicet in infernum, cum diabolo et angelis ejus, et homines sequaces ejus : idcirco non fuit contentus dixisse, « et decima pars civitatis cecidit,» sed addidit, « et occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia.» Nam septem millia hominum, idem est ac si diceret universitas hominum impiorum.

A Maluit tamen dicere « nomina hominum » quam simpliciter homines, per quod intelligimus nominatos in hoc sæculo, et inclytos homines, videlicet de qualibus in Psalmo scriptum est : « Tabernacula eorum in progenie, et progenie vocaverunt nomina sua in terris suis (*Psal.* xlviii).» Et in Isaia : « Propter hoc dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes ejus, et populus ejus, et sublimes ejus, gloriosique ejus ad eum (*Isa.* v). Quomodo cecidit vel casura est illa decima pars civitatis, et hominum nomina quomodo occidenda sunt in illa hora terræ motus tam magni? Nimirum eodem, qui dicet testibus suis : « Ascendite huc, » id est, « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum ; » eodem, inquam, Domino dicente :
B « Cadite illuc, » id est, « Discedite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv), » cadent et ibunt in supplicium æternum. « Et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. » Qui sunt vel inerunt reliqui, nisi omnes electi qui stabunt a dextris? Nunquid autem isti timebunt vel timore mittentur, quando diabolus, videntibus cunctis, præcipitabitur ? Timebunt plane, quia sic ad beatum Job Domino loquente audivimus vel legimus : « Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur (*Job.* xli).» **438** Tanto quippe pondere terroris excutientur, ut sanctorum etiam prædicatorum, quos angelos Scriptura nominare consuevit, fortitudo turbetur. Erit autem in eis aliquo modo tremor lætus, et timor securus, quia et cœlesti regno se remunerari certi erunt, et pro carnis infirmitate contremiscent per
C tanti turbinis metum. « Et dederunt, inquit, gloriam Deo cœli.» Videlicet admirantes virtutem Fortissimi, qui tam fortem tamque superbum tam fortiter præcipitabit. Tali modo decima pars supernæ civitatis, quæ dudum de cœlo cecidit, remanentibus novem, ut jam dictum est, angelorum ordinibus, tunc de terra quoque et de aere isto (in quo hactenus nequiter vagantur illi magni spiritus) cadet et præcipitabitur, quam videlicet partem Apostolus vocat « spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* vi), » et homines impii simul mittentur. « Væ secundum abiit, ecce væ tertium veniet cito. » Hoc illi loco superiori jungitur (*Apoc.* ix), ubi præmissio, « væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ, » continuo sequitur, quia « angelus sextus tuba cecinit. » Et plaga
D magna subscribitur, solutis quatuor angelis, a quibus occisa est tertia pars hominum tribus plagis, scilicet plaga ignis, plaga fumi et plaga sulphuris. Siquidem ea quæ hoc sequenti libello tractata sunt ab eo loco quo sic cœpit : « Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo (*Apoc.* x), » usque ad præsentem locum quo nunc dicit, « væ secundum abiit, et ecce væ tertium veniet cito, » neque ad illum secundum, neque ad istud tertium væ, sed ad laudem pertinet Christi, et magnificentiam gloriæ ejus et misericordiæ, qui illud ultimum væ, ne electis ejus imparatis ex improviso superveniret, per semetipsum venire et illud prænuntiare dignatus est.

quod sit Babylon magna, magnificando fornicationes suas; quomodo ipsum in propatulo scriptum dicitur, vel est mysterium? Sic enim ait: « Et in fronte ejus scriptum mysterium? » Ergo vel ironice dictum, vel idcirco, quia omnem fornicationis actum, in quo meretrix ista gloriatur, ipsa natura vult esse mysterium, id est secretum; et licet meretricia procacitas prædicet, naturalis tamen pudor contendit fieri occultum. Hæc, ut jam supra dictum est, prima demonstrandæ damnationis causa est. Sequitur causam edicens aliam: « Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. » Viderat jamjam meretricis hujus habitum ejusmodi; qui, etsi solus esset, ad damnationem ejus sufficere poterat. At illa non contenta, talem se esse, qualem præmissa descriptio denotat, adjecit hoc aliud malum, ut sanguinem funderet sanctorum, eo quod videret illos non esse consentientes immunditiis fornicationum suarum. Recte igitur repetitum visionis verbum interposuit dicendo, « et vidi, » quia non quidem aliam mulierem sive meretricem, sed ejusdem aliam iniquitatem vidit. Notandum præterea, quia distinctionem fecit sanctorum et martyrum Jesu, dicendo: « De sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu; » illos proprie nuncupans martyres Jesu, **480** quos eadem meretrix occidit pro confessione nominis Jesu post adventum ipsius. Cum ergo dicit, « de sanguine sanctorum, » subaudiendum est, prophetarum et aliorum qui occisi fuerunt propter testamentum Dei antequam in carne venisset Christus Jesus; et cum subjungit, « et de sanguine martyrum Jesu, » illi manifeste designantur, qui, ut jam dictum est, interfecti sunt pro testimonio vel confessione nominis hujus, quod est Jesus. Proinde constat, quia prima et præcipua meretricis hujus portio gens Israelitica exstitit, quæ sanctos prophetas occidit. Unde et merito nomina sortitur muliebria et fornicata fuisse convincitur cum regibus, de qualibus hic in damnatione meretricis hujus supra scriptum est, cum qua fornicati sunt reges terræ. Ait enim Dominus per prophetam: « Fili hominis, duæ mulieres, filiæ matris unius fuerunt, et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt. Ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum. Nomina earum Oolla major sive senior, et Ooliba soror ejus, et habui eas, sive factæ sunt mihi, et pepererunt filios et filias. Et nomina earum Samaria Oolla, Jerusalem Ooliba. Fornicata est igitur Oolla super me, et insanivit, sive abiit ad amatores suos in Assyrios, qui appropinquabant ei, vestitos hyacinthinis principes et magistratus, juvenes cupidinis sive electos universos, equites ascensores equorum, et dedit fornicationes suas super eos, electos filios Assyriorum universos, et omnium super quos insanivit, immunditiis sive adinventionibus suis polluta est, insuper et fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit. Nam et illi dormierant cum ea in adolescentia ejus, et

A confregerant ubera pubertatis illius, sive et ipsi devirginaverant eam, et effuderant fornicationem suam super illam (*Ezech.* XXIII). » Adeo carnalis Israel a nomine vel corpore meretricis hujus, quæ hic dicitur Babylon, non excipitur, ut taliter cum divina auctoritate cum mulieribus et meretriciis, denotetur nominibus et femineis arguatur insaniisse libidinibus. « Nam nomina, inquit, earum Samaria Oolla, et Jerusalem Ooliba. » Quod quam recte dicatur, facile advertis, si recolas, quia mulier Jezabel in Samaria et filia ejus Athalia insanivit in Jerusalem, agendo ut Israel et Judas fornicarentur cum Baal, et occidendo sanctos prophetas. Igitur mulier ebria de sanguine sanctorum gens quoque Israelitica est, sicut et cæteræ, imo plus quam B cæteræ gentes quia fudit sanguinem sanctorum, imo quia fudit sanguinem Christi sancti sanctorum, et inde ebria est, quia non intelligit neque videt, et ratio vel sensus veritatis illi non est, imo cunctis errorum retibus præ ebrietate illaqueata, est, completa prophetia, quæ divinæ concedendo justitiæ, cum præmisisset: « Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto, » continuo subjunxit: « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva (*Psal.* LXVIII). » — « Martyrum quoque Jesu, » id est eorum qui receperunt sive perhibuerunt testimonium Jesu, credendo Evangelio ejus, sanguinem prior ipsa fudit, quia Stephanum protomartyrem ipsa lapidavit (*Act.* VII), et Jacobum fra-C trem Joannis ad placitum ejus Herodes gladio occidit (*Act.* XII), cæterosque tunc temporis testes Jesu flagellavit in synagogis suis, et de civitate in civitatem persecuta est (*Act.* XIV). Hæc idcirco dicta sint, ut non dubium sit, aut excusari carnalis Judaismus possit, quin illius Babylonis magnæ civitatis, imo, sicut hic scriptum est, magnæ meretricis, « cujus prima fundamenta posuit Cain, qui justum fratrem suum occidit, prima vel præcipua portio sit. Sequitur.

« Et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna. » Admiratio hæc cordis imperfecti est: Neque enim cor perfectum purpuram, coccinumque, aurum, lapidesque pretiosos et margaritas meretricis multum admiratur aut magnipendit. Num ergo Joannes iste cordis erat im-D perfecti? Non utique sed imperfectorum formam in semetipso gerit. Sic magnus et sanctus propheta David non suo sensu, sed in eorum persona, qui sunt cordis imperfecti, talem, qualis ista est, admirationem exprimit, cum dicit: Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns (*Psal.* LXXII). » Nimirum hæc et cætera quæ sequuntur non suo, sed aliorum, qui adhuc infirmantur sensu dicit, qui adhuc tentantur et suspirant vanitates sæculi, videntes se tota post die flagellari, peccatores autem prosperari, et pacem habere in voluptatibus suis. Nam suo sensu præmiserat: « Quam

bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! (*Psal.* LXII). » Ita ergo, et Joannes iste in persona eorum, qui adhuc infirmo corde nitorem magnæ meretricis respexerunt cum ipsi tribularentur, magna sese admiratione admiratum fuisse testatur, quia vere suo sensu nequaquam talia mirari dignaretur. Porro electis Dei quicunque meretricem illam per infirmitatem admirantur, sive admirati sunt, consolatio non defuit aut deesse poterit Spiritus sancti suggerentis eis, quod non debuerint aut debeant super ea admirari, quodque illa nihil dignum habeat, quod quasi pro felicitate admirandum sit. Sequitur ergo:

« Et dixit mihi angelus : Quare miraris? Ego dicam sacramentum mulieris et bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua decem. Bestia, quam vidisti, fuit et non est, et ascensura est de abysso, et interitum ibit. Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ a constitutione mundi, videntes bestiam, quæ erat et non est. » Hic sermo angeli non dignam admirationem redarguentis, forma est universæ veritatis, quæ nos in sancis instruit Scripturis, non debere nos attendere ea « quæ videntur, sed quæ non videntur ; quia, quæ videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna sunt (*II Cor.* IV). » Exempli gratia, cum dicit : « Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem ; quoniam tanquam fenum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident (*Psal.* XXXVI), » etc. Ait ergo :« Quare miraris ? » ac si dicat : Tu, qui æterna cognoscis et æterna speras, quare zelaris, quare moventur pedes tui videndo talem, id est non veram, sed phantasticam pulchritudinem meretricis ? Simulque ut supra præmiserat, dicens : « Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, » ingreditur ad consolandum eos, de quorum sanguine illa sese inebriare non desinit et dicit : « Ego tibi dicam sacramentum mulieris, et bestiæ, quæ portat eam. » Sacramentum hoc, id est secretum malum illius est, quod nunc ab oculis ejus absconditum est, dum in purpura, et coccino, auroque et lapidibus pretiosis et margaritis nitet atque fulget. Neque nunc interim credit, aut scire vult, quod mali quidpiam sibi evenire possit, sed dicit : « Sedeo regina, et vidua non sum, et ignorabo sterilitatem (*Isa.* XLVII). » Sacramentum ergo, id est secretum, est quod illi futurum est, damnationis judicium et hoc idcirco sanctis et prophetis revelatur, quorum nunc Joannes typum gerit, ut consolentur in Deo, nec moveantur pedes eorum aut zelentur pacem ut, jam dictum est, peccatorum videndo, unde et hoc non præterendum ; quia tunc maxime cœpit ejusdem **481** mulieris sive bestiæ damnatio revelari, quando in captivitatem Babylonicam ductus est populus Dei, ut non moverentur a spe sua cives tardantis regni Dei, videntes properantem et quasi matutinam gloriam regni hujus mundi, sub quo tenebantur captivi. Tunc enim Daniel hujusmodi visiones rerumque imagines vidit, quemadmodum inter cætera dicit : Et vidi quoniam interfecta esset bestia, et periisset corpus ejus, et tradita esset igni ad comburendum (*Dan.* VII). » Aliter quoque « sacramentum mulieris et bestiæ quæ portat eam, » significatio ejus potest intelligi, ut quod ait : « Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem et cornua decem, » idem sit ac si dicat : Ego tibi dicam quid significent bestiæ capita septem et cornua decem. Sequitur enim : « Bestia quam vidisti, fuit et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit. » Magnifice consolentur captivi filii Sion, quantumcunque tyrannizet captivando illos crudelis et bestialis Babylon, quia « bestia quam vidisti, inquit, fuit et non est. » At vero Deus in quo vos spem vestram posuistis, o captivi et peregrini, « erat, et est, et venturus est. » Sic enim pro hac eadem intentione in initio libri hujus dictum est : « Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est. » Consolemini igitur, quia qui pro vobis est Deus, semper est ; quæ autem contra vos est bestia, fuit et non est. Non enim semper est, sed omne quod agit, quod valet aut potest, transitorium est. Ipsa esse desinit, Dominus autem in æternum permanet. « Et ascensura est, inquit, de abysso, et in interitum ibit. » Quod idem est ac si dicat : Crudelitatis suæ potentiam, quæ fuit et non est, resuscitabit in Antichristo ; sed cum ad modicum sævierit, in interitum ibit ; « quia Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui (*II Thess.* II). » Et nunc quidem hoc tantum veraciter dictum sit quia fuit et non est ; tunc autem dicetur, quia fuit quidem bestia hæc, et jam non est, nec erit. « Et mirabuntur, ait, inhabitantes terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ a constitutione mundi. » Quid mirabuntur illi ? Nimirum illud quod ego te nolo mirari, arguens te et dicens : « quare miraris ? » Mirentur illi qui cœlum non aspiciunt, sed terram sicut corpore, ita et mente inhabitant. « Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ, » id est, quos Deus ad vitam non prædestinavit a constitutione mundi, videlicet quando Deus mundum sive genus humanum constituit, quando creatis hominibus primis benedixit eis, et dixit : « Crescite et multiplicamini. » Quos tunc Deus in libro suo non scripsit, quos tunc illa benedictione sua nasci non jussit vel quia ad illam non pertinent benedictionem Creatoris, illi mirabuntur, ut hactenus mirati sunt, bestiam hujusmodi. Quinam sunt illi ? Nimirum omnes quorum causa ut nascerentur peccatum exstitit primæ prævaricationis, quia propter illud nati sunt illi omnes superflui, dicente ad mulierem Deo : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos (*Gen.* III). » Illi mirabuntur et semper mirati sunt magnitudinem bestiæ, sive pulchritudinem meretricis, purpuram ejus, coccinum ejus, aurum ejus, pretiosos lapides ejus, margaritas ejus. « Videntes bestiam quæ erat, et non est. » In hoc jam stultitiæ arguuntur illi imi-

tatores dum dicitur, « quæ erat et non est. » Econtra, tu illum mirare et mirabilem prædica, « qui erat, et qui est, et qui venturus est. »

« Et hic est sensus, qui habet sapientiam. » Ac si dicat : In his quæ vidisti et quæ dico, sensus et utilitas latet, et ille sentit qui habet sapientiam, id est, qui in Scripturis sanctis exercitatus est. « Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt. » Hoc superius jam diximus, quia septem capita septem sunt regna mundi novissima, quorum unumquodque suo tempore, sicut sacræ testantur Scripturæ, contra regnum Dei stetit, civesque ejus in hoc mundo peregrinantes, variis tribulationibus pressit. Primum enim Ægyptiorum regnum filios Israel afflixit (*Exod.* I) ; secundum regnum Israelitarum justos homines (*Exod.* V) et prophetas Domini Jezabel incipiente, occidit (*III Reg.* XIX) ; tertium regnum Babyloniorum, Jerusalem igne succendit, et populum ejus captivavit, et tres pueros misit in caminum ignis (*Daniel.* III) ; quartum regnum Persarum et Medorum, instigante Aman superbissimo, universum genus Judæorum propter Mardochæum pene delevit (*Esther.* V); quintum regnum Macedonum, per Antiochum Epiphanem, populum eumdem crudeliter afflixit; sub quo et Machabæi fratres, mirando sunt martyrio coronati (*I Machab.* I) ; sextum regnum Romanorum, orbem terrarum Christianorum sanguine implevit (*II Machab.* III); septimum regnum Antichristi tanta tribulatione fideles tribulabit, ut si fieri potest in errorem inducantur etiam electi (*Matth.* XXIV). « Isti sunt septem montes, » id est septem regna. Denique regna hæc propter superbiam ipsorum, qua in altum contra Deum tumuerunt, montes appellavit. Unde cum dixisset, « septem capita septem montes sunt, » exponens quid dixerit, addidit : « et reges septem sunt. » Reges enim pro regnis æquipollenter posuit, imo magis proprie, quia non tam regna vel spatia terrarum quam reges in crimine sunt, ut bestiæ capita dicantur et sint. Et quamvis multi in singulis regnis per successiones regnaverint, pulchre tamen quot regna sunt, tot reges posuit, quia non tam personas regnantes quam regias potestates numerari præsens causa flagitat. Sequitur ergo : « Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit. » Etenim quando hæc vidit Joannes, illa mundi ætate jam et Ægyptius rex qui filius Israel oppressit, ét Israeliticus rex Achas sive Jezabel, quæ vel cujus posteritas prophetas occidit, et Babylonius rex, qui populum Dei captivavit, et Persicus rex, imo qui illum instigavit Aman hostis Judæorum, et Antiochus de regno Græcorum, qui tanta tamque nefanda gessit in illum Dei populum isti quinque ceciderant, in inferno sepulti fuerant. Notandum quippe quia super singulos istorum talia cœlitus judicia facta sunt, ut si consideres singulorum eventum, fateri non dubites proprie dictum esse, quia ceciderunt. Denique rex Ægyptius cum curribus et equitibus suis in mare cecidit (*Exod.* XIV) ;

A sanguinem Achab linxerunt canes et comederunt Jezabel (*IV Reg.* IX) ; Nabuchodonosor de regno ejectus fenum ut bos comedit (*Daniel.* IV) ; Aman in patibulum suspensus est (*Esther.* VII), Antiochus computrescens impiam miserabili obitu vitam finivit (*I Mach.* VI).

Quinque ergo jam ceciderant, et unus est, inquit. Quis ille unus ? Nimirum rex sive imperator Romanus, qui tunc erat et in Christianos sæviebat, quando hæc dicebantur. Jam quidem Nero dedecorosus turpiter perierat, sed persecutio quam primus in Christianos edixerat, tunc in Romano principatu vigebat. Quamvis multi fuerint ejusdem imperii principes Christianorum persecutores, tamen pro uno, sicut jam dictum est, regno universitas illorum
B rex unus, est. « Et alius, inquit, nondum venit. » Nimirum qui Antichristus erit. Unus ille, quem tunc esse dixit, et alius quem nondum venisse asserit, adduntur illi quinque qui ceciderunt, et septem fiunt. Cum dixisset, « et alius nondum venit, » continuo subjunxit : « Et cum venerit, oportet illum breve tempus manere. » Quare breve et non longum tempus oportet eum manere ? **482** videlicet propter electos. « Erunt enim, inquit Dominus, dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus usque nunc, neque fient. Et nisi breviasset Dominus dies, non fieret salva omnis caro. Sed propter electos quos elegit, breviavit dies (*Matth.* XXIV). » Ergo « cum venerit, oportet quidem illum manere, sed tempus breve. »
C Hic quia superbi et infirmi sumus, misericordia Domini cum socia veritate et terret nos de magnitudine adversitatis, et refovet de brevitate temporis, Sequitur : « Et bestia quæ erat, et non est, et ipsa octava est, et de septem est, et in interitum vadet. » Hoc loco bestiam, unum bestiæ caput intelligi oportet, quod videlicet caput Antichristus est. « Hæc, inquit, bestia et octava est, et de septem est. » Quod idem est ac si diceret : Antichristus unum idemque bestiæ caput, et octavum et septimum est. Quod nimirum stare vel intelligi non posset, nisi constaret, quia in uno eodemque Antichristo duo quædam sunt pariter. Etenim ille filius perditionis simul et homo et diabolus est. Itaque si solum quod exterius videtur in Antichristo attendas, de septem est ; quia de genere vel natura cæterorum regum vel impio-
D rum hominum est. Si autem ad id respicias quod intrinsecus latet, octavum caput est, quia diabolus est, qui antequam ingrediatur habitaculum illius perditi hominis, in cœlo semetipsum adversus Deum erexit et nunc usque invisibiliter superbit. Nihilominus tamen « et in interitum, inquit, vadet ; » quia tam facile est Deo mittere in interitum hominem simul et diabolum quam hominem simplicem vel solum, ut veraciter dicatur de utroque, quia fuit et non est, Deus autem semper est. Sequitur :

« Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum non acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora post bestiam accipient. » De

hoc jam superius dictum est, quia septem quidem regna sunt notissima de sanctarum serie Scripturarum, quæ contra sanctos Altissimi inimicitias exercuerunt ;sed eorumdem regnorum decem reges sunt, quia videlicet unum ex illis regnum Macedonum post mortem Alexandri in quatuor successores ejus,per quatuor ventos cœli divisum fuit qui singuli diademata sibi imposuerunt atque hoc modo decem reges facti sunt (*Dan.* VIII). Idcirco autem superius dixit, « et reges septem sunt,»et nunc dicit, « decem reges sunt,» quia tres ex illis successoribus Alexandri nihil fecisse leguntur adversus populum Dei,sed solus ille quartus qui Syriam tenuit. Ergo numero quidem decem, sed pro actu qui ad præsentem causam pertinet, id est, pro persecutione martyrum, tantummodo septem sunt· Cum autem paulo ante dixerit,» quinque ceciderunt, et unus est,quomodo nunc dicit,« qui regnum nondum acceperunt ? » Videlicet mira irrisione,tanquam dicat: Regnare quidem visi sunt,et regium fastum nomenque sibi usurpaverunt, sed veraciter nunquam regnaverunt. Neque enim regnum illorum vere est regnum,sed solius Domini est regnum (*Psal.* XXI ; (*Psal.* CI).Hoc ad illud spectat quod superius arguendo dixit : « Quare miraris?» Nam vere reges hujusmodi non mirandi, sed miseri sunt judicandi, qui ut regnarent tot homicidia fecerunt,namque ceciderunt et mortui sunt,et regnum nondum acceperunt.Sed quid? « Potestatem,inquit,tanquam reges una hora accipient post bestiam.» Non vere regnum sed quasi reges quamdam potestatem accipient,et hoc una hora post bestiam,ac si dicat : Extollentiam illorum nequaquam regnum voces aut vocari debere putes. Regnum namque diuturnitatem potestatis sonat;at illi non diuturnam potestatem,sed una hora potestatem acceperunt,sive accipient.Nam idcirco tempore futuro « accipient » dixitquia cum Antichristus venerit eorumdem regnum qui jam occiderunt vires sive regna ad persecutionem sanctorum reparabit. Quam autem vel qualem potestatem accipient breviter insinuat cum dicit: « post bestiam. » Idem namque est ac si dicat:Ad effundendum sanguinem sanctorum, quia potestas bestiæ non vere est ad regnandum,sed ad insaniendum,ad sanguinem effundendum.Pulchre igitur et vere dictum,quia regnum nondum acceperunt. Sequitur :

« Hi unum consilium habent, et virtutem, et potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum Agno pugnabunt,et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt electi,et vocati, et fideles. » Unum, inquit, consilium habent hi,subauditur,cum Antichristus venerit,et breve tempus manserit :omnes enim conspirabunt ad consensum illius filii perditionis. Quid illi reges ante adventum ejusdem Antichristi?nonne jam unum consilium cum venturo illo habuerunt ? nonne eamdem intentionem ? nonne eamdem voluntatem ? Denique quo consilio, qua intentione, qua voluntate ille sanctos persequetur cum venerit, eadem et rex Ægypti,et cæteri de quibus jam dictum est,suis quippe temporibus afflixerunt populum Dei, videlicet in nullus memor existeret unius et veri Dei, et laborabat in eis et per eos diabolus irritam facere fidem promissionis,scilicet seminis quod est Christus,quem patribus Deus repromisit. Hoc fuit antiquum serpentis illius consilium,quando primum decepit hominem, videlicet ut nullus salvaretur hominum, et eodem consilio cunctos istos armavit, quos jam sæpe diximus Ægyptios,carnales Israelitas,Babylonios, Persas sive Medos, Macedones, sive reges Antiochos,Cæsares Romanos, tandemque caput ejusdem consilii suscitabit in illo sæpe dicto homine peccati Antichristo. Vere ergo unum consilium habent hi. « Et virtutem inquit, et potestatem suam bestiæ tradent.» Quod idem est ac si dicat:Illi quod intenderunt perficere non potuerunt aut poterunt,diabolus autem cui deserviunt,virtutis potestatis illorum hæredem faciet illum proprium hominem suum Antichristum,quasi id quod per illos adimplere non valuit,saltem efficere possit per istum egregium.Sed quid? « Hi cum Agno pugnabunt, ait, et Agnus vincet illos.» Omnes jamdudum victi sunt suis quique temporibus,et adhuc in uno Antichristo simul omnes vincentur. Et pulchre cum dicere posset,hi cum Christo pugnabunt, et Christus vincet illos ; maluit dicere,« hi cum Agno pugnabunt,et Agnus vincet illos ; » quia nimirum primus illorum, scilicet Ægyptius rex,per immolationem agni victus est,ut filios Israel dimitteret, eosque persequens in mari Rubro mersus est (*Exod.* XII). Quamvis igitur futuro tempore dicat: « Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : » nihilominus et de præterito ante istum Joannem tempore intelligendum est,quia cum Agno pugnaverunt,et Agnus vicit illos.Joannes namque hic omnium illorum typum gerit,qui ab antiquo ex quo populus Dei cœpit affligi sub regnis supra dictis, meruerunt divinitus consolari. Hoc mirabile imo laudabile et verum est,quia antequam Agnus iste in hunc mundum venisset,hi cum Agno pugnaverunt, et ipse vicit eos. Unde satis eleganter in propheta jubetur vocari nomen ejus, velociter spolia detrahe, cito prædare, sive « accelera spolia detrahere, festina prædari (*Isa.* VIII). » Quare ? « Quia, inquit, antequam sciat puer vocare **483** patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ coram rege Assyriorum (*ibid.*).» Quod idem est ac si diceret : Puer iste qui salvator est,antequam nascendo veniat in hunc mundum,sciens sive expertus matrem utique virginem et Joseph patrem optimum, ipse liberabit Israel de manu inimicorum suorum.Mira acceleratio, miranda festinatio,ut nondum natus puer ipse promissionem suæ nativitatis habentem sive exspectantem populum liberet. Hoc tamen ita verum est, ut qui istud non credit, fidelis non sit. Oportet enim credere, quia priusquam nasceretur iste puer ex matre,Deus omnipotens erat cum Patre.Unde cum dixisset : «Et Agnus vincet illos, » continuo sub-

junxit : « Quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum. » Nonne, antequam nasceretur, Babylonios quoque et Persas, sive Medos atque Macedones, qui contra se, id est, contra suos sui venturi fidem habentes pugnaverunt, eosque captivos tenuerunt, iste vicit? Quid enim aliud Nabuchodonosor regi sive prophetæ Danieli demonstratur, quando lapis abscissus sine manibus percussit statuam grandem, et contrita sunt pariter aurum, argentum, æs et ferrum? (*Dan.* II.) Quid, inquam, nisi quia Christus, qui est, ut dicitur, Agnus, priusquam nasceretur, miranda, sicut jam dictum est, festinatione vincere festinabat, suosque electos sub illis regnis captivos supra id quod poterant sustinere, tentari non sinebat? Qui enim postquam de virgine natus est, ferrum quod erat Romanum imperium, evangelicæ prædicationis verbo tandem vicit et fregit, ipse priusquam nasceretur, aurum, argentum, id est regna magna et fortia, Babylonicum, Persicum et Macedonicum contrivit, præeunte verbo propheticæ veritatis : exempli gratia. De Antiocho Epiphane Daniel prædixerat : « Et sine manu conteretur et ita factum est (*Dan.* VIII : *II Machab.* VI). » Divinitus quippe percussus invisibili et insanabili plaga computruit, miseramque vitam misere, ut dignus erat, finivit. Igitur et « Agnus, inquit, vincet illos, » quippe qui et priusquam nasceretur, vicit, primos. Unde non dubitatur, quin vincat et residuos. Victoriæ ejus participes sunt sancti sive electi ejus: ipsis enim laborantibus, adjuvando vincit Agnus. Idcirco addidit : Et qui cum illo sunt electi et vocati, et fideles.» Isti denique pugnant et vincunt, sed victoriam Agno attribuunt, sine quo sese nequaquam vincere potuisse aut posse sciunt. Unde unus illorum cum dixisset : « Quia plus laboravi, » continuo subjunxit : « Non autem ego, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV). « Electi, et vocati et fideles, » ipsi sunt, de quibus Apostolus dicit : « Quos autem prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, illos et justificavit, quos autem justificavit, illos et magnificavit (*Rom.* VIII).» Denique quos prædestinavit, ipsi hoc loco dicuntur electi. Prædestinari namque eligi sive præeligi est. Item « quos vocavit, » ipsi hoc loco dicuntur vocati. Et « quos justificavit, » ipsi hoc loco dicuntur fideles, quia videlicet electorum sive prædestinatorum atque vocatorum justitia vel justificatio fides est. Unde idem Apostolus post multa veritatis argumenta dicit : « Justificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum (*Rom.* V).» Item « quos magnificavit, » ipsi hoc loco pugnare et vincere dicuntur cum Agno. Talem namque bestiam vicisse, vera magnificentia est. Sequitur : « Aquas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt et gentes, et linguæ. » Merito aquarum nomine designantur populi et gentes, super quas meretrix sedet ; quia nimirum pro hoc ipso quod eis domina talis præsidet, fluxæ sunt et instabiles. Cum autem dicit, « populi et gentes : » proculdubio non excipiuntur Israeliticæ tribus de quibus

A Balaam ariolus loquitur : « Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur (*Num.* XXV). » Ergo populorum nomine hoc loco carnales tribus Israel, gentium vero vocabulo cæteræ designantur nationes. Quis enim super Israel quoque, id est Judaicum populum, meretricem istam sedere aut sedisse dubitet? Ipsi namque maxime cum cupiditate mundi fornicati sunt, quippe qui fornicationem ipsorum redarguentes sanctos et prophetas occiderunt. Aquæ igitur et ipsi sunt, suo videlicet vitio, sicut propheta dicit : « Audite hæc, domus Jacob, qui vocamini, et de aquis Juda existis (*Isa.* XLVIII), » id est, qui tantum carnis, et non fidei filii estis (*Rom.* X), cum dixisset : « Populi sunt et gentes, » ad quid addidit, « et linguæ? » Hoc enim necessario consequeretur, etiamsi non

B dixisset : Quia linguis non loquuntur, nisi « populi et gentes.» Cur ergo addidit, dicens, « et linguæ? » Nisi forte ut ad memoriam nobis revocet quod ut dividerentur et multiplices fierent linguæ, superbia commeruit meretricis hujus magnæ in ipso jam pueritiæ sive petulantis adolescentiæ ejus tempore. Cum enim construeretur turris Babel per superbiam hominum in cœlum ascendere volentium, a cujus nomine nunc hæc ipsa meretrix dicitur Babylon, videns hoc Deus confudit linguam eorum, et inde divisi, ab invicem recesserunt (*Gen* VI). Itaque non frustra cum dixisset, « aquæ super quas meretrix sedet populi sunt et gentes, » addidit, « et linguæ; » ut nec illud prætermitteret quod divisiones quoque linguarum damnum vel plagam nobis superbia meretricis hujus intulit. Sequitur :

C « Et decem cornua, quæ vidisti, et bestia [in bestia], hi odient fornicariam, et desolatam facient illam et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt.» Mira assertio mira et vehemens impiorum detestatio. Quomodo reges, qui per cornua designantur, fornicariam suam odisse dicuntur, cum qua ipsi fornicantur? Ipsi namque et non alii sunt reges, de quibus supra cum dixisset : « Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, » addidit : « cum qua fornicati sunt reges terræ, » ipsi ergo, qui cum illa fornicantur, illam odisse, et desolatam nudamque facere, et carnem ejus manducare, et ipsam igni concremare dicuntur. Mirum hoc, attamen verum est.

Quis enim nesciat de regibus mundi quantis odiis
D semper fuerint inquieti? Et cui sua inquietudine fuerunt infesti, nisi ipsi cupiditati vel gloriæ mundi, cum qua utique fornicati sunt, præferendo illam suo Creatori? Instrumenta fornicationis eorum, pulchritudines civitatum, et locupletum multitudines gentium, quibus imperabant, exstiterunt, cæteraque talia, quæcunque in mundo sunt provocantia concupiscentiam oculorum. At illi nunquam hæc in pace sua florere permiserunt, bellis omnia desolantes, turbas hominum gladio interficientes, civitates et castella igni concremantes. Nec vero solummodo in alterutros reges contra reges, regna adversus regna hostili more hæc fecerunt, sed populis suis civitati-

busque propriis singuli reges persæpe mala hæc intulerunt. Nam, ut de cæteris taceam, quis utiquam Romanæ civitati populoque et senatui proprio imperatore suo Nerone crudelior aut nequior hostis exstitit? Ille desolatam urbem fecit, ille populum et senatum occidendo, quodammodo carnes ejus manducavit: Ille civitatem materiali quoque igne concremavit, solummodo ut pulchritudine flammæ delectaretur; spectando in ea similitudine qualiter quondam arsisset Ilium, sedensque in altissima turre Mecœnatia, tali spectaculo tripudians Iliada decantabat. Tantæ crudelitatis **484** quidam reminiscens et congemiscens, ita cecinit:

Novimus quantas dederit ruinas
Urbe flammata patribusque cæsis,
Fratre qui quondam ferus interempto
Matris effuso maduit cruore.
Heu gravem sortem, etc.

(Boetius, *De Consol. phil.*, *lib.* II. *met.* 6.)

Verum ergo est, quia reges terræ, qui relicto Deo cum pulchritudine creaturæ mundanæ fornicati sunt, fornicariam suam oderunt, et quale vehementissima odia ministrabant pretium suæ fornicationis, illi reddiderunt, « Non enim est pax impiis, dicit Dominus (*Isa.* LVII). » O igitur miserabilis conditio Babylonis terrenæ civitatis, quæ a Deo fornicatur cum amatoribus, quia non solum fornicatur cum amatoribus, sed cum hostibus, quorum et si quis amor est, tanto felle amaritudinis permiscetur, ut ipsam hostiliter dilanient cum qua fornicantur. Horum causa vel incitator malorum diabolus est. Idcirco non dixit tantummodo, et decem cornua quæ vidisti, hi odirent fornicariam, sed « et decem cornua quæ vidisti, et bestia, inquit, hi odient fornicariam suam, » etc. Continuo subjungit: « Deus autem [enim] dedit in corda eorum ut faciant quod illi placitum est, ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei. » Ut faciant, inquit, quod illi placitum est. Cui illi? Videtur hoc referri ad Deum, quia sic præmissum est: « Dedit enim Deus in corda eorum, » et ita intelligi, « ut faciant quod illi, » subauditur Deo, « placitum est. » Verum quia præmiserat: « Et decem cornua quæ vidisti est bestia, hi odient fornicariam, » et deinde cum dixisset, « ut faciant quod illi placitum est, » addidit, « ut dent regnum suum bestiæ; » rectius refertur ad eamdem bestiam, scilicet ut faciant quod illi, subauditur bestiæ, placitum est: et deinde, « ut dent regnum suum bestiæ, » id est, ut totius regni sui vires impendant diabolo, faciendo voluntatem ejus, quæ semper adversatur bono Dei proposito. Quid enim illi faciunt nisi malum? Malum autem Deo non placet, imo eos qui malum operantur ipse odit, sicut Scriptura ei testis est, dicens: « Odisti omnes qui operantur iniquitatem (*Psal.* V). » Item: « Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es (*ibid.*). » Sed iterum Scriptura dicit: « Faciens pacem et creans malum (*Isa.* XLV). » Intra hæc secundum veritatis rationem et secundum Patrum orthodoxorum veridicam auctoritatem dicendum et sentiendum est, quia malum illud quod est afflictio sive bellum paci contrarium, de qua dictum est, faciens pacem Deus aliquando creat propter correptionem; malum autem, id est, iniquitatem sive peccatum neque creat, neque illi placitum est. Et est quidem voluntatis ejus, ut bellum sive aliam ejusmodi afflictionem, cum supervenerit iis qui peccatis præcedentibus perpeti merentur, effugere non possint, ut autem homines mala faciant vel mali fiant, nunquam fuit aut placitum est illi. Quæritur ergo: Si malum quod faciunt, vel hoc ipsum quod mali sunt, non est Deo placitum, quomodo hic præmissum est. Deus enim dedit in corda eorum? Quod dum quæritur, consequenter vel simul et illud quærendum est quod dicit Psalmista: « Convertit cor eorum ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus (*Psal.* CIV). » Illud autem sic intelligi oportet, quatenus nulla unquam suspicio in corde hominis locum inveniat, quasi Deus odii vel doli aliquando auctor existat quod vel suspicari dementissimum atque impium est. Deus enim neque Pharaonem induravit, neque cor Ægyptiorum in odium convertit, voluntatem habendo duritiæ, vel odii ipsorum, sed tantummodo bona fecit filiis Israel, multiplicando illos in terra illa, sicut Abrahæ promiserat, dicens: « Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum (*Gen.* XXII). » Pharao autem et Ægyptii sicut superbi ita invidi erant, et secundum morem invidentium, quanto plura vel majora Dei beneficia videbant impendi his quibus invidebant, tanto majori contra illos odio sæviebant. Hoc prævidens Deus dicebat Moysi: « Ego indurabo cor Pharaonis (*Exod.* VII). » Quod idem est ac si diceret: Ego quidem signa et prodigia pro filiis Israel faciam coram Pharaone et servis ejus, sed quia invidi sunt, hoc illis ad nihil aliud valebit, nisi ut odio majori contra eos indurentur. Hoc sensu versiculum prædictum Pater Augustinus explanat. Igitur et quod hic dictum est, Deus enim dedit in corda ipsorum, sic intelligi oportet ut nullatenus suspicemur, quod Deus in corda quorumlibet regum illorum miserit, quatenus facerent quidpiam mali, aut ipsi fierent mali, sed bona quæ voluit singulis in tempore suo fecit regnis, reges autem mundi ut superbi ita erant et invidi, et alternæ invidebant felicitati. Exempli gratia: Prospera fecit Deus Babyloniis, ut valentiores essent gentibus cæteris. Et ne dubium sic hoc illis a Deo esse datum, Deus ipse in propheta dicit: « Jugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor regi Babylonis, et servient ei. Insuper et bestias terræ dedi ei (*Jer.* XXVIII). » Hoc datum Dei misit in cor Medis et Persis, utpote invidentibus et æque superbis, ut ascenderent et facerent in eos quidquid potuerunt mali, Deo non resistente illis, imo permittente propter peccata Babylonis. Eodem modo postea Macedones Persarum et Medorum felicitas concitavit, quam utique non casus sed ordinatio Dei fecerat illis. Itaque « Deus, inquit, dedit in corda eorum ut faciant quod illi placitum

est, ut dent regnum suum bestiæ, » id est, felicitas A alus concessa dono Dei, aliorum invidentiæ corda in odium concitavit, et ita contra alterutros per invidentiam excitati sunt, ut universas regnorum suorum vires ministerio certatim impenderent malitiæ diabolicæ. Usquequo? « Donec, inquit, consummentur verba Dei. » Id est, adimpleantur ea quæ Deus per sanctos et prophetas suos regnis illis futura judicia sua prædixit. Quid enim eventurum fuerat illis quod non ante prædixerat factus ad homines sermo Dei? Aut quid prædixit de illis sermo Dei, nisi quod eis juste obvenire debuit? Denique futurum erat et fieri juste debebat, ut Ægyptii postquam oppressissent filios Israel, ipsi pœnas darent suæ iniquitatis, et hoc ante loquens ad Abraham Deus ipse prædixit. Ait enim: « Scio prænoscens quod B peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, affligent eos quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt ego judicabo, et post hæc egredientur cum magna substantia (*Gen.* xv). » Item futurum erat, ut reges Israel et Juda, propter abominationes quas fecerunt, et propter sanguinem innocentem quem effuderunt, condigna recepturi forent tandemque, et Israel et Judas in Assyrios atque Chaldæos traducti captivi abirent, et hoc ante per prophetas Deus non semel prædixit: Pleni sunt libri prophetarum. Isaiæ (*cap.* xi, Jeremiæ (*cap.* xxvii), Ezechieli quoque verbis Domini ita prædicentis (*cap.* xii), idem futurum erat ut Babylon subverteretur a Medis et Persis, et hoc ante per eosdem prophetas, et per Danielem C Deus quoque prædixit (*Dan.* vii). Item futurum erat ut Persæ et Medi ab Alexandro Macedone superarentur, et hoc ante per jam dictum Danielem Deus præostendit et prædixit (*Dan.* viii). Item futurum erat ut tam Macedones quam cæteræ gentes comminuerentur atque conculcarentur viribus Romani imperii; et hoc ante eidem Danieli præostendit per bestiam quartam magnam terribilemque **485** et fortem nimis, dentes ferreos habentem, comedentem atque comminuentem et reliqua pedibus conculcantem. Item futurum est, ut Antichristus regna hæc omnia supergrediatur operatione habitantis in illo diaboli, et plus omnibus conterat sanctos Altissimi, et hoc ante non solum in prophetis, verum etiam per semetipsum in Evangelio suo prædixit Filius Dei. Igitur recte et veraciter dictum, D donec consummentur verba Dei, quia videlicet nihil egerunt aut agere possunt regna mundi quasi contra propositum Dei, quod Deus præscierit imo et prædixerit. Notanda tamen infinita cunctorum perversitas, cum dicitur primo: « Hi cum Agno pugnabunt. » et deinde hi odient fornicariam et desolatam facient eam et cætera, quia concorditer quidem contra Deum dimicant, et uno spiritu malignitatis in hoc sibi consentiunt; ad concupiscentias vero suas vel propter cupiditatem eorum qui in mundo sunt, discorditer insaniunt et invicem sæviunt, et omnibus modis a semetipsis serpentina hæc capita dissentiunt. Tandemque angelus idem dicit: « Et mulier quam vidisti est civitas magna quæ habet regnum super reges terræ. » Brevi recapitulatione renovat quod superius dixit, vel quod ipsa in fronte mulieris Scriptura signavit: « Babylon magna mater fornicationum et abominationum terræ. » Porro quod illic dixerat, « cum qua fornicati sunt reges terræ, » hic paulisper commutavit dicendo, « quæ habet regnum super reges terræ. » Et quidem multum est illic dictum ad significandam ignominiam regum terræ, sed multo amplius hoc valet ad insinuandam servilem stultitiam regum terræ, cum dicitur: « Quæ habet regnum super reges terræ. » Quid enim? Nonne reges terræ supini incedunt et sese esse liberos confidunt? Sed ecce regnum super se habere comprobantur, et quod turpissimum est, mulier meretrix super eos regnare, et cervicibus eorum incumbere rationabiliter ac irrefragabiliter asseritur. Mentiuntur ergo liberos se esse pronuntiantes; quia servi sunt, et meretricium portant jugum, semper anhelantes et sub onere curvi tot dominorum servi, quot vitiorum captivi.

Cap. XVIII. — « Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam et terra illuminata est a gloria ejus, et clamavit in forti voce dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis, quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. » Necdum is qui loquebatur angelus suam videtur sponsionem peregisse qua dixerat: « Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, » et alius jam introducitur angelus exclamans in forti voce, et hic maxime damnationem ejusdem exprimit meretricis, quam ille tantummodo quænam esset designavit, capitaque ejus et cornua descripsit. Hoc recte et secundum rem factum proprie perpendis, si recolas quia meretricem hanc et prius totus prophetalis ordo, maximeque Daniel demonstrans contra libidines et crudelitatem ejus multa declamavit; ac deinde per semetipsum veniens Filius Dei, Angelus magnus et fortis, de quo propheta dicit: « Et ecce veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis (*Malach.* iii). » damnationem ejus in auditu orbis terrarum jam adese forti voce clamavit, et evangelica manifestatione prædicavit. Nunc alium angelum pulchre de cœlo descendentem se vidisse dicit, quia videlicet iste de cœlo per humilitatem descendit, unde quidam alius per superbiam cecidit. Hic habet potestatem magnam, inquit, quod dixisse ad rem præsentem multum attinet, id est, ad eam quæ hic ostenditur damnationem meretricis. Ipse enim quodam loco de semetipso loquens cum dixisset: « Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, » continuo sub-

junxit : « Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. » Item : Neque Pater judicat quemquam,sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v). » Recte ergo « habentem potestatem magnam » dixit, potestatem faciendi judicium sive damnationem meretricis. « Et terra illuminata est a gloria ejus. » Et hoc vere dictum est, quemadmodum et eo veniente Zacharias propheta cecinit dicens : « Visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent (*Luc.* I). » Et ipse cum venisset de semetipso dixit : « Ego sum lux mundi,qui sequitur me non ambulabit in tenebris (*Joan.* VIII, XII). » Item : « Quandiu in mundo sum, lux sum mundi (*Joan.* IX) ; » iste illuminator Angelus : « Exclamavit in forti voce dicens : Cecidit,cecidit Babylon magna. » Ubi vel quando Angelus iste hoc clamavit? Nimirum apud multam Judæorum turbam, instante articulo suæ passionis, qua videlicet passione actum est,ut caderet civitas diaboli.Dixit enim : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Hoc non quomodocunque sed « in forti voce clamavit, » id est,contra infirmitatem carnis confortatus ratione divinitatis.Nam infirmabatur quidem caro ut ita diceret : « Nunc anima mea turbata est,et quid dicam ? Pater, salvifica me ex hac hora (*ibid.*). » Confortavit autem semetipsum protinus, dicendo : « Sed propterea veni in horam hanc.Pater, glorifica tuum nomen (*ibid.*). » Confortatio sive fortitudo hæc nimirum memorabilis et laudabilis est. Recte igitur et opportune dictum, quia in forti voce clamavit. Sed quomodo non repugnant sibimet partes clamoris sive dictionis hujusmodi ? Cum enim dixisset, « cecidit, cecidit Babylon magna, « addidit : « Et facta est habitatio dæmoniorum,et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ, et odibilis. » Quomodo et cecidit, et nihilominus tamen ita clausa et munita est,ut volucres volare non possint ? Ad hæc breviter dicendum clamante Angelo isto, id est, patiente Christo, quæ videlicet passio ejus clamor grandis exstitit.De quo Apostolus, « qui in diebus,inquit,carnis suæ preces supplicationesque ad Deum, qui illum salvum facere possit a morte, cum clamore valido ac multis lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* v) ; » taliter ad clamorem ejus civitas diaboli cecidit, ut omnes et soli evadere ac ruinas ejus transilire possent electi,ruptis vinculis peccatorum tam originalis quam etiam actualium, propter justitiam fidei ipsorum. Recte igitur « et cecidit Babylon, » ait et nihilominus « facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis, » quia videlicet in electis tantum omnis structura peccati, cunctaque mortis et inferni potestas corruit : in reprobis, et damnatio peccati, et pœnalis inferni carcer persistit. Quod dixit, « habitatio dæmoniorum, » hoc repetivit dicendo, « et custodia omnis spiritus immundi. » Dæmones quippe spiritus immundi sunt. Et quam ob

A rem repetivit? Videlicet quia damnati angeli qui sunt dæmones sive spiritus maligni, duplici pro causa pœnas dabunt.Altera causa est,quia in cœlo contra Creatorem superbierunt. Altera,quia genus humanum prima per serpentem prævaricatione deceptum, cunctis vitiorum sordibus polluerunt.Propter illam dæmones, hoc est, scientes quia **486** contra scientiam Dei sese extulerunt ; propter istam causam spiritus immundi dicuntur,quia spurcissimi sunt ; quia, sicut jam dictum est,genus humanum per suas suggestiones multimodis immunditiæ atque ignominiæ passionibus affecerunt. Porro volucres immundæ et odibiles omnes superbi tam dæmones quam homines recte intelliguntur.Volatus namque volucrum, levitatem atque vanitatem significat su-

B perbientium. Nec vero qualibuscunque volucribus, sed immundis assimilantur. Verbi gratia, noctuis sive upupis,quæ stercoribus humanis insidere delectantur atque idcirco recte immundæ et odibiles habentur. Taliscunque volucris Babylon facta est custodia, et sicut per Isaiam dictum est, « non poterit avolare de angustia (*Isa.* VIII). » Causa sive ratio ruinæ quæ subjungitur manifesta et superius partim exposita est : « Quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes,et reges terræ cum illa fornicati sunt ; et quia de deliciis ejus mercatores terræ divites facti sunt. » Tria hic dicuntur,quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes,quia reges terræ cum illa fornicati sunt ; et quia de deliciis ejus mercatores terræ divites facti sunt.Causæ sum-

C ma,totum fornicationis opprobrium regibus imputatur, et hi sæpius in hac lectione fornicationis ejusdem scelere denotantur.Et merito,quia videlicet quod meretrix illa docuit non solum susceperunt verum etiam imperii sui decreto simul et gladio roboraverunt. Porro gentes, quæ regibus subjectæ sive pro imperio illorum, sive sponte sua pro Deo monstra coluerunt, recte « de ira, inquit, fornicationis ejus biberunt. » Non ait tantum de fornicatione ejus,sed « de ira fornicationis ejus biberunt ; » quia videlicet fornicationem qua coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, protinus ira Dei subsecuta, est ut derelinqueret eos, et traderet passionibus ignominiæ, traderet eos in desideria cordis eorum in immunditiam (*Rom.* I), ut traderet eos in reprobum sensum, ut facerent ea quæ non

D conveniunt.Nunquid vero contestanter dicitur,quia « mercatores terræ » de virtute deliciarum ejus « divites facti sunt, » et non potius iidem mercatores sic falso arbitrati esse culpantur ? Denique non ipsa Babylon, id est, ipsa cupiditas radix omnium malorum,et quicunque cupiditati præsunt, maligni dæmones atque perversi homines orbis terrarum seductores (*I Tim.* VI), qualium universitas hic Babylon dicitur et magna fornicationum mater ; non, inquam, perversitas talium, sed unius Dei bonitas etiam bona ejusmodi, de quibus mercatores terræ ditati sunt, creavit et dedit ; ipsi autem aliter sunt arbitrati.Unde recte de talibus Deus per prophetam

dicit: « Et filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum. Confusa est quæ concepit eos, quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, et oleum meum, et potum meum (*Ose.* II). » Et hæc nescivit quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum quæ fecerunt Baal. Sed et quod non dixit tantum « de deliciis, sed de virtute, inquit, deliciarum ejus divites facti sunt, » stultitiam denotat ipsorum, apud quos paupertas probro habetur, et velut immane contemnitur vitium, divitiarum autem abundantia virtus existimatur, cum econtra ethnicus quoque dicat:

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum,

Notandum tamen quod non contentus est dixisse semel tantum, cecidit Babylon, sed geminato casus vel ruinæ verbo, « cecidit, cecidit, inquit Babylon. » Et quidem repetitio affirmatio est, sed et propter hoc sciendum quia Babylon hæc clamantes angelo isto clamorem supra dictum, id est, patiente Christo pro salute omnium, utrobique cecidit tam apud inferos quam apud superos, id est viventes, corruit. Denique et potestas ejus infernalis confracta mortuos amisit, ut sanctorum populus qui tenebatur in morte captivus, de illis exiret claustris et vinculis, et falsitas ejus denudata est atque subversa hic apud viventes in dæmonum templis atque simulacris, ut qui tenebantur in diversis erroribus a diabolo captivi, exirent ad Deum vivum per evangelicam prædicationem de tenebris suis ad lumen verum evocati. Recte ergo geminatum est verbum, quia et illic vis mortis et hic dæmonum cultus cecidit.

« Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem: Exite de illa, populus meus, ut nec participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis, quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum. Et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. » Postquam angelus ille clamavit, « aliam vocem de cœlo audivi, » inquit, quia postquam ipse Christus evangelizavit atque passus est, Spiritus sanctus de cœlo venit, et linguas alias apostolis Christi dedit. Extunc triumphus Dominicæ passionis cœpit annuntiari universo orbi, extunc in omnes gentes pœnitentia, et remissio peccatorum cœpit prædicari (*Act.* II). « Exite ergo, inquit, vox ista de Babylone, populus meus, » id est, agite pœnitentiam, et unusquisque vestrum in nomine Domini baptizetur. Hoc enim veraciter de Babylone exire est. « Populus, ait, meus, » id est, o tu omnis qui ad vitam æternam es præordinatus. Nam foris quidem omnibus prædicatur, et plerumque reprobi quoque quasi ad credendum perducuntur, sed intus in proposito Dei soli electi requiruntur. Et quid intendat dicendo, « exite; » pulchre definit subjungendo: « ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. » Non ergo de loco ad locum exire jubentur, sed vitam mutare, ut relictis peccatis et supra dictis

A fornicationibus ejus, consequenter et condigne plagarum quoque ejus immunes habeantur. « Quoniam, inquit, pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, » id est, quoniam fornicando, et sanguine sanctorum sese inebriando ad hoc usque pervenit, ut ipsum occideret cœli Regem et Dominum. « Et ob hoc recordatus est, ait Dominus, iniquitatem ejus, » id est, diem statuit judicii universalis, in quo, iniquitates ejus puniantur. Unde et sequitur: « Reddite illi sicut ipsa reddidit vobis, et duplicate duplicia secundum opera ejus. In poculo quo miscuit, miscete ei duplum. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. » Quinam sunt hi qui reddere illi, sicut ipsa reddidit eis, et secundum opera ejus duplicia duplicare jubentur,

B nisi hi qui cum Domino sedente ad judicandum in sede majestatis suæ (*Matth.* IX), sedebunt et ipsi judiciariis sedibus, videlicet sancti et martyres Jesu quorum ebria sanguine hæc meretrix superius ostenditur? « Reddite ergo, inquit, illi, » sicut ipsa reddidit vobis, id est condemnate illam, sicut ipsa sanguinem vestrum innocentem condemnavit. Parum erat dixisse, « sicut ipsa reddidit vobis, » nisi addidisset protinus, « et duplicate duplicia secundum opera ejus. » Constat enim quia, dum hæc sanctos persequitur, et martyres Jesu, corpus tantum occidit, « et post hæc non habet quid faciat; ipsi autem potestatem hanc in judicio cum eodem Domino Jesu habent, ut corpus et animam mittant in gehennam (*Luc.* XII). » Bene ergo, « duplicate duplicia, inquit, secundum opera ejus. » Itemque in poculo quo miscuit,

C « miscete **487** illi duplum. » Continuoque ait. « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum. » Pro gloriatione, qua se extulit, luctum; pro deliciis, quibus inordinate usa est, date illi tormentum. Duæ istæ damnationis ejus causæ sunt; altera, quia sanctis et martyribus Jesu mala reddidit, dum sanguinem eorum fudit; altera, quia affluxit in deliciis et fornicationibus suis. quæ videlicet causæ et superius præscriptæ, et hic ordine præpostero repetitæ sunt. Summa reatus ejus nota, ut peccati ejus interminabilis sit superbia ejus quia videlicet non utcunque peccat aut fornicatur, sed in peccatis et fornicationibus suis gloriatur, sive glorificat se. Unde adhuc subditur: « Quia in corde suo dicit: Sed eo regina [ut regina], et vidua

D non sum, et luctum non videbo. Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur, quia fortis est Deus, qui judicavit illam. » Quod taliter et sic « dicat in corde suo, sedeo regina, » et cætera et quod idcirco plagas istas sustinere habeat, prophetica jamdudum firmavit veritas. Nam in Isaia propheta dicitur illi inter cætera: « Descende, sed in pulvere, virgo, filia Babylonis, sede in terra. (*Isa.* XLVII). » Virgo gravissima cum ironia dicitur illic; nam hic veraciter pronuntiatur meretrix. Subinde dicitur ei: « Dixisti: In sempiternum ero domina. Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. Et

nunc audi hæc delicata, et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum,et præter me non est amplius. Non sedebo vidua,et ignorabo sterilitatem.Venient tibi hæc duo subito in die una,sterilitas, et viduitas (*Isa.* XLVII), etc. Itaque propter superbiam,quia non quomodocunque peccat hæc meretrix,sed superbiendo peccat,et peccando superbit et exsultat, quod non ita, ut civitas Dei,quæ in hoc mundo peregrinatur, vidua sit, cum sit meretrix,et multi reges cum ea fornicentur, tanquam hoc sit matrimonium legitimum beatæ reginæ potentis et dominantis. Propter hoc, inquam, justum et irreprehensibile est judicium, « ut veniant plagæ istæ super eam, mors, et luctus, et fames, et æterno comburatur igne. » Hæc [nec] vero sententia dubitabilis est quin certum debeat habere effectum: « quia fortis, inquit, est Deus,qui judicavit illam,» et semel voce vel scripto prolatam, non impotens est adimplere sententiam.

« Et flebunt et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt. Et cum viderint fumum incendii ejus,longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, et dicent: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora venit judicium tuum.» Hic jam meminisse juvat scripti illius sive voluminis, de quo in Ezechiele propheta scriptum est: « Et vidi, et ecce manus missa ad me,in qua erat involutus liber, et expandit illam coram me, qui erat scriptus intus et foris, et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ (*Ezech.* II). » Ille namque liber, omnis Scriptura divinitus inspirata est, qui coram propheta expanditur, quia fideli viro gratia Christi aperiente intelligibilis redditur.In illo libro « scriptæ sunt lamentationes, et carmen, et væ; » quorum videlicet trium carmen et væ opposita sunt,lamentationes vero quasi medium obtinent locum.Carmen quippe sempiternum sanctis et electis in futuro sæculo sanctæ Scripturæ repromittunt: » Væ autem omnibus impiis,quales in isto loco denotantur reges terræ,qui cum meretrice fornicati sunt,et in deliciis vixerunt, et mercatores terræ, qui de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. » Porro lamentationes pœnitentium sunt, qui in præsenti peccata sua temporaliter lamentantur,ne perveniant ad illud væ sempiternum. Hæc omnia, scilicet « lamentationes, et carmen, et væ, » Scripturæ hujus præsens locus simul congregata studiose legentibus demonstrat. Cum enim dicitur: « Exite de illa,populus meus,ut ne participes sitis delictorum ejus,et de plagis ejus non accipiatis; » pœnitentia,sicut jam ante dictum est, in omnes gentes prædicatur quod nimirum lamentari est. Væ autem manifestius quod impiorum est, hic exprimitur, cum ipsi dicunt: « Væ, væ civitas illa magna Babylon,civitas illa fortis,quoniam una hora venit judicium tuum.» Et rursum :« Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat byssino, et purpura, et coccino, et deaurata est auro et lapide pretioso,et margaritis,quoniam una hora destitutæ

A sunt tantæ divitiæ. » Itemque tertio: « Væ,væ civitas magna,in qua divites facti sunt omnes qui habent naves in mari de pretiis ejus;quoniam una hora desolata est.» Tertio «væ congeminatum est,atque ita sexies væ dictum est. » Et una eademque causa dicendi væ, væ ubique redditur.Paucis tamen commutatis vocibus,«quoniam una hora venit judicium tuum,quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ,quoniam una hora desolata est. » Omnia namque mundi ætatum, quæ sex numero sunt, tunc simul vindicabuntur in eis scelera,quorum nulla est septima, id est nullum Sabbatum. Et hoc mirum atque miserrimum erit videre eis qui tantopere amant hoc nequam sæculum; quia tot dierum vel temporum, tot mundi ætatum opera mala judica-

B buntur,et gaudia peribunt succedente interminabili quantitate tormentorum,una hora judicii,una hora destitutionis, una hora desolationis. Tunc omnia simul peribunt,in quibus fornicatores mundi amatores cum sæpe dicta meretrice luxuriati sunt. « Aurum et argentum, et lapides pretiosi,et margaritæ, et byssus, et purpura, et sericum, et coccinum et omne lignum thyinum,et omnia vasa eboris,et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, quæ universa pertinent ad fornicationem oculorum.» Deinde « et cinnamomum,et amomum,»et cæteræ species thuris et adoramentorum, quæ nimirum hic ad fornicarium referuntur olfactum. Deinde et species unguenti, quæ ad luxuriosum spectant. Deinde, inquit, « et vini, et olei,» et similæ,et tritici,quæ vel quorum similia referuntur

C ad gustum. Post multo infertur et vox citharœdorum et musicorum,et tibia canentium.Et tuba non audietur in te amplius, quæ ad quintum spectant corporis sensum, id est ad auditum. Igitur omnia fornicationis instrumenta in quinque sensibus corporis lenocinantia damnantur, per quos videlicet sensus omne adulterium animæ a Deo fornicantis exercetur.«Jumentorum quoque et ovium,et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum servitia,»inter perituram mundi supellectilem numerantur;sed et poma suo nomine exprimuntur,quod ipsa cupiditati inordinatæ perire debeant, dicendo: « et poma tua, desiderium animæ discessit a te. » Nihilominus inter hæc concluduntur, « quæcunque sunt irritamenta gulæ,sive expe-

D rimenta culinæ, » dum additur « et omnia pinguia et clara perierunt a te.» Fere omnia voluptatis instrumenta quæcunque vel quantacunque quinque sensibus corporis hauriuntur,et per quæ dignior pars languescit hominis et captivatur, suis nominibus peritura exprimuntur, opportuna nimirum videntis et scribentis diligentia. Quia videlicet in illa hora, cum cœperit hic mundus supremo igne conflagrari, miserum cunctis amatoribus ejus dedit spectaculum, ubi non sine magno dolore perire **488** videbunt, quæcunque cum amore nimio possederunt. Unde, ut doloris vehementiam insinuet fore non parvam, semel et iterum, ac tertio flentium atque

lugentium inconsolabilem prascribit miseriam. Ait A enim : « Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ. » Et iterum : « Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius. » Ac deinceps : « Et omnis gubernator, et omnis qui in loco navigat, et nautæ, et qui maria operantur longe steterunt, et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ : Et miserunt, inquit, pulverem super capita sua. » Pulvis super capita, pœnitudinis tristitiam significat. Verum illa pœnitudo jam utilis non est fructuosa, quia nimirum sera est. Simulque sciendum quia jam in ipsis pœnitentibus ratio aut sapientia nulla est. Qualis enim væ quam rationabilis est modus pœnitentiæ, ubi flentes et lugentes clamant et dicunt, « quæ similis civitati B huic magnæ ? » Etiam nunc phantasiam gloriæ transitoriæ quam viderant, arbitrantur magnam civitatem fuisse. Non ergo tam dolent se voluptates noxias admisisse quam easdem voluptates sibimet irrecuperabiliter perire. Et profecto si possent cuncta hæc pereuntia cupiditatis fomenta, quæ hic cum tormento ipsorum nominatim exprimuntur, de incendio liberare sibique retinere cuperent. Sed procul dubio non poterunt, rebusque pereuntibus longe aberit auxilium ipsorum pariter pereuntium. Unde cum magna invaletudinis eorum significatione semel et iterum, ac tertio hic est dictum, quia longe stabant. « Cum, inquit, viderint reges summum incendii ejus longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicent væ, væ. » Item : « Et mercatores C hominum qui divites facti sunt ab ea, longe stabunt, propter timorem ejus flentes et lugentes, et dicentes væ, væ. » Et paulo post : « Et omnis gubernator, et nacetæ longe steterunt, et clamaverunt flentes et lugentes, et dicentes, væ, væ. » Omnes omnino tam reges quam nautæ sive gubernatores, tam nautæ quam negotiatores longe stabunt, non tam loco quam defectu cordis, et animo invalido; quia videlicet nec reges tunc arma vel exercitus ad pugnandum, neque nautæ remos ad navigandum, neque negotiatores institas ad colligendas sarcinas habebunt. Nam et jumentorum, et equorum et rhedarum subsidia cuncta deerunt. Notandum interea quia pastores aut ruricolæ, fletum hunc et luctum habituri non scribuntur, quia videlicet simplicis vitæ D officia sunt, magisque necessario usui quam superfluæ cupiditati famulantur. Ab ejusmodi fletu et luctu recte nimirum nautæ non excipiuntur, quia nonnihil et ipsi rident et gloriantur, dum remigant, et prospero per maria cursu feruntur. Hoc ita esse procul dubio præsenti quisquis navium prospere velificantium aliquando vidit, nautarumque lascivientium celeuma (quod est carmen nauticum) audivit. Neque enim sic excusabiles aut ruricolæ aut pastores, quorum cum nonnullis Deus ab initio locutus est, isti quoque videri possunt, quorum lacertis non solum mercatoriæ, verum etiam pugnatoriæ naves actæ cucurrerunt, et bellico sanguine marinos persæpe fluctus infecerunt. Sequitur :

« Exsulta super eam cœlum, et apostoli, et sancti prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa. » Jam de lamentationibus, et væ hic in loco suo diximus, de carmine quod tertium erat in supradicto volumine scriptum, postmodum suo loco dicemus. Nunc interim quod superest de damnatione meretricis magnæ, quodque adhuc ad væ ipsius pertinet, prosequamur. « Exsulta, inquit, super eam cœlum, et apostoli, et sancti prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa. » Statimque sequitur : « Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon magna illa civitas, et ultra non invenietur. » Memoriter tenendum est, quia cuncta hæc damnatio meretricis ad consolationem, non solum hic Joanni, sed prioribus quoque revelata est prophetis, sicut prædiximus in initio hujus visionis ; ut videlicet consolationem habeant in adversis, et tribulationes patienter ferant, scientes quia quæ illos persequitur pars adversa, non sic semper erit, non semper voce prævalebit, sed tolletur de medio, pacatumque relinquet Dei regnum, et nullum ultra faciet illi scandalum. Quod cum factum fuerit, sicut præcedens sermo vehementi declamatione significavit, tunc nimirum et angelis et hominibus sanctis plenum gaudium erit. Ait ergo: Exsulta super eam, cœlum, id est, jam completa ex hominibus cœlestis societas angelorum, exsultate, apostoli, exsultate, prophetæ sancti, et vos omnes martyres Jesu, « quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa, » quoniam factum est ut clamor vester expetebat dicentium : « Usquequo, Domine; sanctus et verus non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ? » (*Apoc.* VI.) Hinc illius vocis verba finiuntur, quæ superius audita cœlo sic exorsa est : « Exite de illa, populus meus. » Porro hic angelus fortis, qui continuo lapidem magnum quasi molarem sustulisse, et in mare misisse dicitur : « Hoc, inquiens, impetu mittetur Babylon magna illa civitas, et ultra non invenietur, » ipsum fortem et potentem significat Dominum, qui sedens in sede majestatis suæ, congregatis ante se cunctis gentibus, his qui a sinistris ejus erunt, proprio ore dicturus est : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Tunc enim veraciter universa civitas diaboli cum magno impetu in profundum mittetur, et sicut lapis magnus in mare missus non supernatat, neque resilit ulterius, sic illa semel præcipitata, de inferno non emerget amplius. Et congrue non qualemcunque lapidem, sed quasi molarem pro exprimenda similitudine dixit : quia videlicet Babylon ista sicut peccati pondere gravis, ita et erroris agitatione instabilis est. Hoc utrumque lapis molaris convenienter innuit, qui et pondere gravis est, et pro molendi officio semper circuit. Et continuo sequitur :

« Et vox citharœdorum et musicorum,, et tibia canentium, et tuba non audietur in te amplius. » Hoc autem superius anticipavimus pro continuandis quinque sensuum corporis voluptatibus, quia cætera quæ illic deflebantur, cæteris sensibus luxuriantibus famulantur, istis autem id est musicis instrumentis demulcetur auditus : Nec vero frustra tantæ meretricis musica omnis condemnatur, quia nimirum lubrica et lasciva, imo etiam turpia et dæmonum quoque phantasmata sunt, quæ ab illa cantitantur, et eorum suavitate maxime ad incitamenta libidinum eadem meretrix abutitur. Cæterum in veris Dei veri laudibus pulcherrime artis musicæ rationabile obsequium laudabiliter acceptatur, et eis qui legitime canunt, et sapienter psallunt, remuneratio vel præmium erit carmen æternum, de quo post paululum Scriptura hæc bonum referens auditum, magnifice consolatur patientiam sanctorum. «Et omnis artifex, et omnis ars non invenietur in te amplius. Et vox molæ non audietur in te amplius. Et lux lucernæ non lucebit tibi amplius. Et vox sponsi et sponsæ non audietur **489** adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra.» Hic omnia ut dicuntur, ita sunt ; quia non solum artificia quælibet non supererunt, verbi gratia plantantium vel ædificantium, imo etiam quæ plantata et ædificata fuerant penitus auferentur, quippe cum insuper scriptum sit (*I Cor.* VII) ; quia præterit figura hujus mundi, et neque molent, neque cætera ventris ministeria jam quærent aut invenient, et sic lumine omnis lucernæ carebunt, ut in sempiterno impii sint horrore tenebrarum et sicut verum est quod ante promittitur eis, ut dicant, væ, væ, ita certum et immutabile est quod nunc dicitur, et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te. Quod autem subjungitur: «Quia mercatores tui erant principes terræ, » idem est ac si dicat : Idcirco nihil omnino commoditatis remanebit in te, quia etsi quidpiam visa es habere qualiscunque justitiæ, tu bona recipisti in tuo tempore qualia quæsisti, pro qualibus acquirendis sive tutandis, tu leges nonnullas a ratione non dissentientes foris vel intus habuisti et custodisti. Neque enim tale quid propter veram vitam observasti, sed ut securius principes tui negotiarentur in acquisitione auri et argenti, prædiorumque et tractuum maris, et nihil deesset voluptatibus explendis. Tuam ergo mercedem recepisti, de cætero quæ tibi reposita erat damnatio nunc debetur, et nunc redditur tibi æterni judicii. Propter duo hæc, quia in veneficiis tuis erraverunt, et quia sanguis prophetarum et sanctorum in te inventus est, de quibus causis plenius jam supra dictum est. Non solum autem prophetarum et sanctorum requiritur ex te, verum etiam omnium pariter qui interfecti sunt in terra, quia videlicet bellorum et homicidiorum omnium quæ fuit causa, nisi radix omnium malorum cupiditas ? Jam de lamentationibus pœnitentium, et de multiplici væ impiorum atque impœnitentium dictum est, nunc de carmine justorum vocem magnam, vocem desiderabilem de cœlo auditam, sensu diligentiore carpamus.

A

CAP. XIX. — « Post hæc audivi quasi vocem magnam tubarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia ; laus et gloria, et virtus Deo nostro, quia vera et justa judicia ejus sunt, quia judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. Et iterum dixerunt alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt seniores viginti quatuor et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes : Amen, alleluia. Et vox de throno

B

exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni. Et audivi quasi vocem tubæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium alleluia. » Hic est auditus consolationis, hoc est carmen in supradicto libro scriptum, carmen exsultationis, carmen vestrum, o peregrini cives cœlestis patriæ, qui in hoc mundo peregrinamini et lamentamini. Quando flebunt et lugebunt reges illi, mercatores illi, gubernatores et nautæ illi, videntes perire vanitates et insanias falsas, in quibus sunt confisi, et dicent væ, væ, tunc vos alleluia cantabitis. Alleluia, namque verbum Hebraicum interpretatur, *laudate Dominum* ; et hoc nomine plerique psalmi titulati sunt, quorum in uno taliter præscriptum est : *Alleluia, reversio Aggæi*

C

et Zachariæ. Aggæus et Zacharias prophetæ captivationem filiorum Israel factam a Nabuchodonosor solvi prædixerunt, et templi destructionem, et ipsi quoque reversioni illorum in Jerusalem, et reædificationi templi interfuerunt, in similitudinem videlicet electorum omnium de peregrinatione hac, ubi mala intulit illis damnata illa meretrix Babylon, ad æternam et cœlestem civitatem suam Jerusalem, redeuntium. « Audivi ergo, inquit, post hæc quasi vocem tubarum multarum in cœlo dicentium alleluia. » Notanda mirabilis oppositio, quia illi ejulantes tertio dicunt væ, væ, civitas illa, isti econtra lætantes tertio dicunt alleluia. Primo « namque audivi, inquit, quasi vocem magnam dicentium alleluia, » secundo et iterum ait : « Dixerunt alleluia, »

D

tertio : « Et adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes : Amen, alleluia. » Nec isto contentus iterum repetevit quod dixerat : « Et audivi quasi vocem tubæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum multorum dicentium alleluia. « Quater ergo dictum est alleluia. Et si placet interpretationem vel sensum vocis hujus æquipollenter accipere, sicut illic sexies væ, ita et hic alleluia sexies dictum est. Nam, postquam primo dictum est « alleluia, » subjunctum est : « Laus et gloria, et virtus Deo nostro est ; » item postquam dictum est, « et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes : Amen, alleluia, » subjunctum

est : « Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus. Igitur sicut illic sexies væ, ita hic sexies audis alleluia, sive laudem Deo, quia et illi quorum est væ, per sex mundi ætates in illis fornicationibus, alii aliis succedentes, væ illud sibi thesaurizaverunt ; et isti quorum est alleluia, itidem per sex mundi ætates, alii aliis succedentes semetipsos ad laudem et gloriam Dei in sanctis virtutibus exercuerunt. Cantant ergo et laudant et speciosa est laus in ore ipsorum. Et quid cantantes laudant, quid laudantes cantant? Judicium et misericordiam, in quibus tota pendet materia cantionis et laudis divinæ. Psalmista dicente : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine(*Psal.* c). » Et quidem antequam fiat judicium, prius est misericordiam, et deinde judicium cantare ; postquam autem factum fuerit judicium, prius erit veritatem judicii laudare, deinde misericordias in æternum cantare. Num enim misericordia prius aufertur, et deinde misericordiæ contemptoribus judicium rependitur, tunc autem prius et semel judicium actu celebratur, et deinde misericordia, sicut jam dictum est, in æternum cantatur. Prius itaque judicium laudant cum dicunt : « Quia vera et justa judicia ejus sunt, quia judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.» Duabus ex causis pro quibus meretricem superius damnatam esse diximus, veritatem judicii laudant, quarum altera est, quia terram in prostitutione sua corrupit ; altera quia sanguinem sanctorum fudit. Deinde misericordiam dulcissimo concentu laudant cum dicunt : « Quoniam regnavit Dominus, Deus noster omnipotens gaudeamus et exsultemus, et demus gloriam ei, quoniam venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se, et datum est illi ut cooperiat se byssino splendente candido. » Inde laus et gloria, inde gaudium et exsultatio, inde toties alleluia ; quia dum judicatur mulier illa meretrix et prostituta illa, celebrant nuptias suas Agnus et uxor ejus, mulier alia, mulier beata. Dicunt ergo alleluia succinendo, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. **490** Quis Dominus, aut quis Deus? Agnus ipse cum quo pugnaverunt fornicatores illi reges, et vicit illos ; « quoniam, inquit, Dominus dominorum est, et Rex regum. « Inde gaudeamus et exsultemus, quia vicit et regnavit, et demus gloriam ei nos « electi, et vocati, et fideles, » qui cum illo sumus et cum illo vicimus. Nos victores, sive victoriæ ejus participes, in eo demus gloriam ei, ut non nobis quod vicimus, sed illi totum attribuamus soli triumphatori, soli omnipotenti. Nec vero solummodo quia vicit et regnavit, sed quia venerunt nuptiæ ejus, et uxor ejus præparavit se, quam pater illi destinavit, dicens in David in cantico Epithalamii : « Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui. Astitit regina a dextris tuis (*Psal.* XLIV).» In quo præparavit se? In vestitu deaurato, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus (*ibid.*), »

A quarum omnium primum byssinum est splendens et candidum. « Byssinum enim, inquit, justificationes sunt sanctorum. » Porro justificatio prima sive justificationis principium fides est (*Gen.* XV), quæ sicut Abrahæ reputata est ad justitiam (*Rom.* IV), ita et « nobis credentibus, inquit Apostolus, reputabitur ad justitiam (*Ephes.* II). » Hoc illi, videlicet uxori ejus datum est, quia procul dubio fides donum Dei est. Huic byssino splendenti et candido inimicum erat illud damnatæ meretricis coccinum, non datum, sed raptum ; non splendens sed horridum : non candidum, sed sanguineum. Vox ista canentium, vox erat sicut aquarum multarum et sicut tonitruorum magnorum, imo, et sicut tubarum multarum, quia vox erit concentus populorum multorum, magno tonitru cordium, id est magna devotione intonantium,
B multorumque millium sanctorum quasi tubicinando non bellum, sed pacem et charitatem sanctæ Trinitati semper occurrentem, semper occursuram in suis cordibus excitantium. « Et dixit mihi : Scribe : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni sunt vocati.» Hoc apud omnem fidelem animam ita constans et certum est, ut illi magis vacet suspirare quam de veritate sententiæ disputare. Verum namque est, et hoc verum jam scitur velut antiquum, et sciendum est semper quasi novum. « Scribe ergo, inquit, quia beati sunt vocati ad illam cœnam, » non qualiscunque calendæ aut festivitatis, sed nuptiarum Agni. Ibi namque tota cœna est amor, ubi uxor viro, id est, anima conjungitur Deo, non ad horam, sed æternaliter ; quia hæc cœna nuptialis, his amor
C conjugalis vita æterna est. Hinc est illud in psalmo : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). » — « Et dixit mihi : Hæc verba Dei vera sunt. » Qui hæc dicit, angelus unus est de septem angelis qui habebant septem phialas, qui locutus est supra cum eo dicens : « Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ quæ sedet super aquas multas (*Apoc.* XVII), » etc. Plus ostendit quam promiserat, quippe qui non solummodo damnationem meretricis, verum etiam glorificationem beatæ mulieris, uxoris Agni, et auditum carminis cœlestis, quod est alleluia, ostendit et audire fecit. « Et hæc, inquit, verba Dei vera sunt ; » ut videlicet omnia hæc sic accipiamus, non ut verba cujusvis hominis aut etiam angeli, sed
D ut vere verba Dei, et vera atque rationabilia esse arbitremur, etiam si minus intelligere aut exponere queamus. Porro Joannes quam grataner acceperit, quanti æstimaverit demonstrationes ejusmodi, claret ex eo quod dicit : « Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum. » Statimque sequitur : « Et dixit mihi : Vide ne feceris. Conservus tuus sum et fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu : Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ. » Ergo Joannes hic, qui nescire non poterat, Deum unum et solum ab homine debere adorari, paulisper pro excessu mentis in quo erat, minus clare hoc ipsum attendit. Verumtamen non longe a

suo sensu aberravit. Nam ante illum nonnullos veterum sanctorum procidisse legimus angelos et non esse probibitos (*Gen.* xii). Cur ergo hunc angelus iste tam vehementer prohibuit dicendo : « Vide ne feceris ? » videlicet, quia ex quo Deus homo factus est, veramque suscepit naturam hominis, et eamdem pro omni mundo passioni et morti addictam suscitavit, et ad dexteram Patris collocavit, sanctumque Spiritum reconciliationis dedit hominibus, jam fratribus et amicis suis, ex eo dignitas naturæ humanæ supra semetipsam crevit, et perducta est usque ad mensuram angelicæ dignitatis. Proinde cum dixisset, « vide ne feceris, » continuo cur prohiberet rationem hanc reddidit : « Conservus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. » Ergo « Deum, inquit, adora, quem et ego conservus tuus adoro. » Et continuo quasi quæreres quid dixerit, habentium testimonium Jesu, vel quid sit testimonium Jesu, curavit statim aperire « testimonium, inquiens, Jesu est spiritus prophetiæ. » Et quis est spiritus prophetiæ, nisi Spiritus sanctus ? Hic plane testimonium nostrum est, sicut dicit Apostolus : « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei (*Rom.* viii). » Ergo quia testimonium fidelium Christi Spiritus sanctus est, et non de qualibet parva re testificatur eis, sed de eo quod sunt filii Dei, recte monentur in uno Joanne, quatenus neminem nisi solum et unum Deum adorent, suæ conditionis et acceptæ gratiæ respiciendo dignitatem. Quod cum ita sit, poterat quidem recte sic dici : Testimonium enim Jesu Spiritus sanctus est, sive spiritus adoptionis filiorum quem acceperunt, sed pro persona Joannis pulchrius dixit : « Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ ; » quia prophetia est hæc Apocalypsis, sicut præmissum est in exordio voluminis, cum dicit : « Beatus qui legit et qui audit verba prophetiæ hujus. » Dicendo ergo, « testimonium Jesu est spiritus prophetiæ, » Joannem ipsum commonitum esse voluit ejus quam acceperat excellentioris gratiæ, quia cum omnes qui Spiritum sanctum acceperunt testimonium habeant quod sint filii Dei, multo magis iste dilectus Jesu Christi, qui talem tantamque prophetiam accepit.

491 LIBER UNDECIMUS.

Gaudendum et exsultandum esse consolatis civibus regni Dei, peregrinantibus hic inter filios hujus sæculi. Vox paulo ante de cœlo audita cecinit, idcirco quia Dominus de meretrice magna judicavit, et quia ipse Dominus Deus noster omnipotens regnavit, et quia venerunt nuptiæ Agni. Recipiunt consolationem istam insinuatam mentibus suis a sancto Spiritu pietatis exempli gratia, dum ipsi dicunt in David : « In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione. Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis (*Psal.* cxxv). » Congaudeamus igitur et nos, et exsultemus sicut consolati, sed ita, ut gaudium et exsultationem moderetur, et cum disciplina sua dirigat timor Domini. Nam in eodem David dicit ipse spiritus timoris Domini : « Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore (*Psal.* ii). » Sunt autem duo timores alter servilis sive pœnalis, quem « perfecta charitas foras mittit (*I Joan.* iv), » de quo Apostolus : « Non accepistis, inquit, spiritum servitutis iterum in timore (*Rom.* viii) ; » alter liberalis et dulcis, de quo Psalmista : « Timor, ait, Domini sanctus permanens in sæculum sæculi (*Psal.* xviii). » Servilis ille timor locum non habet hic. Ubi enim electi Dei sic sunt consolati, post audita atque intellecta spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis opera, quæ sicut in Scripturis sanctis sparsim expressa, ita et in hac mystica revelatione sunt sub tantis imaginibus congregata, quomodo locum ullum timor pœnalis haberet ? Ergo timendum quidem consolatis, sed timore sancto, timore casto, videlicet ut humiliter in fundamento humilitatis stent, qui consolatione Spiritus sancti digni habiti sunt. Itaque ab alio rursus exordio demonstratio salutaris repetitur, et qui sæpius in his revelationibus agnus visus, vel dictus est Christus Dei Filius, tali schemate semel atque iterum ac tertio conspicitur, ut oblivisci non possint etiam consolati adhuc superesse quidpiam cur timeatur. Nam sequitur :

« Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et justitiam judicat [cum justitia judicat et pugnat]. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo mundo. Et de ore ipsius procedit gladius acutus, ut in ipso percutiat gentes, et ipse reget eos in virga ferrea. Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. » Cuncta hæc bene perspecta usque ad id quod ait : « Et vidi thronum magnum candi-

dum, et sedentem super eum, a cujus conspectu A fugit terra et cœlum, et libri aperti sunt et judicati sunt mortui, et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum, et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis, » cuncta, inquam, hæc diligenter animadversa plena timoris sunt, et prudentem animam ad timorem sanctum bene et utiliter instruunt: quippe cum nemo sapiens gloriari audeat quod in illa die, in illa hora bene præparatus inveniatur casto corde et perfecta conscientia. Nusquam in omnibus quæ in hac Apocalypsi a septem spiritibus, qui in conspectu throni Dei sunt, revelantur, sub imagine tam terribili Jesus Christus, qui est testis fidelis, conspicitur, ab eo loco, ubi sedens supra sedem « similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardini, et iris erat in circuitu sedis (*Apoc.* IV), » B usque ad locum præsentem. Ibi Spiritus sapientiæ revelationes atque apparatum consideravimus. Secundo loco, Agnus visus est in medio throni, et in ipso accipiente de dextera sedentis in throno librum, et aperiente illum et solvente septem signacula ejus (*Apoc.* V) suis in operibus sanctum prædicavimus intelligentiæ Spiritum. Tertio loco, ubi in figura ejus stetisse scribitur angelus ante altare, aureum habens thuribulum in manu sua, septemque tubis in ordine suo canentibus, rursus ante cantum tubæ novissimæ conspicitur angelus, et iris in capite ejus (*Apoc.* VIII) ea, quæ per ipsum circa nos egit sanctus consilii Spiritus, opera perstrinximus. Quarto loco, filius masculus muliere magna pariente natus conspicitur, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, qui et raptus est ad Deum, et ad thronum C ejus, et ibi subsequentibus bellis, victoriaque multiplici celebrata sanctum fortitudinis Spiritum operantem agnovimus (*Apoc.* XII). Quinto loco Agnus supra montem Sion stans, cum sodalibus suis canticum novum citharizantibus conspicitur, et deinde idem Filius hominis falcem in sua manu habens acutam, post quem ingrediuntur septem angeli habentes, atque effundentes septem phyalas plenas iracundiæ Dei (*Apoc.* XIV), et ibi spectavimus sanctum scientiæ Spiritum, quæ vel qualia circa genus humanum operatus sit. Sexto loco sive sexta recapitulatione, ostensa meretrice et bestia, quæ portat eam, et præmisso de cornibus ejus, id est, de regibus terræ, quia hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, item angelus de cœlo descendens, ha- D bens potestatem magnam conspicitur, et terra illuminata est a gloria ejus (*Apoc.* XVII), et ex ejus ore loquentem Spiritum pietas, ea quæ **492** ad consolationem pertinent factorum agnovimus. Nusquam talis tam terribilis facies ejus apparuit, ut in hac septima parte visionis, ubi primum cum exercitu et gladio oris sui judicans et pugnans, tandemque sedens, fugiente terra et cœlo, judiciumque agens conspicitur. Unde hic non incongrue is qui in numero septem spirituum deorsum novissimus est, Spiritus timoris ordine suo recognoscitur, ex operum suorum propriis imaginibus. Nunc scripturæ seriem persequamur:

« Et vidi, inquit, cœlum apertum, et ecce equus albus. » Cœlum hic apertum, descendentis ad nos Dei et Domini nostri designat prospectum, juxta illud propheticum: « Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit (*Psal.* CI), » Item: « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* XCIV). » Denique hoc est quod protinus sequitur: « Et ecce equus albus. » Siquidem equus albus, immaculatum de virgine sumptum est Domini corpus, de quo plenius illic diximus, ubi aperiente Agno unum de septem libri signaculis, exivit equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret ipse qui illic habebat arcum et cum corona exivit vincens ut vinceret (*Apoc.* VI). Vocatur hic Fidelis et Verax, « et justitia, inquit, judicat et pugnat, et oculi ejus sicut flamma ignis et in capite ejus diademata multa, et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis. Et de ore ejus procedebat gladius utraque parte acutus. » Primam quam digna et quam vera sunt vocabula, Fidelis et Verax. Fidelis namque est, videlicet Deo et Patri, cui fideliter obedivit, quemadmodum Apostolus dicit: « Considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis ei qui fecit illum, sicut et Moyses, in domo illius. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erat, Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos (*Hebr.* III). » Sed et per prophetam Deus ipse dicit: « Et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles: Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus (*Isa.* LV). » Item: Verax iste est, imo et ipsa veritas: « Ego, inquit, sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). » Et Joannes Baptista: « Qui autem, inquit, accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est (*Joan.* III). » Nimirum Scriptura dicit: « Omnis homo mendax (*Psal.* CXV). » Hic autem quia non homo tantum, sed et Deus est, recte dicitur et est, Deus verax, homo cujus solius veritas, imo qui, cum sit ipsa veritas, nos liberat. Ipse qui posuit hæc omnia, nominum quoque ipsorum causas actuales apposuit dicendo: « Et justitia judicat et pugnat. » Nam quia justitia pugnat, et neminem nisi causa justitiæ impugnat, neminem nisi juste expugnat; quippe qui non nisi contra superbos bellica corripit arma, sicut scriptum est: « Deus superbis resistit (*Jac.* IV), » profecto fidelis quia justitia judicat, nec dicit malum bonum, et bonum malum (*Isa.* V), nimirum verax est. Et quia per ignorantiam falli nunquam potest, ut injuste judicet: « oculi, inquit, ejus sicut flamma ignis. » Omnia clare videt, et, sicut jam dictum est, falli non potest ut injuste

judicet. Sunt autem oculi ejus omnes numero septem gratiæ sancti Spiritus. Unde et in hoc eodem libro Agnus, et in propheta Zacharia lapis unus septem oculos habere scribitur (*Zach.* III). Item quia « justitia judicat sive juste pugnat, » semper superat, et tam in sua persona quam in singulis fidelibus suis pugnando triumphat. Idcirco protinus subditur : « Et in capite ejus diademata multa. » Videlicet quia sanctorum omnium victoriæ vel coronæ ad gloriam et gratiam ipsius referuntur, idcirco multa diademata in capite ejus. Nam hinc est quod de ipso sub nomine filii Josedech sacerdotis magni ad prophetam Zachariam Deus loquitur : « Sume a transmigratione, a Boldai, et a Tobia, et ab Idaja, et venies tu in die illa, et intrabis domum Josiæ filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone, et sumes argentum et aurum, et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedech sacerdotis magni, et loqueris ad eum dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : « Ecce vir Oriens nomen ejus (*Zach.* VI), » etc. Denique juxta sensum mysticum Jesu filio Josedech sacerdoti magno imponuntur coronæ, sumpto argento et auro a transmigratione, sive ab iis qui venerunt de Babylone, quia nobis proficiscentibus et reversis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imo nobis per virtutem pœnitentiæ coronatis, Salvator in singulis coronam accipit, juxta illud quod et Paulus loquitur : « De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex ; non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum Salvatoris nostri Jesu Christi (*II Tim.* IV). » Quia ergo veraciter multa diademata in capite ejus, et sicut Apostolus ait : « Ipse omnia in omnibus adimpletur (*Ephes.* I), » recte subjungitur : « Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. » Nam præter ipsum nemo scit quanto nomine vel quantum ipse sit nominatus aut nominandus, quippe cum numerum eorum præter ipsum nemo sciat, quorum coronis ipse coronatur, quorum salutis auctor ipse nominatur. Ubi ergo scriptum habet nomen istud, si non scitur? Denique in sanctis Scripturis ejus nullum scriptum est nomen ipsius quod non legatur, quod non sciatur. Nec vero quia dixit, « habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse, » consequenter dici potest indefinite, quod nomen ejus nesciatur. Nam quia hoc dixit, ipse protinus ait : « Et vocatur nomen ejus Verbum Dei. » Illud ergo nomen quod et scriptum esse, et a nemine sciri asserit ubi scriptum est? Nimirum in magno libro vitæ, qui non est aliud quam secretum ejus scientiæ sive præscientiæ. Nam ubi scripta sunt nomina electorum omnium, ibi non potest abesse quantorum salutis auctor ipse sit, quorum numerus profecto cujusdam nominis ejus omnibus incogniti definitio est.

« Et hic vestitus erat veste aspersa sanguine et nomen ejus Verbum Dei. » Quod idem est ac si diceret : Hic et ut homo passibilis et mortalis,

A passus et mortuus est, et impassibilis atque immortalis Deus est. Nam in passione vestis ejus, id est caro ejus suo sanguine asperta est. Unde et propheta vehementer admirans percunctatur et dicit : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? » Et illo respondente : « Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. » Ait : Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari ? (*Isa.* LXIII.) Quare, inquit, rubrum fecerunt vestimentum tuum, quare sanguinem tuum fuderunt, si tu justitiam loqueris, si tu peccata non fecisti, nec inventus est dolus in ore tuo ? Ergo vestis sanguine aspersa caro est innoxia, mortem et proprii sanguinis effusionem perpessa. Porro « nomen ejus

B vocatur Verbum Dei, » Verbum per quod « omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil (*Joan.* I), » quod mori non potuit, per quod et ipsa, quæ mortua fuerat, caro revixit. Exemplum patientiæ et mortis ejus millia sanctorum sequuntur. Ait ergo : « Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo mundo. « Denique exercitus ejus martyres et omnes sancti sunt, quicunque **493** in hoc mundo quolibet modo propter ipsum agonizati sunt. Nam propter ipsos agones quos pertulerunt, exercitus dicuntur. Quomodo « sequebantur eum ? » — « In equis albis, inquit, vestiti byssino mundo. » — « In equis albis, » id est in corporibus candidis baptismo purificatis, justificatione bonorum operum, quæ per byssinum album et mundum significantur, decenter ornatis. Taliter euntes se-

C quebantur eum, hi maxime qui vitæ munditiam sanguinis sui aspersione superinduerunt per martyrium. Nam et ipse prius equo albo sedens, post etiam suo sanguine aspersus est. Unde sponsa ejus in Canticis recte gloriando loquitur : « Dilectus meus candidus et rubicundus electus est ex millibus (*Cant.* V). » Candidus, videlicet virginitate, rubicundus passione. Præterea exercitus ejus omnes virtutes cœlorum sunt, et ipse est qui in prophetis et Psalmis toties dicitur « Dominus exercituum, Dominus virtutum (*Isa.* VI ; *Psal.* XXIII). » Hic jam multum est quod timeatur dum dicitur, « quia justitia judicat et pugnat, » et quia exercituum sive virtutum Dominus est. Nam ipse est ille rex cui ad bellum non temere est occurrendum, id est apud

D quem vel cujus in judicio non facile est de justitia præsumendum. Denique juxta illud exemplum evangelicum contra nostrum qualemcunque exercitum ipse habet duplum. Si noster decem millium, ejus exercitus viginti millium est, id est si nos de operibus justitiæ nostræ confidimus, ipse de operibus simul et cogitationibus rationes contra nos est positurus. Idcirco persuadet et dicit : « Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, nonne prius sedens cogitat si posset cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se ? alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt ? » (*Luc.* XIV.) Hoc

sciens vir sanctus loquitur : « Vere scio quod non justificetur homo compositus Deo : Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille (*Job.* IX). » Et post pauca : « Quantus ergo sum ego, qui respondeam ei et loquar verbis meis cum eo ? Qui etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor (*ibid.*). » Quod est dicere : Etiamsi quid justi operis admisi, nihilominus legationem mittens, rogabo ea quæ pacis sunt, quia videlicet ad minus duplum contra me ille habet exercituum, id est si de operibus ego me justifico, ille cogitationes quoque adducit ad judicium, quia scrutator est cordium. Unde adhuc subditur :

« Et de ore ipsius procedit gladius utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes et ipse reget eos in virga ferrea. » Hic namque gladius ille est de quo Apostolus loquitur : « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus (*Hebr.* IV). » Bene ergo « gladius utraque parte » dicitur « acutus, » qui « procedit de ore ejus « quia cum vocetur nomen ejus et sit Verbum Dei, non solum facta vel dicta discernit, sed intimas quoque cogitationes penetrat et percutit. Exempli gratia cum dicit Pharisæis : « Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Matth.* XV ; *Isa.* XXIX). » Item : « Quid cogitatis mala in cordibus vestris ? » (*Matth.* IX.) Et multa iis similia. Ad quid procedit de ore ipsius ejusmodi gladius ? « Ut in ipso, inquit, percutiat gentes. » Hoc jam factum est et fit et usque in finem sæculi fieri non desinit, donec distinguat gentes bonas a dextris, et malas statuens a sinistris suis, ubi et ultimam eamdemque irrevocabilem exerat vim gladii, id est sententiam judicii in utramque partem pro ipsorum meritis. Nunc interim differtur quidem ictus percutientis, sed jam vibratur gladius comminantis. Hinc et Psalmista dicit : « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit (*Psal.* VII). » Item in Cantico Deuteronomii ipse dicit : « Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis (*Deut.* XXXII). » Veraciter ergo dictum est, « ut in ipso percutiat gentes. » Sed additur adhuc : « Et ipse reget eos in virga ferrea. » Quos ipse reget nisi ex gentibus pœnitentes ? Nam quia dicitur de ore ipsius procedere « gladius utraque parte acutus, » quia prædicatum est et prædicatur, quod ipse sit gentes inevitabili verbo judicii percussurus, pœnitentiam egerunt gentes Evangelio credentes, et istos « ipse reget in virga ferrea, » id est inflexibili justitia, sicut dicit illi Pater in Propheta : « Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ, reges eos in virga ferrea (*Psal.* II). » Quod illic continuo dictum est, « tanquam vas figuli confringes eos (*ibid.*), » et hic dicitur, « ut in ipso percutiat gentes, » partim in bonam partem recte intelligi potest, quia videlicet est percussio salubris, et confractio utilis ; dum gentes, id est ad vitam præordinati ex gentibus, audita per Evangelium futuri judicii animadversione, timore concutiuntur, et ad pœnitentiam corde confringuntur. Cæterum omnes in infidelitate remanentes malo suo percutientur et malo suo confringentur, eruntque sicut vas figuli irrecuperabiles, cujus partes non possunt rursus conjungi aut conglutinari. Dicat aliquis : Quid vero Judæi ? An illos gladius iste non attingit, qui sic gentes percutit ? Audi quod sequitur :

« Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, et habet in vestimento et in femore suo scriptum Rex regum et Dominus dominantium. » Ipse qui percutit sive percutiet gentes, et reget eos in virga ferrea, jam « calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, » id est jam parat percussuram populo illi, jam causæ suscitatæ sunt, propter quas veniat et incumbat illis pondus et pressura Romani imperii, ut concludat multitudines eorum, et in angusto comprimat exercitus Titi et Vespasiani. Hæc pressura nimirum recte et nimis congrue designatur per torcular vini. Gens namque illa fuit vel esse debuit vinea Domini, et quia cum debuisset facere uvas, fecit labruscas (*Isa.* V), malum hoc illi eventurum Deus ipse in propheta prædixit : « Et quia de vinea Sodomorum vinea eorum, quia uva eorum uva fellis (*Deut.* XXXII), » idcirco mala hæc illis reddenda apud se condita et in thesauris suis esse signata Deus prædixit in cantico Moysi. In propheta Isaia cum ille ex persona sua præmisisset : « Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ (*Isa.* V), » etc. Tandem Deus dicit : Nunc ergo, habitatores Jerusalem et viri Juda, judicate inter me et inter vineam meam (*ibid.*). Paucisque interpositis : « Et nunc, ait, ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, et erit in direptionem. Diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem, » etc. Post hujusmodi comminationes item dicit : « Vinea enim Domini exercituum Dominus Israel est, et vir Juda germen delectabile ejus (*ibid.*). » David quoque propheta cum dixisset : « Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam (*Psal.* LXXIX), » etc., prævidens hoc torcular et hanc pressuram, « exterminavit eam, inquit, aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (*ibid.*). » Nam « aper de silva » sive « singularis ferus, » gentilis imperator, et Romanus intelligitur exercitus. Pulchre ergo ubi dixit, « et ipse reget gentes in virga ferrea, » volens significare quid futurum **494** esset Judæis incredulis. « Et ipse, inquit, calcet torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, » pro eo ut diceret : Et Judæi cadent in ore gladii, et in omnes gentes ducentur captivi, sive erit pressura magna super terram, et ira populo huic. Quare autem non contentus fuit dixisse solummodo furoris, sive solum-

modo iræ, sed utrumque furorem scilicet et iram conjunxit, dicendo « torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis? » Videlicet quia vinum Judæorum quod verius dici potest fel et venenum, sicut Moyses testatus est dicens : « Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). » Vinum, inquam, Judæorum venenatum atque fellitum, qui ipsum vineæ Dominum felle et aceto suspensum in cruce potaverunt (*Matth.* XXVII), non solum furorem aut solam iram, sed furorem simul et iram sibi comparavit; id est, non tantum in præsenti aut tantum in futuro, sed in præsenti simul et in futuro damnationem sibi acquisivit, ut corpora hic trucidaret et captivaret Romanus exercitus, animas autem illic possideret diabolus, cruciaret infernus. Utramque vindictam Moyses uno brevi versiculo exprimit: « Ignis, inquens, succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII). » Hoc præmisso, « et calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, » quod gravissime sonuit, neque enim leve est tali in loco Deum omnipotentem enuntiari. Repente mirabiliter intulit :

« Et habet in vestimento et femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium. » Subtiliter namque et graviter hoc dicto summam percutit reatus populi Judaici, pro quod calcantur in torculari furoris iræ Dei omnipotentis. Ipse namque sunt cives illi, qui rege isto sive homine nobili abeunte, juxta parabolam evangelicam, in regionem longinquam, accipere sibi regnum et reverti, miserunt legationem post illum, dicentes : « Nolumus hunc regnare super nos. » At ille cum rediisset accepto regno, et rationem cum servis suis habuisset (*Luc.* XIX), tandem ad suos conversus, verumtamen, inquit, inimicos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc et interficite ante me. Igitur illis ante regem quem negaverunt interfectis, et juxta præsentem Scripturæ hujus locum calcatis in torculari furoris iræ Dei omnipotentis, repente infertur : « Et habet in vestimento et femore suo scriptum. Rex regum et Dominus dominantium, » quia videlicet irridendi sunt, et subsannandum illis est qui illum respuerunt, putantes quod esse rex non posset nisi secundum ipsorum placitum, nisi ipsi vellent, nisi ipsi reciperent eum. Eadem exprobrans animi indignatione in psalmo Propheta, cum dixisset : « Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversum Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum, » statim intulit : « Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit illos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos : Et autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II), » etc. Quo autem in vestimento, vel quo in femore suo nomen hoc habet scriptum : » Rex regnum et Dominus dominantium? » Vestimentum hujus regis Christi aliter atque aliter pro loci diversitate intelligi debet,

A Nam alias sanctam Ecclesiam, sive fidem catholicam, alias sanctam significat Scripturam. Utrumque ex uno psalmi versiculo intelligitur, ubi ipse loquitur dicens : « Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Psal.* XXI). » Nam vestimenta Domini divisa, significant sacram Scripturam ab hæreticis sæpius depravatam, ut alibi Psalmisto : « Quæ perfecisti, destruxerunt (*Psal.* X). » Vestis ejus quæ desuper erat inconsutilis, et super quam sortem miserunt (*Joan.* XIX) : designat Ecclesiam vel fidem catholicam devina electione fidelibus datam, quæ a nullo corrumpi potest, Item : Vestimentum ejus Ecclesia intelligitur, cum iterum dicit Psalmista : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, sicut un-
B guentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII.) » Et est sensus : Spiritum sancti gratia, quæ plenarie in Christo capite nostro inhabitat, primum eo descendit in fortes viros apostolos, qui significantur per barbam Aaron et deinde in martyres cæterosque Ecclesiæ filios magnos quidem, sed inferiores apostolis qui intelliguntur in ora vestimenti, quia post apostolos in Ecclesia sunt præcipui, cujus fide et virtutibus Christus ipse decoratur, ad modum alicujus qui vestimento pretioso induitur. Porro præsenti loco vestimentum recte sanctam intelligitur significare Scripturam. Amplius autem quod magis placeat et pulcherrime splendeat vestimentum, simul et femus ejus continens hoc scriptum, una ea-
C demque est Scriptura sancta, Scriptura illa quam patres carnis ejus, quæ per femur intelligitur, conscripserunt. Hæc autem præcipue sit Scriptura Psalmorum, quæ veraciter Scriptura est femoris Christi, quia Scriptura est patris ejus secundum carnem David. Nempe quod iste sit Rex regum, ibi taliter scriptum habes : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* LXXI). » Versiculus quidem iste nondum reges regum, sed tantummodo regem pronuntiat illum. Sequitur autem postmodum : « Et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum omnes reges (*ibid*). » Absque ulla contradictione rex cui cæteri reges munera offerunt, et dona adducunt,
D et non solum faciunt, sed etiam adorant eum, Rex regum est. Et recte homines reges adorant regem hunc, qui cum homo sit, est etiam Deus, quod breviter et magnifice innuitur, cum dicitur in eodem : « Ante solem permanet nomen ejus. » Quod idem est ac si diceretur : Iste rex Deus erat antequam homo nasceretur, quia erat antequam fieret mundus, cujus vita et pulchra pars est sol iste quem videmus. Porro Dominus dominantium non adeo expressum est in hoc loco Scripturæ, nisi quod ait : « Et dominabitur a mari usque ad mare. » Alias ergo quæramus. Dixit enim alio loco idem Pater carnis ejus multorum profecto servorum Dominus,

qui publica et solemni appellatione, ut regibus mos debitus erat, appellabatur Dominus, quod promptum habes in historia gestorum ejus. Dixit, inquam item rex et Dominus : « Dixit Dominus Domino, meo : Sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Dominum suum æque ut Deum Patrem appellavit eum, ille regnans et dominans. Item in eodem psalmo : « Dominare, inquit, in medio inimicorum tuorum. » quorum multi profecto domini sunt vel fuerunt, et per ampla dominati sunt et dominantur spatia terrarum, et tamen, velint nolint, effugere non valent Domini hujus dominatum. Igitur verum est, manifestum est, quia habet in vestimento et in femore suo scriptum, id est in Scriptura, quam partes carnis ejus conscripserunt testificatum, quod sit Rex regum et Dominus dominantium. Et quidem cives ejus qui oderant illum, negare illum et post illum legationem mittere potuerunt, dicentes : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX). » Sed Scripturam hanc solvere vel abscondere non possunt. Sequitur :

495 « Et vidi alium angelum stantem in sole, et clamavit voce magna dicens omnibus avibus quæ volabant per medium cœlum : Venite, congregamini ad cœnam magni Dei, ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et carnes sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum ac servorum, et pusillorum ac magnorum. » Et hic alius, et adhuc tertius angelus eumdem signat Christum, propter aliud atque aliud tempus, aliudque negotium. Nam quod prius dictum est : « Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus et sedes super eum, qui Fidelis et Verax vocabitur, » Christus Deus verus est de Virgine incarnatus. Hic autem alius angelus in sole stans, idem Christus est, verus hominis et Dei Filius, per speciem columbæ in Israel manifestatus. Porro ea quæ jam dicta sunt, « et in capite ejus diademata multa, et vestitus erat veste aspersa sanguine, » et cætera per anticipationem dicta sunt. Nam abhinc latius eadem explicanda per figuras competentes, atque secundum ordinem, quo gesta vel gerenda sunt usque in finem sæculi sese præsentare incipiunt. Igitur « vidi alium angelum stantem in sole, » id est vidi Christum manifestatum in Israel, magna Spiritus sancti sive columbæ et paternæ vocis manifestatione. Quod dicit, « stantem in sole, » mirabile quidem, sed non adeo novum, quia prius quoque in antiquiore Scriptura est dictum : « In sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII), » id est in manifesto dixit et prædicavit se Deum Dei Filium, propter homines hominem factum, et verum assumpsisse corpus humanum. Hoc facere incœpit a clamore vocis magnæ, vocando aves quæ volabant per medium cœlum, id est a vocatione apostolorum, qua vocavit eos, ut relictis omnibus sequerentur eum (*Matth.* IV). Aves namque hoc loco in bonam accipiuntur significationem, et vitam significant spiritualium, ut illic : « Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum (*Job.* V). » Et in Evangelio, cum dixisset Dominus : « Unus assumetur, et unus relinquetur (*Luc.* XVII), » et interrogantes apostoli dicerent : ubi, Domine ? « ubicunque, ait, fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ (*ibid.*). » Aves ergo cum determinatione bona, qua dicitur nunc, quæ volabant per medium cœlum, apostoli sunt. Verumtamen per anticipationem, id est non quod jam antea spiritales fuerint, sed quia per vocationem illam spiritales et sublimium cognitores mysteriorum effecti sunt. Ista sunt volatilia illa, quorum exemplo vel imitatione debemus omnem victus aut vestitus sollicitudinem deponere, dicente Domino : « Respicite volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa (*Matth.* VI). » Nam quia apostoli, quibus primum et præsentaliter hæc libertas avium ad imitandum proposita est, ut cœlestium contemplationi vacare possent, omnia terrena reliquerunt, idcirco recte ipsi volatilia cœli dicuntur, et hoc loco vocatio illorum signata intelligitur sub nomine avium. Ubinam, vel quando angelus iste avibus hujusmodi dixit, « venite, congregamini ? » Nimirum secus mare Galilææ, quando vidit Petrum et Andream retia mittentes in mare, et vocavit eos, dicens : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum (*Matth.* IV). » Similiter cæteros vocando diversis ex locis sive negotiis (*Matth.* IX), profecto avibus dixit, « venite, congregamini. » Quo illos venire, quo illos jussit congregari ? « Ad cœnam magni Dei, » ad cœnam illam quam ipse homo factus nobis fecit, juxta illam parabolam Evangelii : « Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Et homines quidem se excusaverunt, alius dicens : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam ; alius : Juga boum emi quinque, et eo probare illa ; alius : Uxorem duxi, et ideo non possum venire (*Luc.* XIV). » Aves autem istæ, sive volatilia, quæ sicut non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, ita neque villas emunt, neque comparant juga boum, neque voluptatum, quæ per uxorem intelliguntur, habent studium. Quod est dicere : Cupidi amatores sæculi, quales maxime tunc erant Scribæ et Pharisæi, vocantem contempserunt, hi autem, qui liberum cor a cupiditatibus habere meruerunt, secuti sunt eum. Quid porro est, quod ait :

« Ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum ac servorum et pusillorum ac magnorum ? » Videlicet secundum metaphoram, qua per aves significantur apostoli, congrue vim atque intentionem apostolici designat officii, quia sicut aves manducandis carnibus avide insistunt, neque curant quorum aut qualium nobilium aut ignobilium cadavera transvorent, dum in campo magno stragem invenerint occisorum, ita apostolorum est auctoritate evangelica nullam facere vel habere distinctionem qualiumcun-

que hominum, sed,sive Judæi sive Græci sint,cunctos indifferenter ad fidem suscipere, et in corpus Ecclesiæ traducere; hoc enim est manducare,juxta quod apostolo Petro significatum est.« Vidit » enim in excessu « cœlum apertum et descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo in terram,in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ,et volatilia cœli. Et facta est vox ad eum, dicens : Surge Petre, occide et manduca (*Act.* x). » Nimirum qui illic per quadrupedia et serpentia terræ,et volatilia cœli significabantur,hic manifestius exprimuntur homines,et ad fidem Christianam omnes admitti jubentur indifferenter,sive reges, sive tribuni, sive fortes, sive infirmi,sive servi,sive liberi, sive magni,sive pusilli, ad summum, sive Judæi, sive Græci. Unum tamen hic est quod adhuc magis figurate sit accipiendum, scilicet quod ait, « carnes equorum. » Neque enim in ista cœna magni Dei equorum quoque carnes manducantur sicut hominum, quia non equis, sed hominibus prædicatur Christi sacramentum,et exigitur ab illis ut mortificent et omnino delinquant malas consuetudines operum carnalium.Est autem equus animal bellicum.Recte ergo per equos hi intelliguntur,qui aliquando Christi fidem impugnaverunt.Qui autem sedent in ipsis reges sunt potentes hujus sæculi, qui talium ministeriis abutentes, edictis et proscriptionibus aliquando ferebantur ad necem Christianorum.Quis nesciat tales quoque ab apostolis apostolicisque viris plerumque revocatos et conversos esse ad Christum,et pœnitentiam egisse de sanguine sanctorum quem effuderunt? Bene igitur « et carnes equorum et sedentium in ipsis manducetis,» ait,id est persecutores homines et agitatores eorum principes in unitatem vestri corporis in societatem transferatis vestræ fidei.

« Et vidi bestiam et reges terræ, et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo et cum exercitu ejus.Et apprehensa est bestia, et cum ipsa pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso,quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, et adoraverunt imaginem ejus.Et vivi missi sunt hi duo stagnum ignis ardentis et sulphuris.» Vocante sive clamante angelo,et convenientibus ad cœnam jam dictis avibus, bestia et reges terræ, cum exercitibus suis, ad prælium contra sedentem in equo congregati **496** esse referuntur quia prædicante Christo, et discipulis multis eum sequentibus, atque per civitates et castella evangelizantibus,diabolus et reges terræ, scilicet Herodes et Pontius Pilatus cæterique ejusmodi principes cum suis fautoribus commoti sunt (*Luc.* XXIII), et sicut ait Psalmista : « Astiterunt et convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* II). » Hoc est quod nunc ait congregatos se vidisse ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo,id est cum Christo Deo incarnato, et cum exercitu ejus cum fidelibus et prædicatoribus ejus. Et recte hoc loco diabolus bestia nuncupatur, quia videlicet Romanum imperium, cujus potestati Judæi tunc instinctu diaboli Dominum nostrum tradiderunt,bestia erat illa magna et fortis et terribilis nimis,quam Daniel vidit dentes ferreos habentem, comedentem atque comminuentem, et reliqua pedibus conculcantem (*Dan.* VII). Hujus bestiæ potestatis scilicet Pontio Pilato, ut eum traderent Judæi, diabolus cordibus immisit, atque idcirco tam diabolus quam ipsa Romana potestas recte hoc loco sub nomine bestiæ datur intelligi. « Et apprehensa est, inquit, bestia, et cum ipsa pseudopropheta.» Christus quidem passus est, sed ipsa passionis ejus virtute diabolus apprehensus est et judicatus,et foras missus est æterno igne puniendus. Nam hoc est quod ipse mox passurus dicebat : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan* x.II). » Quis porro erat pseudopropheta,qui tunc temporis apprehensus est cum ipsa bestia? Nimirum cœtus pharisaicus, maximeque is qui illius anni pontifex erat Caiphas.Ille namque exstitit pseudopropheta,quamvis verum sit illud quod prophetaverat.Siquidem collecto consilio adversus Dominum Jesum prophetaverat, dicens : « Vos nescitis quidquam,neque cogitatis quia expedit ut unus moriatur homo pro populo,et non tota gens pereat (*Joan.* XI).» Etenim verum quidem prophetavit,quia Jesus moriturus esset pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum (*ibid.*).Sed nihilominus pseudoprophetæ exstitit,quia si sensum vel intentionem ejus respicias, omnino mentitus est.Hoc nempe intendit,et a misero populo intelligi et credi voluit,quod nisi Jesus moreretur, qui Christus rex jam a turbis putabatur,Romani,quorum sub imperio tunc erant,hoc audientes,quod injussu ipsorum regem suscepissent,quasi contra rebelles exercitum mitterent,et tollerent eorum et locum et gentem (*ibid.*). Igitur pseudopropheta exstitit, et in astutia sua comprehensus est ab eo qui comprehendit sapientes in astutia eorum (*Job* V : *I Cor.* III). Nam et in Job maxime de talibus scriptum est : « Apud ipsum est fortitudo et sapientia,et ipse novit decipientem et eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem,et judices in stuporem (*Job.* XII). » etc. Decipiens iste fuit qui sic prophetavit deceptus est autem stulus populus qui, ut erat ad homicidia pronus,prophetiam ejus libenter accepit. Unde sequitur.

« Qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ,et adoraverunt imaginem ejus. » Non quidem Caiphas cæterique tunc temporis pontifices et Pharisæi ulla signa fecisse leguntur,sed sicut omnes persecutores, qui gladio materiali occiderant sive occidunt,in unum corpus rediguntur, et una bestia dicuntur,ita omnes qui verbo fallaciæ decipiunt in unum corpus redacti, recte unus pseudopropheta nuncupantur.Multi autem ex eisdem deceptoribus signa mendacia fecerunt ut Jamnes et Mambres,qui coram Pharaone Moysi

perdiderunt (*Exod.* vii, 8). Recte ergo, cum de personis illorum sermo fit qui ad occidendum Dominum populum deceperunt, non incongrue hoc eis imputatur quod fecerunt signa coram bestia, id est ad obsequium bestiæ, quia videlicet, sicut jam dictum est, cum universis deceptoribus, quorum aliqui signa fecerunt, unum sunt, quamvis non omnino actu, tamen omnimoda voluntate. Is maxime, de quo jam dictum est, Caiphas seduxit « eos qui acceperunt characterem bestiæ, » id est qui exsecuti sunt ministerium Satanæ, clamando : « Crucifige, crucifige » talem, « non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* xix). » Veraciter hoc dicendo « acceperunt characterem bestiæ, » id est nimiam nimisque spontaneam Cæsaris adversus Dominum et adversus Christum ejus professionem. Nihilominus accipiendo Barabbam seditionis auctores, reprobato principe pacis, cum de his duobus haberent optionem eligendi quem vellent, « acceperunt bestiæ characterem, » seducti a jam dictis pontificibus ut illum acciperent. Quid enim Barabbas, nisi bestiæ character exstitit? Denique in sua persona ille maxime magnum et præcipuum Antichristi exemplum fuit, quod illum sint venientem in nomine suo suscepturi, qui Dei Filium non susceperunt, benedictum venienter in nomine Domini. Nam « ego, inquit, veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo, illum suscipietis (*Joan.* v). » Sane quod dixerat, « qui acceperunt characterem bestiæ, » hoc repetivit dicendo, « et adoraverunt imaginem ejus, « quia videlicet ex tunc quantumcunque Deum adorare sibi videantur, non Deum, sed eum quem reprobato Dei Filio susceperunt vel suscepturi sunt, adorare convincuntur. Sequitur :

« Et vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis et sulphuris, et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum qui procedit de ore ipsius. » Hi duo, inquit, scilicet bestia et pseudopropheta, « vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis. » Admirari et ad intellectum excitare nos nititur, cum dicit « vivi. » Quid est enim « vivi, » nisi scientes? Denique qui scienter veritati resistit, vivens in infernum descendit. Qui autem ignorantiam Dei habens, servit iniquitati, quasi mortuus eodem descendit. Unde est illud in Psalmo : « Cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos (*Psal.* cxxiii). » Siquidem nisi quia Dominus erat in eis, qui confortabat eos in virtute Spiritus sancti quamvis vivi essent, quamvis scientiam haberent, victi tormentis Christum negassent. Et de bestia quidem, id est de diabolo certum est, quia sciebat ipsum esse Christum, quem tamen ut occiderent Judæi, ipse immisit in cor eorum. De propheta autem quem hic dicit pseudoprophetam, id est de illo cœtu malignantium pontificum et Pharisæorum de quibus unus Caiphas, ut jam dictum est, prophetavit, forte quis dubitet utrum scierint illum an non? Sed dicit ipse de cujus dicto non est dubitandum : « Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo (*Joan.* xv). » Item : « Si opera non fecissem, in eis, qui nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum (*(ibid.*). » Igitur scienter tam bestia, quam pseudopropheta, tam diabolus quam perfida Synagoga, cum pseudopropheta suo Caipha congregati sunt « ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus, » id est « astiterunt adversus Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* ii), atque idcirco rectissime « vivi, » nisi esse in stagnum, « vivi, » inquam, descendisse dicuntur in infernum. Et notandum, quia non contentus est dixisse « in stagnum ignis, » nisi ut frequente in Evangelio dictum habes, « in gehennam ignis (*Marc.* ix), » sed addidit, « ardentis et sulphuris, » sive « ardentis 497 sulphure, » ut habent codices nonnulli : quod utrumque idem est ac si diceret, ignis sulphurei. Cur hoc nisi pro illorum perditorum meritis? Nam privata illorum vita nequam fuit et tam corrupta, ut merito sulphureo debeant apud inferos igne cremari. Nonne ipsi erant, quos propheta spirituali oculo prævidens a longe, eorumque pessimam exsecrans vitam digna cum animadversione : « Audite, inquit, verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei, populus Gomorrhæ (*Isa.* i). » Et vere credendum est, nec dubium esse debet, quin vita eorum in occulto exsecrabilis fuerit in manifesto tantum scelus admittere potuerunt in Dominum majestatis. « Et cæteri, inquit, occisi sunt in gladio sedenti super equum, qui procedit de ore ipsius. » Duo illi jam dicti, bestia, scilicet, id est diabolus, et pseudopropheta, videlicet anni illius pontifex Caiphas, totusque cœtus Scribarum atque Pharisæorum, quia scienter impietatem tantam commiserunt, « vivi in stagnum ignis ardentis sulphure missi esse » dicuntur. Cæteri vero, subauditur qui seducti, sunt, seducente illo pseudopropheta, id est populares Judæi, qui persuasi a pontificibus clamaverunt : « Crucifige, crucifige (*Joan.* xix), » nunquid excusati, aut a pœna immunes debuere relinqui? Non utique, sed sicut de illis Psalmista prædixerat : « Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Psal.* lxii), » sic factum est. Venerunt enim Romani, et sicut totus orbis audivit, traditi sunt in manus gladii ipsorum, venerunt vulpes, id est maligni spiritus, et in partes eorum cesserunt infelices animæ illorum. « Occisi sunt ergo in gladio sedentis super equum qui procedit de ore ipsius » id est secundum sermonem quem ille proprio ore de istis locutus est : « Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes (*Luc.* xxi). » Sed et Hieremias ante de hac ipsa vindicta per concessionem dixerat : « Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii. Fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ, et viri earum interficiantur morte. Juvenes eorum confodiantur gladio in præ-

lio, audiatur clamor de domibus eorum. Adduces enim super eos latronem repente (*Jer.* XVIII), » etc. Hoc fuit illis torcular calcari, sicut supra per anticipationem dictum est : « Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. » Verumtamen, sicut jam dictum est,percussionem gladii 'oris ejus in bonam interdum partem accipi,ita et hic ad gladium eumdem referendum est, quod quidam ex ipsis pœnitentiam egerunt,prædicantibus apostolis. « Compuncti namque dixerunt ad Petrum,et ad reliquos apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? Petrus vero ait ad illos : pœnitentiam, inquit,agite,et baptizetur unusquisque vestrum (*Act.*II).» Ac deinceps : « Salvamini, ait, a generatione ista prava (*ibid.*), » subauditur, ne vos gladius ille pariter comprehendat. Nam quoscunque non percutit ad temporalem pœnitentiam, sine dubio percutit ad temporale:r. pœnam, plerosque vero ex ipsis ira feriet, ut et corpus occidat, et animam mittat in gehennam. Sequitur :

« Et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.» Aves jam dictæ,sancti tunc temporis apostoli fuerunt. Veraciter omnes illi vel successores eorum « saturati sunt carnibus illorum, » sed non eodem modo quo voluerunt. Paucos enim admodum ex ipsis, converterunt, et hoc nimis ægre tulerunt. Unde et in psalmo prophetico sic scriptum est : « Convertentur ad vesperam,et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.Ipsi dispergentur ad manducandum,si vero non fuerint saturati,et murmurabunt (*Psal.* LVIII). » Alio modo saturati sunt, eo videlicet de quo item in psalmo dictum est:« Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris (*Psal.* LVII.)» Et quidem lætitia quædam competit in hujusmodi, pro gloria justitiæ justi judicii Dei.Sed eadem lætitia rationabili amaritudine permista est, exempli gratia, cum unus illorum dicit : « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto,quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo, pro fratribus meis,qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX).» Postquam prælium illud commissum est,in quo is qui sedebat in equo, tanto superior,et hi qui contra illum pugnaverunt, tanto inferiores effecti sunt, quid deinde actum sit, sequens sermo mystice præscribit hoc modo.

CAP. XX. — « Et vidi angelum descendentem de cœlo,habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua.Et apprehendit draconem serpentem antiquum,qui est diabolus et Satanas,et ligavit eum per mille annos,et misit eum in abyssum.Et clausit et signavit super illum,ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Post hæc oportet illum solvi modico tempore. » Et isteangelus idem Christus est,sed alius agens,imo negotium superius cœptum potenter adimplens. Neque enim quod paulo ante significatum est dicendo: « Et vidi
A cœlum apertum, et ecce equus albus (*Apoc.* VI), » idem repetitur nunc, dicendo : « Et vidi angelum descendentem de cœlo, » sed quod illic cœptum,hic significatur qualiter sit peractum, et adhuc quod restat usque in finem sæculi peragendum.Illic namque Christus de cœlo descendens in Virginis uterum ad destruendum mortis imperium,et liberandos eos qui in inferno detinebantur. Hic itidem Christus de cœlo descendens significatur ad destruendum tenebrarum mundi principatum, ad liberandos eos qui ad simulacra muta ignorantes ibant prout ducebantur (*I Cor.* XII). Dicat ergo forte quis : Nunquid Christus postquam morte superata victor in cœlum ascendit,iterum huc inde descendit ? Plane descendit,sed invisibiliter.Descendit non ut prius passibili
B humilitate,sed impassibili atque invisibili majestate. Descensum illum totus orbis audivit,descensionis illius sonus in omnem terram exivit.An quando « factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis,et replevi totam domum ubi erant sedentes (*Act.* II), » Christus de cœlo non descendit ? Christus hunc mundum non visitavit ? An separabilis est substantia vel majestas Filii et Spiritus sancti, ut descendente ad homines Spiritu sancto Filius Dei non descenderit ? Certe etsi non per circumscriptam humanitatis suæ formam descendit, at sine dubio per incircumscriptam divinitatem suam, per ipsum quem dabat Spiritum sanctum et per eos quos inspirabat apostolos ad visitandas gentes descendit.Quod si auctoritas verbi hujus quæ-
C ritur quod dicimus,descendit tu psalmo Propheta cum dixisset de prædicatione apostolorum et pœnitentia gentium : « Commota est, et contremuit terra, et fundamenta montium conturbata et commota sunt, quoniam iratus est eis, ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo, » continuo quasi quæreres, qualiter hoc factum sit,vel fieri potuerit, subjunxit : « Inclinavit cœlos et descendit (*Psal.* XVII), » id est apostolos suos per Spiritus sancti datum cœlos effectos, hominibus condescendere fecit,et per ipsos ad gentes descendit, gentibus innotuit. Igitur « vidi, inquit, angelum descendentem de cœlo,» id est Christum rursus visitantem mundum,dato Spiritu sancto.Jam in illo descensu,propter passionem mortis,gloria et honore coronatus fuerat (*Hebr.*II), jam omnem **498**
D in cœlo et in terra potestatem habebat(*Matth.*XXVIII), jam dominator vitæ et mortis erat. Ait ergo : « Habentem clavem abyssi,et catenam magnam in manu sua. » Nam qui victor ab inferis jamdudum redierat, recte et veraciter dictum, quia clavem abyssi habebat.Hinc est quod in initio hujus Apocalypsis, cum dixisset ipse : « Et fui mortuus, et ecce sum vivus in sæcula sæculorum (*Apoc.*I). » tunc demum addidit : « Et habeo claves mortis et inferni (*ibid.*).» Ipse namque, prout voluit, et electos suos illo descensu suo ad inferos eduxit, et reprobos inclusos reliquit, ut exire non possint. « Et catenam, ait, magnam in manu sua,id est potestatem ad alligan-

dum, videlicet et extrahendum foras diabolum, qui cultum in delubris gentium sese pro Deo coli faciebat. Hoc est, quod continuo sequitur :

« Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per mille annos. » Palam est, et ita ab effectis comprobatum, quod illum apprehenderit et ligaverit, ut de hoc aliquatenus dubitare dementiæ sit. Si enim ille ligatus a Christo non est, quomodo tam imbecillis jacet, ex quo Christus passus est? Quomodo tot ab illo evadunt homines? Quomodo a tam multis non dico grandævis et sapientibus viris, sed a pueris tenerisque puellis illusus est? Consideremus quæ et qualia in eum per infirmas ætates sive conditiones facta sunt, maximeque recolendo gesta vel passiones martyrum, et delectabile spectaculum habemus. Quia non solum ligatus, verum etiam infatuatus est; nec solummodo catena magna stringuntur illi manus et pedes, verum etiam sicut ad Job facturum se Dominus promiserat, et nares perforatas in sudibus et linguam fune ligatam, et circulum in naribus habet, et maxilla ejus armilla perforata est (*Job*, XLI). Inde est quod illudunt ei, quasi qui non solum servi, sed etiam ancillæ Domini, quod concidunt eum amici, quod dividunt eum negotiatores illi quicunque bonas margaritas quærentes, et unam pretiosam evangelicæ veritatis margaritam invenientes, comparaverunt illam datis omnibus suis (*Matth.* XIII). Quis dinumerare possit millia martyrum, multitudines confessorum, choros virginum, plebemque omnium electorum, qui ex tunc vidente et invidente illo in cœlum evolaverunt, et retinere non valente illo, de templorum ejus sordibus eruperunt, sordesque ipsas in oculos ejus excutientes ad Deum verum transfugerunt? Vere igitur dictum, quia apprehendit et ligavit eum. Quid sibi velint tot nomina terra, quibus Scriptura hæc illum infamat, dicendo « draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, » jam alio loco dictum, et hic breviter iterandum est. Serpens idcirco dicitur, quia primum hominem decepit serpentem animantem ingressus (*Gen.* III); draco vero, quia ex tunc crevit et multiplicata est in invido malitia ejus, et ita quasi de serpente qualicunque draco magnus, draco vetus sive antiquus effectus est; diabolus, quod interpretatur *deorsum fluens*, idcirco quia non servavit suum principatum, sed relinquens suum domicilium, id est cœlum, defluxit in istum caliginosum aerem; Satanas quod interpretatur *adversarius*, idcirco, quia voluntati Creatoris mala semper intentione adversatur. Istum « ligavit per mille annos, » id est tempore aliquanto sive per multos annos, ut solet in Scripturis sanctis sæpe numerus poni finitus pro infinito.

« Et misit eum, inquit, in abyssum. » Hoc idem longe superius jam dictum est. « Et projectus est in terram (*Apoc.* XII). » Et illic nomine terræ, et hic nomine abyssi, nequam homines et reprobi significantur, qui terram vel terrena tantum cupiendo, ipsi terra sunt, et mala excitando profundius semetipsos abyssum fecerunt, eo quod vita ipsorum malitiæ sit arcanum. In eo diminuta est potestas illius, et quasi de alto missus est in abyssum, quod jam non publico celebratur cultu in templis, nomen divinum, sive potius divini nominis rapinam obtinens, ut olim, atque solemnem ritum sacrificiorum, sed tantum qui supersunt miseræ servituti ejus captivi homines in occulto illi serviunt, in abditis exercent spurcitias et veterum vestigia maleficiorum. Ait ergo : « Et clausit et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, » id est ut non amplius concelebretur sacris et sacrilegis sacrificiis falsator spiritus, qui non Deus, sed diabolus est, neque adoretur ut olim Saturnus falcifer, aut Jupiter adulter, aut meretrix Venus, quorum vel qualium ad cultum nefarium misero errore seductæ ducebantur gentes. Itaque ligatus ut est, tenebitur diabolus, « donec consummentur mille anni, » donec impleantur omnia tempora præfinita evangelicæ libertati, quæ nescimus nos, Pater autem Deus illa in sua potestate posuit (*Act.* I). « Post hæc, inquit, oportet illum solvi modico tempore. » Solutio draconis sive serpentis, antiqui diaboli, adventus erit Antichristi. Tunc enim in illo perditionis filio, veraciter solutus veniet diabolus, cujus tanta talisque in Christi servos erit persecutio ut non qualecunque justitiæ verbum, sed ipsum nomen Christianum ne confiteri audeant illis interdicetur. Et hoc non diu, sed modico tempore, scilicet tantum tribus annis et semisse. Tam modicum tempus habebit propter electos, quia « nisi breviati essent dies illi, ait Dominus, non fieret salva omnis caro (*Matth.* XXIV). » De hoc jam superius diximus, ubi sic scriptum de septimo, eodemque novissimo capite septemplicis bestiæ, sive septimo rege. « Et cum venerit, oportet illum breve tempus manere (*Apoc.* XVII). » Et hic et illic eodem verbo usus est, dicendo, « oportet. » Quæritur ergo : Cur illum oportet solvi modico tempore, sive manere tempus breve? Solent enim homines hujusmodi quæstionem ventilare, et pene suspectam sibi faciunt Dei voluntatem, quod mala velit evenire, et quod idcirco evenire oporteat, quia ipse (quod dictu quoque nefas est) iniquitatem velit. Nec enim, inquiunt, taliter evenire posset, nisi Deus vellet. At vero Apostolus talem iniquæ suspicionis objectionem averso repellens animo : « O homo, inquit, tu quis es, qui respondeas Deo? » (*Rom.* IX.) Statimque calumniatore repulso, qui quæstiones multiplicat magis contendenti studio, quam discendi, placide convertitur ad eum qui amica intentione quærit, ut non contendat, sed ut aliquantula ex parte cognoscere mereatur veritatem divini judicii, non dubitans quin malorum nostrorum causa ex nobis sit : « Volens, inquit, Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloria (*ibid.*). » Cum igitur quæritur de illo malignitatis septimo capite, id est Antichristo, quod

illum oportet solvi, quæratur et de cæteris capitibus bestiæ, cur unumquodque illorum tempore suo manere oportuerit? Verbi gratia, de Pharaone, de quo Apostolus propter adversarium obloquentem taliter meminit: « Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra (*ibid.*). » Sicut enim de isto nunc dicitur, quia oportet illum solvi: sic de illo veraciter dicas, quod oportuit eum excitari. Quæratur ergo tam de istis quam de cæteris omnibus, et respondebimus, quod respondere nos docet Apostolus, scilicet hæc idcirco
499 oportere fieri, quia Deus vult ostendere iram, et notam facere potentiam suam et quia hoc vult, idcirco sustinet « vasa iræ apta in interitum. » Notandum quippe qualiter dixerit, quia bonum est quod vult, scilicet ostendere iram, et notam facere potentiam suam; mala autem sunt quæ sustinet, videlicet « vasa iræ, apta in interitum. »

Hunc [Nunc] jam pro exemplo propositum ab apostolis teneamus Pharaonem, « vas iræ, aptum in interitum, » ut causa magis clarescat, cur velit Deus ostendere iram suam, et in quo bonum sit, quod vel tunc ostendit, vel nunc ostendere non desinit iram suam. Homines voluptatem amatores, et ad omnem vanitatem proni, quales jam tunc erant in Ægypto filii Israel, nisi aliqua vexatio præsentialiter adsit, non intelligunt, imo intelligere nolunt, quod Deus bonus, misericors et clemens irasci noverit, vel quod judicium cum severitate aut creaturæ suæ damnationem visu suo sustinere possit. Tunc denique filii Israel cum diis Egyptiorum non minus quam Ægyptii fornicabantur. Unde et per prophetam Ezechielem sub specie mulierum Oolla atque Ooliba contra Samariam et Hierusalem loquitur: « Fornicata est ergo Oolla super me, super amatores suos filios Assyriorum (*Ezech.* XXXII); » insuper et fornicationes suas quas habuerat in Egypto non reliquit. Et post aliqua: « Multiplicavit Ooliba fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti (*ibid.*). » Item ad ipsam: « Et visitasti, ait, scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, et confractæ mammæ pubertatis tuæ (*ibid.*). » Ne igitur nescirent rudes tunc filii Israel, quia Deus cum sit clemens et misericors Pater, nihilominus tamen zelum fortissimum habet, et cum severitate judicaturus est, iramque repositam habet, qua peccatores universos puniet quandoque universaliter, experimento opus erat, ira ejus ut ostenderetur expediebat his quos bonitas ejus salvos esse cupiebat. Neque enim aliter salvi fieri possent, nisi jam aliquo experimento venturam iram scientes, a ventura ira fugerent. Oportuit ergo Pharaonem excitari, oportuit ut sustineret Deus vas illud aptum interitum, hominem illum impium ac superbum, sedere in solio regni, quod nimirum fuit excitari. Notandum quippe, quia non dicit Scriptura, in hoc ipsum iniquum feci te, sed in hoc ipsum excitavi te, id est, cum esses iniquus, in regnum ascendere feci te. Ut quid hoc? Ut ostendam in te virtutem meam, ut ostendam in te quam volo ostendere iram meam, ut te pro consuetudine iniquitatis tuæ, pro infinita tibi malignitate, filios Israel affligente, vexatio præsens det illis intellectum, et sentiant atque experiantur apud me esse iram, et hoc scientes fugiant iram meam, et confugiant ad me, a quo recesserant, Deum suum, Deum patrum suorum (*Isa.* I). Eamdem ob causam oportuit deinde Assyrios cæterosque hostes Israel excitari, sicut ubique testificatur Spiritus sanctus loquens in prophetis, et idcirco sustinuit Deus cuncta « vasa iræ apta in interitum, » ut electis ejus amaras facerent illecebras voluptatum, propter quas obliviscebantur Deum, ut vel sic necessitate compulsi reverterentur ad ipsum. Porro universitas illorum pro uno malignitatis spiritu reputatur in unum corpus, et illud corpus bestia est, quæ hoc libro toties esse dicitur septem capitum, quorum Antichristus ipse septimum est. Igitur cum dicitur: « Post hæc oportet illum solvi, causam eamdem intelligamus, propter quam ut ascenderet, jamque sex capita persecutioni sanctorum impenderet bestia sæpe dicta, Deum sustinere oportuit, ut videlicet usque ad summum ira sua nota fiat, ut evidens atque sufficiens testimonium habeat; quia non iniquitatem vult, sed iniquitatem odit, atque perinde sedere illum deceat in novissimo die in solio judicii, et judicare illos, quicunque inventi fuerint incorrecti. Palam quippe erit: quia malum, id est peccatum valde odit, qui malum, id est afflictionem ut suis quoque electis inferretur, aut ipse inferret, sustinere potuit. Sequitur: « Et vidi sedes, et sederunt super eas et judicium datum est illis; et animæ decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis: cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummarentur mille anni. Et hæc est resurrectio prima. » Ligato dracone diabolo, et libere per publicum procedente Christi Evangelio, hominibusque qui fuerant vasa ejus transmutatis in vasa Dei, filios Dei, templis idolorum versis in Ecclesias Christi. Qualis ex tunc per orbem terrarum sanctæ Ecclesiæ status esse cœperit, in visione prospicit dicendo: « Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis. » Istæ namque sedes ecclesiasticæ sunt dignitates, videlicet pontificum catholicorum, et inferioris quoque ordinis sacerdotum sive prælatorum, quorum postestas nimirum tanta est, ut recte sit vel dici debuerit, quia datum est illis judicium: auctoritate namque ejus cui Pater dedit omne judicium, hoc illis datum est, ut quæcunque alligant super terram, ligata sint in cœlo, et quæcunque solvunt super terram, soluta sint in cœlo (*Matth.* XVIII). Summum judicii hujus tribunal in Ecclesia paratum est Romana, ubi sedes apostolica beati Petri, et nomine et corpore fundata est, cui specialiter dictum est: « Tu es Petrus, et super

hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ; et tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI). » Ex illius sanctæ sedis religiosa et venerabili traditione memoriæ martyrum Christi sic celebres et splendidæ factæ sunt, ut omni honore solemnizentur per mundum universi natalitii dies illorum, et super sacra illorum corpora celebrentur solemnia missarum. Ait ergo : « Et animæ decollatorum propter testimonium Jesu et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt. » Quod est dicere : Ecclesia Christi in ordine suo sedente, principibus quoque, et regibus terrarum obedientes judicio ejus, animæ sanctorum martyrum (qui propter fidem Christi sanguinem suum in persecutione fuderunt, nolentes parere paganis principibus, ut Christum negarent, et participes fierent de sacrificiis dæmoniorum) virtutibus eximiis sese vivere comprobaverunt, et ita apud homines regnaverunt, qui inique damnati fuerant, ut reges quoque et imperatores distincti, et deposito diademate nudis capitibus sese prosternerent ad venerandas memorias eorum. Hoc fit, et fieri non desinit mille annis, id est, sicut jam dictum est, usque ad adventum Antichristi : « Tandiu regnabunt cum Christo, ut quicunque Christum confitentur, martyres, quoque Christi suppliciter venerentur. » — « Cæteri, inquit, mortuorum non vixerunt ; » cæteri mortuorum, id est qui aliter mortui sunt, qui sæculo vivunt, et Deo mortui sunt, longe ab his differentes, qui propter testimonium Jesu sæculo mortui sunt, et Deo vivunt ; isti non vixerunt, nec vivere judicati sunt, sed inter mortuos æstimati, et vere sunt, hoc donec consummentur mille anni, id est donec **500** veniat Antichristus, qui econtra tales utique vivificavit : vivos autem, id est, justos Deo viventes mortificabit. « Et hæc est, ait, resurrectio prima. » Hæc nimirum alligatio draconis : Hoc judicium sedentium super sedes ; hæc vita regnantium cum Christo animarum sanctorum martyrum, resurrectio prima est. Sunt enim duæ resurrectiones, sicut duæ mortes, altera, animarum, altera corporum. Resurrectione animarum credendo in Christum, resurreximus per baptismum, quam Dominus intendens dicebat turbis Judæorum : « Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent. » Porro resurrectione corporum in novissimo die resurgemus omnes, quam itidem Dominus insinuans continuo subsecutus est : « Nolite mirari hoc quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii (*Joan.* V). » Sequitur ergo : « Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sancti Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. » — « Qui enim crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, » non tantum

A mille annis, sed cunctis annis et diebus æternitatis. Nam « dies, inquit Psalmista, super dies regis adjicies annos ejus usque in diem generationis et generationis. Permanet in æternum, et in sæculum sæculi (*Psal.* LX). » Sed quia veniens Antichristus fidem illius in plerisque turbabit, idcirco sic quodammodo determinavit. « Et regnabunt cum illo mille annis, » addiditque continuo : « Et cum consummati fuerint mille anni solvitur Satanas de carcere suo. Et exibit, et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog et Magog. » Solvetur et exibit, id est permisso utetur, et publicam ubique terrarum persecutionem in Christianos excitabit : « Et seducet omnes gentes, electis utique exceptis, quia fieri non poterit ut in errorem inducantur electi (*Matth.* B XXIV). » Hoc enim et superius expressum est his verbis : « Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ a constitutione mundi (*Apoc.* XVII). » Gentes ergo, id est gentiliter viventes, qua nimirum appellatione omnes qui Christi sunt, reputantur superiores. Porro universi, qui non sunt Christi miro hic denotantur modo, dum dicuntur Gog et Magog. Interpretatur autem Gog *tectum*. Magog *de tecto*. Quid igitur, nisi occultos pariter et manifestos per hæc intelligimus adversarios? Nam per Gog, id est per tectum, falsos intelligimus fratres, qui intus, sunt, et nobiscum profitentur nomen Christianum, qui pro eo quod nondum sese produnt, quia rei vel temporis occasio illis deest, recte dicuntur tectum. Per Magog vero, quod est de tecto, illi recte significantur, qui sicut C operibus ita et verbo nobis adversantur, scilicet pagani, Judæi atque hæretici. Porro istis, cum acceperint occasionem, cum Antichristus venerit, non dissimili furore sociabunt falsi Christiani, pariter que cum illis vim facient veris et simplicibus Christianis. Ait ergo : « Et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris, et ascenderunt super altitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam. » Congregabis eos, non utique in unum locum, sed in unum idemque impietatis propositum, in unum idemque nocendi studium. Et recte numerum illorum dicit « sicut arenam maris, » quia videlicet non sunt ipsi, qui assimilentur ullo modo stellis cœli, nisi forte cum significatione casus et perditionis, ut illic : « Et D cauda ejus, videlicet draconis, trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram (*Apoc.* XII). » Quod de illis duntaxit recte dici potest, qui aliquando potuere fratres dici, ed exierunt ex nobis, quales hic per Gog, id est tectum significati sunt : Idcirco ergo « sicut arena maris, » quia non in cœlo nomina eorum, sed in terra scripta sunt, quemadmodum propheta dicit : « Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes a te in terra scribentur (*Jer.* XVII). » — « Isti ascenderunt, ait, super altitudinem terræ ; » de futuro rerum tempore, quod dixerat, « solvetur Satanas, et exibit, et congregabit, » ad præteritum visionis tempus rediit repente

dicendo, et ascenderunt, et circuierunt castra sanctorum. Ascenderunt ergo, subauditur in illa visionis imagine ; nam ascensuri sunt in re : ascensus eorum superbia eorum est. Denique tunc tempus eorum erit, ut ascendant in curribus et in equis gloriantes, locustæ subsiliant, et diffundantur super altitudinem terræ, late potentes, late dominantes sub tali tantoque terrarum principe. Ita ascendentes, ita superbientes « circuierunt castra sanctorum, et civitatem delectam. » Quod dixerat « castra sanctorum, » hoc manifestius repetivit dicendo, « et civitatem delectam. » Nam civitas dilecta castra sunt sanctorum, castra pacis et dilectionis, firmata fide, non materiali lapide, armata verbo, non ferro. Hujusmodi castra, talem civitatem circuierunt, non irruperunt ; impugnaverunt, non infregerunt. Foris sunt, et in circuitu impii ambulant, quia etsi corpori nocent, non tangunt animam ; si lacerant carnem, non lædunt fidem. Quid tandem ?

« Et descendit ignis de cœlo, et devoravit eos. Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudoprophetes cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. » Hæc omnia per anticipationem dicta sunt ; nam qualiter debeant fieri, qualiter ignis diabolum, et eos omnes quos ille seduxit, devoraturus sit, vel quomodo in stagnum ignis et sulphuris mittendi sunt, sequenti capitulo repetens latius exponit. Ait enim : « Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra et cœlum, et locus non est inventus ab eis. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni. Et libri aperti sunt ; et alius liber apertus est, qui est vitæ. Et judicati sunt mortui, et ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. » Ergo sessio ista, et cunctus iste apparatus ille est, quem prospiciens iste qui sessurus est cum jam ad passionem properaret hoc modo prolocutus est : « Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis (*Matth.* xxv), » etc. Thronus magnus illa magna altissimæ majestatis sedes est : thronus ille ut magnus, ita est et candidus, quia non est aut erit, quod in judicio illo jure reprehendatur : sedentem super eum, absque ullo nomine dixit, magnificentius personam illam silentio innuens ; quia nec ignota est, nec ignorari licet, et ut tunc non cognoscatur impossibile est : imo providendum est, ut quando sedens videbitur, benevolum habeat oculum præparatum qui visurus est. Nam contra malignos oculos de isto propheta loquitur : « Domine, exaltetur manus tua ut non videant, et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret (*Isa.* xxvi). » Nam quomodo zelantes populi, quomodo malevoli sustinebunt oculi ? Ait enim, quia ab aspectu ejus fugit terra et cœlum, et locus non est inventus ab eis. Quomodo **501** tunc fugiet terra aut cœlum. Nimirum

A terra magna conflagrata incendio pristinam amittet speciem, simulque opera terrena disparebunt, opera regum atque principum simul ruent, simulque ardebunt, nec remanebit lapis super lapidem civitatum sive munitionum, quascunque homines incipiente Cain ædificaverunt, nec saltem exiguus ex incendio residuus erit pulvis eorum. Hoc modo terra fugiens sanguinem quoque reddet omnem, quo corrupta est, ex quo jam dictus Cain interfecit fratrem suum Abel (*Gen.* iv), et corpora universa hominum, quibus ab initio repleta est. Nam hoc est quod ait : « Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni. » Porro cœlum sic fugiet, quomodo per Psalmista tam de terra quam de cœlo prædictum est : « Initio tu, Domine terram fundasti, et opera
B manuum tuarum sunt cœli ; ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur (*Psal.* ci). » Quod hic singulariter cœlum hoc idem illic pluraliter cœli significant, videlicet cœlum aereum, quia nimirum iste quoque aer crassior atque corpulentior cœlum dici consuevit : Unde et volucres, quæ volatu suo infimum non excedunt aerem, dicuntur tamen volucres cœli ; qui, videlicet aer cum sit unus, sunt tamen diversæ qualitates aeris pro locis et regionibus diversis, atque idcirco et unum cœlum, et multi dibuntur cœli. Hinc ait quidam ethnicorum :

Cœlum, non animum mutant qui trans mare currunt.
(Horat.)

C De istis cœlis non dubium est quin perituri sint, videlicet nimio calore soluti, quando super thronum suum magnum iste sedens apparebit. Nam de illis quoque Petrus apostolus in epistola sua dicit : « Cœli autem qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt reservati in diem judicii, et, perditionis impiorum hominum (*II Petr.* iii) ; » mirabilis atque pavenda erit illa fuga cœli sive cœlorum. Neque enim silentio fiet, sed terribiliter audienda est disrupio fugientium, sive fuga disruptorum seque disrumpentium, sicut vetus disrumpitur vestimentum. Ignis quippe non leviter tunc suas jussus exercebit vires, ut non parumper cœli crepitent, sicut nunc interdum invalescente æstivo calore crepitare solent (quem crepitum physici dicunt esse tonitruum)
D sed erit tempestas valida, validusque ignis qui in circuitu ardebit venientis, utpote ad vindictam exire jussus impiorum, ad examinanda merita bonorum et malorum. Possunt præterea per terram fugientem homines peccatores ; per cœlum autem, id est, aerem recte intelligi dæmones, quorum in aere potestas vagandi est. Sequitur enim : « Et locus non est inventus ab eis. » Illam quoque terram et illud cœlum recte hic intelligimus, cui fugiendi quidem voluntas sit, sed latendi locus nullus inveniri possit a conspectu sedentis super thronum scilicet homines impios, et spiritus malignos, qui tanti judicis aspectum fugere non valebunt, nec obtinere poterunt

optando abscondere se in scissuris petrarum et dicendo « montibus : Cadite super nos ; et collibus : Cooperite nos a facie sedentis super thronum (*Apoc.* VI) ; sed universi coram adibunt, omnes producentur ad publicum. Unde protinus subjungit : « Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni. » Magnos et pusillos dixit : quod idem est ac si dicat, neminem latere posse quin coram adsit, sive magnus, sive pusillus ille sit. Nec vero facies tantum, sed conscientiæ quoque parebunt : Hoc est quod continuo subjicit : « Et libri aperti sunt. » Apertio namque librorum manifestatio erit conscientiarum. « Omnes enim nos, ait Apostolus, manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui prout gessit sive bonum sive malum (*II Cor.* V). » — « Et alius liber apertus est, qui est vitæ. » Liber iste divinæ præscientiæ et beatæ prædestinationis certitudo est. Multum ad veritatem judicii operabitur hic liber, quia videlicet salvari fas non est, nisi tantum illos, qui in hoc libro vitæ scripti, id est, ad vitam sunt præordinati, quos jam tunc Deus scripserat, et quos nasci jubebat quando formatis hominibus primis masculo et femina, parentibus nostris gratuita benedictione benedixit illis dicens : « Crescite et multiplicamini (*Gen.* I). » Nam cæterorum omnium causa ut nascerentur, peccatum accessit primæ prævaricationis sicut indicat textus vel ordo narrationis. Ad mulierem namque dixit idem Deus peccato jam consummato : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos (*Gen.* III). » Multum igitur, ut jam dictum est, ad veritatem judicii simulque ad laudem misericordiæ liber iste apertus, qui est vitæ, operabitur cum cunctis palam fiet, quia nullus eorum qui perditionem malis sibi operibus conquisierunt fuit præordinatus, itemque nullus eorum qui ad vitam præordinati fuerunt, quique illa benedictione nasci jussi sunt saluti deerit, neque cum ejusmodi operibus, tunc apparebit ut debeat condemnari salvatus gratia permanentis et perseverantis ejusdem benedictionis. Hinc enim gratulando pro victoria dicet misericordia his qui stabunt a dextris : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum est a constitutione mundi (*Matth.* V). » Nimirum hæc eo dicente non parvo celebrabitur vel commemorabitur triumpho victrix benedictio Dei, quod inter tot subsecutæ maledictionis spinas, et tribulos crescere, et ad perfectum perduci potuerit ad laudem ipsius, qui propter nos homo factus maledictionem solvit, et priorem benedictionem recuperavit. « Et judicati sunt, inquit, mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. » Hoc ita certum est, ut nemini vacet nescire, cujus ore recitandum sit quidquid in libris illis scriptum est. Rex ipse sedens super thronum ita se recitaturum asseruit, primum his qui a dextris ejus erunt : « Esurivi enim et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi potum (*ibid.*). » etc. Econtra de conscientiis illorum qui a sinistris erunt, pronuntiabit quod hæc omnia non fecerint, et idcirco dicet illis, dicet, maledicti, in ignem æternum (*Ibid.*). » Ibi demum nihil latebit, ubicunque vel qualicunque fine consumptus fuerit. Unde et protinus subjungit : « Et dedit mare mortuos suos qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant. » Mare, videlicet corpora, mors et infernus dederunt animas. Et quidem non solum mare, verum etiam terra de sepulcris omnia reddet corpora. Sed pulchre solum mare hic dixisse contentus est, de quo magis ab infidelibus dubitari poterat, quibus cum incredibile videatur posse nostra de pulvere terræ in integrum reformari corpora, multo magis impossibile æstimatur de mari cunctisque fluminibus revocari, sic omnino consumpta, ut ne pulvis quidem exiguus superstes usquam compareat. Porro mors et infernus hoc differunt, quod infernus malorum tantum, mors autem dicatur et sit etiam bonorum. Nam « pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV). » Igitur « mors et infernus dederunt mortuos suos, » id est, beatorum mortuorum, qui in Domino mortui sunt, et damnatorum, qui in inferno deputati sunt (*Apoc.* XIV), animæ ad propria corpora revertentur, ubicunque corpora ipsa fuerint, etiam ipsa quæ in profundo maris belluina voracitas consumpsit **592** Sequitur :

« Et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum, et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc mors secunda est. Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, in stagnum missus est ignis. » Hoc jam dixerat, quia judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum, et interposito, quia « dedit mare mortuos suos qui in eo erant, » et » mors et infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant, » tunc demum repetit : « Et judicatum est, inquiens, de singulis secundum opera ipsorum. » Nimirum quia impiorum, de quibus protinus subjungit, « et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. » duplex damnatio est. Nam et antequam resurgant cum corporibus suis resurrectione qua mare quoque reddet mortuos suos, judicatæ apud inferos cruciantur animæ impiorum, et postquam resurrexerint, tunc judicatæ pariter animæ cum corporibus suis cruciabuntur in sæcula sæculorum. Tunc infernus et mors, id est homines impii, qui a sinistris erunt cum diabolo et angelis ejus mittentur in stagnum ignis. Et hæc, inquit, secunda mors est. » Videlicet de qua superius cum dixisset : « Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima, » subjunxit atque ait : « In his secunda mors non habet potestatem. » Ergo cum sit resurrectio prima resurgere a peccatis per fidem Christi, recte prima mors peccatum, secunda autem mors intelligitur æterna vindicta peccati, de qua iterum subjungit : « Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, in stagnum missus est ignis. » Quod idcirco repetere videtur, quia videlicet ut mittantur in stagnum ignis duplici pro causa fuit, id est, et pro peccato originali, a quo

liberati non sunt per fidem Christi, et pro actualibus peccatis, quæ singuli in vita sua superaddiderunt prævaricationi illi. Itaque quod superius anticipandi dixerat: « Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis ardentis et sulphuris, ubi bestia et pseudoprophetes cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum, » hoc ipsum ab eo loco usque ad præsentem terminum demonstratum est qualiter fiet. Ab hinc beatum immortalitatis statum eorum, qui a dextris erunt, quibus dictum erit : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, » significant sequentia visionis qualis futurus sit.

Cap. XXI.—« Et vidi cælum novum et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit, et mare jam non est. Et civitatem sanctam Jerusalem novam vidi descendentem de cœlo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. » Exterminatis illis, qui corruperunt terram, « vidi, inquit, cœlum novum, et terram, novam, » id est cœli et terræ speciem novam, et in melius commutatam. Primum enim cœlum, et prima terra, id est, cœli et terræ species pristina abiit sive fugit, sicut supra dictum est, qui a conspectu sedentis super thronum fugit terra et cœlum. Porro de eo quod ait : « Et mare jam non est. » Dubie a doctoribus tractatum est, utrum maris fluida substantia penitus siccanda et adnihilanda sit magnitudine illius incendii, quo deflagrabitur universitas sæculi, an in melius commutanda, ut ejus quoque substantia quidem permaneat, sed species alia sit. Cunctis igitur innovatis : « Vidi, ait, civitatem sanctam Jerusalem novam. » Tanto namque venerabili præconio sanctorum atque electorum universitatem efferri decuit, ut diceret eam civitatem, meritis sanctam nomine Jerusalem, habitu novam; nimirum, quia hæc civitas sancta est ; illa autem quam superius viderat, inimica hujus, meretrix et mater fornicationum, et dicitur et est. Ista Jerusalem nomine suo, suam et Dei sui veram significans pacem: illa Babylon vocabulo suo, suam designans confusionem. Ista nova et perseverans in juventute æternæ ; illa celeri juventute per fornicationes expensa, atque in brevi consumpta, deinceps corrugatur vetustate sempiterna. Quæ est enim hujus novitas, nisi gemina sanctæ regenerationis gratia? Nunc enim regenerata per primam resurrectionem, id est, per Christi baptismum, in novitate vitæ ambulat (*Rom.* VI). tunc autem, cum factum fuerit, quod præsens visio præscribit, regenerata erit per secundam resurrectionem, de qua ipse Christus : « In regeneratione, inquit, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ (*Matth.* XIX), » etc. Erit ergo tunc vere nova, tam in corpore quam in anima. « Talem vidi, inquit descendentem de cœlo, » et exponens quid dixerit, addidit : « A Deo paratam. » Non enim sibi arrogat id quod est illa civitas sancta, sed a Deo se accepisse, non suis meritis, sed cœlesti gratia, semper meminit, et sempiternas agi gratias. Quomodo paratam a Deo? » Sicut sponsam, inquit, ornatam viro suo. »

Multum per omnia civitas hæc prædicatur dissimilis civitati illi meretrici. Illa namque in habitu meretricis sedens super bestiam coccineam plena nominibus blasphemiæ, prostituta et fornicaria patenter arguitur, prostituta dæmoniis, fornicata cum regibus. Hæc autem uni viro suo, uni Deo suo pudice ornata pronuntiatur, et sicut sponsa, videlicet jam præparatas ingrediendo ad nuptias adultera illa meritas mortis et inferni subeunte pœnas. Sequitur; « Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: et habitavit cum illis : Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. » Vere magna et delectabilis vox ista quam sanctam civitatem, et sponsam suam ipse, qui sedet in throno, dignam demonstrat atque commendat. Neque enim illa unquam commendavit seipsam, atque idcirco dignum est, ut vir suus, Deus suus commendet illam. Econtra meretrix illa corruptis et corruptibus suis semetipsam commendat, semetipsam corde et ore proprio apud illos in malis propriis magnificat ; nam in fronte ejus nomen scriptum mysterium : « Babylon magna, mater fornicationum, et abominationum terræ » Item ipsa in corde suo dicit : « Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo. » Hæc autem non semetipsam commendat, sed Deus suus, vir suus, sedens in throno magna voce illam commendat. « Ecce, inquit, tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis. » Ecce, demonstrantis adverbium, magnum est magnæ gratulationis indicium lætantis ore prolatum, quia, quemadmodum Psalmista dicit : « Lætabitur Dominus in operibus suis (*Psal.* CIII); » hoc namque tabernaculum opus Domini est, universa ornamenta ejus ab intus et de foris pulchra sunt opera Domini, digna præconia demonstrantis Domini, digna lætitia cordis Domini, ut sicut jam dictum est, propheta testante, lætetur in illis. Ex quo formato homine primo costam de latere ejus tulit, et ædificavit eam in mulierem (*Gen.* II), ex tunc Deus hoc tabernaculum suum ædificare non desiit, aut desinit donec compleat, et dicat : « Ecce tabernaculum Dei. » Porro quod addit cum hominibus, idem est ac si dicat ex hominibus. Totum namque hoc tabernaculum ex hominibus ædificatum est. Unde et lapides vivi dicuntur, tonsionibus, pressuris expoliti, et suis quippe locis per manum **503** artificis Dei bene dispositi. Quomodo autem « et Deus habitabit cum eis, » nisi quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » Deus homo factus secundum veritatem naturæ est, et semper erit unus ex nobis ? Et quia per passionem auctor salutis nostræ consummatus recte dictum. « Et ipsi populus ejus erunt. » Et quia ipse qui possidet, eorum quos possidet possessio est addit adhuc : « Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. » Sequitur:

« Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt. » Mira veritatis assertio : « absterget, inquit, Deus

omnem lacrimam ab oculis eorum.» Magnificentius exprimi non potuit multitudo consolationis, quæ in isto sæculo flentibus, illic reposita est sanctis et electis Dei. Hujusmodi namque dictio a similitudine tracta est matris, quæ, parvuli sui fletum non sustinens, oculos ejus et faciem manu tergit, mulcet osculis. Pro intimando nobis tanto effectu suo idem Deus in propheta inter cætera dicit: « Pueri eorum in humeris portabuntur, et super genua consolabuntur (*Isa.* LXVI). » Statimque ad ipsos parvulos apostropham facit, et dicit eis idem gratiæ spiritus : «Quemadmodum mater consoletur filios suos, ita et ego consolabor vos, et in Hierusalem consolabimini (*ibid*). » etc. Frustra autem de oculis fletus abstergi videretur, nisi etiam ipsa flendi causa tolleretur. Recte protinus sequitur, et dixit : « Et mors ultra non erit.» Nomine mortis universas breviter comprehendit angustias mortalitatis. Ac si dicat : Et meretrix illa, quam de sanguine sanctorum ebriam vidisti, nequaquam ultra quidquam de sanguine illorum bibere poterit ; quippe qui nec ullo modo ultra jam poterunt mori. Sublata autem morte consequenter et luctus tollitur. Ait ergo : « Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. » Statimque sequitur : « Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. » Hoc ille dicit cujus dixisse fecisse est ; « nova erunt omnia, » quia talia erunt, « quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II.) » Illa prima, scilicet omnia vetera, omnia mala abierunt, mors et luctus, et clamor et dolor, et hæc omnia nova, omnia bona, ordine recto succedunt. Non ita autem in processu illius meretricis. Sed quid? Omnia bona illius prima abierunt, purpura ejus, aurum ejus, lapides pretiosi ejus, omne lignum thynum ejus, margaritæ ejus, omnia vasa eboris ejus, et cæteræ divitiæ ejus, quæ superius pereuntes referuntur, et deinde ordine suo succedunt, mors et luctus, et fames, et combustio ignis sulphurei, et pro omnibus his semel et iterum, ac tertio, væ, væ, væ, conclamatur illi. « Et dicit mihi : Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera.» Ipse qui sedet in throno, qui omnia faciendo dicit, et dicendo facit ore suo, «dicit mihi : Scribe, » munere suo facit hoc ut sciam, et dignus sim scribere apostolica simul et evangelica auctoritate. Et quare scribere debeam subjuncta testificatur causa, « quia hæc verba, inquit, fidelissima sunt et vera. » Fidelissima, videlicet in promissione bonorum, vera in comminatione malorum, quæcunque præcedenti loco conscripta sunt in apparatu terribili simul et exspectabili sedentis super thronum. « Et dixit mihi: Factum est. » Ipse qui primo adventu suo juraverat, sive jurare visus fuerat superius, « per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus amplius non erit (*Apoc.* X). » sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei sicut evangelizavit per servos suos prophetas, idem

A hic in præsignatione secundi adventus sui dicit : « Factum est. » Quid est enim dicere, « factum est, » nisi mysterium Dei consummatum est? Ergo factum est, consummatum est tempus pœnitentiæ, sive commutationis amplius non erit. Chaos enim magnum firmatum est inter Babylonem illam meretricem damnatam, et Hierusalem istam civitatem sanctam Dei sponsam, ut nec illius tormentum aut luctus ultra mitigetur, nec istius gaudium vel ornatus amplius diminuatur (*Luc.* XVI). Hoc dicto confestim pulcherrimo quasi epilogo utitur dicendo sic : « Ego sum » et «, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis. Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et illi erit mihi filius. Timidis autem et incredulis et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et

B omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda.» Breviter namque ea de quibus hactenus sermonem feci, vel quorum huic imagines ostendit, quæ et verba fidelissima atque vera pronuntiavit, scilicet de bonis eorum, qui a dextris, et de malis eorum qui in illo judicio statuentur a sinistris. Nam quod ait : « Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis, qui vicerit possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius,» fidelissima sunt verba his reposita, qui a dextris erunt, quæ sequuntur : « Timidis autem incredulis, et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda, » verba

C sunt vera in eos qui a sinistris erunt. De quorum omnium fidelitate ac veritate ne quis dubitet, suam auctoritatem ipsa quæ loquitur veritas, mira cum gravitate interponit dicendo : « Ego sum » et «, initium et finis.» De ista sui met quadam descriptione jam initio dictum est, ubi idem ait : « Ego sum α et ω, principium et finis (*Apoc.* I).» Veraciter omnia hæc quæ hac ultima periocha dicta sunt eo modo dicta sunt, ut plena sint timoris, et secundum hæc opera sua, vel judicia sua Spiritus sanctus recte dicitur, et est spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). Hic timor Domini sanctus est (*Psal.* XVIII), quia omnes sanctos, et electos Dei timoratos facit. Timoratos, inquam, non timidos omnes illos facit, quia quantumcunque in sanctitate profecerint, considerantes

D veritatem atque severitatem tremendi judicii, timent et tremunt adhuc, nec enim sese comprehendisse arbitrantur (*I Cor.* IX), et nihilominus fortes sunt, et currunt ut comprehendat, quod timidi non faciunt. Timidi namque dicuntur et sunt, qui neque fidem, neque spem habent futurorum, et tunc demum recte timidi dicuntur, cum de promissionibus Dei dubitantes nihil forte propter spem vitæ, nihil arduum propter præmiorum fiduciam aggrediuntur, Idcirco recte præsenti loco timidi cum incredulis sociantur ; et sicut incredulorum, ita timidorum quoque pars in stagno ardenti fore denuntiatur. Et hæc quidem retributio justitiæ est, illa autem donatio

gratiæ quæ sanctis promittitur in remuneratione. Proinde cum dixisset : « Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ, » addidit, « gratis, » quia nimirum hoc (C) ipsum quod sitit operando, quod operatur sitiendo, et desiderando ad Deum, « quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum (*Psal.* XLI), » totum muneris est divini, muneris gratuiti. Ipse enim et gratis nos fecit, et gratis **504** antequam essemus omnes, sanctos suos ad vitam prædestinavit, et cum perissemus in Adam, itidem gratis nos vocavit, atque a

A peccatis regenerante Christi gratia justificavit (*Rom.* VIII). Consequenter igitur et illud gratiæ erit vel est, quod vocatos atque justificatos magnificavit illa magnificatione ut sint filii Dei, quemadmodum dicit : « Et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. » et bibent « de fonte aquæ vivæ, » ita ut inebrientur, quemadmodum Psalmista dicit : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV). »

LIBER DUODECIMUS

Septem spirituum Dei opera spectavimus, quæ vel qualia cum genere humano operati sunt ab initio usque ad finem sæculi, singuli ordine suo a primo qui est Spiritus sapientiæ usque ad ultimum ejusdem ordinis Spiritum timoris Domini. Nam, sicut alias dictum est, nobis quidem ascendentibus ad Deum primus in ordine est Spiritus timoris Domini, testante Scriptura cum dicit : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX). » Sed descendenti ad nos gratia cœlesti, alius in propheta computatur ordo eorumdem spirituum Domini, cum de flore qui de virga prodeunte ex radice Jesse ascendit, loquens ita dicit : « Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Horum ergo C spirituum opera secundum sanctarum auctoritate Scripturarum requirentes spectavimus, et pro posse scrutati sumus septem periochas, determinando secundum eosdem spiritus, quoniam ab ipsis gratiam et pacem nobis annuntiabat scriptor libri hujus in Christo Jesu, dicens in initio : « Gratia vobis ab eo qui est, et qui erat et qui venturus est, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, et ab Jesu Christo (*Apoc.* I), » etc. Nunc tandem in calce visionis sive revelationis hujus universitas huic Joanni demonstratur totius operis, quod Jesus Christus tot impensis, tot spirituum suorum gratiis vel donis ædificavit, scilicet civitas sancta Hierusalem, quæ est Ecclesia Dei non qualis in ista peregrinatione est, vel qualis in ultimo judicio stabit a dextris, D sicut paulo ante dictum est, non sine aliquanto timore donec transeat furor Domini, quo in ignem æternum mittentur sinistri, sed qualis post judicium in gloria æterna erit, sola et tota, alienis omnibus foras missis, perfruens visione Dei. Hoc ita incipit :

« Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum, dicens : Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni, et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo a Deo, ha-

B bentem claritatem Dei. » Unus iste de septem angelis, unus est Christus, qui in omnibus eisdem loquitur angelis, id est prædicatoribus sanctis, quemadmodum dicit quidam illorum apostolus Paulus : « An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus ? » (*II Cor.* XIII.) Hic unus futurum erat ut veniret ad istum dilectum suum Joannem, et appareret illi cum discipulis suis, sicut in pervulgata assumptionis ejus historia legis, dicens : « Veni, dilecte mi, ad me, quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis. » Hoc ergo præsignans iste unus de septem angelis locutus est, ait, mecum dicens : « Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni. » Qui enim hæc dicit, epulas utique nuptiales illis esse innuit, de quibus, ut jam dictum est, dicendum huic erat, quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis. Sponsa quippe est in convivio nuptiali. Quare autem utrumque dixit, et sponsam, et uxorem Agni ? videlicet quia conjugium Agni, et unicæ Ecclesiæ ejus virginale est, etiam illic, ubi jam uxor erit in plenitudine voluptatis, sponsa nihilominus permanebit, quia nimirum in illa beata copula semper uxor cum filiis, semper virgo erit permanentibus nuptiis, et sponsalibus festis. « Et sustulit me, inquit, in spiritu in montem magnum et altum. » Vere qui ad visionem divinitatis transfertur quod huic futurum erat, sicut jam diximus, in magnam altitudinem altamque magnitudinem montis æterni sustollitur. Mons quippe iste Christus est, qui tanquam « lapis modicus de monte excisus sine manibus, » id est in humilitate nostræ conditionis de Virgine natus crevit, « factusque est mons magnus, et implevit orbem terrarum (*Dan.* VII), » crevit ascendendo super choros angelorum, Dominus omnium cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil.* II). « In montem hunc magnum et altum sustulit me, ait, et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem. » Ergo super istum Christum civitas Christi fundata vel ædificata est. Hoc ita verum est, ut per prophetam quoque Deum legamus dixisse de illo : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem summum, angularem, pretiosum, in

fundamento fundatum (*Isa.* XXVIII). » Sed et ipse lapis in Evangelio contra Scribas et Pharisæos (*Matth.* XX; *Luc.* XX), Psalmistæ pro semetipso utitur testimonio, cum dicit : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Psal.* CXVII). » **505** Recte ergo super montem civitas ostenditur quæ super ipsum Christum Ecclesia Christi fundata esse cognoscitur, mira ædificatione, mira fundamenti et lapidum positione. Omnis namque ædificatio cuncta ædificia civitatum sive domorum quæcunque in hoc mundo sunt, lapidem fundamenti habent deorsum infimum et parietem sursum. Hæc autem ædificatio vel civitas quæ hic in Spiritu ostenditur, fundamentum sursum habet altissimum, unde pendet omnis stuctura parietum, omnis spes et amor populorum fidelium, tam Judæorum qui priores fuerunt quam gentilium qui posterius ædificati sunt. Hanc civitatem dicit sanctam, et nuncupat Hierusalem, quia sancta est Ecclesia Sponsi, sui sanguine sacrata, æternæ pacis possidens, et possessura visionem. Unde ad eam in psalmo loquitur Spiritus sanctus : « Lauda, Hierusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem (*Psal.* CXLVII). » Eam dicit : « Descendentem de cœlo a Deo. » Ut supra jam dixerat : « Descendentem, » inquam, non cadentem, ut cecidit ille angelus, et factus est diabolus et Satanas. Cadere namque superbiæ est, descendere humilitatis, in quo semper descensu se continens illa Hierusalem in æternum stabit sciens, quia quod est non suis viribus est aut meritis, sed gratia Dei (*I Cor.* XV), quæ cum Christo de cœlo descendit. Talis descensus gloriosus est, et in magna claritate sublimis. Cum ergo dixisset, « descendentem de cœlo, » recte subjunxit :

« Habentem claritatem Dei. » Pulchre nimirum descendit, quæ in ipso descensu, in ipsa humilitate descensus sui claritatem habet Dei, id est, similis est charitati Dei. Charissimum quippe Deum videndo ipsa quoque secundum similitudinem ejus resplendet, et clarissima est. Hinc in Epistola sua hic idem Joannes ait : « Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus; scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Nec vero solummodo in anima, verum etiam in corpore habebit claritatem Dei, id est claritatem, qua post resurrectionem suam clarificatum est corpus Filii Dei. Sic enim Apostolus dicit : « Unde et salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Phil.* III). » Hoc ipsum præsenti loco amplius astruit, cum protinus subjungit : « Lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis sicut crystallum. » Nam ac si quæreres quomodo dixerit habentem claritatem Dei, lumen ejus simile lapidi pretioso, id est Christo, qui utique lapis dicitur, et pretiosus est. Porro hæc si-

A militudo in diversi generis lapides duos dispertitur, dicendo, « tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. » Non enim ex una re, sed ex duabus Ecclesia Deo vel Christo similis efficitur, scilicet non ex fide tantum, sed ex fide simul et virtutum operibus. Per jaspidem ergo virtutum pulchritudinem; per crystallum fidei, quam in baptismo percepit, conservatam intelligimus puritatem. « Et habebat murum magnum et altum, habens portas duodecim, et in portis angulos duodecim. » Murus magnus et altus est illi æterna firmitas incorruptibilis præsidii, ubi suos quisque fidelium thesauros securus reponere possit. Unde ipse Dominus et rex civitatis hujus dicit in Evangelio suo : « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, quo fur non appropinquat, sive ubi fures non

B effodiunt, nec furantur (*Matth.* VI; *Luc.* XII). » Murus iste chaos illud est, de quo pater Abraham sepultis in inferno verissime dicit : « Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt inde hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare (*Luc.* XVI). » Porro duodecim portæ ejus duodecim apostoli sunt, qui pro officio quo hic nobis regnum Dei prædicando aperuerunt, et januæ nobis ad vitam exstiterunt, honorem illic ampliorem habebunt, quanto ampliorem in civitatibus habent portæ honorem sive pulchritudinem a cætero ambitu murorum. In his portis anguli duodecim universi sunt doctores quicunque ædificationi Ecclesiæ studentes, eique voce et litteris servientes, fidei et auctoritati institerunt atque innisi sunt apostolorum duodecim. « Et nomina scripta quæ sunt

C nomina duodecim tribuum filiorum Israel. » Ipsi namque apostoli duodecim nominati et inclyti sunt filii spiritualis Israel, id est Christi, cujus in typum pater Jacob, sive Israel carnaliter duodecim genuit filios duodecim tribuum patres. Ergo et duodecim apostoli Christi, et duodecim tribus Israel, duodecim civitatis hujus portæ sunt, sed modo diverso, apostoli namque in re, tribus vero Israel in significatione. Quod ut compendiosius clarescat, vide quid sequitur :

« Ab oriente portæ tres, ab austro portæ tres, ab aquilone portæ tres, et ab occasu portæ tres. » Hoc de spiritali quæ per apostolos consummatur positione necessario intelligitur. Porro in perfectione duodecim tribuum filiorum Israel ascendentium ex Ægy-

D pto, talis ad imperium Domini positio castrorum exstitit, ut ad orientem tribus tres, ad meridiem tribus tres ad occidentem tribus tres, et ad aquilonem castra metarentur tribus tres (*Num.* II). Itaque cum de signatis duodecim portis dicit : « Et nomina scripta, quæ sunt duodecim tribuum filiorum Israel, » pulchre diligenter lectorem ad significativam illam castrorum positionem mittit, memorem simul quid huic sponsæ suæ, huic civitati sanctæ Hierusalem dicat in Canticis : « Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata (*Cant.* VI). » Item : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea (*ibid.*). »

Ut autem de spiritali positione portarum cœpta A percurramus, quid sibi vult quod ait, « ab oriente portæ tres, ab austro portæ tres, ab aquilone portæ tres, et ab occasu portæ tres, » nisi quia sancta apostolica fides in Trinitatis nomine consistens per ministerium illorum excepit nos ab omni gente et natione, ab omni sexu et ætate venientes? Amplius autem hæc plagarum mundi distinctio in his ætatibus utiliter intelligitur, pueritiæ, adolescentiæ, juventæ atque senectæ, ut hoc sit ab oriente, ab austro sive meridie, ab occasu atque ab occidente ternas portas patere ab omni ætate, quacunque ætate quis convertatur, evangelica atque apostolica regula indifferenter aditum in civitatem sanctam, id est Ecclesiam, per fidem sanctæ Trinitatis patuisse. Nam per orientem puritia, per meridiem adolescentia sive juventus fervida, per B occidentem ætas perfecta, per aquilonem recte intelligitur senectus decrepita. Unde quidam Christianæ scholæ versificator insignis ita dicit :

Seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos
Accendat, nimius seu consummabilis ævi
Perficiat lux plena viros, sive algida boreæ
Ætas decrepitam vocet ad pia sacra senectam.
Occurrit trinum, quadrina ad compita Numen.

Non autem hæc idcirco dicuntur, quod illic jam post judicium susceptio sit futura venientium, sed quia, quamvis cesset suscipiendi officium, ordo tamen et meritum perseverat eorum, qui toti mundo prædicantes, suo labore omnes **506** gentes universas ætates ad unam fidem collegerunt et susceperunt. Sequitur : C

« Et murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum et Agni. » Iidem apostoli qui portæ ipsi civitatis hujus et fundamenta sunt. Nam super fidem illorum fundata est Ecclesia Dei ; verumtamen ita ut fundamenta ipsorum Christus sit. Denique, ab hoc fundamento unico, ipsi fundamenta sic dicuntur, quomodo unus idemque primus eorum a petra, quæ sine dubio Christus est, dictus est Petrus. Idcirco cum dixisset, « et in ipsis » fundamentis « duodecim nomina duodecim apostolorum » competenter addidit, « et Agni. » Etenim quæcunque scripserunt, quibus videlicet scriptis eorum, tanquam fundamentis, universum fidei Christianæ et doctrinæ ecclesiasticæ innititur ædificium, non de suo scripserunt, sed de plenitudine Agni acceperunt, et verbis ejus D evangelicis tota intentione inhæserunt atque instituerunt. Ista sunt fundamenta et istæ portæ, de quibus Spiritus sanctus in psalmo dicit : « Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI). » Est enim sensus : Sancti montes, id est apostoli, per fidem et doctrinam fundamenta erunt gloriosæ civitatis Dei, iidemque et portæ ejus, quia per prædicationem et miracula illorum intrabitur in illam Sion. « Portas istas diligit Dominus super omnia tabernacula Jacob, » id est plus quam omnes militantes sibi in priori populo. Licet enim Moses et alii prophetæ sancte et juste vixerint, et nimiæ sanctitatis et fidei fuerint, eorum tamen merita apostolorum dignitas excellit, qui non solum recte vixerunt, sed etiam ipsum Dominum (quem illi a longe prædixerant) corporali præsentia viderunt, ac dulcissimæ prædicationis ejus interiori pastu refici meruerunt, suam quoque crucem tollentes ejus vestigia secuti sunt, nuntiantes pacem in morte ejus hominibus datam ubique terrarum. Quamvis autem hic in his fundamentis nomina tantum apostolorum scripta dicantur, et non etiam prophetarum, tam et prophetæ civitatis hujus fundamenta sunt; sic enim in uno et istis fundamentis, scilicet Paulo apostolo legimus scriptum : « Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamenta apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II). » Et illi quidem etiam tempore priores quam apostoli fuerunt, sed nobis superædificatis vel superædificationibus sic semper fuit et est ædificandum, ut prophetas legendo aut disserendo, quæcunque illi scripserunt aut locuti sunt, cuncta studiose ad apostolica comportemus fundamenta, et nihil de illis sentiamus, nisi quod per apostolos conscripta tam evangelicis quam epistolaribus libris evangelica probat ac recipit veritas. Ergo etiam prophetæ fundamenta quidem sunt, sed apostoli fundamenta fundamentorum, Christus autem fundamentum omnium fundamentorum, qui hic Agnus dicitur, idcirco videlicet, quia fundamenta hæc omnia maxime fundamento innituntur passionis ejus propter quem Christus Dominus dicitur Agnus. Sequitur :

« Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem et portas ejus et murum. Et civitas in quadro posita est. Longitudo ejus tanta est quanta latitudo, et mensus est civitatem de arundine per stadia duodecim millia : longitudo, et latitudo et altitudo ejus æqualia sunt : et mensus est muros ejus, centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis quæ est Angeli. » Mensor iste nimirum gratiarum distributor, earumque remunerator est. Ipse est enim, de quo Joannes Baptista loquitur : « Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus et gratiam pro gratia (*Joan.* I). » Prius enim in hac vita gratiam dat, diversa credentibus in se tribuens charismata (*I Cor.* XII), et post, in illo sæculo de quo nunc sermo est, pro gratia bene expensa retributionis æternæ præmia recompensat. Unde notandum quia præsenti loco mensoris hujus mensura, et arundinea dicitur, et aurea. Porro superius quodam loco cum diceret hic Joannes : « Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicens : Surge, et metire templum Dei (*Apoc.* XI), » non dixit quod calamus ille esset aureus. Illic namque significabatur quo necessarium Ecclesiæ Christi Evangelium erat scripturus, in quo videlicet scribendi ministerio, præsens est labor, futura autem remuneratio, quando pro illa bene expensa gratia, reddenda speratur gratia, non qualiscunque, sed

aurea, id est locupletissima, ut videlicet illic perfecte cognoscat, qui hic fideliter scripsit aut docuit; quod ex parte cognoverat, hoc in isto significat mensura arundinea, mensura aurea. Nimirum prius, quando his de quibus nunc sermo est, apostolis imo et prophetis multisque Patribus sanctis, dabatur prædicandi vel scribendi gratia sive auctoritas, mensura erat tantum arundinea. Tunc autem ubi, sicut jam dictum est, gratia redditur pro gratia, recte mensura et arundinea est, et aurea. Sed nunquid soli remunerabuntur hi qui facultatem utiliter acceperunt in Scripturis sanctis? Solet namque per arundinem Scriptura significari, ut illic: « Increpa feras arundinis (*Psal.* LXVII), » id est compesce hæreticos ferociter corrumpentes Scripturas veritatis; arundine namque codices conscribuntur. Nunquid ergo soli in illa civitate remunerabuntur principes illi qui scripserunt, et non etiam cæteri, qui talem gratiam non acceperunt? Imo et cæteri quicunque Scripturis sanctis obedierunt. Ait enim: « Ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum. » Murus namque cujus et portæ et fundamenta sunt, universitas est electorum, qui tanquam lapides vivi super fundamenta hæc super ædificati sunt (*I Petr.* II), ad quamdam similitudinem lapidum materialium glutine congruo sibimet in structura manufacta cohærentium. Omnes omnino propriam mercedem accipient, singuli secundum suum laborem, et secundum mensoris gratiam cum qua laboraverunt (*I Cor.* III). « Et civitas, inquit, in quadro posita est, » id est summa omnium illic pax et concordia est, nec opus erit amplius, ut de pace commoneantur, verbi gratia, quatenus idipsum dicant omnes, et non sint in eis schismata (*I Cor.* I). Omnes sponte quasi naturaliter ibi sunt concordes, sicut in quadro ædificio parietes; sive anguli omnes sunt æquales. Hoc ipsum verbis aliis repetit, cum dicit continuo: « Longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo. » Amplius autem cum protinus addit: « Et mansus est civitatem de arundine per stadia duodecim millia. » Ut totidem stadia per quatuor partes intelligas, addit adhuc: « Longitudo et latitudo ejus æqualia sunt. » Addit tamen et altitudinem, de qua postmodum dicemus. Itaque cum in ambitu civitatis stadia duodecim millia perspicias, ipsa autem civitas quadra sit, facile potes advertere quot stadiis latera singula demetiantur, scilicet tribus millibus. Sed quomodo stabit id quod sequitur: « Et mensus est muros ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, » quod longe minus est quam tria millia stadiorum? Posset hoc dictum videri de altitudine murorum, quod videlicet muri centum quadraginta quatuor cubitis tenderent in altum, **507** si non dixisset, quia longitudo, et latitudo, et altitudo civitatis æqualia sunt. Erat autem, ut jam diximus, tam longitudo quam latitudo trium millium stadiorum, quod longe superat quantitatem centum quadraginta quatuor cubitorum. Igitur murus hic est alius; longe enim alia, longe minor hujus quantitas est, neque enim hoc vel suspicari licet,

A quod hic quidem cum dicit: « Et mensus est muros ejus centum quadraginta quatuor cubitorum quodcunque latus quadræ civitatis: » illic autem, ubi dixerat: « Et mensus est civitatem per stadia duodecim millia, » aream intelligere debemus ejusdem civitatis. Geometricalis namque disciplinæ ratio sic habet, quia omnis tetragonus æqualiter latera habens, unum latus multiplicat in se et ea semel multiplicatione aream suam implet. Porro quantitas hæc centum quadraginta quatuor cubitorum in semetipsam ducta, vix quidpiam ultra quindecim stadia complet. Quam longe hoc a duodecim millibus stadiorum minus est? Igitur alius, ut jam dictum est, hic atque alius ille civitatis murus est: quod qualiter in civitatibus manufactis fiat, ut intra murum ampliorem murus angustior contineatur, nostra demonstratione non indiget. Denique non incongrue quis ædificaverit, si intra civitatem, ejus ambitus duodecim millia stadiorum sit, arcem fecerit, cujus latus quodlibet centum quadraginta quatuor cubitorum sit. De spiritali ædificatione quærendum est, quia nimirum et ipsa litteræ superficie sentire compellimur, quod murus alius brevior inter murum ampliorem contineatur. Quid ergo dicemus? nisi quia, quamvis una civitas una Ecclesia sit, duo tamen sunt ordines civitatis, alius eorum qui foris persecutiones passi fortiter sunt præliati; alius eorum, qui bene operando in pace Ecclesiæ cursum consummaverunt vitæ præsentis. Stadia namque pugnantium laborem, cubiti significant operantium pacem. « Mensus est ergo civitatem de arudine per stadia duodecim millia, » id est, remuneravit magnum, et fortem illum sanctæ Ecclesiæ ordinem, qui in stadio cucurrit, et pugnavit, et per quatuor partes orbis terrarum sanctæ Trinitatis fidem testificando; qui numeri, scilicet quaternarius atque ternarius partes sunt duodenarii; quater namque tria, sive ter quatuor sunt duodecim; suum pro eodem testimonio sanguinem fudit, in quo nimirum ordine apostoli sunt et martyres Christi. Hujus profecto ordinis murus amplior breviorem centum quadraginta trium cubitorum interius murum continet, quia tantorum merita propugnatorum hoc effecerunt, ut infirmorum multitudo in Christi fide confirmata, bonis operibus insistendo ad ejusdem civitatis habitationem perveniret. Igitur nihil huic repugnat quod dicitur: « Longitudo, et latitudo, et altitudo ejus æqualia sunt, » per quam pulcherrimæ quadraturæ figuram consona, et indissociabiliter concors significatur confessio cunctarum, quæ illic ascenderunt sive ascendunt tribuum, tribuum Domini « ad confitendum nomini Domini (*Psal.* CXXI). » Longitudo civitatis consonantiam fidei; latitudo sufficientiam charitatis; altitudo perseverantiam spei illorum significat, quæ illic remuneranda est. « Mensura, inquit, hominis, quæ est angeli. » Æquales enim, inquit Dominus, erunt angelis, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. Juxta litteram, cum dicit: Mensura hominis quæ est angeli, Ange-

lum sibi apparuisse innuit in figura hominis. « Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. » Cum distinctionem facit muri et civitatis dicendo, « et erat stuctura muri ex lapide jaspide, » ipsa vero civitas aurum mundum, nomine muri firmiores, magisque spiritalis propositi fideles ; civitatis autem appellatione plateas civitatis, id est laxioris vitæ, maximeque laicalis ordinis multitudinem significat ; nec mirum quod plateas civitatis aurum fore mundum, sive sterni auro mundo prædicat. Addens, aurum illud sic fore mundum ut simile sit vitro mundo, quia sæcularis quoque vitæ nonnulli sunt summis compti virtutibus, qui et puritate mentis, et radio fulgent operis. Nam, qui veritatem fidei retinent, recte mundum dicuntur aurum, quia fides aurea virtus est, imo et auro pretiosior dicente Petro apostolo : Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur (*I Petr.* I). » Quia vero sanctam confessionem frequentant et peccata sua non defendunt, sed confitendo aperiunt, recte vitro mundo simile dicitur hoc aurum. Quod si quid reprehensibile adhuc in eis est, sperandum est quia post purgatorium ignem fulgidum magis placebit hoc aurum, ita ut totum aurum sit, quia sicut ait Apostolus : « Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, etsi cujus opus arserit, id est, peccatum solubile fuerit, ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III). » Sequitur :

« Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum jaspis ; secundum sapphirus ; tertium chalcedonius ; quartum smaragdus ; quintum sardonyx ; sextum sardonius ; septimum chrysolithus ; octavum beryllus ; nonum topazius ; decimum chrysoptasus undecimum hyacintus ; duodecimum amethystus. » Fundamenta civitatis, sicut jam dictum est, apostoli sunt, « quia murus civitatis, ait superius, habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina, duodecim apostolorum et Agni. » Ecce autem quam pulchra sunt fundamenta hæc, quam pulchri lapides isti, lapides sancti, qui, quando volvebantur super terram, contemptibiles videbantur divitibus hujus sæculi. Neque enim pulchritudo illorum tunc patebat in oculis hominum, quando tundebantur et percutiebantur, sed in oculis Domini pulchri erant, ut magis pulchri fierent, percussionibus tribulationum polliebantur. Illic pulchritudo et claritas illorum manifesta omnibus est et erit, ita ut quandoque videntes dicant impii : « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore (*Sap.* V). » Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est ? Nimirum, sicut lapides isti omnes pulchri et pretiosi sunt, diversa tamen pulchritudine, ita ut nullus eorum ulli alii sit omnino similis ; ita sancti apostoli omnes quidem inclyti sunt et gloriosi, diversa tamen gloria prout cuique superveniens in eos Spiritus sanctus contulit ; ita ut in distributione gratiarum, quas acceperunt miro modo, similitudo dissimilis, et dissimilitudo sit similis, et habitudo mentis, sive interioris hominis, ubi Christo sunt confirmati, in nullis eorum omnino eadem sit. De naturis lapidum singulorum plerique studiosius conscripserunt, singulorum qualitatibus sive coloribus lapidum pene singula diligenter assimilantes merita sanctorum. Sequitur adhuc : « Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas et singulæ portæ erant ex singulis margaritis. » Apostoli, sicut jam dictum est, et fundamenta dicuntur et portæ, miroque modo et in fundamentis pretiosorum nominibus lapidum, et in portis pretiosarum gloriosi prædicantur similitudine margaritarum : **508** Christus enim pretiosus lapis et pretiosa margarita, quam inventam negotiator sapiens emit (*Matth.* XIII), datis omnibus suis, ipse conformes illos faciens sibi, hoc dedit illis, ut in fundamentis et in portis margaritæ sint decoris. Decor namque sive pulchritudo, et gloria portarum, per quas ad illam civitatem a quatuor mundi partibus venientes introivimus, pulchrius aut convenientius quam nomine vel specie margaritarum significari non potuit. Nimirum, sicut femina nobilis pretiosis præculta margaritis, solet ad oculos hominum gloriari, viro suo subornata ; sic civitas illa quæ est Ecclesia, talibus principibus, tantis patribus, tam gloriosis apostolis gloriari potest, sponso suo Christo sic ornata ut sponsa. Unde sibi conscius Paulus apostolus, una profecto ex istis portis semper patentibus, Corinthiis loquitur : « Nam gloria vestra nos sumus, sicut et vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi (*I Cor.* I). » Quod idem est ac si diceret : Tanta nobis charismatum dona Spiritus sanctus contulit, tantum tamque fructuose nobiscum operata est gratia Dei, ut recte vobis adversum pseudoapostolos liceat gloriari pro nobis. Nihilominus quod cum dixisset, « nam gloria vestra nos sumus, » subjunxit : « sicut et vos nostra. » Hoc bene atque consonanter præsens littera prædicat, ubi præmisso : « et singulæ portæ erant ex singulis margaritis, » continuo subjungitur :

« Et plateæ civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. » Sed et supra dicturus : « Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, » præmisit : « Et erat structara muri ejus ex lapide jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. » Igitur veraciter « gloria vestra, inquit, nos sumus, sicut et vos nostra, » id est, gloriari vobis licet de collata nobis gratia, et nobis de fide, de conversatione vestra nostro labore parta, nec in alterutros nobis indecores aut indecentes sumus, sed sicut muros ex jaspide, vel civitatem auream, fundamenta deessent [decent] ex omni pretioso lapide ornata, sicut itidem auream civitatem porte ex margaritis condecent, sic populum Christianum condecorat principatus apostolorum, item vicissim tantis apostolis non indecans est talis populi profiteri prin-

cipatum. Sequitur : « Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus. » Magnifica spe, nostram, quæ in hac peregrinatione est, inopiam sive indigentiam spiritus veritatis consolatur, dum dicitur : « Et templum non vidi in ea, et civitas non eget sole neque luna, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus, et claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus. » Quantum enim hoc est vel erit ad comparationem ejus, quod de Deo nunc habemus, quod de Deo et Dei Filio Jesu Christo nunc videmus? Lapides congerimus, lapides materiales sine sensu, et sine anima comportamus, et ex ipsis domum construentes, in eisdem vel super eosdem nomen Domini invocamus, ut cujus faciem videre non possumus, ejus saltem sanctum nomen sciamus ubi vel quomodo invocare debeamus. Tunc quia ignorantiam ejusdem quoque nominis habuimus vel habemus lumen aliquantulum, id est, Scripturam sanctam nobis adhibemus, ut in ipsa, vel per ipsam utcunque perpendere queamus, non jam quid vel quomodo sit Deus, sed tantum quid non sit, et quod nulli creaturæ assimilandus sit Deus. At vero ubi « in illa Sion Deus deorum videbitur (*Psal.* LXXXIII) » « facie ad faciem, et sicut est (*I Cor.* XIII), » et ipse præsens habebitur intus in nobisipsis, in ipsa substantia animarum nostrarum inhabitans et inundans divinitas sentietur sicut impetus fluminis, sicut torrens voluptatis, et exterioribus quoque oculis (ut de substantia divinitatis taceam) de cujus visione sparsim disputatum est a patribus sanctis, utrum debeat vel possit corporalibus oculis videri; exterioribus, inquam, oculis illud divinitatis templum præsens videbitur, quod pulchre significatur cum dicitur : « Et Agnus templum est illius. » Nam vere Agnus templum Dei, templum sanctæ Trinitatis est, et erit, secundum fabricam sui corporis, « in quo corporaliter habitat plenitudo divinitatis (*Coloss.* II). » Ipse enim dixit : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem, inquit evangelista, dicebat de templo corporis sui (*Joan.* II). Quo igitur ibi nobis templum manufactum, quale hic facimus ad invocandum nomen Domini, cum ibi præsens conspiciatur facies Domini, et pulchritudo templi non manufacti, id est, glorificati corporis Christi? Quo nobis illic solem aut lunam quærere Scripturarum, ubi in semetipso, et in corde Patris, Deus Verbum, cujus hic indices Scripturæ necessariæ sunt? Nam, sicut in psalmo per id quod dicitur : « Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam (*Psal.* XVIII), » ita et hic per solem et lunam majorem et minorem recte intelligimus scientiam Scripturarum, quæ illic necessariæ non erunt. Alias autem et vere visibilibus istis sole et luna civitas ille non egebit, ubi nox non erit, sed nec dies, ut perpetuus ibi sit, hujus qui nunc per circuitum gyrat, statione solis indi-

A gebit. Nam, ut de cætero taceam lumine civitatis, ipse Dominus in Evangelio dicit : « Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum (*Matth.* XIII). » Quid ergo sol ad illuminationem illic conferre poterit, ubi tot quasi soles erunt, quot electi homines sive angeli? Verum ipse fulgor angelorum ex lumine erit unius Dei unde et dicit : « Nam claritas Dei illuminavit eam et lucerna ejus est Agnus. Et ambulabunt gentes per lumen ejus, et reges terræ afferunt gloriam suam et honorem in illam. » Ambulabunt gentes, inquit, atque hoc dicto, magnifica contingit atque commemorat beneficia vel opera misericordiarum Domini. Non enim parvi ponderis aut momenti habet, quod gentes appellat eos hic qui ambulant in tali lumine tam gloriosæ civitatis.
B Idem est ac si dicat : « Illi, qui prius erant gentes, ad simulacra muta, inquit apostolus, prout ducebantur euntes (*I Cor.* XII), » qualibus idem ait : « Propter quod memores quod aliquando vos gentes in carne, qui dicemini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta; quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo (*Ephes.* II). » etc. Illi, inquam, in tali civitate, in tali civitatis lumine ambulant facti domestici Dei, et super illorum, de quibus jam dictum est, apostolorum fundamentum superædificati. Mirabuntur quippe, et ora ipsorum semper plena laudibus gratiæ Dei, quod de tam longinquo in illam sint civitatem congregati, utpote quos, ut dicit Psalmista, « de regionibus
C congregavit eos, a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari, » subjungens : « Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt (*Psal.* CVI), » etc. Quorum tunc eos meminisse juvabit ambulantes per amplitudinem ejusdem magnæ civitatis, et ob hoc quod talem civitatem invenerunt, cantare in æternum misericordias Domini. Nam hoc est quod hic protinus subjungit : « Et reges terræ afferent **509** gloriam suam et honorem in illam. » Nam reges terræ idem qui et gentes sunt, omnes enim illic regnabunt, omnes reges et sacerdotes Christi erunt, et regnabunt in sæcula sæculorum et ejusdem regni sui gloriam et honorem afferent in illam sempiternas semper agendo gratis illi qui fecit eis hæc, qui
D glorificavit eos immortali beatitudine animarum, et honorificavit eos beata immortalitate corporum.

« Et portæ ejus non claudentur per diem, nox enim non erit illic. » Magnum magnæ securitatis documentum quod « portæ ejus non claudentur. » Nam per hoc satis insinuatur quia neque hostes, neque fures illic timebuntur. Fur enim, ait Dominus, non appropinquat (*Luc.* XII). Quandiu hic peregrinamur oportet ut persæpe portæ apostolicæ propter hostes Judæos atque paganos, et propter fures ac hæreticos claudantur, et sententiarum vectibus validis obfirmentur, At vero tunc isti nusquam comparebunt, jam enim cum diabolo et angelis ejus missi erunt in

ignem æternum. Utquid ergo portæ claudantur per diem? Quod si quæras, nonne saltem claudentur per noctem? Nequaquam, ait, « nox enim non erit illic; » nulla vero omnino nox illic erit, neque spiritualis, quam hic patiuntur oculi cordis, neque cordis, neque corporalis qua hic circumfunduntur oculi corporis. « Et afferent gloriam et honorem gentium in illam, nec intrabit in illa aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ et Agni. » Qui sunt qui afferent in illam gloriam et honorem gentium, nisi illi qui laboraverunt, et labores eorum fructus ad gloriam et honorem Domini salus est gentium? Ipsi sunt jam sæpe dicti apostoli, quos Christus magister et Dominus eorum instruens ad fructificandum honorem et gloriam gentium dicebat illis inter cætera: « Non B vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* xv). » Isti afferent in illam civitatem gloriam et honorem gentium, id est gloriosum et honorificum fructum, quem in gentibus fructificaverunt regi et Domino civitatis illius, Deo et Agno æterna præsentatione præsentabunt, et in illa gloria et honore gentium gloriosi erunt, juxta illud propheticæ veritatis promissum: « Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis (*Isa.* LXI). » « Gloriam et honorem, inquit, gentium afferent, » et non vitiosam gentium conversationem, propter quam et gentes dictæ sunt. Idcirco subjunxit:

« Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum et faciens abominationem, et mendacium. » Quæ pristina C erat vita gentium. Subintelligitur ergo cum dicit « afferent gloriam et honorem gentium, » quod soli ex gentibus illic præsentabuntur hi qui gentilitatis contumelias in gloriam et honorem Dei commutaverunt. Paulus apostolus, ut gloriam et honorem gentium, et non etiam aliquid coinquinatum in illam civitatem afferret, loquitur Corinthiis: « Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI). » Ista sunt coinquinata et abominationum atque mendaciorum opera, quorum aliquid non intrabit illuc quia qui hæc operantur, regnum Dei non possidebunt. Quæ autem sequuntur: « Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed D justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in virtute Spiritus sancti, et in spiritu Dei nostri (*I Cor.* v). » Ista sunt gloria et honor gentium quæ afferentur in civitatem illam. Igitur gloriam tantum et honorem gentium afferent, et isti gloriosi atque honorifici ipsi sunt quos Deus præscivit atque prædestinavit, vocavit atque justificavit (*Rom.* VIII). Isti sunt de cunctis gentibus immundis excepti, quos intendens, dicit: « Nisi qui scripti sunt in libro vitæ et Agni. » Idem enim est ac si dicat: Non intrabunt in eam, nisi quos Deus præscivit, et prædestinavit, quos et in Adam prædamnatos, Agnus,

A id est Filius Dei vocavit, et per passionem suam justificavit. Nam idcirco liber vitæ recte dicitur etiam liber Agni, quia, quamvis fuissent in proposito Dei conscripti, cum benediceret Deus primis parentibus, dicendo: « Crescite et multiplicamini (*Gen.* I). » non poterant post prævaricationem Adæ hæreditatem, ad quam conscripti fuerant, consequi, nisi redempti fuissent per sanguinem hujus Agni.

CAP. XXII. — « Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum, procedens de sede Dei et Agni in medio plateæ ejus. Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructus suos. Et folia ligni ad sanitatem gentium, et omne maledictum non erit amplius. » Ista quæ hic loco ultimo ostendit, divitiæ sunt ineffabiles et deliciæ inæstimabiles gloriosæ civitatis, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (*I Cor.* II). Istud namque flumen est abundantia lætitiæ et jucunditatis, de quo Psalmista: « Fluminis impetus, inquit, lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). » Et alibi: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). » Et Isaias in consolatione filiorum hujus Hierusalem, dicit: « Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et torrens inundans gloriæ gentium (*Isa.* LXVI). » Ergo flumen istud Dominus est, et vere, quia Spiritus sanctus est. Spiritus sanctus est hoc flumen pacis, hic torrens gloriæ, hoc flumen lætitiæ, hic torrens voluptatis, et ubertas domus Dei. Ipse namque est amor Sponsi et sponsæ in illa gloriosa civitate. Quid enim est tota illius vitæ vel civitatis beatitudo, nisi iste amor? De isto amore omnes sancti angeli, et omnes omnium sanctorum vivunt animæ. Idcirco cum dixisset, « et ostendit mihi flumen, » bene addidit « aquæ vivæ. » Et quia talis aqua vivificando illuminat atque confirmat, bene ait, « splendidum, » addendo, « tanquam crystallum. » In crystallo namque claritas est simul et firmitas, quæ sunt pulchra vitæ illius insignia, ubi et corda nostra translucebunt, et corpora nostra beata immortalitate, et immortali beatitudine firma erunt. Et quia Spiritus sanctus ex evangelica traditione Domini nostri procedens dicitur, dicit enim: « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (*Joan.* XV), » bene et hoc ipsum hic non tacuit. Ait enim de hoc flumine procedens de sede Dei et Agni. Hoc enim est quod in fide catholica profitemur quia « Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit. » Quod autem ait: « In medio plateæ ejus. » Convenienter dictum est, et proprie ad exprimendas delicias civitatis, quia non foras extra civitatem illam Spiritus sanctus procedit, sed tantum « in medio plateæ » civitatis, id est in solis electorum cordibus multum dilatatis. Et quidem jam ex quo Jesus glorificatus est, flumen istud ad nos fluere cœpit, sed nondum apparuit, neque hic in vita præsenti apparere potest quid nobis fecerit. Totus processionis ejus, qua ad nos

procedere dignatur, illic fructus apparebit, hoc est quod nunc dicit : « Ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, » id est Christus, qui **510** elegit et misit apostolos duodecim. Denique quod Christus homo factus et de virgine natus est, ex abundantia est irrigantis hujus fluminis, quia de Spiritu sancto virgo concepit, et tale nobis de terra virginei ventris lignum ascendere fecit. Item quod fructus duodecim lignum istud attulit, id est quod duodecim apostolos Christus ordinavit, ex plenitudine hujus fluminis, quia Spiritum sanctum illis dedit. Idcirco de hoc habemus in psalmo : « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo (*Psal.* I). » Quod illic dictum est « in tempore suo, » hoc est quod ait hic « per menses singulos, » id est sine defectu et in æternum. Nunquam enim desinet facere fructum, quia nunquam deficiet, quæ ex ipso est remuneratio sanctorum, et quia salus gentium, quam fructificati duodecim apostoli fructificaverunt, Christo attribuitur, qui fructificavit in gentibus per illorum ministerium, recte dictum est : « Et folia ligni ad sanitatem gentium. » Nam folia ligni verba sunt Evangelii Domini nostri Jesu Christi, quæ recipiendo gentes æternam animarum et corporum sanitatem sibi acquisierunt. Hujusmodi namque folia illic non deficient aut defluent, quia verba Dei in corde et ore gentium non deerunt, imo plenius suggerente amore perpetuam semper prorumpent in laudem. Et quia sub foliis ficus, quibus se operuerunt illi parentes nostri, maledictum conquisitum est (*Genes.* III), recte econtra de foliis ligni hujus præmisso, quia erunt ad sanitatem gentium, additur :

« Et omne maledictum non erit amplius. » Hujusmodi lignum et hujusmodi fructus ex utraque parte fluminis esse dicuntur, videlicet pro similitudine visibilis alicujus fluminis deliciosi, cujus circum littora irrigua hinc et inde ligna fructifera vel quæque virentia non sine delectatione visuntur. « Et sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi, » Ipsi qui servi et qui servient illi, sedes Dei et Agni in illa civitate erunt, et ipse sedebit in eis, Rex regum et Dominus dominantium cum Deo Patre et Spiritu sancto, habitans in cordibus eorum. Gloriosa et dulcis servitus erit in illa, ubi servos se esse in suis conscientiis meminerunt ejus, a quo et per quem et in quo redempti sunt, ille autem Dominus non tam Dominum servorum, aut Regem servientium quam patrem filiorum et amicum se exhibet amicorum, nullam aliam exigens servitutem, quam ineffabilem dilectionem tacere a laudibus non valentem, infinitas gratiarum actiones pro summis atque ineffabilibus deliciis habentem. Nam quomodo ab ejusmodi servitute quiescere poterunt ? Sequitur enim : « Et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum. » Non ergo illic poterit esse silentium, ubi tam desiderabilem faciem videbunt, sed sicut scriptum est : « Vox exsultationis et salutis

A in tabernaculis justorum (*Psal.* CXVII), » sempiternæ jubilationis perpetualiter servitium. Et ut perpendas quanti honoris, quantæ sit libertatis illud servitium : « Et nomen ejus, ait, in frontibus eorum. » Quod vel quale nomen ejus, nisi Deus ? Dii namque nominabuntur et erunt, juxta illud : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Et hic idem Joannes : « Videte, inquit, qualem gratiam dedit nobis, ut filii Dei nominemur et simus (*I Joan.* III). » Ergo nomen ejus in frontibus eorum, id est filii Dei nominabuntur et erunt. « Et nox ultra non erit, non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos et regnabunt in sæcula sæculorum. » Videbunt, inquit, faciem ejus, et ad videndam faciem illam non opus B erit ut adhibeatur, ut hic ad videndam faciem cujusque hominis adhiberi oportet lumen solis, aut lumen lucernæ, si sol sub terra sit, quia « nox ultra non erit, » diem illic non agente sole alio, sed ipso Domino Deo, « qui illuminabit illos, » qui sol verus et sempiternus est, non ita ut oriatur, et occidat, et nunc super terram fulgeat, nunc autem sub terram se recondat, sed ita ut semper in facies illorum fulgeat, in mentes illorum semper luceat. Et ne putes aliud esse servitium illud, quo servient illi, quam libertatem et regnum.

« Et regnabunt, inquit, in sæcula sæculorum. Et dixit mihi : Hæc verba fidelissima sunt et vera. Et Dominus Deus omnipotens spiritus prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri cito. » Ut caput sive principium, ita et finem C libri hujus voluit esse galeatum, quatenus munitum fit totum corpus revelationum istarum, ne quis audeat quasi contemptibilem refutare, vel abjicere quidquam eorum quæ in hoc libro scripta sunt. Futurum quippe erat ut, sicut jam in exordio diximus, a nonnullis contemneretur, maxime pro sui difficultate, quia solent homines irreverentes quæcunque legerint contemnere tanto facilius, quanto difficiliora sunt intellectu. Itaque, sicut in exordio dixerat : « Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis quæ oportet fieri cito (*Apoc.* I), » ita et hic præmisso : « Hæc verba fidelissima sunt et vera, et Dominus, inquit, Deus omnipotens spiritus prophetarum, » id est Spiritus sanctus qui in prophetis locutus est, qui utique omnipotens Do- D minus et omnipotens Deus est, « misit angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri cito. » Item, sicut vel qua intentione illic dixerat : « Beatus qui legit et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt, tempus enim prope est (*ibid.*), » ita et eadem intentione vel sensu, dicit hic : « Et ecce venio velociter. Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus. » Hæc utique in persona loquitur Domini Jesu, qui utique, quamvis moram facere videatur, velociter venturus est, et adimpleturus verba prophetiæ libri hujus. Item, sicut ad commendationem libri in initio personam suam semel et iterum ac tertio diligenter expresserat, primo dicens,

« et significavit mittens per angelum suum servo A suo Joanni, qui testimonium perhibuit Verbo Dei (*Apoc.* I), » et secundo « Joannes, » inquiens, « septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. » Itemque tertio, dicens : « Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione (*ibid.*), » etc. Ita et hic personam suam bene de Ecclesia Christi meritam evidenter exprimit : « Et ego, inquiens, Joannes, » subauditur, sum, « qui audivi et vidi hæc. » Igitur quisquis sanctos prophetas recipis, in quibus vel per quos Spiritus sanctus locutus est, et Evangelium Verbi Dei quod scripsit Joannes, recipe et hanc Scripturam, quia Spiritus prophetarum misit angelum suum ostendere hæc servis suis, et qui audivit et vidit hæc, ipse est Joannes.

« Et postquam audissem et vidissem, cecidi ut B orarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat. Et dixit mihi : Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba libri hujus Deum adora. » Hoc jam primo et secundo factum et dictum est. Primo, videlicet ubi ostenderat illi angelus damnationem meretricis et nunc secundo, ubi ostendit ei beatitudinem gloriosæ civitatis, ac perinde satis confirmatum est neminem præter Deum debere adorari, hominem sive angelum, quia « in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum (*Deut.* XIX). » Et dicit mihi : « Ne **511** signaveris verba prophetiæ libri hujus, tempus enim prope est. » Ab hinc usque in finem omnia in persona dicuntur Domini Jesu, et ex ore ejus prophetia confirmatur, ut non eam contemnere audeat quisquis vult esse Domini Jesu. C « Ne, inquit, signaveris verba prophetiæ libri hujus. » Quod uni Joanni dicitur, omni quoque intelligenti mysteria libri hujus dicitur, ut non signet sive claudat, imo, quantum potest, aperiat, et expediat ad ædificationem et instructionem audientium, ea quæ in eo continentur, quia tempus prope est, id est cito implebitur, quod in eo scriptum est. Quod cum ita sit, quid amplius decernendum aut præcipiendum est ? Sequitur ergo :

« Qui nocet, noceat adhuc : et qui in sordibus est, sordescat adhuc, et justus justitiam faciat adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. » Ac si dicat : Cum tanta supplicia impiis et tanta præmia reposita sunt piis, quanta significat series hujus libri, non dubitet impius quin sufficientia suis meritis rependantur, D quantumcunque noceat adhuc, et non dubitet justus et sanctus quin condigna suis meritis præmia retribuantur, quantumcunque justitiam faciat, aut sanctificetur adhuc. Sed quomodo dictum putamus ? « Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc. » Nunquid quia noceat et sordescat, verba sunt imperativa, idcirco nocere et sordescere ex voluntate Creatoris habet creatura. Non utique vult Creator ut nocens aut sordida sit sua creatura, sed est quando curare debeat quid illa faciat, aut quantum sordescat, sicut scriptum est : « Secundum multitudinem iræ suæ non quæret (*Psal.* IX). » Quando illud est ? Nimirum quando is qui peccator sive sordidus est, peccatorum et sordium suarum amore atque defensione Deum exacerbat. Tribus namque modis peccatur, ignorantia, infirmitate, superbia. Si per ignorantiam peccatur, et Deus hoc prævidet, quia cognita veritate si corrigendus quisquis ille est, subvenit ignorantiæ Deus, ut id quod verum est cognoscat homo ignorans et erroneus. Hujus rei exemplum illud est : « Venit autem Deus ad Abimelech nocte, et ait : En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. » Illo ad hæc dicente : Domine, num gentem ignorantem et justam interficies ? Nonne ipse mihi dixit : Soror mea est, et ipsa ait : Frater meus est? In simplicitate cordis mei, et munditia manuum mearum feci hoc. Dixit ad eum Deus : « Ego scio quod in simplicitate cordis feceris, et ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam (*Gen.* XX). » Apostolus quoque ideo misericordiam consecutus est, et subventum est illi superna miseratione, « quia ignorans, inquit, feci in incredulitate (*I Tim.* I). » Quod si per infirmitatem peccet quis, qualis est ille, cujus in persona loquitur idem Apostolus :« Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberavit de corpore mortis hujus ? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII). » Ejusmodi hominis peccatum patienter sustinuit Deus, imo etiam dissimulat, sicut Sapientia loquitur, laudando ejus misericordiam :

« Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam (*Sap.* XI). » Porro si cum superbia quis peccet, tradit eum Deus, et dimittit in desideria cordis ejus immunditiam, et non est ut dicas quia voluntatis Domini est quod ille noxius aut sordidus est, sed quia non curat Deus de illo qui talis est, et quia multum illi iratus est, et « secundum multitudinem iræ suæ non quæret. » Talem utique illum intelligi oportet, de quo hic dicitur, « qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc, » maxime quia non dixit qui nocuit, noceat adhuc et qui in sordibus fuit, sordescat adhuc ; sed « qui nocet, » inquit, « et qui in sordibus est. » Hoc enim idem est ac si dicat : Qui studium nocendi habet, et suas amat sordes pertinaciter, nemo postquam audierit illum semetipsum defendentem et eas quæ in hoc libro scriptæ sunt, plagas contemnentem, quidquam boni de illo speret, quia scriptum est : « Super tribus sceleribus, et super quatuor non convertam eum (*Amos.* I), » quia, postquam tribus sceleribus transcursis, ad quartum quis pervenerit, jam non est spes conversionis. Primum scelus est sordes criminum mente ac voluptate tractasse, secundum scelus, easdem sordes actu perpetrasse, tertium scelus, sordes in consuetudinem duxisse ; quartum scelus est, easdem sordes defendere. Noceat igitur qui no-

cet, et sordescat adhuc qui in sordibus est, quia non curat Deus de illo, et juste derelictus est, quia non utcunque sordent, sed sordes suas superbe defendendo in sordibus est. Econtra « qui justus est et sanctus, » id est qui bonum justitiæ et sanctitatis studium habet, « adhuc justitiam faciat et adhuc sanctificetur, » bene providente Deo, quatenus non ante de præsenti migret sæculo, quam corona ejus perficiatur, et mansio illi in domo Patris ejus meritorum gemmis atque margaritis perornetur (*Joan.* xiv). Hoc præmisso, ut « qui nocet, noceat adbuc, et qui in sordibus est sordescat, et justus justitiam faciat adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc, » continuo sequitur :

« Ecce venio cito, et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua. » Nimirum sic loquitur, ut bene sibi conscius quod magnæ sit fortitudinis, et inexhaustæ facultatis, ad puniendum noxios atque sordidos, quantumcunque nocuerint, quantumcunque sorduerint, nihil minus a suis meritis tormenta recepturos, et ad remunerandum justos et sanctos, quantumcunque justitiam fecerint, quantumcunque sanctificati fuerint, nihil minus a suis meritis præmia recepturos. Ait ergo : « Ecce venio cito, et merces mea mecum est. » Quamvis servo malo, noxio atque sordido, inebrianti se atque percutienti conservos suos (*Matth.* xxiv), videatur quod in tempora longa fiat hoc, ego dico quia « ecce venio, cito venio. » Et ne quis de mercede dubitet, « merces mea mecum est. » Non in manu altera, non in potestate aliena, sed in manu mea, et potestate mea est, et dum venio mecum venit in potestate mea magna merces universa, ad reddendum unicuique secundum opera sua. Unde tibi tanta potestas, tanta sufficientia ? Ait : « Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis. » Ac si dicat : Inde manus mea non est invalida ad reddendum unicuique secundum opera sua, quia ego sum ante omnes, et ante sæcula Deus, et post me non erit alius, quod intelligitur per alpha et omega, quorum videlicet litterarum in alphabeto Græco altera prima, altera ultima. Nam quid dixerit : « Ego sum alpha et omega, » exponit dicendo, « primus et novissimus, » addendo etiam « principium et finis, » scilicet a quo omnis creaturæ principium est, et in quo creatura rationalis consummatur. Hoc idem in initio libri dixerat : « Ego sum alpha et omega, principium et finis (*Apoc.* i), » et hic idcirco renovat, ut cætera jam dicta, ne quis adhuc dormitet, aut de ignorantia sese excuset, seu quasi vilem Scripturæ hujus tubam præ amore **512** sordium suarum audire dissimulet. Et addit adhuc : « Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem sanctam. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. » Nimirum quia nuptiæ Agni et sanctæ civitatis Hierusalem (de quibus hactenus splendidæ demonstratæ sunt) nuptiæ sunt sanctitatis, et, ut supra dictum est, non intrabit illuc coinquinatum aliquid, soli illi beati sunt, « qui lavant stolas suas, » ut habeant « vestem nuptialem (*Matth.* xxii), » maxime ut « sint lumbi eorum præcincti (*Luc.* xii), » id est ornatum habeant castitatis, non intentione laudis humanæ, sed pro illa exspectatione, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, id est ut frui possint vere vitali summæ divinitatis visione, quo intratur per portas justitiæ, quæ sunt portæ sanctæ civitatis. Sanctam quippe civitatem illam opportune etiam hoc loco edixit subjuncturus : « Foris canes, » id est omnes stulti qui ita revertuntur ad stultitiam, sicut revertitur canis ad vomitum suum (*Prov.* xxiv; *II Petr.* ii), et venefici qui hominum vitam interficiunt venenis, et impudici, quos nullius pudet turpitudinis, et homicidæ, qui utique humano sanguine sunt polluti, et in oculis Domini cruenti, et idolis servientes, qui profecto nullam habent communicationem cum illo, qui unus et solus verus Deus est, et omnis qui amat et facit mendacium, quales maxime hæretici sunt. Hæc omnia contraria sunt sanctæ civitati, et idcirco foris isti, inquit, cui pro imperio satis est dixisse foris. Et continuo subjungit :

« Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis in Ecclesiis. » Ac si dicatur : Si hujus libri auctoritatem quæritis, ego sum Jesus auctor et dator hujus Apocalypsis. Non est Scriptura hæc a Joanne, non est ab homine, neque enim ab homine accepit illam, aut didicit, sed me revelante, qui sum Jesus, et mittente per angelum meum, ut sicut omnes Scripturæ divinæ auctoritatis, ita et scripta hæc testificentur, et recitentur vobis in Ecclesiis, atque in canonico apice sint. Quæritis quis Jesus ego sim, qui auctoritate mea Scripturam hanc volo commendatam esse ad testificandum in Ecclesiis ? « Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. » Ac si dicat : Ego sum ille Jesus, qui et Dominus et filius sum David, qui secundum hominem passus et sepultus, mane resurrexi a mortuis. Nam quia Dominus et creator sum David, quemadmodum testatur ipse dicens in spiritu : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis (*Psal.* cix). » idcirco radix, et quia filius David natus vel factus ex semine ejus secundum carnem, idcirco genus sum David. Et nunc quidem, qui diu in hoc viventes per fidem ambulatis, stella vobis sum splendida, et matutina, ex quo resurrexi a mortuis. Tunc autem me solem habebitis, cum in civitatem talem, quam audistis, intraveritis, quam claritas Dei illuminavit, quæ non eget lumine solis aut lunæ, propter hoc ipsum, quia illuminavit eam claritas Dei. « Et spiritus et sponsa dicit : Veni. Et qui audit dicat : Veni. Et qui sitit veniat, et qui vult accipiat aquam vitæ gratis. » Ego, inquit, misi testificari vobis hæc in Ecclesiis, et cum horum testificatione spiritus singulorum vestrorum conscientias convenit et singulis vestrum dicit « veni, » id est, crede his qui hic testificantur tibi. Hoc foris sponsa, id est Ecclesia, dicit ad aurem corporis, dum sonum litteralem legendo ingerit, hoc intus ad aurem cordis

dicit spiritus, dum sensum suggerit ad intelligendum quod quidquid hic dicitur, rationabile, verum et fidele, atque auditu dignum sit. Audiat unusquisque hunc spiritum sive sponsum, ut nonnulli codices habent, et sponsam dicentes : « Veni, » id est obaudiat vocantibus, et sequatur vocationem salubrem, ut introeat ad beatitudinem tam gloriosæ civitatis. Audiens autem sive obaudiens dicat, « veni, » id est non sua tantum salute contentus sit, sed operam det, ut proximum suum lucrari verbo exhortationis et secum adducere possit. Et qui sitit, qui salvari desiderat, tantummodo veniat, quia videlicet flumen illud aquæ vivæ, quod tibi ostensum est, nulli sitienti denegatur, sed qui vult accipiat, quia sola bona voluntas sufficit ad accipiendum aquam vitæ, quam gratia præparavit. Omnibus datur gratis, tantummodo adsit quæsitor vel acceptor homo bonæ voluntatis. Sequitur :

« Contestor ego omni audienti verba prophetiæ libri hujus. Si quis apposuerit ad hæc, apponet super illum Deus plagas scriptas in libro isto : Et si quis diminuerit de verbis prophetiæ libri hujus, auferet Deus partem ejus de ligno vitæ, et de civitate sancta, et de iis quæ scripta sunt in libro isto. » Hæc pœna damnationis sine dubio hæreticorum est, ut auferatur pars eorum de ligno vitæ quod est Christus, et de civitate sancta cœlesti Hierusalem, et de omnibus bonis quæcunque scripta sunt in libro isto, et ut apponantur super eos plagæ, quæ scriptæ sunt in libro isto, quia videlicet ipsi sanctas Scripturas corrumpunt, apponendo quid de suis, vel quidpiam diminuendo, utpote studium habentes dogma suum construere, cui quidquid repugnat in sanctis Scripturis, in nullis vellent codicibus usquam superesse. Satis ergo firmiter Scripturam hanc defendit divinæ et canonicæ debere esse auctoritatis, cujus corruptorem, quicunque ille fuerit, pari cum hæreticis damnatione percutit. Statimque subjungit : « Dicit qui testimonium perhibet istorum : Etiam venio cito. » Poterat dicere hic scriptor, dicit Jesus, sed dicere maluit, « dicit qui testimonium perhibet istorum, » utpote hic in calce voluminis eo totus intendens, ut librum istum auctoritate divina, et Spiritus sancti veritate conscriptum defendat, et liberet a contemptu omnium præcavens id quod futurum erat, videlicet ne auderent stulti sacram contemnere sive rejiciendam judicare litteram, cujus non capere mererentur intellectum. « Etiam, inquit, venio cito. » Quod dixi, iterum dico, et repetens affirmo, quia « venio cito, reddere unicuique secundum opera sua. » Dulce nimirum et desiderabile hoc est diligenti animæ, quæ non hoc sæculum, sed Deum diligit, et gratanter vocem hanc accipit, quod adventus Domini prope sit. Respondet ergo confestim sponsa diligens et casta dicens : « Amen, veni, Domine Jesu. » Quodammodo levat caput suum juxta illud Evangelicum : « His autem fieri incipientibus respicite, et levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra (*Luc.* XXI. » — « Amen, » ergo inquit, id est promissum tuum verum fiat, ut cito venias, Domine Jesu, sciens suspiria mea dicentis : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea (*Psal.* CXIX). » Item : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? (*Psal.* XLI.) » Denique ut faciem Domini videre desideremus, et non delectationi, sed potius dolori nobis sit locus peregrinationis hujus, idcirco scriptor sic proloquitur, quod vult ut nos loquamur, dicens : « Veni, Domine Jesu, » semperque ut hoc dicere non dubitemus, parati simus in occursum ejus, juxta illud : « Et vos **513** similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. » Sequitur salutatio ultima eadem quæ prima. « Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen. » Sic enim in principio dixerat : « Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia : Gratia vobis et pax, » etc. Videlicet diligens Dominum, et dilectus Domini, et in principio, et in fine, et per omnem textum sermonis sui loquitur ex abundantia cordis gratiam et dilectionem, quæ in ipso redundat, cupiens esse non seorsum in paucis, sed communiter in omnibus maxime in eo, ut sicut Paulus quoque apostolus optat, idipsum dicamus omnes, et schismata in nobis non sint per gratiam qua sumus redempti (*I Cor.* XII). Amen.

PRÆFATIO TOTIUS OPERIS

AD CUNONEM

Docens qua occasione hosce *de Victoria Verbi dei* libros susceperit scribendos.

---

514 *Nuper, cum tu hospes optabilis Cuno, pater cœnobii Sigebergensis, nostrum præsentia tua serenares habitaculum, nos more solito semoti a cæteris conferebamus aliqua de sanctarum majestate Scripturarum. Erat autem nobis tunc sermo præcipuus de quatuor illis grandibus bestiis, et visione Danielis, quarum prima quasi* leæna, *ipsa fuit regnum Babyloniorum ;* alia similis urso, *ipsa fuit regnum Persarum et Medorum,* alia, quasi pardus, *ipsa fuit regnum Græcorum ;* quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans (*Daniel.* VII), *ipsa fuit regnum Romanorum, quorum videlicet regnorum singula suis temporibus super cætera gentium regna principatum tenuerunt. Regna hæc idcirco per bestias ferocissimas, et sanguinis avidas recte figurata fuisse dicebamus, quia plena crudelitatis fuerunt, et sanguine mundum bestialiter debacchando implentia, sanctos quoque Dei altissimi contriverunt. At vero regnum Dei regnum esse pacis, regnum charitatis et germanitatis, imperium pietatis, et dominatio veritatis, et justitiæ, et mansuetudinis. Et idcirco debuisse secundum rem vel rei dissimilitudinem dissimilem quoque habere imaginem, et veraciter ita est. Sequitur enim :* Aspiciebam, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. *Item :* Aspiciebam ergo in visu noctis, et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi et tribus et linguæ servient ei (*ibid.*). *Quid, rogo, dissimilius quam ejusmodi bestiæ ascendentes de mari, et Filius hominis veniens in nubibus cœli, et perveniens usque ad antiquum dierum candidum, et capillis mundissimis præ antiquitate nitentem, sedentem thronis positis, et judicantem de bestiis illis, quæ regnare festinaverunt inconsulta sapientia suæ senectutis ? Cum igitur de regnis illis, et de sanctis Altissimi, quos illa regna bestialiter contriverunt, loqueremur, tu repente quæstionem fecisti de Machabæis, qui pardi, quæ tertia bestia fuit id est, regni Græcorum sævitiam cruentam, multis præliis et materialibus armis repercusserunt, et exinde in Ecclesia Dei memoriam inclytam sibi acquisierunt, dixisti : Scire vellem certius, quæ causa sit, ut eorum bellicam defensionem non minus quam indefensam sanctorum martyrum patientiam, in sancta Ecclesia legendo et cantando celebremus. Respondi ad hæc, certamen illorum et virtus militaris, cum auxilio Dei multum nobis et omni sæculo profuit. Agebat enim diabolus per Antiochum, qui appellatus est Epiphanes, id est* nobilis, *ut nulla esset memoria sive exspectatio, vel fides ejus repromissionis, quæ ad Abraham facta est dicente Deo :* In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). *Quid enim egit ille Antiochus ?* Ædificavit abominandum idolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Judææ in circuitu ædificaverunt aras, et ante januas domorum et in plateis incendebant thura, et sacrificabant, et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, et apud quemcunque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicunque observabant legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum (*I Machab.* I). *Nimirum hoc agendo fiebat, ut arbor bona succideretur, et radicitus extirparetur, ne bonus ex ea proveniret fructus, id est, ut genus Judaicum destrueretur, ne in semine Abrahæ, quod est Christus, omnes gentes benedicerentur, fieretque irritum, quod proposuerat et promiserat Deus* (*Galat.* III). *Defensa est radix, ut talis et tantus inde posset fructus fieri, atque impleretur veritas Dei. Et idirco Machabæi, per quos id effectum est, jure nomen celebre possident in Ecclesia Dei. Similiter de Esther atque Mardochæo sentiendum est ; quia, cum diceretur urso illi :* Surge, comede carnes plurimas, *id est, cum Persarum atque Medorum regi Assuero dixisset Aman :* Decerne ut pereat gens Judæorum, et decem millia talenta appendam arcariis gazæ tuæ, steterunt pro animabus suis et pro gente sua, ita ut versa vice in patibulo appenderetur Aman, quod Mardochæo paraverat et decem filii ejus cruci affigerentur, et per omnes provincias una die ultionis constituta, vindictam caperent Judæi de hostibus suis (*Esther.* III). *Cum hæc et his similia respondissem de illis, et de cæteris antiquis sanctis, per quorum labores, et bella necessaria fortiter evicet Verbum Dei, ne periret genus illud, de quo carnem assumere proposuerat, ad salutem generis humani ; tu vehementer delectatus ratione hujuscemodi, repente in istam vocem erupisti : Scribe mihi librum* de Victoria Verbi Dei. *Hoc idem repetens crebro institisti, et nunc usque vehementer instare non desinis putans quod hinc, scilicet e terra sensus mei, thesaurum boni operis effodere possis secundum dignitatem* **515** *tituli, quem præfixisti, ut vocetur liber* De Victoria Verbi Dei. *Vere res magna est, et ad eloquendum difficilis, imo et impossibile est, eam dignis verbis consequi, quia victoria magna est, et magnus Deus qui vicit. Verbum quippe Deus et magnus, inquam, et fortis est, qui vicit, et magnus hostis, qui victus est, magnum certamen, et magnæ causæ certaminis. Sed et hoc inferam, quia magna est*

tilectio tua, quæ ad istud me compellit, et magnus debet esse fervor sancti studii, ad placendum Verbo Dei, per quod sumus facti et liberati, sine cujus gratia nemo vicit. Adsit igitur ipsum Verbum, ipsa sapientia, quæ aperuit os muti, et linguas infantium fecit disertas, suaque os meum laude repleat, ut cantem gloriam et magnitudinem ejus ita ut et tibi suggessisse, et mihi obtemperasse, et alicui legisse proficiat. Jam nunc opus hoc ingrediens, dignum arbitror ab ipso vocabulo exordiri, id est, in primis dicere summam causæ, cur vocetur, vel quid sit Victoria Verbi Dei, *et cætera.*

R. D. D. RUPERTI
ABBATIS TUITIENSIS
DE VICTORIA VERBI DEI
LIBER PRIMUS.

516 CAPUT PRIMUM.

A

Quid sit victoria Verbi Dei; quare, et propter quem adversarium, nempe diabolum, hoc opus ita inscripserit.

Victoriam Verbi Dei effectum et opus perfectum dicimus propositi Dei, ad laudem ipsius omnipotentis et invicti, « quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia potuit vel poterit avertere (*Rom.* VIII), » quin fieret et fiat, quod ipse proposuit et decrevit fieri. Quam vere laudabilis et magna sit ejusmodi victoria Verbi Dei, magis ac magis nos admirari faciet consideratus diligentius ille hostis, qualis vel quantus sit, qui propositum ejus avertere voluit, et adhuc contendit, cum ceciderit, et toties victus sit. Qualis enim vel quantus ille est « draco magnus et rufus, habens capita septem et cornua decem (*Apoc.* XII). » Draco, inquam, magnus, serpens antiquus, vocatusque diabolus et Satanas, orbis universi seductor. Iste est adversarius Verbi Dei, et cum talis ac tantus sit pugnando et repugnando rebellis, non potuit tamen, nec potest avertere propositum Dei. Hæc est victoria Verbi Dei. Quia, secundum Apostolum, «Deus quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis ejusdem Verbi, ejusdem Filii sui, eosdem et vocavit, justificavit, magnificavit (*Rom.* VIII) » per ipsum Verbum suum carnem factum, per ipsum Filium suum Deum et hominem Jesum Christum, cujus est victoria tanta, tam nobilis, ut victo et confuso dracone jam dicto, sedeat nunc a dextris Dei. In processu sermonis dicendum erit de illo tali adversario, cur vel unde dicatur et sit draco, unde magnus, unde rufus, quæ sint ejus capita septem et quæ cornua decem, unde vel ex quo acceperit, ut serpens mereretur vocari, unde diabolus, et quamobrem meretur vocari, unde diabolus, et quamobrem Satanas vocetur, id est *adversarius.* Nunc vero illud dicere præstat, quid sit ipsum Verbum Dei, ut videlicet principium, vel caput sermonis ornatum, ut dignum est, habeat sanctæ confessionis et adorationis.

CAPUT II.

Quod Verbum Dei sit Filius Dei, et quod præmium cognitionis ejus sit protectio Dei, propter quam et gratias agimus.

Verbi hujus evangelista testis est amantissimus, cum dixisset: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » continuo subjunxit, « et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Secundum hujus Evangelii tutissimam fidem, Verbum Dei Deum esse credimus et confitemur Deo, apud quem erat in principio, consubstantialem. Credentes autem et confitentes adoramus cum Patre et Spiritu sancto hunc Deum, gratias agentes, quia meruimus nosse eum, quia videlicet cognitio ejus magnum habet
B
præmium. Scriptum est enim de viro justo, qui per fidem cognovit eum: « Protegam eum quoniam cognovit nomen meum (*Psal.* XC). Nimirum, quia cognitio nominis ejus magno præmio digna est, ut videlicet cognitor ejus ab ipso protegatur. Loquitur Sapientia in Parabolis, desiderans ut diligenter cognoscatur: « Quis suscitavit omnes terminos terræ?» (*Prov.* XXX.) Cumque tu sine dubio responderis, Deus, statim percontatur et dicit: « Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti? » (*ibid.*). Sic percontante Sapientia, profecto tunc temporis in plerisque responsio deficiebat, imo præter paucissimos divinum atque propheticum habentes spiritum, fere nullus respondere noverat, quod ejusdem Dei nomen esset Pater, et quod Filius ejus Verbum sive sermo vocaretur. Ipsa ergo Sapientia,
C
quæ percontata fuerat, sapienter et discrete multumque temperanter suæ percontationi respondet, ita « ut margaritas ante porcos non projiciat (*Matth.* XVII). » Sequitur enim: « Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se (*Prov.* XXX). » Idem namque est ac si dicat: Nomen Filii ejus sermo Dei est, et qui novit ac diligit hoc nomen, sic eo quasi ignito protegitur clypeo. Bene ergo confortans cognitorem sui: « Protegam, inquit, eum quoniam cognovit nomen meum (*Psal.* XC). » Cum igitur cognitionis **517** ejus tam magnum sit præmium, gratias, ut jam dictum est, agimus ipsi, quia

cognovimus et confiteri, meruimus hoc Verbum, magisque ac magis cognoscere cupimus ipsum, quia dum sumus in hoc corpore peregrini, visionem Divinitatis cognoscere non possumus ad perfectum, Sed sicut ait Apostolus : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII).

CAPUT III.

Verbum Dei magnifice quidem per opera, magnificentius vero per seipsum cognoscitur.

Quomodo autem nunc ex parte cognoscitur, non tantum uno modo cognoscitur, sed modis duobus. Cognoscitur enim ex operibus et cognoscitur ex semetipso. Et magnifice quidem ex operibus, sed longe magnificentius cognoscitur ex semetipso. Quibus ex operibus cognoscitur? utique ex omnibus quæ facta sunt, quia videlicet « omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I), » angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, cherubin et seraphim, cœlum, terra, mare, et quæcunque in eis sunt, omnia per hoc Verbum facta sunt, Ipse enim scilicet Deus Pater, dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt (*Psal.* CL). Si dixit et facta sunt, utique per Verbum facta sunt. Ex omnibus his cognoscitur hoc Verbum, sicut cujuscunque artificis ex opere cognoscitur ingenium, Inde Apostolus : « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I). » Inter ipsa quæ facta sunt, non cognoscitur, quoniam per ipsum facta sunt, per quæ parum admirationis facit ipse ejusdem Verbi adversarius, quia ille quoque per eum factus est talis ac tantus, qualis vel quantus ex multis Scripturarum locis intelligi potest. Et ex illis maxime verbis ad beatum Job, quibus describitur mirabiliter dicente ipso: Qui sicut cœtera, sic et illum fecit per Verbum. « Ecce Beemoth, quem feci tecum, » etc. (*Job* XL), usque ad illud : « Non est super terram potestas, quæ comparetur ei qui factus est, ut nullum timeret (*Job* XLI). » Inter cætera, inquam, per quæ hoc Verbum cognosci debet et illa mirabilis creatura et super ipsam celebrata ejusdem Verbi victoria, magnificum dant omnipotentiæ vel fortitudinis ejus experimentum, quam videlicet victoriam pro posse narraturi, primum ipsas demonstrare nitimur personas victoris atque victi. Porro ex semetipso magnificentius, ut jam dictum est, Verbum ipsum cognoscitur, quando gratia præcellenti dilectam cujus libet animam visitat fortiter atque suaviter afficit, propriæ substantiæ contactu. Hæc talis cognitio sive experimentum valde paucorum est. Denique præter apostolos et prophetas atque apostolicos viros, quorum vita summis virtutibus claruit, non facile quis existimare [existimari] potest beatitudinis hujus sortem consecutos [consecutus] esse, ut anima ejus adhuc degens in carne saltem ad momentum aliquoties vim sensumque percipiat illius substantiæ fortissimæ ; et qui sensit, qui tactus est illa fortitudine spiritus hominis, tacet de re hujusmodi, suumque

A thesaurum silentio reverenter abscondit, quia ineffabile est quod sentit. Dicit quivis illorum : Factum est Verbum Domini ad me, sed non dicit, qualiter affecta fuit in illa hora mens sive anima ipsa, quæ meruit adventum Verbi Domini ad se. Sed et frustra laboraret homo homini edicere.

CAPUT IV.

Solos a Deo doctos, digne verba Dei eloqui posse.

Felix ille qui taliter meruit bonum gustare Verbum. Felix qui taliter meruit addiscere quam veraciter dictum sit : « Et Deus erat verbum (*Joan.* I). » Scriptum est enim : « Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum (*Psal.* XCIII). Illum erudivit Dominus et eruditus est docuit eum et doctus est. Doctus ad militiam, erudi-
B tus ad pugnam. Ille homo per similitudinem equus est, ut dicitur ab beatum Job : « Equus nobilis, cujus Dominus fortitudinem præbuit, cujus collo hinnitum circumdedit, cujus narium gloria terror est qui tanto sessore confisus exsultat audacter, et contemnit pavorem, neque gladio cedit (*Job* XXXIX) ; » imo in occursum pergit armatis, videlicet cunctis capitibus draconis, cunctisque membris ejusdem adversarii Verbi Dei. Fortis est enim Deus, qui tetigit illum, imo et ipsa fortitudo est Verbum Dei, nec solum fortitudo, verum et sapientia est unum idemque Verbum. Inde et fortis et sapiens effectus est, quisquis talem ejus meruit adventum. Fortis est, ita ut etiam contemnat mortem. Sapiens ita ut rectum et bene sonantem loquatur sermonem. Nec
C mirum, quomodo enim nesciret loqui, cui Deus Verbum suum communicavit, qui ipsam Verbi substantiam gustavit? Idcirco dignum est, ut verba ejus verba Dei, et verba Dei verba ejus consueverunt dici. Verumtamen hoc unum singulare Verbum solius Dei, et non etiam cujuslibet, dicitur aut est verbum hominis. Diligenter animadvertendum est nonnihil differre cum legimus vel audimus in singulari numero, Verbum Domini, et plurali numero, verba Domini. Verbum namque hoc singulare divina substantia est, substantia non facta, neque creata; et idcirco Verbum dicitur, et est solius Dei. Verba autem quæ in Scripturis sanctis legimus vel audimus, a Deo per hoc Verbum effecta, et per hominem administrata sunt, et idcirco aliter verba Dei, aliter
D recte dicuntur verba cujuslibet hominis, unde notandum, scriptum sic esse, « verba Jeremiæ filii Helciæ (*Jer.* I), » et « Verba Amos, qui fuit in pastoralibus Thecue (*Amos.* I). » Nusquam autem scriptum esse, Verbum Jeremiæ, sive Verbum Amos, sive Verbum alicujus cæterorum, nisi ita duntaxat, Verbum Domini, quod factum est ad illum vel illum, Verbum quippe Deus est, et non est alicujus, nisi solius Dei Verbum.

CAPUT V.

Magnificentiam victoriæ Verbi Dei omni laude majorem esse.

Nos, qui tali modo verbum hoc nosse necdum meruimus, quo, ut jam dictum est, ex semetipso co-

gnoscitur, utinam saltem illo priore modo, videlicet quo cognoscitur, ex operibus nosse mereamur, ad hanc intentionem, ad hoc studium, ut ferventior essem, tu me Patrum amantissime sedula commonitione magis ac magis excitasti, suggerendo, ut hoc opus in rem, *De Victoria Verbi Dei*. Hæc enim operum ejus pars, est pars optima et præclarissima, cui videlicet operi ad laudem et gratiarum actionem referendam, nulla omnino lingua sufficiat. Cæterum de operibus cæteris, de creatura mundi, mysteriis hujus verbi legalibus propheticis atque evangelicis, et de gratia Spiritus sancti jamdudum egi, quod potui, parum nimisque exiguum sentiens, **518** quidquid potui secundum quantitatem vel dignitatem rerum quas proposui, juxta illud sapientis : « Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis supervalebit adhuc et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis. Major est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim pervenietis. Quis vidit eum et enarravit, et quis magnificavit eum sicut est ab initio ? Multa abscondita sunt majora his. Pauca enim vidimus operum ejus (*Eccli.* XLIII). » Cum sic ille dicat, et ita sit, quid de meipso censeam, sive in illa parte operum ejus, quam prædixi, in qua glorificare, benedicere et exaltare illum intendi ; sive in ista parte quam nunc tu mihi proposuisti, id est in victoria qua diabolum vicit. Multum invalidum et elinguem ad tantam rem me esse fateor. Sed, quoniam propositio est de ipso Verbo, verba mihi nascitura esse non incongrue spero. Faciam igitur secundum jam dictam exhortationem sapientis, ut exaltem quidem in victoria sua Verbum Dei, quantum potuero, et prout ipsum donaverit. Veruntamen scio et confiteor quod victoria ejus major sit omni laude, neque laborem, quia non perveniam ut possim rem dictis exæquare, vel ipsum sicut est magnificare.

CAPUT VI.

Quibus nominibus et quare hostis Verbi Dei in Scripturis nominetur et quid sint septem capita draconis.

Jam nunc Verbi hujus adversarius agnoscendus est ex suis nominibus. Dicitur in Apocalypsi : « Draco magnus, draco rufus, habens capita septem, serpens antiquus, vocaturque diabolus et Satanas (*Apoc.* XII). » Vocabula hæc reciproca sunt. Neque enim prius fuit causa illa, propter quam dicitur « draco, » quam illa, cujus intuitu dicitur « serpens antiquus ; » neque prius accidit, cur « vocaretur diabolus, » quam fieret ipse « Satanas, » id est *adversarius*, imo prius exstitit sive accidit, cur vocaretur Satanas, deinde cur « diabolus, » deinde cur « serpens antiquus, » deinde cur « draco » tot capitum, « draco magnus, draco rufus. » Deinde ex eo Satanas dicitur, et est, ex quo adversari cœperit Verbo Dei, et inter angelos seditionem fecit turbator pacis, rebellisque lumini, et deinde sive proinde acceperit sententiam, juxta quam dicitur diabolus,

A id est *deorsum fluens*. Unde Dominus : « Videbam, inquit, Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X). » Post hæc egit, cur merito vocetur « serpens antiquus, » videlicet quando primum decepit hominem, serpentem ingressus. Deinde proficiens in pejus egit cur vocetur « draco ; » et non qualiscunque, sed « draco magnus, draco rufus habens capita septem, » quando qui antiquitus seducere per fallaciam consueverat universum orbem, addidit cum fallacia vim quoque, qua reges et principes, ac superbos homines instigans ad persequendum et occidendum electos propter Verbum Dei, quod primum cœpit agere statim ubi ad Abraham facta est repromissio beati seminis, quod est Christus, in quo omnes gentes benedicendæ sperebantur (*Gen.* XXII).
B Hoc fieri cœptum est per Pharaonem regem Ægypti, qui primum pueros Hebræorum masculos in aqua necari jussit (*Exod.* I). Regnum ergo Ægypti primum draconis hujus caput fuit. Secundum caput draconis, regnum Israel fuit, scissum propter peccatum Salomonis, quibus temporibus Jezabel cum rege Achab et Athalia filia ipsorum, regesque alii tam in Samaria quam in Jerusalem prophetas Verbi occiderunt (*III Reg.* XVIII). Tertium caput fuit regnum Babyloniorum, qui Jerusalem et templum (quod tunc erat unicum nominis Domini) succenderunt, tresque pueros in fornacem ignis, et Danielem miserunt in lacum leonum propter Verbum Dei (*Daniel.* III, VI). Quartum caput fuit regnum Persarum atque Medorum, qui universum genus Judæorum, unde Verbum erat incarnandum, una die delere
C voluerunt (*Esther.* III). Quintum caput regnum fuit Græcorum, cujus videlicet regni rex impudens Antiochus (*I Machab.* I), Verbi sive legis Dei memoriam omnem delere volens, inter cætera scelera crudelia, septem fratres cum matre ipsorum nimis atrociter interemit (*II Machab.* VII). Sextum caput, regnum fuit Romanorum, sub quo hoc Verbum incarnatum in crucem ascendit per Pilatum, et per manus Romanorum martyres ejus innumerabiles occisi sunt. Septimum caput erit Antichristi regnum.

CAPUT VII.

Quare diabolus draco nominetur, et quando incœperit primum exerere cornu, et quod Agnus, id est Verbum Dei, totidem habuit cornua.

Igitur a tempore Pharaonis, draco cœpit haberi,
D qui jam serpens erat, ex quo primum hominem per serpentem decepit : Quod si auctoritas requiritur, apud Ezechielem dicit Dominus : « Ecce ergo ad te Pharao rex Egypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum (*Ezech.* XXIX), etc. Nimirum dum in persona Pharaonis diabolum arguens, dicit ei draco magne, satis constat, quod a tempore ejusdem Pharaonis illud agere cœpit, unde mereretur draco vocari. Nam eatenus non persequebatur violenter, tantummodo seducens fraudulenter. Econtra simul considerandum quia tunc etiam illud celebratum est, propter quod Verbum Dei consuevit

Agnus appellari. Ille namque Pharao typus diaboli, draconis magni, multis plagis fatigatus, tandem victus per immolationem Agni dimisit populum Dei. His animadversis pulcherrimum est etiam illud reminisci, quia quot sunt illius draconis capita, totidem sunt hujus Agni cornua, sicut scriptum est in eodem Apocalypsis libro, in quo legitur draco tot habere capita. » Et vidi in medio throni, et quatuor animalium et seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem (*Apoc.* v), » etc. Magna et mira sunt hæc Scripturarum sanctarum sacramenta, de quibus in ordine dicendum erit, prout verbum ipsum sua donavit gratia. Nunc altius recurrere, licet scilicet ad initium duelli, quo primum Satanas ille consurrexit adversus Verbum Dei, et victus de cœlo cecidit. Libet etiam in primis quærere, quantum de sacris poterit Scripturis conjici, quæ causa inimicitiarum fuerit, vel qualem hostis ille materiam habuerit superbiendi.

CAPUT VIII.

Quod causa rebellionis fuerit superbia et quæ fuerint causæ superbiendi.

Satanas veras adversus Dei Verbum causas inimicitiarum nullas habuit, sed falsas confinxit. Habuit autem materiam superbiendi, speciositatem, scientiam et magnitudinem propriæ conditionis: Speciosus namque et pulcherrimus conditus fuit, quod et ipse conditor testatur, cum apud Ezechielem dicit: « Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus. Eratque pulcherrimus in **519** magnitudine sua, omne lignum paradisi Dei non assimilatum est illi et pulchritudini ejus, quoniam speciosum feci eum (*Ezech.* xxxi). » Hæc de pulchritudine ejus. Porro scientiam ejus multam ibidem hoc modo significat. « Atque nutriverunt illum, abyssus exaltavit eum, flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis (*ibid.*). » Manifestius quoque in eodem propheta, dum sub nomine principis Tyri denotatur, scientiamque (per aquas intelligi solet) in eo fuisse pronuntiat, idem Deus simul cum pulchritudine de qua dictum est: « Penus, inquit, sapientia, et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti, tu Cherub extentus et protegens (*Ezech.* xxviii). » Cherub quippe *plenitudo scientiæ* interpretatur. Quod tertium erat, id est, magnitudo ejus per hoc satis exprimitur, quod illic dicitur extentus, et protegens. Amplius autem per illud quod loco supra memorato, cum dixisset: « Ecce Assur quasi Cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus », addidit, « excelsusque altitudine. » Et post pauca: « Cedri, inquit non fuerunt altiores in illo paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquales frondibus illius (*Ezech.* xxxi). » Per metaphoram, sine dubio, cedri et platani, et abietes, quæ non adæquaverunt summitatem ejus, angelicæ sive archangelicæ dignitates intelliguntur. Fuit ergo pulchrior et speciosior cæteris; « quia omne lignum, inquit, paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchri-

A tudini ejus, quoniam speciosum feci eum; » fuit et major et altior, quia « abietes non adæquaverunt summitatem ejus. » Fuit et scientior, quia rivos suos per quos scientia designatur emisit ad universa ligna regionis iste Cherub. Hæc tria quisque perpendens, scilicet magnitudinem, scientiam et pulchritudinem ejus clarius agnoscit, cur dum contra eum sub nomine Tyri invehitur propheta ex persona Dei: « Tu, inquit, signaculum similitudinis (*Ezech.* xxviii) » cujus enim similitudinis nisi sanctæ et adorandæ Trinitatis signaculum, secundum hæc tria fuit? Sancta quippe Trinitas ipse est magnitudo, sapientia, et pulchritudo. Magnitudo namque Filii et Spiritus sancti Pater est. Sapientia Patris et Spiritus sancti, Filius est. Pulchritudo Patris Filii, et Spiritus sanB ctus est, quia magnitudine, sapientia et pulchritudine participavit, teste Scriptura, plus cæteris. Per hoc ipsum aliquatenus claret, cur dictus sit signaculum similitudinis. At ille vecors, cum in tanto honore esset, non intellexit, et hæc omnia vertit in materiam superbiendi. Non suffecit ei tanta largitas Creatoris, nisi idem diceretur vel existimaretur de ipso quod de Deo, nisi appellaretur Deus, nisi adoraretur ab angelis ut Deus, nisi prædicaretur et ipse increatus. Negavit quippe Deum esse Creatorem suum, et dixit se esse Deus. Sic enim in propheta supra memorato, dum sub nomine Pharaonis illi exprobando dixisset Dominus Deus: « Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, » statim subjunxit: « Et C dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum (*Ezech.* xxix), » dixit se esse increatum, negavit Deus esse Creatorem suum, et sub nomine principis Tyri dicit idem Dominus Deus contra eum: « Elevatum est cor tuum, et dixisti, Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi, et dedisti cor tuum, quasi cor Dei (*Ezech.* xxviii). »

CAPUT IX.

Quod per superbiam factus sit menducii pater, et quodnam fuerit illud mendacium ex litteris propheticis.

Ecce hoc est mendacium quod iste diabolus genuit, cujus patrem hunc esse pronuntiavit Dominus Jesus Christus veritas et Verbum Dei, dicens Judæis: « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et D in veritate non stetit quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus (*Joan.* viii), » subauditur mendacii. Hoc fuit initium duelli, principium certaminis, quod tale mendacium locutus est ex propriis. Ex propriis, inquam, quia non sic res se habuit quomodo dixit: « Ego feci memetipsum, Deus ego sum (*Ezech.* xxviii). » Genitura ista cordis ejus, contraria est geniture cordis unius et solius Dei, contraria Verbo Dei, et veritati Dei. Hoc est inimicitiarum exordium, et istæ inimicitiæ naturales sunt. Naturaliter quippe dissentiunt veritas et mendacium. Veritas est Verbum Dei, mendacium est

nihil. Verumtamen istud nihil ad illud constituit, ut qui aliquid erat, qui magnitudinis, sapientiæ, et pulchritudinis multum habebat, in alterum versus sit ita, ut jam neque magnus, neque sapiens, neque pulcher possit esse vel dici. Nempe adeo magnus esse desiit, ut sit quasi cinis. Nam « dabo te, » inquit Dominus, « o Cherub, in cinerem, super terram in conspectu omnium videntium te (*Ezech.* XXVIII). » Sapiens esse desiit. Nam « perdidisti, inquit Dominus, sapientiam tuam (*ibid.*) » Pulcher esse desiit. Nam « polluisti, ait, sanctificationem tuam (*ibid.*) » Sed revertamur ad ordinem. Nondum enim totum audivimus sacrilegium superbiæ ejus, quod perpetravit adhuc in illa magnitudine, sapientia, et pulchritudine conspicuus, propter quod et sic miser factus est, bonis illis exspoliatus.

CAPUT X.

Satanam suo ipsius mendacio deceptum, cæteros angelos despexisse, majestatemque et æqualitatem Dei ambivisse.

Ubi mendax ille mendacium illud locutus est : « Ego feci memetipsum, et Deus ego sum (*Ezech.* XXIX), » deliberabit adhuc apud se, et proposuit, dixitque in corde suo : « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV). » Nimirum nubium nomine, cæteros omnes angelos cognominavit, fortassis ob magnitudinem et pulchritudinem suam, quia non parvus erat in oculis suis, tanto omnes angelos semetipso viliores judicans, quanto nubes, licet aliquatenus candidæ vel lucidæ, obscuriores sunt pulchritudine luciferi. Luciferum namque volebat se haberi. Unde et cum improperio et dicitur : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? » (*Ibid.*) Profecto quia ibi dixisse legitur : « Ascendam super altitudinem nubium, » ibidem quando cum exprobratione lucifer nuncupatur, datur intelligi, quod cæteros angelos in corde suo quasi nubes reputaverit, arbitrans de semetipso, quod esset tanquam lux qua nubes indigent, ut illustrentur. Sed illud occurrit, quod ibidem utrumque dixit : « Super astra Dei exaltabo solium meum, et ascendam super altitudinem nubium (*ibid.*). » Ad quod dicendum quod neque astra hæc visibilia, neque nubes tunc erant, et idcirco per astrorum et nubium vocabulum intelligi oportere ordines angelorum, quos ille, quamvis essent astra Dei, reputabat **520** nubes comparatione sui. Cæterum quoquo modo hæc dixerit, illud constat quod despectui cunctos habuit, nam omne sublime videt, et ipse est Rex super omnes filios superbiæ (*Job* XL). Quid tandem est quod ait : « Ascendam in cœlum, super astra Dei, super altitudinem nubium ? » Nonne in cœlo erat, et propter hanc superbiam de cœlo cecidit ille Satanas? Nonne super altitudinem nubium ejusmodi ascenderat, cum, sicut jam dictum est ex alio propheta, abietes et platani per quas intelligunt quod eædem altitudines angelicæ dignitatis non fuerint æquales frondibus illius, non adæquaverunt summitatem ejus in paradiso Dei (*Ezech.* XXXI). Alium ergo ascensum oportet intelligi, videlicet ascensum cordis, non corporis, ascensum honoris, non loci. Ex abundanti est astruere provectionim honoris ascensum recte dici, cum in scholis quoque pueri lectitent, ducem nobilem dicentem militibus suis :

Quo potuit civem populus perducere liber,
Ascendi, supraque nihil nisi regna reliqui.

Quod dixit, « ascendam, » tumor fuit ambitionis, quia qui dicebat, « ego feci memetipsum, Deus ego sum (*Ezech.* XXIX), » consequenter sic ambiebat ascendere in cœlum, ut cœli teneret imperium, sic exaltare super astra Dei sodium suum volebat, sic ascendere supee altitudinem nubium, ut adoraretur et honorificaretur concentu angelorum tanquam Deus et Dominus ipsorum. Hoc enim habet suprema dictio sive dictionis ejus conclusio. Nam ac si aliquis quæreret : In quo ascendes? « Ero, inquit, similis Altissimo (*Isa.* XIX). »

CAPUT XI.

Satanam suum ipsius mendacium et cæteris angelis prædicasse, persuasisseque nonnullis, ut se pro Deo haberent.

Quomodo hoc autem fieri possit, nisi ipsorum consensu angelorum? Ut igitur in rem procederet quod apud se habebat hujuscemodi consilium, cœpit prædicare semetipsum omnibus angelis, confidens ut erat plenus sapientia, quod efficaciam haberet ad persuadendum, ut crederetur sibi dicenti: « Ego feci memetipsum, Deus ego sum (*Ezech.* XXIX). » Qualescunque sunt illæ linguæ angelorum, nimirum constat cum hoc de semetipso prædicasse, quod in eum propheticæ Scripturæ veritatis testatæ sunt. Nec vero utcunque, sed magna scientiæ, qua plenus erat, arte, prædicabat omnibus angelorum cœtibus, Deum se esse. Quid enim aliud per aliud innuitur, quod loco supra memorato, inter cætera, qua Dominus dicit, contra eum sub nomine Assur? « Flumina ejus, inquit, manabant in circuitu radicum ejus, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis, et multiplicata sunt arbusta ejus, et elevati sunt rami ejus præ aquis multis (*Ezech.* XXXI). » Rivos namque suos emisit ad universa ligna regionis; quia sapientiam suam multam effundendo, universas angelorum multitudines circumvenire et in sententiam suam deducere laboravit, ut apud illos tanquam Altissimus haberetur et adoraretur ut Deus. Et elevati sunt rami ejus præ equis multis, quia major quam erat, cœpit haberi apud maximam partem angelorum, præ multa sapientia, qua sese commendavit, de quibus post aliqua sic dicit : « Et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei (*Ezech.* XXXI). » Notandum quid vel qualiter dixerit, quia non ait æmulata sunt eum omnia ligna regionis, sed æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis; et misit quidem rivos suos ad omnia ligna regionis, sed æmulata sunt eum tantummodo omnia ligna voluptatis. Quia cunctos quidem angelos per suam sapientiam decipere, et ad suum

favorem deducere tentavit. Sed adulati sunt ei tantummodo spiritus illi, qui gloriam suam quærebant, non Dei; quos delectabat servire potius creaturæ quam Creatori. Ita esse vel maxime liquet ex eo quod tandem dicitur ei : « Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam, in medio circumcisorum, dormies cum his qui interfecti sunt gladio (*Ezech.* XXXI). »

CAPUT XII.

Satanam neminem creationis et conditionis suæ conscium putasse, ideoque nullius contra se testimonium veritum fuisse.

Quem putaret posse esse ex omnibus angelis, qui dicente ipso : Ego creatura Dei non sum, ego a nullo factus sum, sed « ego feci memetipsum (*Ezech.* XXIX), » obviaret et diceret : Falsum tu loqueris ? Quem timeret posse inveniri testem Dei, qui testificaretur et diceret : Ille te fecit? Verus namque ille testis est, et certus, qui « quod vidit et audivit, hoc testatur (*Joan.* III).» At vero cunctorum spirituum sive angelorum nullus vidit vel audivit, quando illum fecit Deus. Nullus quippe ex omnibus adhuc fuerat conditus, omnes minores sunt, hic primus erat. Testatur hoc ipse Deus, qui ad beatum Job illum mirabiliter describens : « Ipse, inquit, principium est viarum Dei (*Job* XL). » Eliphas quoque Themanites, dum de eodem justo viro nimis male sentit, putans eum contra Deum superbire, et imitari linguam blasphemantium : « Nunquid, ait, primus homo es tu, et ante colles formatus? » (*Job* XV). Idem enim est ac si diceret : Sic elevat te cor tuum, et sic tumet contra Deum spiritus tuus, ut imitari videaris Adam, qui superbiæ spiritu deceptus periit, imo et diabolum qui ante colles, id est ante cæteros angelos formatus, contra Creatorem superbivit. Cum igitur nullum haberet ex omnibus angelis conscium suæ creationis, qui dicere posset, ego vidi vel audivi (eo quod primus ipse conditus fuerit) quem putaret stare posse contra se testem Dei. Quis revelaret faciem indumenti ejus? et in medium oris ejus quis intraret? Portas vultus ejus quis aperiret? Nimirum arbitratu ejus nullus erat qui posset eum arguere esse mentitum, et conditionis ejus proferre judicium.

CAPUT XIII.

Solius Verbi Dei testimonio convictum Satanam, et ejusdem Verbi Dei testimonium non latuisse cæteros spiritus.

Sed ecce « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I). » Hoc Verbum, hic Deus testis esse debuit, et testis esse potuit verus et idoneus, quod Satanas ille falsus esset, quod mendacium loqueretur. Nam ipse est « super omnes, ipse ante omnes, et quod vidit et audivit hoc testatur (*Joan.* III). » Quid autem non vidit, aut quid non audivit, qui omnia vidit cum fierent ? imo omnia vidit et audivit antequam fierent? Nam « omnia per ipsum facta sunt, et quod factum est in ipso vita erat (*Joan.* XI). » Vidit ergo illum quoque Angelum summum cum fieret, vidit et audivit antequam fieret, et idem per ipsum factus est. Proinde poterat testari de illo superbo, quod esset falsa locutus quod esset factus vel creatus. Cum itaque rivos suos emitteret, ut supra jam dictum est, ad universa ligna regionis mittebatur. E contra Verbum hoc fons vivus et verus, qui apud Deum erat, juxta illud : **521** « Quoniam apud te est fons vitæ (*Psal.* XXXV). Mittebatur, inquam, ad irrigandum eadem ligna regionis, id est ad instruenda spirituum agmina cognitione veritatis. Talis namque fons est hoc Verbum, ut si etiam lumen cordium illuminans oculos mentis ad illuminandum et videndum non solum quæ præsentia, verum etiam quæ præterita et quæ futura sint. Unde cum dictum esset quod præmisimus, « Quoniam apud te est fons vitæ, » continuo subjunctum est, « et in lumine tuo videbimus lumen (*ibid.*). » Hujus rei sufficiens habemus experimentum in hominibus sanctis, ad quos factum est Verbum Domini, et proinde Videntes dicti sunt, quia in isto lumine sic viderunt lumen ut cum catenus fuissent nonnulli ex ipsis homines sine litteris, imo pastores, ut Amos et David, repente fierent litterati, et prudentes eloquii mystici, et interpretes cœlestium secretorum miri et magnifici. Nonne etiam homines hujusmodi inter cætera quoque conditionem et præsumptionem viderunt illius Satanæ, id est adversarii, quem et descripserunt per figuras et tropologias mirabiles, nunc sub nomine Pharaonis, nunc sub nomine Assur, nunc sub nomine principum Tyri, cæterorumque superborum principum hujus sæculi, qui illum sunt imitati. Itaque saltem secundum exemplum hominum prophetarum hujus Verbi Domini perspicuum nobis sit, quia electi angeli per infusionem ejusdem Verbi scierunt, nec quasi incertum senserunt, sed claro lumine viderunt illud quod erat præteritum, scilicet et quod, sicut ipsos juniores, ita fecisset unus Deus illum primum. Hoc erat Verbum, et fidele Verbi testimonium Verbi, quod erat Deus, qui non in incerto quidquam loquitur, sed « quod vidit et audivit, hoc testatur (*Joan.* III). » Testimonium ejus spirituum pars quædam accepit, pars quædam non accepit. Pars quæ testimonium ejus accepit, signavit quia Deus verax est, dicens : « Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me (*Deut.* XXXII). Et Satanas ille mendax est, qui dixit : « Deus ego sum et in cathedra Dei sedi, et meus est filius, ego feci memetipsum (*Ezech.* XXVIII - XXIX), » et cætera hujusmodi.

CAPUT XIV.

Partem spirituum, superbia et invidia depravatos, testimonium Verbi Dei non recepisse ; partem, humiles et obedientes, in veritate perstitisse.

Pars testimonium ejus non accepit, sic est inexcusabilis ut idem ille princeps et pater mendacii, qui contra propriam conscientiam mentitus est, dicendo se esse quod non erat, negando se esse quod erat. Nihilominus namque et ipsi omnes scire potuerunt verum esse Verbi Dei testimonium, sed

rebelles lumini, id est eidem verbo exstiterunt propter superbiam, seu propter invidiam, cujus videlicet superbiæ sive invidiæ nunc usque proverbium usitatum est. Ob derogationem melioris semper favere pejori. Hoc illi spiritus, qui dicuntur et sunt maligni, sine dubio fecerunt. Invidentes namque meliori, imo soli bono Creatori, malum et mendacem Satanam, id est adversarium ejus suis favoribus extulerunt, testemque ejus, Verbum ejus oderunt et repulerunt, ut puta, quorum secundum exemplum maligni quoque homines eidem Domino Deo dicere soliti sunt : « Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus (*Job.* XXI). » Talium spirituum maxime Judæi imitatores fuerunt, de quibus non recipientibus testimonium suum, ait idipsum Dei Verbum : « Nunc autem et viderunt et B oderunt et me et Patrem meum (*Joan.* XV). » Superbiam atque stultitiam illorum quam pulchre declamavit qui dum præmisisset : « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus ; magnus et non habet consummationem, excelsus et immensus (*Baruch.* III), » ita subjunxit : « Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt ; propterea perierunt, et cum non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam (*ibid.*). » Profecto superbiam illorum nomine gigantium congrue signavit. Insipientiam autem proprio vocabulo expressit. Magnitudinem quoque et immanitatem rebellionis eorum, qua contra veritatem rebellaverunt, C miro modo, tam proprie quam breviter exposuit, dicendo : « Scientes bellum. » Porro sanctorum spirituum qui, sicut jam dictum est, Verbi Dei testimonium acceperunt, sapientiam, humilitatem atque obedientiam subinde pulcherrime expressit, dicens : « Stellæ autem dederunt lumen in custodiis [s]uis et lætatæ sunt, vocatæ sunt, et dixerunt : Ad[s]umus, et luxerunt ei cum jucunditate (*ibid.*). » [D]einde contra principem illum malignorum, qui [d]ixit : « Deus ego sum (*Ezech.* XXVIII), » veraciter [in]tulit dicens : « Qui fecit illos hic Deus noster est, [e]t non æstimabitur alius ad illum (*Baruch.* III). »

CAPUT XV.

[Sat]anam propter testimonium Verbi a Deo damnatum, a sanctis angelis gladio Verbi Dei debellatum, et e cœlo dejectum esse.

D Igitur quia gigantes erant, quia scientes bellum [er]ant, id est quia superbi erant, et tota intentione [C]reatori rebellabant, decebat eum qui fecerat eos, tam contra ipsos quam contra principem eorum, [q]uam proferret sententiam, et ostenderet in illis [for]titudinem suam. Sententiam ipsam nomine gla[di]i, loco superius memorato per prophetam contra [As]sur designat, cum dicit : « Qui assimilatus es, o [in]clyte, atque sublimis inter ligna voluptatis ? Ecce [de]ductus es ad terram ultimam in medio circumcisorum, dormies cum his qui interfecti sunt gladio ([Ez]ech. XXXI). Eamdem sententiam damnationis licet

A illic per gladium intelligi, cum dicitur in Apocalypsim de bestia quæ de mari ascendit, quia « habet plagam gladii, et vixit (*Apoc.* XIII). » Plagam namque gladii habet bestia, et vivit, quia sententiam damnationis diabolus in cœlo accepit, et adhuc superbit ac semetipsum defendit. Itaque gladio percussus est cum lignis voluptatis, id est sententia Verbi Dei, damnatus est cum angelis sequacibus suis. Damnatus autem per justissimum verbi Dei judicium, statim de cœlo projectus est, per ministerium sanctorum angelorum, victoriæ Verbi Dei militantium. Sed quæ vel qualia fuerunt vel sunt arma, quibus illi spiritus in illo prælio usi sunt? Non utique arma materialia fuerunt, sed omnis armatura eorum fuit et est ipsum Dei Verbum. Ipsum, inquit, Dei Verbum rebellibus illis spiritibus vim suam per angelos B sanctos intentans per semetipsum perfecit victoriam Ignis quippe est Dei Verbum, id est sic intolerabile impiis, spiritibus malignis, ut est infirmis corporibus ignis visibilis. Hinc in Parabolis scriptum est : « Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se (*Prov.* XXX). » Et Psalmista dicit : « Ignitum eloquium tuum vehementer (*Psal.* CXVIII). » Item : « Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII). » Igitur non qualibuscunque armis diabolum, et angelos **522** ejus debellaverunt sancti angeli, sed igne ardente : in ipsis namque est Verbum Dei. Etenim ignis, iste intolerabilis quidem est impiis et odientibus se, sed blandus et suavis est piis et diligentibus se. Idcirco, apud prophetam supra memoratum, angeli C sancti lapides dicuntur igniti. Sic enim scriptum est : « Et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti (*Ezech.* XXVIII). » Et subinde ait : « Et peccasti, et ejeci te de monte sancto Dei, et perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum ignotorum (*ibid.*) »

CAPUT XVI.

De eo quod in Psalmis scriptum est : « Tu terribilis es, et quis resistet tibi? extunc ira tua. »

Ex eo satis liquet quam veraciter Psalmista dicat : « Tu terribilis es, et quis resistet tibi ; ex tunc ira tua ? » (*Psal.* LXXV) ; quod idem est ac si dicat : Non ex quo quisque peccat, sed ex quo tibi resistit peccator (quod ille primus fecit), ira tua vim suam exercet, cui resistere nemo potest. Et quis recte D considerans tantam terribilis Dei non pertimescat iram ? Ille qui videbatur sibi fortissimus, sic inter angelos, quorum volebat esse Dominus, quasi cera, vel tanquam stipula inter flammas invalidus est inventus. Quis hoc in laudem Verbi Dei non admiretur ? Consideretur diligentius littera prophetalis quomodo in eum declamat. Præmiserat dicens : « Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, jaspis, chrysolithus, onyx, beryllus, sapphirus, carbunculus et smaragdus (*Ezech.* XXVIII). » Post hæc ita subjunxit : « Repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti, et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum

ignitorum (*Ezech.* XXVIII).» Novem pretiosos lapides, per quos novem angelorum intelligimus ordines, quos velut operimentum sibi usurpabat ad ornatum et obsequium suum, lapides ignitos appellavit. Nonne hæc dicendo, mirabilem eventum prædicavit? Velut si quis latro vel prædo pallium vel tunicam rapiat et induat, statimque in loricam sive thoracem ignitam convertatur illi. Vere igitur in terribilis es, Deus, et nemo resistit tibi. Nam ubi resistere tibi quis audet, extunc ira tua, quæ non potest portari. Ille tam magnus, tam robustus, dum a facie tua effluxit, « sicut fluit cera a facie ignis (*Psal.* LXVII), » terribiliter in semetipso expertus est, et omnibus pro experimento sufficit quod tibi nemo resistere possit. Verumtamen cum legimus vel audimus, « extunc ira tua » seu quodlibet aliud ejusmodi, non intelligimus, nec intelligere debemus de Deo impassibili quod in eum cadant motus animi qui signantur vocabulo iræ vel furoris. Ipse namque suavis semper in tranquillitate omnia disponit, sed creatura, corrupta suoque vitio turbata, ipsam Creatoris suavitatem atque tranquillitatem male et pœnaliter sentit. Inde est quod, uno eodemque tempore vel momento, et lapides supradictos, qui incorrupti sunt, illustrat et non urit, et adversarios illorum urit et non illustrat, qui sunt corrupti et a natura bona degeneres. Hoc, licet satis per semetipsum intelligibile sit omni sensato homini, juvat tamen adhuc per notam similitudinem indagando melius intueri.

CAPUT XVII.

Pulcherrima similitudine declarat motus et affectus animi in Deum non cadere, sed eum immutabilem esse.

Ecce quempiam lapidem lucidum ex clarissimis lapidibus ejusmodi, qualium vocabulis in propheta, ut jam dictum est, Dominus Deus novem ordines angelorum significavit. Plerumque, dum libet, attollis in faciem solis sereno cœlo fulgentis, statimque lapis idem in parvam sui quantitatem magni solis concipit imaginem, supponis continuo materiam per aridam ignium escam. Nonne unus idemque splendor solaris, et in lapide radium vibrat innoxium, et in materia jam dicta tactu molestum trajicit incendium? Unus idemque ignis et in lapide radiat, nec urit, et in esca fumat, et urit. Non ergo mirum, quod Deus noster qui, ut ait Apostolus, « ignis consumens est (*Hebr.* XII), simul uno eodemque actu sanctos angelos sic ignitos reddit ut ipsorum pulchritudo et delectatio sit, et adversarios suos sic attingat ut consummantur pœnaliter afflati. Itaque « et perdidi te, inquit, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum (*Ezech.* XXVIII), » subauditur, quia tu illorum ignem sufferre non potuisti. Tua namque superbia et illorum humilitas ita sunt contraria contrarietate naturali, ut quod illis gloria est idipsum tibi pœna sit. Sciendum interea quia quocunque se vertat, pœnam suam secum portat, et plaga ignis ignitorum lapidum, quia semel est ful-

A minatus, intrinsecus in ipso perseverat. Hæc ejus pœna ex illis Domini dictis ad beatum Job (salvo sacratiore intellectu) valet intelligi: « De ore ejus lampades procedunt sicut tedæ ignis accensæ, de naribus ejus procedit fumus sicut ollæ succensæ, atque fervens halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur (*Job.* XLI). » Interim ergo donec veniat dies universalis judicii, quo « in ignem æternum, qui paratus est ei et angelis ejus (*Matth.* XXV), » — « præcipitabitur cunctis videntibus (*Job.* XL), « jam habet pœnam incendium fulminis, quo fulminatus de cœlo cecidit, et nihil sic timet, quam fulmen Verbi Dei, nihil habens virium, ut subsistere possit ubicunque illud senserit, in corde vel ex corde et ore hominis, sive
B angeli Verbi ejusdem dilectionem habentis?

CAPUT XVIII.

Ex illo certamine quo diabolus victus est, quemdam de principibus militiæ cœlestis, et principatum, et inclytum nomen retulisse, ut jam dicatur Michael, id est quis sicut Deus.

Ex illo certamine magno et mirabili, pulchro nomine et honore donatus unus et primus de militiæ cœlestis principibus gloriose rediit, nomine videlicet ut exinde vocaretur Michael, honore non solum angelorum, verum etiam hominum habentium Dei verbum ipse sit princeps. Sic enim Danieli de illo ab angelo dictum est: « Et ecce Michael unus de principibus primis, venit in adjutorium meum (*Dan.* X). » Item: « Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in Scripturis veritatis, et nemo
C est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester (*ibid.*) « Itemque post aliqua. « In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, et veniet tempus quale non fuit ex eo quod gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud (*Dan.* XII), » cum dicitur: « Qui stat pro filiis **523** populi, » loquens illi, cujus populo soli creditum et notum tunc erat Verbum Dei, dicitque ei: « Princeps vester magnus, » profecto constat quia princeps est omnium usque ad finem sæculi, qui Verbum Dei credunt et confitentur. Et hoc honore vel principatu donatus est, ex quo contra diabolum dicentem, « Deus ego sum, » restitit, ut diceret: « Quis sicut Deus? » et vincendo illum probavit, quia « nullus est alius sicut Deus. » Hinc, ut jam dictum est,
D nomine quoque est donatus, ut Michael vocaretur. Michael namque interpretatur *quis sicut Deus?* Iste et tunc in cœlo victor effulsit, et nunc in Ecclesia quæ ad cœlum tendit. Unde et ipsa cœlum dicitur, quia cœlestem vitam ducit, eumdem antiquum hostem vincit, mystica Apocalypsis continet Scriptura: « Et factum est, inquit, prælium magnum in cœlo. Michael et angeli ejus pugnabant cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus (*Apoc.* XII), » etc. Magnus igitur princeps iste est princeps belli divini, Verbum autem Dei belli ejusdem virtus est. Nam quia Verbum ipsum Satanam illum, et tunc in cœlo tanquam Deus elisit, et nunc caro factum in

hoc mundo fortem eumdem tanquam fortior alligavit (*Luc.* XI). Inde archangelus iste cum angelis suis pugnando, et tunc illum de cœlo projicere potuit ubi dicebat : « Deus ego sum, et sedi » vel « sedebo in cathedra Dei (*Ezech.* XXVIII), » et nunc eumdem de templis vel delubris idolorum, ubi a nobis gentibus colebatur, protrahere prævaluit pugnando contra illum, non solum cum angelis suis, verum etiam cum hominibus sanctis, maximeque piis martyribus Christi, quibus mori vicisse fuit.

CAPUT XIX.

De eo quod dictum est ab beatum Job : « Quis dimisit lapidem augularem terræ, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei. »

Itaque projecto illo, laudaverunt et jubilaverunt angeli sancti, participes cum Michaele, et cooperatores victoriæ Verbi Dei, sicut ipse Deus et Dominus ad beatum Job loquens, pulchre innuit. Præmisso namque : Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam, quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt? (*Job* XXXVIII) ; ita subjunxit: Aut quis dimisit lapidem angularem ejus, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? » (*Ibid.*) Equidem futurum prophetiam in verbis istis attendimus, spiritualis terræ, id est sanctæ Ecclesiæ positionem, dimensionem atque solidationem utiliter intelligimus, cujus lapis angularis est Christus, sicut docet beatus papa Gregorius. Verumtamen si præteritorum narrationem attendere placet, quia revera Deus hujus terræ quam calcamus fundamenta posuit (quod mirabile est) super nihilo, et bases ejus, id est firmitatem ejus solo præcepto suo solidavit. Lapis alius, scilicet Satanas, erit intelligendus lapis terræ angularis, id est princeps hujus mundi. Nam de isto sine dubio superius idem Job assumpta parabola, dixit : « Lapidem quoque caliginis et umbræ mortis dividit torrens a populo peregrinante, eos quos oblitus est pes egentis hominis et invios (*Job* XXVIII). » Haud dubium quin eo loco lapis Satanas ille debeat intelligi lapis caliginis, ut puta nihil habens de illuminatione septem oculorum, quos in alio lapide Zacharias propheta vidit (*Zach.* IV). Lapis, inquam, « caliginis et umbræ, » non qualiscusque, sed « umbræ mortis. » Istum « lapidem divisit torrens » judicii divini « a populo peregrinante, » ut videlicet, non obscuret, non sua caligine involvat eos qui in hoc mundo a populo peregrinos se esse noverunt, qui manentem civitatem hic non habent, sed futuram inquirunt (*Hebr.* XIII). Dividit ab eodem populo cum ejusmodi lapide etiam « eos quos oblitus est pes egentis hominis, et invios, » id est omnes homines impios, quos propter incredulitatem ipsorum « oblitus est » et dereliquit « pes egentis hominis, » id est gratia Jesu Christi, « qui cum dives esset, propter nos pauper factus est (II *Cor.* VIII). » Dereliquit, inquam, ut puta « invios, » quia noluerunt parare, vel parari apud se viam Domino. Lapis itaque durissimus ille hostis lapis terræ angularis, id est superbus princeps hujus mundi, recte valet intelligi. Et illum Deus revera « dimisit, » id est deorsum misit, nec alius nisi Deus dimittere potuit. Cum igitur dimisisset illum, laudaverunt, inquit, « simul astra matutina, » et jubilaverunt « omnes filii Dei. » Quod dixerat, laudaverunt astra matutina, repetit dicendo : Et jubilaverunt omnes filii Dei, videlicet sancti angeli, qui dum in gratiæ claritate perstiterunt, recte dicuntur « astra matutina, » id est angeli lucis, angeli habentes charitatem et cognitionem Dei, quæ tunc illis pervicti ruina diaboli clarius illuxit.

CAPUT XX.

De eo quod dictum est ad eumdem beatum Job : « Potestatem et terror apud eum est qui facit concordiam in sublimibus suis. »

Quale autem putamus hujus laudationis vel jubilationis initium fuisse? Quid pulchrius eo quod sonat ipsum nomen Michael? Quid ad tonandam laudem sonorius quam istud : *Quis sicut Deus?* Nimirum res ipsa ferebat, ut sic intonantes laudarent atque jubilarent, quatenus in ipso laudis et jubilationis exordio victum illum stultitiæ magnæ redarguerent, qui sibi videbatur esse sicut Deus, et verum et solum Deum digne magnificarent, quod ei similis esse non possit alius. Simul, inquam, videlicet quod illa victoria magnam cum diabolo et angelis ejus excluserat discordiam, magnam omnibus residuis illis beatis spiritus fecerat concordiam. C Ablatum erat de cœtu illorum omne scandalum. Hinc est illud ad beatum Job : « Potestas et terror apud eum est qui facit concordiam in sublimibus suis (*Job* XXV). » Plane veraciter dictum, sed non bene, neque competenter illatam. Nam quia dixerat idem sanctus Job, in fine sermonis : « Quod si non est ita, quis potest me arguere esse mentitum, et ponere ante Deum verba mea? » (*Job* XXIV). Unus amicorum ejus, qui omnes de illo sermones nimis male sentiebat, putans eum hoc dixisse per nimiam mentis superbiam : « Potestas, inquit, et terror est apud eum qui facit concordiam in sublimibus suis; » ac si diceret : Ille te potest arguere esse mentitum, qui terribilem potuit arguere diabolum, et dejecto illo, pro eo quod in sublimibus suis faciebat discordiam, indissolubilem in eisdem sublimibus fecit concordiam. » Potestas, inquam, et terror apud eum est, » sicut ex illo et ex omnibus superbis comprobatum est, et ex teipso qui propter superbiam percussus, et omnibus bonis spoliatus, nunc in sterquilinio sedes. Male quidem, ut jam dictum est, et incompetenter ille dixit. Quia contra virum simplicem, rectum, Deum timentem et a malo recedentem dixit, sed nihilominus bona et vera sententia, quæ recte dici posset, contra talem quempiam, qualem illum
524 esse putabat. Cum igitur dicit quia simul astra matutina laudabant sive jubilabant, magnam insinuat exclusam esse discordiam, magnamque factam in cœlo, cadente diabolo, concordiam. Non leviter

est hoc sentiendum, quasi adversarius ille, in illa tanta multitudine spirituum parvum discordiæ fecerit tumultum, dum se mendaciter Deum vellet haberi contra verum Deum et vivum.

CAPUT XXI.

Satanam non statim ut conditus est cecidisse

Et qui opinione illa præventus est, ut eumdem Satanam cecidisse putet statim ut conditus est, non apparet, non accedit ad cor, ut sentiat magnum illum fuisse diabolicæ seditionis et discordiæ tumultum, licet magnas esse iras dæmonum, magnum contra zelum bonum zelum non ignoret sanctorum angelorum. Prius ergo sciendum est eum non cecidisse statim ut conditus est. Sic enim in eum per prophetam supra memoratum dictum est : « In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te (*Ezech.* XXVIII). » Profecto dicto hujusmodi, « a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te, » sensum sive opinionem illam non admittit, ut dicat vel putet quis, quod ubi conditus est ille, statim ceciderit. Consequeretur etiam illa suspicio, ut posset suspicari, quia qualis idem nunc est, scilicet malus, talis a Deo conditus esset, nunc autem et innocentem et rectum illum fuisse conditum, et non parva mora permansisse in medio angelorum sancitrum, præsens sermo convincit, dum ita præmittit : « In medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis. » Ac demum subjungit : « A die conditionis tuæ : » ac deinde : « Donec inventa est iniquitas in te. » Diem conditionis non sic accipimus, ut nunc cursum et recursum solis, quia necdum erat sol iste visibilis, sed melius exprimi non potuit sensus prophetæ vel Dei ad hominem loquentis. Non ergo putandum est quod conditus statim ceciderit, imo istud verum est, quia primum conditus, et tunc demum positus est in illo paradiso cœlesti. Sic enim ibidem scriptum est : « In die, inquit, qua conditus es foramina tua præparata sunt, tu cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei (*Ezech.* XXVIII). » Sed et illud datur intelligi quod non statim in initio peccati de cœlo projectus fuerit, sed ipsum quoque exspectaverit patientia Dei. Ipse autem secundum duritiam suam et cor impœnitens iram sibi thesaurizavit (*Rom.* II). Cum enim præmissum fuisset, « donec inventa est iniquitas in te, » statim subjunctum est : « In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, » statimque, « et peccasti, » ait, et tunc demum : « Et ejeci te, inquit, de monte Dei. » Tria hæc sunt incrementa peccati, quæ in hominibus, quoque tandem justum consequitur judicium Dei. Primum iniquitatem mente concepisse, deinde ipsam iniquitatem non semel aut uno actu, sed multipliciter adimplesse, deinde opera iniquitatis defendendo peccare. Itaque quia et « inventa est iniquitas in te, et multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti, » non parva intelligitur mora in iniquitate illius peccatoris antiqui ad instruendos electos angelos, ut scirent justum esse judicium Dei, videntes illum peccatorem in quod esset incorrigibilis.

CAPUT XXII.

Satanam in sublimibus Dei pacem turbasse.

Igitur in sublimibus Dei discordiæ tumultus grandis exstitit inter magnas iras dæmonum magnumque et bonum zelum spirituum bonorum. Nimirum ut hoc animadvertamus, scilicet quod in sublimibus Dei nimium pacem turbaverit. Idcirco sub nominibus arguitur hominum qui terram turbaverunt, videlicet Assur Pharaonis regisque Tyri, et Nabuchodonosor regis Babylonis, diciturque illi : « Nunquid iste est vir qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, et urbes ejus destruxit ? » (*Isa.* XIV). Item : « Tu enim terram dispersisti, tu populum occidisti (*ibid.*). » et cætera hujusmodi. Atquin si non secundum horum similitudinem de ipso est sentiendum, quod ita turbaverit angelos per semetipsum, sicut turbavit gentes per talium superbias hominum, tyrannidem in populos arripientium, ut quid nominibus et rebus gestis denotatur illorum ? Non ergo dubium quin jam tunc propter illum motæ fuerint virtutes cœlorum, quæ et ultimo judicio contra eum movendæ sunt. Motus ille quantus fuerit, tandem rueret ille de cœlo projectus, ipse qui projecit illum Deus, Dei verbum breviter innuit dicens : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X). » Quomodo cadit fulgur ? utique motis atque collisis nubibus tanto cum fragore, id est tonitru, ut concuti machina cœli et terra tremere videatur. Tunc fulgur excussum brevi lucet, statimque disparet. Itaque dum dicit, « sicut fulgur, » mirandum innuit motum virtutum cœlestium magnumque prælium angelorum, Michaele principe contra illum, magnumque super hæc omnia verbi Omnipotentis, quod ipse est, tonitruum et excutiendum illum, ut de cœlo caderet cum vana luce sua, protinus exstinctus est miser, eoque projecto, serenitas pacis cœlo rediret. Notum est cur ita dixerit, cur ita taliter illius Satanæ mentionem fecerit, videlicet propter gaudium inconsultum discipulorum septuaginta duorum quos ipse miserat, quique reversi : « Domine, inquiunt, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo (*ibid.*) » Idcirco tale illis objecit ut caverent exemplum, ne et ipsi per vanam gloriam seducti exciderent et abirent retrorsum.

CAPUT XXIII.

Quod Christus, cum diceret : « Videbam Satanam cadentem, » se non solum hominem esse, verum etiam Verbum Patris ab æterno fuisse insinuaverit.

Simulque hæc dicens antiquitatem suam paucis credulo auditori suaviter insinuat verbis. Quam enim antiquus est, qui illud videbat ? Nimirum secundum hominem qui videbatur, cum hæc diceret, paulo plus quam triginta annorum erat. Porro longe ante triginta annos, imo ante omnes annos, et ante

creationem solis, cujus circuitus annum efficit, Satanas ille cecidit. Igitur qui illud videbat, longe ante suæ carnis annos erat. Et verum est. Nam « in principio Verbum erat,» in principio « Verbum Deus» ipse « erat (*Joan.* I). » Sed et hoc attendendum, quia nec ita dixit: Vidi Satanam, sed « videbam, ait, Satanam de cœlo cadentem.» Recte quidem dixisset, et verum esset dixisse, vidi, sed « videbam » verbum imperfecti temporis, quamvis præteriti, plus continet, et majorem sensum importat auri bene audiendi. **525** Denique vidi Satanam de cœlo cadentem, dicere posset Michael quoque et quivis alius angelorum, quibus utique videntibus ille cecidit, nec solum videntibus, verum etiam cum illo præliantibus. At vero nullius eorum est dicere, videbam, sed tantum vidi cadentem. Hic solus est qui non solummodo tunc vidit cadentem dum caderet, sed etiam videbat cadentem antequam caderet, sed et antequam idem formaretur aut fieret. Fiebat namque per ipsum, sicut et omnia per ipsum facta sunt, nec poterat Deus Verbum ignorare quid de illo esset futurum, præsertim cum ipsum sit Verbum quod homines facit prophetas, id est præscios futurorum. Hoc plane sciendum et confitendum, quia dum fieret ille angelus, dum formaretur ille lapis magnus, et præpararentur foramina ejus, sicut in eum per prophetam dicitur: « Aurum opus decoris tui et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. (*Ezech.* XXVIII). » Cum, inquam, præpararentur foramina ejus, videbat verbum Deus, quod in eisdem foraminibus ligaturas auri non esset recepturus lapis rebellis et durissimus. Hoc ut manifestius dictum sit, dum ingenio, intellectu, memoria plenaque et perfecta rationalitate magnifice insigniretur, videbat Verbum Deus, quod Creatoris sui dilectionem, qua ad illum solum deberet astringi, nullo modo esset recepturus. Melius ergo et magnificentius, videbam, ait cadentem, subauditur, etiam antequam caderet. Nam angelorum quoque posset quivis dicere, vidi cadentem, et subaudiretur, dum caderet. Ad summum et illud inferre libet, quia solus iste videbat securus sui: angeli autem viderunt in magno terrore positi. Sic enim ad beatum Job dicit ipse Dominus: « Cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi purgabuntur. » (*Job* XLII).

CAPUT XXIV.

Quæstionem, quare Deus Satanam, cum malum fore sciret, creavit, solvit, justitiamque Dei irreprehensibilem defendit.

Dicat aliquis, si jam tunc videbat cadentem quare illum tam magnifice formabat? quare foramina ejus tam diligenter præparabat? Si quem res ista movet, idem illi, quod de Pharaone dictum est, de illo quoque Satana respondendum est: « Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te fortitudinem meam, ut annuntietur nomen meum in universa terra. (*Exod.* IX). » Hoc audiens fidelis animus, qui de Domino in bonitate sentit, non suspicatur, quod eumdem Pharaonem malum esse voluerit, vel malum esse fecerit Deus, sed ita intelligit « in hoc ipsum excitavi te, » vel sic, ut alibi legitur: « Posui te (*Rom.* IX) » ac si diceret, Regem feci, vel esse volui te. Longe enim aliud est fecisse hominem malum, et aliud hominem, qui malus erat, excitasse et sublevasse in regnum. Quod malus est homo, a semetipso fit; quod autem, cum sit malus, in regnum ascendit, Dei ordinatione fit, aliquando propter peccata populi, aliquando propter probationem ut manifesti fiant electi; aliquando propter declarandam et amplificandam gloriam et laudem nominis Dei, ut prosit audituris per interitum illorum cognovisse omnipotentiam Dei, quod manifeste de illo Pharaone vox prædicat divina: « In hoc ipsum, » inquiens, « posui te ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in universa terra. (*Exod.* IX; *Rom.* XI). » Quid aliud sana fides sentire debeat de illo Satana, præsertim cum typus illius Pharao fuerit, quod omnis sancta Christi novit Ecclesia? Igitur et de illo rectissime dicas, quia cum sciret Creator illum malum futurum eum faceret, vel priusquam eum faceret, sicut videbat, ita et damnabat malum. Et ut illo ostenderet fortitudinem suam, magnum, sapientem, speciosum (sicut jam superius ex propheta demonstratum est) fecit eum, et tanta præ cæteris angelis illi contulit, qui malus sponte futurus erat, quanta nec Pharao, qui similis illi dicitur, præ cæteris hominibus habere potuit qui priusquam in regem excitaretur malus erat. Denique Pharaone aliquis homo in regno ipsius, et statura major, et sapientiæ capacior et forma pulchrior esse potuit. Illo autem Satana nullus ex angelis altior, sapientior aut speciosior fuit. Nam ut supra memoratum est, « omne lignum paradisi Dei, » ait Deus ipse per prophetam, « non est assimilatum illi (*Ezech.* XXXI). » Verumtamen quia loquitur Dominus: « Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra? » (*Job* XXXVIII). Nos super quæstione hac temperantes cum Apostolo dicamus: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* XI).

CAPUT XXV.

Unde et quo diabolus projectus sit; quali de cœlo, qualem jam tunc in infernum ceciderit.

Facta est, quod videbat Veritas, « cecidit Satanas. » Unde cecidit? « de cœlo, » inquit. De cœlo, utique non suo, sed Domini; quia nec saltem in cœlo conditus fuit, sed postquam conditus est, positus fuit in cœlo ab eo qui et cœlum et ipsum condidit. Plane sicut homo non in paradiso factus fuit, sed postquam factus est, tulit eum factor ejus, « et posuit eum in paradiso voluptatis (*Gen.* II). » Sic et illum non in cœlo fecit, sed factum in cœlo posuit. Unde cum præmisisset: « Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt, tu cherub extentus et protegens (*Ezech.* XXVIII). Tunc demum subjunxit, « et posui te in monte sancto Dei (*ibid.*). » Jure ergo de cœlo cecidit, quia

quod datum sibi erat cœlum, rapinam arbitratus est, et per humilitatem non custodivit. Ubi autem cecidit? putas in terram? utique in terram, verumtamen non talem ut nunc videmus eam. « Tunc enim terra inanis erat et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, » imo « et ipsa terra tegebatur aquis (*Gen.* I), » nec a cæteris distincta erat elementis: chaos erat magnum, quod illic terræ nomine signatur, id est, non tantum unum elementum, quod prius aridam, et deinde terram Deus appellavit, sed tota quatuor elementorum moles confusa. O ergo miserum, non tamen miserabilem! Quanta enim ex beatitudine, in quantam miseriam cecidit? Quantis ex divitiis, in quantam paupertatem incidit? Nihil hic nisi abyssum invenit et tenebras super faciem abyssi. Non erant hic regna mundi et gloria eorum, quæ aliquando Domino Jesu ostendens: « Si, » inquit, « adoraveris me, hæc omnia tibi dabo, quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa (*Luc.* IV, *Matth.* IV). » Quid dico, regna mundi nondum erant? Sol et luna, stellæ et lumen et cætera omnia, quæcunque die secundo et deinceps facta sunt, nondum erant; sed tantum, ut jam dictum est, chaos et super faciem abyssi caligo tenebrarum. Sciendum quippe tres esse cœlos, auctoritate Scripturarum. Primum et summum quod a principio creavit Deus, quod est invisibilis patria beatorum spirituum. Infimum vero aerem istum, qui cœlum dici consuevit, unde et dicuntur volucres cœli (*Psal.* CIII). » Medium autem **526** firmamentum quo die secundo Deus fecit, cœlumque appellavit. Hoc cœlum medium nondum erat factum, quando diabolus cecidit, sed erat factum cœlum illud invisibile, quæ habitatio est sanctorum angelorum et hominum, semper lucens illis ex Dei visione. Et hoc infimum cœlum, scilicet aer, nihil habebat saltem corporeæ lucis, sed « tenebræ, » inquit Scriptura, « erant super faciem abyssi (*Gen.* I). » Isti duo cœli, medium et infimum, comparatione illius tertii, terra sunt, quia terrenis conspiciuntur oculis. Illud autem, quod terrenis non conspicitur oculis, priusquam immutentur per gloriam resurrectionis, dicitur cœlum cœli, juxta illud Davidicum: « Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. (*Psal.* CXIII). » Nonne ergo jam tunc usque in infernum cecidit? Revera, quamvis nondum in inferiorem missus sit. Jam iste locus, infernus est illi, respectu latitudinis illius domicilii sui quod dereliquit, respectu principatus sui quem non servavit, et sub caligine tenetur vinculis æternis, quemadmodum Judas apostolus in Epistola sua dicit: « Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium diei magni vinculis æternis sub caligine reservavit. (*Jud.* I). » Petrus quoque apostolus idipsum confirmat his verbis: « Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciendos in judicium reservari (*II Petr.* II).

CAPUT XXVI.

Quare diabolus, quare Satanas, et quare spiritus ejus dæmones appellati sunt.

Recte igitur ex eo vocabulum sortitus est, ut vocaretur diabolus, quod primus edidit per Scripturam David, loquens in spiritu: « Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus (*Psal.* CVIII). » Diabolus namque Hebraice *deorsum fluens*, sive *clausus ergastulo* intepretatur. Porro vocabulum, de quo jam dictum est, scilicet Satanas (quod interpretatus *adversarius*, cujus propter causam nominis cecidit et factus est diabolus autiquior) Scriptura libri Job primitus edidit: « Quodam, » inquit, « die, cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit etiam inter eos Satan (*Job.* I). » Ex quo superbire cœpit, ex eo Satan est, scilicet Dei adversarius, et ex quo propter eamdem superbiam projectus cecidit, ex eo dicitur qui est diabolus. Tunc namque deorsum fluxit, et ergastulo clausus est, quia videlicet in grande chaos cecidit, longe a sublimitate Dei, et quasi in ergastulo tenetur, dum in aere depressus impossibile sentit esse ut rursus ascendat illuc unde cecidit, imo futurum esse non ignorat, ut adhuc inferius præcipitetur, tradaturque inferno inferiori, seque ad hoc in diem judicii reservari. Nec vero loco tantummodo deorsum fluxit, sed etiam intentione semper deorsum fluit. Semper enim vilissima quæque appetit, tam vilis nunc nebulo, quam gloriosus archangelus primum exstitit. Quod perpendat, qui potest, ex eo quod in Scriptura sacra spiritus immundus nuncupari consuevit. Græce quoque diabolus idem sonat, quod Latine criminator sive accusator; et hic sensus veraciter illi congruit pro causa duplici. Nam et omne crimen suum refert semper, et ab initio retulit in Deum, sese justum, Deum vero audens dicere injustum, et fictis criminibus innocentiam accusat electorum. Unde et in Apocalypsi angelica voce dicitur: « Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte (*Apoc.* XII). » Angeli ejus Græce dæmones id est scientes dicuntur. Præsciunt enim multa futura, unde et solent responsa dicere aliqua. Inest namque illis csgnitio rerum plusquam infirmitati humanæ, partim subtiliori sensus acumine, partim experientia vitæ longissimæ, partim per Dei jussum angelica revelatione. Hi corporum aerorum natura vigent. Ante transgressionem quidem cœlestia corpora gerebant, lapsi vero, ut jam dictum est, per superbiam in aeream qualitatem conversi sunt.

CAPUT XXVII.

Quibus verbis novem ordines angelorum in prophetis figurati sint, et quod mali spiritus ultra resurgere non possint.

At contra beati illi spiritus, qui in Creatoris sui dilectione manserunt, et in veritate steterunt, venerabilibus ordinibus distincti, et splendidis nominibus merito sunt decorati, ut alii vocentur et sint angeli, alii archangeli, alii throni, alii dominationes,

alii principatus, alii potestates, alii virtutes, alii cherubim,et alii seraphim. Isti novem ordines angelorum,lapides illi sunt pretiosi,sardius, topazius, jaspis, chrysolithus, onyx, beryllus, sapphirus, carbunculus et smaragdus,quorum ut « foramina, » sic « et tua præparata sunt, » inquit, « in die qua conditus es tu cherub, extentus et protegens, (*Ezech.* XXVIII),» sed non similiter ut isti, tu quoque in foraminibus tuis auri ligaturas recepisti,imo repulisti manum aurificis sive artificis Dei. Qualis auri ligaturas receperunt ? Aurum est Verbum Dei, aurum illud est spiritus oris Domini. Illo auro sic sunt ligati lapides pretiosi,lapides igniti,ut in æternum stent in ordinibus suis,et nullus ed eis unquam excidere possit. Hoc est quod Psalmus canit : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. (*Psal.* XXXII). » Ipsi sunt lapides, ipsi sunt cœli. Lapides, propter æternam stabilitatem,firmamque æternitatem ; cœli, propter inhabitantem in eis sanctam Trinitatem. Hæc est jam victoria Verbi Dei, qui contra principem malignitatis, ne cum illo caderent, sunt præventi, et retenti per ipsum Verbum, per quod et fuerant conditi.Et raptor, qui illos rapere nitebatur, comprehensus est, et ingentis ruinæ pœnas dedit.Complevit in his quod voluit Verbum Deus. Verbum quod dixit Deus : « Fiat lux et facta est lux. (*Gen.* I). » Et eodem verbo suo divisit Deus lucem et tenebras. Firmatum namque est judicium, et data est immutabilis sententia,ut diabolus et Satanas lucis refuga nunquam amplius lux fiat, neque ullus apostatarum angelorum ejus, ad consortium lucis, id est sanctorum angelorum, ultra resurgat.

CAPUT XXVIII.

Falli eos, qui opinantur angelos ante cœlum et terram creatos.

Breviter nunc respondere libet quorumdam opinioni,qui opinantur quod antequam cœlum et terra fierent,statim fuerint angeli, et quid aliud respondendum est, nisi quod hujusmodi opinio, neque Scripturæ alicujus testimonium,neque ullum rationis habeat firmamentum ? Non enim ita scriptum est : In principio creavit Deus angelos ; sed « in principio creavit Deus cœlum et terram (*ibid.*) » Deinde paucis interpositis : Terra autem erat inanis et vacua **527** et tenebræ erant super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas (*ibid.*) » Tunc demum subjunctum est : « Dixitque Deus : Fiat lux, et facta est lux (*ibid.*).» Lucem hanc, angelicam esse naturam nonnulli doctorum, præcipueque beatus Augustinus sentit,ejusque sensui non solum ratio,verum etiam, quod majus est, Scripturæ voluntas diligenter considerata, valde consentit. Quod si quis dubitare voluerit, dicat ipse, cum locus extra cœlum et terram nullus sit,angeli qui utique locales sunt et circumscripti,quo in loco esse potuerint, si ante creationem cœli et terræ fuerant conditi. Quod si quæritur unde sint facti, qui tam gloriosi sunt et splendidi,responderi utcunque potest, quod de aeris substantia facti sint. Habent enim, et a doctoribus tacitum non est,eos habere corpora aerea, quæ tamen in sanctis angelis feliciter immutata sunt, ut dicantur et sint corpora cœlestia. Porro apostatæ angeli,ab illa felicitate lapsi, rursus in aeream qualitatem conversi sunt,nec aeris illius puriora spatia, sed caliginosa ista tenere sunt permissi, qui eis quasi carcer est, usque ad diem judicii. Nonnullos forte hoc dicto contingit offendi, putantes non convenire angelorum dignitati, ut de aerea substantia dicantur vel credantur facti, cum tamen firmiter teneant,ut necessarium est, verum corpus Christi de terrena substantia sumpsum esse, quod super omnes angelos, et super omnes cœlos ascendit, et sedet nunc ad dexteram Majestatis in excelsis. Quis autem nesciat, terræ molem sive substantiam elemento aeris multo graviorem sive inferiorem,multoque feculentiorem esse ? Terra namque cæterorum quædam fex elementorum est. Quis rursus nesciat genus humanum de limo terræ formatum, in resurrectione ad societatem, et æqualitatem sanctorum perventurum esse angelorum ? Jamque hominem ex eadem massa Jesum Christum,unam cum Verbo in beata Trinitate personam, sedere et regnare super omnes choros angelorum ? Nihil igitur putet beatis angelis quis derogari,si dicantur facti esse de aere, dum regem et dominum ipsorum,quem ipsi adorant, constet corpus habere de limo terræ. Ad summum, ruina spirituum apostatarum, qua, ut jam dictum est de cœlo in aerem modo lapsi sunt, eodem modo convincit eos quod natura de cœlo fuerint, sed [ex] aere inferiori Deus illuc eos transtulerit, sicut hominem propter simile peccatum, sententia pene simili,licet multo clementiori comprehendit,Scriptura dicente : « Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est (*Gen.* III). » Æquum profecto judicium,ut uterque,quia gratiam perdidit,in illud rejiceretur, unde existendi initium sumpsit. Hic, in terram paradiso deteriorem ; illi in aerem cœlo inferiorem. Verumtamen his nunc omissis,in beatorum felicitate angelorum, primi hujus libelli constituendus est finis.

CAPUT XXIX.

Angelos non ita creatos,ut proficere non potuerint, sed solum Deum absque profectu semper fuisse perfectum.

Firmati Verbo Domini cœli illi (*Psal.* XXXII), novemque,ut jam dictum est, ordinibus distincti, non parum profecerunt ad cognitionem Creatoris sui, et ejus per quod facti sunt Verbi, et dilatatis cordibus charitate pleni, laudaverunt laude incessabili tremendam fortitudinem ejus,quam viderant in judicio, et dejectione tanti adversarii. Nam profecisse et proficere adhuc sanctos quoque angelos,constat in cognitione Creatoris sui, testante Apostolo qui cum præmisisset « investigabiles esse divitias Christi,et dispensationem sacramenti absconditi a sæculis in Deo,qui omnia creavit (*Ephes.* III), » subjunxit atque ait,» ut innotescat principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia

Dei (*Ephes.* III). » Per Ecclesiam, id est, per ea A quæ in Ecclesia vel cum Ecclesia Deus homo factus egit, sponsus pro sponsa, passus, mortuus et resurgens a mortuis, superato principe mortis. Innotescere dixit principatibus et potestatibus in cœlestibus multiformem sapientiam Dei, sive dispensationem sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, videlicet, ita ut admirantes in visu tantæ potentiæ, dicant: « Quis est iste rex gloriæ? quis est iste rex gloriæ? (*Psal.* XXIII) » sed de hoc alias. Nunc illud dicendum erat, quia non, ut nonnulli putant, tales creati sunt angeli, ut creatis illis, continuo nihil deesset totius perfectionis, quia profecto solus Creator est, qui absque profectu perfectus semper fuisse vel esse credendus sit. Alioquin si ab initio creationis perfecti fuerunt angeli, et nihil defuit eis, B multos consiliarios in cæteris operibus suis Deus habere potuit. Dicit autem Scriptura prophetica: « Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit et ostendit illi. » (*Isa.* XL). Apostolus quoque ait: « Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? » (*Rom.* XI). Nimirum si ut idem prosequitur: « Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*ibid.*); » solus Creator scivit et fecit omnia. Angeli autem, ubi ab ipso creati sunt, cæteris operibus spectatum admissi, qui bono et simplici oculo viderunt, et non inviderunt, sed laudaverunt sapientiam tanti artificis, ad ejus amicitiam digne sunt provecti. Qui vero nequam habentes oculum, inviderunt et oderunt, juste repulsi, longeque sunt remoti.

CAPUT XXX.

Angelos bonos, cognita in dejectione Satanæ fortitudine, in confirmatione sui bonitate Verbi Dei, in æternum sanctæ Trinitatis laudem prorupisse.

Sublata igitur et terribiliter deturbato Satana sive diabolo cum angelis ejus, continuo profectum hunc sancti angeli habuerunt, ut novam divinæ laudis habentes materiam, novum in eo perent canere canticum. Fortitudinem namque Creatoris in magnæ creaturæ dejectione viderant, gratiam et misericordiam Creatoris ejusdem in semetipsis agnoverant, qua sese, ne et ipsi corruerent, præventos fuisse non ignorant. Ejusdem quippe conditionis cum essent, suam in perditione illorum salutem reservatam, statumque retentum non leviter appendere potuerunt aut possunt. Laxata sunt foramina lapidum pretiosorum, laxata et dilatata sunt, plusque in semetipsis auri receperunt, grossiores atque fortiores insolubilis auri ligaturas admiserunt, et ad Creatorem suum æterno amore astricti sunt. Ex eo laudantes atque jubilantes tacere non possunt, sanctam Trinitatem glorificantes, silentium non habent nec habebunt in sempiternum. Vere ergo beati, quia Verbo Domini sic firmati sunt, et spiritu oris ejus sic firmata est omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII), ut nullius unquam instabilitatis timere possint eventum. Hæc est victoria Verbi Dei, dæmonia in Spiritu sancto jam tunc de cœlo ejicientis. Quia sicut in ipso propositum fuerat, ita factum est, dum isti intellectuales cœli ejus in ipso sunt C firmati, et in Spiritu oris Dei.

528 LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit quod Dominus ad Ezechielem prophetam dixerit: « Filii hominis, leva planctum super regem Tyri. »

Interea dum laudantium atque jubilantium pro victoria Verbi Dei angelorum, mens humana contemplari nititur gaudium et exsultationem, ecce auditum facit, non leviter attendendum Verbum ipsum factum ad prophetam, et dicens: « Fili hominis, leva planctum super regem Tyri, et dices et: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis ejus, plenus sapientia, et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti (*Ezech.* XXVIII), » etc. Magna et D mira Verbi Domini disciplina, cujus præceptum est, ut tanti adversarii ruinam irrecuperabilem plangat propheta. Nam et in cœlo beatis spiritibus illis exsultantibus pro ipsius Verbi victoria planctum super ejusmodi creaturam levare jubebat, pro eo quod in illa fuisset inventa iniquitas, et perdidisset jam verbum ipsum perditione sempiterna. Nescit homo vivens quid laudantes et jubilantes dicant angeli, et si quis audivit quidquam ex eorum dictis, non annuntiavit hominibus totum quod « audivit, quia dicta illorum arcana sunt, et non licet ea homini loqui (II *Cor.* XII). » Verumtamen postquam incarnatum idipsum Verbum per crucem et sanguinem suum, de eodem adversario rursus triumphavit; jam non est cur debeat plangi, vel super eum planctus levari. Antea victor exercitus Verbi Dei, victrix cœlorum militia omnis, sic imperfectum habere poterat gaudium, quomodo bello civili peracto, multisque civibus peremptis, pars victrix plenarium non potest triumphaliter victoriæ suæ celebrare tripudium. Habet enim quod plangat, quia videlicet, tot vel tantis civibus omissis orbata civitas, diminuta est respublica. Exemplum de sacra proferre libet Historia.

CAPUT II.

Quemadmodum filii Israel delato tribu Benjamin, planxerunt, ita verisimile planxisse sanctos angelos, diminuto civium regni Dei numero.

Cum pro scelere civitatis Gabaa, quæ erat in tribu

Benjamin, filii Israel commune contra filios Benjamin bellum suscepissent, atque semel et iterum frustra congressi, tertio tandem conflictu ita vicissent et interfecissent eos, ut non remanerent ex eis nisi sexcenti viri, « venerunt omnes in domum Dei in Silo, et in conspectu ejus sedentes, usque ad vesperam levaverunt vocem, et magno ululatu cœperunt flere, dicentes : Quare, Domine Deus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis. Rursusque altera die consurgentes, et holocausta Domino offerentes, flebant et dicebant : Ablata est una tribus de Israel (*Judic.* XXI). » Non utique pœnitebat eos quod fratres suos vicissent et occidissent jure prælii, sed quod causa vel malum accidisset propter quod sic oportuisset fieri. Denique inter ipsum ploratum, dum consilium quærerent qualiter ablatam possent recuperare tribum, dixerunt : « Quis non ascendit in exercitum Domini de universis tribubus Israel ? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuisse. Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, et præceperunt eis : Ite et percutite habitatores Galaad Jabes in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum, et tantum virgines reservate (*ibid.*). » Sicut dictum, sic factum est. Non ergo fleverunt, quod unam tribum delevissent, sed quod causa evenisset cur ita facere merito debuissent. Juxta hanc similitudinem non absurde vel incongrue credi potest, priores sanctos fecisse angelos, id quod facere jubetur homo propheta, et Verbi Dei adjutor, scilicet, levasse planctum super illum regem Tyri, id est principem hujus mundi, ita et gauderent quidem, illo dejecto factam esse concordiam sublimibus Dei, sed dolerent imminutam esse civitatem supernam, pauciores que esse cives regni Dei.

CAPUT III.

Quare Filius hominis jubeatur plangere principem Tyri.

Causa similis, et si non prorsus eadem, erat prophetæ vel cuilibet homini, ut levaret planctum super lapsum primi hominis. Eo namque per prævaricationem labente, non partis aliquantæ detrimentum, sed totius massæ, totius generis humani constat evenisse interitum : ergo et hoc facere debuit et facere jussus est propheta, scilicet, levare planctum, sive assumere lamentum super genus humanum dum dicitur illi : « Tu ergo, fili hominis, assume super Tyrum lamentum, et dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas : O Tyre, tu dixisti, perfecti decoris ego sum (*Ezech.* XXVII), » etc. Tyrus namque genus humanum, vel præsens designat sæculum, non solum propter situm et circumfluentiam aquarum, abundantiamque negotiationum, verum etiam propter sui
529 nominis interpretationem. Interpretatur enim *angustia*. Et quid est humani generis præsens vita, nisi misera angustia, et angusta miseria? Porro ut levaret planctum super regem Tyri, id est diabolum, principem hujus sæculi, non eadem fuit causa homini quam fuisse jam dictum est sanctis et beatis angelis. Cur ergo illum plangere jubetur, dicendo : « Fili hominis leva planctum super regem Tyri ? » Quomodo plangere debet illum, cujus ruina non hominum, sed angelorum multitudines diminuit ? Hominibus autem mansiones in cœlestibus, ad quas ascendere et quas possidere possint, cadendo vacuas reliquit plane, non otiosa hæc inquisitio, et non inutiliter solvi potest. Quod ut planius fiat, videndum prius est quis vel qualis ille planctus sit, de quo curare deceat Deum, dicentem : « Fili hominis leva planctum. » Planctus iste humilitas mentis et contractio cordis est, considerantis et videntis opera Domini, quam « terribilis sit in consiliis, « non solum « super filios hominum (*Psal.* LXV), » verum etiam super ordines angelorum. Ille revera utiliter plangit, ille planctum rationabilem levat super regem Tyri, qui contrito corde, et humili spiritu scrutatur, et perpendit quid sibi faciendum sit pulveri et cineri, cum ille summus angelus tam magnus, tam sapiens, tam speciosus, ita terribiliter projectus sit, pro eo quod creatori suo subditus esse noluit, tamque vilis, tam fatuus, tam deformis sit effectus, ut juxta veritatem propheticam : « Omnes qui viderint eum, obstupescant super eo, quia nihil factus est, et non erit in perpetuum (*Ezech.* XXVIII). » Qui hæc perpendens humiliat animam suam sub potenti manu Dei, vera humilitate, vero humilitatis spiritu, qui ubi cor tetigerit, utique excitat inenarrabiles gemitus (*Jac.* IV). Ille revera planctum levavit super regem Tyri, condolens sibimet, quod vel de imitatione ejus aliquid iniquum admisit, vel quod fieri potest, ut admittat si nondum admisit. Ad hoc pertinet quod Psalmista dicit : « Servite Domino in timore et exsultate ei cum tremore (*Psal.* II), » et quidquid huic simile personat in Scripturis sanctis, per quod commonetur homo, ut vigilans et valde sollicitus sit, « ne quando in superbiam elatus in judicium incidat diaboli (*I Tim.* III). »

CAPUT IV.

Soli Deo notum fuisse mysterium Verbi incarnandi, per quod restituendus esset numerus civium Dei.

Et quidem sancti angeli detrimentum, ut jam dictum est, suæ multitudinis plangere poterant in spiritu pietatis, Deus autem apud se in Verbo suo, in quo vita erat quidquid factum est, jamdudum habebat et videbat quid esset facturus ad gloriam et laudem nominis sui. Solus ipse noverat, et cunctis angelis abconditum erat, quemadmodum Apostolus cum vidisset, quæ « sit dispensatio sacramenti, » addidit, « absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei (*Ephes.* III). » Quid erat absconditum, vel quale erat illud sacramentum ? Nimirum, ut summæ benevolentiæ largitas, largissima Creatoris benevolentia, de inope et abjecta terræ materia, quæ tunc sub aquis latebat, glo-

rosam et angelicæ claritati consimilem ederet creaturam, et uni personæ ex multitudine ejusdem creaturæ suam daret potestatem et honorem, et regnum, nihilque minus haberet creatura ipsa, quam ipse Creator omnium, totiusque reipublicæ ejus obtineret imperium. Vere magnum pietatis sacramentum, quod tunc quidem, ut jam dictum est, erat absconditum, nunc autem « manifestum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria (I *Tim.* III). » Nota est persona illa, quia non solummodo creatura, sed etiam Creator est, id est, non solummodo homo, sed etiam Deus est. Celsitudinem illam diabolus per superbiam ambitiose præsumpsit, dicendo : « Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo (*Isa.* XIV). » At ille scilicet Altissimus tantam præsumptionem repulit et damnavit, non quod eamdem suam celsitudinem rapinam arbitraretur, cuperetque gloriari solus, sed quod sciret creaturam non posse humiliter sustinere tantæ felicitatis pondus, nisi creatura ipsa sic assumeretur, ut, salva unitate personæ, esset etiam Creator, id est Deus. Res tanta tam mirabilis ingenti prælio decertata tandem ad effectum pervenit, victo et confuso diabolo, qui per audacissimam impudentiam semper nisus est avertere propositum Dei. Et hæc est victoria Verbi Dei cujus prædicare triumphum præsens opus intendit, etc.

CAPUT V.

Condito mundo factum hominem, propter quem diabolus contra Verbum Dei certamen arripuit.

Quid longius morer, positus est locus certaminis, et factus est homo legitima possessio Dei, et causa totius certaminis hoc modo posita est : « Dixit Deus, fiat firmamentum, et factum est firmamentum in medio aquarum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum, dixitque Deus : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida. Factumque est ita (*Gen.* I). » Istis partibus tribus, scilicet firmamento, id est cœlo, et congregationis aquarum, id est mari, et arida, id est, terra locus effectus est, scilicet hic mundus, et deinde ornatus est, ita ut recte vocetur *cosmos* in Græco, quod *ornatum* sonat in Latino. Dixit enim Deus : « Germinet terra, et cætera, et germinavit herbam virentem, et afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et factum est ita. Dixit etiam Deus : Producant aquæ, et produxerant reptilia animæ viventis, et volatile super terram, sub firmamento cœli. Dixitque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ, secundum species suas, et factum est ita (*ibid.*). » Ut tandem esset homo, qui, ut dictum est, possessio Dei totiusque certaminis est causa, non dixit Deus : Fiat homo, sed « faciamus, » ait, « hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » De ista parte creaturæ Dei, id est de humano genere, qualiter pro illo Verbum Dei certaverit, et per semetipsum vicerit, notæ plane sunt historiæ sacri digestæ litteris, non solum evangelicis sive apostolicis, verum etiam legalibus et propheticis. Porro de alia, id est angelica creatura, quale in cœlo certamen fuerit tantumdem notum est, quantum ex ejusmodi sermonibus propheticis valet agnosci, quos ex parte aliqua contingere sive explanare præcedentis libri ratio postulavit. Sacræ namque scriptor historiæ, imo **530** qui per illum scripsit, digitus Dei, ea sufficere judicans quæ ad rationes pertinent generis humani, fere nihil de angelorum conditione, reproborumque spirituum prævaricatione narravit, nisi hoc tantum, quia « dixit Deus : Fiat lux, et facta est, et vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem et tenebras, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem (*ibid.*) » Quod de angelis esse dictum, quam recte doctores præcipui senserint, hic prætereundum non esset, nisi quia in alio opere tractatum est, et alterius nunc incœpti cursus nos detinet.

CAPUT VI.

Diabolum veterem divini nominis ambitionem retinuisse, Deum vero in proposito provehendi hominis ad similitudinem suam perstitisse.

Pulcher locus, et pulchra facta erat possessio Dei, ubi prius « erat abyssus, et tenebræ super faciem abyssi (*Gen.* I). » Erant autem hæc omnia valde bona per Verbum facta, quia, sicut jam prælibatum est, de singulis dixit Deus : « Fiat, et factum est ita. » Juste igitur ejusdem Verbi, ejusdem Dei debebant esse omnia. Sed o infinita diaboli ambitio! projectus de cœlo principatum arripere præsumpsit tyrannus furiosus in hoc mundo. Eamdem quippe spirans divini nominis aciditatem, qua dixerat in cœlo : « Super astra Dei exaltabo solium meum (*Isa.* XIV), » id est, super omnem dignitatem sanctorum angelorum, et sic « ero similis Altissimo (*ibid.*), saltem sic adimplere cupivit audaciæ propositum, ut super hæc astra visibilia, super solem et lunam, et stellas levaret nomen suum, id est, coleretur ab hominibus ut Deus, sub nominibus solis, lunæ, stellarum et ætheris, et terræ, et maris, et volucrum quoque, et quadrupedum, et serpentium (*Rom.* I). Hanc horribilem spirans ambitionem, tria simul intendit, scilicet, ut et hominem in primis decipiens faceret sui similem. Deinde omnis creaturæ honore vel obsequio, quantum in se erat, spoliaret Creatorem, et sibimet Deitatis usurparet incommunicabile nomen. Porro, Dei et Verbi ejus hæc erat pia intentio, sanctumque propositum, ut hominem faceret sibi consimilem : id est, suæ bonitatis imitatorem, suæque divinitatis capacem, ut homo invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiceret, et conspiciens sive intelligens ipse, quod natura non erat, gratia Deus fieret (*ibid.*). Hoc intendens et proponens dixerat ipse, per magnam suæ bonitatis abundantiam : « Faciamus hominem

ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I), » videlicet, ad imaginem in eo, ut esset creatura rationalis, ad similitudinem in eo, ut esset imitator sui Creatoris, et imitando illum, proficeret ad gloriam visionis Dei. Sic propositum, et sic nunc tandem est impletum, « Charissimi, » inquit Joannes, « nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit Christus, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). »

CAPUT VII.

Diabolum impedire voluisse propositum Dei, et cur Deus homini præceptum posuerit.

Hoc propositum ausus est impetere ut expugnaret Satanas, idemque diabolus Verbi quod est veritas, sempiternus adversarius, ne fieret sicut proposuerat Deus. De duabus propositi ejus dictionibus auferre intendit unam, scilicet similitudinem divinam. Duo quippe dicta fuerant, videlicet ad imaginem et similitudinem nostram. Ita miserum reddere intendit hominem, ut ex Deo solam retineret imaginem, nec attingeret similitudinem, tanquam diceret : Factus quidem sit homo ad imaginem Dei, ut sit rationalis et æternus, sed mihi similis sit, Dei contemptor, meique imitator effectus. Cœpit prior facere Deus quod suum erat, id est cum creasset ad imaginem suam hominem, cœpit illum informare ad similitudinem suam. Sic enim scriptum est, et notandum diligenter, præmisso : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, (*Gen.* I), » ac subjuncto : « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum (*ibid.*) Ubi de similitudine omnino tacitum est. Non enim creando, sed informando perducit Deus hominem ad similitudinem suam, post plura sequitur ita: « Præcepitque ei, dicens : Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II). » Hoc verbum, hoc præceptum si custodisset, profecto ad similitudinem ejus qui dixerat, « faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I), » bene formatus astitisset. Deus namque qui dixerat, « faciamus, » Trinitas est, Pater, Verbum et Spiritus sanctus. Et impressio præcepti ejus si fuisset admissa, tria formasset, quæ sunt charitas, spes, et fides, quæ nunc non ab re doctrina Christiana sic reciprocat, fides, spes, et charitas. Ad id quod dixerat : « Ex omni ligno paradisi comede, » charitas debuit occurrere, ut diligeret homo Deum sufficientiam sibi offerentem magna largitate. Ad illud : « De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas, » spes prompta debuit assurgere, ut consideraret largienda sibi fore majora propter obedientiæ subjectionem, ab eo qui jam gratis tantam impenderat largitatem. Ad id quod subjunxit : « In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris, » debuit adesse fides hominis, ut crederet Verbo Dei, tanquam veritati. Hæc ergo tria si non defuissent homini, jam tunc factus fuisset

A ad similitudinem Dei, quoniam in his tribus haberet signaculum Trinitatis.

CAPUT VIII.

Diabolum serpentem ingressum, decepto homine, meruisse ut jam dicatur serpens antiquus.

Egit econtra illis hostis Dei, ut non reciperet homo præceptum Dei, ut sibi potius quam Deo fieret homo similis. Serpentem namque ingressus : « Cur, » inquit ad mulierem, « præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi ? » At illa : « Ne forte, » inquit, « moriamur. » Et ille : « Nequaquam, » ait, « morte moriemini (*Gen.* III). » Sed cur præcepit ? Vultis melius nosse cur ita præceperit ? « Ecce dico vobis : Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri,
B et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*ibid.*) » Credidit mulier magis diabolo quam Deo, magis serpenti quam Creatori, et ambo comederunt, scilicet mulier et vir. Itaque similitudinem perdiderunt, et ei potius facti sunt similes, cui crediderunt, quia simile peccatum admiserunt. Propter quod enim peccatum ille cecidit de cœlo, nisi quia dixit : « Ascendam in cœlum, et similis ero Altissimo ? » (*Isa.* XIV). Quid autem aliud in prævaricatione illis præsumere
531 persuasit, dicendo : Comedite et « eritis sicut dii ? » Igitur quasi palmam de homine obtinuit adversarius Dei, et magnifice gloriabatur, quasi vicisset et avertisset penitus propositum Dei, ut puta dicens in corde suo : Non Deus ad similitudinem suam, sed ego effeci hominem ad similitudinem meam. Ex eo qui prius causas habuerat, ut vocare-
C tur diabolus et Satanas, jam tertiam habet causam, ut adhuc alio nomine vocetur, scilicet serpens antiquus. Hoc est illi opprobrium sempiternum, quod tali nomine censetur. Hoc illi exprobrat Verbum Dei, Dei veritas, quia pro admittendo tali sacrilegio serpentem ingressus est, venenata totus ardens invidia. Qui enim hoc intendens cum fuisset summum angelus, abjectum reptile ingressus est, ut suum mendacium de serpente in mulierem, de muliere in virum serpere faceret, ad perditionem totius posteritatis, ad mortem totius generis humani, nonne merito nomen serpentis hæreditavit ?

CAPUT IX.

Quare diabolus serpens antiquus, Deus autem Antiquus dierum appelletur atque prædicetur.

D Nec vero prætereundum quod non solummodo serpens, verum et cum adjectione serpens antiquus cognominatur. Recte siquidem sic prædicatur, quia multo vetustior est serpente illo visibili animante sive reptili, quem ingressus, et per quem locutus venenum deceptionis effudit. Ille namque sexta die mundanæ creationis inter animantia cætera creatus est, dicente Deo : « Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, reptilia, et bestias terræ, secundum species suas (*Gen.* I). » At ipse videlicet diabolus quam vetustus est ? « Ipse est principium viarum Dei, » ait ipse Deus ab beatum Job (*Job.* XL). Multum ergo antiquus ille serpens est.

At tamen non sic prædicatur, vel prædicari debet antiquus, quomodo Deus. Ille namque solus sic prædicatur Antiquus ut hoc ipsum adjectivum vice proprii nominis ponatur ut illic: « Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit (*Dan.* VII). » Item: « Et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit (*ibid.*). » Hujusmodi dictio per tropum ponitur, qui a grammaticis antonomasia dicitur, videlicet cum vice nominis aliud quid insigniter prædicatur. Igitur serpens antiquus quidem, et ab initio nocens et persequens et antiquus, inquam, adjective dicatur. Solus autem Deus, quia ab æterno et in æternum est, quia sine initio et sine fine est, proprie vel proprii nominis vice Antiquus dierum gloriose prædicetur. Talis victor, ut sibi videbatur qualem et quam congruum suæ victoriæ acquisivit titulum? ut vocaretur extunc serpens antiquus, et diabolus, et Satanas; contra quod Deus dicitur et est solus Antiquus dierum, et solus Altissimus, et solum Verbum ejus Veritas.

CAPUT X.

Diabolum, cum decepit hominem, iisdem usum fraudibus, quibus nunc sophistæ utuntur.

Porro, victoria ejus in qua gloriabatur, ut jam dictum est, talis erat qualis odibilium sophistarum esse solet. Nam per æquivocationes, incautos et imprudentes circumvenit in primis, dicendo: « Nequaquam morte moriemini (*Gen.* III), » volens intelligi mortem carnis, quæ est separatio animæ et corporis, cum Deus dicendo: « In quocunque die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II), » intelligi voluerit mortem animæ a Deo. Deinde dicendo: « Aperientur oculi vestri » (*Gen.* III), apertione oculorum valde nequiter æquivocavit. Est enim alia apertio oculorum, quia cognituri erant confusibiliter se esse nudos; et est alia, quæ illuminatio dicitur, ut nihil latere possit. Illum priorem modum apertionis oculorum ille proditor intendit, hunc autem posteriorem seducta mulier intellexit. Similiter æquivoce dixit: « Eritis sicut dii (*ibid.*), » se et suos angelos cogitans, quos intendebat generi humano ita ingerere, ut divinam illi exhiberent culturam. Ipsos autem intelligere volens, quod æque ut Creator Deus vera divinitate dii fierent. Item dicendo: « Scientes bonum et malum (*ibid.*), » boni et mali cogitabat experimentum. Ipsos autem volebat intelligere scientiam omnium rerum bonarum sive malarum, scientiam omnium, inquam, sive præteritorum, sive præsentium, sive futurorum. Idcirco dicere noluit, scientes omnia, sed « scientes, » inquit, « bonum et malum, » ut dum cuncta evenissent contra spem sensumque illorum, ipse nihilominus seipsum defendere posset tanquam veracem, et omnia vera locutum. Recte igitur Sapientia: « Qui sophistice, » inquit, « loquitur, odibilis est, omni re defraudabitur. Non enim data est illi a Domino gratia. Omni enim sapientia defraudatus est (*Eccli.* XXXVII). » Cum hæc dicit, recte subaudimus, quemadmodum ille serpens antiquus, qui vere omni sapientia defraudatus est. » Sic in eum per prophetam inter cætera dicitur: Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo (*Ezech.* XXVIII). » Sic enim quisquis ejusmodi est, ipse similiter quemadmodum ille serpens omni est sapientia defraudatus, nec vere dici potest sapiens, sed malitiosus.

CAPUT XI.

Hominem non ex ignorantia, non ex infirmitate, sed ex superbia peccasse.

Nec vero tantummodo de victoria gloriabatur, verum etiam de justitia, sive de justa victoria sibimet placebat Dei et hominis inimicus nimis injustus. Neque enim invitum, sed volentem hominem vicerat. Denique neque de ignorantia, neque de infirmitate homo excusari poterat. Quomodo de ignorantia excusaretur, cui rem per semetipsum notam fecerat Deus? Quomodo de infirmitate, qui nullas corporis vel carnis suæ pugnas patiebatur? Ne saltem esuriret, sufficere poterant cætera omnia paradisi ligna, quæ gratia largitoris abundanter uno excepto tribuerat. Ex omni, inquiens, ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas (*Gen.* II). Restat ut per superbiam et contemptum peccasse credatur, nolendo scilicet pati imperium, nolendo recognoscere quod eumdem quem Creatorem et tam deliciosi paradisi habebat largitorem, deberet habere etiam præceptorem et Dominum. Ita esse littera quoque manifeste declarat. Cum enim dixisset Dominus Deus ad mulierem: « Quare hoc fecisti? nullum subjectionis aut humilitatis verbum respondit, sed hoc tantum dixit: « Serpens decepit me et comedi. » Adam quoque nihil aliud respondit, nisi hoc: « Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi (*Gen.* III). » profecto responsa hæc non consentientium Domino, haud et humilium, sed rebellium sunt et contumacium. Palam enim faciunt dicta hæc, quia non quasi per vim capti, sed quasi transfugæ defecerant ab imperio legitimi Domini et Creatoris sui. Igitur quodam quidem jure genus humanum **532** pervasor hostis extunc detinebat, sed nihilominus in ipsum tota perditionis hominum causa redundat. Nec verius justa fuit ejus victoria, quam ejusdem invidentis callida malitia et malitiosa calliditas.

CAPUT XII.

Non Dei providentiam culpandam, sed creaturæ levitatem accusandam, cum consideratur, tam angelum quam hominem non potuisse sustinere magnitudinem divinæ beneficentiæ, ne superbiret.

Disceptant nunc usque homines curiosi et inquieti secretorum Dei scrutatores nimii, scrutatores suspiciosi. Quare, inquiunt, Deus omnipotens, et Deus omnia sciens, non prævenit, non præcavit ne illa contingerent? Si voluit angelum in cœlo, et hominem permanere in paradiso, cur non prævidit, cur non prius effecit ne vel angelus in cœlo vel homo peccaret in paradiso? O homo quisquis es, qui versas quæstiones hujusmodi! desine sic pulsare altitudi-

nem majestatis creatricis, magisque pulsa et accusa levitatem utriusque creaturæ rationalis, scilicet tam angeli quam hominis, quia neuter ingentia Dei beneficia sustinet, uterque grandia Dei dona in materiam vertit superbiendi (*Rom.* x). Quid enim nisi bonum Creatoris donum in superbiam extulit, tam hominem quam angelum ? Illum in apice celsitudinis angelicæ constituit, istum patrem multitudinis hominum, multitudinis sanctorum et Dei filiorum esse volens, in paradiso collocavit. Nimirum magna utriusque celsitudo, illius in principatu angelico, istius in propagando genere humano. Neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit, utpote uterque creatura levis. Unde autem levitas utriusque creaturæ, nisi ex propria conditione ? Et ut manifestius dictum sit, unde uterque levis, nisi quia de nihilo vel de non existentibus creata est ? Creatus quidem est homo de aliqua materia, scilicet de terra, sed ipsa terra de nihilo creata. Similiter angelus de qualicunque materia creatus sit, ipsa ejus materia de nihilo creata est, quia ergo tam angelus quam homo de nihilo creatus creatura levis est, et nisi ipsum, per quod creata est, Verbum Domini, Verbum increatum per amorem suscipiat nullius ponderis est, nullum Dei donum sive beneficium ferre potest humiliter. Quid ergo homo Deum accusas, si cuncta dona sua creaturæ subtrahit, nihilque confert, ne habeat occasionem superbiendi ipsa creatura, sive angelica sive humana quid erit? Si autem omnia uni, quæ cuilibet creaturæ conferat, non supportat creatura per elationem subversa. Ecce comprobatum est ex duobus, scilicet ex summo angelo et ex homine, qui prior conditus et Pater omnium fuit constitutus, quia principatum omnium nullus humiliter ferre potest, nisi Deus increatus.

CAPUT XIII.

Utile fuisse, ut revelaretur per experientiam quod non erat Deus per scientiam, scilicet non posse principatum creaturam humiliter sustineri, nisi a Verbo incarnato.

Comprobatum, inquam, est, hoc notum esse valde tam angelis quam hominibus electis utile esset. Dicit enim Apostolus : « Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (*Rom.* VIII), » Si omnia, nonne inter omnia tale experimentum cooperatur illis in bonum ? Profecto non parva cooperatio est bonum res gesta, per quam ad cognitionem Creatoris eruditi sunt et erudiuntur usque nunc. Scimus enim, et adhuc discimus recolendo ista quæ nunquam oblivisci debemus, quia necessarium fuit ut neque angelus, neque homo quisquam principatum totius creaturæ adipisceretur, sed solus Deus ipse, qui veraciter dicere potest : « Discite a me quia mitis sum, et humilis corde (*Matth.* XI). » Plane et cum angelum summum in cœlo, et cum protoplastum collocaret in paradiso, illum super cæteros angelos, istum ut humani generis esset unus propagator sciebat apud se, neutrum posse in talis disciplinæ magisterio cæteris præsidere

A ut diceret; « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » Sciebat, inquam, sed non eo modo quo scire vult res, de quibus judiciariam debet proferre sententiam. Exempli gratia : Sciebat quale peccatum esset Sodomæ et Gomorrhæi et tamen dicebat : « Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam (*Gen.* XVIII). » Ergo modo quodam noverat, scilicet, per scientiam, modo quodam nondum noverat, videlicet per experimentum. Ita et antequam angelum sublimaret in cœlo, et humani generis propagatorem in paradiso, noverat jam utrumque per scientiam, sed nondum per experimentum. Noluit ante experimentum proferre judicium, exspectans ut notitiæ suæ participes electos haberet, tam homines

B quam angelos, quod ab experimento actum est, et utrisque perutile est. Sed jam ad ipsum certamen et victoriam Verbi Dei secundum res gestas recolendam ordine accedendum est.

CAPUT XIV.

Deum quasi dormivisse, dum deciperet hominem serpens, deinde excitatum, tanquam potentem crapulatum a vino percussisse inimicos suos.

Paululum quasi dormitaverat Dominus Deus, quodammodo dormierat, interim dum res accidat, qua se serpens ille victorem esse, id est propositum Dei avertisse putabat. Nisi enim dormitasset sive dormisset, nihil adversarius ejus efficere potuisset. Hoc ipsum videlicet, eum dormisse dormitione quadam, propter quam solemus dicere: « Exsurge, quare obdormis, Domine? » (*Psal.* XLIII). Scriptura innuit,

C cum dicit : « Et cum audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem (*Gen.* III). » Post meridiem namque deambulare ad auram, consuetudinis humanæ est, ut post calidum soporem quispiam, qui forte crapulatus obdormierat, in aura tepida respiret, et corpus suum refrigeret ac relevet. Dormierat ergo quadam dormitione, id est taciturnitate, permittendo serpentem accedere, mulierem colloqui cum serpente, virum quoque mori pariter per inobedientiam morte animæ. Porro ut sic dormiret Deus, culpa hominis exstitit, quia Deum neque gratias agendo, neque invocando excitavit. Quid igitur a diabolo factum fuerat, nisi quoddam latrocinium ? quomodo gloriari solet fur cum furatus recesserit, sic ille deceptor ad horam gloriari pro

D scelere suo potuit. Verum sicut tempore longe posteriori factum e scriptum est : « Et excitatus est, tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino, et percussit inimicos suos (*Psal.* LXXVII). » Ita et de illo tempore recte dici potest, « excitatus » enim « est » tunc, « tanquam potens crapulatus a vino, » id est tanquam negligens factus hominis propter ausum superbiæ, qua Deo fieri **533** similis ambierat homo. Excitatus, inquam, est, id est requisivit perditum, et percussit inimicos suos, videlicet serpentem, virum et mulierem. Quo percussit eos ? Nimirum Verbo suo, Verbo victorioso, singulis quidem pro meritis, sed non eadem animad-

versione percussit. Nam quomodo percutit quis inimicum suum ut interficiat illum, ita percussit serpentem antiquum ut damnaret, imo ut damnationis sententiam confirmaret super eum. Et quomodo percutit quis filium vel servum suum, ut corripiat eum, ita percussit supervenientem hominem, ut ad humilitatem, quæ initium salutis est, reduceret eum.

CAPUT XV.

Quibus verbis, et quare serpentem, virum et mulierem increpaverit Deus.

Ait enim ad serpentem : « Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia terræ, super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos. In dolore paries filios tuos, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit : Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, » etc., usque, « donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III). » Profecto neque mulieri, maledicta es ; neque viro, maledictus es, dixit, sed tantum hoc, « maledicta terra in opere tuo. » Cujus videlicet terræ maledictio non aliud est quam multimoda et frequens afflictio, qua per varios eventus terræ ex eo corruptæ et deterioratæ affligitur homo. Soli serpenti dixit, « maledictus eris, » quo videlicet dicto, firma et immutabilis intelligenda est sententia æternæ damnationis. Quamvis enim ita littera sonet, ut de animante serpente possit intelligi, nihilominus tamen et multo amplius de serpente diabolo totum oportet intelligi. Alioquin quomodo pro maledicto vel pœna maledicti reputabitur illi quod dictum est ei : Super pectus tuum gradieris, » cum hoc ipsum prius a natura habuerit, quam diabolus eo usus fuit ad perditionem hominis. Magis ergo illi serpenti antiquo hoc positum est in maledicto, ut supra pectus suum gradiatur, et terram comedat cunctis diebus, id est ut super homines eos tantum qui ita terra sunt, ut non desiderent, aut respiciant cœlum, quærat et devoret odio insatiabili, corde impœnitenti ita datus « in reprobum sensum (*Rom.* I), ut contra intentionem suam, semper bonum Dei circa electos, dum impedire nititur, magis expediat et adjuvet propositum. Quod est miro modo gradi super pectus proprium. Porro ad mulierem et ad virum quæcunque dicta sunt, etiam ipsa mors corporis, quam imponens misericors Deus : « Quia pulvis est, ait, et in pulverem reverteris, » verba sunt corripientis et salvare cupientis, et jam tunc vias hominis aversi sepientis spinis, ut saltem sola vexatio det intellectum auditui, memoremque faciat hominem suæ conditionis, ut humiliatus corrigi possit et salvari.

CAPUT XVI.

Quare prima promissio conterendi serpentis, quæ fuit caput victoriæ Verbi, non ad mulierem, sed ad serpentem, facta sit.

Capitulum distulimus quod maximum est, et maxime ad præsentis operis rationem pertinet, videlicet illud, quod ad serpentem post alia supra memorata dixit Deus : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus (*Gen.* III). » Quid primum in hoc Verbo gratiosa fides miretur, quid potissimum collaudet? Verbi veritatem, an Verbi et Patris ejus bonitatem ? Utrumque collaudet, utrumque digne prædicare desideret, quia vere magna bonitate sic locutus est, magna et constanti veritate locutio ejus adimpleta est. « Inimicitias, inquit, ponam inter te et mulierem, » tanquam diceret : Nunc mulier simul et vir tibi fœderati sunt, tecumque fecerunt pactum, et cum morte fœdus percusserunt, utpote quia a facie mea profugi atque absconditi, dum requiruntur a me, quare hoc fecerint, contemnunt vocem commonentis, et defendendo peccatum suum palam faciunt, quia tibi favent, tibi consentientes tui amici sunt. Ego autem hujusmodi amicitias dissolvam « inter te et mulierem inimicitias ponam. » Cur hoc ad ipsam mulierem non dixit ? poterat namque, ubi dixit mulieri, » multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos, » etc., hoc ipsum sic ad eamdem dicere. Inimicitias ponam inter te et serpentem, et semen tuum et semen illius. Cur ergo non dixit ? Nimirum duplicem ob causam : Primum, quia propter peccatum et peccati defensionem hoc mulier non merebatur, ut jam tunc ad eam promissiones tales, promissiones tantæ gratiæ faceret Deus. Deinde quia non ad ipsam Evam, sed ad alteram ejusdem sexus personam, videlicet ad beatam virginem Mariam intendebat ipse qui loquebatur. Recte igitur non ad mulierem male meritam, facta est auxiliatricis gratiæ promissio, sed potius ad serpentem hostilis et bellica comminatio. Quid autem hoc dicto Deus, nisi semetipsum in proposito suo manere velle testabatur ? Serpens namque insidiabatur, ne fieret quod proposuerat Deus, dicente : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). » Vicisse, et hoc propositum se avertisse gloriabatur. Deus autem, ejusdem propositi sui victoriam in potestate habens, serpenti comminabatur.

CAPUT XVII.

Per mulierem et semen illius intelligi quidem omnes electos, præcipue tamen beatam Virginem Mariam, et semen ejus, qui Christus est, sicut per semen serpentis, eos qui sunt ex patre diabolo, intelligimus.

Equidem principaliter beata Virgo Maria, mulier illa est inter quam et serpentem inimicitias positurum se dixit, et posuit Deus, et semen illius, Filius est ipsius Jesus Christus. Verumtamen quoniam mulier, universale feminei sexus nomen est, omnes per mulierem intelligimus personas electas feminei sexus, et per semen mulieris omnes personas electas virilis sexus, quarum omnium, videlicet personarum utriusque sexus Jesus Christus cum eadem ex qua

factus est muliere, princeps et caput est. Quod si ratio quæritur, cur per semen mulieris personæ intelligi debeant sexus virilis, aiunt qui de naturis scripserunt, **534** ex paterno semine puellas, et ex materno pueros nasci, quia duplici semine constat omnis partus, cujus major pars invaluerit, occupat similitudinem sexus, igitur cum dicit: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius (*Gen.* III), » omnes electos, tam feminei quam virilis sexus, per mulierem et semen illius intelligimus ; et econtra, sicut per serpentem diabolus, ita et per semen serpentis omnes iniqui et maligni homines imitatores ejus recte intelliguntur, licet neminem genuerit aut creaverit ille. Nam si iniqui et impii homines, serpentis, id est diaboli semen non essent, nequaquam Dominus diceret Judæis : « Et vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis (*Joan.* VIII). » Itemque : « Vos facitis opera patris vestri (*ibid.*) ; » profecto diabolum volens intelligi. Sequitur enim protinus in eodem sermone : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere (*ibid.*). » Eorum qui tam constanter dicuntur semen serpentis, id est filii diaboli, causa ut nascerentur peccatum exstitit, dicente Deo ad mulierem, postquam peccavit consentiens diabolo : « Multiplicabo ærumnas tuas et conspectus tuos (*Gen.* III). » Porro illorum qui intelliguntur per semen mulieris, causa ut nascerentur exstitit benedictio Dei, qua ante prævaricationem primis hominibus benedixit, sicut scriptum est : « Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis, et ait : Crescite, et multiplicamini *Gen.* I). »

CAPUT XVIII.

Hanc inimicitiam caput et initium fuisse bellorum Domini, et quod sacra Scriptura dicatur liber bellorum Domini, et liber justorum.

Capitulum hoc initium est libri bellorum Domini, cujus Moyses hoc modo meminit : « Siquidem Arnon ait, terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos, unde dicitur in libro bellorum Domini : Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon (*Num.* XXI). » Quis enim est ille liber bellorum Domini, vel quæ sunt bella Domini ? Constat nimirum ante ipsam, in qua hoc scriptum est, legem Moysi, nullos fuisse materiales, vel manu scriptos libros bellorum Domini, sed nec ulla novimus bella alia Domini, nisi illa, quibus extunc positis inimicitiis inter mulierem et serpentem, inter semen mulieris et semen serpentis hactenus certatum est, et certabitur usque in finem sæculi. Et contritum est caput serpentis, « et idem videntibus cunctis præcipitabitur » in die judicii (*Job* XL), quæ victoria est Verbi Dei. Ergo liber bellorum Domini universa sancta Scriptura est, cujus partem præcipuam scilicet Pentateuchon Moyses ipse scripsit, et cætera volumina sacra Veteris ac Novi Testamenti scribenda esse non ignoravit, cum esset propheta, qualis « ultra non surrexit in Israel, » sicut de illo scriptum est : « Quem nosset Dominus facie ad

A faciem in omnibus signis atque portentis (*Deut.* XXXIV). » Et quis dubitet librum hujusmodi, scilicet sacram Scripturam, librum esse vel recte dici bellorum Domini ? Quid enim aliud continetur vel agitur in Scripturis sanctis, nisi bellum et certamen Verbi Dei ad destructionem peccati et mortis ? Dicitur autem eadem Scriptura sacra, liber justorum. Scriptum est enim : « Planxit autem David planctum super Saul, et super Jonathan filium ejus, et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro justorum (*II Reg.* I). Idem enim est ac si dicatur : Quomodo male pugnatum fuerat propter Saul, quia verbum Domini non custodierat, « præcepit ut docerent filios Juda, » in quo sperare deberent belli fortitudinem, quæ intelligitur per arB cum, id est ut sic pugnare et victoriam sperare dicerent, sicut docet omnis liber justorum, omnis textus Scripturarum sanctarum. Igitur ab hoc initio libri justorum, libri bellorum Domini, quo sic Deus edixit, « inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus (*Gen.* III). » Ab hoc, inquam, initio tanquam de monte excelso virtutem contemplemur Verbi Dei, descendentem velut in campi planitiem adversus malitiam sive mendacium diaboli, serpentis antiqui, qualiter pugnaverit, qualiter vicerit atque triumphaverit, ut completo proposito suo, in quo benedicens primis hominibus in constitutione mundi, dicat tandem : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.*
C XXV). »

CAPUT XIX.

Inter Cain semen serpentis, et Abel semen benedictionis, Dominus statim inimicitias posuisse, et Abel victoriam Verbi sua morte figurasse.

Primum serpentis semen exstitit Cain. Hinc Joannes in Epistola sua : « Non inquit, sicut Cain, qui ex maligno erat (*I Joan.* III), » serpentis ergo semen erat, videlicet imitatione invidiæ, non natura. Porro semen mulieris, semen benedictionis Dei, primus exstitit Abel, semen autem mulieris dico, quia fuit non ex peccato, propter quod mulieri dictum est : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos (*Gen.* III), » sed ex bono benedictionis, qua ante peccatum benedicendo et dicendo : « Crescite et multiplica-
D mini (*Gen.* I), » nasci jusserat omnes sanctos. Inter hoc semen mulieris, et illud semen serpentis, Deus memor propositi sui, statim inimicitias posuit. Inimicitiarum principium illud exstitit, quod a semetipsis dissenserunt studiis diversis, imo contrariis. Cain namque infidelis et agricola exstitit, Abel fidelis et pastor ovium fuit (*Gen.* IV), de quo Apostolus : « Fide, inquit, plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus testimonium perhibente muneribus ejus Deo (*Hebr.* IX). » Eo nimirum modo maxime Deus inimicitias posuit inter eos, videlicet muneribus, Abel testimonium perhibendo. Sic enim scri-

ptum est : « Et respexit Dominus ad Abel et munera ejus, ad Cain vero et ad munera illius non respexit. Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus (*Gen.* IV). » Inimicitias ergo inter utrumque Deus posuit, quia respectus Dei in Abel, seminis nequam inimicitiarum et odii causa exstitit. Sed et illud considerandum, quia contra serpentem in ipsa oblatione sua, pius Abel visibiles inimicitias exercuit, offerendo agnum simplex animal et innocuum contra serpentem malitiosum atque nocuum. Sed quid evenit, qualis inimicitiarum tunc eventus exstitit ? Pium impius occidit. Semen bonum invidia seminis nequam exstinxit. Ecce initium bellorum Domini. Hic primus, ex facie Verbi Dei, victoriam ejusdem Verbi piæ mortis præcursione declaravit.

535 CAPUT XX.

Abel per justitiam fidei, ad similitudinem Dei factum, et hominibus mortuum, Deo melius vivere, imo loqui etiam.

Ecce jam unum hominem de massa illa, cujus principia fuerunt Adam et Eva, juxta suam provexit intentionem bonam, quam præposuerat dicendo : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ((*Gen.* I). » Iste enim non solum ad imaginem Dei factus est, id est rationalis, quod non negatur etiam de maligno Cain, verum ad similitudinem quoque ejusdem Dei, in eo quod imitator ejus exstitit, per justitiam fidei. Amplius autem in eo spectat ad similitudinem Dei, quod pulcherrimam in semetipso prætulit figuram Verbi Dei, Verbi incarnandi, et per patientiam peracturi victoriam peccati et mortis. Notum est alumnis sanctæ Ecclesiæ, pene cunctis, quod dicimus quia in Abel Christus, in Cain, qui illum occidit, Judaicus populus, qui Christum erat occisurus, in voce et clamore sanguinis Abel, accusatio scelerís Judæorum inexcusabilium,in terra quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem Abel, Ecclesia quæ sanguinem Christi fideliter in sacramento bibitura erat, pia similitudine signabatur. Non ergo vinci, sed vincere incipiebat Verbum Dei, propositum Dei, in morte justi. Qui tunc revera perfectus est ad imaginem et similitudinem Dei, quando tali modo decidit. Etenim, hominibus quidem mortuus est, sed Deo vivit, Deo loquitur, imo et nobis loquitur (*Hebr.* I), et verbum Dei sonat sanguis ejus. Nam et ipse Deus : « Vox, inquit,sanguinis fratis tui clamat ad me de terra (*Gen.* IV). » Et Apostolus Dei cum dixisset : « Fide plurimam hostiam Abel obtulit, » Deus subsecutus, et persecutus, » et per illam, inquit, defunctus adhuc loquitur (*Hebr.* XI). » Nonne et hoc ipsum testatur in Evangelo Dominus, qui cum de mortuis daret testimonium resurrectionis, dicente Deo : « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ; » protinus assumpsit, dicens : « Deus non est mortuorum Deus, sed vivorum. Omnes enim ei vivunt (*Matth.* XXII ; (*Luc.* XX). » Ex abundanti est hoc astruere quod omnium primus Abel mortuus hominibus nihilominus vixerit Deo, nisi quod delectabile est insultare serpenti antiquo, qui tam fatuus est ut jam victorem fecerit Deum in bono proposito, dum cupit ipse esse victor. Quia quem fecit interfici hominibus, melius fecit vivere hominibus et Deo, vere super pectus suum gradiens, idem nequissimæ intentioni suæ omnino contraria efficiens.

CAPUT XXI.

Generationem Cain, qui erat semen serpentis, velocius pullulasse, civitates et regna constituisse. Item, Cain reproborum, Abel autem electorum generationis principium fuisse, easque deinde secundum carnem connuptas diluvii vindictam meruisse.

Interea velociter pullulabat semen serpentis quod erat Cain, videlicet secundum imitationem patris ejus, id est serpentis antiqui, utputa homicidæ et invidi, quia per invidiam et ipse occidit. Velociter, inquam, pullulabat semen illud, jamque regnare properabat, condens civitates et oppida sicut scriptum est : « Et ædificavit Cain civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Enoch (*Gen.* IV). » Porro semen mulieris sive semen Dei, tardius veniebat, imo a radice periisse videbatur, quando Abel non relicto semine, id est nullos habens liberos, fuerat interfectus. Sciendum quippe est Cain et Abel duarum generationum fuisse principia, quarum altera reproborum, altera electorum generatio est. Sunt quidem generationes istæ, secundum carnem commistæ, sed hoc accidit per peccatum, quia « cum cœpissent homines multiplicari super terram, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant (*Gen.* VI). » Hoc ita contra Deum statutum evenit, sicut et illud quod longe posterius filii Israel, contra præceptum Domini, duxerunt uxores filias Chananæorum, ipsisque filias suas, et eorum filiis tradiderunt, unde et accidit ut, per mulieres subversi, facerent malum in conspectu Domini, serviendo diis alienis. Sic, inquam, et illud contra Dei perceptum exstitit, quod tunc filii Dei, id est homines electæ generationis, filias hominum, id est generationis reprobæ, cujus Cain erat principium, uxores acceperunt. Unde et ita corrupti sunt ut Deus induceret diluvium, et deleret eos. « Pœnitet enim, inquit, me fecisse eos (*ibid.*). » Cum igitur sublatus esset justus Abel, quasi de victoria tumidus serpens sibi plaudebat, eo quod sublato bonæ generationis seminario, sola in mundo pullularet generatio sua, generatio mala et adultera.

CAPUT XXII.

Electorum generationem, deleto Abel, tardius per Seth et Enos restauratam, non habere hic civitatem permanentem, sed futuram iniquirere.

Sed « cognovit adhuc Adam uxorem suam, » ait Scriptura, « et peperit filium, vocavitque nomen illius Seth, dicens : Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain, sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos ; iste cœpit invocare no-

men Domini (*Gen*.IV). » Ab isto ergo semine mulieris, altera generatio rectorum, quæ secundum carnem ceciderat, in Abel resuscitata est. Unde et congruum satis vocabulum posuit illi pater, ut vocaret eum Seth. Seth namque *resurrectio* interpretatur. Nimirum vel prophetico spiritu, vel ab experimentis quibuslibet Adam prædoctus est, ut sciret eum esse de Patre Deo et per generationem ejus implendum esse propositum Dei, ut prædestinati nascerentur electi, et idcirco dixit: « Posuit mihi Deus aliud semen pro Abel, quem occidit Cain. » Quanta mora fuerat antequam resuscitaretur hoc principium bonæ generationis? « Vixit Adam, inquit, centum et triginta annos, et genuit ad similitudinem et imaginem suam filium, vocavitque nomen ejus Seth (*Gen*.V). » Nimirum per tot annos Adam potuit genuisse filios et filias, nec solum Adam, sed et ipse Cain, qui jam civitatem condebat. Recte ergo et veraciter Sapiens dixit: « Hæreditas ad quam festinatur in principio, enim non solum in quolibet homine, verum etiam in universitate hominum, certis claret experimentis, quia videlicet generatio Cain, id est semen serpentis, et cum festinatione venit, et cum festinatione civitates condidit. Generatio autem Abel sive Seth, semen Dei, quod posuit Deus pro Abel et tardius venit, et civitatem hic manentem non habuit, sed futuram inquisivit.

536 CAPUT XXIII.

Generationem filiorum Dei, denuo per mulieres, callido antiqui serpentis consilio corruptam fuisse.

C Quid ageret, quo se verteret ille serpens antiquus, dum semini suo contrarium semen Dei multiplicaretur? Invenit quid faceret, unde Verbum Dei superare propositumque ejus adhuc sese avertere posse sperabat. Sciebat quod per mulierem virum primum cœpisset. At vero tunc multæ succreverant mulieres pulchræ et concupiscibiles, et viri, quamvis justi, ad libidinem proni, utpote de vitiata radice nati. Sciens ergo valere sibi ad mortis ipsorum proventum, consortia mulierum alienarum, id est earum quæ de generatione Cain exortæ sunt, egit ut fieret quod Scriptura factum narrat, dicens: « Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, filiasque procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ acceperant sibi uxores ex omnibus quas elegerant (*Gen*.VI). » Ecce primus effectus primumque experimentum, propter quod veraciter de illo ad beatum Job dictum est: « Virtus ejus in lumbis ejus, et potestas ejus in umbilico ventris ejus (*Job* L). » Per luxuriam namque, quæ viris in lumbis, et feminis in umbilico est, rem tantam effecit, ut virtuosus sibi videretur, et potens sive fortis. Quia secundum intentionem suam non parum profecisse sibi visus est, in eo quod filios Dei, filiis sive filiabus hominum fecit conformes ut nulla vel parva esset discretio generationis Cain et generationis Seth. An parum sibi visus est fecisse, cum is qui proposuerat, dicens: « Faciamus

A hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » talem, tamquam universum, proferret sermonem? « Pœnitet me fecisse » hominem? (*Gen*. VI.) Sic enim scriptum est: « Delebo, inquit, hominem, quem creavi a facie terræ ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli. Pœnitet me fecisse eos. » Si ergo rite perpendis vanitatem serpentis blasphemi levitatemque inimici præsumptuosi, haud dubium quin multum res illa magnos ejus flatus auxerit, ut putaret se omnino avertisse propositum Dei, verbumque ejus fecisse vacuum ad ipsum reverti.

CAPUT XXIV

Quo pacto sit intelligendum quod Deus dixit: « Pœnitet me fecisse hominem, » et « Delebo hominem, quem creavi a facie terræ. »

B Interim quid, rogo, est quod vel scriptor de Deo loquens: « Pœnituit eum, ait, quod hominem fecisset in terra? » (*Gen*. VI.) Vel quod ipse Deus, cum dixisset: « Delebo hominem, quem creavi a facie terræ, » subjunxit, « pœnitet enim me fecisse eos? » (*Ibid*.) Si idcirco delere se dicit hominem, quia pœnitet eum fecisse hominem, cur vel unum tantopere, tantoque miraculo reservat hominem, de cujus posteritate rursus multiplicentur homines boni et mali, et pauci quidem boni, multi vero mali? Valde repugnat hoc sensui, quem signare videtur littera dicens, quia Deum pœnituit. Nec vero factum hoc solum repugnat, ne sicut sonat littera, passiva intelligatur Dei pœnitudo, verum etiam et alterius loci Scriptura, quæ dicit: « Quia non est Deus, quasi filius hominis ut mutetur (*Num*. XXIII). » Itemque de pœnitudine ait: « Non flectetur, neque enim homo est, ut agat pœnitentiam (*I Reg*. XV). » Si igitur Deus non quasi homo vel filius hominis est ut mutetur, et si pœnitudine non flectitur, ut verbi gratia, nec nunc quidem quando dicit « pœnitet me fecisse » hominem, universum deleat hominem, qualiter in hoc dicto et loquentis veritatem, et non pænitentis mutabilem servabimus majestatem? Hic primo sciendum est magnam ejus, quæ Deo ascribitur, et ejus, quæ homini accidit, pœnitudinis esse distantiam. Homo namque, cum sit mutabilis, aliquando de malis vel injustis, aliquando de bonis quoque et justis actibus suis pœnitudinem gerit. Et neuter hujus, id est humanæ pœnitudinis

D modus, in sapientem cadit. Sapiens namque apud philosophos sæculi ille esse conceditur, qui neque mali vel injusti quidquam, quod pœnitudo corrigat, admisit, neque bonum aliquod vel justum quod gessit in pravum mutavit. Quod si talis pœnitudo in sapientem non cadit, quanto magis Deo nunquam accidit? Ille namque non nisi de bonis vel justis nunquam pœnitudinem gessit aut gerere potuit, quia mali quidpiam vel injusti committere nunquam potest aut potuit. Multum ergo a pœnitudine hominis differt Dei pœnitudo quæ nimirum non aliud est, nisi vel a misericordia ad judicium, vel de judicio ad misericordiam transitio. Nam istæ sun-

« universæ viæ Domini, misericordia et veritas » A judicium (*Psal.* XXIV). Est autem, quando de misericordia transiens ad judicium, nequaquam pœnitudine flectitur, ut de judicio rursus transeat ad misericordiam, videlicet dum homo peccator contra Deum permanet impœnitens, ut idem Saul de quo cum dixisset Dominus : « Pœnitet me quod constituerim Saul regem (*I Reg.* XV), » postea Samuel contra eumdem loquitur : « Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam (*ibid.*). » Est etiam, quando post misericordiam, vel inter ipsam misericordiæ largitatem, exercens judicium, nequaquam tamen a misericordiæ proposito ulla pœnitudine deflectitur. Exempli gratia, ut in David, super quem post multam misericordiam, severum pro- B pter Uriam Ethæum judicium exercuit (*II Rge.* XII), nec tamen eumdem a facie sua projecit, sicut projecerat Saul. Secundum hanc misericordiæ et judicii dispensationem, pœnituit quidem eum fecisse hominem, id est de misericordia filiis Dei impensa vel impendanda, transivit ad judicium. Verumtamen eadem pœnitudine flexus non est, ut bonum desereret propositum, propter quod fecerat hominem primum.

CAPUT XXV

Quid sit quod Moyses de Deo scripsit, Et præcavens in futurum, « et tactus dolore cordis intrinsecus. »

Quid de hoc dicemus quod non solum pœnituisse, verumetiam intrinsecus dolore tactum fuisse Dominum, Scriptura testatur ? Sic enim scriptum est: C « Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra » et præcavens in futurum, « et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo, inquit, hominem (*Gen.* VI). » Dicit aliquis : More humano Scriptura loquitur, quia loquitur hominibus. Ita esse consentimus. Verumtamen necesse est verum esse quod Scriptura loquitur veritatis. Dolore cordis Dominum tactum fuisse pronuntiat. Porro dolor est quædam passio, de quatuor passionibus una, quarum hæc sunt nomina. Dolor sive tristitia, gaudium sive inepta lætitia, pietas sive timiditas, spes sive cupiditas. Has quatuor passiones, imo vitia, pueri legimus apud poetam insignem dicentem quam brevissime :

Hanc metuunt homines, cupiunt, gaudentque dolentque.

(VIRG. *Æneid.* VI.)

D Cum ergo sit impassibilis Divinitas, offenditur quispiam, **537** quoties pro re mentio fit hujus loci, ubi dolore cordis intrinsecus Deum fuisse factum sacra narrat Scriptura. Sed econtra, sciendum quia dolor alius, gaudium aliud, alia spes, alius timor, a sancta nobis Scriptura prædicantur, quæ non passiones sive vitia, imo summæ virtutes a spiritualibus spiritualiter intelliguntur. Est enim dolor, id est pietas, quam efficit Spiritus sanctus, unde et spiritus pietatis dicitur. Et gaudium fructus ejusdem Spiritus, sicut dicit Apostolus : « Fructus autem Spiritus, est gaudium (*Galat.* V). » etc. Est et spes primarum virtutum media, sicut ait idem, qui supra : « Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc (*I Cor.* XIII). » Est et timor sanctus, virtus et virtutum custos, quem idem Spiritus sanctus efficit, unde et in ordine septem spirituum, sicut spiritus pietatis, ut jam dictum est, ita et jam prædicatur spiritus timoris Domini. Non igitur offenditur fidelis animus, tanquam inconvenienter de impassibili Deo prædicetur, quod sicut littera sacra prædicat, dolore cordis tactus fuerit intrinsecus, quia revera, sicut et alibi veritas prophetica testatur : « Deus est æmulator et ulciscens Dominus (*Nahum* I). » Nec omnino quispiam Deum veraciter imitatur, nisi sit particeps boni zeli vel æmulationis ejus.

CAPUT XXVI.

Quo dolore Deus tactus esse dicatur intrinsecus.

Dolor namque cordis, quo tactus est intrinsecus, tam fortis, tam pius et impassibilis Deus, zelus bonus est, et idcirco non passionem, sed virtutem dicimus dolorem ejus, ut vere est. Econtrario, invidia diaboli, per quam mors intravit in hunc mundum, zelus malus est, et ille zelus passio magna et misera, summumque vitium est ; utrumque zelum definire libet. Zelus bonus est diligere homines, odisse autem hominum iniquitates. Econtra zelus malus est, odisse homines, diligere autem hominum iniquitates. Et ille quidem Dei est, iste autem zelus diaboli est. Deus namque primus est, et præ omnibus diligit hominem, odit autem hominis iniquitatem. Imitantur autem hunc, quicunque homines proximos suos ita diligunt, ut odio habeant et persequantur mala facta ipsorum. Econtra, diabolus primus et præ omnibus odit hominem, et diligit hominis iniquitatem. Imitantur autem illum qui homines vel fratres suos ita oderunt, ut eorum diligant iniquitatem, id est non diligunt nisi consentiant vel consimiles sibi fiant ad faciendum iniquitatem. Ista zeli oppositio contraria, diabolum Deo contrarium, et hominibus constituit inimicum, et utriusque zeli continuum ab initio usque ad finem sæculi perseverat duellum, semper vincente zelo Domini exercitum, semper zelo diaboli cadente in confusionem et opprobrium. Diabolus in zelum amaritudinis dum ad iniquitatem, quæ mors animæ est, hominem allicere non potest, ad occidendum corpus per ministros suos consurgit. Deus autem eum quidem a quo zelus ejus recessit peccatoris vel impii pro eo quod de iniquitate incorrigibilis est, et corpus et animam in gehennam mittit. Eum autem pro quo zelari dignatur, punit temporaliter ne puniat æternaliter. De hujusmodi Apostolus, « dum judicamur autem, inquit, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (*I Cor.* XI). »

CAPUT XXVII.

De diluvio, imo tribus judiciis Dei.

Pœnitudine igitur et dolore cordis tactus intrinsecus, id est, bono zelo excitatus quid dixit ? quid fecit Dominus Deus ? « Non, inquit, permanebit spiritus meus in homine in æternum, » quia caro

est, eruntque dies illius centum viginti annorum : Ac deinde ad Noe : « Fac tibi, ait, arcam de lignis levigatis. Ecce ego adducam diluvii aquas super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua vitæ spiritus est subter cœlum. Universa quæ in terra sunt, consumentur (*Gnen*. VI). » Judicium hoc victoriæ Verbi Dei pars magna, triumque judiciorum ejus quoddam medium est. Notum quippe est, tria tremendæ majestatis ejus esse judicia. Primum, quo diabolus et Satanas ille de cœlo projectus est. Secundum hoc, quo mundus per aquam mundatus periit. Tertium quod in novissimo die futurum est per conflagrationem ignis. Et primo quidem, soli Angeli ; secundo, soli homines judicati ; tertio, tandem et homines et angeli sunt judicandi. Itemque primi pœna judicii, solis angelis ; pœna secundi, solis hominibus ; pœna tertii, simul et angelis et hominibus pro sui qualitate conveniens vel sufficiens parata est, mira et terribili dispositione Creatoris. Angelos quippe, et non etiam homines aeris substantia vehit, in quem angeli dæmones facti, de cœlo sunt præcipitati. Econtra, non angelorum vel spirituum, sed hominum vitam aquarum substantia suffocare potest vel potuit, quibus inundantibus tunc homines terribiliter sunt deleti. At vero substantia ignis, tam angelos quam homines urere simul poterit, ut testatur ipse Dominus dicturum se profitens malis hominibus : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth*. XXV) ; » non igitur vane præmissum est, Deum pœnituisse, et dolore cordis tactum fuisse intrinsecus, quia videlicet tanti judicii pœnam erat illaturus (*Gen*. VI). Ipse est qui miserorum pœnis non delectatur, nec rursus potest negligens esse aut injustus, ut peccata secundum modum cujusque non ulciscatur. Hinc ait ipse in Evangelio : « Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio, judico (*Joan*. V). » A seipso namque facit et judicat quod auditis qui merita rerum subvertit et inordinata relinquit, verbi gratia ut dicat bonum malum, et malum bonum, et pro favore suo sicut justum ita et injustum dimittit impunitum. Hoc qui facere non audet homo utcunque justus est, qui autem non vult, justus et sanctus est, qui autem facere nunquam possit aut potuit, solus Deus est, qui natura justus est.

CAPUT XXVIII.

Quid sit quod Dominus dixit : « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. »

Quare autem facturus hoc judicium præmisit, dicens : « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est (*Gen*. VI). » Nonne et antequam hoc diceret, auferebat spiritum homini Deus, et deficiebant, et in pulverem suum revertebantur ? (*Psal*. CIII). Nonne et primo dixerat homini : « Donec revertatis in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris ? (*Gen*. III). »

A Imo nonne idcirco emiserat eum de paradiso, ne viveret in æternum ? Dixit enim cum ironia gravissima, dixit jam **538** « tunc dolore cordis tactus intrinsecus : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum, » statimque subjunxit : « Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, et sumat » etiam de ligno vitæ, et comedat et vivat in « æternum, emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis (*Gen*. III). » Quid ergo sibi vult, quod quando filii Dei filias hominum uxores acceperunt, illæque genuerunt gigantes, id est viros famosos et potentes a sæculo, quando corrupta jam erat terra, omnisque caro corruperat viam suam, eum propter hoc vellet inducere diluvium, quasi tunc primum decernens, dixit : « Spiritus meus, » id est B spiritus a me datus, sive ad imaginem meam factus, « non permanebit in homine in æternum ? » quid, inquam, nisi omnibus sæculis satisfactum esse vult ab experimentis, quod sapienter et utiliter, rationabiliter et misericorditer faceret hoc ipsum quod hominem morte animæ jam mortuum, per peccatum, in corpore immortalem esse noluit edicendo illi : « quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » præveniendo illum, et ejiciendo de paradiso voluptatis, ne forte mittens manum, sumeret et comederet de ligno vitæ, et viveret in æternum. Igitur cum dicit : « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum (*Gen*. VI). » Hoc eum intendere arbitramur, ut approbemus et laudemus bonum ejus consilium, quia vere quod hominem in anima mortuum vetuit esse C corpore immortalem, hoc fecit misericorditer nobis consulens, et sicut scriptum est, præcavens in futurum. Quid enim si propter vitam longiusculam, qua tunc vivebat, alius annos nongentos triginta, alius nongentos quinque, alius nongentos sexaginta duos, alius nongentos sexaginta novem, ut Mathusala. Si, inquam, propter tantulam vivendi moram, quæ ad æternitatem comparata, nec momenti quidem, vel puncti rationem obtinet, ita superbiebant homines, viri famosi a sæculo, potentes atque gigantes, id est Dei contemptum habentes, mente superbissimi, et carne corruptissimi, sicut ipsa Scriptura semel et iterum atque tertio, imo et quarto inculcans et replicans manifeste asserit, quid egissent vel quales fuissent, si sese nunquam morituros esse scirent ? Perpendat, qui potest, quia D revera nec leviter dictum est, præcavens in futurum ; nec leve fuit aut parvum quod præcavit Deus impedimentum salutis suorum ad æternam gloriam prædestinatorum, cupiens bonum usque ad victoriam perducere propositum. Arbitrari namque licet, quia non minus in hominibus quam in dæmonibus incorrigibile fuisse superbiæ malum, addita corruptione carnis ultra miseriam dæmonium, qui carnei non sunt.

A

CAPUT XXIX.

Quare Noe, accepta sententia perdendæ universæ carnis, non intercesserit pro hominibus sicut Moyses.

Propterea dicentem Deum: « Finis universæ carnis venit coram me, et ego disperdam eos cum terra; fac tibi arcam (*Gen* VI), » et cætera, audit Noe vir justus atque perfectus, et tacet, nullamque precem pro injustis offert, ut Deum teneat, ut iram ejus suspendat, exempli gratia, sicut eumdem Dominum tenuit Moyses, dicentem sibi: « Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam (*Exod.* XXXII), » hoc ille fecit, ut vere mitis et justus, nullatenus ambiens, ut fieret ipse in gentem ma- B gnam, magisque aliis quam sibi consulens. Sed non proinde immitis aut injustus Noe, qui cum pararet arcam cum filiis suis ad reparationem orbis terrarum, non intercessisse legitur aut elaborasse, ut iratum cunctis viventibus et cunctos delere volentem; tenere posset eumdem Deum. Moysi namque alia in fide et dilectione cordis fuit causa quam ea, cujus solius sensus præbere videtur littera, dicens: « Recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti dare terram hanc (*Exod.* XXXIII), » et cætera. Nam ille non tantum attendebat multiplicationem seminis, vel possessionem terræ Chanaan quam tunc erant intraturi, quantum aspiciebat ad honorem Dei, salutemque generis humani, ut esset Deus verax, et victor propositi, C juxta illud, « ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas eum judicaris (*Psal.* L). » Abrahæ namque promiserat, imo et cum juramento repromiserat Deus, quod « in semine ejus benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » quod est Christus. Et per os Jacob prædixerat Spiritus veritatis, quod de tribu Juda Christus foret nasciturus. « Non, inquit, auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est (*Gen.* XLIX). » Si ergo minas implevisset Deus contra populum illum, dicens Moysi: « Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos (*Exod.* XXXII), » et cætera, non videretur Deus justificari in sermonibus suis, victoriamque propositi peregisse verbum veritatis. Moyses namque D etsi de genere Abrahæ, non tamen erat de tribu Juda. Ideoque etsi faceret eum Deus in gentem magnam, ut de linea ejus Christus nasceretur, non omnino vicisset Verbum Dei. Quia non tribui Levi Christus, sed tribui Judæ fuerat promissus, ut ex ea nasceretur. Igitur eumdem Deum quem iratum uni genti Moyses fideliter tenuit, Noe universam carnem delere volentem rationabiliter dimisit. Quia videlicet perditio multitudinis nihil impediebat victoriam Verbi Dei sive propositi Dei, dummodo superest vel unus ad suscitandum semen mulieris inimicitias habiturum contra semen serpentis.

CAPUT XXX.

Quid sit quod scriptum est: « Noe invenit gratiam coram Domino. » Item: « Noe vir justus atque perfectus in generationibus suis. »

Hic unus tunc justus erat, sicut de eo Scriptura dicit: « Noe vero invenit gratiam coram Domino. » Item: « Noe, vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis (*Gen.* VI). » Porro generationes ejus, ab eo quem posuit Deus pro Abel, videlicet, Seth namque genuit Enos, et Enos genuit Cainan, et Cainan genuit Malaleel, Malaleel genuit Jared, et Jared genuit Henoch, et Henoch genuit Mathusala, Mathusala genuit Lamech, et Lamech genuit Noe (*Gen.* V). Nam istæ generationes Noe, generationes erant filiorum Dei, et generationes Cain, generationes dicuntur filiorum hominum, cum Scriptura sic dicat: « Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, filiasque procreassent, videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant (*Gen.* VI). » Cum igitur in generationibus suis, id est generationibus filiorum Dei, solus Noe justus atque perfectus fuerit, magna et dolenda demonstratur accidisse corruptio filiorum Dei per commistionem filiarum hominum, quarum pulchritudo mentes et oculos cœpit, et sine dubio corda pervertit, sicut recentiori tempore Salomonem quoque sapientissimum, per mulieres alienigenas constat esse depravatum (*III Reg.* XI). Unus autem numero quid erat in illa tanta multitudine hominum, utpote diu viventium et multipliciter generantium? Attamen unus ille omnipotenti Verbo Dei suffecit ad retinendam **539** sive perficiendam victoriæ suæ palmam, ut nihilominus quandoque perficeret bonum propositum, quod intenderat dicendo: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). Quid enim erat coram Deo omnis illa multitudo virentis et florentis sæculi, nisi « fenum, et flos agri? » (*Isa.* XL). Vere enim fenum est populus (*Psal.* CII); vere « omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni (*Isa.* XL). » Et sicut facile est fenum exsiccari, et florem cadere vento flante, sic facile fuit Verbo Dei, tantam multitudinem delere. Porro ipsum Verbum Domini manens in æternum, obedientem sibi manere fecit hominem unum, gubernans eum per contemptibile lignum.

CAPUT XXXI.

Quod Noe, quia servaverat Verbum Dei, idem a Verbo servatus sit.

Puta ergo jam tunc sibi dixisse Deum: Quoniam servasti verbum patientiæ meæ et ego te servabo ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. Multum enim attinet ad laudem victoriosi Verbi Dei, quod observator ejus propter hoc ipsum quod illud servavit, servatus est ab hora tentationis, imo a toto anno judicii, id est diluvii, quod per totum annum terram universam occupavit. Quod erat illud verbum patientiæ Dei? « Ecce, inquit, ego adducam diluvii

aquas super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum (*Gen.* VI),» et cætera. Hoc verbum recte dicitur verbum patientiæ Dei, quia videlicet postquam hoc verbum dixit Deus, adhuc diu patienter sustinuit. Anni fere centum interfluxerunt ab hoc dicto, antequam inundaret diluvium, et illi credere nolentes et in impietate permanentes, patientiam Dei contemnendo, iram sibi irrevocabilem thesaurizaverunt; hinc Petrus apostolus: « Qui increduli, inquit, fuerant aliquando, exspectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur arca (*I Petr.* III). Vigilanter itaque attendenti liquet, quod longa et magna fuerit patientia Dei, et quod veraciter ille vir justus atque perfectus servaverit verbum patientiæ Dei, videlicet « centum,» ut jam dictum est « annis fabricando arcam (*Gen.* VI).» Irrisiones et forte multa difficilia sustinens ab incredulis, dum annuntiaret verbo et opere, inundaturas super omnem terram aquas diluvii (*Gen.* VII).» Denique cum quingentorum esset annorum, locutus est ei Deus: « Fac tibi, inquiens, arcam de lignis levigatis (*Gen.* VI). » Et eadem Scriptura teste, sexcentorum erat annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt. Quantos putas tanto tempore fluctus hominum sustinuit, si prophetæ suis quisque temporibus per Verbum Domini præsciendo plagam quamlibet imminentem sic offenderunt, ut de vita quoque periclitarentur? Unde et dicit quidam illorum: Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio et contritio, cui incredibile videtur justum illum multum offendisse fabricando arcam, et futurum prænuntiando diluvium tot per annos apud superbos, et gigantes illos, in illo recenti sæculo, cervicoso nimis atque luxurioso? Igitur quomodo servavit verbum patientiæ Dei, et ipse Deus, sive Verbum Dei, servavit illum ab illa severitate judicii, miraculo magno et congruente ejus fidei? Sicut enim corruptionem fluctus, quibus omnis caro corruperat viam suam, mente evicit, et laudem justitiæ, sive perfectionis habere meruit, ita et aquas diluvii vehementer inundantes per contemptibile lignum superando, sæculis omnibus innotuit.

CAPUT XXXII.

Quod Dominus propositum suum satis declaravit toties benedicendo hominibus.

Post illud judicium, Verbum Dei suos in mundo præcones et novos et insignes habuit imo ut haberet effecit, quorum primus idem Noe cum filiis suis benedictionem eamdem accepit, quam dudum Deus edixerat, quando primos homines masculum et feminam creavit. Sicut enim tunc illis benedixit Deus et ait: « Crescite, et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I),» sic et post diluvium residuis istis eodem verbo benedixit (*Gen.* IX). Sic denique scriptum est: « Egredere, inquit, de arca tu et uxor tua, filii tui, et uxores filiorum tuorum tecum, cunctaque quæ sunt apud te educ tecum, et ingredimini super terram, crescite et multiplicamini super eam (*Gen.* VIII).» Ac deinceps: « Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et benedixit Noe et filiis, et dixit ad eos: Crescite et multiplicamini, et implete terram, et sit terror vester, ac tremor super cuncta animalia terræ (*Gen.* IX). » Deinde tertio, « vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram et implete eam (*ibid.*), » Trina verborum eorumdem repetitio magna est propositi Dei confirmatio, quod proposuit in verbo suo, sciens et presciens, atque prædestinatos habens omnes sanctos atque electos suos, quos nasci volebat sibi de genere humano quantis meritis crescere, quanto numero multiplicari haberent extunc usque in finem sæculi, quando et congregatis illis ad dexteram suam dicet ipsum Verbum incarnatum Jesus Christus victor propositi: « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi (*Matth.* XXV). »

LIBER OCTAVUS

540 CAPUT PRIMUM.

De tribus filiis Noe, Sem, Cham et Japhet, et quid sit, « Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem. »

Nunc jam sermo per compendium currens, videlicet omissis mysteriorum, sive allegoriarum longis itineribus, magnisque circuitibus devenit ad tabernacula Sem, dicente patre Noe: « Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem (*Gen.* IX). » Porro per tabernacula Sem, adoptionem filiorum Dei, et gloriam testamentum et legislationem, et obsequium, et promissa intelligimus, quæ omnia data sunt semini Abrahæ, qui fuit de posteritate Sem, Sem quippe genuit Arfaxad, Arfaxad genuit Sale, Sale genuit Heber, Heber genuit Phaleg, Phaleg genuit Reu, Reu genuit Sarug, Sarug genuit Nachor, Nachor genuit Thare, Thare genuit Abraham (*Gen.* XI). Tabernacula ergo Sem, beneficia Dei sunt jam dicta, quæ præstitit Deus semini ejus Abrahæ venienti ex posteritate Sem, et recte illa beneficia intelligimus per tabernacula, quia videlicet Abraham et cæteri patres per quos, vel cum quibus illa sunt administrata, manentem hic non quærentes habere civitatem, et illam expectantes, cujus artifex et conditor est Deus (*Hebr.* XI). In tabernaculis habitabant confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram. Ad hæc igitur tabernacula Sem sermone deducto ingrediendum est, et reverenter aspiciendum, qualiter Verbum

Dei peregrinationem nostram sciens, exinde militaturos, quos non dedignans habere homines, per quos omnem militiam nostræ salutis ordinaret, tam diu cum illis commorans et per eorum voces sonans, donec ex ipsis quoque carnem assumens bellator atque princeps belli totius, ipse ad publicum contra serpentem antiquum procederet.

CAPUT II

De confusione linguarum, nativitate Abraham, et secundo promissionis verbo, quod in semine ejus benedicendæ essent omnes gentes.

Divisæ jam erant insulæ gentium in regionibus suis, tam a filiis Japhet et filiis Sem quam et filiis Cham. Enumeratis quippe filiis Japhet, statim subjunctum est : « Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, et familias in nationibus suis (*Gen.* x). » Item, enumeratis filiis Cham : « Hi filii Cham, inquit, in nationibus et linguis et generationibus, terrisque et gentibus suis (*ibid.*). » Deinde enumeratis filiis Sem secundum cognationes et linguas et regiones in gentibus suis statimque præmittens : « Hæ familiæ Noe juxta populos et nationes suas. Ab his, inquit, divisæ sunt gentes in terra post diluvium. » Quam autem ob causam in linguas dissonas eædem gentes divisæ sint, continuo Scriptura narrat, videlicet quia facere civitatem et turrim, cujus culmen ad cœlum pertingeret, volebant per nimiam superbiam, quam ibidem Scriptura denotat nominando illos filios Adam, ait enim : « Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam (*Gen.* xi). » Ille cum dicit, filii Adam, procul dubio sic intelligendum est ac si diceret, imitatores Adam, qui Dei similitudinem appetivit, non per verbi Dei obedientiam, sed per mentis suæ superbiam. Illa divisio sive confusio linguarum, accidit in diebus Phaleg, qui et idcirco appellatus est Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra, ut jam dictum est. Anni fere centum nonaginta successerunt post illam divisionem linguarum hominum, et natus est Abraham, ad quem incarnationis suæ desiderabilem fecit promissionem unicum et indivisibile Dei verbum, dicente Deo ad illum : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ (*Gen.* xii). » Sive ut alibi dixit :« Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ (*Gen.* xxiii).

CAPUT III.

Quod confusio linguarum abscondendo divinæ promissionis thesauro profuerit

Hinc illud dicere libet, quia sicut Apostolus ait : « Omnia diligentibus Deum, cooperantur in bonum (*Rom.* viii), » sic et illa confusio linguarum, et sanctis patribus, ad quos factum est hoc verbum, ipsi Deo Dei verbo cooperata est in bonum. Oportebat enim pro tempore, ut fieret occultum tale mysterium, neque super eo disceptaretur per publicum, quia dignus eo non erat mundus, fere totus ubique lasciviens et petulans, nimiumque ferox atque superbus, quamvis recenter severitate inundantis diluvii percussus, et usque ad parvas reliquias una strage consumptus; oportebat, inquam, interim manere occultum talem, tantæ promissionis thesaurum : primo ne peregrini illi, quibus hoc bonum erat creditum, jam tunc invidiam intolerabilem paterentur; deinde, ne divinæ vocationis et supernæ spei margarita, ante porcos missa conculcaretur (*Matth.* vii). Sic erat verbo Dei pro sanctis patribus ab hominum impiorum **541** vel sæcularium invidia cavendum, quomodo cavetur pro radice novella, dum adhuc unicum vix virgultum protulit, unde bonum speras vel desideras fructum. Sicut enim extirpatio radicis spem fructus percipiendi prævenit, ita patribus, si intempestiva fuisset a persequentibus illata injuria mortis, facultatem præpedivisset implendæ promissionis. Idcirco Verbum ipsum futuræ carnis suæ patres custodivit, testante psalmo cum dicit : « Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*Psal.* civ). » Et quid ad cautelam istam tam idoneum quam præmissa confusio linguarum ? Et quidem expedierat et utile fuerat, quod ubi Deus confudit linguas turrim illam ædificantium, non audivit unusquisque vocem proximi sui, et ædificare cessaverunt. Sed magis expedivit, utiliusque fuit, quod gentibus ignorantibus præ confusione linguarum, sancta Scriptura turris vera et vere pertingens usque ad altitudinem cœli construenda erat, sacramenta continens jam dictæ promissionis.

CAPUT IV.

Quod mysteria Dei, non solis exteris per confusionem linguarum, verum etiam indignis Israelitis, per ænigmata et figuras abscondita fuerint. Item de trium linguarum litteris inventis.

Nunquid vero et in sola multitudine seminis Abrahæ, Isaac et Jacob, quæ videlicet multitudo duodecim tribuum, gens una vel populus unus exstitit, defuturi erant homines ejusmodi, homines indigni æque ut gentiles vel incircumcisi, quibus manifeste deberet ostendi sacramentum Verbi Dei? Non utique defutura erant, imo futurum erat, ut in illa gente carnalium multitudo, sua insipientia paucorum spiritualium fatigaret sapientiam ; futurum hoc non ignorabat Deus ipse Dei Verbum dum sicut ad salutem nostram necessarium erat, suum per Scripturam legis et prophetarum vellet hominibus præsignare consilium. Recte igitur non solum in una lingua sese abscondit verbum Dei, verum etiam in eadem lingua, quæ cæteris erat ignota gentibus, dicta vel decreta sua sic temperavit, ita similitudinibus vel figuris obumbravit mysticis, ut vix pauci, vix soli spirituales percipere possent, quale haberet consilium, quali ordine recuperare intenderet salu-

tem mundi. Propter hoc primum litteræ sunt, ut videlicet in eis et per eas significaretur, et usque ad tempus clauderetur atque signaretur Verbi Dei mysterium, venturi ad expugnandum generis humani inimicum, per assumptæ carnis et passionis suæ sacramentum. Primarum, id est Hebraicarum ista reperiendarum erat et fuit causa litterarum. Primo namque litteræ Hebraicæ per Moysem repertæ, et Hebræis traditæ sunt. Secundo Græcæ, quas Græcis Cadmus tradidit, quo tempore dux Othoniel filiis Israel præerat. Tertio loco trium linguarum principalium, junior Latina lingua, litteras habere cœpit, quas Carmentis reperit, quo tempore populum Israel judicabat Jair (*Judic.* III). Et illæ quidem juniores, Græcæ et Latinæ litteræ ob humanas res significandas repertæ, quandoque ad divinas res significandas gratia Dei sunt admissæ. Primæ autem, id est Hebraicæ ad significandas res divinas, repertæ vel traditæ sunt. Nunc vero ad ordinem redeamus.

CAPUT V.

Quod serpens antiquus propter Verbum promissionis contra Abraham, Isaac et Jacob, invidia quidem motus sit, nocere tamen eis non potuerit.

Promissione beati seminis facta ad patres, ut jam dictum est, quomodo ille serpens antiquus quidpiam inde cognovit, imo quomodo non cognosceret ipse callidus, et de regno suo, de regno mundi hujus male sollicitus. Circumibat enim terram, et perambulabat eam, tanquam fortis armatus custodiens atrium suum, attendens ne quid forte contra suum principatum suboriretur (*Job.* I; *Luc.* XI), secundum illud quod audierat dicentem sibi Deum: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius (*Gen.* III). » Hinc etenim requisitus est sub eisdem fere temporibus a Domino dicente, « unde venis Satan? et respondens ait: Circumivi terram et perambulavi eam. Et Dominus ad eum: Nunquid, ait, considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo? » (*Job* I.) Erat autem Job de stirpe Hus primogeniti Nabor fratris Abrahæ, cujus videlicet Hus, Scriptura libri Geneseos hoc modo meminit: « His itaque gestis nuntiatum est Abraham, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo, Hus primogenitum, et Buz fratrem ejus (*Gen.* XXII). » De stirpe Buz Heliu Buzites dictus est, qui et in libro Numeri Balaam nominatur. Porro jam dictus Job in terra Hus, qui fuit, ut jam dictum est, ex Nachor primogenitus Dinæ quoque filiæ Jacob (ut Philo perhibet) exstitit maritus. Istum consideraverat Satan circumeundo terram, et perambulando eam, quod « esset homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo. » Quomodo ergo non etiam considerasset Abraham, Isaac, et Jacob fidem promissionis habentes, et propter illam spem, peregrinando de gente in gentem, et de regno ad populum alterum pertranseuntes? Plane consideravit istos, et scivit esse cives regni Dei, regno suo contrarios, et de ipsis semen mulieris percepit fore nasciturum suo semini contrarium. Sed quid ageret? Quomodo bonam radicem illam corrumperet, aut quorum per manus hominum exstirparet? Verbum Domini frequenter illos visitans, et intus fidem illorum incorruptam custodiebat, et foris pro eis reges corripiebat, hominemque eis nocere non relinquebat. Et Abraham propter pulchritudinem Saræ, Isaac propter pulchritudinem Rebeccæ, et Jacob propter benedictionem quam subripuerat fratri suo, mori tinuit, idemque propter Laban de Mesopotamia fugit. Sed, ut jam dictum est, verbum Domini quemquam eis nocere non permisit: « Nolite, inquiens, tangere christos meos (*Psal.* CIV), etc. Ita contigit, ut nunquam eis nocere prævaleret inimicus, nullum ex eis sive in anima, sive in corpore lædere posset ille serpens antiquus, etc.

CAPUT VI.

Quod Joseph deinde primos serpentis insultus per fratres propter somnium exceperit.

Vivente tamen patre Jacob, primos serpentis diaboli assultus Joseph sanctus excepit, et in illo accrescente filio, aspectu decoro, pater pius non nihil passus est, quia patienti paterno corde vulnerato compassus est. **542** In illum adolescentem totos malitiæ suæ impetus ille invidus intorsit. Verumtamen non est factum quod voluit, ad quod fratres ipsius per invidiam concitatos ut facerent animavit, sed factum est quod Deus voluit sive Dei verbum, quod cum illo et in illo fuit, sicut scriptum est: « Quia eloquium Domini inflammavit eum (*Psal.* CIV). » Quid enim serpens ille fieri voluit? Nimirum voluit illum occidi et ex illa voluntate ejusdem diaboli homicidæ, ex illius inspiratione vox illa processit, ut videntes eum dicerent fratres sui: « Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem (*Gen.* XXXVII). » Quid autem Deus voluit? profecto quia vocaturus erat famem super terram, et omne firmamentum panis conterere habebat, voluit mittere ante eos virum hunc, et potius in servum venumdari, quam occidi Joseph, ut humiliarentur quidem in compedibus pedes ejus, et pertransiret ferrum animam ejus (*Psal.* CIV), non tamen humiliaretur sub peccato anima ejus, neque pertransiret ferrum corpus ejus, haberetque patientiam donec veniret Verbum Dei, donec inflammaret eum eloquium Domini, ut mitteret rex et solveret eum, princeps populorum, et dimitteret eum, constitueretque eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Vicit ergo in illo jam tunc eloquium Domini, quia non est factum quod primum dixerunt, secundum inspirationem serpentis maligni: « Venite, occidamus eum, » sed factum est illud quod sonuit utique eloquium Domini per unum illorum dicentem: « Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem ipsius? melius est ut venundetur, et manus nostræ non polluantur. Caro enim et frater noster est (*Gen.* XXXVII). »

CAPUT VII.

Quid sit quod a Jeremia dictum est : « Vox in Rama audita est, » etc. « Rachel plorans filios suos. »

Primos assultus serpentis illos idcirco dixerim, quia videlicet a promissione beati seminis facta ad Abraham, qui persecutionem pateretur, cujus sanguis propter justitiam quæreretur, primus iste fuit. Unde animadvertere licet sanctum et vere divinum evangelistam in morte parvulorum innocentium satis congrue, multumque sapienter ita dixisse. Tunc adimpletum est quod dictum est per prophetam dicentem : « Vox in Rama audita est ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt (*Matth.* II ; *Jer.* XXX. ; *Thren.* I). » Quid enim, nonne ejusmodi potentes testimonium [potens est testimonium quod], omnem filium, qui pro causa occiditur illius beati seminis, quod est Christus, vult haberi tanquam Joseph ? et omnem matrem, quæcunque pro tali causa occisum plorat filium (sive una sit mulier carnalis mater, sive sit Ecclesia spiritualis mater, piis matribus in morte ipsorum condolens, ut sæpe factum est) vult haberi tanquam Rachel ? De recte ac rationabiliter uniuscujusque illorum innocentium parvulorum mater, in tali causa vocatur Rachel, similiterque tota Ecclesia martyrum Christi mater, quia videlicet illius, cujus primi animam ferrum pertransivit, dicta est Rachel. Hoc Spiritui sancto placet, in quo et propheta cecinit et evangelista intellexit, quia sicut tunc pater Jacob noluit consolari, et sicut mater Rachel, si adhuc viveret, nollet consolari, eo quod non esset Joseph, et tamen erat, et non solum vivebat, verum etiam potens erat, et prospere agebat Joseph (*Gen.* XXXVII). Ita Ecclesia sive quæcunque mater fidelis, plorat quidem pietatis affectu filium occisum, tanquam non sit, sed ille est, et non solum est, verum etiam melius est, et verius vixit, idcirco quia talem ob causam evenit ei, quod in hoc sæculo non est. Proinde Rachel ploranti filios suos, et nolenti consolari super eis quia non sunt, continuo hæc dicit Dominus : « Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Et revertentur a terra inimici tui, et est spes novissimis tuis, et revertentur filii tui ad terminos suos (*Jer.* XXXI). » Firmiter hoc tenet Catholica fides, quia filii revertentur ad terminos suos, quia pii martyres, sive illi innocentes qui plorabantur, eo quod non essent, et nullam carnis memoriam sæculo reliquissent, resurgent et apparebunt in regno Christi, regno suo secundum similitudinem illius Joseph, qui cum putaretur a fera devoratus, vixit, et vivens atque potens inventus est.

CAPUT VIII.

Quod serpens ille antiquus non solum insidias fratrum, verum etiam illecebras concupiscentiæ mulieris adversum Joseph suscitavit, neque tamen vicerit.

Notandum interea quod non uno modo tantum, sed duobus modis antiquus ille serpens aggressus est Joseph (*Gen.* XXXVI). Neque enim solummodo per fraternam invidiam consurrexit, ut eum corporaliter occideret, sicut occisus fuerat Abel, neque solummodo per feminam circumvenire voluit eum ut animam ejus occideret, sicut circumvenerat Adam, sed per utrumque, et in utroque conatus ejus frustratus est. Dixerunt namque fratres invidentes : « Venite, occidamus eum (*ibid.*), et factum non est : dixit domina mulier : « Dormi mecum, » et factum non est. Grandis pugna, grande spectaculum, victus ille serpens, quia verum infligere non potuit, falsum confinxit crimen, propter quod et « humiliaverunt in compedibus pedes ejus, et ferrum pertransivit animam ejus (*Psal.* CIV). Sed nonne hæc agendo serpens super pectus suum gradiebatur ? (*Gen.* III.) id est suam intentionem conculcabat sibimet contrarius. Tali namque via talique processu procedebat ad victoriam eloquium Domini quod inflammavit eum, et ad hoc perducebatur ut prodessent illi somnia sua verbo Domini consonantia (*Gen.* III), ut scilicet vocata fame super terram, consurgeret et staret manipulus ejus, fratrumque manipuli circumstantes adorarent manipulum ejus. Itemque ut sol et luna et stellæ undecim adorarent eum super terram. Quod fratres quidem fecerunt, pater autem non aliter fecisse legitur nisi quod jurante illo de transferendo corpore ejus adoravit Deum, conversus ad lectuli caput, qui videlicet pater per solem figuratus fuerat, sicut et fratres per stellas undecim. Porro mater jam obierat, quæ per lunam signata fuerat, sed profecto si adhuc viveret tunc temporis, Deum in filio gratanter adoraret. Igitur in laude Sapientiæ victricis, quæ non est alia quam Deus Verbum Dei, veraciter est dictum, et sæpe dicendum, quia venditum justum istum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum eo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum, donec afferret ille sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, et mendaces ostendit qui maculaverunt illum.

543 CAPUT IX.

De tertio promissionis verbo : « Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est. »

Post hæc insignia divinæ virtutis, ecce jam tertio verbum promissionis, verbum invictum tale per os Jacob patriarchæ edidit oraculum : « Catulus leonis Juda ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna. Quis suscitabit eum ? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX). » Tertium hoc fuit beati seminis, quod est Christus, præconium. Primum quippe fuerat illud ad serpentem : « Inimicitias ponam inter te (*Gen.* III), » etc. Secundum illud ad Abraham : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Ac perinde tertium hoc est, cujus veritas duo præcedentia perficit, et complet ; nam si Christus, imo quia Christus de tribu Juda est, ergo semen Abrahæ est,

dum ad prædam ascensurus præcinitur, verum esse A confirmatur id quod inimicitias inter semen serpentis et semen mulieris positurum se prædixerat Deus. Itaque domus quidem Jacob, in qua verbum promissionis repositum fuerat, maligni serpentis instinctu concussa, et scelere in fratrem admisso contaminata est, et Joseph laboravit usque ad vincula, sed ipsum verbum neque concussum, neque alligatum exstitit, quinimo quod semel et iterum prædixerat Deus, idipsum tertio repetens, et clarius edicens per os patriarchæ in Ægypto peregrinantis, et in ipsa peregrinatione morientis confirmavit. Adde quod tempora quoque adventus ejus certo signo præsignavit. « Non auferetur, inquit, sceptrum de Juda,» etc. Hoc namque signo, quia non solum rex, verum etiam dux auferendus erat et ablatus est B de Juda, id est de gente Judaica, temporibus Romani imperii, quando rex dandus erat, et datus est Herodes alienigena, videlicet patre Idumæo, et matre natus Arabica, hoc, inquam, etsi non alio signo cognoscendum et cognitum est tempus adventus ejus, taliter ut nunc apparet, quia non solum regem et ducem, sed et locum perdiderunt et gentem.

CAPUT X.

De signo mulieris amictæ sole, parturientis et clamantis ut pariat, et item de signo draconis magni et rufi, etc.

Qualiter deinde inimicitiæ sæpe dictæ processerint, qua voce, qualibus conabitur verbis consequi, quali signo vel classico sono studiosus excitabit, C attentumque faciet spectatorem certaminis admirandi? Ecce Joannes in Apocalypsi Jesu Christi dicit : « Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. Et visum est illud signum in cœlo, et ecce draco magnus et rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus suis septem diademata, et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret (*Apoc.* XII). » Signa hæc magna sunt, suaque significatione; et cœptum dirigere sermonem, et attentum reddere valent auditorem. Signa hæc mentis oculos feriunt, excitantque et aperiunt D ad cognoscendam earum, de quibus loquimur, faciem rerum. Mulier quippe illa, Ecclesia est; draco ille diabolus est. Mulier tunc cœpit in utero habere, quando fides patriarcharum, de quibus nunc loquebamur, promissionem habens, Christum cœpit exspectare. Diabolus autem tunc cœpit draco esse, quando contra fidem et spem illam sævire cœpit, aperta persecutione, scilicet mortuo Joseph et omnibus fratribus ejus, quando rex novus super Ægyptum constituitur, qui ignorabat Joseph, et ait ad populum suum : « Ecce populus filiorum Israel multus et fortior nobis est, venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur (*Exod.* I), » etc. Tunc, inquam, cœpit draco esse, et tanquam draco non solummodo fraudulenter decipere, verum etiam fortiter pugnare. Non solummodo decipere animas, verum etiam occidere corpora, dicente illo rege : « Quando obstetricabitis Hebræas, et tempus partus advenerit, si masculus fuerit, interficite illum, si femina, reservate (*ibid.*). » Item, ad populum suum : « Quidquid, ait, masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite, quidquid feminei, reservate (*ibid.*). » Antequam tale quid juberetur aut fieret ejus instinctu serpens erat, et serpens dici merebatur, quia decipiendo latenter et subdole mentibus illabebatur. Extunc autem draco est magnus, draco rufus, palam sæviens, aperte persequens, magnus magnitudine regum, et multitudine hominum impiorum interficientium, rufus sanguine piorum morientium.

CAPUT XI.

Coronam duodecim stellarum in capite ejusdem mulieris fuisse principes duodecim tribuum, et quod in utero habuerit, fuisse Verbum promissionis.

Utrumque signum, et mulier illa, et draco ille apparet et videtur in cœlo, quia videlicet ab his duntaxat qui cœlestia meditantur, qui dicere possunt : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Phil.* II), » ab his, inquam, videtur, sentiturque animo, et in muliere quantus dolor, et in dracone illo quantus sit vel fuerit horror. « Mulier » illa « amicta » erat « sole, » quia dotata [roborata] erat patriarcharum fides cœlesti promissione. « Luna sub pedibus ejus, » quia sæculi temporalibus bonis sic utebantur sancti Patres, ut non ipsa bona mentibus eorum dominarentur per cupiditatem, sed ipsi bonis illis per liberalem dominarentur dispositionem : « In capite » mulieris « corona stellarum duodecim, » quia in illa primitivæ Ecclesiæ initio, filii Jacob patres fuere duodecim tribuum, juxta illud fidele verumque somnium : « Videbam per somnium quasi solem et lunam et stellas undecim adorare me (*Gen.* XXXVII). » Sine dubio stella duodecima ipse est qui somnium viderat. Equidem secundum sua temporis illius merita, fratres undecim non lucebant, sed secundum futurorum spem et electionem, quæ ex ipsis erat assumenda, stellæ lucidæ erant illi. Stellæ lucidæ sunt ejusdem electionis principes, duodecim apostoli. « Et in utero habens, » inquit. Quid habens et unde habens? Habens, inquit, « semen in quo benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Et hoc habens ex Creatore Deo rationalis creatura, tanquam de proprio viro uxor legitima. Ex quo Deus Abrahæ semen illuc promisit, et ejusdem Abrahæ cæterorumque cujusque anima promissionis fidem suscepit, extunc eadem mulier in utero habere, id est prægnans esse cœpit. « Et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. » Mulieres quæ corporeos partus ediderunt, et pariendo dolores illos expertæ sunt, bene sentiunt quam veraciter veritas dicat : **544**
« Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit

hora ejus (*Joan.* XIII), » etc. Sic profecto quæcunque anima Verbum Dei, Verbum Deum, Christum Jesum Filium Dei diligit, et in Christo pie volens vivere, persecutionem patitur, bene sentit quod dicitur de muliere illa, quia « clamabat parturiens, et cruciabatur, ut pariat. » Nos cœpta persequentes, victoriæ Verbi Dei magna et præclara insignia in eo maxime continuemus, quod superatis cunctis draconis capitibus filius mulieris masculus raptus est ad Deum et ad thronum ejus, gentes omnes virga ferrea recturus.

CAPUT XII.

Quando primum cœperit parturire, clamare, cruciari, ut pareret.

Quando, sicut jam dictum est, surrexit rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph, et populum filiorum Israel crescentem affligere cœpit, et masculos occidi, vel in aqua necari jussit, pro hoc invidens, quia crescebant et multiplicabantur (*Exod.* I), tunc mulier illa in utero habens, clamare cœpit, quia videlicet tunc erigebat se primum caput draconis tam in illo rege quam in eo qui mortuo illo successit. Tunc namque « ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Dominum pro operibus, et audivit gemitum eorum (*Exod.* II). » Et omnes quidem vociferati sunt, sed non omnes vociferandi scientiam habuerunt, id est non omnes vociferando corporum pariter et animarum suarum liberationem, qui ad patres ipsorum repromissus fuerat, quærere vel desiderare sciverunt. Nam fere omnes de corporum sola salute solliciti, curam vel sollicitudinem habere nescierunt de animabus suis. Hinc animadvertendum est multum profuisse mulieri, quod primum caput draconis contra se stare videt, quia videlicet illo periculo commonita se in utero habere recognovit, et in partus sui felicitate sperare didicit. Nam si tranquillitas temporis in Ægypto illi arrisisset, male secura jacuisset in medio fornicationum idololatriæ, de quibus per prophetam parabolice dictum est : « Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt, ubi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum (*Ezech.* XXIII). » Bene igitur, quod saltem vexatio intellectum daret auditui, ut quamvis pauci, tamen nonnulli suspirarent et optarent jam semen illud, quod Deus Abrahæ repromisit (*Gen.* XXII). Nam primus Moyses tunc ad Dominum dixit : « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es (*Exod.* IV). » Sentiebat namque nihil per se vel per alium posse ad perfectum adduci, nisi veniret ipse qui mittendus erat, de quo pater Jacob in benedictionibus Judæ : « Non auferetur, inquit, sceptrum de Juda (*Gen.* XLIX,)» etc., et hoc non sine magni desiderii clamore dixit, quippe qui et alibi tacito ore clamasse legitur, Domino dicente : « Quid clamas ad me ? » (*Exod.* XIV.) « Clamabat » igitur mulier, id est quæ jam incipiebat esse Ecclesia, quam signat mulier, « et cruciabatur ut pareret, » nonnullis jam cum temporali liberatione corporum desiderantibus advenire promissum patribus, liberatorem animarum pariter et corporum.

CAPUT XIII.

Quod agnus, quem immolabant filii Israel, Verbi fuerit typus incarnandi, econtra Pharao rex Ægypti, caput primum serpentis.

Sed « iratus, » inquit Scriptura, Dominus in Moysen, ait : Aaron frater tuus levites, scio quod eloquens sit, ecce ipse egredietur in occursum tuum, et ostendam vobis quid agere debeatis (*Exod* IV). « In hoc ipso Dominum sibi iratum dixit, quod Christum suum distulit, et non statim misit qui averteret iram, quæ propter Adæ peccatum accidit. Verumtamen non omnino illum inexauditum reliquit ita videlicet etsi ipsum, quem missurus erat, non statim misit, ac saltem signum aliquod, signum magnum, sacramentum magnum ejus præmisit. « Tollat, inquit, unusquisque agnum per familiam et domus suas, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam (*Exod.* XII). » Agnus ille signum, et sacramentum fuit venturi Christi, qui mittendus erat, pro quo, sicut jam dictum est, suspirans dixit Moyses : « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es. Hoc intendens Baptista Joannes, qui ante illum missus est, ubi vidit eum ambulantem, dixit « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Econtra ille Pharao, qui tunc erat rex Ægypti, signum draconis jam dicti, signum similitudinem gerebat diaboli, hoc innuens dicit in eum per prophetam Spiritus Dei : » Leoni gentium assimilatus es, et draconi, qui est in mari (*Ezech.* XII). » etc. In illa similitudine suis, in illa immolatione agni, qualiter pugnaverit Verbum Dei, qualiter illud primum draconis, id est Ægypti regnum vicerit atque contriverit, quis nescit ? Erigebat se caput illud contra mulierem, ut omnem beati seminis tolleret exspectationem, aboleret Dei nomen, perderet promissionis fidem, deglutiret futuri regni spem. Econtra, per Moysen verbum Dei sive in verbo Dei, Moyses multis caput illud plagis percutiebat : « Dimitte, » inquiens » « populum ut sacrificet mihi in deserto (*Exod.* V).» At ille, videlicet Pharao, non solum non dimisit « populum, verum etiam irridens atque dicens : «Vacant otio, et idcirco vociferantur, dicentes : Eamus et sacrificemus Domino (*ibid.*), » amplius oppressit eos operibus, in tantum ut dicerent Moysi et Aaron : Fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium, ut occideret nos.

CAPUT XIV.

Quod omnipotens Verbum Dei percusserit primogenita Ægypti.

Quid multa, post ranas et ciniphes, post muscas et locustas, quibus illud caput draconis exstimulatum atque corrosum fuerat, post vesicas turgentes, et grandines igne permistas, quibus exulceratum

atque grandinatum ingemuerat, cum neque istis, neque cæteris plagis adhuc cederet exterminium primogenitorum, victorem asseruit sermonem Dei, cum prædicta immolatione agni mystici. « Dum enim, inquit Sapientia, quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo decursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exsiliens de cœlo a regalibus sedibus (*Sap.* XVIII), » durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat stans in terra. Hoc **545** illa Scriptura de illo noctis medio dixit, quando « percussit omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus, et ortus est clamor magnus in Ægypto. Neque enim domus erat in qua non jaceret mortuus. » Cum igitur et illa Scriptura prior dixerit, « factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, » et ista sequens dicat : « Dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus (*Sap.* XVIII), » etc. Non dubium quin Dominus qui percussit illa primogenita Ægypti, propria sit persona Verbi Dei, Filii Dei, Verbi omnipotentis, Filii victoriosi. Unde vigilanter animadvertendum quod, cum dixisset : « Transibit Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium, et non sinet percussorem ingredi, » continuo subjunxit : « Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum (*Exod.* XII). » Quid enim est præsenti loco dicere : « Custodi tibi verbum istud legitimum, » nisi ac si dicat : Custodi tibi Dominum istum usque in æternum ? Verbum namque istud, omnipotens sermo iste, Dominus est, ut jam dictum est, quem custodire oportet usque in æternum, potius quam illius agni immolandi ritum, qui profecto permanere non debuit vel custodiri usque in æternum, sed tantum usque ad illam plenitudinem temporis, quo incarnandum erat Verbum istud, custodiendum usque in æternum.

CAPUT XV.

Quod de eodem Verbo dictum sit : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam. »

Jam descriptio ejus prælibata diligentius consideranda est. « Omnipotens, inquit, sermo tuus, Domine, exsiliens de cœlo a regalibus sedibus, » durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus, insimilatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat stans in terra (*Sap.* XVIII). » Nonne magnum et fortem in his verbis gigantem agnoscis, gigantem illum de quo Psalmista canit : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam suam, a summo cœlo egressio ejus ? » (*Psal.* XVIII). Quis enim alius gigas per incarnationem de cœlo descendit, et superato mortis imperio cum victoria in cœlum ascendit?

A quod Psalmista prophetico spiritu cecinit, nisi « omnipotens sermo tuus, Domine, qui tunc de cœlo a regalibus sedibus, durus debellator prosilivit in terram, et usque ad cœlum pertingebat in terra stans ? » Magnus utique gigas, qui stans in terra, usque ad cœlum pertingebat, quod Psalmista dixit de futuro prophetans : « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*ibid.*). » Et quod Sapiens illic dixit de præterito memorans : « Exsiliens de cœlo a regalibus sedibus in terram prosilivit, et usque ad cœlum attingebat stans in terra. » Eamdem unius ejusdemque, qui et incarnatus venturus erat in mundum, et nondum incarnatus venerat super Ægyptum, velocitatem pariter et magnitudinem giganteam magnifice prædicant.

B Verum quia præsenti operi susceptum vel propositum non est, ejusmodi mysteria perquirere, sed bellorum verbi Dei quamdam velut historiam texere, hoc nunc in laudem victoriæ ejus breviter dicendum quia dignum se fecit iste omnipotens sermo Domini, quod tunc de cœlo a regalibus sedibus taliter exsilivit, quod durus debellator gladiusque acutus in mediam exterminii terram prosilivit, et stans omnia morte replevit, videlicet ita ut non esset « domus in qua non jaceret mortuus a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum (*Exod.* XII). »

CAPUT XVI.

Idem Verbum Dei Ægyptiis fuisse gladium acutum, filiis autem Israel agnum mitem et mansuetum.

C Mirabile utique fecit inter domos Ægyptiorum et domos Israel uno eodemque tempore, una eademque nocte. Illic, id est in domibus Ægyptiorum, tanquam durus bellator erat, tanquam gladius acutus sententiam vibrabat. In domibus autem filiorum Israel mitem se et humilem natura esse signabat per agnum, simplex et mansuetum animal, quod immolari jusserat. Deus namque mitis et humilis est, neque apud nos talis didicit esse Filius Dei, ex quo carnem nostram assumpsit, ut diceret : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI), » sed talis erat priusquam cœlum et terra fierent, natura propria, non cujusquam imitatione. Inter nos istud non discere venit, sed docere. Peccantium impietas rebellando hoc meretur, quod talis esse videtur, ut de

D illo tempore dictum est, « durus debellator et gladius acutus, » videlicet quorum cor durum mansuetudine et patientia ejus abutitur, ut ille Pharao durus et superbus. Ille enim ubi primum audivit : « Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto : Quis est Dominus, ait, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel ? nescio Dominum, et Israel non dimittam (*Exod.* V). » Ita incipiens, magisque ac magis cor suum indurans et aggravans, hoc emeruit, ut iste mitis et humilis contineret mansuetudinem suam, et ostenderet in eum fortitudinem suam. Verumtamen neque ipsum, neque Ægyptios cæteros durus iste debellator debel-

tres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus Deus in secula. Amen (*Rom.* IX). » Num parva hæc celsitudo est? Et in alio loco, cum percontatus fuisset: « Quid ergo amplius est Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis? » statim ipse respondit: « Multum per omnem modum. Primum quia credita sunt illis eloquia Dei (*Rom.* III). » Tanta celsitudine excelsum facere illum dignatus est populum præ cunctis populis. Quomodo vel quando illi eloquia sua credidit? Die quinquagesimo « Ascende ad me in montem, ait ad Moysen et esto ibi, daboque tibi duas tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas filios Israel (*Exod.* XXIV). » Tanto ac tali studio Deus filiis eloquia sua credidit ut eloquiorum quoque signa, scilicet litteras traderet Moysi, dando illi tabulas scriptas digito Dei.

CAPUT XXII.

Populo Israel non solum commissa, verum etiam scripta fuisse eloquia Dei, idque digito ipsius.

Quis denique alius, nisi ipse Deus signorum hujusmodi, scilicet litterarum auctor vel inventor existimabitur? Sic namque Moyses ipse testatur: Daboque tibi, ait Dominus, duas tabulas lapideas, legemque ac mandata quæ scripsi (*Exod.* XXIV). » Legem cum dicit, subjungendo ac mandata, non utique cæremoniarum, sed legem decem præceptorum vult intelligi, et rursus scriptum est: « Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu scriptas utraque parte, et factas opere Dei (*Exod.* XXXII). » Scriptura quoque Dei sculpta erat in tabulis et in Deuteronomio digestis rursus decem mandatis: « Hæc, inquit, verba locutus est Dominus, et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi (*Deut.* V). » Item, de tabulis secundis, quas fecit, prioribus fractis: « Cumque dolassem, inquit, duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens eas in manibus, scripsitque in tabulis, juxta id quod prius scripserat, verba decem (*Deut.* X). » Item in Exodo: « Dedit quoque Moysi completis hujuscemodi sermonibus in monte duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei (*Exod.* XXXI), » ac deinceps: « Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti (*Exod.* XXXIV). Quorsum ita tot testimonia? Videlicet ut liquido constet, quod qui hujusmodi rationem et vocem sive linguam ad loquendum dedit, idem ipse Deus litteras, id est ipsas elementorum figuras primus per semetipsum conscripsit, et ei qui primus ex omnibus hominibus scribere meruit, scilicet Moysi scriptas tradidit. Nec dum quippe vel ipse Moyses quidquam scripserat, quando dixit ei: « Ascende ad me in montem, et esto ibi, daboque tibi duas tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi (*Exod.* XXIV). » Equidem Græcis Cadmus, quo tempore dux Othoniel **548** filiis Israel præerat, et Latinas litteras tradidit Carmentis quo tempore populum Israel judicabat Jair. Sed hoc fieri potuit humana industria per imitationem Scripturæ prioris et divini operis ut jam non esset impossibile fieri in alia lingua, quod homini per semetipsum Deus ostenderat in una, scilicet Hebraica.

CAPUT XXIII.

Nihil utilius invento litterarum ad cognitionem Dei Creatoris esse.

Notandum itaque quod inter cuncta opera manuum hominum hoc unum opus est, quod habet homo ex artificio opificis Dei, et de cunctis operibus Dei, quæ multa sunt, hoc unum opus est, quod homini manu sua jussit operari. Nam et in tabulis opere suo Scripturam suam scripsit, et homini in libro scribere jussit. Exempli gratia: « Scribe hoc, inquit, ob monimentum in libro, et trade auribus Josue: Delebo enim memoriam Amalech sub cœlo (*Exod.* XVII). » Nunquid hoc tantum illi scribere jussit, quod Amalech principium gentium, id est primus ex omnibus gentibus venisset, et pugnasset contra Israel, et idcirco memoria ejus delenda esset? Imo amplius illud constat, et digne sciendum est quod jusserit illi scribere: « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I), » quamvis non sit præmissum, dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc: « In principio creavit Deus cœlum et terram. » Quod si utilitatem hujus operis, scilicet manu scribendi, recte perpendis, profecto fateris decere vel decuisse Deum majestatis, quod figurarum hujusmodi, scilicet litterarum non alius quam ipse primus auctor exstitit. Quid enim est in omni mundo, in universa multitudine rerum, vel signorum visibilium, quod humanæ menti ad cognoscendum Creatorem suum, tam efficax, tam utile, tanquam certum præbeat adjumentum? Nunquid ordo cœli, solis, lunæ et stellarum? Quæ omnia pulchra sunt, et creatricis omnipotentiæ quædam signa sunt, quæ ita ut hæc verborum signa, sensus nostros instruunt aut instruere possunt. Hæc signa de præterito narrant, de præsenti demonstrant de futuro sæculo annuntiant et quod summum est, Creatoris non solum omnipotentiam asseverant, verum etiam voluntatem nobis intimant, et quoties volumus, Deus nobiscum per hæc signa loquitur. Dignum igitur opus quod ipse Deus operatus esse credatur, sicut manifeste Scriptura testatur. Quia, sicut jam dictum est, prior ipse scripsit tabulis in opere suo, digito suo, utique modo ineffabili, et deinde homini scribere jussit.

CAPUT XXIV.

Sicut priores duæ tabulæ Moysi fractæ sunt, ita et litterarum characteres sub Esdra mutatas fuisse arbitramur.

Sunt autem litteræ apud eosdem, scilicet Hebræos numero viginti duæ, et characteres quidem immutati, sunt, quia certum est Esdram scribam legisque doctorem, post captam Hierosolymam et instaurationem templi sub Zorobabel, alias reperisse figuras, sed sono eodem permanente. Quod vero mirum si elementorum figuras, quas ipse Deus tradiderat, per prophetam Esdram immutari voluit (quem ipsum

esse Malachiam accipimus, qui in ordine duodecim prophetarum est novissimus) cum ipsas quoque tabulas, in quibus Spiritura Dei litteræ sculptæ fuerant (quas nimirum non Moses præcidit, sed Mosi ipse dedit), frangi placuerit, et alias Moses ipse fecerit (quamvis nec in illis scripserit) dicente Domino ad eum : « Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba quæ habuerint tabulæ quas fregisti ? » (*Exod.* XXXIX.) Nam de prioribus tabulis, quod non Moses illas præciderit, sed Dominus ipse et scripserit, et illi dederit, manifesta est auctoritas Scripturæ, quæ dicit : « Dixit autem Dominus ad Mosen ; Ascende ad me in montem, et esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi (*Exod.* XXIV). » Item alio loco : « Deditque Moysi, completis hujusmodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei. » Non ergo mirum si, in restauratione civitatis vel templi, litteras quas digitus Dei scripsit, per hominem immutari placuit, cum in constructione tabernaculi quandoque destruendi tabulas, quas ipse Deus præparaverat, homo fregerit, et alias jussu Dei præciderit. Potuit in utroque, scilicet et in alteratione tabularum, et in demutatione litterarum ejusdem rei esse portentum ? Quia videlicet futurum erat ut omnia quæ tunc instituit Deus nondum homo factus pertransirent. Nam ecce vetera sunt, et transierunt, et nova omnia facienda erant, ut nunc facta sunt, quæ instituit idem Deus homo factus Sacerdos in æternum, de quo Apostolus: « Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, et perfectius tabernaculum, non manufactum (*Hebr.* IX). » etc.

CAPUT XXV.

Dona esse Dei, quod homo in Verbo Dei possit meditari, deinde et eloqui, demum et scribere, atque aliorum scripta legere.

Ecce quam parvulo auxilio, quantum Deus et Verbum ejus subvenit generi humano ? Viginti duæ tantum, sicut jam dictum est, litteræ sunt. Ecce de impensis tam parvis, quam magnum constructum est ædificium ? Primo ex ipsis positum est fundamentum scripturarum, id est Scripturæ illæ, quæ canonicæ dicuntur, per Spiritum sanctum conditæ sunt, et deinde quam multi ex omni natione et gente maximeque Græci et Latini, non pluribus usi litteris superædificaverunt? Unde factum ut in publicum conventum nostrum habeamus ascitum, et habere semper possimus Dei Verbum. Eatenus homines pauci instructi fuerant hoc Verbo, quorum notissimi sunt, Abraham, Isaac et Jacob, ad quos fiebat Dei Verbum, non hujusmodi lectione, sed occulta inspiratione, et idcirco paucissimi Verbum percipiebant, quia tali instructione non multi digni erant. Litteræ datæ confestam viam fecerunt multitudini ad percipiendum Verbum Dei. Ac per hoc recte dixerim quia litterarum auctorem sive inventorem primum, non hominem quempiam, sed ipsum

A Deum esse decuit, cujus hoc tertium est munus ad cognitionem valens Verbi sui quod homini litteras dedit. Primum namque est donum Dei, quod homo utpote rationalis, Verbum illud potest meditari. Secundum quod solus ex cunctis animantibus linguam habens eloquentem, ipsam suam meditationem valet eloqui. Tertium quod cum litteras didicerit manu scribere, et aliorum manu scripta intelligere, cognoscere potest Verbum Dei, sapientiam Dei. Visibilibus signis sub istis signis primum illi populo credita sunt eloquia Dei, et instructus est de adoranda majestate unius et solius veri Dei, **549** quod unus ipse cuncta creaverit, cœlum, et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, quod hominem ad imaginem suam creaverit, quod ad Abra-
B ham, ad Isaac et Jacob locutus sit, et semen eorum in populum sibi peculiarem elegerit, et sub eisdem signis leges ejus accepit, quorum summa tota est in præceptis Decalogi, quæ ipse scripsit in tabulis, et sub eisdem signis cæremonia ejus, id est, ritum vel ordinem eidem Deo sacrificandi suscepit.

CAPUT XXVI.

Sacramenta cœlestia, sub sacrarum superficie litterarum latentia, similia esse thesauro abscondito in agro.

Quantum sapientiæ decus, quantos sapientiæ thesauros sub istis putas signis, id est litteris, esse absconditos? Quis explicare possit divitias salutis, quas illa mulier supra memorata in illa prima victoria, videlicet ubi victum est et contritum primum
C caput draconis, accepit reconditas sub illis litteris ? Hinc est enim, quod apud Ezechielem Dominus ad eamdem mulierem dicit: « Et ingressus sum pactum tecum, et facta es mihi, et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo, et vestivi te discoloribus et calceavi te hyacinthino, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum, et dedi inaurem super os tuum, et circulos in auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo, et ornata es auro et argento, et vestita es bysso, et polymito, et multis coloribus (*Ezech.* XVI).» Tantis namque divitiarum splendidis nominibus, quid nisi sacramenta cœlestia sub illius sacræ Scripturæ grosso velamine latentia, significari putamus ? Nam, si ejusdem prophetiæ textum
D in præcedentibus ac sequentibus attendas, nimirum constat, dicta hæc esse de sacræ legis institutione, quam a Domino, in manu Moysi, imo in dispositione angelorum, Ecclesia primitiva tunc accepit, plenam cœlestibus sacramentis. Quisquis hæc attendis, profecto veram et congruam perspicis illam parabolam Verbi incarnati dicentis : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum (*Matth.* XIII.) » Siquidem litteratura illa in superficie quodammodo agnoscibilis est. Sed in hujusmodi agro thesaurus absconditus est sapientiæ cœlestis

thesaurus nobilis, quem qui invenit, id est, qui intelligit recte gratulatur et veraciter Domino dicit : « Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti (*Psal.* CXVIII.) » Qui hoc invento delectati, universa quæ habebant, vendiderunt, et agrum hujusmodi emerunt, ut exonerati sæcularibus negotiis, vacare possent, et intendere vel meditari in illa lege Domini, et necdum potuerunt, nec nisi ex parte cognoscere potuerunt, senserunt Dominum latentem illic in factis figurativis et dictis mysticis.

CAPUT XXVII

Hunc thesaurum ideo absconditum fuisse, ne parvuli quibus lacte opus erat, solidum cibum non ferre possent, et porci margaritas pedibus subjectas conculcarent.

Plane sic abscondendo thesaurum tanti pretii, jam tunc ipse primus fecit, quod alibi docet, cum dicit : « Nolite margaritas vestras mittere ante porcos, ne forte conculcent eas, et conversi lacerent vos (*Matth.* VII).» Item Sapientia docet, parvulis non esse solidum cibum, sed lac offerendum. Hoc, inquam, tunc ipse fecit, dum verbi sui thesaurum et margaritas secretorum cœlestium taliter signavit, ut nec porci invenire possent, nec parvuli pressi pondere deficerent. Profecto, si temporis illius statum respicias, homines aut contemptores erant nimis, aut simplices, præter paucissimos quos spiritus propheticus, qui in Moyse amplior erat, consilii sui conscios habere dignatus est. Exempli gratia : Core et Datan atque Abyron, et cæteri proceres Synagogæ, qui contra Dominum et contra Moysen steterunt subsannantes atque dicentes : « Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum vinearum (*Num.* XVI). » Nonne porci erant, qui conculcarent objectas sibi cum vidissent margaritas regni cœlorum ? Idcirco valde notandum quod cum sanctæ Scripturæ intentio tota tendat ad regnum cœlorum fere nusquam in omni Pentateucho ulla fit mentio de gloria ejusdem regni, vel comminatio gehennæ ignis verbis manifestis, præter quod dictum est in Cantico : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XII). » Minæ sunt ad deterrendum, ne peccent, de gladio de fame, de pestilentia, de malis bestiis. Promissionis vero, ad excitandum bonum studium, de agris et de vineis, de oppidis sive villis et civitatibus muratis, de ficetis et olivetis, de terra fluente rivis lactis et mellis, quibus videlicet nominibus et quæcunque vulgo intelliguntur, leviora sunt his quæ a spiritualibus spiritualiter sentiuntur, sed multo efficacius animos contingunt attendentium vel exspectantium, non illa quæ non videntur, sed illa tantum, quæ videntur. Profecto, si manifestius propriis jam tunc enuntiata fuisset de futuro sæculo illa dulcedo vitæ æternæ, et requies paradisi, quæ sub

A nomine terræ intelligitur lacte et melle manantis, parvuli quidem, quibus lacte opus erat, tanquam solidum cibum fastidirent, superbi autem tanquam porci margaritas conculcarent.

CAPUT XXVIII.

Exemplis probatur non expedivisse ut sacramenta Scripturæ apertis verbis prodantur, donec opere compleantur.

Quid de mysterio dicam tabernaculi mystici, quod sine dubio secundum exemplar cœleste Dominus fieri jussit ? Ait enim : « Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* XXV).» Si res ipsa, scilicet sacramenta incarnationis, passionis et resurrectionis suæ, quorum illa exemplaria fuerunt, verbum ipsum palam tunc describi
B jussisset, quis portare potuisset ? Ut de multis unum exempli gratia proponam, illud quod in Deuteronomio taliter dictum est. « Et erit vita tua quasi pendens ante te, et non credes vitæ tuæ (*Deut.* XXVIII). » Si paulo manifestius dici placuisset, Isaiam serratum esse accipimus, quasi justo et legis judicio damnatum, eo quod dixerat : « Vidi Dominum sedentem, super solium excelsum (*Isa.* VI). » Contrarius enim ipsi Domino in hoc dicto esse judicatus est, quia de seipso dixit : « Non enim videbit me homo, et vivet.» Si ergo ille ab hominibus damnatus est, quia dixit : « Vidi Dominum sedentem. » Quid fieret de Moyse? Si ubi dixit : « Erit vita tua pendens ante te (*Deut.* XXVIII), » et non credes vitæ tuæ, ita manifestius dixisset. Crucifiges et pendere
C **550** facies Dominum tuum ante te, et resurrexisse non credes eumdem auctorem vitæ ? Laudabilis igitur providentia Verbi in eo quod per Scripturam et mundo innotuit, et mundo sese abscondit, taliter eamdem Scripturam contemperans, ut quasi liber signatus, carnales illius temporis oculos effugeret, et custodiretur venturis spiritualibus, quibus in suo tempore utiliter aperire posset. Custodibus suis statim mercedem qualem cupiebant larga manu dedit, sicut scriptum est : « Et dedit illic regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant (*Psal.* CIV). » Atque ita factum est, ut quamvis plerique ipsorum imbelles existerent, attamen pugnaturis in militia Verbi Dei arma ferrent, miroque modo pu-
D gnatorum longe post futurorum præcursores atque armigeri existerent. Hoc ipsum prævidens Dominus, dicebat ad Moysen : « Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam, te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est (*Num.* XIV). » Denique etsi non statim factum est, Moyse interveniente, at nunc videmus impletum, quia percussi sunt Judæi, et super aliam gentem, scilicet super omnem sanctam Ecclesiam Moyses princeps et magister revelata facie constitutus est.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quorum animalium septem illa capita draconis similia fuerint.

De primo capite draconis, qui ante mulierem parituram stetit, ut cum peperisset devoraret filium ejus (*Apoc.* XII), id est de primo regno, quod contra Verbum Dei, et promissa persecutionem excitavit, ut non perficeretur propositum ejus, jam dictum est, qualiter triumphaverit Verbum Dei, Verbum Deus. Nunc jam de secundi capitis excidio narraturi, opportunum esee arbitramur, ut quomodo septem capita sunt, et diversa habent facies, singulas singulorum capitum facies clara contemplatione discernamus. Ecce ex Scripturarum judicio patenter animadvertere licet, quia primum caput simile erat draconi: secundum, simile erat vitulo; tertium, B simile leoni; quartum, simile urso; quintum, simile pardo; sextum, cæteris dissimile bestiis; septimum, simile homini. « Draconi namque, qui est in mari assimilatus es, » ait Dominus per Ezechielem super Pharaonem regem Ægypti (*Ezech.* XXXII). Non necesse est hoc longis probare documentis, cum ubique in omni Ecclesia notum sit, et celeberrimum, quod Pharao ille carneus, populum Dei servituti subjiciens, et per mare transeuntem persequens atque submersus in mari cum curribus et equitibus suis, typus diaboli fuerit, cui post servitutem peccati a populo, confugiente ad Christum abrenuntiatur cum omnibus pompis suis. Idcirco primum illud caput recte est simile draconi. De cæteris capitibus sive faciebus, ratio nihilominus in promptu est. Secundi C namque capitis faciem, id est Israelitici regni qualitatem, idcirco similem vitulo animadvertimus, quia statim post exitum de Ægypto, caput vituli formavit idem populus, et adoravit illud. Et tunc quidem caput illud ad tempus repressum fuit, sed ubi temporis opportunitas accessit, confestim eamdem faciem dupliciter, id est, duos vitulos reformavit regnum illud scissum a domo David (*III Reg.* XII), et colendo atque defendendo illos, præcones verbi Dei interficit. Deinde tertii, quarti, quinti atque sexti capitis facies Daniel exprimit. Prima, inquit, quasi leæna, quia videlicet regnum Babylonicum secundum similitudinem leænæ duobus malis abundavit, superbia videlicet, et luxuria. Alia bestia, scilicet regnum Medorum atque Persarum, « similis, ait, urso, » scilicet propter crudelitatem Aman D Agagitæ hostis Judæorum. Bestia tertia, vel regnum Macedonum, « quasi pardus, » inquit, nimirum propter varietatem Græcorum, et sævitiam Alexandri Magni, et Antiochi, qui in Judæos impie desæviit. Bestia quarta, videlicet regnum Romanorum, non dicitur cui similis fuerit, quia regnum illud magni- A tudine et fortitudine cunctis dissimile exstitit, et contra fidem Verbi incarnati plus omnibus et terribilius infrenduit. Post illa duo superiora, et ista quatuor inferiora capita sive regna, septimum futurum est caput, cujus facies similis homini, scilicet regnum Antichristi, qui homo peccati, et filius erit perditionis. Nunc ordinem persequamur.

CAPUT II.

Quod facies secundi capitis, facies vituli fuerit, quem fecit Aaron, et quomodo tunc mulier in utero habens clamaverit.

Interea dum in monte cum Moyse Dominus, vel cum Domino Moyses loqueretur, serpens antiquus primo capite exarmatus, jam aliud caput erigere properabat contra Deum et Verbum ejus. Videns namque populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, formavit, et fecit vitulum conflatilem. « Et hi sunt, inquit, dii tui, Israel (*Exod.* XXXII). » Item dixerunt alter ad alterum: « Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum (*Num.* XIV). » Quis nisi diabolus serpens antiquus hoc machinatus **551** est? Illud intendens, ut offensus Deus populi reatu, verbique sui ac promissionis oblitus, a proposito suo averteretur. Sed clamavit mulier illa in utero habens, videlicet Moses, cujus anima ejusdem mulieris, scilicet Ecclesiæ pars erat, clamante et orante Dominum Deum suum, ac dicente: « Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum? Recordare Abraham, et Isaac et Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cœli (*Exod.* XXXII). » Hæc et cætera dicens, nimirum vehementer cupiebat justificari Deum in sermonibus suis, et vincere victoria veritatis, et per virtutem hujuscemodi intentionis Domini dicentis: « Dimitte me, ut irascatur furor meus (*ibid.*). » Fortis homo tenere potuit, quia revera fortis est, et apud Deum et apud homines quicunque Verbi Dei fidus auditor est, id est, qui optat sicut David, ut Deus in sermonibus suis justificetur, et vincat cum judicatur. Itaque, sicut jam supra dictum est, facies secundi capitis similis vitulo exstitit, sed tunc gladium caput illud habere non potuit, quia non sibi ducem constituerunt, imo statim ducem suum vindicemque contra vitulum suum, Deum suum experti sunt, quam fortem haberet justitiæ zelum, cum esset mitissimus omnium hominum. Ille namque iratus valde, projectis de manu tabulis atque confractis, vituloque combusto et contrito usque ad pulverem: « Si quis est Domini, ait, jungatur mihi (*ibid.*). » Congregatisque ad eum omnibus filiis Levi: « Ponat, inquit, vir gladium super femur suum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum (*ibid.*). »

thesaurus nobilis, quem qui invenit, id est, qui intelligit recte gratulatur et veraciter Domino dicit : « Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti (*Psal.* CXVIII.) » Qui hoc invento delectati, universa quæ habebant, vendiderunt, et agrum hujusmodi emerunt, ut exonerati sæcularibus negotiis, vacare possent, et intendere vel meditari in illa lege Domini, et necdum potuerunt, nec nisi ex parte cognoscere potuerunt, senserunt Dominum latentem illic in factis figurativis et dictis mysticis.

CAPUT XXVII

Hunc thesaurum ideo absconditum fuisse, ne parvuli quibus lacte opus erat, solidum cibum non ferre possent, et porci margaritas pedibus subjectas conculcarent.

Plane sic abscondendo thesaurum tanti pretiii, jam tunc ipse primus fecit, quod alibi docet, cum dicit : « Nolite margaritas vestras mittere ante porcos, ne forte conculcent eas, et conversi lacerent vos (*Matth.* VII).» Item Sapientia docet, parvulis non esse solidum cibum, sed lac offerendum. Hoc, inquam, tunc ipse fecit, dum verbi sui thesaurum et margaritas secretorum cœlestium taliter signavit, ut nec porci invenire possent, nec parvuli pressi pondere deficerent. Profecto, si temporis illius statum respicias, homines aut contemptores erant nimis, aut simplices, præter paucissimos quos spiritus propheticus, qui in Moyse amplior erat, consilii sui conscios habere dignatus est. Exempli gratia : Core et Datan atque Abyron, et cæteri proceres Synagogæ, qui contra Dominum et contra Moysen steterunt subsannantes atque dicentes : « Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum vinearum (*Num.* XVI). » Nonne porci erant, qui conculcarent objectas sibi cum vidissent margaritas regni cœlorum ? Idcirco valde notandum quod cum sanctæ Scripturæ intentio tota tendat ad regnum cœlorum fere nusquam in omni Pentateucho ulla fit mentio de gloria ejusdem regni, vel comminatio gehennæ ignis verbis manifestis, præter quod dictum est in Cantico : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XII). » Minæ sunt ad deterrendum, ne peccent, de gladio de fame, de pestilentia, de malis bestiis. Promissionis vero, ad excitandum bonum studium, de agris et de vineis, de oppidis sive villis et civitatibus muratis, de ficetis et olivetis, de terra fluente rivis lactis et mellis, quibus videlicet nominibus et quæcunque vulgo intelliguntur, leviora sunt his quæ a spiritualibus spiritualiter sentiuntur, sed multo efficacius animos contingunt attendentium vel exspectantium, non illa quæ non videntur, sed illa tantum, quæ videntur. Profecto, si manifestius propriis jam tunc enuntiata fuisset de futuro sæculo illa dulcedo vitæ æternæ, et requies paradisi, quæ sub nomine terræ intelligitur lacte et melle manantis, parvuli quidem, quibus lacte opus erat, tanquam solidum cibum fastidirent, superbi autem tanquam porci margaritas conculcarent.

CAPUT XXVIII.

Exemplis probatur non expedivisse ut sacramenta Scripturæ apertis verbis prodantur, donec opere compleantur.

Quid de mysterio dicam tabernaculi mystici, quod sine dubio secundum exemplar cœleste Dominus fieri jussit ? Ait enim : « Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* XXV). » Si res ipsa, scilicet sacramenta incarnationis, passionis et resurrectionis suæ, quorum illa exemplaria fuerunt, verbum ipsum palam tunc describi jussisset, quis portare potuisset ? Et de multis unum exempli gratia proponam, illud quod in Deuteronomio taliter dictum est. « Et erit vita tua quasi pendens ante te, et non credes vitæ tuæ (*Deut.* XXVIII). » Si paulo manifestius dici placuisset, Isaiam serratum esse accipimus, quasi justo et legis judicio damnatum, eo quod dixerat : « Vidi Dominum sedentem, super solium excelsum (*Isa.* VI). » Contrarius enim ipsi Domino in hoc dicto esse judicatus est, quia de seipso dixit : « Non enim videbit me homo, et vivet. » Si ergo ille ab hominibus damnatus est, quia dixit : « Vidi Dominum sedentem. » Quid fieret de Moyse? Si ubi dixit : « Erit vita tua pendens ante te (*Deut.* XXVIII), » et non credes vitæ tuæ, ita manifestius dixisset. Crucifiges et pendere **550** facies Dominum tuum ante te, et resurrexisse non credes eumdem auctorem vitæ ? Laudabilis igitur providentia Verbi in eo quod per Scripturam et mundo innotuit, et mundo sese abscondit, taliter eamdem Scripturam contemperans, ut quasi liber signatus, carnales illius temporis oculos effugeret, et custodiretur venturis spiritualibus, quibus in suo tempore utiliter aperire posset. Custodibus suis statim mercedem qualem cupiebant larga manu dedit, sicut scriptum est : « Et dedit illic regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant (*Psal.* CIV). » Atque ita factum est, ut quamvis plerique ipsorum imbelles existerent, attamen pugnaturis in militia Verbi Dei arma ferrent, miroque modo pugnatorum longe post futurorum præcursores atque armigeri existerent. Hoc ipsum prævidens Dominus, dicebat ad Moysen : « Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam, te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est (*Num.* XIV). » Denique etsi non statim factum est, Moyse interveniente, at nunc videmus impletum, quia percussi sunt Judæi, et super aliam gentem, scilicet super omnem sanctam Ecclesiam Moyses princeps et magister revelata facie constitutus est.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quorum animalium septem illa capita draconis similia fuerint.

De primo capite draconis, qui ante mulierem parituram stetit, ut cum peperisset devoraret filium ejus (*Apoc.* XII), id est de primo regno, quod contra Verbum Dei, et promissa persecutionem excitavit, ut non perficeretur propositum ejus, jam dictum est, qualiter triumphaverit Verbum Dei, Verbum Deus. Nunc jam de secundi capitis excidio narraturi, opportunum esse arbitramur, ut quomodo septem capita sunt, et diversa habent facies, singulas singulorum capitum facies clara contemplatione discernamus. Ecce ex Scripturarum judicio patenter animadvertere licet, quia primum caput simile erat draconi: secundum, simile erat vitulo; tertium, simile leoni; quartum, simile urso; quintum, simile pardo; sextum, cæteris dissimile bestiis; septimum, simile homini. « Draconi namque, qui est in mari assimilatus es, » ait Dominus per Ezechielem super Pharaonem regem Ægypti (*Ezech.* XXXII). Non necesse est hoc longis probare documentis, cum ubique in omni Ecclesia notum sit, et celeberrimum, quod Pharao ille carneus, populum Dei servituti subjiciens, et per mare transeuntem persequens atque submersus in mari cum curribus et equitibus suis, typus diaboli fuerit, cui post servitutem peccati a populo, confugiente ad Christum abrenuntiatur cum omnibus pompis suis. Idcirco primum illud caput recte est simile draconi. De cæteris capitibus sive faciebus, ratio nihilominus in promptu est. Secundi namque capitis faciem, id est Israelitici regni qualitatem, idcirco similem vitulo animadvertimus, quia statim post exitum de Ægypto, caput vituli formavit idem populus, et adoravit illud. Et tunc quidem caput illud ad tempus repressum fuit, sed ubi temporis opportunitas accessit, confestim eamdem faciem dupliciter, id est, duos vitulos reformavit regnum illud scissum a domo David (*II Reg.* XII), et colendo atque defendendo illos, præcones verbi Dei interficit. Deinde tertii, quarti, quinti atque sexti capitis facies Daniel exprimit. Prima, inquit, quasi leæna, quia videlicet regnum Babylonicum secundum similitudinem leænæ duobus malis abundavit, superbia videlicet, et luxuria. Alia bestia, scilicet regnum Medorum atque Persarum, « similis, ait, urso, » scilicet propter crudelitatem Aman Agagitæ hostis Judæorum. Bestia tertia, vel regnum Macedonum, « quasi pardus, » inquit, nimirum propter varietatem Græcorum, et sævitiam Alexandri Magni, et Antiochi, qui in Judæos impie desæviit. Bestia quarta, videlicet regnum Romanorum, non dicitur cui similis fuerit, quia regnum illud magni-

A tudine et fortitudine cunctis dissimile exstitit, et contra fidem Verbi incarnati plus omnibus et terribilius infrenduit. Post illa duo superiora, et ista quatuor inferiora capita sive regna, septimum futurum est caput, cujus facies similis homini, scilicet regnum Antichristi, qui homo peccati, et filius erit perditionis. Nunc ordinem persequamur.

CAPUT II.

Quod facies secundi capitis, facies vituli fuerit, quem fecit Aaron, et quomodo tunc mulier in utero habens clamaverit.

Interea dum in monte cum Moyse Dominus, vel cum Domino Moyses loqueretur, serpens antiquus primo capite exarmatus, jam aliud caput erigere properabat contra Deum et Verbum ejus. Videns namque

B populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, formavit, et fecit vitulum conflatilem. « Et hi sunt, inquit, dii tui, Israel (*Exod.* XXXII). » Item dixerunt alter ad alterum: « Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum (*Num.* XIV). » Quis nisi diabolus serpens antiquus hoc machinatus **551** est? Illud intendens, ut offensus Deus populi reatu, verbique sui ac promissionis oblitus, a proposito suo averteretur. Sed clamavit mulier illa in utero habens, videlicet Moses, cujus anima ejusdem mulieris, scilicet Ecclesiæ pars erat, clamante et orante Dominum Deum suum, ac dicente: « Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum? Recordare Abraham, et Isaac et Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cœli (*Exod.*

C XXXII). » Hæc et cætera dicens, nimirum vehementer cupiebat justificari Deum in sermonibus suis, et vincere victoria veritatis, et per virtutem hujuscemodi intentionis Domini dicentis: « Dimitte me, ut irascatur furor meus (*ibid.*). » Fortis homo tenere potuit, quia revera fortis est, et apud Deum et apud homines quicunque Verbi Dei fidus auditor est, id est, qui optat sicut David, ut Deus in sermonibus suis justificetur, et vincat cum judicatur. Itaque, sicut jam supra dictum est, facies secundi capitis similis vitulo exstitit, sed tunc gladium caput illud habere non potuit, quia non sibi ducem constituerunt, imo statim ducem suum vindicemque contra vitulum suum, Deum suum experti sunt, quam fortem haberet justitiæ zelum, cum esset mitissimus

D omnium hominum. Ille namque iratus valde, projectis de manu tabulis atque confractis, vituloque combusto et contrito usque ad pulverem: « Si quis est Domini, ait, jungatur mihi (*ibid.*). » Congregatisque ad eum omnibus filiis Levi: « Ponat, inquit, vir gladium super femur suum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum (*ibid.*). »

CAPUT III.

Quod item caput sublatum ad tempus, sub Jeroboam denuo erectum sit.

Et tunc quidem ex oculis sublatum est caput illud draconis, scilicet vitulus, sed ex animo populi nunquam penitus fuit amotus. Ejusmodi Deus semper erat illis in appetitu, sed sub severis judicibus prohibebantur, usque ad tempus Roboam filii Salomonis filii David. Illo succedente patri, scissæ sunt decem tribus a domo David, et fecerunt sibi regem Jeroboam, qui excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, posuitque unum in Bethel, et alterum in Dan, dixitque idipsum, quod filii Israel formato, ut jam dictum est, vitulo in deserto, dixerant: « Ecce dii tui, Israel, qui duxerunt te de terra Ægypti (*III Reg.* XII; *Exod.* XXXII). » Tunc toto conamine erexit se contra mulierem secundum caput draconis, habens, ut jam dictum est, faciem vituli. Cœpit enim uti gladiis, et interficere et persequi maxime prophetas Verbi Domini. Eatenus, ex quo Pharao interiit, et nullus regum gladios habuit ad causam hanc, ut prohibere posset Deo vero sacrificari, et annuntiari verbum Domini, quidquid interim egit avertendo populum a cultu Dei, non tanquam draco bellator, sed tanquam serpens deceptor egit, per eumdem sexum populum decipiens, per quem et primum deceperat hominem sine vi. Duxerunt enim uxores filias eorum, ipsique filias suas eorum filiis tradiderunt, et serviebant diis eorum (*Jud.* III). Hinc iratus Dominus tradebat eos in manus hostium, a quibus afflicti clamabant ad Dominum. Dominus quoque flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et suscitabat eis judices, et liberavit eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset judex revertebantur et multo majora faciebant, sequentes deos alienos, et servientes eis, et adorantes illos (*Jud.* II). Inde serpens inermis exstitit, nec tanquam draco bellare potuit, quia judicem aut principem neminem ex omnibus possedit, cujus vi posset uti ad deterrendum illos a cultu Domini, quinimo fere omnes judices strenue gesserunt suis quinque temporibus, astringendo populum ad custodiam legis Domini.

CAPUT IV.

Quod per judices Dominus populum ab idololatria represserit, et ab hostibus defenderit, vincente per eos Verbo Dei.

Eorumdem omnis victoria judicum, profecto victoria Verbi Dei est, quia videlicet non in multitudine exercitus, sed in Verbo Domini vicerunt, liberantes Israel ab oppressione hostium de Othoniel, qui primus illorum videlicet duodecim judicum exstitit, ita scriptum est: « Fuitque in eo Spiritus Domini et judicavit Israel. Egressusque est ad pugnam, et tradidit Dominus in manus ejus Chusan Rasathaim regem Syriæ et oppressit eum (*Jud.* III). » Post illum secundus Ahud, qui liberavit Israel de manu Moab, dum percuteret regem Eglon. « Verbum, inquit, Domini habeo ad te (*ibid.*). » Statimque dictum ejus, quod secum haberet Verbum Domini, verum esse res ipsa probavit, quia videlicet victus et humiliatus est Moab de illo sub manu Ahud, et terra quievit. Post illum, Samgar defendit Israel. Procul dubio non virtute humana, sed virtute ejusdem Verbi, cujus rei testimonium illud est in signo quod percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere. Deinde Barach dum pergit ad pugnam contra Sisaram principem exercitus Jabin regis Chanaan, dixit ad eum prophetes Debora: « In hac vice tibi victoria non reputabitur, quia in manu mulieris tradetur Sisara (*Jud.* IV); » quod et factum est. Nam Jahel uxor Abercinei percussit eum in capite, quærens vulneri locum, et tempus valide perforans. De Gedeon quis nesciat quod victoria, qua Madian et Amalech, cæterosque orientalium nationum vicit, victoria fuerit Verbi Dei? cum trecentis viris ad pugnam ivit, tenentibus in sinistris manibus lampades, et in dexteris sonantes tubas, illisque conclamantibus: « Gladius Domini, gladius Gedeonis (*Jud.* VII), » stantibus singulis in loco suo immisit Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant. Nimirum ejusmodi bellum et victoria non hominis, sed Dei est. De Jephte non sic elucet, quod pugnaverit in eo Verbum Domini absque robore militari, excepto quod de illo scriptum est: « Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini et circumiens Galaad et Manasse votum vovit Domino, transivitque ad filios Ammon, tradiditque Dominus eos in manus ejus (*Jud.* XII). » De Samson nulla est dubitatio, quin fortitudo ejus, Verbum ipsum fuerit, cujus venturi in hunc mundum per incarnationis mysterium, mysteria præclarissima præclaris gestis præfiguravit (*Jud.* XV).

CAPUT V.

Judices nonnisi clamante ad Dominum populo suscitatos.

Judices isti non in silentio, sed clamore populi præeunte, suscitati sunt a Domino ut liberarent filios Israel, de vastantium manibus. Quid horum magis venerandum est? quid amplius potentiam vel sapientiam commendat Verbi Dei ad victoriam tendentis? Illud ne, quod tradidit eos in manus hostium, **552** ut clamarent, an quod clamantibus judices suscitavit qui eos liberarent? Nimirum in utroque omnipotens sermo tuus, Domine, tanquam durus bellator decertabat, ut non vacuum reverteretur ad te, qui salutem generis humani in ipso proposueras, et hoc Abrahæ promiseras. Maxime autem in hoc dirigebat salutis ejusdem cursum, quod tradebat Israel in manus hostium. Vexatio namque auditui debat intellectum, ut sæpe dicta mulier adversitatibus commonita, recogitaret, et memor fieret qualem in utero haberet conceptum, et quam necessarium sibi esset ut conceptus ille perveniret ad partum: Quid enim clamasse arbitramur juvenculam illius temporis vel ætatis Ecclesiam? Quoties illud legimus vel audimus: « Clamaverunt filii Israel ad Dominum; qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos

(*Jud.* III). » Profecto non vane illud nonnullos clamasse et clamando postulasse intelligimus, ut jam veniret iste Salvator, qui Abrahæ fuerat promissus, et per Mosen designatus, quali signo foret cognoscendus : « Prophetam, inquit, de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus (*Deut.* XVIII), » etc. Nunquid enim, quia solus Moses illum inclamasse manifeste legimus, nullus, vel eodem, vel sequenti tempore eumdem inclamasse putabitur ? Moses utique, cum in Ægyptum ad Pharaonem mitteretur, potius illum jam mitti cupiens qui plenam salutem perficeret : « Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es (*Exod.* IV). » Item, postquam vitulum fecerant, cum pro eodem populo deprecaretur inter cætera dicebat : « Præcipis mihi ut educam populum istum, et non indicas mihi quem missurus sis mecum, præsertim cum dixeris : Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me (*Exod.* XXXIII). » Unde animadvertendum quod eodem in illo recte dicitur idem Moses festinus, hoc modo : « Festinusque Moses curvatus est pronus in terram, et adorans ait : Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (*Exod.* III), » etc. Multum namque festinabat, quia cum dixisset Jacob : Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est (*Gen.* XLIX), » jam illum venire cupiebat, qui mittendus erat, parum attendere volens, quod de Juda non solum duces aut judices, verumetiam reges existere oporteret, priusquam ille veniret.

CAPUT VI.

Quam ob causam judices illi salvatores appellati sunt.

Quod de illo, videlicet Mose, manifeste scriptum est, de aliis quoque nonnullis sine dubio sciendum est. Neque enim ullo tempore sic deficit fides in Israel, ut non esset aliquis qui ejusdem venturi spem haberet, promissionemque exspectaret. Proinde recte dixerim hoc ipsum, quod tradidit Dominus filios Israel in manus hostium, de proposito fuisse Verbi Dei ad victoriam opusque perfectum tendentis ut videlicet mulier in utero habens magis ac magis clamaret, et cruciaretur, ut pareret. Hoc perpendenti animo, pulchrum valde et venerabile apparet, quod eosdem sic datos judices sacra Scriptura nuncupat salvatores. Exempli gratia : « Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et suscitavit eis salvatorem Othoniel (*Jud.* III). » Item : « Et postea clamaverunt ad Dominum, et suscitavit eis salvatorem vocabulo Ahud (*ibid.*). » Nam quid clamabant ad Dominum, nisi ut salvator qui mittendus erat, jam veniret ? Verbi gratia, ut diceret quisque illorum illud Mosi : « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es (*Exod.* IV). » Sed quia tempus adventus ejus nondum erat, illi qui interim mittebantur, ut liberarent populum temporaliter, recte sic dici merebantur, quia erant unici et veri Salvatoris vicarii, Salvatio per illos duplici modo, videlicet judicando et præliando, administrabatur : Judicando quippe, populum ab idolorum servitute cohibebant, præliando, ipsi in fronte gradientes, de hostibus quibus servierant fortiter vindicabant. Erant ergo in disciplina judices, in prælio duces, in utroque salvatores, sacramenta victoriasque Salvatoris æterni gestis præclaris et victoriis mysticis præfigurantes Sicut enim speculum oppositum soli similem reddit imaginem, ita et salvatorum et judicum illorum lucida fides Salvatori et judici æterno, cujus erant vicarii, similem prætulerant in gestis suis pulchritudinem.

CAPUT VII.

Duodecim judices et duodecim apostolos esse viginti quatuor seniores.

Sunt autem judices hi numero duodecim : primus Othoniel, filius Cenem, frater Caleph ; secundus, Ahud ; tertius, Samgar ; quartus, Barach ; quintus, Gedeon ; sextus, Chola ; septimus, Jair, octavus, Jephte ; nonus, Abesan ; decimus, Ahialon ; undecimus, Abdon ; duodecimus, Samson. Post istos sequitur regnum David, quem amato Saul, Samuel parvulum in regem unxit jussu et electione Domini, quod videlicet regnum David, regnum est Verbi incarnati Christi Filii Dei, quia sic angelus quoque de illo ad Mariam dixit : « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*Luc.* I). » Si ergo jam dictis duodecim judicibus totidem judices alios, scilicet apostolos connumeres : Quibus ait ipse Rex : « Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX), » ecce habes viginti quatuor judices, quos nimirum intelligi licet illos esse viginti quatuor seniores, de quibus in Apocalypsi scriptum est : « Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ (*Apoc.* IV). » Nam, per sedem illam quid splendidius intelli poest, quam illud jam dictum regnum David, regnum Christi Filii Dei, cui dedit Dominus Deus sedem David patris sui? Itaque in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores. » Quia videlicet et ante exordium regni David fuerunt illi duodecim judices, et in consummatione ejusdem regni, ubi sedet Rex Christus super sedem Patris sui, sunt illi alii duodecim judices, sessuri in æternum super duodecim sedes et judicaturi duodecim tribus Israel. Et recte seniores non solum isti, verum etiam illi dicti sunt, quia per maturitatem fidei suæ, populum Dei juveniliter lascivientem coercuerunt, et quia fornicatione ejusdem populi, quibus cum mulieribus alienigenis, et cum diis earum fornicabatur Israel, prout potuerunt judiciali manu absterserunt, recte vestimentis albis circumamicti dicuntur. Nihilominus, quia per illos actum est, ut ad propositum suum Dei Verbum percurreret et promissio non deperiret, servareturque genus Abrahæ, de quo semen benedictionis, quod est Christus, in tempore suo veniret, recte « in capitibus eorum

coronæ aureæ. » Jure namque cum victore Verbo Dei coronati sunt, quorum præliis et victoriis ad hoc uti dignatus est Deus, ut servato genere Abrahæ compleretur promissionis verbum.

553 CAPUT VIII.

Quare apostolis, non ut judicibus gladio uti licuerit.

Judicibus, sive senioribus posteris, scilicet apostolis, non eadem quæ prioribus illis ratio vel causa existitit, ut pro verbo, vel testimonio Dei prælantes, materialibus uterentur armis. Venerat enim temporibus illorum ipse qui mittendus erat, nec alius jam sperari poterat de carne Abrahæ venturus, in quo esset salus. Ut quid ergo pro carne protegenda, gladio materiali pugnaretur? Idcirco ille, qui ex illa carne exspectatus venerat, cum in passione sua diceret illis : « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super B mensam meam in regno meo. Et sedeatis super thronos duodecim judicantes duodecim tribus Israel, etc. (*Luc.* XXII) ; » Illique ad hæc responderent : « Domine, ecce gladii duo hic, statim hujusmodi gladios eis interdixit, ait enim : « satis est. » Itaque continuo cum percuteret unus ex illis gladio : « Sinite, inquit, usque huc (*ibid.*). » Et ad Petrum qui percusserat : « Converte, ait, gladium tuum in locum suum (*Matth.* XXVI). » Nempe quod ait, « satis est, » vel « sinite usque huc, » hoc dat intelligi quod sibi complacuerit ante adventum suum usque illuc usus gladii, quomodo usi sunt eo duodecim illi, de quibus nunc sermo est, judices primi. Jam autem sibi non placeret, ut uterentur illo, imo ut reconderent et C penitus deponerent eum judices illi novissimi contenti meliori gladio, qui jam venerat, qui jam datus erat, qui est ipsum Verbum Dei. Proinde sicut laudabiliter materialem gladium illi dimiserunt omnino quia jam non erat necessarius, ita nimirum isti laudabiliter illo usi sunt, quia tunc erat necessarius, ne videlicet prius radix bona deperiret, quam veniret fructus ejus. Recte igitur in omnium seniorum illorum capitibus coronæ aureæ, quia profecto juxta diversas rationes temporum, et istorum militaris industria, et illorum verbo Dei famulata est inermis patientia.

CAPUT IX.

Quantis in periculis versati sint judices Israel.

Et cum talis in præliando eorum, ut jam dictum est, fuerit intentio, considerandum est quod in illa D intentione bona, magno et lacrymabili fuerint fatigati periculo. Cum enim per singula fere prælia, sicut Scriptura testatur, fuerint paucissimi numero, non poterat deesse aliqua timoris infirmitas, cum ipso quamvis firmissimo fidei vel spei præsidio. Unde unus eorum Barach filius Abinoem canit cum Debora : « Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino (*Jud.* V). » Et rursus : « Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino (*ibid.*). » Non enim fuerunt aut sunt expertes patientiæ vel passionis in ipso usu gladii pro qua coronati sunt judices illi quibus, ut jam dictum est, pro ratione temporis usum gladii Verbum incarnatum Christus ademit. Placet itaque et multum delectat quod, sicut coronas aureas, ita tam isti quam illis, scilicet omnes viginti quatuor seniores, in eadem Apocalypsi citharas quoque et phialas dicuntur habere aureas : « Cum enim aperuisset Agnus librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas et phialas, aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum (*Apoc.* V). » Nonne, sicut ex jam dicto cantico memoratum est, cum offerrent animas suas ad periculum, cum offerrent semetipsos propria voluntate discrimini, orationes quoque offerebant necessarias angustiati et afflicti? Proinde, sicut victoriæ in coronis aureis, et sicut benedictiones quibus Domino benedicunt post victorias in citharis, ita et orationes, quibus in tempore angustiæ Deum exorabant, venerabiliter agnoscant in phialis aureis. Tanta quippe illorum angustia fuit ut pugnantibus eis non ferre auxilium, magni fuerit sceleris, testante eodem cantico verbi hujuscemodi : « Maledicite terræ Meroth, dixit angelus Domini ; maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus (*Jud.* IV). »

CAPUT X.

Quare Heli ad numerum duodecim Judicum non pertineat.

Forte dicit quis : Heli sacerdos Domini ipse quoque Israel judicavit, sicut scriptum est : « Senex enim vir et grandævus et ipse judicavit Israel quadraginta annis (*I Reg.* IV). » Cur ergo cum cæteris judicibus ille non adnumeratur ? an idcirco de numero tollitur, ut pulchram collationem tibi facere liceat, et tot numerare judices ante regnum David, quot habere judices alios, scilicet apostolos, regnante jam Christo filio David ? Ad hæc, inquam, non idcirco, ut tantum duodecim judices numeremus, jam dictum Heli de numero tollimus, sed idcirco, quia ille de numero tollitur, idcirco tantum duodecim judices habemus. Quorum [de] gestis liber ipse contextus est qui Judicum nuncupatur, quorum et nomina superius digessimus. Quomodo ille, vel quam ob causam de numero tollitur ? Nimirum propter contemptum Verbi Domini. Quia in diebus ejus calce objicere legem Domini nimia fere omnibus licentia fuit. Notandum quippe quod mortuo Samsone, qui jupicavit Isral viginti annis, dignum non existimavit Scripturæ sacræ auctoritas, ut diceret : Post hunc fuit vel huic successit Heli, licet judicaverit Israel, ut jam dictum est, quadraginta annis. Sed inter infelices dierum illorum historias ista querela frequens est : « In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat (*Jud.* XII). » Quid nisi vecordiam sacerdotis accusat, et judicis ejusmodi hoc dicendo ? Item namque est ac si dicat : Qui in diebus istis judicabat Israel, et si secundum nomen personamque aliquis erat, secundum rem meritumque nullus erat. Tan-

A dem missum est contra illum Verbum Domini, cum quo vel per quod judices vel seniores omnes, tam veteres quam novi, meruerunt sedere coronati. « Prædixi enim, ait Dominus, quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverit indigne agere filios suos, et non corripuit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum (*I Reg.* III). » Post hæc dicta ejus, finis probat, quantum a cunctis judicibus sive senioribus coronatis, ut jam dictum est, et super sedilia sedentibus, meritum ejus differat. Vir ille qui ex acie fugerat, nuntiabat ei dicens : « Fugit Israel coram Philisthiim, et ruina magna facta est in populo. Insuper et duo filii tui Ophni et Phinees occisi sunt, et arca Dei capta est. Cumque ille nominasset B arcam Dei, cecidit Heli de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est (*I Reg.* V). » Nimirum cadendo de sella retrorsum et fractis cervicibus moriendo palam fecit quod neque sedile, neque coronam **554** auream mereretur habere inter judices alios. Proinde confestim condolendo Scriptura subjungit : « Senex enim erat vir et grandævus, et ipse judicavit Israel quadraginta annis (*ibid.*). » Dolendum quipqe est illi, quod cum tot annis judicaverit Israel, nihil usquam memorabile, vel judicis officio dignum gessit.

CAPUT XI.

Quid sit apud Isaiam, « voca nomen ejus, accelera spolia detrahere, festina prædari. »

C Quæ vel quanta in gestis eorumdem judicum signata sint mysteria judicis æterni, Verbi Dei Jesu Christi, perquirere præsentis non est propositi. Verumtamen hoc in laudem ejusdem Verbi Dei, ejusdem Jesu Christi breviter dictum sit, quia recte vocatum est nomen ejus apud Isaiam: « Accelera spolia detrahere, festina deprædari (*Isa.* VIII). » Quia videlicet qui victoriosos judices illos fecit, et per illos vicit, ipse est Christus Jesus Verbum Dei. Ex hoc namque vocatus « accelera spolia detrahere, festina prædari, » quia antequam puer fieret, et sciret vocare patrem suum, et matrem suam, id est, antequam nasceretur de muliere, et subditus parentibus experiretur infirmitatem nostram, abstulit fortitudinem Damasci et spolia Samariæ, quæ videlicet Damascus et Samaria tunc D junctis viribus Judam, unde nasciturus erat idem puer, debellabant et exterminare volebant. Plane grandis acceleratio, magna festinatio quempiam prius spolia detrahere, quam de matre natum esse, prius in bello prædari quam in utero concipi. Nunquid autem ipsum solum prius fecit? nunquid solius Samariæ spolia, solius Damasci fortitudinem prius abstulit. Imo et anterius ipse in judice Samsone et prædatus est, et spolia detraxit, ut ille in mandibula asini, in maxilla pulli asinarum mille viros deleret, tandemque plures moriens interficeret quam antea vivus occiderat. Similiter et in cæteris ipse spolia detraxit, ipse prædatus est, et Israel defendit, nondum puer aut homo factus, sed ab æterno Deus Verbum Dei.

CAPUT XII.

Idem Verbum Dei et per David vicisse, quod antea per judices vicerat.

Quod si recte, imo quia recte sentitur de judicibus memoratis, quanto magis idem de victoriis sentiendum est regis David, qui post illos sedit in solio regni ? Quis enim alias victorias illas fecit per manus David, nisi idem nondum ex ipso natus filius David, cujus nomen vocatur, ut jam dictum est, accelera spolia detrahere, festina prædari ? Ipse est filius David, Filius Dei, Verbum Deus, Verbum Dei, qui multum acceleravit, multum festinavit, celerrime spolia detraxit, festinanter prædatus est. Quia videlicet, antequam sciret vocare patrem suum David, et matrem suam Virginem ex stirpe David, percussit Goliath Philistæum in manu ejusdem David adhuc pueri, nedumque filium ullum habentis. Et cætera fecit per eum quæ usque hodie miramur in tribus fortissimis David, scilicet sapientia, humilitate atque fortitudine ejus, in quibus cæterorum nullus ei adæquari potuit. David enim « sedens in cathedra sapientissimus (*II Reg.* XXIII), » hoc est præconium sapientiæ ejus. « Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus (*ibid.*), » hoc est testimonium humilitatis ejus. Qui octingentos interfecit impetu uno, hoc est experimentum fortitudinis ejus. Quis, inquam, alius in David, et per ejusmodi fortissimos David operatus est, nisi Verbum Deus filius carnis ejus futurus, ita præsens ipsi David ut jam in persona ejus ipse David loqueretur, ipse in eodem David propriis vocibus suis de semetipso futura, quasi jam præterita vaticinaretur ? Exempli gratia : « Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu (*Psal.* II). » Item : « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI). » Non opus est astruere quod omnibus notum est, voces istas esse proprias ejus, qui cum in forma Dei esset, humiliare semetipsum habebat, ita ut crucifigeretur (*Phil.* II) quod est fodi manus et pedes ejus. Non ergo mirum, quod pugnabat jam et triumphabat Verbum ipsum per manum David, cum loqueretur in sua persona per os David.

CAPUT XIII

Quare David non ædificaverit domum Domini.

Sed ecce hic illud occurrit, quod (sicut refert Scriptura libri Paralipomenom) dixit ipse David ad Salomonem filium suum : « Fili mi, voluntatis meæ fuerat ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei, sed factus est ad me sermo Domini dicens : Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me (*I Par*, XXII). » Item ad populum : « Audite, ait, me fratres mei et populus meus : cogitavi ut ædificarem domum in qua requiesceret arca fœderis Domini, et scabellum pedum

Dei nostri, ad ædificandum omnia præparavi. Deus autem dixit mihi : Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fuderis (*I Par.* XXVIII). » Dicit ergo aliquis : Si prædia quæ gessit David, merita vel dignitatem ejus diminuerunt, ut non mereretur ædificare domum nomini Domini, quomodo tu dicis eadem prælia David prælia fuisse Verbi Domini, et idcirco recte concelebrari laudibus ecclesiasticis ? Vel si jure prælia sive victorias ejus concelebrat Ecclesia, ut vere bella Domini, cur propter illa « non poteris, ait Dominus, domum nomini meo ædificare, tanto effuso sanguine coram me?» Ad hæc, inquam, non omnia bella quæ gessit David ascribimus Verbo Domini, sed ea tantum quæ gessit in Verbo Domini, zelo Domini, pro defensione populi Domini, quorum primum vel maximum fuit, quod percussit Philisthæum, qui blasphemavit Deum Israel, et abstulit opprobrium ab Israel. Cæterum ea quæ gessit, ut vir bellator exercitio militari, non a Deo prædicantur, nisi ubi manifeste operata est virtus nominis Domini. Maxime autem sanguinem Uriæ Ethæi in peccatum et magni meriti diminutionem sibi reputare potuit (*II Reg.* X). Unde notandum quod, antequam sanguinem illius effudisset, factum quidem est quod Scriptura refert, venisse Nathan ad David, Domino dicente : « Non tu ædificabis mihi domum ad habitandum (*II Reg.* VII). » Sed causa ista ibi dicta non est, eo quod vir bellator sis, et sanguinem effuderis, quando ipse ad Salomonem filium suum sive ad populum, sic et sic locutus est, ut jam diximus. Jamdudum sanguinem Uriæ fuerat, et maxime cum illius meritum ejusmodi sibimet diminutum existimare poterat. Igitur si nullum interfecisset, nisi pro zelo Domini, cooperante verbo Domini, hoc indubitanter sciendum, quia nihil sibi obfuisset effusio sanguinis ad ædificandum domum Domini. Nam et Moyses **555** Ægyptium interfecit, et nihilominus tabernaculum Domini in eremo, et omnem ritum sanctuarii facere vel ordinare dignus exstitit. Et Phinees zelo bono virum Israelitem cum Moabitide fornicantem pariter confodit, et propter hoc : « Ecce, inquit, Dominus, do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi quam semini illius pactum sacerdotii sempiternum (*Num.* XXV). »

CAPUT XIV.

Projecto Saul, et electo David, impletum esse quod dictum est : « Dominus pauperem facit ac ditat, humiliat et sublimat. »

In isto primum magnifice impleta est verbi Domini veritas, quam paulo ante ipsum ore prophetico Anna cecinerat : « Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublimet, suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat (*I Reg.* II).» Tunc enim, cum dives et sublimis esset Saul, hic autem pauper et humilis, tanta permutatio facta est ut hic pauper et humilis dives fieret, et hic sublimis suscitatus de pulvere, et tenens solium gloriæ. Saul autem ita pauper et humiliatus est, ut maligno spiritui traditus, suimet impos existeret. Hæc talia sunt qualia considerans quisque recte dicat : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C). » Magna quippe in David misericordia, magnum in Saul judicium, magnum in utroque exemplum, ut obediatur verbo Domini. Etenim, si recte perpendis, propter inobedientiæ peccatum Saul abjectus est, dicente Samuele : « Nunquid vult Dominus holocausta, aut victimas, et non potius ut obediatur voci Domini ? Melior enim et obedientia quam victimæ, et auscultare magis, quam offerre adipem arietum, quoniam est quasi peccatum ariolandi repugnare, et quasi zelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex (*I Reg.* XV). Cum hoc antiquiore testimonia vera et illa sententia posterior ejusdem Verbi incarnati, qua dicit : « Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, spargit (*Matth.* XII), » quod est dicere : Quantumcunque quis offerat, quantascunque videatur habere virtutes, si Verbum Domini contemnit, versa vice contemnit eum Verbum Domini, et vilis fit atque contemptibilis, et ipsa etiam quæ videntur ab eo recte facta, præsumptioni et vanæ gloriæ reputabuntur, non mercedi.

CAPUT XV.

Quomodo Saul, et quomodo David contempserint verbum Domini.

At vero quomodo David quoque Scriptura redarguit de contemptu verbi Domini, dicente ad eum Domino:« Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo ? Uxorem Uriæ Ethæi tulisti, et ipsum interfecisti gladio filiorum Ammon (*II Reg.* XII). » Diligenter distinguendum est, ne Saul videatur compar David in quantitate peccati, in contemptu verbi Domini. Dicimus ergo omnes quidem peccatores, verbi gratia, mœchos sive homicidas, in hoc ipso quod mœchati sunt, vel occiderunt, contempsisse verbum Domini. Quia videlicet omni homini, absque personarum distinctione dicit lex scripta, dicit lex naturalis : « Non occides, non mœchaberis (*Exod.* XX) ; » et : « Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris (*Tob.* IV). » Contempsit ergo David quoque quodammodo verbum Domini, quia videlicet non ignorabat Scripturam et voluntatem Domini sive verbi Domini, et tamen mœchatus est, et occidit. Verumtamen plurimum differt modus peccati sive prævaricationis, quando idipsum quod communiter omnibus imperat lex sive verbum Domini, singulariter personæ cuilibet indicit Dominus, aut verbum Domini, et sic quoque contemnitur dignatio Domini, nec obeditur illi. Hujus criminis tam magni, contemptus, reus exstitit Saul, Nam in Exodo dixerat Dominus ad Mosen : « Scribe hoc ob monimentum in libro et trade auribus Josue. Delebo enim memoriam Amalech sub cœlo (*Exod.* XVII), » statimque subjunctum est ibidem:« Ædificavit Moses altare et vocavit nomen ejus Dominus exsul-

tatio mea, dicens : Quia manus solius Domini et bellum Dei erit contra Amalech in generatione et generationem (*Exod.* VII). » Hoc modo dictum fuerat communiter cunctis, ut essent hostes Amalech, et memoriam ejus delere ceperent causa Domini. Singulariter vero post multa tempora Saulem Dominus ejusdem belli sui ministrum esse voluit, ita dignatione sua præcipiens illi : « Recensui quæcunque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, et percute Amalech, sive vade, et interfice peccatores Amalech, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum (*I Reg.* XV). » Hanc dignationem Domini parvipendit, hunc sermonem Domini contempsit ille jam non parvus in oculis suis. Talis contemptus nequaquam reus exstitit David, quinimo in omnibus quæcunque B personæ ejus sunt mandata in sermone Domini, strenue adimplevit, et, ubi de transgressione legis communis redargutus est, humilem obtulit confessionem, dicens : « Peccavi (*II Reg.* XII), » non in corde duplici.

CAPUT XVI.

Quod utrique se peccasse confessi sint, et quare hujus confessio accepta, illius rejecta sit.

Conferre nunc libet utriusque confessiones quomodo et Saul, peccavi, dixit, eodem verbo quo David. Quæ causæ eamdem in ambobus vocem confessionis discernant, non longe quærantur. Non statim ex subsequentibus ipsorum sermonibus inveniuntur. Cum dixisset Samuel ad Saul : « Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit C te Dominus, ne sis rex super Israel. Porro, triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. Ille ait : Peccavi, sed nunc honora me coram senibus populi mei, et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum (*I Reg.* XV). » David autem dicit : « Miserere mei, Deus, quia tibi soli peccavi. Miserere mei, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L). » Perpende nunc quam longissime contra invicem causæ istæ disparentur, quia videlicet dicendo « peccavi, » alter propriam gloriam quæsivit, alter gloriam Dei. Saul dicendo « peccavi, » et subjungendo. « sed nunc honora me coram senibus populi mei, » quos debemus intelligere homines suæ tribus, scilicet filios Benjamin, « et co- D ram Israel, et revertere mecum ut adorem Dominum, » nonne propriam gloriam quæsivit ? Homo quippe sæcularis animi, totusque deditus ambitioni, etiam ad adorandum Dominum pompatice solitus ingredi, hoc dolebat, si in tempore tali, in tanti triumphi festivitate, tantus prophetas sese subtraheret ejus comitatui, et idcirco semel, et iterum **556** dicebat, « peccavi. » Profecto hujusmodi intentationis confessione semetipsum vinci non patitur omnipotens sermo Domini, unde et hoc ille audire meruit : « Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur. » At vero David dicendo : « Miserere mei, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris, » nonne, sicut jam dictum est, gloriam Dei quæsivit ? Homo quippe humilis spiritu, cum cura suæ salvationis, maximam habebat sollicitudinem pro gloria Dei, quam in eo considerabat, ut ille fidelis in promisso, verus et justus prædicaretur in juramento, quod illum promisisse atque jurasse testatus fuerat, dicens : « Juravit Dominus David, veritatem et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI). » Pro hoc, inquam, sollicitus, ne sua iniquitate superatus promissum solveret, juramentumque irritum faceret, dicebat desiderantissimus gloriæ Dei, « ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris : » quod est dicere, ut fidelis permaneas Deus, ut sermo tuus, qui factus est ad me, non sit in illo, est et non, sed sit in illo, est, nec judicari possis, quod levitate aut mutabilitate usus sis. Et sicut de cæteris, ita quoque de isto promisso vel juramento ad me facto veraciter omnis sexus, omnis ætas dicere possit, et ego cum illis. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Ideo et per ipsum amen Deo ad gloriam nostram. Propterea cum diceret : « Peccavi Domino, » statim audire meruit hoc in verbo Domini, « Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Non morieris (*II Reg.* XII). »

CAPUT XVII.

David exauditum esse, quia secundum voluntatem Dei petierat.

Exauditus est igitur David, et recte, quia secundum voluntatem Dei petivit, dicendo : « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L). »—« Hæc est, inquit Joannes, fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos (*I Joan.* V). » Erat enim voluntas Dei, ut sermo ejus impleretur, ut verbum promissionis prius ad Abraham, deinde factum ad David perficeretur. Quia videlicet salutem mundi volens et providens Deus, hoc proposuerat, ut Verbum suum de semine illorum incarnaretur. Quod si iniquitas David fidem promittentis evacuasset, ut de promissione pœnitens sententiam demutaret, et promissum non impleret, nunquid hodie tam securi cum Apostolo declamaremus. « Est autem deus verax, omnis homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris ? (*Rom.* III.) » Imo qualiter hodie eum genere humano actum esset, si Deus per singulos dies irasceretur, si non sine pœnitentia essent dona et vocatio ejus, si statim ubi iniquitas cujusquam abundaret, sese gratia ejus subtraheret? Voluntas ergo Dei erat, ut propositum seu verbum promissionis ejus ad victoriam perduceretur. Et, ut quamvis omnis homo coram ipso inveniretur mendax, ipse nihilominus permaneret verax. Et quia secundum hanc ejus voluntatem, ut jam dictum est, petivit David, idcirco exaudiri dignus fuit, tanquam unus ex optimis adjutoribus Dei, quærentibus glo-

riam Dei, amatoribus justitiæ Dei, desideratoribus propositi Dei.

CAPUT XVIII.

Quod Deus in sermonibus suis justificari visus non fuisset, nisi David misertus esset.

Etiam pares haberent querelam, non solum David, sed et omnes, qui judicare possent de sermonibus Dei, nisi misertus fuisset illi pœnitenti, ut inviolatam conservaret fidem suæ promissionis? Animadverte quæ dicuntur. Aliter præcavendum erat Deo de sermonibus suis cum David habitis in promittendo, quam de his sermonibus, quos locutus est ad multos alios. Quare? Quia videlicet cum multis aliis loquens, bona sua conditionaliter illis promisit ut Sauli et populo, qui illum sibi regem expetivit. « Si inquit, timueritis Dominum et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini, eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. Quod si perseveraveritis in malitia, et vos, et rex vester pariter peribitis (*I Reg.* XII). » Similiter ad Salomonem : « Si ambulaveris, ait, in viis meis, et custodieris præcepta mea et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos (*III Reg.* III). » Porro, ad David absque conditionibus locutus est, quemadmodum et ad Abraham : « De fructu, inquiens, ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI). » Non dixit ad Abraham : Si custodieris vias meas, adducam ad te omnia quæ locutus sum ad te, sed ita ad eum : « Num celare potero Abraham quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam, et benedicendæ sint in eo omnes nationes terræ? Scio enim, quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant justitiam et judicium, ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum (*Gen.* XVIII). » Itidem de Isaac et Jacob et de Mose, ad quem dixit Dominus Deus : » Ego ostendam omne bonum tibi, et invocabo in nomine Domini coram te (*Exod.* XXXIII). » Diligenter, inquam, animadvertendum est quod non sunt conditionales locutiones, sive promissiones, et idcirco Deum volentem justificari in sermonibus suis, et vincere cum judicatur, oportuit meminisse suæ spontaneæ promissionis, ut ipse esset verax, quantumcunque abundaret iniquitas seminis illorum, quibus promiserat, quibus juraverat. Hoc scientes jurisperiti Moses atque David, tenebat Deum ille, dicendo : « Recordare Abraham, Isaac et Jacob, quibus jurasti (*Exod.* XXXII) ; » iste, dicendo : « Miserere mei, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L).

CAPUT XIX.

Promissiones legis cum conditione, promissiones autem Abrahæ et Davidi absque conditione factas fuisse.

Ad hunc sensum pertinet illud Apostoli ad Romanos : « Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim ii qui ad legem pertinent, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio ; lex enim iram operatur, ubi enim non est lex, nec prævaricatio, ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini Abrahæ, non ei, qui ex lege est solum, sed ei, qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est : Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti (*Rom.* IV.) » Cum hæc dicit, revera Deum justificat in sermonibus **557** ejus, ut apud illos, quibus legem dedit, vel qui ex lege sunt, non quasi debitor teneatur, vincatque cum judicatur. Apud illos autem, qui ex fide sunt Abrahæ, debitor fuisse non negatur. Lex namque tota conditionalis est, et sub conditione dari cœpit in monte Sinai, mense tertio egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, præmisso namque hoc : « Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum (*Exod.* XIX). » Statim mandata et legem daturus sic incipit : « Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, et vos eritis mihi regnum sacerdotale et gens sancta. » Sub hoc tenore conditionis tota lex procedit. « Si, inquit, postquam audieritis hæc judicia, et custodieritis ea, et feceritis, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi, et misericordiam quam juravi patribus tuis (*Deut.* VI), » et cætera. Cum ergo tanta multitudo eorum qui ex lege sunt, vel esse volunt, excluditur ut non sint in peculium Domino justa præscriptam sponsionem ejus, nunquid propter in hoc judicium vocandus est Deus? Judiceretur quidem, quoniam et ipse præsto est, dicens in Isaia : « Quis est qui judicetur mecum, veniat; » judicetur, inquam, sed statim vincit, quia videlicet illi non custodierunt quod in conditione positum fuit, id est non audierunt vocem ejus, non custodierunt pactum ejus, imo « omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* LII). » Atque hoc modo lex iram operatur, dum in judicio recitat illud quod in conditione posuit Deus, proinde melius quod absque conditione facta promissio, et cum juramento firmata est repromissio. Non enim dixit Deus ad Abraham : Si hoc vel illud feceris, si sic vel sic ambulaveris, si hæc vel illa mandata mea custodieris, in semine tuo benedicentur omnes gentes, sed absque ulla, ut jam dictum est, conditione, et omnino de futurorum observationibus tacens : Per memetipsum, inquit, juravi quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quoniam obedisti voci meæ (*Gen.* XXII). » Hinc Apostolus ad Romanos : « Ubi, inquit, non est lex, nec prævaricatio (*Rom.* IV) ; » quomodo enim propter aliquam iniquitatis abundantiam, vel ipsi Abrahæ, vel posteris ejus subtrahere posset tanquam prævaricatoribus justitia Dei, quod taliter promisit. Non fuit ibi lex, id est, conditio de futura observatione cujusquam mandati, et idcirco nec prævaricatio

minari posset in aliquo peccato, per quam liceret D (quoniam verax est) mutare verbum suæ pro-sionis (*Joan.* III).

CAPUT XX.

Q d sit quod Apostolus ait : « Si enim qui ex lege, æredes sunt, exinanita est fides, abolita est re-romissio. »

iber intueri etiam illud, quam sapienter, quam v aciter loco memorato Apostolus dixerit : « Si e m qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, a lita est promissio (*Rom.* IV). » Quod est dicere : S b meritum susceptæ legis factum esse putas u n semine Abrahæ (quod est Christus) benedice-r tur omnes gentes, cum ante datam legem qua-d igentos et triginta annos promissio præcesserit, n ne mutabilem facis Deum, et immutatorem pro-n si sui ? magna quippe mutabilitas, grandis im-n atio est, illud post tantos annos proponere pro n cede futuri servitii, quod prius cum juramento g is promisit, præsertim cum sic promisisse jam d isse fuerit. Et quis unquam homo fidelis illud q d dudum amico suo gratis dedit, postea facere p :st mercedem futuri servitii ? quanto magis nec D s taliter fecit, nec Deum taliter facere decuit : h namque esset exinanire fidem, abolere promis-si em, si post tot annos patribus defunctis ita lo-q retur ad filios, dicens : « Si ergo audieritis v :m meam, et custodieritis pactum meum, » com-p o promissiones meas, ut in semine Abrahæ b edicantur omnes gentes. Quod videlicet unicum s en Christus est. Non conveniret, non congrue-imo indecens esset Deo veraci, qui sicut alia ptura testatur. Semel loquitur, et secundo id sum non repetivit, non immutavit, sed aliud d t, aliud superaddidit : « Si audieritis vocem m m, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in eculium de cunctis populis (*Exod.* XIX), » dabo vo s terram fluentem lac et mel, custodiam vobis pa um meum et misericordiam quam juravi patri-bu vestris, quam utique si non custodiero præva-ri atibus vobis, nihilominus tamen custodiam pa-tr is vestris quibus juravi, et omnibus gentibus si populis qui ex illorum fide sunt vel erunt, quia no vobis solum, sed et omnibus gentibus benedi-ct iem promisi in semine ejus. Idem est in David. Si liter namque hoc esset exinanire fidem, abo-promissionem, si quod promiserat, et juraverat ex ratia, per legem destrueret propter subrepentia de :ta. Quod, quia non fecit, sed fidelis permansit in mnibus verbis suis : « Semel, inquiens, juravi in ncto meo, si David mentiar, semen ejus in æt num manebit (*Psal.* LXXX). » Ergo justificatur in ermonibus suis, et vincit dum judicatur, quia im abilitatis non potest argui.

CAPUT XXI.

Qu sit, quod Apostolus ait : « Justitiam Dei in angelio revelari ex fide in fidem, » quænam illa stitia sit.

iam aliam justitiam Dei putamus in Evangelio A revelari, sicut Apostolus dicit : « Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit ? » (*Rom.* I.) Justitia Dei incarnatio est Filii Dei, qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Incarnatio, inquam, vel adventus Jesu Christi filii David, filii Abrahæ : Hæc justitia in Evangelio revelatur. Num parva est hæc justitia Dei ? Non parva, sed vere magna, et valde laudabilis, quia per illam incarnationem, dum fit ex semine David, justificatur Deus in sermonibus suis, implendo quod promisit, custodiendo quod juravit Deus verax et fidelis. Attende perpulchram hujus justitiæ definitionem. Justitia, inquit, ex fide in fidem. Cujus ex fide, nisi ejus qui promisit, qui juravit ? Cujus in fidem, nisi ejus qui pro- B mittenti credidit; qui juranti fidem adhibuit, scilicet Abrahæ sive David ? Justitia hæc alia est, et alia illorum Israelitarum, qui non sunt Israelitæ veri. Quia suam quærentes statuere justitiam, huic justitiæ non sunt subjecti. Quænam est illorum justitia ? Nimirum justitia non ex fide in fidem, sed quasi ex operibus in opera ; quasi Abraham ex operibus justificatus sit, cum Scriptura dicat : « Credidit Abraham Deo, et repatatum est illi ad justitiam (*Rom.* IV ; *Gen.* XX) ; » et quasi ipsi ex operibus justificari possint, cum item Scriptura dicat : « Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII). » Bene ergo justitia Dei, quæ in Evangelio revelatur, **558** definita est dicendo : « Justitia ex fide in fidem, » quia videlicet quod Dei Filius incarnatus est, et quod in isto semine benedicun- C tur omnes gentes, ex fide est Dei, de quo scriptum est : « Fidelis Duus in omnibus verbis suis (*Psal.* CXLIV). » Quia neque David, neque cæterorum peccatis offensus est, sive transversus, quin magna fide impleret, quod magna gratia promisit, et justitia hæc in fidem tendit, quia non propter opera, sed propter fidem possibile est quempiam coram illo justificari, dicente Scriptura : « Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ? » (*Psal.* CXXIX.) Idcirco sic scriptum est : « Justus ex fide vivit (*Rom.* I). » Quia propter solum Deum, qui solus sanctus est in omnibus operibus suis, quicunque justus est, vivit, non ex operibus, sed ex fide habet hoc ipsum quod justus ex fide vivit. Nam, si quis velit operum justitiam recte dijudicare, non foris D in oculo, sed in secreto conscientiæ suæ, nunquam improbabit in semetipso dictum a quodam : « Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). »

CAPUT XXII.

Verbum Dei tam in Saul quam in David veritatis palmam obtinuise.

Igitur, quia ex fide in fidem, idcirco firma est promissio ipsi David, et ecce nunc vivit, nec utcunque vivit, verum etiam permanet in abundantiori gratia patriarcha, rex et propheta. Patriarcha, qua promissio specialiter ad hunc post Abraham facta

est, ut esset pater beati seminis quod est Christus, A qui non erubescit vocari filius David, cum sit ipse Dominus David, filius secundum carnem, Dominus secundum Divinitatem; rex idem, et non quomodocunque, sed secundum electionem Dei, et quod amplius et magnificentius est, secundum cor Dei. « Quæsivit sibi Dominus, ait Samuel ad Saul, virum juxta cor suum, et præcepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quod præcepit Dominus (*I Reg.* XIII). » Cujus rei Paulus quoque in Actibus apostolorum ita meminit : « Et amoto Saul suscitavit illis David regem, cui et testimonium perhibens dixit : Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas (*Act.* XIII). » Iste sermo longe ab electione Saul distinguit electionem B David. Nam et illum elegisse dicitur Dominus, dicente Samuele ad omnem populum, cum ille in medio staret altior universo populo ab humero et sursum : « Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non est similis ei in omni populo (I *Reg.* X). » Ergo et illum elegit quidem Dominus, sed non secundum cor suum, imo secundum cor populi vanum et superbum, et secundum furorem suum. Ille namque maxime vel in primis erat, super quod apud Osee taliter Israelem increpat : « Ubi est rex tuus ? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis, et judices tui, de quibus dixisti : Da mihi regem et principem ? Dabo tibi regem in furore meo et auferam in indignatione mea (*Osee.* XIII). » Illum quippe in tanto furore suo dedit, ut diceret ad Samuel :« Non te adjecerunt, sed me, ne regnem C super eos (*I Reg.* XIII), » etc. Item in tanta indignatione illum abstulit, ut ille dæmoniacus fieret sicut scriptum est : « Spiritus autem Domini recessit a Saul, exagitabat eum spiritus nequam a Domino (*I Reg.* XVI). » Hæc nunc idcirco commemoraverim, ne vel in Saul Verbum Domini a proposito cecidisse, palmamque justitiæ videatur amisisse, eligendo illum qui electione dignus non fuerit. Propheta idem David, non qualiscunque sed tam proprius, tam familiaris Verbo Dei, ut ejusdem Verbi persona propria (futuræ incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis suæ) mysteria clarius atque sonorius loqueretur per os David, quam per os alicujus ex cæteris ; cum suavitate harmoniacæ dulcedinis. Nunquid vel ista gratia post D lapsum caruit ? Non utique, nam « docebo, inquit, iniquos vias tuas (*Psal.* L), » subauditur, eadem quia prius prophetica gratia.

CAPUT XXIII.

Quomodo appareat, in duobus illis verum esse sapientiæ dictum : « Melius est duos simul esse quam unum. »

Apparet nunc in istis quam veraciter Sapientia dixerit : « Melius est duos simul esse, quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ, si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum A ceciderit non habet sublevantem, et si dormierint duo fovebuntur mutuo, unus quomodo calefiet ? et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei (*Eccle.* IV). » In istis, inquam, scilicet in Saul, et in David apparet quam vera, quam pulchra sint hæc. Quid enim est unum vel solum esse, nisi sermonem Domini projecisse ? Et quid est duo simul esse, nisi sermonem Domini in itinere vitæ hujus, sive in lectulo conscientiæ socium habere ? Hoc multo melius est. Nam : « Væ soli, inquit, quia cum ceciderit non habet sublevantem. » Væ ergo Sauli, qui quando cecidit solus fuit, non habens sublevantem, scilicet Domini sermonem : projecerat enim illum. Unde et dictum est ad eum : « Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, B et projecit te Dominus, ne sis rex super Israel *I Reg.* XV). » Porro David sermonem Domini habuit socium in domo pectoris, in sinu fidei. Duo igitur erant, videlicet ipse David et sermo Domini, unus cecidit et ab altero fulcitus est. Quid isto verius ? Cecidit David, et a sermone Domini, qui cadere non novit, fulcitus est fortiter innitens illi, et dicens Deo : » Miserere mei, ut justificeris in sermonibus tuis (*Psal.* L).» Sublevatus est, et dormierunt duo, et usque in finem vitæ ipsius David fovebantur mutuo. Nam sermo Domini fovebat David, tam nocturna, quam diurna meditatione sui, quemadmodum ille dicit : « Et meditatus sum nocte cum corde meo (*Psal.* LXXVI). » Item : « Tota die meditatio mea est (*Psal.* CXVIII). » Hoc erat foveri David, id est delectari. Nam « Memor fui C inquit Dei, et delectatus sum (*Psal.* LXXVI). » Fovebatur, id est, delectabatur ipse sermo, videlicet requiescendo in suavissima humilitate David dicentis Deo : « Memor esto verbi tui servo tuo (*Psal.* CXVIII). » Item : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* CXIII) ; » quasi suimet negligens tantummodo de verbo Dei, verbo repromissionis, quod apud se habebat, sollicitus erat, ne oblivioni traderetur, non ignorans quia custodiente et glorificante Deo verbum hoc, ipse pariter custodiretur, et particeps existeret gloriæ, juxta quod illic dictum est : « Habent enim emolumentum societatis suæ (*Eccle.* IV).» Prævaluerat quispiam contra unum, sed duo restiterunt ei. Unus namque tunc erat David, quando acciderat ut surgeret de stratu D suo post meridiem, et visa uxore alterius incideret in concupiscentiam ejus (*II Reg.* XI). Unus erat, quia a solita meditatione verbi Dei animus ejus recesserat, et ob hoc prævaluit contra eum ille, qui per Nathan peregrinus dicitur, scilicet diabolus, a civitate et regno Dei alienus, sed resisterunt 559 ei duo, de quibus jam dictum est, et alter fulcitus ab altero, quia sublevatus est David verbi Dei subsidio, ut persisteret in multiplici gratia, propheta, ut jam dictum est, et rex, et patriarcha.

CAPUT XXIV.

Salomonem habuisse quidem verbum Dei, sed non quievisse cum eo, ut foveretur, ideoque cecidisse, nec sublevatum esse.

At ipse per quem taliter locuta fuerat Sapientia, Salomon rex filius ejusdem David, multo gravius cecidit, multo namque gravius est zelus idololatriæ quam adulterii facinus sive homicidii. Amavit mulieres alienigenas multas, et ita per illas depravatum est cor ejus, ut deos alienos sequeretur, et colebat Astarthen deam Sidoniorum, et Chamos deum Moabitarum, et Moloch deum Ammonitarum (*III Reg.* XI). Quid ergo dicemus? Nonne modo supradicto simul erant duo? Perspicuum est, et negari non potest, quin fuerit cum illo sermo Domini, quin de pectore et ore ejus, tanquam de templo suo B sese manifestaverit dictis et factis. Quomono ergo ita cecidit tanquam solus esset et sublevantem non haberet? Ad hæc, inquam, erant quidem duo, sed non erat illi quieta dormitio, ut dormirent pariter et foverentur mutuo. Quidam alius intererat et interstrepebat semper inquietus et infestus, scilicet amor præsentis sæculi, qui longe dissentit a verbo Dei. Ille in angulo absconditus non patiebatur, ut illi duo bene essent simul, et quieta dormitione foverentur simul. Illum talem scilicet sæculi amorem, ibi familiarem fuisse, et in cordis ejus mansione diu mansisse, illud satis innuit quod iratus Dominus super aversione Salomonis taliter dixit: « Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum (*III Reg.* XI), » etc. Dicendo namque « habuisti hoc apud te, » satis indicat non repentinam tentationem C supervenisse, sed morbo inveterato vitiosam ejus intentionem fuisse. Quod etiam in eo satis animadverti potest quod cum in initio magna dignatione apparens Dominus dixisset illi: « Pete quod vis ut dem tibi (*III Reg.* III), » et tanta sibi oblata gratia, posset æternitatem gloriæ cœlestis una petitione adipisci, quæ summa beatitudo est. Ille temporali gloria delectatus, et apud homines volens haberi gloriosus, leve seu mediocre bonum petivit: « Dabis, inquiens, servo tuo cor docile, ut judicare possit populum tuum, et discernere inter bonum et malum (*ibid.*). » Et quidem bonum erat quod petivit, et melius quam si petiisset dies multos, aut tale quid quod bonum quidem est, sed exile et infimum, et hoc magis placuit Domino quod sic petivit, quam D si petiisset quidpiam ejusmodi, dies multos, aut divitias, aut animas inimicorum suorum. Sed cur non dixit, sicut dixerat pater ejus David: « Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? » (*Psal.* XXIV). videlicet quia cor ejus non erat perfectum cum Domino Deo suo, sicut Scriptura testatur, sicut cor David patris sui.

CAPUT XXV.

Propter peccata filiorum David, non aversum esse propositum Dei, quia juraverat illi.

Num igitur vel in isto cecidit verbum Dei, et quod A proposuerat Deus potuit averti? Non utique, imo palmam justitiæ præclarius obtinet Scriptura sic determinante: « Veruntamen, inquit Dominus, in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum, de manu filii tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo propter David servum meum, et Jerusalem quam elegi (*III Reg.* XI). » Item ad Jeroboam: « Nec auferam, inquit, de manu Salomonis omne regnum, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ tuæ, propter David servum meum quem elegi. Auferam autem de manu filii ejus regnum, et dabo tibi decem tribus. Filio autem ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate quam elegi, ut esset nomen meum ibi (*ibid.*). » Cum hæc dicit omnipotens Deus, utique tenetur fortitudine verbi sui memor promissionis suæ, ut sit verax et fidelis, juxta memoratam superius causam quam posuit ipse David: « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L). » Remanet igitur verbo Dei palma veritatis in ipso quoque casu Salomonis. Porro, ipsi David quanta est laus, et quanti præconium meriti, quod fatetur Deus se propter eum servare civitatem Jerusalem et tribum Juda ad implendam promissionem veritatis, quæ est incarnatio ejusdem Verbi Dei de semine David? Sic namque loquitur, tanquam homo quispiam graviter offensus, qui, cum habeat causas irascendi et sperata denegandi, tenetur tamen debitor ut det quamvis invitus, quia promisit, quia juravit. At ille non invitus implere habebat quod gratis promiserat et promissum juramento firmaverat. Quo ergo tendit. dum toties meminit David in transgressionibus posterorum ejus et populi, toties ad iracundiam Deum provocantis, dicendo quod propter David pareat, et non penitus eos delere velit? Videlicet ut magis ac magis abundantia gratia ejus innotescat, ubi est abundans iniquitas, et nulla ex operibus justitia, sed de hoc jam latius supradictum est.

CAPUT XXVI.

Cur jurare debuerit ac voluerit Deus, quem impossibile est mentiri, etiam in his quæ loquitur absque interpositione juramenti.

Cur autem jurare debuerit, vel quam utilitatis rationem in juramento suo fore consideravit Deus, quem impossibile est mentiri, etiam in his quæcunque loquitur absque interpositione juramenti? Apostolus ad Hebræos evidentius exprimit: « Quoniam, inquit, neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum (*Hebr.* VI). » Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationes hæredibus, immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus. Hoc tale est ac si dicat. Deus ante omnia fidem ab omnibus exigit, « et sine fide impossibile est **560** placere illi (*Hebr.* XI). » Porro homines

duri sunt, et tardi corde ad credendum. Maxima pars A incredulorum est, qui omnino non credunt. Et de illis quidem non adeo mirum, licet sit damnabile malum, de ipsis utrumque, qui promissionis hæredes esse debuerunt, quorum patribus promissio facta est, et firmata per juramentum, magis tamen mirandum quod sint vel fuerint adeo increduli, ut maxime de illis scriptum sit : « Generatio prava et exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus (*Psal.* LXXVII). » Porro, ipsos qui, quandoque credituri erant, sciebat idem Deum difficiles fore ad credendum, sicut et fuerunt, utpote quorum optimis magna increpatione ab ipso Domino dictum est : « O stulti et tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt prophetæ (*Luc.* XXIV). » Igitur, quia omnia controversiæ B hominum finis, ad confirmationem est juramentum, ut vel sic incredulitati ponerent finem, ut vel sic vigilarent homines ad audiendum, et sentirent fore immobile Dei consilium, interposuit jusjurandum. Proinde cum dicit ipse : « Sit autem sermo vester, id est non, non, quod autem his abundantius est (*Matth.* V), » a malo est, recte subauditur illius, cujus incredulitas sive diffidentia jurare compellit. Sic namque intelligendo quod dixit, a malo est, humiliter in ipso juramento Dei nostram culpamus tarditatem ad credendum quod utique malum est, quia cum impossibile sit mentiri Deum etiam cum non jurat, pauci comparatione incredulorum crediderunt, in eo quod per semetipsum jurat.

CAPUT XXVII.

Quibus ex causis maxime digni fuerint Abraham et David verbo promissionis cum juramento repromittentis.

Quibus vel ad quos juravit in promissione seminis, quod est Christus ? Duo sunt patriarchæ magni Abraham atque David, et magna quidem gratia juravit. Et hoc ante omnia scire debemus, quia fecit ex gratia sua magis quam ex ipsorum meritis. Verumtamen eadem ejus gratia præveniente aliquo modo ad hanc dignitatem fuere præparati, ut dignaretur Deus juramento sese obligare cum illis. De Abraham manifestius illud est, quia fide obtulit Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones ; ad quem dictum est : « Quia in Isaac vocabitur tibi semen Deus (*Gen* XXII), » — « arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est (*Hebr.* XI). » Ob hanc rem justa gratia Deus, quod dudum absque juramento promiserat, cum juramento repromisit, in semine ejus benedicendas fore omnes gentes, utique semen Christus est. Porro de David quærendum, quam ob virtutem maxime Deus illum dignum judicaverit, ut juraret illi, sicut testatur ipse, et jam supra memoratum est. Et quidem non ita manifeste de illo Scriptura refert sicut Abraham, quod dixerit illi Deus : « Per memetipsum juravi, quia fecisti rem hanc vel illam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Gen.* XXII). » Sed ratio docet, non multo minoris esse meriti, pepercisse inimico propter Deum, quam non pepercisse unigenito filio propter Deum. Hoc fecit David inimico suo infestissimo, quærenti animam suam, inimico regi, cujus regnum sine dubio se suscepturum sciebat, ibi pepercit ubi quærebat animam suam, quod eatenus fuerat inauditum, sicut testatur et ipse Saul, admirans et dicens ad eum : « Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in viam bonam ? (*I Reg.* XXIV). » Ob hanc maxime causam juratum illi esse arbitramur quon semen vel caro ejus assumenda foret in Filium Dei. Quia maxime causa ista facit filios Dei, sicut testatur ipse Dominus cum dicit : C « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (*Matth.* V). » Dilexit inimicum, benefecit illi, non solum parcendo cum occidere posset, verum etiam plangendo, cum ille occisus fuisset, et, sicut jam dictum est, maxime pro causa hujusmodi tali juramento Dei dignus exstitit.

LIBER QUINTUS

CAPUT PRIMUM.

Quomodo, secundum caput draconis, vitulus scilicet, sub Jeroboam denuo fuerit erectum.

Interea draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas cernens proficere promissionis verbum, utpote jam post Abraham, secundo in David juramento firmatum, magnum invidiæ sævientis incendium versabat, magno veneni sui stimulatus ardore totus in semetipso furebat. Sed quid ageret? Dudum exarmatus capite, quod primum erexerat, scilicet regno Ægypti, quando submersus est Pharao in mari cum curribus et equitibus suis D (*Exod.* XII), caput aliud non habebat quod erigeret, id est regnum aliud, per cujus potentiam sævire posset ad excidium gentis, ex qua implendum erat jam dictum verbum promissionis, quinimo jam regnabat ipsum verbum in David patre, quod futurum erat suæ carnis, et idem pater ejus sceptrum tenens imperii, fortis atque bellicosus, exercebatur præliis, glorificabatur victoriis. Unde et securius citharizabat psaltes ille, Verbum Dei sonis condecorans musicis. Ardebat igitur invidiæ veneno, quo et ipsius David pene omnem domum conflagravit, dum et ipse pariter adulterii simul et homicidii crimen incidit et

de filiis ejus unus Absalon cruentus fratre interempto in ipsum patrem arma arripuit, expellens eum de regno, et animam ejus quærens, ut regnaret pro illo. Quod si peractum fuisset, jam profecto serpens illud caput haberet, per quod verbum Dei impugnare, memoriamque ejus sese abolere posse speraret. Non ita evenit, sed Absalon mortuo, et David vitam cum pace complevit, et succedens ei filius sensatus, Salomon, cum pace regnavit, et domum pacis nomini Domini ædificavit. Tandem peccatum ejusdem Salomonis, malignam ejusdem serpentis intentionem adjuvit, ut scinderetur regnum Israel a domo David suscepto Jeroboam filio Nabaioth, qui et continuo duos vitulos aureos fecit, et dixit: « Ecce dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti (*III Reg.* XII). » Ibi se crexit secundum caput draconis, et in illo capite facies fuit vituli cornuti cœpitque cornupeta esse diabolus, agendo et compellendo per vim regiam, ut vitulorum simulacra pro Deo colerentur.

CAPUT II.

Quamvis etiam Baal servierint, et adoraverint, vitulum tamen caput idololatriæ fuisse.

Quantum putas contra verbum Domini vitulus ille, imo in vitulo diabolus, ipse vibratis cornibus insanivit? « Domine, inquit Elias, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et ego derelictus sum solus, et quærunt animam meam (*IV Reg.* XIX). » Jam quidem Israel colebat etiam Baal, agente Jezabel. Et hoc addidit, inquit Scriptura, « Achab in opere suo irritans Dominum, quod scilicet servivit Baal et adoravit illum. » Sed omnis idolatriæ caput in Israel cultus erat vitulorum. Nam et Baal et cætera portenta dæmoniorum ab aliis gentibus susceperunt, vitulum autem ut colerent, reges Israel a semetipsis excogitaverunt, et in illo scelere omnes perseveraverunt. Unde in Osee, cum dixisset Dominus de regibus et principibus illis: « Usquequo non poterunt emundari, » continuo causam istam subjunxit: « Quia ex Israel ipse est, artifex fecit illum, et non est Deus, » subauditur vitulus, de quo præmiserat: « Projectus est vitulus tuus Samariæ (*Osee* VIII). » Et est sensus: Idcirco reges et principes Israel non possunt emundari sive revocari a cultu vituli, quia non per ignorantiam in illo peccant, sed per malitiam et non ab exteris gentibus decepti cultum ejus susceperunt, sed a semetipso excogitaverunt. Unde et congrue dictum est: « Artifex, » scilicet Jeroboam « fecit illum, » sicut scriptum est: « Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos (*III Reg.* XII). » — « Artifex ergo fecit illum, » quia Jeroboam excogitato consilio fecit eum. Igitur, quamvis Baal et multa alia idololatriæ monstra fuerint in Israel, tamen vitulum illum idololatriæ caput recte dixerim, quia videlicet cætera portenta Israel ab exteris gentibus accepit, et a cultu illorum aliquoties cohiberi potuit. Nam et Baal Jehu delevit de Israel, sed vitulos a semetipso Israel excogitavit, et neque Jehu, neque quisquam regum Israel a cultu illorum unquam recessit.

CAPUT III.

Hoc caput tametsi mite videretur, tamet æque ut reliqua perniciosum fuisse populo Dei.

Quæ autem facies ex omnibus capitibus sive faciebus adversarii sæpe dicti ita potuit mansueta videri, ut ista facies vituli? **562** Facies aliæ truces sunt, scilicet facies draconis, facies leonis, facies ursi, facies pardi, facies bestiæ terribilis et fortis, dentes ferreos habentis, comedentis atque comminuentis, et reliqua pedibus conculcantis, per quæ significari jam diximus regna, quæ contra promissionis Verbum persecutionem fecerunt, regnum Œgyptiorum, regnum Babyloniorum, regnum Persarum et Medorum, regnum Græcorum, regnum Romanorum. Facies ista vituli, facies est mitis, per quam, ut dictum est, denotatur regnum Israel, ex quo Jeroboam vitulos aureos fecit. Num ergo sicut facies ista mitior est faciebus illis, ita regnum Israel mitius quam illa regna egit, minus nocuit? Imo quanto magis domesticus erat, tanto majora damna fecit, tanto magis domum subvertit. Quid enim vel quantum fuerat actum, dum occisis prophetis Domini, et omni populo sequente imperium Jezabel et Achab, solum se derelictum putaret Elias, licet superessent septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata Baal? Et quidem Baal delevit Jehu de Israel, ut jam dictum est, sed cultus vituli et populum cum regibus irrevocabiliter captum mente tenuit, et tantum effecit ut translatus Israel de terra sua, corpore quoque captivus fieret, captivitate insolubili prædicente Domino in Osee: « Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor (*Osee.* I), » id est, decem tribubus sub Asyriis in perpetua captivitate permanentibus, tribum Juda de Babylonica captivitate revocabo, post septuaginta annos. Cætera regna Israelem in corpore percusserunt, regnum Israel in anima semetipsum occidit, occidendo prophetas Domini propter vitulos, quos nullus ex regibus Israel relinquere voluit. Habebat etiam cum regia vi quamdam hyprocrisim. In quo? In eo videlicet, quod ore retinebat et commemorabat beneficia Dei. Per hoc nequissime peccans, quod illius beneficia mutis et inanimantibus ascribebat vitulorum simulacris dicendo: « Ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Et celebrabat diem solemnem, in mense octavo decimo quinto die mensis, in similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in Juda (*III Reg.* XII). »

CAPUT IV.

Quodnam primum Verbi Dei bellum adversus hoc caput fuerit.

Quanto ergo nequior erat hostis, tanto majus tantoque promptius oportebat adesse præsidium Verbi Dei; et ita factum est. Tunc enim plures atque cre-

briores prælii sui tubas fecit audiri verbum Domini, scilicet prophetas quo misit addendo vocibus eorum virtutem in signis atque prodigiis. Initium duelli, primaque congressio verbi Domini et hujus capitis, id est, regni Israelitici talis fuit. Ascendente Jeroboam super altare ut adoleret incensum, et ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini, et exclamavit contra altare, et ait : « Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum. » Et deinceps : « Hoc erit signum quod locutus est Dominus : Ecce scindetur altare, et effundetur cinis qui in eo est. » Extendente autem Jeroboam manum suam de altari, et dicente : « Apprehendite eum, exaruit manus ejus, nec valuit eam retrahere ad se, altare quoque scissum est et effusus est cinis de altari juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini (*II Reg.* XIII). » Post hunc adhuc vivebat Ahia Silonites, qui locutus fuerat Jeroboam, quod regnaturus esset super Israel. Ille loquente in se Domino : « Ego, inquit, ad Jeroboam missus sum durus nuntius, qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli, quia Dominus locutus est, » etc. Post illum fuit Jehu filius Anani, ad quem factus est sermo contra Baasa, qui percusserat Nadab, filium ejusdem Jeroboam, juxta eamdem sententiam : » Qui, inquit, mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes, et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli (*I Reg.* X). » Post hunc verbi Dei vexillum erigens igneo curru triumphabat Elias, deinde Elisæus, simulque filii prophetarum plurimi, ex quibus centum viros pavit Abdias servus Domini in speluncis, cum interficeret Jezabel prophetas Domini. Deinde et hi quorum ex tunc libri proprii, quorum si tempora consideres secundum gesta titulosque libris præfixos, plane perpendis, quia verbum Domini nullus regum tempore propositum neglexit, semperque diaboli mendacium in idolis, veritas Dei redarguit in prophetis.

CAPUT V.

Quod Jehu primus pro testimonio Verbi Dei occubuerit.

Quis primus in illo conflictu sanguinem suum fuderit, et pro testimonio verbi Dei occubuerit, minus pervulgatum est a venerabilium doctorum scriptis, quam cupit diligens quispiam spectator hujuscemodi prælii, cum de nomine ejus Scriptura non tacuerit. Hic enim dictus est Jehu filius Anani, cujus Scriptura ita meminit, ut jam dictum est : « Factus est autem sermo Domini contra Baasa, dicens : Porro quod exaltavi te de pulvere (*III Reg.* XVI), » etc. Postque ita subjungitur : « Cum autem in manu Jehu, filii Anani prophetæ, verbum Domini factum est contra Baasa, et contra domum ejus, et contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam. Ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Anani prophetam (*ibid.*). » Splendide illum Scriptura sacra nominavit, ita tertio loco replicans, occidit eum, hoc est, Jehu filium Anani prophetam. Et sciendum quod nullum ante hunc ab initio promissionis nominatim tradit Scriptura, occisum fuisse propter verbum Domini. Optaret ergo diligens spectator certaminis verbi Domini, ut sicut post Abel « Zacharias filius Barachiæ, quem occiderunt inter templum et altare (*Matth.* XXIII) ; » ita et iste pervulgatus esset proprio nomine, quia vere non parvi est meriti, cujus a sanguine primum accepit draco ille magnus, quod rufus mereretur esse et dici. Tenor propositi nostri notiorem nunc eum nobis reddidit, quia videlicet ubi sermo est vel opus de victoria Verbi Dei latere non debuit is, qui sanguinem fudisse primus legitur in prælio Verbi Dei, dum contra hostem antiquum proficiscitur, missus ut fidelis legatus Verbi Dei.

CAPUT VI.

Quod mysterio non careat, a leone prophetam in via occisum.

Igitur quoniam hic primus est illorum, qui verbo Dei suum in officio prophetali sanguinem impenderunt, perpende nunc quam pulchrum, quam congruum præcessit, ad gloriam **563** ejusdem verbi pertinens mysterium. Ille vir Dei, qui venit de Juda, in sermone Domini in Bethel, ut supra dictum est, Jeroboam stante super altare, dixit : « Altare, altare, ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum (*III Reg.* XIII). » Ille, inquam, mandatum acceperat in sermone Domini præcipientis : « Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti (*ibid.*), » sed fefellit eum prophetes senex qui habitabat in Bethel, ut comederet panem et biberet aquam in domo ejus propter hoc invenit eum leo in via, et occidit, et cadaver ejus erat projectum in itinere ; asinus autem stabat juxta illum, et leo stabat juxta cadaver (*ibid.*). Forma hæc mystica est, et prædicti sancti prophetæ Jehu filii Anani, et omnium sanctorum et prophetarum, qui occisi sunt vel occiduntur, propter testimonium ejusdem Verbi Dei. Quibus ipsum Verbum incarnatum dicit : « Nolite timere eos, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant (*Luc.* XII). » Ille namque leo, qui occidit, et juxta cadaver stetit, diabolum et satellites ejus impios homines signat, per quos cum sanctorum corpora occiderit, stat, nec potest ad nocendum progredi ultra, quia diabolus nec manducare novit corpora, cum ipse sit spiritus, nec consequi potest animas extra corpus, quas in corpore persequitur. Si quid ergo peccati ex carnali commoratione servi Dei contraxerunt, et ob hoc inimicus aliquando permittitur occidere corpora eorum, illa contentus sit pœna, stetque juxta cadavera, id est nihil amplius vel animabus, vel etiam corporibus, quin resurgant, se posse nocere sciat. Nec enim efficere potest, ut saltem corpora moriendo pereant Deo : Quod pulchre signatum

est per hoc, quod occisum non devoravit, sed juxta A cadaver stetit leo.

CAPUT VII.

Quid duodecim scissuræ pallii Ahiæ Silonitæ significarunt.

Porro Verbum Dei sicut potestatem habet, postquam occiderit, mittere in gehennam, sic potestatem habuit, postquam prophetæ mortui vel occisi fuerunt, eorum nihilominus implere prophetiam, id est demetere posteriora regum impiorum, ut qui moreretur ex eis in civitate, comederent eum canes, et qui moreretur ex eis in regione, comederent eum volucres cœli : sicut prædixerat jam dictus propheta Jehu filius Anani de Baasa, sicut prædixerat Abias Silonites de Jeroboam. Non leviter attendendum, nec enim parum spectat ad gloriam Verbi Dei, B semper veri, semperque vincentis, cui videlicet Verbo vincere est, quidquid dixerit verum fieri, veritatemque ejus pulchre commendat illa, quæ tunc fiebat multiplex Israelitici scissio regni. Jam dictus Abias Silonites, quale Jeroboam mox futuro regi præsagium regni dederat, apprehendens pallium suum novum, quo opertus erat, scidit in duodecim partes, et ad illum : « Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus (*III Reg.* XI). » Quid sibi hoc voluit quod non ita duas tantum ex uno pallio fecit scissuras, sicut duo tantum ex uno populo fiebant regna ? videlicet quia sic futurum erat, ut regnum scissum a domo David, quod dimittebatur eidem C Jeroboam, scinderetur decies, et ita factum est. Prima namque scissio facta fuit in ipso Jeroboam ; secunda, in Baasa, qui percussit Nabab filium ejus, et regnavit pro eo ; tertia, in Zambri, qui percussit filium Baasa, et regnavit pro eo ; quarta, in Ambri, qui ad mortem persecutus est Zambri ; quinta in Thebin filio Gynet, quem percussit idem Ambri pater Achab ; sexta, in Jehu filio Namsi, qui percussit Joram filium Achab, et regnavit pro eo; septima, in Sellum, qui percussit Zachariam pronepotem Jehu ; octava in Manaem, qui percussit Sellum, regnavitque pro eo ; nona in Facee filio Romeliæ, qui percussit Facejam filium Manaem, regnavitque pro eo : decima in Osee, qui percussit Facee filium Romeliæ : regnavit pro eo. Vel certe quomodo Thebin, in quo quintam scissionem diximus non saltem uno die D regnasse, sed tantum media pars populi eum secuta fuisse legitur, ut regem constitueret, nec prævaluit. Omisso illo, quinta scissio fuerat in Jehu, sexta in Sellum, septima in Manaem, octava in Facee filio Romeliæ, nona in Osee, decima in rege Assyriorum, qui Israelem scissum a Deo scidit etiam a loco vel terra sua, transtulitque in Assyrios. Igitur sic est, ut ipsum Verbum dicit : « Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet (*Luc.* XI). » Et sicut Scriptura veridica prædixit ; « Verbum autem Domini manet in æternum (*Isa.* XL). » Quia et complet verba prophetarum suorum, postquam illi mortui vel occisi exaruerunt tanquam fenum, et ipsos faciet resurgere fortes et excelsos super ligna cedrorum.

CAPUT VIII.

Deum justo judicio regem Jeroboam super Israel constituisse, non ut peccare faceret, sed quia peccaturi erant.

Dicit aliquis : Quomodo justificabitur ? Quomodo palmam veritatis hoc verbum in eo quoque obtinebit, quod talem hominem Jeroboam, regem super Israel ordinavit ? Sciebat aut nesciebat quod ille facturus esset Israel peccare ? Si sciebat, cur illum ordinabat, et quo jure puniebat ? Si nesciebat, quomodo vincit semper eum justitia ? Vel error aut inscitia ad victoriam non pertineat ? Ad hæc, inquam : Non nesciebat Verbum et sapientia, sed optime sciebat, et tamen in judicando integra illi est veritatis et justitiæ palma. Judicio hoc namque fecit, et judicium ejus non hac re penitus latet. Quamvis judicia ejus sunt abyssus multa, quamvis sint incomprehensibilia, tamen quædam sunt quæ ex nonnulla parte possunt cognosci, illa videlicet, quorum causas ore suo aperire dignatur. De quibus Psalmista dicit : « In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui (*Psal.* CXVIII). » Qua tandem ex causa judicatus est, ut talis daretur rex, qui peccare faceret Israel ? illa videlicet, quia peccare volebat Israel. Ex quo putas voluntatem peccandi habuisse Israel : « Ex eo, inquit Moyses, die, quo egressus es ex Ægypto, usque ad locum istum semper adversus Dominum contendisti (*Deut.* IX). » Hæc et cætera cum dicit, quibus utique dictis de reatu vituli illos accusat, quem fecerunt in Horeb, manifestum est semper illos ad eamdem proclives fuisse idololatriam, præsertim cum et in propheta Deus ipse dicat : « Nunquid hostia et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel, et portastis tabernaculum Moloch idolo vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quod fecistis vobis ? » (*Amos* V.) Propter hoc Mosen et Aaron lapidare voluerunt. Propter hoc Samuelem, imo et in Samuele Dominum, sicut et ipse testatur, abjecerunt (*I Reg.* VIII); propter hoc **564** David persecuti sunt, et de regno ejecerunt. Propterea toties dixerunt : « Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai (*II Par.* X), » quia peccandi voluntatem habebant, et sub sanctis principibus peccandi facultatem non habebant. Quod ergo tandem Jeroboam dati sunt, sub quo vel cum quo vitulum sibi pro Deo statuerunt, sicut facere cœperant, quando ex Ægypto egressi sunt, judicium exstitit judicium verum, quod in alio Propheta dicit : « Particeps idolorum Ephraim dimitte eum (*Ose.* IV). » Et si quæras, cur dicat, « dimitte eum, » subinde causam reddens dicit : « Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum (*Ose.* V). » Justi igitur judicii est, quod dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ut irent in adinventionibus suis. Gratuitæ vero misericordiæ erat quod pro illis,

qui ignoranter errabant, sollicitus loquebatur in prophetis, fiebatque ad eos verbum Domini armatum signis et prodigiis, ut cognoscerent ex operibus, quia Dominus ipse est Deus.

CAPUT IX.

Heliam prophetam, ne ignorantes simul cum impiis errarent, a Deo missum esse.

Cum signis namque et prodigiis, et cum fortitudine zeli tunc sese exhibuit Verbum Domini vehementius in Helia, de quo in laudibus patrum ita veraciter dictum est : « Et surrexit Helias propheta quasi ignis, et verbum ipsius tanquam facula ardebat. Verbo Domini continuit cœlum, et dejecit a se ignem terræ. Sic amplificatus est Helias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter gloriari tibi (*Eccli* XLVIII), » ut hæc diceret, scilicet Heliam surrexisse quasi ignem, et verbum ejus quasi faculam ardentem? In admirationem ille sapiens excitatus est, pro eo quod de eodem Helia sic repente scriptum est : « Et Dixit Helias Thesbites de habitatoribus Galaad et Achab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba (*III Reg.* XVII). » Ita repente illatus est Helias, ut quemadmodum dixit Apostolus de Melchisedech, ita et de isto, si sese præbuisset occasio, dicere potuisset : « Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens (*Hebr.* VII). » Sicut enim illius, ita et istius patrem et matrem et genealogiam et numerum annorum Scriptura tacuit, et finem vitæ non habuit, quia « acceptus est, » ait idem qui supra, « in turbine ignis, in curru equorum igneorum (*Eccli.* XLVIII). » Quam receptionem ejus si rite perpendis, etiam illud apponere licet, quod adhuc dictum est de Melchisedech ; « Assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in æternum (*Hebr.* VII). » Sacerdotem namque hunc fuisse constat, quia scriptum est ubi, quando, et quomodo holocaustum obtulerit, et, sicut jam dictum est, receptum est « in turbine ignis, » atque ita « assimilatus est Filio Dei, » vero et æterno Sacerdoti, in cœlum ascendenti. Plura de hoc dici poterant, verumtamen pro præsenti proposito hoc tantum dixerim quia digne semetipso fecit verbum et veritas Dei, quod tali in tempore, quando Jezabel cum Achab, et cum vitulis Jeroboam accesserat Baal, taliter per hunc virtutem suam notam fecit, propter eos qui ignorabant, et errabant, ne simul cum impiis in eamdem deciderent perditionis foveam.

CAPUT X.

Quæ miracula fecerit Helias, quod et spiritus Heliæ, duplex in Helisæo, duplicato miraculorum numero comprobetur.

Vigilanter hoc animadvertendum est qua propter causam ejusmodi tam ultroneus ad operandas virtutes semetipsum ingessit ita incipiens : « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba (*III Reg.* XVI) » Et in Helisæo causa eadem consideranda est, dicente : « Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me (*IV Reg.* II). » Hoc intendebant ut operando mirabilia convincerent impios, quod neque vitulus neque Baal est Deus, sed Dominus ipse est Deus. Et revera ita factum est. Spiritus Heliæ, in est operatio virtutum, duæ in spiritu Domini data fuerat Heliæ, duplex in Helisæo facta est. Duplicia namque numero miracula fecit Helisæus supra quam Helias. Etenim si rite numeres, Helias octo, Helisæus sedecim miracula operatus est. Primum Heliæ fuit, quod verbo continuit cœlum ne plueret. Secundum, quod corvi paverunt eum. Tertium, quod apud viduam, quæ pascebat eum, juxta verbum ejus hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus. Quartum, quod mortuum ejusdem viduæ filium resuscitavit. Quintum, quod eum offerentem holocaustum exaudivit Dominus per ignem, vidente populo, et dicente : « Dominus ipse est Deus. » Sextum, quod orante illo, facta est pluvia grandis. Septimum, quod pallio suo percutiens, aquas divisit, et transivit cum Helisæo. Octavum, quod currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Helias per turbinem in cœlum. Protinus Helisæi primum, quod pallio Heliæ percussit aquas, et divisæ sunt. Secundum, quod aquas pessimas et terram sterilem sanavit. Tertium, quod illudentes ei pueros ursi laceraverunt. Quartum, quod congregatis tribus regibus, Israel, et Juda, et Edom, cum non esset aqua exercitui, fossas fieri jussit, et repleta est terra aquis. Quintum, quod mulieri viduæ ex modico oleo vasa non pauca implevit. Sextum, quod mulier, quæ illi ministraverat, et non habebat filium, conceperit, et peperit in tempore et hora, quam ille prædixit. Septimum, quod mortuum eumdem puerum resuscitavit. Octavum, quod in olla eremitica gustus amarissimos dulcoravit. Nonum, quod de viginti panibus hordeaceis comederunt juxta verbum ejus centum viri, et superfuit. Decimum, quod Naaman principem militiæ regis Syriæ per lavacrum aquæ a lepra sua curavit. Undecimum, quod Jehu egressus ab eo, factus est leprosus quasi nix. Duodecim, quod eo mittente lignum, ferrum quod elapsum fuerat, super aquam natavit. Tertium decimum, quod missos contra eum Syros, Dominus, orante illo, cæcitate percussit, donec introduceret eos in Samariam. Quartum decimum, quod soluta obsidione Samariæ, duo modii hordei statere uno fuerunt, et modius similæ statere uno secundum sermonem ejus in porta Samariæ. Quintum decimum, quod dum ægrotaret, præsagium fecit regi Israel, quod tribus vicibus Syriam percussurus esset. Sextum decimum, quod cum mortuus esset, projectum est cadaver hominis in sepulcrum ejus, et cum tetigisset ossa Hælisæi revixit homo, et stetit super pedes suos.

—

565 CAPUT XI.

Quid et quando profecerint in populo, Helias, et Helisæus prophetæ.

Et quidem in omnibus istis non pœnituit populum, et non recesserunt a peccatis suis, id est a vitulis, quos fecit Hieroboam usque dum abjecti sunt de terra sua, et dispersi sunt in omnem terram. Verumtamen Baal deletus est de Samaria et de Hierusalem. Nam etiam in Hierusalem profluxerat sacrilegium Jezabel, quia videlicet Athalia filia Jezabel et Achab, uxor fuit Joram, filii Josaphat regis Judæ, de qua sic scriptum est in Paralipomenon : « Atalia enim impiissima, et filii ejus destruxerant domum Dei, et de universis, quæ sanctificata fuerant templo Domini, ornaverant fanum Baal. (*II Par.* XXIV). » De utroque deletus est Baal, id est de Israel, et de Juda. De Israel per Heliam et Helisæum ut mirabilia præscripta operati sunt. De Juda vero per Heliam, illic quod verbi Dei ministrum, sicut scriptum est : « Allatæ autem sunt ei, » videlicet Joram filio Josaphat, « litteræ ab Helia propheta, in quibus scriptum erat : Hæc dicit Dominus Deus Israel, Deus David patris tui : Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, sed incessisti per iter regnum Israel, et fornicare fecisti Judam, et habitatores Hierusalem. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, et filiis, et uxoribus tuis, universaque substantia tua ; tu autem ægrotabis pessimo languore uteri, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies (*II Par.* XXI). » Juxta verbum hoc factum est. Ille namque videlicet Joram, filius Josaphat, rex Juda, per duorum circulum annorum sic longa consumptus tabe ut egereret etiam viscera sua, languore pariter et vita caruit, et uxore ejus Athalia gladio interfecta, ingressus est Joiada pontifex, et omnis populus domum Baal, et destruxerunt eam, et altaria ac simulacra illius confregerunt. Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras. Porro in Israel idem Helias, prophetas Baal quadringentos et quinquaginta viros una die interfecerat, et eos qui superfuerant omnes prophetas, universos servos, et cunctos sarcerdotes Baal interfecit, et ædem ejus destruxit, statuamque combussit et comminuit Jehu, quem vice ejusdem Heliæ in regem Helisæus unxerat super Israel. Heliæ namque Dominus jusserat, ut ungeret eumdem Jehu, et hoc ministerium Helisæus implevit, super quo præceperat Dominus Heliæ : « Helisæum autem filium Saphat, qui est de Abel in aula, unges prophetam pro te (*III Reg.* XIX). » Itaque Baal de Juda et de Israel deletus est, per fortissimum zelum Verbum [Verbi] Domini de ore Heliæ flammantis qui videlicet Helias sicut de illo veraciter dictum est, « quasi ignis erat, et verbum ipsius quasi facula ardebat (*Eccli.* XLVIII). »

CAPUT XII.

Quare zelus Domini propter Baal amplius quam propter vitulos aureos, in Helia exarserit.

Qui causas rite perpedit, amplius veneratur ignem
A faculæ tam vehementer ardentis, zelum Verbum [Verbi] Domini tam fortiter de cultoribus Baal sese ulciscentis. Quænam causæ erant, ut propter vitulos, quos fecit Hieroboam, minus et propter Baal amplius zelaretur ? videlicet quia cultus vitulorum intra Israel continebatur. Cultus autem Baal de domo Jezabel et Achab, per jam dictam Athaliam usque in Hierusalem, usque in domum David profluxerat, unde promissio, id est Verbi Domini incarnatio sperabatur adimplenda, juramento ipsius firmata. Ibi amplius fides vel exspectatio promissionis periclitabatur, per sacrilegium Baal. Nam vitulos Hieroboam nullus coluit regum Juda, et idcirco cultus eorum contra promissionem minus perniciosus erat, solummodo tribubus illis contentus,
B quarum ex nulla Christus nasciturus erat. Igitur ubi Baal supervenit, recte, juste, et laudabiliter exarsit in propheta sua Verbum Domini tanquam ignis, gladiumque arripuit, et sanguinem impiorum effudit. Gladium namque arripuerat ipse Baal ad interficiendum omne semen David, unde juxta promissum jam dicta Incarnatio Domini futura erat. Sic enim scriptum est : « Siquidem Athalia videns mortuum esse filium suum, surrexit, et interfecit omne semen regium (*IV Reg.* XI). » Quod dicit « omne semen regium, » omnes reges, id est Davidicæ stirpis masculos vult intelligi, unde semen Abrahæ, quod est Christus, prædictum atque præscriptum fuerat, jurante Domino, deberet nasci. Proinde considerandum quod non parva vel toleranda impietas fuerit Baal sacrilegium, cujus cultu
C et animæ, tam in Juda, quam in Israel, peribant, et antiquus draco diabolus tendebat auferre seminarium salutis nostræ, instigando Athaliam, cultricem ejusdem Baal, ut interficeret et interficiendo auferre sacram Davidicæ generationis lineam.

CAPUT XIII.

Dominum in virga et verberibus visitasse peccata dominus David, misericordiam vero non dispersisse ab eo.

Considerata tali ac tanta justissimi zeli causa in fortissimo atque sanctissimo declaratore verbi Domini Helia, rursus ad memoriam rediit illud eloquium rationabile, et præclarum Davidicæ orationis : « Miserere mei, ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris (*Psal.* L). » Sermonem
D ipsorum hic libet reminisci, in quibus Deum volebat justificari, et vincere atque obtinere palmam veritatis. Quinam sunt sermones illic ? « Si autem, inquit, dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo : Si David mentiar ? » (*Psal.* LXXXVIII.) In his sermonibus suis, tunc profecto

Deus verax magnifice justificatus est, et splendide A vicit. Tunc enim filii David maxime legem Dei dereliquerant, et in judiciis ejus non ambulabant. Justitias ejus profanaverant, et mandata non custodierant, quando supra memoratus Joram filius Josaphat, occisis omnibus fratribus suis, ambulavit in viis regum Juda, sicut egerat domus Achab, cujus filia Athaliam uxorem habebat, et servivit Baal. Ejusmodi iniquitates et peccata filiorum David, Dominus in virga et in verberibus visitavit, misericordiam autem suam ab eo, subauditur David, non dispersit. In quo misericordiam suam ab eo non dispersit? In quo reservatur? In eo nimirum, quod cum Athalia videns, ut jam dictum est, quod mortuus esset Ochozias filius suus, surrexit, et interfecit omnem stirpem regiam domus Joram (*II Par.* XXII). Josabeth vero filia regis, tulit **566** Joas filium B Ochoziæ, et furata est eum de medio filiorum regis cum interficerentur, absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectorum, Josabeth autem quæ absconderat eum, erat filia regis Joram, uxor Joiadæ pontificis, soror Ochosiæ et idcirco Athalia non interfecit eum. Qualis virga, quanta verbera, ubi juxta verbum Domini, juxta veritatem litterarum, quas, ut supra memoratum est, miserat Helias, ascenderunt Philisthiim et Arabes in terram Juda, et vastaverunt eam, diripueruntque cunctam substantiam, quæ inventa est in domo regis, insuper et filios ejus et uxores, et super hæc omnia percussus Joram a Domino alvi languore insanabili, longa tabe consumptus est, et filium ejus Ochoziam, qui successerat Jehu interfecit, ac deinceps malis omnibus C sævior mulier omne semen regium occidit. Porro, sub ipsa virga, inter ipsa verbera, quanta custodiendæ ipsi David misericordiæ diligentia, ut Josabeth vera filia regis, veraciter filia David, et uxor digna Joiadæ pontificis, infantulum unius anni Joas furaretur de medio filiorum regis cum interficerentur? Noluit enim Dominus, ait Scriptura, disperdere domum David, propter pactum quod inierat cum eo, et quia promiserat ut daret illi lucernam, et filiis et ejus omni tempore (*ibid.*). Lucerna illa quam promiserat Dominus David, Christus est, « lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), » quam videlicet lucernam non dedisset illi sicut juraverat, si non de occisione stirpis ejus superfuisset, saltem ille D minimus Joas. Neque enim masculus alius superfuit, per quem series Davidica in Christum finienda deduci posset.

CAPUT XIV.

Quantus zelus in Helia, quantæ dignis fuerit.

Quantæ putas dignitatis est, tantæ rei intuitu fuisse zelatum, sicut ait ipse : « Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum (*III Reg.* XIX.) » Non hominem interroges. Currus igneus cum equis igneis, quo ille per turbinem in cœlum ascendit, tibi respondet. Currus dominorum, currus triumphantium vehiculum est. Dominantis ergo animi dignitatem, et amici Dei potentiam insignem in illo curru intellige, qui vere dominatus est omni sæculo sublimior, et potens exstitit in verbo quo continuit, et rursus aperuit cœlos, potens ungendo reges ad potentiam, solius regni Dei dignatus venerari omnipotentiam. Sedit ergo in curru dominando, æmulator verbi Dei strenuus, et mundanæ vanitatis contemptor victoriosus. Et ut magnitudinem recognoscas æmulationis ejus, currus non qualiscunque, sed currus igneus erat. Edici non potest, conjici tamen utcunque potest, quanto dolore cordis ardebat Helias, videns quod homines qui tantum in ipsis erat, mundum indignum faciebant, illa quæ Christus est misericordia dudum repromissa, et juramento firmata. Non quidem averti poterat, quod bonus et omnipotens promiserat, quia fidelis et verax juraverat, sed homines, ut jam dictum est, quantum in ipsis erat, hoc agebant, ut pœniteret Deum tantæ misericordiæ, quam promiserat, quam juraverat, inimici divinæ gratiæ, hostes salutis humanæ mali cunctis hominibus, pessimi sibi. O igitur perfectum odium, et sanctum boni zeli incendium, cujus dignitatem cœli testificati sunt, continendo ad ejus imperium, et rursus dando terris pluviæ beneficium, amplius autem immittendo currum igneum cum equis igneis ad sublevandum victorem emeritum, et potentem divinitatis amicum. Ex ejus glorificatione tam magna, tamque stupenda, exemplum accipiat, spemque concipiat quisque quod mercede non careat, si Verbo Dei fidele obsequium studeat impendere.

CAPUT XV

Heliam translatum, ante diem magnum et terribilem Domini mittendum, et in Joanne Baptista completum esse.

De isto plurimorum sententia doctorum est, quod circa finem sæculi, cum Enoch venturus sit, et quod mortem quam non evasit, inquiunt, sed distulit, pro communi debito persolvere habeat sub persecutione Antichristi. Porro Hieronymus virorum illustrium non minimus, aliter sentire videtur in fine Malachiæ prophetæ, ubi Dominus dicit : « Ecce mittam vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis (*Mal.* IV). » Ait enim post aliqua : Hæc de Helia diximus secuti doctores quanquam multi sint etiam nostrorum, qui credunt eum ad litteram venturum, et restiturum omnia, ac mortis debitum persoluturum. Cæterum, Dominus interrogatus ab apostolis de adventu Eliæ, respondit : « Helias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt (*Matth.* XVII) » Joannem volens in Helia intelligi, unde subsecutus adjunxit : « Si vultis recipere, Joannes ipse est Helias qui venturus est (*Matth.* XI.). » Cum hæc dicit, profecto doctoribus aliis, qui non secundum litteram, sed secundum spiritum de adventu Heliæ sentiunt, sese consentire innuit, dicendo : Quanquam multi sint etiam nostrorum qui credunt eum ad litteram venturum

ac mortis debitum persoluturum. Satis tamen indicat, quod velit eum jam esse a mortis necessitate solutum, quod si ita est, revera magnum et magnificum est, multum laudabile inter viros gloriosos, quod in eo magnificentia sua Dominus operatus est. Nam si mortem adhuc exspectat, æstimare licet quod minus beatitudinis assecutus sit, quam sancti alii, qui deposita omni corruptione mortalitatis, grandi utique debito, et gravi sunt fœnere liberati. Nam exspectatio mortis sine dubio habet pœnam; atque idcirco beatiores dicere licet eos omnes, quibus et de morte timor nullus, et de gloria resurrectionis certa spes est. Magnificentius ergo cum illo actum est, et cum beato Enoch, si mortem non distulerunt, sed evaserunt, si viventes translati sunt, et nullum habent de longa mortis sollicitudine vel exspectatione tormentum.

CAPUT XVI.

Verisimile esse Enoch et Heliam translatos a moriendi necessitate liberatos esse.

Et quomodo duo sunt, legitimumque est ut « in ore duorum vel trium testium stet omne verbum (*Deut.* XIX), » recte optaremus idcirco illos fuisse translatos, et non esse morituros, quatenus ex ipsis confirmaretur nobis illud, quod habemus de omni humano genere verbum. Quod est illud verbum? Videlicet quod humano generi mortis, vel mortalitatis causa sit peccatum, quodque omnipotentiæ Creatoris facile fuisset, atque voluntarium hominem in paradiso positum, et omne genus humanum suo vel sibi placito tempore, absque morte corporis transferre ad immortalitatis regnum, **567** ubi mors nec est, nec unquam accidere potest. Magnum utique verbum, et difficile apud illos qui tardi sunt ad credendum, in his maxime de quibus nullum acceperunt experimentum. Quid igitur, si placuit omnipotenti Deo saltem duos homines ex massa corrupta genitos transferre pro testimonio, ut habeat duos testes, quorum « in ore stet hoc verbum, » quod scilicet nihilominus omnes homines absque morte corporis transferre voluisset, atque potuisset, si non fuisset massa corrupta per peccatum? Hoc utique scire nonnulla sapientia est, cujus intuitu dicere potuerit vir sapiens in laude patrum: Enoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus sapientiam. Quod itidem de Helia sciendum et dicendum est, quia translatus est, ut det gentibus sapientiam, quatenus gentes eorum translationem audientes, eorum exemplo excitentur ad ambulandum cum Deo, ad obediendum Dei verbo, qui sicut illos viventes transtulit, ita et omnes transtulisset absque difficultate mortis, nisi quia per peccatum mors in hunc mundum introivit. Verum quia sententia utraque a magis atque catholicis tradita est doctoribus, nos hinc certum quid deficire non ausi, propositum prosequamur.

CAPUT XVII.

Post Heliam et Helisæum idem Verbum Dei aliis prophetis succedentibus non defecisse.

Translato Helia, qui erat currus Israel et auriga A ejus, mortuoque Helisæo, cui itidem ægrotanti dixerat Rex Israel: « Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus (*IV Reg.* II), » nihilominus cursum vel propositum tenuit suum Verbum Dei, Verbum omnipotens, quadrigas alias et aurigas alios ad suum ministerium substituens. Protinus namque exsurrexerunt alii præcones Verbi Domini, hi quorum etiam proprii exstant libri. Siquidem tunc exsurrexit in Israel Osee, in Juda Isaias ambo contemporales, sicut ex ipsorum titulis librorum agnoscere promptum est, qui ita se habent: « Visio Esaiæ filii Amos, quam vidit super Judam et Hierusalem, in diebus Oziæ, Joathan, Achas, et Ezechiæ regnum Juda (*Isa.* I). » — « Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ, Jothan, Achas, B et Ezechiæ regnum Juda, et in diebus Hieroboam filii Joas, regis Israel (*Ose.* I). » Iste est Joas nepos Jehu, cujus in diebus mortuus est Helisæus, et sicut præsens titulus habet, « in diebus Hieroboam filii ejus prophetavit Osee. » Hæc idcirco dixerim ut palam constet Verbum Domini nullum de regibus illis excusatum aut excusabilem dimisisse, continuumque effecit prophetiæ redarguentis cursum, pluresque prophetæ prophetis quam reges regibus successerunt. Nam in diebus ejusdem Hieroboam, Amos quoque prophetasse et titulus indicat prophetiæ, et illud maxime, quod ibidem scriptum est: Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Hieroboam regem Israel, dicens: Rebellavit contra Amos in medio domus Israel, non poterit terra sustinere universos sermones ejus, hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Hieroboam, C et Israel captivus migrabit de terra sua (*Amos.* VII). » Quid pulchrius? Quid sonorius hinc potest dici? Quod et Psalmista prædixit, et Apostolus succinit: « Tu, inquit, in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos et mutabuntur, ut autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI). » Ad Filium, quod est Dei Verbum, dictum hoc esse Apostolus meminit (*Hebr.* I). Terra juxta conditionem cœli, juxta fidei dignitatem fuerunt supradicti Helias et Helisæus, sicut et David et Abraham, cæterique sancti, quorum in mentibus per fidem Deus sedit et habitavit, recte dicuntur cœli. Ejusmodi cœli perierunt, id est pertransierunt, quia D mortales erant, et mortui sunt, et quandoque immutandi et renovandi sunt, qui sic inveteraverunt. Tu autem, o Verbum Domini, idem es et illis deficientibus non defecisti, nec deficies.

CAPUT XVIII.

Quid sit quod per Osee dictum est: « Non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor. »

« In diebus illis, ait Scriptura, cœpit Dominus tædere super Israel (*IV Reg.* X), » videlicet quia incorrigibilis erat ille carnalis Israel, et incorrigibiles ejus reges, ita ut nullus eorum recederet a peccatis

Hieroboam, id est a cultu vitulorum, quos fecit Hieroboam, qui peccare fecit Israel. Quoniam « cœpit Dominus tædere super Israel, et percussit eos, in Azahel, in universis finibus Israel (*ibid.*). » Hæc fuit initium tædii. Porro, plenum tædium Domini postmodum fuit, quando cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Abila, et in Abor, juxta flumen Gozam in civitatibus Medorum. Plenum, inquam, tædium fuit Domini, non super Judam, sed tantum super Israel, id est super decem tribus, juxta quod ipse prædixerat in propheta supra memorato : « Quia non addam inquit, ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor (*Ose.* I). » Hoc pertinet ad firmamentum veritatis Dei. « Ut justificeris, Deus, in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L), » oportuit plane misereri domui Juda, et domui David, oportuit, inquam, custodiri et defendi bonam radicem istius stirpis, unde nasciturus erat Christus secundum veritatem promissionis, et juramenti ad ipsum David, et ita factum est. Octavo namque anno postquam translatus est Israel de terra sua, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, et cepit eas, et obsedit Hierusalem. Sed » non ingredietur, inquit Dominus, urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio, protegamque urbem hanc, et salvabo eam, propter me, et propter David servum meum. De Hierusalem quippe egredientur reliquiæ, et quod salvetur de monte Sion. » Factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia (*IV Reg.* XVIII, XIX). » Nimirum oblivio, qua oblitus est decem tribuum, nihil nocitura erat proposito Dei, dummodo superesset tribus vel domus illa unde oportebat Christum nasci.

CAPUT XIX.

Quod Verbum Dei nondum incarnatum, id est, Emmanuel nondum natus liberarit terram a Rege Assyriorum.

Nonne sibimet providit? Nonne propter semetipsum hoc operatum est Verbum Dei? Utique nobis et propter nos sibi providit, ut servaret genus, unde Virgo veniens conciperet, et pareret ipsum, qui vocaretur Emmanuel (*Isa.* VII); nondum quidem vocabatur, sed futurum **568** erat, ut vocaretur Emmanuel. Attamen dictus Esaias invocabat eum Emmanuel, ut a prædictis Assyriis Hierusalem liberaret. Cum enim dixisset : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*ibid.*), » postmodum hæc quoque locutus est : « Adducet Dominus aquas fluminis fortes et multas super regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus, et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super omnes ripas ejus, et ibit per Judam inundans, et transiens usque ad collum veniet, et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel (*Isa.* VIII). » Quod dicit, « terræ tuæ, o Emmanuel, » magna cordis exclamatio est, ad commonefaciendum Dei Verbum, quod terra Juda terra ipsius esset secundum propositum gratiæ : quia præfinitum atque prænuntiatum fuerat quod de terra Juda, et de domo David Virgo ipsum conciperet, et pareret, et vocaretur Emmanuel. Et quia sic certissimum futurum erat, quia castra Assyriorum percussurus erat iste, videlicet, nondum secundum carnem natus Emmanuel, protinus insultabundus dicit : « Congregamini, populi, et vincimini, et audite procul, universæ terræ, confortamini et vincimini, accingite vos, et vincimini, inite consilium, et dissipabitur, loquimini verbum, et non fiet, quia nobiscum Deus (*Isa.* VIII). » Magna fiducia, magna et certa securitate taliter ob hoc dictum est, quippe cui incertum non erat, nihil esse, quod propositum Dei avertere possit. Contra cujus consilium omne humanum consilium vanum est, inde tutus insultat, et juxta quod scriptum est : « Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos (*Psal.* II). » Ridendo et subsannando provocat, provocando irridet, et subsannat gentes frustra frementes, et populos inania meditantes, qui jam tunc assistebant, et conveniebant in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus Emmanuel.

CAPUT XX.

Idem Verbum, « antequam sciret puer vocare matrem, » accelerasse, spolia detraxisse, et prædali festinasse.

Simul et illud animadvertendum est quam pulchro et insigni ibidem vocabulo jubetur prædicari : « Voca, inquit, nomen ejus, Accelera, spolia detrahe, festina, prædari (*Isa.* VIII). » Quare? « Quia antequam sciat vocare puer patrem suum, et matrem suam, auferetur, ait, fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum (*ibid.*). » Vere pulchrum congruumque vocabulum! Quid enim, nonne mira acceleratio, et miranda est festinatio prius spolia detrahere quam patrem scire sive vocare, prius prædari quam ex matre nasci? Hoc fecit iste Emmanuel, quia priusquam sciret vocare patrem, qui fuit ei Joseph solo nomine, priusquam nasceretur ex matre, scilicet Maria virgine, sicut cætera beneficia genti suæ providit, ita et illud domui Juda, de qua nasciturus erat, præbuit auxilium, ut auferretur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Quomodo? « Ascendit enim, ait Scriptura, Rex Assyriorum in Damascum, et vastavit eam, et transtulit habitores ejus Cyrenen, Rasin autem occidit. Deinde cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in civitatibus Medorum (*IV. Reg.* XVI). » Quam ob causam fortitudinem Damasci, et spolia Samariæ taliter abstulit Emmanuel? Videlicet eo, quod inierit contra Judam consilium malum Syria, et Ephraim, et filius Romeliæ, dicentes : « Ascendamus ad Judam et suscitemus eum, et evallamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus, filium Tabeel (*Isa.* VII). » Ergo

quod et Israel translatus est in Assyrios, recte ascribitur victoriæ Verbi Dei, quia manifeste Scriptura testatur, hoc fecisse Emmanuel, antequam sciret vocare patrem et matrem, id est hoc fecisse Verbum Dei, priusquam assumeret carnem. Et merito nec Israeli pepercit, quia videlicet ex quo scissus est Israel a Juda, et a domo David, plus cæteris gentibus eidem tribui Juda invidit, et contra illum sæpius pugnavit. Primus Jeroboam rex Israel pugnabat contra Abia regem Juda, et ille stans super montem: « Audi, inquit, Jeroboam, et omnis Israel! Num ignoratis, quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in æternum, ipsi et filiis ejus, in pactum salutis? » (II *Par.* XIII.) Et subinde: « Nunc igitur vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David? » (*Ibid.*) Hæc idcirco commemoraverim, ne quis ignoret, unde vehementiorem contra Judam invidiæ flammam decem tribus habere potuerint, quia videlicet ex hoc loco, et similibus, liquido constat frequentem fuisse inter utrosque altercationem hujusmodi, cum diceret tribus Juda, solum regnum David, regnum Domini esse, regnum, autem decem tribuum, non legitimum regnum, sed rebellionem esse contra Domini regnum.

CAPUT XXI.

Ductis in captivitatem decem tribubus, finitum bellum Verbi Dei contra vitulos aureos.

Tandem finitum est duellum, longo tempore protractum, inter Deum vivum, Dei Verbum, et Deum Hieroboam, Deum metallicum, vituli cornuti simulacrum. Fere ducenti et sexaginta fluxerunt anni, ex quo jam dictus Hieroboam, talem sibi deum fecit, usque ad annum nonum Osee, quo rex Assyriorum Israelem de terra sua transtulit, non desistente Verbo Dei decertare sermonibus hujusmodi: « Projectus est vitulus tuus, Samaria. Artifex fecit illum, et non est deus, quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ (*Ose.* VIII). » Et in alio propheta: « Audite, et contestamini in domo Jacob, quia in die, cum visitare cœpero prævaricationes Israel, super eum visitabo, et super altaria Bethel, et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram (*Amos.* III). » Et quia non fiebat, nec futurum erat, ut Israel, vel quispiam ex regibus ejus recederet a peccatis Hieroboam, id est a vitulis eisdem, quos fecit Hieroboam, etiam hæc dicebat: « Domus Israel cecidit, non adjiciet ut resurgat, virgo Israel projecta est in terram, non est qui suscitet eam (*Amos* V). » Unde manifestum est judicium dicentis tunc quoque in Osee: « Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor (*Ose.* I). » De regibus namque Israel nullus, ut jam dictum est, recessit a peccatis Hieroboam, cum nullius eorum tempore cessaret Dei Verbum revocare eos ad pœnitentiam. De regibus vero Juda nonnulli justi fuerunt, et ex eis, qui peccaverunt, nonnulli pœnitentiam egerunt. Justum ergo judicium est, quod « non addam, ait, ultra misereri domui Israel, » et non injusta misericordia in eo quod « domui Juda, inquit, miserebor.

569 CAPUT XXII.

Assyrios justiores fuisse quam Israel, ideoque eis in captivitatem traditum esse.

Nesciremus nos appendere justitiam hanc, nisi Verbum ipsum fecisset nobis experimentum, gentem quamlibet proniorem esse, magisque flexibilem ad pœnitentiam, atque idcirco justiorem, et venia magis dignam, quam Israelem. Unde laudanda vere providentia Dei, qui antequam judicium proferret super Israel, sententiamque daret, quam prædixerat: « Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum (*Ose.* I), » misit Verbum suum ad gentem, quæ tunc temporis erat asperior atque fortior gentibus cæteris. Ac si diceret cuilibet ex prophetis suis: Et si ad populos multos, et profundi sermonis et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, mitterem te, ipsi audirent te; domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me (*Ezech.* III). Uni namque ex prophetis hoc dixit, scilicet Ezechieli, sed antequam hoc illi diceret, per alium prophetam magno firmata est experimento veritas dicentis: « Factum quippe fuerat verbum Domini ad Jonam: Surge, inquiens, et vade in civitatem magnam Niniven, et prædica in ea, quia clamor malitiæ ejus ascendit coram me (*Jonæ* I). » Factumque est, et prædicante illo crediderunt viri Ninivitæ in Dominum, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt sacco, a majore usque ad minorem (*Jonæ* III). Nunquid solus Jonas prædicavit in Israel futuram captivitatem? imo multum est quod declamavit Osee, quod personuit Amos eodem tempore, ut de Elia et de Elisæo nunc taceam, quorum supra memini, qui signa præclara atque magnalia multa fecerunt, et Israel non egit pœnitentiam, et nullus regum Israel recessit a peccatis Jeroboam. Quis igitur reprehendere possit, vel audeat judicium Verbi Domini, quod Israelem sibi incredulum, credentibus ac per hoc justioribus Assyriis tradidit? imo laudandum, quia rationabile est et perpulchrum quod illam potissimum gentem per tale voluit experimentum demonstrare justiorem, cui tradere decreverat populum prævaricatorem.

CAPUT XXIII.

Quare domus Juda servata sit, Israele in captivitatem ducto, cum utrobique justi aliquo fuerunt.

Hic jam illud quis forte objicit, quod in Israel quoque, qui translatus est, nonnulli Deo placentes fuerunt, et non potest negari. Nam, exempli gratia, Tobias ex tribu et civitate Nephthali, illa captivitate captus, et captivus fuit sanctus, et vitæ laudabilis, sicut de eo scriptum est quia « cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit (*Tob.* I), » quam adeo firmiter tenuit, ut dignus existeret novo miraculo, mira novitate ango-

licæ visitationis. Cur ergo saltem huic et cæteris, quorum illa historia meminit, non addidit Dominus misereri, ut absolverentur jugo captivitatis, sicut misertus est Judæ, et domui David? Ac hæc, inquam, domus Judæ vel domus David, non solum hoc patrocinium apud misericordem Deum habuit, quod illic aliqui inventi sunt justi, sed quod certo sciendum, et memoriter tenendum est, veritatem verbi Dei vel promissionis, necessario adimplendam nativitate vel incarnatione Christi, de tribu Juda, de semine David. Causam istam Israel, in Assyrios ductus captivus, non habuit, quia, sicut jam superius memoratum est, non de aliqua tribu Israel, sed de tribu Juda promissum erat quod Christus nasciturus esset. Causa ista, non meritum juvit tribum Juda, veritas Dei necessario implenda, non propria justitia servavit domum David. Proinde, non magis querendum est de Tobia cæterisque justis, qui justi esse potuerunt in diebus illis, quod non eos Dominus in terram suam reduxerit, quam modo querimur de Judæis, qui convertuntur ad fidem Christi, quod non statim reducantur in terram, de qua ducti sunt captivi. Fuerint tunc ubivis decem tribus, de quibus Christus non erat nasciturus, sint nunc ubivis dispersi Judæi, quamvis ad fidem conversi, quoniam jam Christus est natus, sufficiebat Deo, et sufficit humano generi, quia tantum sollicitus fuit et præcavit, quod præmonuit fidelis monitor David, dicendo: « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L). »

CAPUT XXIV.

Quare in lege scriptum sit : « locutus est Dominus ad Moysen ; » in prophetis autem « Factum est Verbum Domini, » etc.

Res ipsa nunc animum percellit, facitque clarius audire et sentire dictionem hujuscemodi usitatam in prophetis : « Factum est verbum Domini ; » nam possunt quidem paria, sive æquipollentia videri : Factum est Verbum Domine ad me, et Locutus est, sive dixit Dominus ad me. Verum non ita est, et ut palam constet, non ita esse, primum illud perpende, quod opinor valde delectabile esse prudenti animo, quia nusquam invenis in lege sic dictum aut scriptum : Factum est Verbum Domini ad Moysen, sive ad Aaron, sed ita duntaxat, « Locutus est Dominus ad Moysen dicens, » sive, « dixit Dominus ad Moysen. » In prophetis hujuscemodi dictio frequens est : « Factum est verbum Domini, » sive, « Factus est sermo Domini. » Pulcherrima hæc consideratio est, multumque delectat intueri quam ob causam istud cautum sit. Quam ergo ob causam putas ? Quia videlicet in his tantum decuit sic enuntiare : « Factum est verbum Domini, » ubi quæ dicuntur cuncta irrevocabilia, cuncta sunt inevitabilia, veluti jam facta sint. Porro lex conditionali sponsione data est, exempli gratia, ut in initio dandæ vel datæ ejusdem Legis. Præmisso namque : « Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum » continuo subjungit con-

A ditionali modo locutionis : « Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, et vos eritis mihi regnum sacerdotale, et gens sancta (*Exod.* XIX). » Profecto non erant vocem Domini audituri, neque pactum ejus custodituri, et proinde nec in peculio vel regno Dei permansuri, idcirco non decebat in tali re sic enuntiari : « Factum est verbum Domini, » et deinde absque conditione sic proferri promissa, « Vos eritis mihi in peculium, vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. » Sic et de cæteris, maximeque de sacrificiorum cæremoniis, quoniam transitoria erant, et mutari habebant, non decebat sic edici : Factum est verbum Domini ad Moysem. Sic esse, ut dicimus, consideranti con-

B festim liquet, quia nusquam in Moyse, sed in prophetis duntaxat, sive ad prophetas scriptum habes, « Factum est verbum Domini, » **570** et impossibile fuit, et est, remanere infectum, quidquid sub tali enuntiatione, absque conditionis interpositione est prædictum. Cum igitur audimus, vel ubicumque legimus de aliquo propheta, quia factum est ad eum verbum Domini, cum audimus quemlibet ex prophetis dicentem : « Factus est ad me sermo Domini, » sic accipiamus, tanquam fiduciale gaudium, tanquam triumphale tripudium, velut si de tenebris ad lucem, de servitute ad libertatem, de captivitate ad patriam, de morte ad vitam resiliant dicentes, dicant resilientes, Factum est, factum est. Et quid factum est ? Factum est id quod futurum est, quia verbum ejus audivimus, verbum illius non videntes vidimus,

C cujus dixisse fecisse est.

CAPUT XXV.

Omnes ad quos verbum Dei factum est, non omnes autem ad quos locutus est, beatos et filios Dei fuisse.

Nonne, inquit Dominus, scriptum est in lege vestra : « Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes (*Psal.* LXXXI), » statimque subjunxit : « Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura (*Joan.* X), » et cætera, deos esse, filios Excelsi esse, sanctos et beatos esse omnes, ad quos sermo Dei factus est, et ipsum incarnatum verbum hoc dicto testatur. Et si cunctam recenseas sanctarum seriem Scripturarum, nullum invenies, nisi sanctum et justum esse, ad quem factum esse

D Verbum Domini prædicetur. Primus eorum Abraham, de quo sic scriptum est : « Ecce, inquit, vernaculus meus, vel hæres meus erit, statimque sermo Domini factus est ad eum : dicens : Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem (*Gen.* XV), » in quo cœlestem per Christum intelligi decet hæreditatem. Nam continuo: « Suspice, ait, cœlum et numera stellas si potes, et dixit ei : Sic erit semen tuum. » Novissimus vero Joannes est, de quo Lucas ita refert: « Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto (*Luc.* III) » Omnes ad illo primo usque ad istum

novissimum, ad quos factum legimus verbum Domini, sancti justi et magni prophetæ sunt. Porro non omnes, ad quos locutus, vel dixit aliquid Deus; non omnes, inquam, sancti aut electi sunt. Nam et ad Cain locutus est, et dixit Dominus: « Quare iratus es, et cur concidit facies tuas? » (*Gen.* VI.) Ad Baalam quoque locutus est « et aliqua dixit Deus, et ita etiam de illo scriptum est semel et iterum, quia Dominus posuit verbum in ore ejus. Et de ipsis ambolus quis nesciat quod non pertineant ad sortem justorum sive sanctorum; qui, ut jam dictum est, « omnes dii et filii Excelsi sunt? » (*Psal.* LXXXI) Unde diligenter notandum, quia signanter dictum est, Dominus posuit verbum in ore ejus, ut subintelligat prudens auditor, et non etiam in corde ejus, quod esset utique factum esse ad eum Verbum Domini, quia videlicet ad cor nunquam sine amore cordis pervenit Verbum Domini, nec deesse potest, quin dii sint et filii Excelsi omnes, ad quos sic accedit Verbum Domini.

CAPUT XXVI.

Non Moysen reliquis prophetis comparatum, sed legem promissionibus gratiæ collatam inferiorem esse, eo quod nusquam legatur, Factum est Verbum Domini ad Moysen.

Forte dicit aliquis: Num ergo Moyses propheta Domini minor est, aut minus dignitatis habet quam cæterorum aliquis, quoniam de illo Scriptura sic nusquam refert: Factum est verbum, vel, Factus est ad Moysen sermo Domini? Nunquid ob hoc minus habet quam cæteri, qui propter factum ad se sermonem Dei, dicuntur et sunt filii Excelsi? Ad hæc inquam: Non utique in hoc derogatur Moysi, de quo non ignoramus scriptum, quia loquebatur ad eum Dominus facie ad faciem (*Exod.* XXXIV), sicuti loqui solet homo ad amicum suum. De quo itidem Scripturæ testimonium habemus dicentis: « Et nos surrexit propheta ultra in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis (*Deut.* XXXIV). » Magis autem diminui sentimus dignitatem legis, quæ per Moysem data est, comparatione gratiæ, circa quam prophetas versari manifestum est, comparatione testamenti, quod ad Abraham firmatum

A est, quadringentos et triginta annos antequam daretur lex. Multo namque minor est lex, et minus dignitatis habet, adeo ut dicere non dubites quod nequaquam circa cæremonias legis, cor Dei aut Verbum Domini versari dignatum sit: et unde hoc probari potest? Ex ipso Verbo Domini, maxime dum in Jeremia dicit: « Halocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis (*Jer.* VII). » Itaque dum legimus passim in

B Scriptura legis, « Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, » et deinde subsequitur tale quid: Hæc est religio, sic et sic offeretis, hoc vel illud in sacrificando observabitis; in prophetis autem, ut in isto:

Non sum locutus, et non præcepi de verbo holocaustomatum et victimarum, » et in David: « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? » (*Psal.* XLIX.) Dum, inquam, hæc legimus, quoniam non potest solvi Scriptura, sive legalis, sive prophetica, sive psalmistica, necesse est diversos esse loquendi modos ita differentes, sicut differunt voluntas et permissio. Nam secundum permissionem locutus est Dominus legem cæremoniarum sive sacrificiorum, videlicet considerando tunc temporis qualitatem hominum, qui utique ab ejusmodi sacrificiis arceri non possent,

C et si non liceret eis Domino carnes sacrificare, sine dubio dæmonibus sacrificarent. At vero secundum voluntatem suam locutus est Deus ad Abraham, et secundum cor suum testamentum ad eum confirmavit, secundum voluntatem et secundum cor suum locutus est in prophetis. Pulchre igitur discernis legens vel audiens factum ad illos esse verbum Domini, si quod sub hac enuntiatione dictum vel scriptum est, scias non posse infectum manere, non posse veterascere, non posse mutari, non posse infirmari, faciliusque cœlum et terram transire, quam quidquam de verbo illo minui vel præteri.

---

571 LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod reges et regna, antiqui draconis capita dicantur.

De regibus et regnis, quæ capita draconis antiqui meruerunt dici, propter magnitudinem iniquitatis (omnes enim iniqui dicuntur, et sunt membra diaboli quia diaboli spiritu pleni) oderunt Verbum Dei. Illa autem regna, sive illorum reges regnorum, sic præeminebant hominibus iniquis quomodo in corpore caput

D præeminet membris, et sic subservierunt illis adversus Deum omnes iniqui, quomodo membra subserviunt capiti. Væ ergo illis, quia quantum præeminuerunt in potentia, tantum prægraventur in sententia, quantum in gloria, tantum in pœna, ita de singulis eorum justitia Dei dicat: « Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date et tormentum et luctum (*Apoc.* XVIII). » Item et illud quod ad primum

scilicet ad Pharaonem regem Ægypti dictum est ad unumquodque illorum capitum dictum esse, vel dici potuisse subintelligere : « Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra (*Exod.* IX). » Nunc jam de præliis Verbi Dei, et tertii capitis sermonem ingrediamur.

CAPUT II.

Regnum Assyriorum, et regnum Chaldæorum conjunctum, tertium caput draconis fuisse simile leoni.

Postquam Israel, id est decem tribus, quæ tribu Juda et domui Davidicæ de propinquo imminebat, hostis capitalis in Assyrios translatus est, nihil moratus draco ille magnus, id est diabolus, regnum Assyriorum confestim induit, et hoc sibi caput accessisse arbitratus est, ad delendam tribum vel domum illam, apud quam testamenti Dei et promissionis fides erat reposita ; sed non prævaluit, non illo regno taliter velut capite uti potuit, quia sicut jam superius memoratum est, « venit angelus Domini in nocte, et percussit castra Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, et recedens abiit, et reversus est Sennacherib, rex Assyriorum, et mansit in Ninive, cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio (*IV Reg.* XIX). » Completaque est consolatio Domini Dei dicentis ad Ezechiam : « Sed de manu regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc, et protegam urbem hanc propter me, et propter David servum meum (*II Reg.* XX). » Idcirco regnum illud de numero capitum draconis non exstitit, quia promissionis locum non laceravit, quamvis lacerare voluerit, sed quod ab eodem climate postmodum surrexit regnum Babylonis, tertium recte computatur caput draconis, in quo et facies est leonis, ut legimus in visione Danielis, vel certe quoniam regnum Assyriorum propter magnitudinem superbæ potentiæ vel potentis superbiæ, quis os suum dilatavit, et verum Deum Dominum blasphemavit, vere fuit hostis capitalis, computetur simul cum regno Chaldæorum in uno capite draconis. Siquidem in propheta, ubi dictum est : « Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus et residuum bruchi comedit rubigo (*Joel.* I), » per erucam utrasque nationes Assyriorum atque Chaldæorum cum priscorum auctoritate doctorum intelligimus, quia venientes ab eodem climate, terram Juda devastaverunt, sicut per locustam regnum Persarum et Medorum, per bruchum regnum Macedonum et Græcorum, per rubiginem regnum Romanorum.

CAPUT III.

Quomodo Deus domum David zelo prosecutus fuerit in bonum, diabolus vero in malum.

Certatum est itaque zelo utrinque maximo, hinc zelo bono, illinc zelo malo. Zelus namque bonus est zelus Domini exercituum. Zelus malus est zelus diaboli, draconis antiqui, capitis inimicorum. Uterque zelus partium istarum circa genus humanum, et tunc maxime circa tribum Juda, et circa domum David fervebat. Iste in bonum, ille in malum. Utrumque jam definire libet. Zelus bonus est, diligere homines, odisse autem vitia hominum. Zelus malus odisse homines, diligere autem vitam hominum. Illius boni zeli fervorem magnum in odiendo vita hominum illic habes, dum præmisso : Similis Josiæ non fuit, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, neque post illum similis illi surrexit, statim subjunctum est : « Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses. Dixitque : Etiam Judam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel (IV *Reg.* XXIII). » Porro in diligendo homines de ejusdem zeli boni fervore circa idem tempus per prophetam dictum est : « Si irritum fieri potest pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo, et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in domo **572** ejus (*Jer.* XXXIII) ; » haud dubium quin econtra a zelo malo diabolus machinaretur, quatenus deficeret domus David, nec esset ex eo filius qui regnaret in throno ejus; et hoc actum esse putaverunt membra ejus, scilicet omnes iniqui, quando ablatus est Juda sicut ablatus fuerat Israel de terra sua, cujus tamen captivitas non similem finem habitura erat. Futurum quippe erat illud propheticum in Osee dictum : « Quia non addam ultra misereri domui Israel, et domui Juda miserebor (*Ose.* I). » Filium ex David, qui regnet in throno ejus, certum est esse Christum, de quo ad Mariam angelus : « Et dabit illi, inquit, Dominus Deus sedem David patris sui (*Luc.* I). » Cæterum de regno temporali, et carnali filiorum David successione, neque dictum neque factum est. Et salva Dei veritate jam dudum nullis taliter sedet in throno David, cum irritum factum non sit pactum Dei cum die, et pactum ejus cum nocte, sitque adhuc dies et nox in tempore suo.

CAPUT IV.

Draconem tertio hoc capite, adversatum quidem verbo Dei intentione, cooperatum autem fuisse effectu.

In initio certaminis jam nunc dicendum, quia valde impares congressi sunt. Hinc Deus sive Verbum Dei, inde draco sive regnum jam dictum caput draconis tertium, quam longe impares congressi sunt : nimirum velut si congrediatur servus contra Dominum, et congrediendo juratum illi præstet obsequium. Pulchre hoc innuit ipse Dominus, cum et ipsum diabolum et ministrum ejus regem Babylonis sibi asserit esse servum, dicit enim de ipso diabolo ad beatum Job : « Nunquid feriet tibi pactum, et accipies eum servum sempiternum ? » (*Job* XL.) Subaudiendum namque est, sicut feriit mecum pactum, et sicut ego accepi eum servum sempiternum ; subaudiendum etiam est, non voluntate, sed effectu, quia voluntate quidem semper est adversarius, effectu autem mihi, inquit, et electis meis semper in bonum cooperatur. Exempli gratia, ut nunc mihi in te et tibi in me bene

est cooperatus, ut et tu qui eras ignotus, et præsenti tempore et omnibus superventuris sæculis, in terra et in cœlo notus habearis et inclytus ; et ego de te exemplum habeam patientiæ proponendum, et profuturum electis meis omnibus quicunque in sæculo tribulandi sunt variis tribulationibus. Dicit itidem in Jeremia de ministro ejus rege Babylonis : « Nunquid itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei (*Jer.* XXVII). » Item : « Ecce ego mittam et assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum (*Jer.* XXV). » Subaudiendum est eodem modo quo, et de diabolo, cujus ille typum gessit, meum, non quidem intentione, sed tamen cooperatione, servum quidem non voluntate, sed nihilominus effectu mihi servientem, meo proposito proficientem.

CAPUT V.

Quibus peccatis in domo David, puniendus draco ille servierit.

Quis non audivit, quomodo malus ille servus, eo tempore Verbo Dei, Verbo Deo cooperatus sit ? quis non audivit ? quis nescit vocem illam Dei, juramentum illud Verbi Dei : « Semel, inquit, juravi in sancto meo, si David mentiar (*Psal.* LXXXVIII). » Quid jurasti, Deus ? et in quo non mentiris, David ? « Ponam, ait, in sæculum sæculi semen ejus, et semen ejus in æternum manebit. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, » etc., ut supra memoratum est. Hanc veritatem Dei, hoc juramentum minarum Domini ut adimpleretur, ut opere perficeretur, adjuvit ille malus servus. Et ut jam ex parte factum fuerat, supra memoravimus, quia fluxum iniquitatis, quæ de domo Achab regis Israel per uxorem ejus Jezabel (*I Reg.* XI), usque in domum David profluxerat, visitaverat Dominus in virga, et in verberibus percusso Joram genero Achab et Jezabel, et exterminata omni domo ejus, præter unum parvulum, Joas scilicet, quem furata est Josabeth amica ejus, ne illum interficeret Athalia cum cæteris avia crudelissima. At illæ reliquiæ domus David taliter percussæ non doluerunt, disciplinam recipere renuerunt. Primus ipse Joas tantillus reservatus, non est recordatus misericordiæ quam fecerat Joiada pontifex secum, sed interfecit filium ejus Zachariam sacerdotem dicentem : « Quare transgredimini præceptum Domini ? » similiter et cæteri (præter Ezechiam et Josiam) peccaverunt. Amplius autem Manasses filius ejusdem Ezechiæ irritavit Dominum, et seduxit populum, ut facerent malum super gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel. Oportebat igitur adhuc virgam elevari, et verbera multiplicari, et sic visitari iniquitates, et peccata filiorum David, quia non modice dereliquerant legem Domini, non mediocriter profanaverant justitias Domini, imo plus quam decem tribus quas perpetuæ captivitati tradiderat idem judex Deus.

—

CAPUT VI.

Quod obsessa et expugnata Jerusalem, et populo translato, in fortitudine manus suæ Nabuchodonosor se fecisse sit gloriatus.

Quomodo tandem in hoc negotio malus ille servus Domini Deo servivit ? Venit, et Jerusalem obsedit, et cepit eam, et incendit Nabuzardan princeps militiæ domum Domini, et domum regis, et omnes domus Jerusalem, et totum murum per circuitum Jerusalem destruxit, et translatus est Juda de terra sua. Væ tali servo, væ illi pro hujusmodi servitio, virga furoris Domini, et baculus ipse erat, sicut de Assur dictum est ; et de ipso quoque Babylonis rege scriptum est : « Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter (*Isa.* XIV). » Ipse non sic arbitrabatur, et cor ejus non ita æstimabat, scilicet quod eo sic agente visitaret Dominus in virga iniquitates filiorum, et in verberibus peccata eorum, sed in fortitudine, inquit, manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi. Hoc tale erat ac si glorietur securis contra eum, qui secat in ea, aut si exaltetur serra contra eum a quo trahitur, vel si elevetur virga contra levantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. Nam quod gloriatus contra Dominum fuerit, et cor ejus exaltatum et elevatum nimis, illud satis indicat quod in persona ejus diabolus arguitur, qui utique propter superbiam et exaltationem inordinatam de cœlo noscitur cecidisse, rex super omnes filios superbiæ. « Sumes, ait Dominus, parabolam istam contra regem Babylonis, et dices : Quomodo cessavit exactor, quievit tributum ? quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris ? » (*Ibid.*)

573 CAPUT VII.

Nabuchodonosor typum diaboli gessisse, et effectu quidem Deo servisse, voluntate vero satellitem diaboli fuisse.

Congrue nimirum sicut illum hominem tanquam diabolum, sic in diabolum, tanquam in hominem, illum vehementer invehitur fortitudo Verbi Dei, quia filius superbiæ regi suo diabolo propria quadam similitudine valde similia gessit. Diabolus namque genus humanum in primis parentibus de cœlesti Hierusalem duxit captivum, et Nabuchodonosor unicum tunc temporis Dei populum captivavit ab illa terrena Hierusalem, quæ illius supernæ civitatis magnam et notam gessit similitudinem. Nam in superna Hierusalem Deus videtur, in ista terrena Hierusalem solum erat templum, in quo Deus adorabatur. Propterea sicut sola tunc illa civitas David divini cultus habuit religionem, ita commune cum superna civitate Dei possedit nomen, ut vocaretur Hierusalem, quod est interpretatum, *visio pacis*, licet terrena illa civitas non sicut nomen, ita rem quoque quæ signatur nomine, habuerit, alioquin jam non esset similitudo, sed idem. Itaque sicut David rex hujus terrenæ Hierusalem Christum præfi-

guravit, regem supernæ Hierusalem, sic Nabuchodonosor rex illius Babylonis diabolum signavit principem mundi, ac possessorem æternæ confusionis. Babylon illa et Hierusalem terrena imaginem sive similitudinem nobis demonstrant in semetipsis duarum partium universæ creaturæ rationalis, quarum una civitas Dei viventis, altera dicitur et est civitas diaboli. Altera ex hominibus bonis et angelis bonis, altera constat ex hominibus malis, et angelis malis. Propterea cum audimus David, dicentem in spiritu: « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus (*Psal.* CXXXVI), veraciter illum de semeptiso quoque hoc dicere sentimus, quia non quidem id illius Babylonicæ captivitatis tempora pervenit, imo longe præcessit, sed in illa erat captivitate, sicut et omnes electi Dei, cujus similitudinem in ea, quam futuram prævidebat illi populo, spiritualiter intellexit. Igitur effectu quidem, ut supra dictum est, Nabuchodonosor exstitit Domini servus, sed voluntate satelles diaboli præcipuus.

CAPUT VIII.

Quod Dominus, quamvis verberaret populum, promissionis suæ non fuerit oblitus, sed prophetas suscitaverit, et virgam contriverit.

Sub virga illa, inter verbera illa, positis filiis David, nonne custodivit Deus invictæ veritatis, quod promisit, quod juravit in sancto suo: « Misericordiam autem meam, inquiens, non dispergam ab eo?» (*Psal.* LXXXVIII.) Plane custodivit. Et quamvis differret illam misericordiam suam, scilicet Christum suum, non permisit tamen eos desperare, vel suspicari, quod adeo fuisset iratus propter iniquitates eorum et peccata, ut vellet profanare testamentum suum, et quæ processerant de labiis suis facere irrita (*Psal.* XXXV). Venit ad captivos, processit cum captivis Verbum bonum, et sermo fidelis, et præcones suos, et prophetas suos victores, et victoriæ suæ signiferos efficit, ita ut, quemadmodum dixit ad Mosen: « Ecce constitui te Deum Pharaonis. (*Exod.* VII), » sic etiam diceret, et faceret quempiam ex illis deum esse regis Babylonis. « Cecidit enim in faciem suam Nabuchodonosor rex, et Danielem adoravit, et hostias et incensum præcepit afferri ut sacrificaretur ei (*Dan.* II). » Hoc fecit Verbum bonum, Verbum Dei, ostendendo semetipsum Danieli, et sociis ejus, per miras et magnificas visiones, quibus piorum confirmata est fides, captivorum convaluit spes, desiderantium charitas confortata est, secundum multitudinem dolorum in corde ipsorum consolationes Domini lætificaverunt animas eorum (*Psal.* XCIII). Ante captivitatem illam, raro invenimus demonstratas prophetis visiones imaginarias futuri, et venturi ad incarnationem, et de mundi principe diabolo triumphaturi Verbi Dei. Sub ipsa vero captivitate, non tantummodo legimus factum ad eos Verbum Domini, verum etiam vidisse eos imagines reverendas, visiones consolatorias regis invicti, victoris regnaturi, Verbi Dei, Verbi incarnandi, Filii Dei, Filii hominis. In Ezechiel sermo difficilior, Daniel autem quanto planior, tanto ad legendum delectabilior, et ad intelligendum dulcior. Non præsentis est propositi, visiones illas perscrutari, sed hoc tantum considerare, quomodo vel quali ordine virgam illam, sive baculum illum confregerit Dominus, in quo visitaverat iniquitates sive peccata filiorum, quo ratione conceptus beatæ mulieris in utero habentis, et clamantis, contriverit illud tertium caput draconis, id est regem sive regnum Babylonis, conceptum illum, id est fidem seminis Abrahæ fidem Verbi incarnandi devorare cupientis.

CAPUT IX.

Quomodo et quo ordine Verbum Dei Nabuchodonosor percusserit, et tandem vicerit.

Primo notandum quia tribus vicibus percussit regem ipsum Nabuchodonosor Verbum Dei, et quia prima et secunda concussione non est submissus ab altitudine superbiæ suæ, tertia vice sic percussit eum ut, de solio suo decussus et mente alienatus forasque ejectus ab hominibus, cum feris habitaret, et cum feris pabulum haberet, ferumque ut bos comederet, et rore cœli infunderetur, atque ita super eum septem tempora mutarentur. Post hæc regnum ejus, regnum Babylonicum numeravit Deus, et complevit, appensum est in statera, et inventum est minus habens. Divisum est, et datum est Medis et Persis (*Dan.* III). Interfectus namque est Balthasar rex Chaldæus et Darius Medus successit in regnum. Cui hæc ascribenda est victoriæ pars, nisi Deo, Dei Verbo, quod in utero habens mulier, unaquæque fidelis anima ut erat Daniel, « clamabat parturiens, et cruciabatur ut pareret? (*Apoc.* XII.) » Verbum illud sacramentum illius Verbi caput draconis contrivit, regem illum quasi bovem dementavit, regnum illud justo judicio dejecit, manifeste hoc ipsæ voces Scripturæ testantur. Libet paulisper immorari, et singulas percussiones in caput superbiæ triumphaliter declamare, in laudem et gloriam victoriosi Verbi Dei, cujus persona in ipsis rebus gestis vel significatis declaratur vocibus manifestis.

CAPUT X.

Multis rationibus somnium Nabuchodonosoris observabile fuisse.

« Somnium vidit Nabuchodonosor, et conterritus est spiritus ejus, et somnium ejus fugit ab eo (*Dan.* II). » In illo somnio ratio multiplex est, pertinens ad sapientiam Verbi Dei, promissiones **574** adventus sui confirmare volentis, et consolari omnes qui exspectabant eumdem adventum suum, maximeque illos qui tunc temporis tenebantur captivi sub eodem rege qui somnium vidit. Primum est considerare sacramentum ejusdem somnii. Deinde quod non ipse Daniel, vel alius quis sanctus propheta Domini, qui dignus esse visione Dei, sed homo sine Deo Nabuchodonosor somnium vidit hujusmodi, homo injustus et pessimus, sicut tres pueri missi ab eodem in caminum ignis ardentis, in oratione sua testantur. « Et tradidisti nos, inquiunt,

Domine Deus, in manibus inimicorum nostrorum A iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque, et regi injusto et pessimo ultra omnem terram (*Dan.* III). Deinde et illud considerandum quod non ante inventus est Daniel, qui somnium revelaret et interpretationem ejus aperiret, donec egressa esset sententia, ut sapientes interficerentur ; quia non poterant regi indicare somnium et conjecturam ejus, nec ante revelatum est ipsi Danieli, nisi prius ingressus ipse rogaret regem, ut tempus daret sibi ad indicandam solutionem. Tandem et illud in laudem Domini, nostræ admirationi non debet abesse, quod per hanc occasionem captivos suos sic honoravit, ut Nabuchodonosor suus ipsorum captivator caderet in faciem suam, et adoraret Danielem hominem mortalem, quamvis mirabilem mirabilis Dei B prophetam.

CAPUT XI.

Quid somnium Nabuchodonosor significarit.

Sacramentum somnii jam non tantummodo legendo didicimus, verum etiam videndo agnovimus. Nos enim sumus in diebus nati et renati quibus Deus cœli suscitavit « regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus populo alteri non tradetur (*Dan.* II) » per quod comminui et consumi manifestum est regnum aureum quod tunc erat Babylonis, regnum Medorum et Persarum quod sucessit argenteum, regnum æreum quod deinde fuit Macedonum, regnum Romanorum quod quondam erat ferreum, jam autem ex magna parte cœpit esse luteum. Videmus sic factum esse et fieri, secundum C quod ille vidit, quia de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, argentum et aurum. Et lapis, qui percussit, et adhuc ultimo judicio percussurus est regna hæc, ita ut nullus locus inveniatur ei, « factus est mons magnus, et implevit universam terram (*ibid.*), » quia palam factum est universæ terræ, quod Verbum caro factum est, id est homo factus de Virgine, absque manibus complectentium, Rex regum est et Dominus dominantium, sacramentum illud tunc per Danielem et socios ejus revelatum, magnam et opportunam consolationem præbuit humilitati captivorum in sua captivitate spem quam habebant de promissione Dei suspirantium. Quantam enim putas illos tunc habuisse mœstitiam et cordis lassitudinem! D quam suspiriosam cum viderent tardare regnum Dei, et interea regna mundi, caputque regnorum, regnum Babylonis, quasi sub sole matutino paratis residere in soliis, et subsilire in turribus et in equis? Opportune ergo tale somnium, tantum continens mysterium, mœrentium fatigationi subvenit, ut scirent jam tunc in patientia sua possidere animas suas (*Luc.* XXI), non aspiciendo præsentia, sed prospiciendo futura, statumque malorum instantium consolando, per spem futurorum bonorum.

—

CAPUT XII.

Quare Nabuchodonosor, et non alius quispiam, hoc somnium viderit.

Quod non ipse Daniel, aut alius quis Deo dignus, sed Nabuchodonosor tale tantumque somnium vidit, homo injustus et pessimus, recte miraremur propter indignitatem ejus, si non ipso fuisset conterritus somnio, et somnium ejus fugisset ab eo. Nunc autem : « Quoniam conterritus est spiritus ejus, et somnium fugit ab eo (*Dan.* II), » non miramur, scientes justitiæ ordinem, quia sicut revera nulla participatio luci ad tenebras, nulla est conventio Christi ad Belial (*II Cor.* VIII), sic nulla est pars animæ impiæ cum verbo Dei, nulla communio stulto et iniquo cum consilio Dei. Est autem, et erat in illo tali somno verbum verum, et concilium Dei profundum. Quomodo ergo anima stulti et impii, anima discissa, et nulla saltem divini nominis religione composita, continere posset rem tanti sacramenti, quam viderat ? Non quisquam illud objiciat, quod Pharao somnium vidit, et memoria retinuit, et dicat, quæ ventura erant ostendit Deus Pharaoni, quia videlicet nec ille Pharao tam impius erat ut Nabuchodonosor, nec somnium ejus præsagium futuræ famis ullo modo pertinuit ad somnium Nabuchodonosor, quod præsagium fuit æterni regni Dei. Igitur quodam modo vidit quidem somnium, sed « mente, inquit, confusus, ignoro quid viderim, » non illum Verbo sive consilio Dei putemus admissum, imo a visu, quo dignus non erat, sciamus eum justa indignatione repulsum. Nam hoc ipsum quod dicit « et mente confusus, ignoro quid viderim (*Dan.* II), » et quod idem dictum est, somnium fugit ab eo, satis innuit quod taliter somniando, iram contra se provocaverit, ut quomodo diceretur illi somnianti : Tu quomodo quidquam de hujusmodi somniare præsumpsisti ? Etenim veraciter præsumptuosa et superba cogitatio causa fuit ejusdem somnii, sicut et ipse testatur Daniel : « Tu, inquiens, Rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc (*ibid.*). » Quasi jam aliquid factum esset, in eo quod ipse factus erat rex, et quasi regno suo magis vel melius aliquid fieri non posset, cogitabat quid esset futurum post hæc. Respondit cogitationibus ejus Deus, ita ut ille merebatur, scilicet ut ne quidem intelligeret, nec ferre posset, sed tamen quidpiam circa se actum esse reminisceretur attonitus atque confusus.

CAPUT XIII.

Crudelitatem regis benevolentiam et attentionem Danieli interpreti conciliasse.

Et ille quidem ad inveniendum et consequendum, quod sibi effugerat somnium, crudeliter avidus et avide credelis exstitit, dum in furore et ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis, quia somnium non poterant indicare sibi. Deus autem et Verbum ejus illa crudelitate ejus, eo nesciente, misericorditer utebatur. In quo ? in eo videlicet, ut revelaturus tam grande mysterium, prius omnes

attentos faceret. Mysteria namque Verbi Dei margaritæ sunt; vituli vero et magi et malefici et Chaldæi simul cum rege suo cuncti Babylonii porci erant, coram qualibus margaritæ ejusmodi mittendæ non sunt. Sed si Daniel, aut alius qui de sociis vel concaptivis ejus somnium illud vidisset, et interpretationem ejus coram Babyloniis exposuisset et in 575 consolationem captivorum, quorum in futuro Dei regno penderet spes, nonne nimis ultroneas ante porcos margaritas projecissent? Et nimirum non solum illas conculcassent, verum etiam conversi in eos sperare audentes, crudeliter dilacerassent (*Matth.* VII). Bene igitur usa est Dei sapientia curiositate nimia regis furiosi. Quia per instantem potentiam, per potentem ejus instantiam, et iram magnam, egressa sententia sapientes interficiantur, dum interim quæritur Daniel et socii ejus, ut pereant, dum inter inducias ab eo postulatas, cuncti sapientes sub gladio pendent morituri, nisi saltem ille referendo sommium, communi periculo ferat præsidium. Per hæc, inquam, cuncti a majore usque ad minimum cum rege ipso attenti fiunt ad audiendum, parati ad suscipiendum, desideratissimi et valde dociles ad intelligendum, benevoli ad collaudandum. Ita demum indignum duxit Verbum Dei semetipsum in medio proferri, quia profecto tempus et causa talem tanti sacramenti margaritam non sinerent conculcari.

CAPUT XIV.

Nabuchodonosor regem Verbum Dei ex ore Danielis ferre non potuisse, quin caderet in faciem.

Quis tandem non miretur quod ille sævus ut leo, seu quasi leæna rex Nabuchodonosor audita veritate somnii cecidit in faciem suam, et Danielem adoravit? (*Dan.* II.) Nunquid hoc vera devotione compunctus fecit? nunquid Deum verum in homine, servo ejus, diligendo honoravit, aut honorando dilexit? repugnat valde quod sequitur: quia fecit auream statuam miræ magnitudinis, et nolentes illam adorare tres pueros, Sydrach, Mysach, et Abdenago, mitti jussit in fornacem ignis ardentis. « Et quis est, inquit, Deus qui eripiat vos de manu mea? » (*Dan.* III.) Ergo illud potius sentiendum est, quia sicut ubi vidit somnium « conterritus est spiritus ejus, et mente est confusus, » ita ubi audivit, et audiendo sensit fortitudinem præsentis Verbi Dei ex ore hominis, ad quem revera factum fuerat Verbum Domini, cujus in corde veraciter habitabat, cujus ex ore mirabiliter sonabat, Verbum Domini ferre non potuit sedere aut stare non valuit, sed cecidit, et sic adoravit, sic confessus est quomodo dæmones ipso incarnato et præsente contremuerunt et confessi sunt. Deus itaque regis captivatoris sui captivus Daniel effectus est. At ille sævus captivator, stultus adorator tandem expugnandus erat, donec fenum comederet quasi bos. Nec enim parva fuit superbia dementis, vel dementia superbi, de qua, ubi sic conterritus est, et sic cecidit in faciem suam adorans Danielem, ut diceret: « Vere Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum (*Dan.* II); » ubi eumdem Danielem in sublime extulit, sociosque ejus constituit super opera Babylonis, confestim quid egerit, Scriptura taliter annectit:

CAPUT XV.

Nabuchodonosor adhuc tam superbum fuisse ut statuam suam adorari juberet.

« Nabuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, et latitudine cubitorum sex, et statuit eam in campo Duram provinciæ Babylonis. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus et judices, duces et tyrannos, et præfectos omnesque principes regionum ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex (*Dan.* III). » Ecce qualiter adjuvat impleri veritatem Dei, veramque interpretationem somnii sui malus servus Domini, ecce causam propter quam in somnio designatus fuerat per aureum caput statuæ, dicente interprete: « Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, et tu, rex caput aureum es (*Dan.* II). » Grande caput idololatriæ revera factus est Nabuchodonosor, talem statuam faciendo, et multitudinem populorum ac principum ad dedicationem ejus invitendo clamente valenter præcone: « Vobis dicitur populis, tribubus et linguis: In hora qua audieritis sonitum tubæ, et fistulæ, et citharæ, sambucæ, psalterii, et symphoniæ, et universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream quam constituit Nabuchodonosor rex. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis (*Dan.* III). » Nulla usquam Scriptura meminit quemquam ante illum tantum habuisse fundandæ idololatriæ studium, tam horribile, ne dicam pretiosum conflasse, vel vidisse simulacrum, tam crudele pro cultu idoli proposuisse edictum. Recte ergo calix aureus Babylon dicitur per prophetam inebrians omnem terram, recte nihilominus universitas impiorum idololatriæ studentium scribitur vel demonstratur: « Habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationum et immunditiæ fornicationis ejus, et in fronte ejus scriptum: Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum et abominationem terræ (*Apoc.* XVII). » Calicem sive poculum Babylonis, dulcem intelligimus deceptionem ejusmodi vel similem illi, quam tunc propinabat rei illius nomine et rex Babylonis, ubi ad alliciendos populos adhibuit sonitum tubæ, fistulæ, et citharæ, sambucæ, psalterii, et symphoniæ, omnis generis musicorum, ut festiva sonorum suavitate inebriati omnes populi et tribus et linguæ, caderent adorando statuam auream hominis corruptibilis, quod vere cadere est.

CAPUT XVI.

Quare Scriptura calicem aureum Babylonicæ meretrici tribuerit.

Causam puto idoneam apparere, cur vel ipse Nabuchodonosor caput aureum dictus sit, vel in manu Babylonis esse aureus calix, quia videlicet capitalem insaniam idololatriæ sublevavit, ille faciendo statuam auream tam magnam, tamque operosam, tantis

impensis stultissimo labore usque ad statum perducendo, cujus fulvo aspectu cum musica, ut jam dictum est, dulcedine, sic inebriari vel dementari poterant animæ mortalium cupidæ, sicut quis inebriatur pleno calice. Jam nunc illud dicere res ipsa admonet, cur regnum Medorum atque Persarum illi regno succedens per argentum in pectore, et brachiis statuæ, quam Nabuchodonosor somniavit, cur regnum Græcorum per æs ventris et femorum, cur regnum Romanorum per tibias ferreas, et pedes partim ferreos, partim fictiles signatum sit, vel significari debuerit. Jam quidem ante nos dictum, vel usitatum est regnum Medorum atque Persarum, idcirco per argentum signatum esse, quia tanto vilius exstitit regno Babylonico, quanto auro vilius æstimatur argentum, quod ex historiis comprobare haud difficile est. Regnum autem Græcorum per æris metallum idcirco signatum esse aiunt, quia æs et durum et valde sonorum est, et Græci fortes et maxime fuerunt eloquentes. **576** Verumtamen licet sensus iste verus et bonus sit, nostri ratio propositi causas adhuc alias suggerit, quia videlicet delectabile est proprias pro posse reddere vel invenire causas, quibus regna illa lapidem illum contra se provocaverint, qui « abscissus de monte sine manibus, statuam percussit, et contrivit atque comminuit. » Verbum namque Dei, cujus victoriam celebrare præsentis est intentio opusculi, et lapis erat tunc antequam caro fieret, et nunc est postquam caro factum est, et per ipsum et cum ipso et in ipso singula regna suis temporibus percussa atque contrita sunt, et in novissimo ita comminuenda sunt, ut quasi in favillam redigantur, et quasi favillæ, quæ vento arrepta est, nullus locus eorum inveniatur.

CAPUT XVII.

Quas ob causas regnum Babylonicum per aurum, et regnum Persarum atque Medorum signatum sit per argentum.

Libet igitur intueri, quia sicut regnum Babylonicum, sive Nabuchodonosor rex, auro suo lapidem illum provocavit, scilicet Verbum Dei, Filium Dei, quem et confessum illum esse recte miramur dicentem : « Et species quarti similis Filio Dei (*Dan.* III), » ita et regni Medorum superbia videlicet superbissimus Aman, argento suo lapidem eumdem contra se concitavit. Dixit enim regi Assuero : « Si tibi placet, decerne ut pereat gens Judæorum, et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. Dixitque rex ad eum : Argentum quod polliceris tuum sit, de populo age quod tibi placet (*Esth.* III). » Nimirum non parvæ considerationis est aut esse debet argentum quod appensum sive oblatum fuit ad Judaicæ gentis universale exterminium, contra propositum Dei, contra verbum promissionis, quod non esset unde impleretur, si diaboli voluntatem, qui insaniebat in Aman, consecutus fuisset effectus. Sane quod dixit Daniel ad Nabuchodonosor : « Tu es ergo caput aureum, » et post hæc « consurget regnum illud minus te (*Dan.* II), » libenter sic accipimus ut

A subintelligamus ad nequitiæ, vel malitiæ opus. Quia videlicet regnum illud contra verbum promissionis minus egit quam regnum Babylonis. Quod et si tanto præcellit regnum illud super regnum Persarum et Medorum, quanto aurum super argento, nunquid idipsum regnum Persarum et Medorum tanto copiosius fuit regno Græcorum et regno Romanorum, quanto ære et ferro pretiosius est argentum ? Itaque propter quam causam Nabuchodonosor sive regnum ejus per aurum propter eamdem regnum Mædorum et Persarum recte intelligitur per argentum. Quia videlicet hic auro, illic argento armatus nitebatur diabolus præpedire, ne adimpleretur promissionis verbum.

CAPUT XVIII.

B *Quam ob causam regnum Græcorum per æs significatum fuerit.*

Eamdem ob causam, per æris metallum in eadem statua, recte accipimus signatum esse regnum Græcorum. Quid enim regnum illud egit ? quid fecit illic draco diabolus, et diaboli satelles Antiochus ? sartaginibus suis et ollis æneis crudeliter usus est. Septem namque fratribus cum matre apprehensis jussit sartagines et ollas æneas succendi, et singulis eorum cute capitis cum capillis abstracta, manuum ac pedum summitatibus præcisis, adhuc spirantes in sartagine torreri (*II Mach.* VII). Taliter impius ære suo contra Deum usus est, agente per eum diabolo, ut verbum promissionis et testamentum Dei de cordibus eorum aboleret, quibus data, vel ad quorum patres promissio facta est. Scripserat enim
C Antiochus omni regno suo, agitante diabolo, ut esset omnis populus unus. Erant autem Judæi, imo et omnis Syria sub regno ejus. Quid igitur per hoc spiritus diaboli intendebat, nisi ut transeuntibus Judæis in idem cum cæteris, qui sub regno ejus erant populis, periret promissio, cum promissionis jam nusquam esset exspectatio ? Quod quia facere noluerunt quidam perpauci, inter cætera mala quæ illis intulit, hoc summum fuit, quod septem fratribus jam dictis et matri eorum sartagines et ollas æneas succensas crudeliter admovit. Num parva hæc est causa, ut regnum illud per ventrem æneum et ænea statuæ femora intelligi debeat ? Præterea in femoribus æneis cum crudelitate intelligi turpitudinem, quia videlicet, dum illa agerentur, templum luxuria
D et commessationibus erat plenum, et scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres ultro se ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebant (*II Mach.* VI).

CAPUT XIX.

Quare regnum Romanorum per tibias ferreas pedes partim ferreos, partim fictiles significatum fuerit.

De regno Romanorum, cur per tibias ferreas, et pedes partim ferreos, partim fictiles significatum fuerit, causa manifesta redditur, dicendo : « Quomodo ferrum comminuit, et edomat omnia, sic regnum quartum comminuet et conteret omnia. » Verumtamen quod pedum quædam pars ferrea,

quædam fictilis visa est, quæstione adhuc indiget ut planius fiat, quamvis interpres idem fere exponat, dicendo sic ibidem : « Porro, quia vidisti pedum et digitorum partem testeam, et partem ferream, regnum divisum erit, quod de plantario ferri orietur. Secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto, et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles, ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum ; quod autem vidisti ferrum mistum testæ et luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ (*Dan.* II). » Certum tempus, quo hæc evenisse cognoscantur, nullo modo aliter melius invenire possumus, quam sequendo litteram propheticam, quæ continuo subjungitur. « In diebus autem regnorum illorum suscitavit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus populo alteri non tradetur. » Tempus ergo quo regnum æternum suscitavit Deus, secundum quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum, tempus, inquam, quo sine opere conjugali de Virgine conceptus et natus est Deus et homo Jesus Christus. Respiciamus, qualiter tunc se habuerit regnum Romanum, quod sine dubio significatum est per ferrum. Nam quod dicit : « In diebus autem regnorum illorum, » idem est ac si dicat : Cum regna hæc sibi ordine successerint, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.

577 CAPUT XX.

Quid mistura ferri et testæ significet.

Igitur in pedibus statuæ per insociabilia signa rerum ferri et testæ, licet arbitrari significatum fuisse id quod acciderat Romanis, quando Christus natus est de Virgine. Quid enim acciderat ? Hoc nimirum quod per maximas civiles discordias Romana potentia in regnum et monarchiam devenerat. Quis illas non audivit discordias ? quis ignorat illa civilia bella? Defatigatus est mundus, et adhuc defatigatur, scholasticis lectitantibus, historiographis denarrantibus, poetis quoque retractantibus, Romanorum fere omnium, maximeque Pompeii, et C. Cæsaris discordias immites, discordias impacabiles. Itemque Antonii et Octaviani Augusti pugnas civiles, per quas et inter quas idem Octavianus Augustus Romanorum monarcha effectus est, in cujus diebus lapis in monte sine manibus abscissus est, quo regnante Christus de Virgine natus est, cujus et successoris ejus Tiberii Cæsaris temporibus æternum regnum Dei, per passionem et resurrectionem ejusdem Jesu Christi suscitatum est. Per ferrum, inquam, et per testam in pedibus statuæ, discordias illas et bella civilia libenter accipimus signata fuisse, et hoc esse, quod scriptum est : « Quia vidisti pedum et digitorum partem testeam et partem ferream, regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, » id est ex nimia fortitudine, suboriente invidia fiet, ut regnum dividatur. Et hoc ipsum repetitur, dicendo : « Quia autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ (*Dan.* II). » Cum magna admiratione hoc accipiendum est, quia non solummodo concives, verum etiam consanguinei fuerint, ita ut Pompeius C. Cæsaris gener, et Octaviani Antonius sororius existeret, et tamen non magis potuerunt per concordiam cohærere sibi quam potest ferrum misceri testæ. Et tandiu dissenserunt, donec pars infirmior victa decessit. Ibi pars partem unius ejusdemque Romanæ virtutis ita velociter et fortiter superavit, ut pars quæ victa est luteæ testæ, pars autem quæ vicit ferro possit comparari :

Una acies patitur bellum, gerit altera. . . . .

ait auctor insignis, describens illa civilia bella (LUCAN. *Pharsal.* VII, 501). Item ad illum qui superior erat, id est ad C. Cæsarem jam dictum refert (ID. (*Pharsal.* I, 82-85) :

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum ? Facili si prælia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem,

et ita factum est. Summa horum, quæ dicta sunt, ista est, per discrepantiam testæ et ferri, quarti, id est, Romani regni civiles discordias recte posse intelligi. Nunc ad ordinem redeamus.

CAPUT XXI.

Quare exclamaverit Nabuchodonosor : « Ecce ego video quatuor viros solutos, et species quarti similis Filio Dei. »

Capitulum magnæ admirationis in aureo capite, quod erat Nabuchodonosor, contra statuam auream, quam erexerat Nabuchodonosor, istud est, quod exclamat : « Nonne, inquit, tres viros misimus in medium ignis compeditos ? » Et respondentibus optimatibus suis atque dicentibus : Vere, rex, Ecce ego video, inquit, viros quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil in eis corruptionis est, et species quarti similis est Filio Dei (*Dan.* III). » Hoc magnæ inclamationis dictum, totus orbis audivit de ore hominis regis gentilis et impii. Et quis digne sufficit admirari, ubinam viderat ille Filium Dei, ut similitudinem ejus recognoscere posset in medio ignis ? Dixit enim : « Et species quarti similis est Filio Dei. » Sic loqui solent, qui quamlibet speciem aliquando visam, alicubi consideratam, et mente retentam memoria signatam, alio tempore, sive loco alio, in persona qualibet recognoscunt. Iste, inquiunt, similis est illi, quem vidi, istud est simile illi, quod ibi vel ibi consideravi. « Quam similis est juvenis iste consobrino meo, » ait quidam, intuens juniorem Tobiam ! (*Tobiæ* VII). Viderat enim patrem, et in filio similem, ut accidere assolet, animadvertebat speciem. Iste autem, ubi viderat Filium Dei, ut speciem ejus recognoscere posset in illo, qui descenderat cum Azaria et sociis ejus in fornacem, vel in medium ignis ? Nunquam viderat Filium Dei, sed nec unquam legendo vel audiendo didicerat quis, vel qualis esset Filius Dei. Nonne ergo mente non sua locutus est ? Nonne in magno excessu taliter effatus

est ? Vere in magno excessu, in magno stupore. Non levis stupor exstitit, quem quasi leviter Scriptura enuntiavit, dicendo, ubi supra : « Tunc rex Nabuchodonosor obstupuit, et surrexit propere (*Dan.* III). »

CAPUT XXII.

Quare appellatio Filii Dei ab inimico et persecutore primum usurpari debuerit.

Speciosa victoriæ pars, et insigne præconium Verbi Dei, Filii Dei, quod illum manifesta confessione prius confessus est inimicus, quam amicus, persecutor quam exsecutor, et injustus quam justus, gentilis quam Judæus. Quis enim saltem ex omnibus prophetis tam aperte nomen istud expressit, Filium Dei ? Habemus passim in Scripturis propheticis « Verbum Dei » et hoc Verbum Dei Filius est, sed mundus eum non cognovit ; ita ut nec apud Judæos, quibus creditum est Verbum Dei, tutum esset prædicare hoc nomen, quod est Filius Dei. « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (*Joan.* I), » nec solum eum non cognovit, verum etiam annuntiationem de eo, nec saltem Judæus ferre potuit, unde et oportebat prophetas claudere, ligare, et signare testimonia ejus in Scripturis. Quia, sicut jam dictum est, non possent portare saltem cultores Dei, nec paterentur audire ullam esse Dei generationem, ullum esse Filium Dei. Per hunc summum ex principibus suis, quem Judæus aut gentilis arguere non posset, cujus opprimere os non auderet mundus, hoc nomen primitus audivit Filium Dei. At ipse tantus prædicator forte etiam tunc dormivit et somniavit, quando nomen istud prædicavit. Non enim putemus eum nunc tantummodo dormisse, quando illam, de qua jam supra dictum est, magnam statuam somniavit, somniumque perdidit, ignorans quid viderit. Imo tota vita ejus somnus fuit, quidquid boni de Deo pronuntiavit ; quidquid benedixit et laudavit, somnium fuit. Quia sicut illud de statua somnium perdidit, ita quidquid laudis Deo declamavit, totum de corde ejus velociter evanuit. Denique qui post interpretationem somnii vel statuæ, quam viderat, Danielem adoravit. « Vere, inquiens, Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum (*Dan.* II), » ipse postmodum statuam dedicans auream, servos ejusdem Dei misit in fornacem **578** ignis. « Et quis est, inquit, Deus, qui eripiat vos de manu mea ? (*Dan.* III). » Item, qui dixit : « Benedictus Deus eorum, Sidrach, videlicet, Misach et Abdenago (*ibid.*), » etc., ipse postmodum contra Dei decretum, quod viderat vel audierat, superbe respondens : « Nonne, inquit, hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei (*Dan.* IV) ? » statim propter superbiam quasi bos effici meruit.

CAPUT XXIII.

Confessionem et laudem Nabuchodonosoris, propter superbiam, et tumidam vanitatem reprobam fuisse.

Jam nunc, ut constet magis ac magis merito declamationes illas probari, perpende quia non fuit A speciosa laus in ore illius peccatoris (*Eccli.* XV), tota namque respersa est fermento tumidæ vanitatis. Quomodo enim laudavit, cum scripsit : « Nabuchodonosor rex, omnibus populis, gentibus et linguis quæ habitant in universa terra, pax, inquit, vobis multiplicetur, signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa ejus (*Dan.* III). » Quantus in oculis suis habetur, dum dicit : « Signa apud me fecit Deus excelsus ? » Et deinde : « Placuit ergo mihi ? » Quid enim est, « apud me fecit, » et quia « placuit mihi, » nisi ob gratiam mei fecit, et feliciter contigit illi Deo, quia placuit mihi ? Vere sicut non dignatur Deus excelsus laudem, nisi ex humili spiritu, ita justum et dignum se fuit, ut reprobaret extollentiam sublimium oculorum illius, qui laudando laudabilem in ipsa laude B mentiebatur. Non enim apud eum signa fecerat Deus excelsus, quia non erat amicus, sed fecerat contra eum, quoniam erat inimicus Dei excelsi et servorum ejus. Et quis unquam justorum regum sive patriarcharum, qui magnalia Dei viderunt, referens dixit, aut dicere debuit : « Signa apud me fecit Deus ? » Nos quoque de sanctis illis loquentes, non dicimus aut dicere debemus : Apud illum vel illos, sed per illum, et per illos, sive coram illis Deus mirabilia fecit, utpote in terra Ægypti. Sicut igitur de rege omnium filiorum superbiæ Deus excelsus dicit : « Non parcam ei verbis potentibus, et ad deprecandum compositis (*Job.* XLI), » ita de isto superbiæ filio recte dicas, quia non pepercit, aut parcere debuit illi Deus, id est pro laude clamosa C et magnificentia sublimi.

CAPUT XXIV.

Quod sicut tribus pueris in camino adfuit Filius Dei ita omnibus adfuturus sit qui se confiteantur.

Illud quoque non prætereundum, quod etiam si non dixisset ille stupidus : « Et species quarti similis est Filio Dei (*Dan.* III), » nos qui nunc sumus, et in rebus temporaliter gestis, æterni regni mysteria contemplari studemus, scienter et vero sensu dicere possemus et nunc dicimus, quia species quarti similis » fuit « Filio Dei, » id est, qui quartus apparuit in camino ignis, et servos Dei excelsi mirabiliter custodivit, signum fuit, et in semetipso signavit quod facturus erat, jamque facere cœperat Filius Dei, Verbum Dei. Quando enim defuit agonizantibus D servis suis propter Verbum Dei ? Hoc maxime futurum erat temporibus Evangelii sui, ut publicis edictis et proscriptionibus fidem sanctæ Trinitatis impugnaret rex magnæ Babylonis diabolus. Et ita factum est paganis Romani imperii regibus diabolo famulantibus. Nonne cum piis martyribus Filius Dei, et in flammis, et in cæteris agonibus semper præsens fuit ? Verbi gratia, ubi martyr insignis Laurentius ignibus suppositus est pro fide Filii Dei ? nunquid qui assatus fuit, et super craticulam et super ignem spiritum emisit, idcirco dicas, quia fuit absens, et ab ignibus ejus longe astitit Filius Dei ? imo præsentior illi fuit et gloriosius in eo trium

phavit, quam si excussisset carbones, et ignitam craticulam ejus quasi ventum roris flantem fecisset. Transivit per ignem, et flamma illi non nocuit, et odor ignis in eo non fuit, quia fides læsa non est, imo sicut aurum per ignem probata est. Sic animadvertimus in illa fornace Babylonica, speciem quarti similem Filio Dei, quia sicut per speciem quæ illic apparuit, custoditi fuerunt illi tres pueri, sic per invisibilem præsentiam Filii Dei illæsa permansit in sanctis martyribus fides æternæ Trinitatis, et Romanum imperium sonorius atque dulcius quam ille rex Babylonis, tandem confiteri meruit Christum Filium Dei.

CAPUT XXV.

Quare Deus, non ut tres pueros, ita et templum defenderit, ne conflagraret.

Non poterat hic Deus excelsus templum suum, quod erat Hierosolymis, illæsum custodire a flammis incendii Babylonici, qui tres pueros taliter custodivit in camino ignis, ut nihil potestatis haberet in corporibus eorum, et capilli capitis eorum non essent adusti, et saraballa eorum non essent immutata, et odor ignis non transiret per eos? Plane poterat, sed erudiendus erat mundus, ut sciret quod Deus excelsus non pulcbris lapidibus, aureisve parietibus templi manufacti delectatur, sed fidei claritate et mundis cordibus, et ille est ei optabilis locus. Nam quia et tabernaculum Moyses cum auctoritate Dei, et templum Salomon tanto opere, auro et gemmis exstruxit, atque perornavit, existimare poterant homines cupidi de Deo male sentientes, quod esset eorum similis, et de religione justitiæ nihil curantes, putarent se satis honorare Deum muneribus aureis, suamque cupiditatem corroborarent quasi exemplo Dei. Hanc suspicionem digne a se removere curavit opere perficiendo illud, quod ad Salomonem dixit, cum ille perfecisset ædificium domus Domini. « Si autem, inquit, aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me nec custodientes mandata mea, auferam Israel de superficie terræ quam dedi eis, et templum quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo (*III Reg.* IX). » — « Salomon, inquit Stephanus protomartyr, ædificavit illi domum, sed Excelsus non in manufactis habitat, sicut per prophetam dicit : Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia? (*Act.* VII). » Digne igitur se fecit, quod templum vel aurum templi manufacti, pro tempore et re multum neglexit, nomen autem suum et promissionis Verbum, in quo vita est, glorificare et dilatare nunquam desiit.

579 CAPUT XXVI.

Toties victum Nabuchodonosor, nunquam tamen fuisse ex animo humiliatum.

Jam semel et secundo commonitus fuerat Nabuchodonosor rex, ut ab altitudine sua detumesceret, ac de semetipso mortalis homo humilia sentiret, et prior quidem admonitio terribilis, sequens autem terribilior atque severior exstitit; nam in prima tantummodo territus fuit, in secunda vero damnum quoque de suis accepit, quia viros illos fortissimos de exercitu suo, qui ad ejus imperium servos Dei excelsi miserant in fornacem, interfecit flamma ignis. Justa ergo super ipsum post hæc pervenit sententia præeunte visione, cujus interpretatio sententiam ipsam prænuntiabat, nihilominus perseverante cordis ejus indomabili superbia. Nam ut sciamus, quanta in corde ejus arrogantia, quanta in oculis fuerit extollentia, signanter ita dictum est : « Post finem mensium duodecim, » subauditur, ex quo de arbore succidenda somnium viderat, et interpretationem ejus audierat, « in aula Babylonis deambulabat, responditque rex, et ait : Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? (*Dan.* IV). » Cui vel contra quid respondisse dicitur, nisi contra id quod audierat : « Hæc est interpretatio Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem : Ejicient te ab hominibus, et cum feris erit habitatio tua, et fenum ut bos comedes? » (*Ibid.*) Claret itaque maxima in loco illo culpa superbiæ, quia considerando magnitudinem Babyloniæ, roburque fortitudinis suæ, et amplitudinem, ut putabat, gloriæ, impossibile judicaverat, quod audierat ex divina auctoritate, faciliusque posse infectum præterire verbum Domini, secundum interpretationem somnii, quam venire aliquid super se adversi, tantum regem magnæ Babylonis. Igitur ubi statim subjungitur : « Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur, rex Nabuchodonosor, regnum tuum transiit a te (*ibid.*), etc., manifeste prædicatur, sicut justa omnipotentia, ita et Omnipotentis justitia, quia Sanctus et Justus neminem pœnaliter humiliat, nisi illum, qui se pertinaciter exaltat.

CAPUT XXVII.

Nabuchodonosor tanquam bovem fenum comedisse.

Tandem notandum quid idem Nabuchodonosor, sicut in culpa, ita et in pœna similis factus est captivatori generis humani diabolo. Nam de illo dixerat Dominus ad beatum Job : « Ecce Behemoth, quem fecit tecum, fenum quasi bos comedet (*Job.* XL). » Cum ergo ex hominibus abjectus Nabuchodonosor fenum ut bos comedit, manifeste datur intelligi quod in pœna sua similis diabolo exstitit, quia quod fecit ille spiritualiter, hoc fecit iste corporaliter, quod ille indesinenter, hoc iste septennio, quo videlicet numero universitas significari solet. Ille namque fenum comedit, id est carnales sibi incorporat homines, de qualibus scriptum est : « Omnis caro fenum est, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Vere fenum est populus, exsiccatum est fenum et cecidit flos (*Isa.* XL). » Solum ejusmodi fenum comedit quasi bos, quia præter viriditatem carnis nihil est in eis quibus prævaluit ille Behemoth. Et quid

amplius est in his qui dentes illius offendunt, nisi illud quod sequitur: « Verbum autem Domini manet in æternum? » (*Isa.* XL). Igitur quam justum, tam pulchrum est judicium in eo quod ille dudum rex præpotens,quasi bos comedit fenum,tanquam diceret ei vox, quæ de cœlo ruit super eum (*Dan.* IV): Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex, tu Verbum Domini quod manet in æternum, exterminare voluisti, succendendo Jerusalem,et templum Domini, quod solum erat in quo invocabatur nomen Domini, sed neque tu, neque Behemoth pater tuus, vel quicunque sunt ex parte ejus, efficere poteritis, ut in vacuum prætereat verbum promissionis,quantumcunque affligatis, aut devoretis fenum, vel florem feni, id est carnales homines, vel carnalium hominum gloriam, quorum aliqui idcirco permittuntur vobis, cum sint ex Abraham traducti, quia sunt quidem filii carnis, sed non filii promissionis,unde nec mereantur in semine computari.

CAPUT XXVIII.

Quo sensu verum fuerit quod Nabuchodonosor dixit: « Nonne hæc est Babylon, quam ædificavi? »

Putasne verum dixit Nabuchodonosor,gloriando: « Nonne hæc est Babylon quam ego ædificavi? » (*Dan.* IV).Babylonem namque,ut Pompeius Trogus refert, Semiramis condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit,arena,pice, et bitumine interstrataque materia. Nunquid ergo verum dixit, tanto junior Semiramide uxore Nini, in quo regnum Assyriorum cœpit? Verumtamen sacra præpollet auctoritas, quod ante Semiramidem Babylon exstitit, et causa quoque nominis ejus antiquissima, sacris est edita litteris.« Chus,inquit, filius Cham, genuit Nemroth, ipse cœpit esse potens in terra. Fuit autem principium regni ejus Babylon, de terra illa egressus est Assur,et ædificavit Ninivem (*Gen.* X). » Causa nominis,quod est Babylon,exstitit illa, quod ibi Deus linguam confudit eorum, qui ædificabant,et cessaverunt ædificare civitatem. Nam « Idcirco vocatum est,inquit,nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ (*Gen.* XI). » Ergo vir gloriosus,de qualium quolibet illud Sapientiæ dictum est: « Nubes et ventus et pluviæ non sequentes,vir gloriosus et promissa non complens (*Prov.* XXV); » vir, inquam, gloriosus, id est vanus,vento vanitatis plenus atque distentus,quia fortassis Babylonem propriis opibus atque impensis auxerat,rem suam,sive opus suum non parvi æstimans aut æstimari volens, magno ore declamavit responsum cordis alti et erectæ cervicis: « Nonne hæc est Babylon quam A ego ædificavi? » ne diceret, quam ego provexi sive ampliavi: et quid tum, o vir gloriose, si tu Babylonem a fundamentis ædificasses? Nunquid vel sic verbum quod audieras, scilicet interpretationem somnii,facere irritam potuisses? Juste igitur, quia tam justus quam omnipotens sermo Dei est, super te sententiæ vox ruit, etiam si aliquo modo consilium sancti prophetæ secutus fueras, dicens: Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis (*Dan.* IV). »

580 CAPUT XXIX.

Nabuchodonosor non mentem tantum, verum et formam amisisse, cum fenum ut bos comederet.

Tandem de isto dicendum, quia solet quæri: B Utrum mentem solam et non etiam formam amiserit. Et quidem ipso dicente: « Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi (*Dan.* IV). » Sic majores nostri asserunt, quia quando dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse, sed mentem. Sed adhuc illud occurrit et repugnare videtur,quod idem postmodum repetens dicit: « In ipso tempore sensus meus reversus est ad me,et ad honorem regni mei decoremque perveni, et figura mea reversa est ad me, et optimates mei et magistratus mei requisierunt me (*ibid.*). » Et inter cætera cum dicit ibidem: « Et figura mea reversa est ad me, » profecto datur intelligi, quod de figura sive status humani rectitudine nonnihil amiserit et quod etiam si manuum vel pedum effigies,digitorumque discretio C sive discreta numerositas permansit, nihilominus tamen quadrupes incesserit, præsertim cum ita dictum vel expressum sit, « fenum quasi bos comedes (*ibid.*). » Et fenum ut bos comedit, qui videlicet bos quadrupes nullis utitur manibus, quippe cui manus natura non creavit, sed pronus humi fenum dente demetit, et os per terram trahendo comedit. Sed et illud quod dictum est in sententia: « Cum bestiis atque feris erit habitatio tua (*ibid.*), » figuram ejus demutatam fuisse, ut jam dictum est, nonnulla ex parte probat,præsertim quia dixit: « Et figura mea reversa est ad me. » Et quia bestiæ sive feræ non facile sociarentur illi sine aliqua sui similitudine. Verumtamen quomodocunque figura ejus se habuerit, hoc in laudem omnipotentis verbi D Dei admirandum est, qui regem tam potentem, tanta mutatione demutavit, quanta quempiam hominum fuisse demutatum, sacra nusquam Scriptura meminit, excepta uxore Loth, quæ respiciens post se, versa est in statuam salis.

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Balthasar regem jam tum, cum manus hominis in pariete scribens appareret, a Verbo Dei victum fuisse.

Post effectum Verbi Dei victoriosum,quo hominem regem, hominem superbum, rege elatum fortiter dejecit,potenter humiliavit; ipsum quoque regnum debellare supervenit,præmisso suimet vel præsentiæ suæ admirabili signo, rege Balthasar celebrante convivium,jamque temulento cum optimatibus suis,

cum uxoribus et concubinis suis, « dum in sacris vasis templi Domini biberent vinum, et laudarent deos suos argenteos, et aureos, et æreos, ferreos, ligneosque et lapideos, in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis aulæ regiæ, et rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc regis facies commutata est, et cogitationes ejus perturbabant eum, et compages renum ejus solvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur (*Dan.* v). » Scriptura illa signum fuit Verbi Dei jamjam consurgentis, jamjam irruentis ad debellandam superbiam regni tyrannici, regni Assyriorum atque Chaldæorum, quod a temporibus Nini et conjugis ejus Semiramidis per annos ferme mille trecentos jugo aspero presserat colla populorum. Rex ille fortissimi imperii parvula verbi ejusdem signa, pauculos apices judicii ejus, veros judices, cum nondum intelligere, aut quisquam legere posset, ferre non potuit, videre non sustinuit, sed facie commutata, mente perturbata, libidinosi renes ejus inter uxores sedentis solvebantur, genua libidinosi inter concubinas bibentis ad invicem collidebantur, et ita palam factum est, quam esset infirmus, qui videbatur fortis et imperiosus

CAPUT II.

Danielem non perturbatum, sed confidenter aspexisse, legisse et interpretatum fuisse.

At ille, ad quem et propter quem, vel propter cujus similes veniebat et decertabat Deus, Dei Verbum, non expalluit, non perturbatus est, sed advocatus ad legendum, postulatus ad interpretandum, astitit familiariter, fidenter intuitus est, legit scienter, sapienter interpretatus est, « Mane, Thecel, Phares. » — « Mane, numeravit Deus regnum tuum et complevit illud. Thecel, appensum est in statera, et inventum est minus habens. Phares, divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis (*Dan.* v). » Quam breves voculæ, quantam longitudinem, quantam latitudinem, quantam altitudinem demonstraverunt animæ hominis habentis dilectionem verbi Dei, cujus arcanum consilium sublime atque profundum continebatur tribus vocibus illis, sex syllabis, quatuordecim litteris illis. Per hoc quod scriptum fuerat, « Mane, » quod interpretatur *numerus*, vidit in latitudine cordis angustam diuturnitatem regni Assyrii sive Babylonii, quia non **581** casu accidisse, sed justo judicio Dei, ut gentes tam multas jugo suo premere posset annis, ut jam dictum est, mille trecentis. Legamus diligenter Scripturam hanc, et sequamur interpretationem divinam, quia contra candelabrum scripta esse narratur, suggerat nobis ut candelabro appropinquemus, quatenus clare intueamur. Candelabrum nostrum Christus; Lumen nostrum Verbum Dei est. « Lucerna, inquit Psalmista, pedibus meis Verbum tuum, et lumen semitis meis (*Psal.* CXVIII). » Ut igitur brevis scripturæ brevem interpretationem copiosius consequamur, verbi Dei quod in sanctis Scripturis habemus, documenta sequamur.

CAPUT III.

Quid sibi velit primum verbum, Mane, *id est* numeravit.

« Mane, inquit, numeravit Deus regnum tuum et complevit illud (*Dan.* v). » Quando vel quomodo numeravit Deus, quando vel quomodo complevit Deus regnum illud? Nimirum antequam conderetur Ninive, priusquam ædificaretur Babylon, antequam nasceretur Ninus, priusquam fieret Assur sive Nemrod filius Chus; cujus regni principium fuit Babylon, « numeravit Deus regnum illud. » Sicut omnia in numero et pondere et mensura posuit, sic et illud regnum numeravit. Quomodo ergo numeravit? Profecto scivit causas gentium, propter quas permitteret super eas elevari baculum impiorum, virgam sive jugum dominantium, scilicet regnum jam dictum, ut cæderet populos in indignatione, subjiceret in furore, gentes persequeretur crudeliter. Causas, inquam, scivit, et secundum causarum quantitatem numeravit atque mensus est tempora sive annos ejusdem regni, ut tantum vel tandiu persequeretur, subjiceret atque cæderet. Venerat baculus ille sive virga illa impiorum dominantium usque ad filios, quorum iniquitates et peccata visitari oportebat. Quia dereliquerant legem Domini, quia non ambulaverant in judiciis Domini. Jam ergo tempus erat, jam evoluti fuerant anni, numero quem præfixerat, et oportebat fieri quod per Psalmistam prædictum fuerat: « Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas (*Psal.* CXXIV). » Igitur complevi illud, inquit, id est præfixus et transactus annorum sive dierum numerus, et ecce sicut alia Scriptura dicit: « Computrescet jugum a facie olei (*Isa.* x), » id est, cessabit potentia, quæ diu superbivit, superveniente misericordia Dei.

CAPUT IV.

Quid velit secundum verbum, Thecel, *id est* appensum est.

« Thecel, appensum est in statera, et inventum est minus habens (*Dan.* v). » Ordo rectus, ordo legitimus, ut postquam servivit ille malus servus, de servitio vel servitii retributione judicetur. Postquam completum est regnum, illud recipiat quod meretur. Judicium namque est inter Deum, et regna, sive reges regnorum. Ipse qui ordinavit regna, judicat illa. De qua quæstione putas sit judicium? puta dicere judicem Deum: « Ego vos excitavi, ego vobis potestatem dedi, ut peccantes mihi populos cæderitis, servitium vestrum implevistis, sed minus est in facto vestro, quam in proposito meo (*Zach.* I). » In meo namque proposito bona est intentio, sed hæc defuit in facto vestro. Ergo « inventum est, inquit, regnum tuum minus habens, » quia vos omnes reges Assyriorum bonam quam ego habui, non habuistis intentionem, sed tantum explevistis superbiam vestram et crudelitatem. Ego iratus sum, parum vos addidistis in malum. Multum itaque deest in pondere, quia deest totum, quod esset laudabile, scilicet omnis intentio justitiæ voluntas

corripiendi, intentio corrigendi, refrenandi vitia, sanciendi gentibus jura legitima. Sed et in hoc inventum est longe minus habens, quod regnum, sive reges regni illius non eum, qui dederat illis potentiam glorificaverunt Deum altissimum, aut gratias egerunt, imo veritatem commutaverunt in mendacium et adversus Deum elevati sunt et deos suos illaudabiles laudaverunt. « Elevatum est, inquit Daniel, cor Nabuchodonosor, et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam (*Dan.* v). » Tu quoque filius ejus Balthasar non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia quæ super eum venerunt; sed adversus Dominum dominatorem cœli elevatus es, et vasa domus ejus allata sunt coram te, et tu optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ vinum bibistis in eis, deosque vestros argenteos, et aureos, æreos, ferreos, ligneosque et lapideos, qui non vident neque audiunt, neque sentiunt, laudastis. Porro Deum qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti. Igitur quia inventum est tanto minus habens, justum judicium scribentis, justa est sententia dicentis.

CAPUT V.

Quid velit tertium verbum, Phares, *id est* divisum est.

« Phares, divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis (*Dan.* v); » eum in quo ante finitum est regnum illud diuturnum Assyriorum Pompeius Trogus Sardanapalum memorat, virum, muliere corruptiorem, eum autem, qui facta conjuratione bellum Sardanapalo inferens mortuo successit, et ad Medos imperium transtulit, scribit Arbactum fuisse præfectum Medorum. Miro modo reges postremi, ille videlicet Sardanapalus in quo finitum est regnum Assyriorum, et iste Balthasar, in quo divisum est regnum Chaldæorum, sicut compares in superbia, ita consimiles fuere in contumelia. Ille namque vir, ut jam dictum est, muliere corruptior, inter scortorum greges purpuras colo nebat, et cum muliebri habitu, dum mollitia corporis et oculorum lascivia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines patiebatur: quam ob causam facta conjuratione a suis ad mortem est adactus. Iste inter uxorum et concubinarum turbas nocturnum producens convivium, crapulatus et ebrius eadem nocte est interfectus. Josephus quidem ita narrat. Non post multum tempus, et Balthasar captus est, et ipsa civitas. Hic autem sicut scriptum est, eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus, et Darius Medis successit in regnum. Dum præmissa narratione de Scriptura et interpretatione ejus subjungit: « Non post multum tempus captus est, » videtur dicere, quod non interfectus sit eadem nocte. Quod si historiæ contrariæ sunt (in multis namque discrepat multitudo scriptorum sæcularium) huic sine dubio magis est credendum, qui præsens interfuit, qui Scripturam legit et interpretatus est, qui inde purpuram et torquem auream circa collum accipit, qui tertius in regno princeps prædicatus est, et cum tanto honore, cum tali principatu de regno ad regnum (*Dan.* v), de

A Chaldæis victis translatus est ad victoriam **582** Medorum atque Persarum. Fidelis interpres, notum et insignem portans veritatis triumphum. « Divisum est, inquit, regnum tuum, » subauditur, « contra te, » quia facta conjuratione ab his quibus imperare debueras, circumdatus es obsidione moriturus hac nocte in crapula et ebrietate. Et datum est Medis et Persis juxta prædicationem ejus, qui ante te laudans et magnificans viventem in sempiternum: « Viæ, inquit, ejus justæ, et gradientes in superbia potest humiliare, dominaturque in regno hominum et quicunque voluerit dat illud (*Dan.* vi): »

CAPUT VI.

Quod scriptum et dictum tunc est contra unum regnum Babylonis, de omnibus regnis mundi debere intelligi.

B Latius quam adhuc dictum sit, patet Scriptura hæc: « Mane, Thecel, Phares (*Dan.* v). » Similiter namque de cæteris regnis sentiendum, de regno Persarum et Medorum, de regno Macedonum sive Græcorum, de regno Romanorum, videlicet quod singula eorum jam Deus dinumerasset, et singula suis temporibus completurus esset, quod singula deberet appendere in statera, judiciumque divisionis dare, pro eo quod ea minus habere inveniret. Verum etiam adhuc parum est considerare in partibus, quod de toto si prædicetur, plus habet admirationis et commodi, terroris amplius. Regna illa partes sunt vel fuerunt, totum autem est omne sæculum, universitas creaturarum, earum duntaxat, quæ rationales sunt, scilicet angelorum et hominum, de quibus Domini C Creatoris est et erit judicium. Igitur ad summum recurrentes, proponamus mundum, et mundi principem diabolum, cujus typum gessit Assur, et in Medis atque Persis Aman superbissimus, in Græcis Antiochus, et in Romanis Nero, malorum imperatorum imperator pessimus, et in novissimis diebus revelabitur nominatus Antichristus. In isto mundi principe et in toto mundo contemplemur dinumerationem Dei, appensionem in statera Dei, divisionem judicii Dei, appensionem in statera Dei, divisionem judicii Dei, secundum Scripturam hanc: « Mane, Thecel, Phares. »

CAPUT VII.

Quid significet Mane, *contra principem hujus mundi.*

D « Mane numeravit Deus regnum » quod dicis esse « tuum (*Dan.* v), » o princeps mundi, rex tenebrarum, tyranne peccati et mortis, numeravit, inquam, dierum senario, et complevit illud die septimo. Sex namque diebus omnia fecit, lucem, sive lucis et tenebrarum discretionem, firmamentum, aquas ab aquis dividens, aridam, id est terram, et aquarum congregationes, quas appellavit maria certis limitibus coercita, solem, lunam et stellas, volucres, et omnia natatilia, homines et jumenta, et cætera quæ moventur in terra. Ista sex dierum opera die septimo complevit, ipsumque diem septimum benedixit et sanctificavit. Tu in istis regnare contendis; tu ista regnum tuum esse dicis, tu ista omnia tua, vel tibi tradita esse mentiris.

CAPUT VIII.

Quid significet Thecel, *contra eumdem principem mundi.*

« Thecel, appensum est in statera, et inventum est minus habens (*Dan.* V). » Statera vera, statera justa, Verbum Dei est, Verbum Deus, Dei sapientia, in qua regnum tuum appenditur, dum de te judicium agitur, quod omnes audivimus, dicente ipso, cujus in manu statera est, imo qui ipsa statera est : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII). Quomodo « inventum est minus habens ? » videlicet quia tu ad diem septimum, quo complevit Deus omne opus suum, non pervenisti ; tu ad Sabbatum, id est, requiem benedictionis et sanctificationis pervenire noluisti ; idcirco veraciter juxta sanctam et mysticam Apocalypsim numerus tuus est sexcenti sexaginta sex. Inter angelos superbiendo laborasti, in decipiendo hominem circuire terram et perambulare cœpisti, in Antichristo fatigaberis, ita labor tuus augmenta capit, sicut isti in decuplum multiplicantur senarii, sex, sexaginta, sexcenti. « Deus » autem, ut jam dictum est, « in septimo requievit. » Appensum igitur regnum tuum profecto inventum et inveniendum est « minus habens, » quia non pervenit ad Creatoris requiem, vacuum et vanum circa creaturam continuas laborem (*I Petr.* V).

CAPUT IX.

Quid significet Phares, *contra eumdem, et quid Persæ et Medi, quibus divisum regnum ejus datum sit.*

« Phares, divisum est regnum tuum, et datum est sanctis Altissimi (*Dan.* V), » quorum typum nunc in excidio duntaxat Babylonis gesserunt Persæ et Medi, præsertim cum Cyrus rex illorum prophetica voce Christus quoque sit appellatus Domini. « Hæc, inquit Isaias, dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam (*Isa.* XLV). » Causam dictionis hujusmodi taliter præmisit : « Qui dico Cyro, pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis ; qui dico, Jerusalem ædificaberis, et templum fundaberis (*Isa.* XLIV). » Futurum namque erat, ut Cyrus licentiam et facultatem daret reædificandi Jerusalem, et templum Domini. « Divisum, inquam, est regnum tuum, » indiviso permanente regno sanctorum, sicut numerus senarius, qui tuus numerus est, solubilis est et secabilis : numerus autem septenarius, qui numerus est Dei, quia die septimo requievit, insolubilis et insecabilis est. Ita regnum tuum solubile est, et sine dubio solutum est, et tu ipse, videntibus cunctis, præcipitandus es ; regnum autem Dei, et sanctorum ejus manet in æternum. Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII), et tu de principatu mundi, de potestate tenebrarum harum pertransibis in tartarum, rudentibus inferni detraheris, eorum quibus regnum tuum dandum est, quibus reservatæ sunt illæ, quas in cœlo perdidisti, mansiones (3*). Hic unus est Daniel purpura

A indutus, auream circa collum torquem de damnato rege referens. Sicut autem veritas verbi Dei purpuram et torquem auream tristi et damnato rege extorsit, et huic sancto interpreti suo transposuit, sic omne decus cœli, omne servitium creaturæ, quod tibi arrogasti, a te extortum, dabitur sanctis Dei hominibus.

583 CAPUT X.

Hanc manum apparentem, signasse manum Dei, de qua David : « Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua. »

Tandem quomodo taliter apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis, et quomodo manu dextera solet scribi recordemur. Imo Deum recordatum esse arbitremur quod cecinerat David gratulans, et gratias agens, quod audire meruisset cum juramento Domini verbum promissionis : « Firmetur B manus tua, et exaltetur dextera tua (*Psal.* LXXXVIII). » Manum illam Domini, dexteram illam Domini, quam summo desiderio, clamore cordis maximo firmari optaverat et exaltari, signabat manus quæ apparuit visibilis. Fiebat jam in parte, quod faciendum erat in toto per manum Domini, per dexteram omnipotentis Dei, quæ non est alia, sive aliud, nisi Verbum Dei, Filius Dei. Quid enim fiebat in illam particularem Babyloniam, nisi quod faciendum erat in universitatem impiorum per promissam et juratam verbi Dei gratiam ? Et quid illud erat, nisi quod continuo sequitur : « Justitia, inquit, et judicium præparatio sedis tuæ. Misericordia et veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui scit jubilationem Domine, in lumine vultus tui am- C bulabunt (*ibid.*), » etc. Jam, inquam, fiebat hoc in parte illa, quia videlicet manus Domini in suo proposito manens, firmiter exaltabatur. Jamque aderant justitia et judicium, in præparatione sedis ejus. Justitia in eo quod populum suum civitate et templo orbatum captivitate tradiderat. Judicium in eo quod regnum captivitatis eorum numeratum, et in statera appensum dividebat, Medisque et Persis dabat. Hæc agenda sedes ejus præparabatur, et misericordia et veritas præcedebant faciem ejus. Misericordia, ut cito captivitas illa solveretur : Veritas, ut « sceptrum de Juda, et dux de femore ejus non auferetur (*Gen.* XLIX), » donec usque ad perfectum sedes illa præpararetur, donec promissio adimpleretur, donec Christus nasce- D retur. Beatus populus qui scit istam jubilationem. Beatus Daniel, qui illam legens Scripturam, in lumine vultus tui, Domine, ambulans, et certam edebat interpretationem, et fidam tenebat in pectore suo manus Domini consolationem.

CAPUT XI.

De quatuor bestiis, quas Daniel viderat, et quare Deus « Antiquus dierum » appelletur.

Non exigit hujus nostri ratio propositi cunctis vel singulis immorari revelationum sacramentis, ex quibus ille beatus consolatus jucundabatur in medio

(3*) Videtur deesse aliquid.

tribulationis, in afflictione captivitatis. Unum est quod intactum mens præterire non patitur, dulcissimum sacramentum pulcherrimæ visionis, quam viderat, priusquam decidisset bestialis ferocitas Babylonis, priusquam apparuissent digiti, sive manus hominis scribentis in superficie parietis causam sive sententiam mox venturi super illam judicii Dei. Siquidem « anno primo Balthasar regis Babylonis, videbam, inquit, in visione mea nocte, et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se (*Dan.* VII), » etc. Delectat hic aliquantisper immorari, quia pulchrum est considerare ferocitatem tyrannicam regnorum sæculi in bestiis ferocissimis : et econtra dignitatem, mansuetudinem et pietatem regni Dei, in habitu antiqui dierum super thronum sedentis, et in percussu « Filii hominis venientis in nubibus cœli, et usque ad Antiquum dierum pervenientis, et in conspectu ejus oblati, qui et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum ; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient. Potestas, inquit Daniel, ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur (*ibid.*) » Primum libet quærere cur Deus, vel qua intentione sic nominetur « Antiquus dierum » quod nusquam inveniebamus ante hunc delectabilem generosæ prophetiæ locum. Sensum quidem in omnibus Scripturis sanctis habemus, quod iste Deus Pater æterni Verbi, Deus sit antiquus, utpote Deus increatus, neque initium habens, neque finem habiturus. Quod et ipsum de Verbo ejus Deo, fideliter sentimus. Verumtamen, ut jam dictum est, nomen hoc « Antiquus dierum, » hic primitus invenimus positum. Causam ergo non otiose quærimus.

CAPUT XII.

Quatuor regna, non ex Deo regnasse

Respice nunc facies bestiarum, de mari ascendentium, quarum propter sævitiam dicit sedisse judicium. « Hæ, inquit, bestiæ magnæ quatuor, quatuor regna consurgent de terra (*Dan.* VII). » Porro ipse, cujus judicium est, dicit : « Regnaverunt, et non ex me ; principes exstiterunt, et non cognovi (*Ose.* VIII). » Vere non in ipso regnaverunt, imo regna, quæ dicta sunt, non tam regna quam quædam maxima et publica latrocinia fuerunt. Primum istorum, quod fuit regnum Assyriorum atque Chaldæorum, quale habuit initium, ante Ninum regem Assyriorum ; et si fuerunt reges antiquiores, qui bella gererent, nequaquam tamen imperium sibi sed populis suis gloriam quærebant, contentique victoria, imperio abstinebant. Ille primus omnium veterem, et quasi habitum gentilibus morem nova imperii cupiditate mutavit, et quæsitæ dominationis magnitudinem, continua possessione firmavit. Vere ergo « regnaverunt, inquit, et non ex me ; » et quid attinet ad eos, in mundo regnare, regnante illo, qui solus regnare debet, mundi Creatore ? Ut igitur cognoscamus et abhorrescamus nimiam in genere humano præsumptionis injuriam, convenienter hic Antiquum dierum nominavit eum, cui regnando factam esse constat injuriam. Ipse namque qui fecit idem debuit disponere mundum nec principari quisquam debuisset, nisi secundum ejus arbitrium. Si inordinatio est et irreverentia, coram cano capite non consurgere, quantæ inordinationis, quantæ irreverentiæ est, regnum tam cani capitis, tam antiqui dierum, rapto nomine regio, lacerasse ? Siquidem inter homines juvenes ac senes, facilis est ætatum comparatio ; dierum autem illius antiqui, et dierum hominum, qui nomen ejus regium rapuerunt, nulla omnino est, aut esse potest comparatio. Quis enim dicere aut cogitare potest, quanto diuturnitas sive antiquitas increati prolixior sit temporibus, annis, sive diebus hominum hesternorum, qui quasi heri creati fuere vel nati ? Quando illarum antiquissima bestiarum de mari ascendit, quando regnum Assyriorum de terra consurrexerit, jam tunc iste « Antiquus dierum » cum Abraham loquebatur et tam antiquus erat, ut nunc est.

584 CAPUT XIII.

Summam rerum omnium et regnum ad Deum pertinere, sed quatuor bestias quantum quæque potuit ad se rapuisse.

Loquebatur, et maturam, suoque cano capiti dignam tractabat sententiam, quod nulli alii rerum omnium summam, regnique sui contraderet monarchiam, nisi Filio suo, Verbo suo, ut per quem omnia facta sunt, regerentur omnia per ipsum. Hoc erat sapientis antiqui decretum, hoc erat immutabile antiquitatis infinitæ consilium. At illæ bestiæ recentes, et nuper natæ, quæ nascendo nihil intulerunt in hunc mundum, contra decretum hoc salire, contra consilium hoc resultare præsumpserunt, et tantum senem non reveritæ, quas vel quantulas potuerunt regni ejus, mundi hujus, diripuerunt partes, homines, regnum super homines invadentes, cum ante oculos illius sapientis Domini, non magis homo hominem natura posset præcedere, vel præcellere quam mus murem. Fuerunt quidem apud hominem illæ bestiæ grandes, prima quasi leæna, alia similis urso, alia quasi pardus, et quarta multum terribilis. Verumtamen in consideratione majestatis illius antiqui, vix mures mererentur dici ; vix erucæ, locustæ, brucho, et rubigini merentur assimilari, quia nullius sunt momenti. Bestias illas interficere, et corpora eorum dare perditioni, sive tradere ad comburendum igni, multo facilius fuit, et est Verbo Dei quam ipsis bestiis stare contra erucam, vel saltum locustæ consequi, nisi quia peccata gentium merebantur, ut permittente Deo, lacerarentur a bestiis. Quis enim alius bestias illas tandem interfecit, nisi Verbum Dei ? « Omnipotens sermo tuus, Domine, ait quidam Sapiens, exsiliens de cœlo a regalibus sedibus durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit gladius acutus, insimulatum imperium tuum portans, et stans in terra replevit omnia morte, usque ad cœlum attingebat, stans in terra (*Sap.* XVIII). »

CAPUT XIV.

Solius Verbi Dei verum esse imperium, humana omnia simulata.

Sine dubio qui in terra Ægypti tantam fecit plagam (cujus ille verbis istis meminit) ipse idem « omnipotens sermo tuus, Domine, in istis bestialibus regnis,et omnia quæ voluit, et hæc maxime fecit,ut Nabuchodonosor fieret quasi bos, ut Aman appenderetur in patibulo, ut Antiochus sine manu contereretur, ut Nero, quia vixerat turpiter, moreretur turpius. De isto omnipotente sermone Domini nequaquam tunc præterire libet, quod inter cætera dictum est,insimulatum imperium tuum portans. Et quid est insimulatum imperium, nisi imperium non simulatum? Et quid est non simulatum imperium nisi imperium verum? Quod cum dicitur, vel intelligitur,nonne econtra hominum imperia simulata esse perhibentur? Vere simulata et non vera, imperia bestiarum, imperia hominum bestialium, qui ad tempus occidendi ut bestiæ potestatem habuerunt,ad vitam autem nec sibi, nec aliis prodesse potuerunt.Iste omnipotens sermo insimulatum portat imperium, verum tenet regnum, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Et jam quidem tale imperium portabat; sed nondum apparuerat, apparuit fastus illius hominis, et quod habebat in forma Dei insimulatum imperium, accepit in forma servi secundum pulcherrimum spectaculum tantæ illius visionis : « Et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem,et honorem et regnum, et omnes populi tribus et linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur (*Dan.* VII). » Nunc ad ordinem revertamur.

CAPUT XV.

Regnum Medorum et Persarum quartum caput draconis fuisse.

Tertio draconis capite superato, quartum sese protinus erexit, dum eliso regno Babylonico regnoque Persarum et Medorum sublevato,protinus idem diabolus cœpit uti contra propositum Dei, contra verbum promissionis,exterminari cupiens populum cujus de carne impleri oportebat quod Deus patribus promisit,quod promissum juramento firmavit. In isto capite facies erat ursi, et tres dentium ordines in ore ejus, per quæ intelliguntur tria regna unius imperii, regnum Babyloniorum, regnum Medorum et regnum Persarum, quæ in unum redacta sunt regnum sive imperium. Et quidem reges illius imperii proposito suo non inclementes fuere populo Dei, sed per eos qui sub regibus fuere principes, maximeque per Aman, sicut historia libri Esther memorat, hoc agere voluit diabolus, ut populus illo omnino exterminaretur.Hoc in antedicta visione Danielis in eo præsignatum est, quod cum dixisset, « et ecce bestia alia similis urso in parte stetit, et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus, » protinus subjunxit : « Et dicebant ei, Surge, comede carnes plurimas (*Dan.* VII). »

CAPUT XVI.

Satrapas Medorum et Persarum Danieli foveam, in quam ipsi inciderent, fodisse.

Suggestum namque fuit regibus, primum Dario, ut perderet Danielem, deinde Assuero, qui et Artaxerxes dictus est, secundus hujus nominis rex, ut deleret universam Judæorum gentem ; invidentes satrapæ Danieli, quod esset unus ex tribus principibus constitutis a Dario,ut satrapæ illis redderent rationem,et quod Daniel superaret omnes principes et satrapas, quia spiritus Dei amplior erat in eo, quodque rex cogitaret constituere eum super omne regnum, adhoc perduxerunt regem, communicato consilio cum principibus regni et magistratibus, senatoribusque et judicibus, quatenus decretum imperatorium exiret et edictum (*Dan.* IX), ut omnis qui petiisset aliquam petitionem a quocunque Deo et homine usque ad dies triginta nisi a rege, mitteretur in lacum leonum. Certissime autem futurum sciebant, ut Daniel sciens constitutam legem, nihilominus peteret a Deo suo, oraret et adoraret Deum suum, atque hoc modo incideret in judicium illius magnæ, fortissimæ, et, ut putabant providæ legis atque inevitabilis decreti. Et ita factum est, verumtamen non in quantum volebant. Ingressus namque Daniel domum suam fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat (*ibid.*), videlicet tenax propositi sancti **585** secundum illam sententiam Davidicam : « Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo,et exaudiet vocem meam (*Psal.* LIV). » Nec vero illud ignorabat quid esset, vel quam verum esset : « Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam (*Psal.* LIV). » Hoc illi nesciebant, sed scire habebant quod Deus Danielis ipse esset, qui Deus trium puerorum sociorum ejus, Sidrach, Misach, et Abdenago, et quod non minus posset pro Daniele leonibus imperare, quam potuit illis flammas ignium mitigare.

CAPUT XVII.

De oratione Danielis contra Jerusalem, propter quam accusatus, et cum rex liberare non posset, in lacum leonum projectus fuit.

O stultam diaboli invidiam, o invidiam draconis antiqui stultam,qui natum sibi quartum caput iniquitatis scilicet potestatem Medici vel Persici regni, tam cito ad hanc partem levabat, et intendebat, ut Daniel non invocaret Deum suum,aut oblivisceretur Verbum Dei sui, quod mente gestabat. Nunquid mulier in utero habens oblivisci potest doloris sui, et non clamare dum cruciatur et parturit? Sic nimirum beata anima prophetæ sanctissimi,quæ intra se conceptum gestabat verbum bonum beatæ promissionis,tacere non poterat. Et occupata in exspectatione salutis, principum in perditionem curren-

tium leges non curabat, consilia non admittebat. Illuc ubi promissio jurata fuerat, animo intendebat in Jerusalem, mente præsens aderat, unde corporis absens exsulabat, ubi juramentum accepit fidelis David, unde exire oportebat Verbum vel effectum promissionis, quia de Sion exibit lex, aiebat spiritus propheticus, et Verbum Domini de Jerusalem. Propterea fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem « vir desideriorum » genua flectebat, interdum lugens, et panem desiderabilem non comedens, multisque modis semetipsum affligens, ut totis viribus adhibitis, validam usque in cœlum sublevaret orationem, indeque opportunam sibi attraheret consolationem. Exploratus est, accusatus in judicium venit, tanquam prævaricator magnæ legis, tanquam reus læsæ majestatis. O vere beata anima, cum te nec rex ipse liberare posset, ponens cor ut te liberaret, et usque ad occasum solis laborans, ut te erueret, tunc quidem tristitiam habebas, ibi dolores ut parturientis : « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus (*Joan.* XV), » ait ipsum Verbum incarnatum, cujus in obsequium tu tam vehementer doluisti, quod Verbum bene conscium est doloris ejusmodi in animabus sanctis, præsertim quia ipsum in eis est, et dolorum causa illis est.

CAPUT XVIII.

Danielem in martyrio Verbi Dei, tribus pueris non fuisse inferiorem.

Ergo, martyr Verbi Dei, nihil minus a sanctis sociis tuis tribus pueris habuisti. Forte, o vir desideriorum, ubi vidisti : « Ecce ego video viros quætuor solutos et ambulantes in medio ignis, et nihil in eis corruptionis est, et species quarti similis est Filio Dei (*Dan.* III). » Ubi, inquam hæc audisti, ubi tres socios triumphantes ad gloriam Dei de fornace ignis procedentes aspexisti, et propter hoc laudes et benedictiones Deo tuo declamatas audisti, forte suspirasti, forte ingemuisti quod tuæ felicitati tantum deesset, ut passionis eorum, et gloriæ non meruisses consors vel particeps fieri. Non fuisti neglectus, non fuisti Filio Dei, cujus species illic recognita est, vilis aut contemptus. Nam ecce solus absque sociis tuis, solus cum angelo ejusdem gratiæ salvus et incolumis inter ora leonum nocte integra perseverasti : « Deus tuus misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt tibi quia coram eo justitia inventa est in te, sed et coram hominibus delictum non fecisti (*Dan.* VI). » Habeto igitur et tu titulos triumphi, tuæ fidei vexillo inscriptos, sociis tuis non inferior. Habeto titulos tuis meritis exactos, regia voce declamatos : « Pavescant inquit, et tremiscant omnes in universo imperio Deum Danielis. Ipse est enim Deus vivus et æternus in sæcula, et regnum ejus non dissipabitur, et potestas ejus usque in æternum ; ipse liberator et Salvator, faciens signa et mirabilia in cœlo et in terre, quia liberavit Danielem de lacu leonum (*ibid.*) »

CAPUT XIX.

Completo captivitatis annorum numero, non prophetas tantum, verum etiam super ædificatione Jerusalem lætatos fuisse.

Interea « completus erat numerus annorum, de quo factus est, inquit, sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare et deprecari jejuniis, sacco et cinere (*Dan.* IX). » Tunc et Zacharias qui et in ordine duodecim prophetarum undecimus est, respondisse narrat Angelum Domini, et dixisse : « Domine, exercituum usquequo non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es, iste septuagesimus annus est. Et respondit, inquit, Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria (*Zach.* I). » Mirum quomodo non solum homines filii captivitatis, verum etiam angeli sancti, cives alterius sæculi de reædificatione Jerusalem, quod jam instaret, oppido lætabantur. Danielem consolabantur angeli summi, inter Deum et Zachariam discurrebant angeli sancti gaudentes, et apparati veluti magni apparatus et magnæ festivitatis comministri : « Et levavi, inquit, oculos meos, et vidi, et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum, et dixi : « Quo tu vadis ? Et dixit ad me, ut metiar Jerusalem et Judæam, quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur et dictus Angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre et loquere ad puerum istum, dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus (*Zach.* II). » Quid sibi vult angelorum tanta concursio, tam vehemens demandatio ? In ædificatione terrenæ civitatis et templi, jam etiam opifices volunt videri, seseque certatim ingerunt angeli. Nunquid hoc tam magnum studium suum civitati ædificandæ adhibent propter civitatem ipsam ? Non utique propter civitatem ipsam, sed propter spem quondam in sinu David repositam, et de illius civitatis gente, templique illius religione gratulantur non excidisse verbum Domini, non defecisse verbum promissionis, mox reversura virgine Israel in civitates suas, ubi Salvatorem Dominum generare deberet.

586 CAPUT XX.

Danieli non solum reædificationem templi, verum etiam omnium regnorum futuros eventus, revelata fuisse.

Nec vero solummodo reædificationem civitatis et templi, et inhabitationem multitudinis spatiosam, visiones divinæ, et collocutiones angelicæ pollicebantur, verum etiam gentium adversantium labores et miserias in vindictam superventuras præloquebantur : « Clama, inquit angelus ad Zachariam : Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno, et ira magna ego irascor super gentes opulentes (*Zach.* I). » Quas dicit gen-

tes opulentas, gentes intelligimus regnorum sæpe dictorum, quæ Judæam obtriverunt. Et quam ob causam irascatur super illas gentes ira magna, statim indicat : « Quia iratus sum parum, ipsi vero addiderunt in malum (*ibid.*). » Et est sensus : « Ego intendi visitare in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (*Psal.* LXXXVIII), » quæ parva ira est. Ipsi autem iram suam et odium suum superaddiderunt, intendendo ut eos penitus delerent, cum ego non gentis internecionem intenderem, sed correctionem. Porro ad Danielem sic angeli loquebantur, tales illi visiones ostendebantur, ut futura regnorum eorumdem secreta quod valde mirum est, taliter illi publicarentur, qualiter nulli prophetarum publicata sive prænuntiata fuisse usquam apparet ex dictis seu scriptis eorum. Nam et regnorum status et regum, hinc felices aliquando eventus, hinc infelices quorumdam interitus ita per angelos didicit et conscripsit, ut de futuris historiam texuisse non dubitetur, excepto quod reges ipsos propriis non expressit nominibus.

CAPUT XXI.

Domum Dei quam Cyrus ædificandam decreverat, a Dario, vincente ita Verbo Dei, tandem ædificatam fuisse.

Cujus tandem ille, nisi Domini sermo erat, de quo jam dictum est illi ; « Ab exitu sermonis ut ædificetur civitas ? » (*Dan.* IX). Qualis fuit ille exitus sermonis, aut unde exivit ? « Suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, et traduxit vocem in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens : « Hæc dicit Cyrus rex Persarum : Omnia regna terrarum dedit mihi Deus Dominus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa (*I Esdr.* I), » et cætera. Iste sermo regis, sermo erat Domini, qui sicut eumdem Cyrum apud Isaiam « christum » suum appellare curavit (*Isa.* XLV), ita et sermonem suum in ore ejus ponere voluit. Verum postmodum eodem Cyro decedente, vicinæ gentes sive hostes Judæ et Benjamin audientes quia filii captivitatis ædificarent civitatem et templum Domino Deo Israel, scripserunt accusationem adversus Artaxerxem dicentes : « Notum sit regi, quia Judæi qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem, rebellem et pessimam, quam ædificant extruentes muros ejus, et parietes componentes (*I Esdr.* IV). » Sic inchoando, et accusando habitatores Judæ et Jerusalem, hoc effecerunt, ut mitteret rex et prohiberet ædificari civitatem. « Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum. Prophetarunt autem Aggæus propheta et Zacharias ad Judæos et qui erant in Judæa, Jerusalem. Et tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedech, et cœperunt ædificare templum Dei, et cum eis prophetæ Dei, adjuvantes eos (*I Esdr.* IV, V). » Sciscitantibus adversariis, et dicentibus : « Quis dedit vobis consilium, ut muros hos instauraretis, et domum hanc ædificaretis ? » (*I Esdr.* V). Respondentes, inter cætera dixerunt : « Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex proposuit edictum, ut domus Dei ædificaretur (*ibid.*). » Miserunt itaque epistolam ad regem Darium jam dicti hostes Judæorum, dicentes post cætera : « Nunc ergo, si videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca regis quæ est in Babylone, utrum nam a Cyro rege jussum fuerit, ut ædificaretur domus Dei in Jerusalem, et voluntatem regis super hac remittat ad nos (*ibid.*). » — « Tunc Darius rex præcepit, et recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone et inventum est volumen unum, talisque scriptus erat in eo commentarius : « Anno primo Cyri regis, Cyrus rex « decrevit, ut domus Dei, quæ est in Jerusalem ædi- « ficaretur (*I Esdr.* VI), » etc. Quibus perlectis : « Nunc ergo, inquit Darius, qui estis trans flumen procul recedite ab illis, et dimittite fieri templum Dei a duce Judæorum, et a senioribus eorum... Ego Darius statui decretum quod studiose impleri volo (*ibid.*). »

CAPUT XXII.

Tempus, quod ab exitu sermonis usque ad completionem operis intercesserit, non modo coram Deo breve, verum etiam hominibus utile fuisse.

Talis fuit exitus sermonis, utique hominibus vel servis Dei prolixus et difficilis. Siquidem a Cyri regis imperio, cujus ut viventis voluntas, ita et mortui scripta sermonis Domini famulata est auctoritas, usque ad Neemiam, et vicesimum annum regis Artaxerxis mansit opus imperfectum, quo tempore regni Persarum centum et quindecim anni fuerunt evoluti : « Captivitatis autem Jerusalem centesimus octogesimus quintus annus erat. » Verum etiam tamen captivitatis ejusdem recte prædicantur vel numerantur duntaxat anni septuaginta, quia videlicet tunc recte soluta esse dicitur, non quando consummatum est opus quod intermissum fuerat, sed quando prima licentia data est, prædicante Cyro : « Quis est in vobis de universo populo Dei cœli ? Sit Deus illius cum ipso, ascendat Jerusalem, quæ est in Judæa et ædificet domum Dei Israel, ipse est Deus, qui est in Jerusalem (*I Esdr.* I). » Quando hæc dixit, simul protulit vasa Domini, quæ tulit Nabuchodonosor de Jerusalem, et dedit his quorum « Deus suscitavit spiritum, ut ascenderent ad ædificandum templum Domini (*ibid.*). » Tunc vere soluta est captivitas populi, quia tunc ascendit quicunque relictis Babyloniæ deliciis ascendere voluit. Porro, quod taliter exeunti sermoni ad reædificandam Jerusalem, et templum Domini, moras fecerunt adversarii, apud ipsum sermonem Domini nullius est momenti, quippe cujus ante oculos « mille anni, tanquam dies hesterna quæ præteriit, et custodia in nocte (*Psal.* LXXXIX), id est una de quatuor vigiliis noctis. Quanto magis paulo plus quam centum anni, quibus intermissum fuit opus domus Domini, impedientibus adversariis, parvi, imo nullius ante oculos ejus potuerunt esse momenti ! Igitur ipsi quidem sermoni vel proposito Domini mora illa pro nihilo fuit, quippe quæ pro nihilo habentur : « eorum, inquit,

anni erunt, » id est in terra reputabuntur, subauditur **587** ante oculos suos. Ipsis autem filiis captivitatis, annos illos et moras intermissi operis nimis ægre ferentibus, et fideliter coram Domino ingemiscentibus, auctum est meritum fidei, crevit corona spei, multiplicata sunt præmia dilectionis, quia laboraverunt ipsi, ut nos in labores eorum introiremus, unde et piis eorum studiis grates agere debemus, quia quod seminaverunt in lacrymis, nos in gaudio metemus.

CAPUT XXIII.

Unde Cyro homini gentili tanta circa Deum cœli, et circa captivum ejus populum benevolentia provenerit.

Unde putas illi Cyro homini gentili tanta circa Deum cœli,et circa captivum ejus populum benevolentia provenit? Unde hoc, nisi quia scriptum et veraciter dictum est,« Cor regis in manu Dei? » (*Prov.* II). Revera quod effecit de corde ejus omnipotens sermo Domini, idipsum potuisset efficere de corde cujusquam alterius regis,non minus de corde Nabuchodonosor,ne populum captivum duceret,qui fecit de corde hujus, ne populum captivum retineret. Delectat nunc videre modum ipsum, quo benevolentiam cordis ejus captare dignata est manus Domini, longe antequam nasceretur hic Cyrus, antequam fierent patres patrum ejus, memoriam ejus in consiliis suis habere,et beneficia sua illi promittere dignatum est ipsum quod fiebat ad prophetas Verbum Domini. Scriptum quippe fuerat in Isaia : « Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes,et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo januas,et portæ non claudantur. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo, et portas æreas conteram, et ferreos vectes confringam, et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum ut scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum sanctus Israel (*Isa.* XLV). » Nunquid Cyrus talem ac tantam de semetipso prophetiam non audierat? Nunquid dubium esse potest de captivis illis, quin istam Scripturam Domini, istas promissiones Dei sui ad notitiam ejus perferre properaverint, cum sperare possent vaticinium hoc magni sibi apud illum regem factum occasionem fore solatii ? Accessit ipsa manus Domini, in qua est cor regis, et hoc effecit,ut tali verbo tantoque Dei promisso non ingratus existeret,sed diceret vocem transducens in universo regno suo, vocem etiam per Scripturam, id est vocem scriptam : » Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, » subauditur, qui mihi longe antequam nascerer, ea daturum se promisit, et meum quoque nomen vocavit, continuo subjunxit : « Et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa (*I Esdr.* I),» ac si diceret : Ob hanc causam dedit mihi omnia regna, ut populum ejus, penes quem scripta est illa de me prophetia,liberum dimittam ad ædificandam domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. Siquidem Deus idem ubi dixit : « Qui voco nomen tuum, » statim subjunxit, « propter servum meum Jacob, et Israel electum meum (*Isa.* XLV). » Igitur ab hoc mihi omnia regna dedit, ut in populo ipsius gratiam rependam illi, reddendo illum libertati.

CAPUT XXIV.

Cyrum regem factum, ut divinam circa se providentiam agnoscere potuerit.

Et revera sensatus homo jam dictam legens vel audiens prophetiam, suamque recolens infantiam, animadvertere vel perpendere poterat, quod non casu, sed per divinam providentiam evenisset, ut ipse regnaret. Si quidem de hoc scribit Pompeius Trogus,quod natus infans de filia Astyagis, per avi invidiam datus est occidendus, somnium verentis, quo præmonstrato, regnum infantulo futurum arioli suspicabantur.Is vero cui necandus infans traditus est, veritus ne infantis necati ultionem mater ejus quandoque in ipsum exigeret, pastori regii pecoris puerum exponendum tradidit,forte eodem tempore et ipsi pastori natus erat filius. Ejus igitur uxor audita regii infantis expositione, puerum proferri sibique ostendi summis rogat precibus,cujus precibus fatigatus pastor, reversus in silvam, invenit juxta infantem caniculam parvulo ubera præbentem, et a feris alitibusque defendentem. Motus et ipse misericordia,quia motam etiam canem viderat,puerum defert ad stabula, eadem cane anxie prosequente.Quem ubi manu mulier accepit, tantus vigor et dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit, ut pastorem ultro rogaret, ut permitteret sibi puerum nutrire, permutata sorte parvulorum, ut hic pro filio pastoris educaretur, ille pro nepote regis exponeretur.Puer deinde cum inter pastores esset,Cyri nomen accepit ; interjecto tempore cum adolevisset,per Harpagum avi amicum didicit, quomodo parvulum illum occidi avus jusserit,quomodo servatus sit. Hortatur ut exercitum paret, et pronam ad regnum viam ingrediatur,Medorum translationem pollicetur, factumque est ut Cyrus Medorum et Persarum fieret rex. Si vera est ejusmodi historia,nimirum scienter dicere poterat : « Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli (*I Esdr.* I), » præsertim præeunte prophetia ejusmodi, qua magnus et patens rex ab eodem Domino Deo præsignatus, et ex nomine vocatus est.

CAPUT XXV.

An libertas captivis a Cyro donata Judæis, eidem ad æternam salutem assequendam provenire potuerit.

Putasne talis gratiæ repensio sufficiens ad æternam salutem esse potuit eidem Cyro ? Repensionem gratiæ dicimus hanc esse, quia sciens sive animadvertens sibi regnum evenisse illo disponente Deo, cujus templum fuerat in Jerusalem, non omnino ingratus exstitit, sed et ipse, inquit, Deus, qui est in Jerusalem, et edictum proposuit in universo regno sui,ut ascenderent filii captivitatis, et templum et civitatem reædificandi licentiam haberent. Hanc ergo quasi beneficii vicissitudinem putas illi sufficien-

tem fuisse ad æternam salutem ? Nequaquam sufficientem. Nem enim animadverti potest, quod eamdem, scilicet æternam salutem, speraverit vel quæsierit,fuerit quidem alicujus momenti præ cæteris regibus,qui Creatori per justam dispositionem, regna illis danti omnino sunt vel fueruet ingrati. Verumtamen non valde magnum est,grates agere pro præsentibus beneficiis, dum negligenter aut sine cura caret æternis. Licet eum **588** reputare cum ejusmodi,de qualibus Psalmista dicit : « Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi, cum benefeceris ei (*Psal.* XXXVIII). » Denique cum dicit , « Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur, » subaudiendum est, et illa benedictione contentus erit,de futuro non curans, dummodo in præsenti sæculo dum vivit, anima ejus, id est, sensualitas ejus exaltetur sive prosperetur, quæ nimirum illa benedictio est,qua contentus fuit Esau. Non,inquam,valde magnum est tunc Deo confiteri, cum in hac parte Deus benefecerit illi, nisi etiam confiteatur cum aliquid adversi contigerit. Veri confessores tunc instantius confitentur,quando adversi fatigantur.Verbi gratia, ut Daniel et socii ejus, qui tunc ad confitendum Domino sese amplius extenderunt,quando captivitatis adversitatem subierunt. Tantum quippe studium sanctæ confessionis aggressi sunt,ut proponerent laodabilem et paucis imitabilem jugiter tenere ciborum ac potus parcimoniam, quatenus sobrietatis pslchritudo confessionem Deo magis redderet acceptabilem.

CAPUT XXVI.

Quæ vera confessio sit, et quid eidem Cyro de vera confessione defuerit.

Sed nec illud facile concedendum est quod illa gratulatio confitentis Deo,cum Deus benefecerit ei, sit confessio, imo dicotur, ut est, adulatio. Quid enim est confessio, de qua Psalmista loquitur : « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus (*Psal.* LXLV), » et de qua idem dicit: « Introite portas ejus in confessione,atria ejus in hymnis, confitemini illi ? (*Psal.* LXLIX). Nimirum laus est integra, laus devota, laus ordinata.Quo vel quali ordine, nisi ut homo in principio accuset seipsum, deinde justificet Deum ? « Justus namque in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII),» qua accusatione præeunte,dum Deum justificat, verbi gratia, dicendo : « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal.* CXLIV), nimirum confessionem, id est laudem perficit. Non longe exempla petantur. Daniel ipse dierum illorum exsul sive captivus eo modo confitetur : « Obsecro, inquit,Domine Deus magne et terribilis, custodiens qactum et misericordiam diligentibus te. et custodientibus mandata tua.Peccavimus, inique fecimus, impie egimus, et recessimus et declinavimus a mandatis tuis et judiciis. Nobis confusio faciei,regibus et principibus nostris et patribus nostris, qui peccaverunt ; tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio (*Dan.* IX), » et cætera. Iste legitimus est ordo con- A fessionis, quemque in principio accusare seipsum' deinde justificare Deum, et ab ipso quærere remissionem peccatorum. At illi homines sæculi, qualium hic unus exstitit, nunquid ad ejusmodi confessionem descendere dignati sunt ? imo dixerunt : « Linguam nostram magnificabimus,labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus est ? (*Psal.* XI). » Omnes superbi et circa animæ causam prorsus indomiti, aut ipsi pro diis haberi voluerunt, aut talibus servire diis, quorum non est dare consilium de cura animarum, de sollicitudine gerenda pro peccato, quæ mors est animarum.Igitur talium fortuita laudatio,non tam salubris confessio quam sterilis dicenda est adulatio.

CAPUT XXVII.

Majorem laudando Dei occasionem esse, non modo B *in templi Hierosolymitani, verum etiam totius generis humani reparatione quam conservatione.*

Proinde de ore illorum rapiat laudem laudator fidelis et diligens,dicatque magis scienter quam iste dixerit, ipse est Deus, qui est in Jerusalem. Cum pro multis,imo pro innumerabilibus quæ fecit mirabilibus,tum et pro ista dicamus : « Ipse est Deus qui est in Jerusalem,quia mirabile hoc egit, ut prædam quam leæna tulerat, ursus domum reportaret, id est ut captivos, quos Nabuchodonosor rex Babylonis de Jerusalem abduxerat, et vasa Domini,quæ asportaverat, phialas aureas et argenteas, scyphos aureos et argenteos, et vasa alia, vasa aurea et argentea quinque millia quadraginta, universa hæc redderet hic Persarum et Medorum rex, et remitteret in Jerusalem. Nunquid minus gloriæ minus C virtutis Dei per hoc factum illuxit quam si custoditum fuisset cœlitus templum, ut non spoliaretur sive incenderetur a Babyloniis ? imo plus habet honoris, et plus experimenti ad cognoscendam potentiam atque providentiam verbi Dei. Sicut plus habet admirationis, mortuum restaurasse hominem quam custodisse ne perimeretur, ita plus habet miraculi taliter reparasse statum gentis et loci quam defendisse ut non destitueretur.Sic nimirum de universa constat electione generis humani,de omnibus sanctis sive electis, præscitis atque prædestinatis ad conformitatem imaginis Filii Dei, quia majore gloria Dei, gloriosiore triumpho Verbi Dei nunc suscitantur a morte animæ et corporis, et redeunt in illam cælestem Jerusalem civitatem Dei viventis, D quam si nunquam captivi inde fuissent adducti, si nunquam caqtivi inde fuissent adducti, si nunquam fuissent mortui, si nunquam mors introisset in hunc mundum invidia diaboli.

CAPUT XXVIII.

Quomodo id quod de Cyro dictum est : « Assimilavi te, et non eognovisti me, » intelligendum sit.

Nunquid hoc ipsum ignoravit aut præterivit Verbum Dei,quod futura esset imperfecta laus,ut diximus, in ore vel opere Cyri ? Denique ubi tale de illo deprompsit oraculum : Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, » et cætera : Tandem ita conclusit : » Assimilavi te, et non cognovisti me, ego Dominus, et non est am-

plius extra me non est Deus, accinxi te et non cognovisti me (*Isa.* XLV). » Nunquid nulla aut parva exprobratio est, cum dicit : « Et non cognovisti me ? » Et quomodo non cognovit cum dixerit : « Ipse est Deus qui est in Jerusalem ? » Vere non cognovit, quamvis ita confessus fuerit. Multum in illa confessione sive cognitione defuit, quia quod ibi loquitur, ipse qui accinxit eum Deus, « ego Dominus et non est amplius, extra me non est Deus, » surda aure præterivit. Hoc ille audire vel intelligere noluit, imo perstitit in insipientia stultorum servientium creaturæ potius quam Creatori. Proinde recte dicatur illi : Si recte offeras, et non recte dividas, nonne malum est? Res enim quasdam Deo obtulit, sive reddidit, et hoc recte fecit. Seipsum autem sibimet retinuit, quia cor suum cultui vel religioni ejus non subdidit, cui res exteriores obtulit. Proinde non mirum quod cum cupiditate **589** sua grassatus per mundum, miserabilem vitæ est consecutus exitum. Tradunt namque historiæ, quod Tamiris regina Scytharum comprehensum insidiis universum ejus cum ipso rege trucidavit exercitum, ducenta millia Persarum, caputque Cyri amputavit, in utrem humano sanguine repletum conjecit, cum hac exprobratione crudelitatis : Satia te, inquit, sanguine quem sitisti, cujusque insatiabilis semper exstitisti. »

CAPUT XXIX.

Titulum psalmi sexagesimi quarti ad hujus captivitatis solutionem pertinere.

Nonnihil spectat ad rem præsentem reminisci quia in titulo psalmi sexagesimi quarti, Jeremiam et Aggæum Spiritus propheticus composuit, quorum alter, scilicet Jeremias captivitatem illam futuram prædixit, et præsens vidit; alter vero, scilicet Aggæus, soluta captivitate reversioni in patriam interfuit. Titulus sic se habet : « In finem, Psalmus David, canticum Jeremiæ et Aggæi de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci (*Psal.* LXIV). » Sequitur psalmus : « Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem. Ad rem, inquam, præsentem spectat, ejusdem cantici sive tituli præeuntis reminisci, quia magnum resonat gaudium de triumpho Verbi Dei, cujus propter veritatem implendam populus de captivitate liber illuc ascendit, ubi oportebat ipsum Verbum incarnari, per quod omnia facta sunt, de tribu Juda, de semine David. Dulce quidem est allegoriam in eodem psalmo, sive psalmi titulo meditari scilicet intelligere supernam Sion et cœlestem Jerusalem, atque hic universalem generis humani peregrinationem, unde omnes ascensuri sunt electi, finito termino mundi. Verumtamen et illud nonnihil habet dulcedinis, quod historialiter tunc gestum est, quod populus ille liber de captivitate rediit, cui reditui propheta Aggæus interfuit. Etenim reditus ille non solum typus, verum etiam valde necessaria præparatio fuit decoris sive hymni, qui te decet Deus in superna Sion, præparatio redditionis voti, quod tibi redditur sive reddetur in æterna Jerusalem, A quo omnis caro ad te veniet, propitiato te cunctis iniquitatibus nostris, per redemptionem Jesu Christi Filii tui, cujus ventura nativitas hoc exigebat, ut solveretur illa captivitas, ut rediret juxta prophetam virgo Israel in terram suam, sive in civitates suas, eumdem Dominum et Salvatorem suum genitura, magna et justa prophetis illius temporis gaudii sive lætitiæ causa, magna et pulchra triumphalis tripudii materia.

CAPUT XXX.

Juxta prophetiam Aggæi, novissimi templi majorem gloriam, quam primi, propter Verbum incarnatum fuisse.

Nunquid non istud Aggæus jam tunc prophetali oculo considerabat ? Ait enim : « Quis est in vobis B derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima ? et quid vos videtis hanc ? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris ? » statimque paucis interpositis confortans dicit : « Nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum : Magna enim erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum : et in loco isto Dabo tibi pacem dicit Dominus exercituum (*Agg.* II). » Qualem putas gloriam tanto ore pronuntiat, novissimam fore majorem quam primam ? Nunquid sæcularem gloriam, scilicet auri et argenti copiam ? Nunquid etiamsi sic futurum erat vel fieri poterat ut plus auri in domo novissima rutilaret, quam in prima Salomon impendisset ? Nunquid dignaretur, ut hoc tanto opere pro gloria reputaret, et pro hoc C tam vehementer Dominus exercituum declamaret? Ergo illam magis gloriam decet intelligi, quæ gloria vera est, scilicet præsentationem Verbi incarnati, Christi Filii Dei, qui in illa domo prima non fuit præsentandus. In novissima autem erat præsentandus. Simeone exspectante, et in ulnas suas illum accipiente cum isto cantico gratiæ : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum Verbum tuum in pace (*Luc.* II). » An non hoc ipsum idem propheta ibidem interloquitur : « Et venit, inquit, desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum ? (*Agg.* II). » Vere omni gloria domus primæ, major futura erat gloria novissimæ, quod in ea secundum legem primogenitorum præsentandus erat cum sacrificiis legalibus ille primogenitus in multis fratribus, iste D desideratus cunctis gentibus (*Apoc.* I).

CAPUT XXXI.

Esdram, Nehemiam, Josedech et Zorobabel, tempore solutæ captivitatis illustres fuisse.

Memorabilis ille reditus et ascensus spectabilis, si consideres currum illum sive quadrigam Domini, qua residens, ad locum suum properabat Verbum Domini, Verbum necessario implendæ promissionis. Quadrigam illam Domini quatuor dicimus viros auctores præcipuos, et quasi capita illius reversionis, Esdram, et Nehemiam, Jesum sacerdotem magnum et Zorobabel ducem. Idcirco dictum Zorobabel, qui

intra annos captivitatis in Babylonia natus est. Prophetas Aggæum et Zachariam, qui, ut superius commemoratum est, cum eis erant, adjuvantes eos, velut aurigas ante quadrigam existimare delectat. Istis, imo istorum habitatori Verbo Dei, sapiens omnis triumphum ejus prosequens, gratias agit, qui feliciter ad hoc nati sunt, ut tali in tempore essent parati. « Quomodo, inquit, amplificemus Zorobabel ? Nam et ipse quasi signum in dextera Israel manu, et Jesum filium Josedech, qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam ? Et Nehemiam in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras ? (*Eccli.* XLIV). » Quod dicit in gloriam sempiternam, recte sic intelligitur, sicut supra dictum est, quia domus illa tandiu stare habebat, donec veniret Christus, vera et sempiterna gloria sanctorum, sicut Simeon prolocutus est : « Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel (*Luc.* II). »

A

CAPUT XXXII.

Esdram, propter renovatam nobis characteribus legem præcipuum fuisse.

Esdram dicunt esse Malachiam, qui in ordine decem prophetarum duodecimus est. Iste quantus nobis esse debet ? Non enim ignorare debemus, quia legem ipse renovavit, Scripturas sanctas, quæ propriæ voces sunt Verbi Dei, dispersas, vixque Babylonico igni superstites ipse congregavit ac reformavit. Quantum hoc est, aut esse debet omnibus sæculis ? **590** Magnum sit et memorabile quod tam ipsius quam cæterorum labore civitas illa, templumque illud manufactum restitui vel reædificari potuit. Istud ædificium insolubile, scilicet reformatio sanctæ Scripturæ, longioris memoriæ, majoris gloriæ, altioris est et erit semper

B

excellentiæ. Litteras quoque sive characteres veteribus commodiores atque faciliores iste reperit, et conscriptam legem populo tradens, et tunc scriba velox meruit nuncupari, et nunc et in perpetuum Scriba doctus est in regno Dei.

LIBER OCTAVUS

CAPUT PRIMUM.

Somnium Mardochæi non fuisse vanum.

Magnum in cœlo et in terra spectaculum, quod deinde post indulgentiam regum Persarum subsecutum est. A somnio Mardochæi narrationem inchoare libet, quod et si in Hebræo non habetur, ut ait illustris vir Hieronymus, tamen in editione vulgata principium erat voluminis Esther, et ad rem nonnihil attinet. Anno secundo regnante Artaxerxe maximo, vidit somnium Mardochus homo Judæus, de tribu Benjamin, qui habitabat in urbe Susis, illa civitas exordium sive caput regni erat. « Apparuerunt inquit, voces, et tumultus, et tonitrua et terræmotus, et conturbatio super terram ; et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium, ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, ut pugnarent contra gentem justorum, fuitque dies illa tenebrarum et discriminis, tribulationis et angustiæ, et ingens formido super terram. Conturbataque est gens justorum timentium mala sua, et præparata ad mortem, clamaveruntque ad Dominum Et illis vociferantibus fons parvus credit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit. Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et adoraverunt inclytos (*Esther.* XI). » Porro post finem libri ejusdem capitulum hoc ferebatur. « Dixitque Mardochæus : A Deo facta sunt ista, recordatus sum somnii quod videram, hæc eadem significantis, nec eorum quidquam irritum fuit, parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et

C

in aquas plurimas redundavit Esther est, quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam. Duo autem dracones, ego sum et Aman, gentes quæ convenerant, hi sunt qui delere conati sunt nomen Judæorum (*Esther.* X). »

CAPUT II.

Mardochæum et Aman per duos dracones, sed diversis rationibus significatos fuisse.

Ab isto, inquam, tali somnio narrationem inchoare libet eorum quæ continentur in eodem libro Esther, idcirco ut excitatus animus persentiscat malum fuisse illud quod molitus est Aman ex diabolo dracone antiquo thronum suum habente in pectore Aman : Nam ecce draco dictus est Aman. « Duo, inquit, dracones, ego sum et Aman. » Et Mardochæus quidem draco visus, sed ratione longe diversa.

D

Denique draco Aman propter causam veram, propter diabolum, serpentem antiquum veraciter habentem in pectore Aman, cujus videlicet draconis capita septem habentis, quartum caput fuisse jam dictum est, regnum Persarum et Medorum, maxime propter Aman, et propter gentes illius imperii, super quas cum elevatus esset Aman, delere voluit gentem de qua nasciturus erat Christus, juxta repromissionem quam acceperat Abraham. Porro Mardochæus draco non revera, sed inimicorum, scilicet ejusdem Aman, et complicum ejus accusatione falsa dicentium : « Quod genus ejus, genus Judaicum, genus esset hominum seditiosum, et regno insidiosum. » Nec mirum, quod homo simplex et rectus propter fal-

sam opinionem per draconem malitiosum atque tortuosum in somnio est designatus, cum ipse simplicium rex et rectorum Dominus Christus per serpentem æneum fuerit præfiguratus, dicente Domino ad Moysem : « Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum vivet (*Num.* XXI). » Nempe sicut ille serpens æneus fuit absque veneno, sic Christus cum accusaretur magus, erat absque peccato. Similiter Mardochæus propter accusationem Aman per somnium visus est draco, sed secundum rei veritatem homo erat cultor Dei, malitiam non habens draconis antiqui, qui sæviebat in illo Aman superbissima.

CAPUT III.

Sicut Aman Mardochæo crucem paraverat, et in ea suspensus fuerat, ita principem hujus mundi diabolum Christo crucem parasse, et in ea victum fuisse.

Et quoniam de similitudine mentio jam incidit, qua sancti homines quibusdam modis meritis diversis assimilari meruerunt Filio Dei, quemadmodum dicit : « Et in manu servorum meorum prophetarum assimilatus sum ; libet continuo proloqui summam similitudinis, quia in manu hujus quoque Mardochæi dignatus est assimilari, sicut in somnio præscripto præsignatum fuerat. Duo dracones inter se pugnaverunt, id est Mardochæus et Aman invicem **591** consurrexerunt. Paravit Aman patibulum Mardochæo, et Mardochæo feliciter evadente, Aman in ipso quod paraverat, appensus est patibulo. Nimirum sic futurum erat ut Verbum incarnatum Deus homo factus, Rex omnium sæculorum Jesus Christus adversus mundi hujus principem procederet, et cum illo congrederetur. Et sic factum est ut per suos satillites draco ille diabolus crucem illi parari faceret, sed non ille in ipso patibulo transfixus est. Triumphante Verbo, quod impassibilis Deus est, et resumpta carne in immortalitatem, quæ ad breve tempus passa est mortem, ipsum homicidam Deus vivens in suo ipsius machinamento strangulavit. « Delens, inquit Apostolus, quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affligens illud cruci, expolians principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso (*Coloss.* II). » Nunc in rei gestæ ordinem ingrediamur.

CAPUT IV.

Parvum fontem, qui in magna creverit flumina, Esther reginam fuisse.

« Parvus fons crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit (*Esther.* X), scilicet Esther captiva et paupercula, et utroque parente orbata, multarum gentium regina, multarum provinciarum domina effecta est in diem placiti Dei, in tempus opportunum, altissimo providente, bene reservata. Quomodo vel quali misericordiæ via ? « Vir Judæus, ait Scriptura, erat in Susis civitate, vocabulo Mardochæus, filius Jair, filii Semei, filii Cis de stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Jeru-

A salem eo tempore, quo Jechoniam, regem Juda, Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine Esther vocabatur, et utrumque parentem amiserat, pulchra nimis ac decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus eam sibi adoptavit in filiam (*Esther.* II). » Opus pium pietas operosa, pium habuit judicem et inspectorem Deum, cui tali in facto in tam liberali gratia suavis utique oblata erat eleemosyna. Revera odoratus est Dominus odorem suavitatis, et revera benedixit eis, et huic quæ adoptata fuerat, et illi qui adoptaverat ; benedixit, inquam, ut ambo crescerent in salutem populi, in salvationem suæ gentis, cui pessimus exsurgebat hostis, scilicet Aman, filius Amadati, qui erat de stirpe Agag. Non

B putemus illum tunc primum esse cœpisse hostem Judæorum, quando Mardoches eum adorare noluit, imo jamdudum fuerat hostis, antiquam creduli in pectore gestans odii causam, veterem perflans ardenti ira inimicitiarum materiam. Agag quippe cujus de stirpe hic erat Aman, interfecerat Samuel, regem Amalech, quam videlicet gentem peccatricem delere mandaverat Dominus Sauli regi Israel. Pepercit Saul et populus Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus, et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quammobrem irato Domino, « Adducite, inquit Samuel, ad me Agag, regem Amalech, et oblatus est ei Agag pinguissimus, et in frusta concidit eum Samuel coram Domino (*I Reg.* XV).

CAPUT V.

C *Dei providentia factum ut Mardochæus in captivitate maneret, cum qui vellent libertatem in patriam redeundi recepissent.*

Num igitur casu, et non potius per Dei providentiam evenit, quod iste vir sive pater ejus seu frater patris ejus in captivitate remansit, et in Jerusalem non ascendit post edictum, quo data est licentia repatriandi ? Haud dubium quin spiritus idem qui spiritum suscitavit ascendentium, sicut scriptum est : « Et surrexerunt principes patrum de Juda et Benjamin, et sacerdotes et levitæ, et omnis cujus Deus suscitavit spiritum, ut ascenderet ad ædificandum templum Domini. » Non dubium, inquam, quin idem spiritus, idem Deus animo hujus immiserit, quatenus inibi remaneret, ut tali in tempore para-

D retur adoptativa ejus Esther, « qui sanctos omnes præscivit et prædestinavit, vocavit et justificavit, atque magnificavit (*Rom.* VIII), » ipse Mardochæum magnæ in parvula nepte pietatis opificem præscivit et præparavit. Præscivit, inquam, antequam in Babylonem captivus cum Jechonia duceretur proavus ejus Cis. Non otiose hic commonendum erat, quia non ipse Mardochæus, sed Cis proavus ejus subaudiendus est, ubi præmisso : « Erat vir Judæus in Susis civitate, vocabulo Mardochæus, filius Jair, filii Semei, filii Cis de stirpe Jemini, » statim sequitur : « Qui translatus fuerat de Jerusalem, eo tempore quo Jechoniam, regem Juda, Nabuchodonosor rex

Babylonis transtulerat (*Esther.* II). » Siquidem ab illa priore transmigratione in Babylonem usque ad tertium annum regis Assueri, quando convivium celebravit, et offensus repulit reginam Vasthi, et loco ejus complacuit Esther, computantur anni ferme ducenti, nimirum antequam illuc transferretur proavus ejus Cis, præsciverat Deus futuram exaltationem Aman hostis Judæorum, præsciverat et prædestinaverat econtra Judæum, cum nepte sua parvula, Mardochæum, ut tali in tempore haberet Verbum Dei præparatum in illis humilibus futuræ carnis suæ præsidium, ne excideretur arbor, quæ datura erat talem fructum, Christum, salutem omnium gentium.

CAPUT VI.

Aman exaltatum, et adorari jussum, etiam regnum ambiisse, et Mardochæo propter servatum regem, inimicum factum fuisse.

Factum est quod futurum Deus præxiderat, scilicet rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadati, qui erat de stirpe Agag, et posuit solium ejus super omnes principes quos habebat, cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genu et adorabant Aman, sic enim eis præceperat imperator. Nimia et indiscreta regis liberalitas, dum se provehere putat amicum fidelem, profecto contra semetipsum sustollit inimicum crudelem. Insuper et patris loco colimus eum, ait idem in epistolis, quas ad centum viginti septem provinciarum principes et duces transmisit. Stulta exaltatio, jubere hominem adorari, quod soli debetur Deo. Regibus tamen Persarum de more fiebat adoratio, quod superbiæ regiæ Persicum exemplum imitatus Alexander Magnus aliquandiu quidem sustulit, sed tandem ubi invidiam se superasse existimavit, non salutari, sed adorari se jussit. Acerrimus inter recusantes **592** Calisthenes philosophus exstitit, quæ res et illi et multis principibus Macedonum exitio fuit. Siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti sunt, retentus tamen est a Macedonibus modus salutandi regis, exosa adoratione. Quid igitur de Persico regni fastigio, prætor nomen regium, defuit illi superbissimo? quod quidem insatiabilis ejus aviditas sceleratissime ambivit, sicut animadvertere licet ex libri proœmio in Vulgata, ut ait fidelis interpres Hieronymus, editione præscripto. Morabatur Mardochæus in aula regis cum Gabatha et Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii. Cumque intellexisset cogitationes eorum, et didicisset quod conarentur in regem manus mittere, nuntiavit super eo regi, qui de utroque habita quæstione confessos duci jussit ad mortem. « Aman vero filius Amadati, Bugæus erat gloriosissimus coram rege, et voluit nocere Mardochæo et populo ejus, pro duobus eunuchis, qui fuerant interfecti (*Esther.* XII). » Ambiebat ergo regium quoque nomen, non contentus honore quamvis nimio, homo ingratus hominibus, inimicus Deo, qui propter hoc Mardochæo nocere voluit, quia regis vitam præmuniendo servavit.

CAPUT VII.

Aman Mardochæo inimicum, cum videret sibi non flectere genu, totius gentis Judaicæ exstirpandæ consilium cepisse.

Verumtamen major et certior odii magnæque iracundiæ causa exstitit illa, quam Scripturæ veritas hoc modo tradit: « Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat Aman (*Esther.* III), » quod cum audisset Aman, et experimento probasset, quod Mardochæus sibi non flecteret genu, nec se adoraret, iratus est valde, et pro nihilo duxit, in unum Mardochæum mittere manus suas. Audierat enim, quod esset gentis Judææ, magisque voluit omnem Judæorum qui erant in regno Assueri, perdere nationem. Hæc belli causa, hoc duelli fuit initium, hoc modo duo dracones illi pugnare contra se cœperunt. Draco scilicet Mardochæus apud homines, penes quos condemnabatur: draco Aman videlicet primo apud Deum et omnes sanctos ejus judicatus, et deinde apud homines condemnatus. Nunquam tam crudeliter, tam furiose suum quidem caput erexit draco diabolus adversus mulierem, de qua sæpe diximus. Cætera namque capita ejus sese erigentia, multoque hiatu patentia, hoc intendebant ut devorarent filium ejus. Caput istud quod hoc intendit, ut totum ipsum devoraret mulieris corpus, manifestius dicendum. Cætera regna diabolicæ crudelitati famulantia, gentem illam vexando Dei legem, et omnem promissionis spem adimere contendebant, regnum istud proscribente Aman, delere voluit gentem ipsam. Itaque mulier illa in utero habens atque parturiens nunquam alias magis clamavit, nunquam vehementius cruciata est (*Apoc.* XII), id est, gens illa nunquam tam publicum, tam universalem habuit luctum in omnibus provinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat. Luctus et planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus.

CAPUT VIII.

Quam ob causam Mardochæus Aman non adoraverit.

Primus ipse Mardochæus scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti, et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, et in hoc ululatu usque ad fores palatii gradiens. Veraciter de isto quoque dicas, quia « ferrum pertransivit animam ejus (*Psal.* CIV), » et vere beatus est. Nam « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V). » Justitia namque est, quod noluit adorare Aman, justam, intuens causam. « Cuncta nosti, inquit, Domine, et scies, quia non superbia, vel aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. Libenter enim pro salute Israel, etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem, sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo (*Esther.* XII). » Justus igitur in hoc facto comprobatur legi sanctæ, juste, et bone obtemperando, cujus hoc præceptum est:

« Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli serviès, » ac proinde beatam habet memoriam, atque eximius est inter beatos, qui persecutionem patiuntur vel passi sunt propter justitiam, talisque filius captivorum digne adeptus est possessionem, et coronam civicam in regno cœlorum.

CAPUT IX.

Quam ob causam aliquot homines citra reprehensionem adorari potuerint.

Sed dicit aliquis : Si contra legem est adorari quempiam hominum, quomodo David sanctus, et sanctæ legis assertor diligentissimus, sese adorari passus est, et non reprehenditur factum, quasi contra legem ? Clamans namque Achimaas, bonum victoriæ de Absalon portans nuntium, dixit ad regem : « Salve, rex, et adorans regem coram eo pronus in B terram, ait : Benedictus Dominus Deus tuus (*II Reg.* VIII), » etc. Itemque scriptum est : « Inclinavit se Bethsabee, et adoravit regem ; » et rursum : « Submissoque Bethsabee in terram vultu, et adoravit regem (*III Reg.* I). » Et ne adorationis gestus minor videatur, ut dicas, longe esse minus vultum submittere vel pronum inclinare quam genuflectere, quod fiebat Aman. Ecce illud occurrit, quod mulier Thecuitis submissa a Joab, cum ingressa fuisset ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit. Quomodo ergo non reprehenditur factum quasi contra legem in David, et Mardochæus hominem adorare pro sacrilegio duxit? Ad hoc breviter respondendum, quia longe aliud est, adorare hominem sine Deo, qualis erat Aman, aliud hominem Dei, C qualis erat David. Nam dum homo sine Deo, homo serviens diabolo adoratur, sine dubio diabolus in illo adoratur ; et econtra dum homo Dei, homo Deum honorans et adorans, adoratur vel suscipitur, Deus in illo adoratur, Deus in illo suscipitur. Sed et in hoc distantia magna est, quod Aman superbus hoc volebat, hoc exigebat, ut adoraretur. David sive quispiam sanctus, humilis Dei servus, sive vicarius adoratione non delectatur, neque sibi hoc exigit ut adoretur. Et si aliquando religio fieri hoc exigit, constat non fieri ad injuriam, sed ad honorem Dei, constat non fieri homini, quoniam fit pro nomine Domini.

593 CAPUT X.

Quare tam difficilis ad regem aditus fuerit, ut qui non vocatus adiret, occideretur.

D Cur autem tanta erat difficultas adeundi regem ? Nam quod magna difficultas fuerit, ex eo manifestum est quod Hester Mardochæo demandans, ita respondit : « Omnes servi regis, et cunctæ, quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir sive mulier non vocatus interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur, nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Rursumque vade, et congrega omnes Judæos quos in Susis repereris, et orate pro me ; ne comedatis, et non bibatis tribus diebus ac noctibus, et ego cum ancillis A meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et periculo (*Esth.* IV). » Cur, inquam, tanta erat difficultas adeundi regem ? Nimirum hoc venerat ex nimia ventositate miseræ vanitatis, ut rex magni imperii plus homine putaretur habere aliquid, nec vilior fieret ex usu publicæ visionis, maxime apud Persas mos ista lege sancitus fuit, ut persona regis occultaretur sub specie majestatis. Ea lege diabolus per Aman abuti voluit, ut dum ille accusator tam familiaris regi immineret, et ad excusandum nulli aditus pateret, ad exorandum nullus accessus fieret, emuncta regis sententia curreret irrevocabilis, atque ita draconi illi devorare liceret, non solum conceptum, verum etiam totum corpus mulieris in utero habentis, id est gentem universam delere, penes quam erat promissa, quemadmodum idem Mardochæus ad Deum orans dicit : « Et nunc tua volunt mutare promissa, et delere hæreditatem tuam, et claudere ora laudantium te, atque exstinguere gloriam templi et altaris tui (*Esth.* XIV). »

CAPUT XI.

Aman stulte tempus perditionis Judæorum per sortes quæsivisse, cum an perdendi essent nondum cognovisset.

Consideremus altitudinem cordis superbi in ipsa præparatione malignitatis, ut mense primo, cujus vocabulum est Nisan, anno duodecimo Assueri, missa est sors in urnam, quæ Hebraice dicitur Phur coram Aman, quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici, et exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar (*Esth.* III). Nondum sciebat stultus, utrum deberet gens Judæorum interfici, et sorte jam quærebat, quo die, quo mense deberet interfici. Forte putabat se esse tantum, et tantus erat in oculis suis, ut in manu sua mors hominum, et vita credi deberet constituta, et idcirco voluntatem suam esse judicans, de interfectione quærendum censebat a sortibus solummodo de interfectionis tempore. At ille, cujus carnis originem secundum sortes illas parabat prædicere, jamdudum dicebat per os prophetæ : « In manibus tuis sortes meæ (*Psal.* XXX). » Voces quippe illius tricesimi psalmi, voces sunt Verbi incarnati, cujus incarnationis fides et spes secundum promissionem, sic erat in corde illius gentis, sicut infans in utero mulieris. Quantæcunque vel qualescunque sortes ejus fuerint vel sint, quas commemorans Deo Patri dicit ipse : « In manibus tuis sortes meæ, » nullo modo debent excipi sortes, quas misit Aman, quin ad sortes ejusdem pertineant. Et revera sicut in alio psalmo jam tunc dicebat : « Et super vestem meam miserunt sortem (*Psal.* XXI), » ita constanti veritate ipsi dicere conveniebat, et super matrem meam, super gentem, de qua nasciturus eram, miserunt sortem. Igitur ille perditus, et a sua superbia deceptus, una sortium consultatione, de duabus rebus existimavit sibi responsum vel satisfactum esse, scilicet et interfectione, et interfectionis tempore. Sed, « in manibus

tuis, inquit, sortes meæ, » quod sic recte intelligitur, ac si diceret : Jam de isto maligno sortitore Aman hostis et inimicus meus pessimus misit sortes, ut interficeret. Tu autem in manibus habens potestatem vitæ et mortis, sortes easdem commutasti ad illius interfectionem, et meæ gentis ereptionem.

CAPUT XII.

Aman per sortes deceptum spatium dedisse Judæis ad impetrandum a Deo auxilium.

Revera jam in isto diaboli membro factum est quod significabatur in ipso capite diabolo, dicente Domino ad beatum Job :« Nunquid pones circulum in naribus ejus ? nunquid illudis ei quasi avi ? » (*Job* XL. Infatuatus namque et illusus est ab ipsis sortibus, dum mittente eo sortem primo mense, quo die, quo mense Judæi deberent interfici, mensis duodecimus exivit, totum utique annum ad dilationem sors illa poposcit. Deus exegit sortem regens et habens, ut jam dictum est, in manibus suis. Primum in hoc infatuatus et illusus est, quod nondum sciens utrum gens deberet interfici, et solum quærens tempus interfectionis, dum a sortibus respondetur interfectionem ipsam, a primo mense usque ad duodecimum, id est, anno fere integro debere differri, idem esse putat ac si totum vel utrumque habeat in manibus suis, scilicet et interfectionem et diem interfectionis. Deinde et in hoc illusus est, quod dum suscepta mora tantæ dilationis interim pendet sententia mortis, opportunum facit universæ genti spatium, quod sufficere possit ad legationes mittendas in longinquum, id est, in altitudinem cœli, unde auxiliares copiæ debeant conduci, scilicet jejunia, lacrymæ, et preces, quæ nimirum idoneæ legationes erant, et sunt, ad invitandum seu invocandum de cœlo auxilium Domini. Profecto et si prope erat, ut est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate (*Psal.* CXLIV), nihilominus tamen erat necessarium tam longum a sortibus datum dilationis spatium, ut sufficeret tempus currentibus epistolis, et recurrentibus ad principes et populos tot provinciarum, ut novis epistolis veteres Aman litteræ insidiatoris et hostis Judæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigi possent, priusquam termino temporis concluderentur. Sane clamores eorum, quibus vel quantis clamaverint in cœlum omnem ætatem sentire, et non oblivisci vult sacer Ecclesiæ chorus, dum per singulos annos statutis diebus declamat ante Dominum in persona illorum : « Evertere cor ejus, scilicet regis in odium repugnantium nobis, et in eos qui consentiunt eis, nos autem libera in manu tua, Deus, noster in æternum (*Esth.* XIV). » Revera qui perpendit quantum id negotium fuerit clamare in cœlum, ne exterminetur gens unica, de qua promissa sperabatur salus mundi, dignum existimat clamorem illum, sive hæc dicta clamoris illius altisonis vocibus efferri, et immorari contemplationi angustiarum illius temporis, quando mulierem sæpedictam in utero haben-

A tem, jam tunc antequam pareret salutem nostram, pene absorbuit.

594 CAPUT XIII.

Semper fuisse qui, divinæ promissionis de Christo memores, eam impleri desideraverint.

An putas neminem tunc in gente illa vel de populo illo exstitisse, quem cura ista tangeret, vel qui sciret Messiam venturum esse ? Imo nulla ætas exstitit, ex quo Deus ad Abraham locutus est, quæ non haberet aliquos fidem et sententiam promissionis illius habentes, et adventum ejus exspectantes. Pauci admodum erant ejusmodi, scilicet qui de adventu vel regno Christi spiritualiter sentirent. Omnes autem audire oportebat legem et prophetas continentes atque testificantes ejus promissionem, quamvis non spiritualiter intelligerent, id est quam-
B vis non tam cœleste quam terrenum ejus regnum sperarent. Nec dubium, quin et si in prosperitate negligentiores erant, in adversitate fierent attenti ad illam spem, ad illam exspectationem, jamque illum advenire desiderarent, quem subvenire posse credebant, utpote regem magnum, regem potentem. Primus ipse Moses, dum mitteretur ad Pharaonem : « Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es (*Exod.* IV). » Similiter de cæteris ætatibus, vel temporibus sentiendum, quoties legimus : « Et clamaverunt Filii Israel ad Dominum propter illam vel illam tribulationem. Sciendum non defuisse clamoribus eorum memoriam sæpedictæ promissionis, qua de lege et prophetis audiebant, promissum esse Salvatorem. Simulque notandum quod quemcunque
C taliter clamantibus suscitabat Salvatorem, aliquid per ipsum efficiebat Deus, in quo significaret vel præfiguraret illum qui exspectabatur et desiderabatur, Christum unicum et verum Salvatorem, sicut de isto quoque Mardochæo jam dictum et adhuc dicendum est. Hæc idcirco nunc dixerim, ut dubium non sit quin saltem illa vexatio intellectum dederit auditui, ut recogitarent audito suæ mortis edicto confugere ad Deum, et clamare pro adventu Christi, tale quid, quale illud est David : « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L). »

CAPUT XIV.

Hester quatuor illis celeberrimis virtutibus præditam fuisse.

D Delectat immorari, diutius contemplari factum mulieris bonæ, de qua recte dicas : « Mulieris bonæ beatus vir. Numerus enim annorum illius duplex (*Eccli.* XXVI), » quia videlicet, et in præsenti et in futuro sæculo memoriam bonam, memoriam æternam habet. Delectat, inquam, contemplari, quam bona, et qualibus bonis ornata fuerit, et qualiter opus salutis per manus ejus processerit. Ecce in facto vel in processu ejus principales quatuor virtutes animadvertimus, quas et divinæ et humanæ scholæ concelebrant, quas philosophi, tam sæculares quam ecclesiastici, celeberrime prædicant, ea tamen differentia ut isti in spiritualibus et æternis, illi in

sæcularibus, et transitoriis fructibus expendant, scilicet prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam. Virtutes, inquam, istas promptum est agnoscere in ista muliere bona, in facta mulieris hujus bonæ et sensatæ gratia superna, coornatas. Primo jam loco temperantiam ejus considerare libet; sequenti, justitiam; tertio, prudentiam, quarto, fortitudinem.

CAPUT XV.

Quomodo virtus temperantiæ, in Hester reluxerit.

Temperantiæ virtus in ea splendet, dum in summo regni fastigio, in magno regis cubiculo casta et humilis apparet. Sic enim de ea scriptum est, cum jam diadema regni in capite ejus positum Scriptura narrasset: « Necdumque prodiderat Hester patriam suam, et populum suum juxta mandatum ejus, » videlicet Mardochæi. « Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Hester, et ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat (*Esth.* II). » Item, ipsa dicit in oratione sua: « Tu scis, Domine, necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei (*Esth.* XIV). » Veraciter eximium temperantiædocumentum hic apparet, quia magnam humilitatis suavitatem sermo iste redolet. Item, dicit: « Tu, Domine, qui habes omnium scientiam, nosti quod oderim gloriam iniquorum, et detester cubile incircumcisorum et omnis alienigenæ (*ibid.*). » Et hic profecto magnum temperantiæ decus est, quia mulier facta in captivitate regina, quod animo casta sit, Deum testem habet.

CAPUT XVI.

Quomodo justitia in ea deprehensa sit.

Justitiam in eo primum animadvertimus, quod confitetur, et dicit: « Peccavimus, Domine, in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum, coluimus enim deos eorum. Justus es, Domine (*Esth.* XIV). » Hic justitia est; nam « justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII). » Deinde et amplius in eo justitia est, quod, sicut jam dictum est, Deum testem habet, quod oderit « gloriam iniquorum, et detestata sit cubile incircumcisorum, et omnis alienigenæ. » Siquidem tempore illo, ét ex quo Deus ad Abraham facta promissione loquens: « Circumcidetur, ait, in vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me et vos (*Gen.* XVII). » Ex tunc, inquam, usque ad adventum Christi justitiæ principium erat circumcidi cum fide Abrahæ credentis in promissione beati seminis. Unde et Apostolus dicit: « Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei (*Rom.* IV). » Nec præterundum quod valde congruum fuerit illud signum sive signaculum justitiæ fidei, in ea (qua semen nascitur) parte corporis, quia videlicet promissio cui Abraham credidit, seminis promissio fuit, seminis unius, quod est Christus. Itaque circumcidi testimonium erat fidei, testimonium credendi in Christum venturum, sine cujus fide nullus potest justificari. Justitia igitur palmam obtinet, justitiæ quæ ex Deo est, dum detestatur cubile incircumcisorum, sciens quia præter fidem seminis Abrahæ, cujus fidei circumcisio signum erat, rex ille, quamvis sibi misericors, Deo injustus existebat.

595 CAPUT XVII.

Et hoc justitiæ fuisse, quod incircumciso propter necessitatem conjungi sustinuerit.

Putasne minus justitiæ nunc obtinet tolerando id quod oderat cubile incircumcisi, quam si refugisset, ne ullo modo conjungeretur illi? Nequaquam, nam « tu, Domine, inquit, scis necessitatem meam (*Esth.* XIV). » Et vera sententia est, necessitas parit coronam, vere necessitas ejus necessitas fuit pariens coronam. « Et quis novit, inquit Mardochæus, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore patereris? » *Esth.* IV). Nequaquam tanti debuit illi esse custodia corporis sui, ut præponeret eam communi saluti suæ gentis, imo saluti totius mundi, cui videlicet saluti omnium mirabiliter cooperata est illa conjunctio captivæ Hester et regis Assueri. Nam per illam occasionem liberati sunt Judæi, qui fieri debebant patres salutis, patres carnis Christi. Et si illa nondum hoc totum sciebat, quando primum ad cubile incircumcisi fuit adducta, tamen sic futurum erat. Et quis accuset Mosen de injustitia dicentem ad eum: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti? (*Exod.* XXXII). » Quis item accuset Apostolum de injustitia, dicentem: « Optabam ipse ego anathema esse a Christo pro fratibus meis: qui sunt cognati mei secundum carnem? (*Rom.* IX). » Sic profecto nec Hester accusari de injustitia potest, etiamsi optasset conjungi incircumciso regi pro salute vel consolatione suæ gentis, etiamsi non eveniret periculum tam magnum, quod post illam conjunctionem evenit, sola captivitatis necessitas illam excusare posset.

CAPUT XVIII.

Quomodo prudentia in ejus consiliis spectata sit.

Jam prudentiæ virtus in ea spectabilis ad laudem Dei prædicanda est. Fecit enim tam prudenter ut dictante Spiritu sapientiæ fecisse non dubites, et sicut de beato Joseph dictum est: Eloquium Domini inflammavit eum (*Psal.* CIV). » Ita de ista quoque veraciter dicas: « Eloquium Domini inflammavit eam, dicente ad eam rege: Quid vis, Hester regina? quæ est petitio tua? Etiam si dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi (*Esth.* V). » Ita respondit: « Si regi placet, obsecro, ut venias ad me hodie, et Aman tecum ad convivium quod paravi (*ibid.*). » Non statim dixit petitionem suam, non confestim aperuit voluntatem suam, sed ad convivium utrumque invitavit, amicum et inimicum, regem et Aman. Prudenter providebat illic aperire inimicitias, unde effugere non potest hostis homicida. Sed nec in primo convivio rem aperuit, dimisitque hostem morti destinatum unius diei mala securitate perfrui, et de

magnitudine divitiarum gloriari, jactantem atque dicentem: « Regina quoque Hester nullum alium vocavit cum rege ad convivium, præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum (*ibid.*). » Illum utique male securum, regem autem magis benevolum magisque fecit attentum. « Si, inquit, inveni gratiam in conspectu regis, et si regi placet, ut det mihi quod postulo, et meam impleat petitionem; veniat rex et Aman ad convivium quod paravi eis, et cras regi aperiam voluntatem meam (*ibid.*). » Feram immanem, ursum ferocem, ut tradat ad supplicium, allicit ad edulium, ne prius audiat famam quam subeat pœnam, ne prius videat foveam quam incidat in eam, prudens et sciens commodius esse feram comprehensam intus opprimi, quam exterritam et per saltus fugientem cum canibus dubio eventu insequi.

CAPUT XIX.

Quod prudenter coram rege petitionem suam exposuerit.

Porro ipse modus locutionis, ubi tandem regi voluntatem suam aperuit, ubi petitionem suam et preces suas locuta est, ille, inquam, modus locutionis qualis exstitit, dicenti rege jam tertia vice: « Quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, » impetrabis, ita respondit: « Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex, si tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, et populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus, ego et populus meus, ut conteramur, et jugulemur, et pereamus, atque utinam in servos et famulas venderemur! esset tolerabile malum, et gemens tacerem. Nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem (*Esth.* VII). » Laudabilis in tali elocutione prudentia est, prudentia sana, cujus doctrix est sancta et matura humilitas. Nunquid reginam se esse sciebat, quæ tali modo regi supplicabat? nunquid amari sese sentiebat, quæ cum tanto timore obsecrabat? Profecto mirari rex ipse poterat, qui si peteret illa dimidiam regni sui partem, dare paratus erat, mirari, inquam, quod regina sua, dilecta sua, digna imperio præ cunctis mulieribus existimata, sibique præ omnibus feminis complacita, pro anima sua, id est pro vita sua supplicabat, tanquam captiva, tanquam proscripta, velut si ab ipso rege fuisset condemnata. Hæc propter intimandam ejus prudentiam dicta sint, quæ tanta est, ut magnitudinem ejus nullus verbis digne valeat consequi.

CAPUT XX.

Ejus prudentiam verius divinam providentiam fuisse.

Nunquid vero satis est dixisse prudentiam? Imo magis divinam providentiam. Consideremus quæ inter dilationes evenerunt, dum differt regi aperire voluntatem suam: et liquido constabit quia providentia divina rexit reginæ prudentiam. Quando primum cum rege venit Aman ad convivium, nondum sibimet destinatum paraverat supplicium, si quidem Deo judice sic fuerat præordinatum, ut ipsemet pa-

A raret patibulum, machinatum alteri, debitum sibi. Hoc autem, sicut jam dictum est, nondum paraverat. Divina igitur factum providentia non dubitamus, quod voluntatem suam primo aperire convivio differens: « Veniat, inquit, rex et Aman ad convivium quod paravi eis, et cras aperiam regi voluntatem meam. Egressus est illo die Aman lætus et alacer. Jube, inquit uxor ejus, parari excelsam trabem habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et dic mane regi ut appendatur super eam Mardochæus, et sic ibis cum rege lætus ad convivium. Noctem illam rex duxit insomnem, et inter legendum vel audiendum historias et annales priorum temporum (*Esth.* V, VI), » venit occasio, ut illum quem parabat Aman appendere super patibulum, ipsemet regiis vestibus indutum imponeret super

B equum regium, præcedens et clamans ante illum: « Hoc honore condignus est, quemcunque rex voluerit honorare (*Esth.* VI). » Multum itaque **596** per dilationes illas aucta est regis benevolentia, et hoc divinitus provisum est, quoniam regem auditurum petitionem Hester, benevolum quoque Mardochæo fieri oportebat; quod mirabiliter effecit nocte illa meritorum ejus relecta memoria.

CAPUT XXI.

Aman in convivio quasi hamo captum fuisse.

Amplius autem illud, quod adhuc dicere libet prudentiæ Hester pariter et divinæ providentiæ laus est. Denique de diabolo dictum est ab beatum Job: « In oculis ejus quasi hamo capiet eum (*Job* XL). » Item: « An extrahere poteris Leviathan hamo? » (*ibid*).

C Profecto per escam capitur quod hamo extrahitur: esca ostenditur, ferum subtegitur. Quod secundum hanc similitudinem diabolus, persequendo Christi humanitatem, ab ejusdem divinitate fuerit comprehensus, notum et usitatum habemus: nimirum illius scilicet diaboli servus et satelles erat Aman præcipuus, et in illo habitans ipse diabolus rem tanti sceleris machinabatur. Nonne igitur mirabile est, et cogitatu delectabile, quod in convivio captus est, dicente regina: « Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman (*Esth.* VII). » Denique quasi homo captus est in oculis suis, comprehensus est, qui convivando super mensam invenit pœnam. Manifeste et miro modo gessit diaboli figuram, econtra Christi Mardochæus typum gessit. Sicut enim Aman

D in crucem fixus est, quam Mardochæo paraverat, et Mardochæus super equum regium ascendit, quem honorem sibi Aman a rege parari putaverat, ita diabolus in cruce damnatus est, quam Christo parari fecit, et Christus vivens sedet ad dexteram Patris, cujus similitudinem diabolus sibi arrogare præsumpsit. Proinde gratanter dixerim; quia Verbum Dei, Verbum Deus, Verbum nondum incarnatum, Deus nondum homo factus, victoriam suam non solum sibi præsignavit, verumetiam ibi jam vicit, ibi jam prudentia ejus percussit superbum, et ibi jam « obstetricante manu ejus egressus est coluber tortuosus (*Job* XXVI).

CAPUT XXII.

Quanta fuerit in ea boni zeli fortitudo.

Quod per tres jam dictas virtutes, temperantiam, justitiam atque prudentiam strenue, imo divinitus fuerat provisum, per fortitudinem confestim haud segniter est consummatum. Fortitudo in pectore humilis feminæ tanta exstitit, quæ et in omnem gentem ipsius redundavit, ut suspenso Aman in patibulo, cum regis ira requievisset, zelus reginæ non requiesceret, sed, « si regi placet, inquit, detur potestas Judæis, ut sicut hodie fecerunt, sic et cras faciant in Susis, et decem filii Aman suspendantur in patibulis (*Esth.* XI) » Dixerat autem ei rex: « In urbe Susis interfecerunt Judæi quingentos viros, et alios decem filios Aman. Quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? (*Ibid.*) » Quanta fortitudo zeli dicentis « sicut fecerunt hodie, sit et cras faciant in Susis, » et suspendentis in patibulis jam interfectos decem filios Aman. Si non fuisset propter Deum vel propter justitiam, videretur crudelitas; nunc autem, considerata causa, vindictam ejusmodi non solum excusat, verumetiam justificat quod non fuerit furor crudelitatis, sed fervor fortitudinis, non motus sævitiæ, sed motus justitiæ, non iræ excessus, sed vitæ prospectus. Causam jam consideravimus, jam considerandum proposuimus, quia de gente illa sperabatur mundi salus, nasciturus exspectabatur Christus. Proinde dignum se faciebat Spiritus sanctus inspirando humilibus et teneris mentibus, ut pro tempore et re justitia dura, duritia justa uterentur, defendendo bonæ olivæ radicem, bonæ radicis olivam, ut staret et permaneret donec daret fructum suum, donec effunderet oleum verum generando Christum. Quod ubi factum est, « reconde, ait Petro, gladium in vaginam (*Matth.* XXVI), » quia videlicet, cur uteretur gladio Petrus causam jam non habebat necessariam. Cum igitur legimus quia pro animabus suis stetere Judæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis, in tantum, ut septuagintaque quinque millia occisorum impleverunt, et nullus de substantiis eorum quidquam contingeret, jam dictam præ oculis habentes causam, dignum festivitate factum arbitremur, quod videlicet festum scripto edixit Mardochæus, sancivit Hester; ut omni studio dies interfectionis illius solemnis in posterum servaretur, et revertente semper anno solemni honore celebraretur.

CAPUT XXIII.

Quoties Verbum Dei aliquod ex capitibus draconis vicerit, personæ in qua vicerit victoriæ signa contulisse.

Hic jam notandum de Verbo Dei, quia de singulis capitibus draconis dum vincit, regalia victoriæ signa, personis illis per quas vincit, imponit. Joseph et Moyses, per quos vicit caput primum, caput Ægyptium, in curribus triumphaverunt, dominique ac principes facti sunt, illi dicente rege: « Ecce constitui te super omnem terram Ægypti, » annulum

A regium, stolamque byssinam, et torquem accipiens auream, sedensque super currum regium (*Gen.* XLI). Moses autem Ægypto domita, mersoque Pharaone, decantans victoriæ canticum, totiusque populi obtinens principatum. Helias, per quem judicatum atque concisum fuit caput secundum, sicut loco suo narratum est postquam dejecit reges ad perniciem, et confregit potentiam, ipsorum, postquam unxit reges ad potentiam, et prophetas fecit successores post se, receptus est in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Daniel et socii ejus, per quos humiliatum fuit caput tertium, principes facti sunt, præcipue Daniel, quem ex Nabuchodonosor, cadens in faciem suam adoravit, et in sublime extulit, quem deinde Balthasar purpura vestivit, et torquem auream collo

B circumdedit. Mardochæus et Hester, per quos caput quartum, appenso Aman in patibulo, et filii ejus, ut jam dictum est, septuaginta quinque millibus strangulatum atque concisum est, qualibet victoriæ titulus fuere glorificati. Hester regina regium in capite suo gestavit diadema. Mardochæus de palatio et de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hiacinthinis videlicet et ærinis, coronam auream portans in capite, et amictus pallio serico atque purpureo. Qui caput quintum, caput nequissimum repercusserunt? Machabæi fratres post bella ingentia, crebrasque victorias, purpura et stola sancta, fibulaque aurea regio more personati sunt, et posteri eorum regnum et sacerdotium non parva gloria recuperatum obtinuerunt. Porro qui caput sextum vicit, septimumque vincet, quando Antichristum spi-

C ritu oris sui interficiet Christus Jesus, non qualiscunque propugnator verbi Dei, sed ipsum Verbum Dei, Verbum Deus, homo factus, coronam aut purpuram in hoc **597** mundo non nisi irrisorie accepit, coronam spineam, clamydemque coccineam, et in dextera manu arundinem pro sceptro impositam. Verumtamen, quæ pro irrisione in hoc mundo data sunt ei, sic in seria convertit, ut nunc appareat angelis et hominibus sanctis in gloria et honore Patris, habens purpuram resurrectionis, coronam gloriæ, et æterni sceptrum imperii. De tribus ultimis capitibus mentio nunc tantum facta sit, ut simul de cunctis capitibus unum in præsenti loco spectaculum habeatur, quod ad laudem spectat Verbi Dei. Quia qui pro illo laboraverunt, et regnum ejus

D exspectaverunt, singulis suis temporibus insignia victoriæ regalia, præsenti quoque sæculo spectabilia post labores et angustias sustulerunt. Nunc ad ordinem revertamur.

CAPUT XXIV.

Quid mysterii contineat, quod Aman in patibulo quod Mardochæo paraverat suspensus fuerit.

Ingens spectaculum et tunc erat oculis intuentium, et nunc est mentibus memorantium, quod homo potens et superbus eatenus adorari solitus, ante portas urbis, in patibulo, quod Mardochæo præparaverat, suspensus est, et omnis cognatio

ejus : « Non nobis, ait rex, sed Deo ei reddente A quod meruit (*Esth.* XVI). » Hoc ipsum valde miratur et Josephus, quia tamen totum mirari nescivit, quia sacramentum Christi, cujus in typum illud gestum est ignoravit. « Unde inquit, mihi contingit mirari nomen Dei, et sapientiam justitiamque ejus agnoscere, non solum quod malevolentiam Aman punivit, sed et quod excogitata in alium tormenta in eum convertit, et cæteros hoc sentire permisit, quoniam qui in alium molestus fuerit, hæc in se primum parata cognoscit. » Totum, ut jam dictum est, mirari nescivit. Nos autem sciamus, et miremur in laudem Verbi Dei, quia futuri triumphi sui, quo redimendus erat mundus omnis, pulcherrimam similitudinem præmisit illic. Nam sicut jam supra dictum est, in ligno crucis non Verbum Dei, B Verbum Deus interiit, sed diabolus, cujus similitudinem gessit Aman, judicium damnationis accepit et hoc extra portam civitatis, ne vel a mysterio vacet, quod ante portas hujus urbis, id est Susis, ait idem rex, « Aman, et omnis cognatio ejus pendet in patibulis (*ibid.*). » Hoc exinde plus habet miraculi, quod non per hominem prophetam suum, sive cognitorem sui nominis, sed per hominem gentilem Deus rem tanti effecit sacramenti, tam profundi plenam mysterii.

CAPUT XXV.

Quid mysterii contineat, quod domus Aman data sit Hester reginæ.

Sed et illud ad mysticam similitudinem nonnihil attinet, quod suspenso Aman in patibulo : « Die C illo, ait Scriptura, dedit rex Assuerus Hester reginæ domum Aman adversarii Judæorum (*Esth.* VIII). » Utique dando Hester dedit Mardochæo. Nam subinde sic scriptum est : « Hester autem constituit Mardochæum super domum suam (*ibid.*). » Quantum ergo pulchritudinis in hoc facto est, si illud recolas, quod in Evangelio Veritas ait, significans diabolum de domo sua fore ejiciendum : « Cum, inquit, fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet, si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet (*Luc.* XI). » Sic futurum erat, et sic factum est, quia diabolus tanquam fortis armatus in genere humano potestatem habens per peccatum, sic obtinebat mundum, tan- D quam domum suam, sive atrium suum, sed Verbum incarnatum fortiore manu superveniens vicit illum, et atrium illius fecit suum. Pulchre igitur cum Hester Mardochæus evadens patibulum, vivus suspensi Aman domum possedit, quia sic futurum erat ut Christus, Verbum Dei, cujus origo carnis per Hester et Mardochæum defensa est in cruce, damnato principe mortis, ipse cum Ecclesia sua principatum teneret, præsentis quoque sæculi publica religione socialis sæcularis imperii et ecclesiastici sacerdotii festivitate.

CAPUT XXVI.

Somnium Mardochæi, in quo parvum fontem in fluvium magnum, deinde in solem converti videt, in Hester regina completum fuisse.

Quis tandem non videat effectum somnii verum, sicut dictum est : « Parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit. Hester est, quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam (*Esth.* X). » Sed forte dicis, quod omnis civitas exsultavit, et lætata est, quod Judæis nova lux oriri visa est, et honor, gaudium, et tripudium, quod omnes populos urbes atque provincias, quocunque regis jussa veniebant, mira exsultatio, epulæ, atque convivia, et festus dies, quod, inquam, post tristitiæ noctem tantam habuerunt lætitiæ lucem parum est, ut jam completum illic arbitremur, quod parvus fons crescens in fluvium, converti visus est in solem. Concedendum est quia nullum gaudium transitorium pro quantacunque sui magnitudine meretur nuncupari sol, aut comparari soli, cujus videlicet solis lux sive forma non mutatur ut luna, sed plena perseverat. Igitur neque Jacob in somnio Joseph, neque Hester in somnio Mardochæi propter suam personam soli assimilata est, sed propter Christum solem justitiæ unum et solum, tam ille quam hæc per solem signatus est. Ille quia jam Christum habebat in promissione hæc idcirco, quia Christi genus unde nasceretur, reservavit adjuvante sui corporis gratiosa pulchritudine, fideique et castæ mentis merito præeunte. Finis et causa finalis eorum quæ tunc facta sunt, Christus est, et idcirco veraciter dicis quia « parvus fons in solem conversus est. »

CAPUT XXVII.

Captivitatem populi propter verbum Dei, multo quam gentium imperiosam libertatem, gloriosiorem fuisse.

Comparetur nunc illa populi Dei captivitas cum libertate gentium, sub quibus, vel inter quas populus ille captivus erat. Quidnam gloriosius, quid felicius exstat, gentiumne, quæ sine Deo erant imperiosa libertas ? an populi spem habentis in verbo promissionis captivitas ? At vero, ut certum respondeas judicium, respice conscriptam ex historiis et annalibus felicitatem, imo infelicitatem gentium et regum per eos dominantium. Quomodo regnabant ? quomodo imperabant ? In sanguinibus regnabant, in mortibus imperabant, false viventes et vere morientes, gloriam sitientes et calamitatem bibentes. Nunquid **598** enim illa, quæ diximus capita draconis interea, dum contra mulierem in utero habentem stabant et hiabant, saltem sibimet parcebant, et invicem mordendo semetipsa laniare cessabant ? imo suis morsibus semetipsa multo magis cruentabant. Nam contra mulierem quidem uno malignitatis spiritu male concordantia, rictum semper faciebant, denteque collidebant, sed contra semetipsa miro modo divisa invicem oderant, et super invicem

saliebant, terramque suo sanguine quasi copioso imbre compluebant reges regum, amici amicorum, cognati cognatorum, filii patrum, patres filiorum, nec maternis uberibus filii parcentes, sanguinem voraces hauriebant, irritati interdum solummodo favoribus dissonis propter regnandi cupiditatem belluinam. Mater nonnunquam dum alteri filio plus favere putatur, ab altero filio jugulatur, et a filio pater obtruncatur. Millia centena, et plus quam millia centena dietim bello cæsa, nimirum diabolo pro ludo habentur. Non est præsentis propositi horribiles et diabolicas recitare gentilium bellorum tragœdias. Qui vult, vel cui vacat, sunt historiæ multiplices, legat illas. Nostra hic intentio est perhibere quod verum est, captivo Dei populo, gentes vel reges gentium captivantes illum, etiam secundum præsens sæculum fuisse miserabiliores, quoniam istis respicientibus ad promissionis verbum, omnia non solum in futuro, verum etiam interdum in præsenti sæculo cooperabantur in bonum, illis autem cum Verbo Dei nihil habentibus, omnia cooperabantur in malum.

CAPUT XXVIII.

Superato per Verbum Dei Persarum et Medorum regno, Macedonum quod in Daniele per hircum caprarum significantur successisse.

Tandem fieri oportebat quod in verbo Domini dispositum fuerat, sicut Daniel præviderat, ut videlicet hircus caprarum veniens super faciem totius orbis terræ, et efferatus in arietem percuteret eum, et cornua ejus comminueret, ita ut arietem de manibus ejus nemo liberare posset. Hircus caprarum regnum fuit Macedonum, et cornu insigne, quod habebat inter oculos suos, Magnus Alexander exstitit. Porro aries regnum erat Persarum, et Medorum. Darius Arsami filius regnabat rex quartus decimus, in quo completum est, quod significabatur præmonstrante prophetico spiritu : « Cumque misisset, ait, in terram arietem, hircus conculcavit eum, et nemo quibat liberare » eum, videlicet « arietem, de manibus ejus (*Dan.* VIII). » De hoc mirabile et miserabile illud propter præmemoratam regum vel regnorum gentium infelicem felicitatem non præterire libuit, quia grande spectaculum factus est, et experimentum magnum, quam sit instabilis status sæculi, quam infida fiducia mundi. Tribus præliis ab Alexandro victus, a cognatis suis aureis compedibus et catenis, in gratiam victoris vincitur, et clauso vehiculo exportatus, multisque vulneribus confossus adhuc spirans ab Alexandri militibus invenitur, et perlatus ad Alexandrum : « Felicius te, inquit, hostem, quam cognatos propinquosque meos sortitus sum ; matri quippe et liberis meis a te hoste data vita, mihi a cognatis erepta, quibus et vitam dedi et regna. » Hæc propter incertam et lubricam mundanæ felicitatis aleam commemorata sint, quia regna mundi semper fallacia fuerunt et sunt. Verum autem est verbum, « quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium (*Psal.* XXI). »

CAPUT XXIX.

Quas ob causas regnum Macedonum in priori visione per pardum, in posteriore per hircum fuerit signatum.

Nunc illud quoque animadvertere libet (quoniam ad intentionem præsentis operis nonnihil attinet) quod regnum Macedonum in anteriore visione per pardum, in sequente signatur per hircum. Nunquid enim sine causa tam diversa unius ejusdemque regni figura est præmonstrata ? Nequaquam, sed ob res diversas visionum species varia est. Spiritus sanctus, spiritus propheticus sicut præscivit res venturas, ita rerum venturarum scivit congrue præeuntes accommodare figuras. Futurum quippe erat ut regnum Macedonum et ferinam pardi ferocitatem, et effeminatam hirci habens libidinem, sua vibraret cornua contra Altissimum, suam obfirmaret sævitiam contra verum et vere firmum sæpe dictæ promissionis verbum. Ex sacris recitandum est historiis, et postmodum recitabitur quam ferum, et quam fuerit libidinosum, ferocitate crudeli, et crudelitate feroci, sanctos Altissimi conterendo, libidine insana, insania libidinosa populum, et templum Dei contaminando, ferocissimum atque crudelissimum secundum pardi sævitiam, libidinosum, et effeminatum secundum hirci semper in libidinem proni petulantiam, astutum atque versutum secundum pardi varietatem, fluxum atque incontinens secundum immoderatum sanguinis hircini calorem. Vitiis istis tam diversis ferocitate atque libidine regnum illud Macedonum sive Græcorum contra verbum promissionis laboravit, quod postmodum suo loco plene dicendum erit, et idcirco præcedente visione per pardum, et subsequenter per hircum illud præmonstrari dignum fuit.

CAPUT XXX.

Quas ob causas regnum Persarum et Medorum, in priori visione per ursum, in posteriore per arietem fuerit significatum.

Nihilominus et de regno Persarum atque Medorum quæsitu dignum est, cur in visione anteriori per similitudinem ursi, et in subsequenti per formam arietis sit signatum. Ad quod congrue responderi potest, quia causæ diversæ, imo contrariæ regni illius fuere, erga Dei populum, et circa repositum in populo illo sæpe dictum promissionis verbum. Causas illas tam longe diversas dicere non dubitaverim, quam diversæ naturæ sunt horum animantium ursi et arietis, quorum alterum rapto et cruore vivit, alterum innocuum neque sanguinem sitit, neque rapto vivit. Promptum est hoc discerni, si respicias regnum illud secundum Aman, quam crudele fuerit, secundum reges, quam clementer illi populo sese impenderit. Aman quippe moribus veraciter ursus, truci furore, immani rabie Judæorum genus universum ore aperto hians devorare voluit. Reges autem, maxime Assuerus, more arietis lanis

suis, id est opibus multis, quibus regnum illud A abundavit, eumdem populum fovit et ditavit, nullumque dentem malignitatis inflixit, sicut aries dente neminem petit, imo vitam gentis illius multum lætificavit gratia reginæ Hester et Mardochæi. Sed **599** forte dicat quis, ipsam personam regis Assueri per ursum in illa visione oportere intelligi, quia scriptum est : Et sic dicebant ei, videlicet urso : « Surge, comede carnes plurimas (*Dan.* VII). » Et hoc signat illud dictum Assuero regi : « Si tibi placet, decerne de populo, ut pereat (*Esther* III). » Ad hæc, inquam, non solum regis personam, sed totum regni corpus signavit ursus, nec soli regi dictum est, decerne ut populus pereat, sed toti regno mandatum est per omnes provincias, ad omnes satrapas, et judices provinciarum ut occi- B derent atque delerent omnem Judæorum populum. Igitur secundum Aman quidem, et secundum omnes, qui Judæis nocere voluerunt, ursus ferocissimus. Secundum regem et omnes illos, qui malignitatis illius spiritum non habuerunt, quasi aries fuit regnum illud.

CAPUT XXXI.

Quare hircus unum tantum, aries autem duo cornua habere visus sit.

Si et illud quæras, cui idem hircus visus est unum tantummodum habens cornu inter oculos suos, aries autem cornua duo, facilis patet responsio, quia corpora quidem animantium singula regna signant, reges autem eorumdem regnorum intelliguntur per cornua. Constat autem quia regni Macedonum rex unus Alexander exstitit, et victo Dario, sicut jam C dictum est, solus suo tempore regnum tenuit. Regnum autem Persarum et Medorum non rex unus extulerat capita Babylonica, sed duo Babyloniæ victores et duo fuere reges eodem tempore, unius imperii consortes, videlicet Cyrus et Darius Medus avunculus ejus, Astyagis filius. Bene igitur hirci quidem unum, arietis autem duo cornua visa sunt, quia videlicet rex unus regnum Macedonum, duo autem reges Persarum et Medorum roboraverunt imperium. Cyrus tempore vel ætate junior quam Darius, victoriis et potentia plus crevit, nec non et opibus et Dario major est effectus. Hoc pulchre visio memorata innuit, dum præmisso : « Et ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, » subjungitur, « et nunc excelsius altero atque succre- D scens ; hoc est Cyrus Dario valentior, et victoriis magis quam ille proficiens (*Dan.* VIII).

CAPUT XXXII.

Magnam victoriam Verbi Dei partim in hoc esse quod sicut regna mutanda prædixerit, ita et mutaverit.

Ad summum, nonne in ipsis regnorum mutationibus pulchra pars elucet ejusdem victoriæ verbi Dei, quam laudare suscepimus? Siquidem verum dicere, et falli non posse, id sine dubio vincere est ; et hujusmodi victoria maxime ad verbum Dei pertinet. Dicebat autem Deus hæc, antequam fierent, et de futuris fiebat verbum Domini ad homines, ita ut dum fierent, sine dubio constare posset hominibus, quod non casu evenirent, sed ordinata providentia Dei rationabiliter procederent, et per justum judicium disposita contingerent. Unde quidam ipsorum prophetarum cum præmisisset, dicens : Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit? » continuo subjunxit : Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit Dominus secretum suum ad servos suos prophetas (*Amos* III). » Exempli gratia, ut de regnis istis mutandis, et contra se invicem pugnaturis non fecit Dominus quidquam, nisi prius revelaret secretum suum. Primum sub imaginibus bestiarum, leænæ, ursi, pardi, et quartæ terribilis, quæ sine nomine describitur, et deinde sub similitudinibus arietis, et hirci, quas novissime sermo commemoravit. Cum igitur prius in verbo Domini prophetis revelatur secretum, et tunc demum sicut revelata vel prædicta sunt, ita omnia fiunt, simul et verbum Dei palmam obtinet veritatis, et opinio confutatur illorum, qui putant hunc mundum causaliter agi, nec regi providentia Dei. Contra quos ait per Jeremiam prophetam ipsum verbum Domini : « Quis est iste qui dixit, ut fieret Domino non jubente, ex ore Altissimi non egredientur nec bona nec mala ? » (*Thren.* III.) Recte nimirum indignatur contra ejusmodi, quia nihil fit, nisi Domino jubente. Nihil sine causa sub sole, Non agitur mundus absque Dei providentia, sed ex ore ejus egredientur bona et mala Mala, dum mundus propter sua merita justo judicio affligitur : Bona, dum prosperitate aliqua consolationem invenit et lætificatur. Merito nescitur, qui aliter sentit. Juste reprobatur, qui contraria sapit, diciturque de illo : « Quis est iste ? » quod idem est ac si dicat Deus : Nescio quis sit iste, nolo scire quis sit iste : Discedat a me, non novi istum, nolo nosse istum.

LIBER NONUS

600 CAPUT PRIMUM.

Præfatio ad Cunonem, quo conqueritur, se frigidum atque negligentem, orationibus juvari postulat.

Quinti capitis contra verbum vel propositum Dei prælia meditanti animo, jamdudum causa subest, cur illius reminiscatur dicti in Job : « Ab aquilone aurum veniet, et ad Deum formidolosa laudatio (*Job* XXXVII). » Tibi Cuno, amantissime Pater, causa

hæc intimanda est, ex quo laudationem Domini, A quam loquebatur os meum, cœpisti amplecti quasi aurum, fateor, sensi magis quam eatenus senseram me esse ad aquilonem, id est non habere me sicut oportuisset fervidam divini amoris virtutem, vividam et ardentem de propria salute sollicitudinem. Fateor tibi me invenisse experimentum etiam illius dicti : « Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. » Nunc maxime dum singula draconis capita prosequor, et singulorum culpas sceleraque sanguinea describere gestio, videtur mihi, quod contra me versus in iram, suum excogitet furorem, et de me quasi accusatore suo desideratam quærat ultionem. Ita tentationum nivibus et grandine curarum me operit, et negligentiæ gelu constringit, ut cum scripta mea in ore tuo libenter B legas, et sic amplectaris velut aurum laudationis, etiam veraciter dicere poteris : « Aurum hoc ab aquilone venit. » Restat igitur, et mihi expedit, ut laudatio hæc mihi formidolosa sit, id est hoc ipsum formidem, quod scriptio laudationem Domini, præsumptioni et vanæ gloriæ reputetur, non mercedi, quia studium quod erat sanctorum, non sanctus impudenter arripui. Tuis et omnium te diligentium orationibus, opto juvari, ne remaneam in terra aquilonis, unde aurum venit, sed cum ipso auro in regionem proficisci merear austri clarissimi, sole meridiano fulgentis.

CAPUT II.

Responsio jucunda Cunoni facta, qui rogarat ut præfationem secundi libri Machabæorum explicatam huic operi insereret.

De isto capite quanto, et de his qui percusserunt illud, scilicet Machabæis fratribus, occasio veniens sese obtulit, ut diceres ad me : Scribe mihi librum de victoria verbi Dei, sicut in prologo commemoravi, quem huic operi tecum loquendo præscripsi. Nunc adhuc insistis, rogitans imo per vim dilectionis imperitans, ut prologum secundi libri Machabæorum longum, et ut dicis tu mihique videtur, pene difficilem, aliquatenus studium adhibendo explicem, quasi ego cunctam possim, aut debitor sim tuam exactionem persolvere. Dicis etiam ludibundus, quod jamdudum hoc ipsum somniaveris, et somniando mihi supplicaveris pariter ac jusseris, quatenus hanc partem, scilicet elucidationem prologi, huic insererem et aptarem convenienter operi, et quod primum recusasse fortiter, et deinde spopondiss- obtemperanter visus fuerim. Et ego tibi audeo dicere, sollicitus tamen ne cujuspiam risoris occulus hoc videat, et non benevole hoc accipiat, quia videbar mihi quondam luctam cum diabolo diutinam habere, tandemque dicere illi despicienti me : Cum placuerit Altissimo, ponat sedem suam in me, et loquetur judicia super te. Si non vanum fuit, quod videbatur, et si nunc re adimpletur, dum singula draconis capita studioso sermone percutimus, adjuvabit ipsum verbum, ut tuum quoque somnium me obtemperante prosperetur.

CAPUT III.

Quintum caput draconis fuisse regnum Græcorum.

Quid primum de isto capite dicendum est, jam continuo gestiebat animus aggredi : Corniculum illud unum de multis cornibus hirci, per quem regnum Græcorum signabatur ut, jam prælibatum est in fine libri præcedentis, quod videlicet corniculum magnificatum est usque ad fortitudinem cœli, et dejecit de fortitudine, et de stellis, et robur datum est illi contra juge sacrificium propter peccata, et dejecit locum sanctificationis, videlicet Antiochus, qui appellatus Epiphanes, id est nobilis, sub quo septem Machabæi fratres parvuli cum matre passi sunt. Jam in rem istam properus sermo tendebat, quæ nimirum pars magna est prælii, quo præliatus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et Satanas contra sæpedictum beatæ mulieris conceptum (*Apoc.* XII), id est contra susceptum in fide antiquæ Ecclesiæ ex tempore Abrahæ verbum promissionis, sed mentem adhuc superius tenet illa vox ad Danielem angeli dicetis : « Daniel vir desideriorum, intellige verba quæ ego loquor ad te, et noli metuere, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad affligendum te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos, princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus Et ecce Michael unus de principibus primus venit in **601** adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum (*Dan.* X). » Et rursum ait : « Nunquid scis quare C venerim ad te, et nunc revertar ut prælier adversus principem Persarum ? Cum enim egrederer apparuit princeps Græcorum veniens, et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester (*ibid.*). » Vox, inquam, ejusmodi mentem audientem tanquam tuba vehemens, ad se convertit, et miraculo suo commonefacit, non præterire nos, quod non solum homines, verum etiam angelicæ fortitudines notæ fuerint, et principes fuerint in prælio, quod declamare suscepimus, scribentes hoc opus de victoria Verbi Dei.

CAPUT IV.

Principes Persarum et Græcorum malos angelos debere intelligi, resistentes principibus bonis, id est angelis.

Principes istos Persarum et Græcorum quales D sint, unus de doctoribus eximiis B. Hieronymus breviter (3) : Innuit isti sunt, inquit, principes, de quibus et Paulus apostolus loquitur : » Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Profecto etsi hujusmodi auctoritas deesset, prudens tamen auditor, principes malos, angelos malos intelligere non dubitaret, contra quos bonis principibus præliandum erat, qui contradicunt precibus sanctorum hominum, et legationi sanctorum angelorum. Siquidem mundi princeps diabolus a Domino dictus est;

(3) Hieron. Comment. in Dan. cap. X, vers. 13, edit, MIGNE.

et mundus, ait apostolica veritas, in maligno positus est (*I Joan.* v). » Cum de toto constet, de partibus quis dubitet? Si totius mundi princeps diabolus, nonne consequenter partium mundi, scilicet Persarum atque Græcorum principes, malæ potestates, majori principi diabolo subministrantes recte intelliguntur? Non enim Persæ et Græci Dei cultores erant, sed potius creaturæ quam Creatori serviebant, non Deum, sed pro Deo dæmonia colebant: Persæ, solem, quem et Appollinem dicebant, Græci, sub nomine vel obtentu sapientiæ suæ, Minervam, aliæque gentes, alia dæmonum portenta, gens unaquæque suum præ cæteris singulariter, omnis autem universali sub nomine Jovis principem dæmonum, principem mundi diabolum colebant. Et ejusmodi principibus, tam malis spiritibus, coram simulacris suis, B sese prosternebant, utique quorum dii fuerunt, multo magis principes recte dicti sunt eorum.

CAPUT V.

Principem populi Dei Michaelem esse, bonos principes omnes inter se consentire, malos vero neque cum bonis, neque inter se convenire.

Porro Danielis et totius populi Deum verum colentis, princeps erat Michael, princeps sanctus, angelus bonus, archangelus magnus. Nam idem angelus dicit: « Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester (*Dan.* x). » Et rursum ait: « In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui (*Dan.* xii). » Sub tam diversis, imo contrariis principibus positi homines et reges gentium, in diversum atque contrarium tendebant, et principes eorum mali, principes malorum bonis principibus bonorum et Deum colentium sine dubio resistebant. Quoniam hic loquitur unus de bonis principibus: « Princeps regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus (*ibid*). » Et boni quidem principes semper sibi consentiunt: mali autem et semper bonis, quoad possunt, resistunt, et sibimet semper dissentiunt, et semper inter eos jurgia sunt, quia serperbi[illegible]sunt. Similiter, qui sub ipsis sunt homines mali, semper a bonis dissentiunt, et nihilominus contra semetipsos divisi sunt, regnum adversus regnum, civitas contra civitatem, domus contra domum, vir in virum, et quamvis aliqui sunt interdum consanguinitate juncti, attamen.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit

(LUCAN. *Phars.* I. 92 93.)

CAPUT VI.

Quale prælium sit inter bonos et malos principes.

Unde autem principibus malis contra principes bonos vis ulla præliandi? Unde virtus resistendi? Unde facultas contradicendi? Ex causis, ex hominum sive populorum peccatis. Præliantur quippe in campo justitiæ, conflictu judicii. Mali pugnant accusando, boni pugnant defendendo, judice Deo. Inquantum magna et vera accusatio, intantum tarda et invalida est defensio. Exempli gratia: Magna et vera fuit accusatoris accusatio, contra decem tribus Israel, A quæ appellabantur Samaria divisæ a domo David, et a tribu Juda: Magna, inquam, accusatio principis Assyriorum, quicunque fuerit ille angelus malus, quod nunquam recessissent a peccatis Jerobeam, qui peccare fecit Israel, et incorrigibiles fuerunt toties audito per prophetas verbo Domini, factis apud se per Heliam et Helisæum, tot signis, tot prodigiis. Et magna quidem, sed non tam magna erat accusatio principis Persarum contra Judæos, qui captivi tenebantur sub rege Persarum, quia peccavit quidem et tribus Juda in Hierusalem, sicut decem tribus in Samaria, sed non tam pertinaciter. Nam aliqui ex regibus Juda pœnitentiam egerunt, ut Manasses, aliqui etiam justi fuerunt, et populum correxerunt, ut Ezechias et Josias. De regibus autem decem tribuum B nullus, ut jam dictum est, recessit a peccatis Hieroboam. Magna igitur accusatio principis Assyriorum, et tam magna, ut nullus eos defendere potuerit, qui juste tenendi essent perpetua captivitate captivi. Accusatio autem principis Persarum magna quidem, sed non tam magna fuit ut deberet esse sub rege Persarum insolubilis Judæorum captivitas, quia non fuerat eorum, vel regnum ipsorum insolubilis culpa, id est sine regum aliquorum et populi publica vel communi pœnitentia. Pro inde « restitit quidem mihi, inquit, princeps regni Persarum, » subauditur, sed non usquequaque resistere mihi poterit, quia videlicet causa nostra, modusque peccati et principi nostro Michaeli, qui solus adjutor meus est in omnibus his, locum facit juste defendendi, quod non debeatis perpetua captivitate teneri, quia non in per- C petuum a Domino recessistis, imo pœnitentia satisfactionem nonnunquam obtulistis, et nunc offertis.

CAPUT VII.

Quomodo princeps Persarum restiterit viginti et uno diebus.

Quæ porro est ratio numeri hujus: « Princeps Persarum restitit mihi viginti et uno diebus? » *Dan.* xii.) Videlicet, quia tot diebus **602** exspectatum et desideratum fuerat a Daniele responsum divinum, tanto desiderio, ut propter idem dici meruerit « vir desideriorum (*Dan.* x). » Tot, inquam, diebus exspectatum fuerat responsum. Nam « in diebus illis ego Daniel, inquit, lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque un- D guento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies (*ibid.*). » Trium hebdomadarum dies, viginti sunt, et unus. Itaque tanquam de mora Daniel conquereretur, et tarditatis argueret angelum, ultroneam præfert excusationem, cur non venerit a prima die luctus et jejunii. « Ex die primo, inquit, quo posuisti cor tuum ad affligendum te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua (*ibid*), » subauditur, pro tua persona, quia coram Deo justitia inventa est in te, non tamen die primo veni propter sermones tuos, et ista causa fuit tarditatis, quia princeps regni Persarum restitit mihi, videlicet contradicens, et asserens injustam esse captivitatis

solutionem, et sic illo resistente teque in oratione et afflictione perseverante, transierunt viginti et unus dies, et nunc veni tandem docere quæ ventura sunt secundum judicis Dei misericordiam et veritatem. Sic incipiens multa et admirabilia, tanquam historiam recitans, de futuris denuntiat Danieli, quorum hic finis est : « Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ, in perpetuas æternitates (*Dan.* XII). »

CAPUT VIII.

Quomodo, nobis orantibus, mali spiritus prælientur cum bonis.

Terribile atque lamentabile hinc nobis datur documentum, ut sciamus causam esse apud Dei judicium, quoties in aliqua tribulatione, seu publica, seu privata non cito exaudimur clamantes ad Dominum. Scire namque debemus sanctos angelos inter Deum et Dei servos administratores esse, nosque in conspectu eorum psallere et orare, semperque illos paratos esse ad offerendas Deo orationes Ecclesiæ. Scire etiam debemus angelos econtra malos venire et contradicere illis atque resistere, et cum sint injusti, nostræ contra nos declamare causas injustitiæ, quod videlicet exaudiri non debeamus, eo quod neque plena fide oremus, neque propositas nobis exauditionis conditiones observemus, quæ sunt ejusmodi : « Solve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, et omne opus disrumpe, frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris : Tunc invocabis, et Dominus exaudiet, clamabis, et dicet : Ecce adsum (*Isa.* LVIII). » Cum igitur invocamus, et Dominus non exaudit, dum clamamus et non dicit : « Ecce adsum, » scire debemus sanctis angelis invocationes atque clamores nostros Deo offerentibus resistere, et contradicere malos, habentes in manibus accusationem, jacula, quæ sunt peccata nostra, non redempta jam dictis misericordiæ operibus, quæ Dominus in conditione posuit, si juste exaudiri desideramus, Sed jam cœpta prosequamur.

CAPUT IX.

Quomodo sit intelligendum, quod dictum est : « Ecce Michael unus de principibus primus venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum.

« Ecce, inquit, Michael unus de principibus primus venit in adjutorium meum et ego remansi ibi juxta regem Persarum (*Dan.* X). » Ac deinceps : « Et nunc revertar, ut prælier adversus principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens (*ibid.*). » Notanda est hæc littera, quia « remansi, » dicit, non juxta principem Persarum, sed « juxta regem Persarum. » Rex namque Persarum homo erat Darius vel Cyrus, cum quo vel juxta quem, quod melius dicitur, bonum angelum remanere oportebat, quia captivorum causa hoc exigebat. Princeps autem Persarum angelus malus erat, juxta B quem non remanere, sed adversus quem præliari bonum angelum decebat. Quid commodi, quid boni fructus inde provenerit, ex eo, quod juxta regem Persarum bonus iste angelus remansit, et adversus principem Persarum præliatus est, non opus est quærere, quia notum et jam superius tractatum est, qualiter rex Persarum instinctu Dei Judæorum captivitatem solvit, et de reædificando magni Dei templo decretum edixit, et deinde qualiter alius rex Persarum Assuerus retentus fuit ne pessimum Aman Agagitæ hostis Judæorum consilium perficeret, imo malitiæ ejus machinationes in caput ejus retorqueret. Unde hæc tam feliciter evenerunt, nisi quia bonus iste angelus remansit juxta regem Persarum, videlicet administrans consilium bonum? Spiritus enim, inquit Apostolus, administratorii sunt, et quia præliatus est adversus sibi resistentem angelum malum principem Persarum, offerendo Deo orationes et defendendo causam captivorum. Magna sunt hæc et digna, ut pro illorum effectu sancti principes cœlorum præliarentur, si memoriter teneas, quod jam sæpe diximus, quia reservatio gentis illius præparatio erat adventus Christi Jesu, ut esset, unde illo nascente verbum promissionis impleretur. Unde gaudere et lætari habebant, non solum iste præliator angelus, et Michael adjutor ejus, sed omnes angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, cherubim atque seraphim, cum omnibus hominibus bonæ voluntatis.

CAPUT X.

C *Quomodo sit intelligendum, quod ait : « Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. »*

Sed ecce aliud malum : « Cum enim, inquit, egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens (*Dan.* X), » subauditur, ad obtinendum vel ad acquirendum Macedonibus imperium, sub quo videlicet imperio, filii populi tui multa passuri sunt. Jam tunc apparebat, jam tunc veniebat regnum Græcorum, agitante populos Græciæ isto, quem dicit principem Græcorum. Nec mirum, si jam videbat angelus bonus in conspectu Dei stans, et ab ipso egrediens, et ad ipsum regrediens, non, inquam, mirum, si jam videbat venire incipientem ejusmodi principem quia videliet jam tunc magna Græci facere incipiebant. Promptum est volenti ex historiis recolere, quanta postmodum Græci, maximeque Athenienses et fecerunt et passi sunt, D qui præcipui **603** vel primi Græcorum in rebus bellicis exstiterunt, quippe quorum opera, inquit Pompeius Trogus, effectu majora quam dicto fuere, quæ non modo ultra spem gerendi, verum etiam ultra gesti fidem peracta sunt. Sub iisdem temporibus quando Danieli visiones istæ revelabantur, ipsum Darium a Cyro tertium regem Persarum, cujus tempore hæc Danieli angelus in visione locutus est, Athenienses vicerunt. Cognito namque Darius, quod Athenienses hostibus contra se auxilium tulissent, omnem impetum belli in eo convertit. Cujus adventu audito, Athenienses auxilium a Lacedæmoniis petiverunt, et magna cum alacritate animorum hostibus obviam

venerunt. Pugnatum est tanta virtute, ut hinc viros A inde pecudes putares: ducenta millia Persæ eo prælio sive naufragio amisere. Claret itaque quomodo dictum sit: « Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens, quia jam tunc Persæ a Græcis vinci incipiebant, et deinde Dario decedente, cum filius ejus Xerxes habens millia septingenta Græciam intrasset, ut non immerito proditum sit, flumina ab exercitu ejus siccata, Græciamque omnem vix capere ejus exercitum potuisse, duobus præliis terrestribus et tertio navali prælio, in quo decies centum milium numero naves habuisse dicuntur, victi sunt: et introitus regis eorum in Græciam quam terribilis, tam turpis ac fœdus discessus fuit. Mirum dictu, et veteres recensentibus historias perspicuum est, quam crudeliter mali illi principes, angeli tru- B ces per eadem tempora luserunt in sanguine humano, nunc Græcis Græcos, nunc itidem Græcis cædentibus et occidentibus Persas implacabili furore, ita ut non ignores cur dictum sit: Mundum in maligno positum fuisse vel esse, cujus videlicet maligni diaboli principes suffraganei erant, illi jam dicti, qui quoniam principabantur illis, non poterat pax esse impiis.

CAPUT XI.

Quomodo regnum Græcorum originem cœperit.

Dixisse nos arbitramur de principe Græcorum, qualiter venire cœperit, jam dicendum est, qualiter pervenerit, qualiter regnum Græcorum sive Macedonum (qui profecto Græci sunt) auctum imperium cum cæteris gentibus Judæam quoque tenuerit, et C per quem illa facta sint, quæ facienda superior visio demonstravit in cornu modico, quod subortum est ex quatuor cornibus hirci supra memorati. Post annos imperii Persici plus minus ducentos viginti, Alexander Macedo decedente Philippo in regnum successit, eodem, ut putabatur, Philippo genitus, virtute et divitiis patre major. Porro, si verum memorant, qui de illo scripserunt, veraciter illum adduxit in regnum, et cum pervenit jam dictus ille malus princeps Græcorum, permittente Deo, cujus permissio semper justa est, licet malignorum principium voluntas sive intentio semper sit injusta. Ferunt namque gestorum ejus scriptores, Nectanebum quemdam maleficum per maleficia transfiguratum, in cornuti Jovis dæmonium, quem dicunt Hammonem, Olympiadis uxoris Philippi inisse D concubitum, atque exinde Alexandrum hunc fuisse generatum. Ferunt et hoc alii, quia qua nocte eum mater Olympias concepit, visa est per quietem cum ingenti serpente volutari. Utraque hæc dicta scriptorum satis sibi consentiunt, nisi quod ab altero plus et ab altero minus est dictum, et utrosque libenter audimus, quod hoc vel illud dicere, est testificari, quod illic non defuerit malignorum cooperatio spirituum, ubi conceptus est talis vir, talis futurus prædo terrarum, et, ut ait quidam insignis auctor:

.......non utile mundo
Editus exemplum tot gentes esse sub uno
Posse viro.

CAPUT XII.

Regem Alexandrum se Hammonis filium videri voluisse, idque per hircum caprarum, qui terram non tangebat, Danieli significatum fuisse.

Propter felicitatem prædæ suæ, qua prædatus est mundum, et propter invictam fortitudinem celeritatemque victoriarum præsignatus est per cornu insigne quod habebat, inquit Daniel, hircus inter oculos suos (*Dan.* VIII). Puer namque acerrimus litterarum studiis cruditus fuisse dicitur, et deinde per quinquennium crevisse sub Aristotele omnium philosophorum nobilissimo doctore, adeptus imperium regem se terrarum omnium ac mundi appellari jussit. Tantæ superbiæ fuit, ut de se plus quam de homine juberet censeri et idipsum maternum suæ conceptionis opprobrium, quod jam ante nullis auditum fuerat, vertit in gloriam sibi. Denique, ut aiunt iidem scriptores, Philippus ultimo prope vitæ suæ tempore filium suum non esse palam prædicaverat, qua ex causa Olympiadem velut stupri compertam, repudiaverat. Siquidem ipsa Olympia Philippo confessa fuerat se Alexandrum, non ex eo, sed a serpente, ut jam dictum est, ingentis magnitudinis concepisse, quod non aliud, nisi adulterium Nectanebi per maleficia transfigurati, seque Hammonem esse dicentis. Igitur Alexander, cum ad Jovem Hammonem pergeret, responsa petiturus de eventu futurorum, et origine sua, cupiens originem divinitatis acquirere, simul et matrem infamia liberare, per præmissos subordinat, quid ab antistite templi sibi responderi vellet. Ingredientem templum statim antistes, sicut fuerat subordinatum, salutat ut Hammonis filium, ille lætus quasi Dei adoptione hoc se patre censeri jubet. Rogat deinde an omnes interfectores parentis sui sit ultus (fuerat namque Philippus in spectaculis a quodam nobili juvene, nemine suspecto obtruncatus), respondetur patrem ejus nec interfici posse, nec mori, regis Philippi pene peractam ultionem, comitibusque ejus hoc fuit responsum, ut Alexandrum pro Deo, non pro rege colerent. Ob tantam cordis ejus superbiam reor sic visum, et sic dictum, quia « hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, et non tangebat terram (*ibid.*). » Ut sit sensus, quia generationem suam non terrenam, sed divinam censeri voluit. Nam et moriens ad postremum in templo Hammonis, utpote patris sui dei, corpus suum condi jussit.

CAPUT XIII.

Quomodo Alexander Hierosolymam venerit, et principem sacerdotum vestibus sacris indutum veneratus sit.

Necdum causam commemorat, ut hircus ille, scilicet regnum Græcorum, Judam et Hierusalem, templumque nuper de ruina et igne Chaldæorum resuscitatum devastaret, neque cornu illud insigne ad hoc fuerat deputatum, ut faceret quod faciendum erat per aliud cornu ejusdem hirci, juxta visionis supra memoratæ mysterium. Sciendum **604** quipe,

quia non nisi ob causas manifestas, non nisi ob scelera grandia contigit, ut vel Nabuchodonosor locum illum prius, vel Antiochus desertum redderet posterius. Causas præcedentis, id est Babylonicæ tempestatis suo loco diximus, causas sequentis postmodum dicemus. Igitur intendebat quidem diabolus contra Deum, contra promissionis Dei verbum vibrare illud hirci cornu magnum, sed permissus non est, imo manifesta Dei virtute locus ille defensus est. « Cum enim idem Alexander Hierosolymam adveniret, Phœnices, ait Josephus, et Chaldæi secum reputabant, quia quidquid potuisset furor imperialis in civitatem, et ipse committeret, et ipsos committere permitteret, et principem sacerdotum summis afficeret contumeliis. At item princeps sacerdotum, nomine Jaddi, divina visione præmonitus fuerat, ut confideret, sertisque civitatem ornaret, portasque protinus aperiret. Et alii quidem cum veste alba, ipse autem et reliqui sacerdotes, cum legitimis stolis occurrerent, sperantes nihil sævum pati Deo providente. Hoc facto, venit e diverso quam putabant jam dicti Phœnices et Chaldæi. Nam Alexander videns multitudinem vestibus albis indutam, antistites vero cum bissinis stolis, et principem sacerdotum cum tunica hyacinthina et aurea stola, super caput habentem cidarim et laminam auream, in qua scriptum erat Dei nomen, adiit solus, et nomen adoravit, et principem sacerdotum primus veneratus est. Super hoc Syriæ regibus et reliquis stupentibus, corruptamque regis mentem putantibus, cum unus ex omnibus interrogasset eum, dicens : « Cur, eum omnibus adorantibus, ipse adorasset principem sacerdotum gentis Judææ ? — Non hunc, inquit ille, adoravi, sed Deum, cujus principatu sacerdotii functus est; nam per somnium in hujusmodi eum habitu conspexi. » Præclara victoriæ pars, victoriæ nominis vel verbi Dei taliter ob implendam veritatem promissionis, illam gentem reservantis atque defendentis, ut regnorum capita sibi humiliaret, dum et Babylonis caput Nabuchodonosor prophetam ejus procidens adorat, et Macedonum diadema magnus Alexander in sacerdotis ornatu nomen Dei nihilominus adorat, et eorum medius tempore potentissimus Persarum Medorumque rex mysterium victoriosæ passionis ejus, sicut suo loco dictum est, appenso Aman in patibulo, licet ignorans, concelebrat.

CAPUT XIV.

Quomodo illud cornu fractum sit, id est quomodo Alexander Magnus vita decesserit.

Quomodo illud tandem cornu fractum est ? « Hircus enim caprarum, ait Scriptura, factus est magnus nimis, cumque crevisset, fractum est cornu magnum (*Dan.* VIII). » Quomodo fractum est ? quomodo mortuus est, qui æstimabatur, et æstimari volebat immortalis, magnus Alexander ? Venerat Babyloniam et ibi per insidias veneni accepit poculum, cujus veneni tanta vis fuisse dicitur, ut non

A ære, non ferro, non testa contineretur, nec aliter ferri nisi in ungula equi potuerit. Accepto poculo, media potione repente velut telo confixus, ingemuit, elatusque e convivio semianimis, ita amare cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret, tactumque hominum velut vulnera indolesceret. Sexta die decessit Alexander mensem unum et annos tres et triginta natus, cujus temporis tam brevissimi nunc idcirco meminerimus, ut recogites, qualis vel quanta esse possit causa hujus juvenculi in judicio antiqui dierum super thronum sedentis, et judicantis de bestiis illis, quarum tertia bestia fuit hic pardus, id est per pardum signatus, sævus atque superbus. Quale enim est, cum contemplatione illius antiqui videre juvenem temporis tantilli rapientem regnum, quod idem
B antiquus disponere debuit, seque appellari jubentem terrarum omnium regem ac totius mundi ? Nimirum tale est, imo longe ridiculosius est quam si locusta subsiliat, et pro brevi saltu gigantem se haberi velit tam magnum, ut cœlum contingat. Jam dudum de isto et de cæteris irreverentibus et in republica ejusdem Antiqui dierum rapinam regnorum facientibus dictum fuerat : « Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in æternum permanet (*Psal.* IX), » qui et permanens dicit : « Consilium meum stabit, et voluntas mea fiet (*Isa.* XLVI), » subauditur, ut ille solus vincat, solus regnet atque imperet, qui antiquus a me præelectus est, quia verum et maternum est antiquitatis meæ judicium, ut solus ille Rex sit omnium, per quem solum omnia facta sunt.

C

CAPUT XV.

Fracto cornu, alia quatuor succrevisse, ideoque draconem, cum septem tantum capita habeat, decem tamen diademata gestare.

Fracto cornu hirci magno, « orta sunt, inquit, cornua quatuor super illud per quatuor ventos cœli (*Dan.* VIII), « id est, mortuo Alexandro Magno, divisum est regnum ejus in partes quatuor, et laceratum est etiam in externos, exceptis his quatuor regnis, Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, et Ægypti. In Ægypto enim primus regnavit Ptolomæus Lagi filius, id est ad meridiem. In Macedonia Philippus, qui et Arideus frater Alexandri, id est ad occidentem. In Syria et Babylone Seleucus, qui et Nicanor, id est ad orientem. In Asia et Ponto Antigonus, id est ad
D septentrionem. Hoc secundum plagas totius orbis. Cæterum quæ in Judæa est, ad aquilonem Syriam, et ad meridiem Ægyptum habet. Hic jam illud occasio suggerit, quod in Apocalypsi draco sive bestia hæc, cujus contra Verbum Dei prælia præsentis operis intentio recensenda suscepit, capita quidem septem et in capitibus suis septem diademata, decem vero scribitur habere cornua. Nam « ecce, inquit, draco magnus, rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus suis septem diademata (*Apoc.* XII). » Cur ita sit, præsens locus vigilanter observatus innuit, quia videlicet dum in uno ex septem regnis, quæ sunt septem capita

draconis, pro uno rege Alexandro decedente, quatuor succedunt, et imponunt sibi omnes diademata, crescit numerus regum, et decem fiunt reges septem regnorum, per quæ, ut jam sæpe dictum est, hoc agere institit draco diabolus, ut irritum fieret promissionis Dei Verbum. Nam et si in quatuor partes divisum est regnum Macedonicum, pro uno tamen imperio computatum usque ad Romanorum imperium, et una tantum pars, scilicet Syriæ regnum per Antiochum Epiphanem draconis ejus malitiam, id est sævam contra testamentum Dei crudeliter exercuit persecutionem.

605 CAPUT XVI.

Antiochum per cornu parvulum, quod de uno ex quatuor exierit, significatum fuisse.

Primus, ut jam dictum est. post mortem Alexandri Syriæ regnavit Seleucus, cognomento Nicanor, secundus Antiochus, qui appellatus est Soter, tertius et ipse Antiochus, qui vocabatur Theos, id est Deus, quartus Seleucus, qui cognominatus est Callincius, quintus Seleucus, cognomento Ceraunos, id est, fulmen, sextus Antiochus, frater Seleuci, qui appallatus est Magnus, septimus Seleucus filius Antiochi Magni, octavus Antiochus, qui appellatus est Epiphanes, id est illustris, frater Seleuci. Iste est radix peccatrix de quo primus liber Machabæorum sic incipit : « Et exiit ex eis radix peccatrix Antiochus illustris filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses, et regnavit in anno centesimo et septimo regni Græcorum (*Mach.* I). » Iste est quem ita prophetica visio designat : « De uno autem ex quatuor cornibus egressum est cornu unum modicum (*Dan.* VIII), » id est de Seleuco, qui cognominatus est Nicanor, ut jam dictum est, exiit rex iste Antiochus octavus ab illo, rex virtute modicus, arrogantia magnus. « Et factum est cornu illud magnum contra meridiem, et contra orientem, et contra fortitudinem, et magnificatum est usque ad fortitudinem cœli, et dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas, et usque ad principem fortitudinis magnificatus est, et tulit ab eo juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus (*ibid.*), » sicut in Machabæorum libris narratur. Hanc malorum partem declamare, nostri propositi est, nam cætera regni illius mala, quæ contra semetipsos, Alexandri principes et duces seu comites mox facti reges gesserunt, ad præsens non pertinet negotium, quia videlicet contra Dei testamentum manus suas, vel arma sua non extulerunt, sed suum invicem sanguinem male prodigi biberunt. Sunt historiæ, quas quicunque legit, plane animadvertere potest, Alexandrum non degenerasse a serpente, imo dæmonio de quo sub nomine Hammonis fuisse conceptum se, ipse gloriatus est, cujus videlicet Alexandri superbia, celerem cadens in mortem, cædium plurimarum seminarium fuit, suosque domesticos contra semetipsos divisit odiis vipereis, discordiis serpentinis.

CAPUT XVII.

Onyæ primum sanguine quintum hoc draconis caput maduisse, et rufum factum fuisse.

Principium sanguinis, quo caput istud draconis, caput quintum maduit, et rufum cœpit fieri, cædes Onyæ pontificis exstitit pii, et mala odio habentis, propter cujus pietatem, cum leges adhuc optime custodirentur, et sancta civitas in omni pace habitaretur, fiebat, ut ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent, ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Vita excesserat Seleucus, regnumque susceperat Antiochus, qui Epiphanes id est nobilis appellabatur. Rege illo falso nobili, et vere ignobili regnante, Menelaus, qui Onyas dictus fuerat, sed Græcorum æmulatus gloriam, inter cætera gentilis ritus insignia, Græcum quoque nomen assumpserat, ut vocaretur Menelaus, id est robur populi. Aurea quædam vasa templo furatus, alia donaverat, alia vendiderat, ob quam rem cum argueretur ab Onya, egit ut ab Andronico, cui partem vasorum dederat, Onyas interficeretur, et ita factum est. Occisus itaque est propter justitiam, primus in acie sanctorum martyrum Machabæorum, de quibus Deo donante nunc erit dicendum. Vir in vita sua et post mortem suam venerabile habens testimonium, quod fuerit vir bonus et benignus, visu verecundus, modestus moribus, et eloquio decorus, atque a puero in virtutibus exercitatus. Primus in hunc persecutionem egit frater ipsius Jason, qui patrio nomine dictus fuerat Jesus, sed sicut de Menelao jam dictum est, Græcas patriæ legi præferens glorias, Græcum in primis vocabulum assumpserat, ut vocaretur Jason. Iste ambiens summum sacerdotium pecuniis oblatis impius facile obtinuit apud regem impium, post hoc vitam quoque, ut jam dictum est, amisit Onyas propter justitiam.

CAPUT XVIII.

Quibus peccatis populus meruerit ut Deus per Antiochum eos affligeret.

Dicendum jam in primis qualia propter peccata permissum ac justum fuit ante Deum, ut potestatem haberet caput illud nequissimum adversus testamentum Dei, talem, tam magnam, ut pene periclitata fuerit spes promissionis, quam ut sæpe dictum est, in mente tunc habebat Ecclesia, secundum similitudinem mulieris in utero habentis. Malum ipsorum primum ab ipsis processit, ita ut exigeret justitia fieri, quod faciendum esse dixerat in David Deus, in sermonibus suis justus, et vincens cum judicatur : « Visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (*Psal.* LXXXVIII). » Acto namque ut occideretur Onyas pontifex pius, propter quem, ut jam dictum est, leges optime custodiebantur, prædicti Jason et Menelaus, et multi ab ipsis persuasi, accesserunt ad Antiochum, et ad notitiam ejus perduxerunt, quod vellent patrias relinquere leges et conversationem et mores observare Græco-

rum. Rogaverunt ergo eum, ut permitteret eis ædificare gymnasium Hierosolymis (*I Mach.* I). Est autem gymnasium nudorum exercitium, quo juvenes nudi luctantes se exercebant. Gymnos Græce, *nudus* Latine. Cumque concessisset Antiochus, circumcisionem suam, inquit Josephus, velaverunt, ut non apparerent Græcis esse dissimiles. Quod ille dicit, et velaverunt circumcisionem suam, hoc est quod ait Scriptura libri Machabæorum : « Et fecerunt sibi præputia (*ibid.*). » Circumcisis namque impossibile erat sibi facere præputia, nisi velando circumcisionem, ne appareret quod non haberent præputia. Hoc faciendo recesserunt, inquit, a testamento sancto, subauditur quod pepigit Deus cum Abraham, in quo erat promissio seminis, quod est Christus, cujus videlicet promissionis fidem in eo negaverunt, quod circumcisionem signaculum fidei velando præputia sibi fecerunt, et ita veraciter a testamento sancto recesserunt.

606 CAPUT XIX.

Quibus successibus populi flagitia aucta fuerint.

Initium dolorum fuit hoc, quod nimirum accersierunt sibimet ultro. Hoc initium statim secutus est profectus, et successit incrementum. Etenim ausus est sub ipsa arce Sion gymnasium constituere, ausus est etiam optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. » Erat autem, inquit Scriptura, hoc non initium, sed incrementum quoddam, et profectus gentilis et alienigenæ conversationis, et propter impii et non sacerdotis Jasonis nefarium et inauditum scelus, ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, et sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palestræ et præbitionis ejus injustæ, et in exercitiis disci, et patrios quidem honores nihili habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur (*II Mach.* IV). » Ubi tales erant sacerdotes qualis putas erat populus? Ubi occiso Onya pontifice pio, suffectus Jason impius, et non sacerdos optimos epheborum in lupanaribus ponebat, putas qualis erat juventus tam egregii pontificis alumna? Jam utique locus et tempus erat, ut veniret super eos sententia maledictionum illa quæ in libro Deuteronomii (*Deut.* XXVIII), quatenus fierent in exemplum subversionis Sodomæ et Gomorrhæ, Adaniæ et Seboim, quas subvertit Dominus in ira sua et in furore suo (*Gen.* XIX). Nisi teneret Dominum Deum juramentum suum, quod juraverat ad Abraham et ad David pro semine quod erat Christus, nasciturus ex illis, Esaia quoque testante, cum dicit : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus (*Isa.* I). » Hæc idcirco dicta sunt, ut appareat aliquatenus æquitas justi judicii Dei, quia nisi sola gratia reservare voluisset gentem illam, propter adimplendam veritatem promissionis, non tantum scelestis manibus impii Antiochi, verum etiam tali pœnæ justum fuisset illos subjici, quasi Sodoma, vel Gomorrha succubuit. Nam etiam gravius erat peccatum istorum scriptam legem habentium, quam Sodomorum legem hujusmodi non habentium.

CAPUT XX.

Quid sit quod Dominus per Zachariam dixit : « Quia ego iratus fui parum, » ipsi vero addiderunt, « in malum. »

Ecce autem illud occurrit, quod in Zacharia propheta Dominus exercituum præmittens : « Zelatus sum Hierusalem et Sion zelo magno, et ira magna irascor super gentes opulentas, » continuo causam istam subjungit : « Quia ego iratus sum parum (*Zach.* I) ; » ipsi vero addiderunt « in malum. » Et est sensus, ego zelo bono ductus, visitavi « in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum (*Psal.* LXXXVIII), » potestatem dando gentibus, ut eos affligerent parum. Ipsi autem quibus permisi potestatem, permisso abutentes excesserunt modum. Nunc ergo discrete attendendum et attente discernendum est, quid justus Deus fieri voluerit illi populo iratus parum, et quid gentes, ut tunc temporis erant Græci, plus faciendo addiderunt in malum. Quod ut commodius fiat, dicendum in primis in quo sit ira Dei parva, juxta quam dicit : « Quia ego iratus sum parum, et in quo ira ejus magna, juxta quam loquitur : « Et ira magna ego irascor super gentes opulentas (*Zach.* I). » Simulque et illud considerabitur, quia parvam iram suam zelum vocat, dicendo : « Zelatus sum Hierusalem, et Sion zelo magno. » Et econtra magnam ipsius misericordiam, et parvam, ejusdem opportunum erit distinguere misericordiam, quia sicut magnæ iræ magna est opposita misericordia, quam David postulat, dicens : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam (*Psal.* L), » ita et parvæ iræ oppositam constat esse parvam misericordiam, quam in Osee qualis sit audivimus, Deo dicente? « Quid faciam tibi, Ephraim ? Quid faciam tibi, Juda ? misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens (*Ose.* VI). »

CAPUT XXI.

Quis sit, Deum irasci parum.

Ira Dei parva, juxta quam dicit : « Quia ego iratus sum parum (*Zach.* I), » subauditur Hierusalem et Sion. Ira parva, virga disciplinæ est scilicet temporalis afflictio sive vexatio, valens ad hoc, ut intellectum det auditui, ne forte Hierusalem sive Sion, scilicet electa quælibet anima temporalibus bonis inebriata consopiatur, et auditus ejus intellectum verbi Dei non habeat, in quo est vita æterna. Talis ira zelus recte vocatur, dicente ipso : » Zelatus sum Hierusalem et Sion zelo magno (*ibid.*), » veluti cum vir diligens dilectam suam fortiter æmulatur euntem post amatores suos. « Ecce, inquiens, ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos, et quæret eos, et non inveniet, et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc (*Ose.* II). » Porro ira Dei magna est, quod non zelator,

quemadmodum in Hieremia dicit ipse : « Cum zelus meus recesserit a te, et exsecrantem animam non requirit, neque sepit viam ejus spinis, ut adversis offensa revertatur ad Creatorem suum. » Juxta quod in Psalmo dictum est : « Secundum multitudinem iræ suæ non quæret (*Psal.* VIII). » Huic iræ magnæ, magna est opposita misericordia. De qua cum dixisset ad David in juramento suo : « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (subauditur filiorum David), » continuo subjunxit : « Misericordiam autem meam non dispergam ab eo (*Psal.* LXXXVIII). » Quænam est illa misericordia, nisi promissio tunc adimplenda, nunc autem impleta ? Nam et alibi : Deus, inquit, susceptor meus, Deus meus misericordia mea (*Psal.* LVIII), Deus meus, inquam, scilicet Christus, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula (II *Cor.* XI), quem profecto in sua persona, id est de semetipso proloquens David, susceptorem suum potuit dicere, quia futurum erat, et factum est, ut Deus suus, Verbum Dei, Verbum Deus susciperet ipsum David, susciperet carnem nostram, hominem verum de semine ipsius David. Hæc misericordia tam magna, fructus est illius benedictionis qua pater Isaac juniorem filium suum Jacob benedicens : « Serviant, inquit, tibi populi, et adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, qui autem benedixerit tibi benedictionibus repleatur (*Gen.* XXVII). » Eo namque illa benedictio tendebat, ut Deus noster misericordia nostra, Deus et homo Christus de stirpe Jacob nasceretur, quoniam responsum fuerat Rebeccæ : « Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi ex ventre tuo dividentur (*Gen.* XXV). » Et idcirco fieri non poterat, ut ex ambobus nasceretur, utpote divisis Jacob et Esau. Illa benedictio, quam sortitus est ejulans Esau **607** dicente patre : « In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua (*Gen.* XXVII) » misericordia parva est, parvæ iræ Dei, de qua jam dictam est, opposita.

CAPUT XXII.

Quid Antiochus addiderit « in malum.

Jam ad in quod proposuimus redeundum est, scilicet ad discernendum, quid justus Deus fieri voluerit illi populo iratus parum. Et quid illa radix peccatrix, Antiochus ille illustris, plus faciendo addiderit « in malum (*Zach.* I). » Unam tantummodo et parvam misericordiam, sicut jam dictum est, sortitus fuerat Esau, scilicet ut in pinguedine terræ et rore cœli desuper, id est bonis terrenis, et temporalibus divitiis abundaret. Utramque autem, videlicet et parvam et magnam misericordiam Jacob in benedictione acceperat, quatenus eidem « et de rore cœli et de pinguedine terræ daret abundantiam frumenti vini et olei, » quæ parva misericordia est. « Et semini ejus, » id est Christo, servirent populi, et adorarent eum tribus, quæ magna misericordia est. Parvam illam misericordiam parva ira Deus abstulit, quoties populum illum propter peccata gentibus devastandum tradidit, sicut scriptum est : « Et tradidit eos in manus gentium et dominati sunt eorum qui oderunt eos, et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum (*Psal.* CV). » « Ipsi vero addiderunt in malum, » quoties hoc nisi sunt, ut misericordiam magnam, misericordiam æternam auferrent eis, non ut ipsi possiderent, sed ne fieret ulli homini, neve esset apud ullum hominem fides Dei, aut verbum promissionis, agitante illo diabolo dracone antiquo, ut, exempli gratia, Nabuchodonosor regem Babylonis agitavit, quatenus tres pueros mitteret in caminum ignis, quia statuam noluerunt adorare, quam ipse fecit. Sed de illo et de cæteris jam dictum est, ad ea quæ impius gessit Antiochus sermo devenit.

CAPUT XXIII.

Quæ Antiochus Hierosolymis fecerit, ad parvam Dei iram pertinere.

Postquam paratum est regnum in conspectu Antiochi, et cœpit regnare in terra Ægypti, ut regnaret super duo regna, postquam comprehendit civitates munitas in terra Ægypti, et accepit spolia terræ Ægypti, convertit et ascendit ad Israel, et ascendit Hierosolymam in multitudine gravi, et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa et ornamenta, quæ in facie templi erant et comminuit omnia, et cætera usque ad id quod dictum est : « Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus, et sublimitas ejus conversa est in luctum (*I Matth.* I). » Hæc omnia secundum hunc modum, cuncta secundum hoc genus malorum direptio atque comminutio valorum sanctorum, direptio thesaurorum, et cædes hominum, planctus magnus in Israel et omni loco eorum, gemitus principum et seniorum, infirmatio juvenum et virginum, lamentum maritorum, et luctus matronarum, plaga magna civitatis et perditio populi multi, nam et civitatem succendit Antiochus igni, domos quoque et muros in circuitu destruxit (*ibid.*). Hæc inquam, omnia pertinent ad iram parvam, juxta quod ait ipse Dominus : « quia ego iratus sum parum. » Parva namque hæc fuerunt, quia circa corpus omnia versata sunt, bona temporalia, bona caduca, et quandoque defutura citius sustulerunt. De causa vel cupiditate ejus, qua intravit in Ægyptum bellum inferens nepotibus suis, id est sororis suæ filiis, Ptolomæo Philometori et fratri ejus Ptolemæo Physicon ex Ptolemæo Epiphane genitus, et qualiter imperio Romanorum circumscriptus, ac deterritus inde recesserit, recitare præsentis non est negotii, præsertim quia propositi sui viam tenens animus digniora prospicit, et ad ipsa tendit.

CAPUT XXIV.

Quod Judæos ad ritum gentilem coegerit, additamentum fuisse in malum.

Sequuntur ea quæ recte dicas additamentum eorum, quemadmodum ait : « Ipsi vero addiderunt in malum (*Zach.* I). » Et scripsit rex Antiochus omni

regno suo, ut esset omnis populus unus, et misit libros per manus nuntiorum in Hierusalem, et in omnes civitates Judæ, ut sequerentur leges gentium terræ, et probiberent holocausta et sacrificia et placationes fieri in templo Dei, et prohiberent celebrare Sabbatum et dies solemnes. Et jussit ædificari aras et templa et idola, et immolari carnes suillas, et pecora communia, et relinquere filios suos incircumcisos, et quicunque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur. Et ædificavit abominandum idolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Judæ in circuitu ædificaverunt aras, et ante januas domorum, et in plateis incendebant thura, et sacrificabant, et libros legis Dei combusserunt scindentes eos, et apud quemcunque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicunque observabant legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum (*I Mach.* I). » Quis dubitet, quis discernere non queat totum hoc additum esse super iram Domini et Patris, servos aut filios suos non perdere, sed corripere volentis? « Ego enim, inquit, iratus sum parum (*Zach.* I), » scilicet visitando « in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (*Psal.* LXXXVIII). » — « Ipsi vero addiderunt in malum, » videlicet ad hoc tendente diabolo agitatore illorum, ut misericordiam meam auferrent ab eis, et irritum facerent verbum promissionis, tollendo legem, auferendo testamentum et libros testamenti, et ipsam quoque gentem, ut dum non superesset gens, unde salus futura sperabatur, consequenter nec ipsa salus mundi Christus nasceretur.

CAPUT XXV.

Diabolum propter ejusmodi additamenta dictum esse Leviathan.

Perpende nunc quam recte et quanta pro re draco iste magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, vocetur etiam Leviathan, quod interpretatur *additamentum eorum*. Quorum enim eorum, nisi septem capitum sæpe dictorum? Ex quo Dominus generi humano parum iratus dixit ad Adam: « Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes panem tuum cunctis diebus vitæ tuæ, spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III), » et emisit eum de paradiso voluptatis. Ex quo, inquam, suis quoque electis taliter parum iratus, mortales eos esse, et brevi tempore vivere et in laboribus brevem vitam ducere voluit, semper diabolus institit, **608** ut magna quoque ira adderetur illis, id est ut morte animæ permanerent mortui. Amplius autem postquam ad Abraham factum est Verbum promissionis, quo promissa est benedictio, quæ utique est destructio peccati et mortis, idem diabolus insanire cœpit, et contra promissionem eamdem, quatenus non fieret quod promissum fuerat, illa capita sua, de quibus nobis nunc sermo est, furiosius erexit, quæ nimirum quantum in ipsis fuit, maxime illi populo, quoties Deus iratus est parum, « addiderunt in malum, » ut videlicet, ablata illis libertate vitæ præsentis, auferrent etiam Deum. Hoc est additamentum eorum propter quod ipse qui addidit, sive qui addere voluit, dictus est Leviathan. Quod vocabulum non alium quempiam, sed ipsum constat posuisse Deum primum in Job, cum dicit ad eum: « Nunquid extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis os ejus? (*Job* XL), » etc. Deinde in Isaia: « In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet eum qui in mari est (*Isa.* XXVII.) »

CAPUT XXVI.

De ira magna, quæ sit.

Quid illa visitatione justius? quid illo gladio durius? Gladius namque durus et grandis et fortis, magna est ira Dei, quam iste Leviathan generi humano, et illi præcipuæ genti, quæ verbum promissionis acceperat, superaddere voluit, ut auferretur illi misericordia, et non fieret quod promissum fuerat. Unde animadvertere promptum est, valde justum esse, ut et ipse serpens antiquus et omnia capita ejus, omnes omnino impii, qui dicuntur et sunt membra diaboli vel corpus, gladium durum, gladium grandem et fortem, id est magnam Dei subeant iram, quoniam hanc ipsi superaddere voluerunt electis Dei, parvam, ut jam dictum est, sustinentibus iram. Perpulchrum simulque terrificum est illic perspicere sensum hujusmodi, ubi dicit Spiritus in Apocalypsi Joannis: « Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam! » (*Apoc.* XII.) Subaudire namque decet ad comparationem sive relationem minoris iræ, de qua jam dictum est, magnam esse, vel dici illam quam habet diabolus iram; siquidem et ratio docet, et Aristotelici quoque volunt, parvum et magnum non absolute, sed relatione vocabula quantitatis esse, ut, verbi gratia, cum dicitur, mus magnus, et mons parvus, respectu aliorum dici intelligitur, quia parvus mons respectu montis majoris, et magnus mus sine dubio respectu minoris muris enuntiatur. Cum igitur dicit: « Væ terræ et mari quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam. » Terræ et maris nominibus, omnes impios significans, pulchre subintelligitur parva ira, quæ finem accepit, et quam omnes electi pertransierunt talia passi, qualia possunt intelligi per illud Dei dictum: « Quia ergo iratus sum parum (*Zach.* I). » Diabolus namque magnam habet iram super se positam, scilicet irrevocabilem damnationis æternæ sententiam, et illam importat terræ et mari, id est omnibus impiis. Qui cum Deus fuisset suis « iratus parum, ipsi addiderunt in malum, » ut auferrent illis misericordiæ spem, ut inferrent illis oblivionem Dei. Væ illis quia diabolus, qui habet iram magnam communicat eis, ut habeant ipsi quod addideruut, sive addere voluerunt electis Dei!

CAPUT XXVII.

Parvam Dei iram placari posse, magnam non posse.

Quomodo tandem remota est illa ira Dei, qua tunc temporis iratus fuerat parum hostiis et muneribus? Hoc denique distat inter iram Dei parvam et iram Dei magnam, quod ira Dei magna non expiatur victimis et muneribus usque in æternum. Sicut et ad beatum Job de jam dicto Leviathan, id est diabolo habente iram magnam Dominus dicit: « Non parcam ei verbis potentibus, et ad deprecandum compositis (*Job.* XLI). » Parva autem ira Dei placari potest hostiis et muneribus, et sub lege, et in gratia dispositis, maxime autem his, quæ supra legem vel præceptum quisque spontanea devotione supererogaverit, exempli gratia, tradendo corpus suum pro testamento Dei. Quibus ergo victimis, quibus mune- B ribus illa ira, qua nunc Deus parum iratus fuerat, placata sive remota est? Non holocaustis arietum et taurorum, neque in millibus agnorum pinguium, sed sicut in fornacem Babylonicam tres pueri missi, in animo contrito et spiritu humilitatis suscepti sunt, ita septem fratres cum matre sua passi meruere suscipi sacrificium beneplacitum, per quod loco et omni populo iram Domini placari dignum fuit. Unde et statim post passiones illorum subjunctum est: Quia Judas Machabæus, et qui cum illo erant convocantes cognatos, et eos qui permanserant in Judaismo assumentes, et invocantes Dominum, ut misereretur templo et civitati, et vocem sanguinis ad se clamantis audiret, memoraretur quoque iniquissimas mortes innocentium parvulorum, et armis C uti cœperunt, Deo nimirum confortante, et effectum tribuente « Ira enim Domini, inquit Scriptura, in misericordiam conversa est (*II Mach.* VIII). »

CAPUT XXVIII.

Mulierem in utero habentem, denuo parturiisse et clamasse.

Quis non audivit clamores illius temporis, clamores mulieris in utero habentis et parturiendo clamantis? Sæpe dictum est, et sæpe dicendum est, nec fastidio esse debet, quia summa præsentis opusculi in mysterium respicit signi magni et mirabilis, scilicet draconis rufi septem capita habentis, et ante mulierem, quæ erat paritura, stantis, ut cum pareret filium ejus devoraret. « Clamabat mulier in utero habens et parturiens, » clamabat Ecclesia temporis D illius fidem et spem in verbo promissionis habens, « et cruciabatur ut pareret (*Apoc.* XII), » id est desiderabat, et desiderando fatigabatur, ut promissiones suas de semine Abrahæ Deus adimpleret. Quis, inquam, clamores temporis illius non audivit? « Væ mihi, Mathathias inquit, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ, et sedere illic, cum datur in manibus inimicorum? Templum ejus sicut homo ignobilis, vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt (I *Mach.* II). » Item: « Et jejunaverunt, et induerunt se ciliciis et cinerem sparserunt in capite suo, et desciderunt vestimenta sua, et suscitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies, A et exclamaverunt voce magna in cœlum dicentes: Quid faciemus istis, et quo eos ducemus? et sancta tua conculcata sunt et contaminata sunt. Et sacerdotes tui facti sunt in luctu et humilitate, et ecce nationes convenerunt adversum nos, ut nos disperdant. Tu scis 609 quæ cogitant in nos (*I Mach.* III). » Convenerant enim exercitus multorum millium, ut venirent in terram Juda, et disperderent eam. Ipsi autem cum pauci essent; « et nunc clamemus, dixerunt, in cœlum, et miserebitur nostri Deus, et conteret istos ante faciem nostram hodie (*I Mach.* IV). » Plena est historia dierum illorum, rerumque gestarum series clamoribus hujuscemodi, qui vere secundum mysterium præscriptum clamores erant mulieris in utero habentis, et parturientis et in parturiendo magnum cruciatum habentis.

CAPUT XXIX.

Septem fratres Machabæos, et matrem eorum præcipue cum paterentur, clamasse.

Quod si singularum desiderium gemitusque animarum, quæ in illius magnæ mulieris persona unum sunt, magnus clamor exstitit ad Deum. Quid de illa censes, quid putas de matre septem filiorum, quæ supra modum mirabilis, et bonorum memoria digna, pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspexit? Denique bono quidem animo ferebat propter spem, quam in Domino habebat, singulosque illorum hortabatur: « Non ego, inquiens, vobis in utero meo spiritum et animam donavi, neque singulorum membra compegi, sed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spem vobis iterum cum misericordia reddet et vitam (*II Mach.* VII). » Bono quidem inquam, animo propter spem futuræ resurrectionis natorum supplicia mortesque ferebat, sed nihilominus natura materno affectu dolebat magnoque ad Deum dolore clamabat. Et singuli quidem natorum in suo dolore suaque pœna clamabant. Mater autem, quæ et novissima post filios consumpta est, in mortibus omnium, in doloribus singulorum abundantius doluit, et altius clamavit, nec minori singulos mentis cruciatu peperit Deo, quam cruciata est, dum singulos pareret mundo. Itaque saltem in una matre illa perpende de universa dierum illorum Ecclesia, quam congruum, quam divini horroris plenum fuerit, vel sit mysterium, draconem tot capitum stetisse ante mulierem in utero habentem, scilicet venturum Christum fide exspectantem, ut filium ejus devoraret, ut fidem promissionis de corde ejus auferret. Quintum regnum illius draconis, regnum illud erat nequiter erectum, regnante Antiocho ad infestationem mulieris quod nimirum in illa matre septem filiorum pene visibiliter apparuit. Ante istorum quidem, scilicet matris et septem filiorum passiones, multus sanguis ab Antiocho fusus fuerat, qui ad Deum clamabat, sicut postmodum dictum est: « Ut vocem sanguinis ad se clamantis audiret (*II Mach.* VIII). » Sed istorum sanguinis vo-

cem grandiorem habuit, et ad supernos auditus perveniens iræ finem imposuit. A

CAPUT XXX

Quod carne porcina vesci noluerint, passionis eorum causam fuisse, et quod mundis omnia munda.

Noli attendere quasi parvam passionis eorum causam dum legis hoc tantum quia contigit eos cum matre apprehensos compelli a rege comedere contra jus carnes porcinas, flagris et tauris cruciatos (*II Mach.* VII). Illæ namque carnes non solum porcinæ, verum etiam immolatitiæ erant, id est dæmonibus immolatæ erant. Sicut enim in præcedentibus habes; « Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. Ducebantur enim cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia. Et cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera B coronati Libero circuire (*II Mach.* VI). » Et in primo Machabæorum libro manifestius dictum est quia « jussit Antiochus immolari carnes suillas et pecora communia (*I Mach.* I). » Cum ergo audis carnes porcinas, subintellige etiam immolatitias. Duplex certaminis causa, quia videlicet, carnes porcinas lex inter immunda repulaverat, et his vesci prohibuerat. « Et quæ immolant gentes, ait Apostolus, dæmonis immolant, et non Deo (*I Cor.* X). » Porro de causa una, scilicet de eo quod littera legis hæc inter immunda reputat, spiritus vivificans per Evangelii gratiam nos liberat, dicente Apostolo: « Omne quod in macello venit, manducate. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis, nolite manducare (*ibid.*). » Item ad Timotheum, « Quia omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum, quod C cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem (*I Tim.* IV). » Item ad Titum: « Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum (*Tit.* I). » In Actibus quoque apostolorum. « Visum est, inquiunt, Spiritu sancto et nobis, nihil ultra oneris vobis gentibus imponere, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et suffocato et fornicatione, et ea quæ vobis fieri non vultis, aliis ne faciatis (*Act.* XV). »

CAPUT XXXI.

Qua ratione Deus in veteri lege inter munda et immunda discrevit.

Non est hoc ex levitate sive mutabilitate, sed ex judicio et ratione, quod unus idemque Deus et le- D gem dedit de mundis et immundis, et in Evangelio, sive per Evangelii ministros dicit, omnia esse munda mundis. Utiliter hujus rei consideratio procedit, si rite perpendas, et quid de præceptis suis ipse dicat in prophetis, et quid tunc evenerat, quando ejusmodi præcepta dedit. In Ezechiele dicit: « Ejeci eos de terra Ægypti, et eduxi in desertum, et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciat homo, et vivat in eis (*Ezech.* XX). » His dictis confestim culpans eos, quod præcepta sua reprobassent, et post idola fuissent oculi eorum: « Ergo, inquit, et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent, et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam (*ibid.*). » Ecce quanta differentia præceptorum, alia præcepta et judicia bona quæ faciat, et vivat in eis; alia « non bona, in quibus non vivent, » ait. Ut alia ab aliis, ut bona clare discernamus a non bonis, recurramus ad tempora, vel ad ordinem ipsorum, quomodo et quibus causis intercurrentibus tam differentia præcepta dederit. Venerat ad montem Oreb, et locutus est per Moysen, præcepta utique bona: « Non habebis, inquiens, deos alienos coram me, » etc. » usque ad id, « Non inibis cum gentibus fœdus, nec cum diis eorum (*Exod.* XX, XXIII). » Interea dum cum Moyse loqueretur, fecerunt sibi vitulum conflatilem, et adoraverunt, atque hostias immolaverunt (*Exod.* XXXII). Eatenus Moyses populo non velata facie bona et vitalia Dei præcepta dederat. Deinde subintroeunte reatu vituli, faciem ejus velari oportuit, quando loquebatur ad populum (*Exod.* XXXIV), et quæ præcepta dedit, extunc præcepta bona non sunt, in quibus non vivunt, ut sunt hæc de mundis et immundis animalibus, de lepra corporum, de lepra vestimentorum **610** et de lepra domorum, et cætera ejusmodi, qualium utique littera occidit, spiritus autem vivificat nunc revelata facie Moysi. Hæc idcirco nunc dicta sunt, ut constet rationabiliter in doctrina apostolica superfluas duci disputationes propter ciborum differentias, quia videlicet manifeste, sicut jam dictum est, præcepta hujusmodi non bona fuisse Deus ipse asserit, quorum causa ut darentur, præcedens prævaricatio fuit, etc.

CAPUT XXXII.

Septem fratres Machabæos præcipue venerabiles esse, quod resurrectionem mortuorum aperte confessi sunt.

De piis martyribus sermo habitus ita claudatur, ut venerabiliores nobis illos in Evangelio Christi cæteris arbitremur. Quam ob causam? quia videlicet in passionibus suis, ubi pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, et gravissimis suppliciis subdiderunt, beatæ resurrectionis fidem et spem sonora voce confessi et testificati sunt. « Tu quidem scelestissime, ait unus ex illis, in præsenti vita nos perdis, sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit (*II Mach.* VII). » Alius linguam, ut prædiceretur postulatus, et manus constanter proferens et extendens, « E cœlo, inquit, ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero (*ibid*). » Deinde sequens cum vexaretur, jamque esset propinquus ad mortem: « Potius, inquit, est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo iterum ab ipso resuscitandos. Tibi enim resurrectio ad vitam non erit (*ibid.*). » Mater quoque ipsorum martyr et plus quam martyr, quæ percuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem quam in Domino habebat, adhortans illos: « Mundi Crea-

tor, » inquit inter cætera, « qui formavit hominis nativitatem, quique invenit omnium originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam (*II Mach.* vii). » Et inclinata ad illum, qui restabat, filiorum novissimum, inter cætera: « Dignus, inquit, fratribus tuis effectus, suscipe mortem ut in illa miseratione tecum fratribus tuis recipiam A (*ibid.*). » Nobis igitur quorum fidei summa resurrectio mortuorum est per Jesum Christum, non abs re inter omnes sanctos Veteris Testamenti isti venerandi sunt, qui in suis pretiosis mortibus tam pium atque clarum sanctæ resurrectionis testimonium cecinerunt.

LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Sanctos per fidem vicisse regna.

« Sancti, inquit Apostolus, per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum (*Hebr.* xi). » In sancto victorum ejusmodi concilio, in fortium talium exercitu inclyto libenter aspicimus bellatores Machabæos, Judam et fratres ejus ac socios, quorum bellica virtus, quorum labores et certamina gloriosa Christum Salvatorem nobis quodammodo pepererunt, quia gentem suam, de qua Christus nasciturus erat, et natus est, cum eam gentes delere vellent, magnanimiter defenderunt, et illud jam dictum draconis caput quintum in rege Antiocho, ejusque ducibus viriliter percusserunt, Verbo Dei, Verbo Deo cooperante laboribus ipsorum, ut ille impius rex, sicut de illo ad Danielem fuerat prædictum, sine manu contereretur (*Dan.* viii). Isti sunt parvulum illud auxilium, quod jam prævisum atque promissum fuerat, dicendo: « Cumque corruerint, » subauditur de populo plurimi, « sublevabuntur auxilio parvulo (*Dan.* xi). » Nam si respicias multitudinem adversariorum, si recogites millia castrorum hostilium, quid vel quantum erat Mathathias de vico vel monte Modyn, cum quinque filiis et aliquot cognatis, et illis qui permanserant in Judaismo popularibus suis. Revera secundum numerum suum, parvulum fuere auxilium, sed secundum fidem suam et Dei misericordiam, maximum sibi et omni sæculo pepererunt adjutorium.

CAPUT II.

Sanctos egentes, angustiatos, afflictos, in solitudinibas errasse, in montibus.

Qui unctionem habet ex Deo, quæ videlicet, unctio docet nos de omnibus, ait Joannes apostolus (*I Joan.* ii), ipse congemiscere dicit, et congemiscit illis; quia mala multa sunt « experti, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus et in speluncis, et in cavernis terræ (*Hebr.* xi). » Una die usque ad mille animas hominum in deserto interfecti sunt in die Sabbatorum, eo quod verebantur B propter religionem et observantiam manu sibimet auxilium ferre. « Moriamur, dixerunt, in simplicitate nostra, et testes erunt super nos cœlum et terra, quod injuste perditis nos (*I Mach.* ii). » Sed quid sequitur? « Et dixit vir proximo suo: Si omnes 611 fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, et non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, et justificationibus nostris, citius disperdent nos a terra, et cogitaverunt die illa, dicentes: « Omnis homo quicunque venerit ad nos in die Sabbatorum pugnabimus adversum eum, et non moriemur omnes sicut mortui sunt fratres nostri in ocultis (*ibid.*). » Et hactenus, inquit Josephus, permanet nobis consuetudo pugnandi, etiam si tali die bella consurgant. Igitur qui, ut jam dictum est, unctionem habet ex C Deo, et quem « unctio ejus docet de omnibus, » ipse scit, ipse intelligit, ipse in statera rationis appendit. Multum in istis experimentum posse ostendit dictum Apostoli dicentis: « Egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus et in speluncis, et in cavernis terræ. » Et ista perpendens grates profundas agit afflictæ illorum fidei, quia veraciter in doloribus pepererunt nobis, parturierunt animæ illorum omni sæculo æternæ fructum salutis, nativitatem Jesu Christi veri et æterni Salvatoris. Non dicimus, neque dicere possumus vel asserere quod omnes illi cujuscunque sexus vel ætatis tali tempestate trucidati, scientiam habuerint, vel habere potuerint, tantæ spei, tantæ exspectationis in promissione, quæ dicta est ad Abraham beati seminis D venturi Jesu Christi (*Gal.* iii), sed hoc admiramur in laude verbi Dei, in firmamento propositi Dei, quod multis etiam nescientibus amorem præcordialiter infudit conservandi generis sui, atque defendendi, de quo nasci oportebat salutem generis humani, Christum Dei Filium secundum promissionis veritatem, promissionem veritatis, quia Deus verax est. Et clamabat ad eum humilitas peccatorum per os David: « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* l). »

CAPUT III.

Quanta fuerit lætitia templi emundati et renovati.

Quid de lætitia magna dicam, quæ facta est in populo de emundatione ac renovatione templi, quod

contaminatum steterat per tres annos? Nam lætitia quam magna fuerit eorum in hymnis et confessionibus benedicentium Dominum, Josephus quoque testetur: « Ab illo, inquiens, tempore per octo dies hanc renovationis templi festivitatem celebramus, vocantes eam Lumina, eo quod præter spem hoc nobis splendidum lumen colendæ religionis apparuit.» Quis nisi Deus mentibus eorum tantum nominis sui infudit amorem, ut recuperationem loci, in quo nomen ejus invocaretur, tanta lætitia concelebrarent, tanque luminosam ducerent, et per singulos annos octo diebus quod eatenus non fiebat, celebrandum decernerent? Siquidem Salomon octo, quidem diebus dedicationem celebravit, et in die octavo dimisit populum, Sed non est scriptum, quod totidem, id est in octo diebus constituerit per singulos annos dedicationis ejusdem celebrari festivitatem. Igitur et hoc in laude magna Deo est ascribendum, cujus in manu sunt corda filiorum hominum, quia promissionis suæ memor, ut eam adimpleret, mittendo in plenitudinem temporis Filium suum, Verbum suum, egit infundendo desiderium egit impendendo auxilium, qualenus gens ipsa, de qua promissionem adimpleri oportebat, semetipsam defenderet et locum.

CAPUT IV.

Quam sedulo flagitaverit Cuno, ut proœmium secundi libri Machabæorum interpretaretur, idque se jam facturum.

Nunc ad illud quod efflagitasti, et instanter exigis, Cuno, amicorum murenulas aureas facientium sponsæ, et dilectæ Regis æterni valde familiaris, sermo præsens sese intendit, scilicet, ad elucidandum, quoad possibile erit et Deus donabit, Scripturam, quæ secundum Machabæorum librum quasi prologus vel proœmium præcedit. Uno eodemque tractatu diligens animus utique efficere gestit, scilicet et magnitudinem dignitatemque ejus cujus jam breviter memini, declamare lætitiæ pro renovatione templi, et Scripturam aliquatenus elucidare jam dicti proœmii. Denique maxime circa illam renovationis templi lætitiam Scriptura illa versatur, talem habens intentionem, ut omnia omnino ubicunque sit Judæus, ubicunque sit confessor varus, qui et nomine et re sit confessor, quod sua interpretatione signat hoc nomen, quod est Judæus, de illa templi reparatione gratuletur, corde magno et animo volente, adaperto corde in lege Dei, et in præceptis ejus. Et revera si causam, quem præ manibus habemus, attendat Judæus, si magnum Dei negotium, quod propter implendas promissiones suas Deus habebat cum hominibus, consideret, Dei confessor verus causam habet, cur gratuletur, cur templum illud Machabæorum laboribus reparatum fuisse lætetur, suasque voces admisceat illorum vocibus, Deum benedicendo in hymnis et confessionibus. Quod hodie quoque sanctam Ecclesiam Christi per totum orbem facere non ignoramus, ubicunque invocatur nomen Domini, ubicunque dedicatum est, vel dedicatur altare, vel templum nomini Domini, illic istorum et memorabilium Machabæorum simul redolet memoria et floret, et voces animarum illorum salutem nobis æternam parturientium chorus Ecclesiæ consonat celebriter, celebat consonanter. Igitur ad magnificandam rem tam gratiosam, tam gloriosam, secundum illud proœmium procedendum est. Et si minus quam petis vel optas elucidando illud factum fuerit, meæ non negligentiæ, sed impossibilitati recte deputabis.

CAPUT V.

Onyam cum multis Judæis ad Ægyptum profectum fuisse, ibique templum ædificasse.

In primis dicendum cur Judæi, vel ex quo tunc essent per Ægyptum, ad quos sic incipit: « Fratribus qui sunt per Ægyptum Judæis salutem dicunt fratres qui sunt Hierosolymis Judæi, et qui in regione Judæa, et pacem bonam (*II Mach.* I). » Anno centesimo quadragesimo nono regni Græcorum, rex Antiochus Menelaum interfecerat fratrem Onyæ minorem, cui pater ejusdem Antiochi summum sacerdotium contulerat. Tres quippe fuerant filii Simonis pontificis, videlicet Onyas, qui patri in pontificatu successit, quemque Andronicus interfecit, et Jesus et alter Onyas, quorum Jesus Jasonem, Onyas vero Menelaum se appellari fecit, ambo Græcis nominibus delectari, ritumque gentilem se imitari velle professi. De Onya filius parvulus relictus fuerat, dictus et ipse Onyas. Cumque Onyas, ut jam dictum est. Ab Andronico interfectus fuisset, fratri ejus jam dicto **612** Jasoni Antiochus Epiphanes pontificatum tradiderat, sed rursus sibi sublatum honorem Menelao contulerat. Mortuo Antiocho cum successisset sibi filius æquivocus, interfecit eumdem Menelaum, suggerente Lysia, causam hunc esse omnium malorum. Filius autem pontificis Onyæ, de quo prædiximus, qui defuncto patre adhuc puerulus fuerat derelictus; videns, inquit Josephus, quod patruum suum Menelaum rex interfecisset, et principatum sacerdotii Alchimo dedisset, non existente de genere sacerdotum, flexus a Lysia, ut transponeret honorem ab ea familia ad aliam domum, fugit ad Ptolomæum regem Ægypti, et honorem meruit ab ipso, et uxore ejus Cleopatra, locumque petiit in regione Heliopolitana, ubi simile Hierosolymorum ædificaret templum. Templum illud permansit usque ad imperium Vespasiani annis ducentis quinquaginta. Ipsa autem urbs, quæ vocabatur Onyæ, postea dimicantibus adversum Romanos Judæis, ad solum usque deleta est, et neque urbis, neque templi restat vestigium. Sub occasione igitur Onysæ pontificis infinita examina Judæorum ad Ægyptum confugerunt. Asserebat enim Onyas, se Isaiæ implere vaticinium scribentis: « Erit altare Domino in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus (*Isa.* XIX). » Sed et antea non parva Judæorum multitudo in Ægyptum descenderat. Siquidem Ptolomæus filius Lagi multos captivos a montanis Judææ, vel a vicinis locis Hierosolymo-

rum trahens, ad Ægyptum commigravit, quos videlicet Judæos Ptolomæus Philadelphus, qui jam dicto Ptolomæo Lagi filio successit, famulantes in Ægypto e servitutis vinculo resolvit usque ad centum viginti millia, sicut Josephus commemorat. A

CAPUT VI.

Quoties et quibus temporibus Judæi Hierosolymis scripserunt fratribus in Ægypto.

Erant itaque Judæi per Ægyptum, et ad illos Judæi, qui erant Hierosolymis, et qui in regione Judæa, scripserunt anno fere centesimo nono, postquam Menelao, ut jam dictum est, interfecto, et Alchimo pontificatum adepto, junior Onyas cum infinita multitudine Judæorum confugit in Ægyptum. Siquidem anno centesimo quadragesimo nono regni B Græcorum constat Antiochum Eupatorem interfecisse Menelaum. Anno autem centesimo octogesimo octavo, populus qui est Hierosolymis ait (hæc Scriptura). « His, qui in Ægypto sunt Judæis salutem et sanitatem (*II Mach.* I). » Verumtamen et illud attendere causa poscit, quia conjuncta vel continua narratione legimus : « Regnante Demetrio anno centesimo et sexagesimo nono, nos Judæi scripsimus vobis in tribulatione, et impetu, qui super venit nobis in istis annis. Ex quo recessit Jason a sancta terra et regno, portas succenderunt, et effuderunt sanguinem innocentem, et oravimus ad Dominum, et exauditi sumus, et obtulimus sacrificium, et similaginem, et accendimus lucernas, et proposuimus panes. Et nunc frequentate dies Scenopegiæ C mensis Casleu. Anno centesimo et octogesimo octavo populus qui est Hierosolymis et in Judæa, senatus que et Judas Aristobulo magistro Ptolomæi regis, qui est de genere christorum sacerdotum, et his qui in Ægypto sunt Judæis, salutem et sanitatem. De magnis periculis a Deo liberati magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus (*ibid.*), » etc. Manifeste præsens textus litteræ demonstrat quia fratribus qui erant par Ægyptum, non tantum semel, sed bis scripserunt fratres Judæi, qui erant Hierosolymis et in Judæa, et inter utrumque scriptum, tempus interfuit fermé decem et octo annorum. Simul et hoc sciendum quia, regnante Demetrio, annus centesimus et sexagesimus nonus, quo primum scripserunt, quartus idemque ultimus fuit annus principatus Jonathæ fratris Judæ. Annus au- D tem centesimus octogesimus octavus, quando secundo scripserunt, annus fuit undecimus post mortem Simonis fratris ejusdem Jonathæ sive Judæ, quem videlicet Simonem interfecit per insidias gener ipsius Ptolomæus filius Abobi. His ita se habentibus claret quis ille Antiochus fuerit, de cujus interitu gratulantur, narrantes qualiter de Perside ceciderit, quod videlicet, is fuerit Antiochus filius Demetrii, qui et persecutus est Trionem impium, et vicit, sed et Judæos in multis afflixit, et Simone adhuc vivente et post Simonem filio ejus Hircano principatum habente

CAPUT VII.

Materiam, intentionem et utilitatem prologi secundo Machabæorum se prosecuturum.

Hic jam ut aliquatenus ad devotissimam exactionem tuam assurgere possim, qua cupis et petis, ut litteræ seriem, que suboscura videtur, tibi elucidet sermo intentus atque studiosus in Verbo Dei, descendere libet ad illud quod quondam audivimus inter scholares parvuli, ubi lectionem suscipientes, materiam, intentionem atque utilitatem proponere magistri solent auditoribus suis. Materiam quippe, intentionem atque utilitatem hujus procemfi operæ pretium est distinctis expedire capitulis, ut tali ordine aliquatenus elucescat quid in ista littera dicat Spiritus ille qui in omni Scriptura, divinitus inspirata, præsens est et loquitur Ecclesiis. Existimo quod materia, intentio atque utilitas Scripturæ hujus, quamlibet brevis, tales sint ut a sapientibus digne debeant audiri, a sapientibus, qui non sunt sapientes in oculis suis, imo qui ut sapientes fiant, stulti dignantur fieri, id est discipuli esse priusquam fiant magistri. Hæc igitur tria, quæ proposuimus, dicturi simul atque audituri, primum materiam quærimus vel proponimus, circa quam maxime versatur Scriptura secundi hujus Machabæorum libri.

CAPUT VIII.

Quæ fuerit materia, sive argumentum ejus prologi.

Inspice quia tota Scriptura libri hujus circa Dei Legem, maxime circa templum Domini versatur, quod tunc in toto orbe terrarum nomini Domini dedicatum, solum et unicum habebatur. Principium narrationis est de Heliodoro et ærarii custodia, qualiter omnino impossibile fuerit eos decipi, qui crediderant loco et templo, quod per universum mundum pro sui veneratione et sanctitate venerabatur (*II Mach.* III). Finis autem in templo est, ubi Nicanor, qui extendens manum ad templum juravit : « Nisi mihi vinctum Judam tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, et altare effodiam, et templum hoc Libero patri consecrabo. Atque his dictis abiit (*II Mach.* XIV). » Pugnamque commisit Nicanor, in qua dux ipse primus **613** in bello cecidit, omnesque communi consilio decreverunt nullo modo diem istam absque celebritate præterire. Hæbere autem celebritatem tertia decima die mensis Adar, quod dicitur voce Syria, pridie Mardochæi die. « Porro media libri ejusdem hoc habent, quia qua die templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purgationem fieri, vicesima et quinta mensis, qui fuit Casleu, et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem solemnem tabernaculorum in montibus et speluncis more bestiarum egerant, propter quod thyrsos et ramos virides præferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum, et decreverunt communi præcepto et decreto universæ genti Judæorum omnibus annis agere dies istos (*II Mach.* X). » Isti sunt

dies Scenopegiæ, de quibus fratres sive Judæi, et qui in regione Judæa, scripserunt semel et iterum, sicut jam dictum est, Judæis qui erant per Ægyptum, dicentes : « Et nunc frequentate dies Scenopegiæ ; » dicentes, inquam, secunda vice. Facturi itaque vicesima et quinta mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus vobis indicare, ut vos quoque agatis diem Scenopegiæ, atque subjungentes, et diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo et altari, obtulit sacrificium. De diebus istis postmodum repetentes dicemus. Nunc illud prius dicere visum est, quod Scriptura libri materiam habet templum illud, et sancta, quæ erant Hierosolymis, pro quibus pugnaverunt Machabæi. Unde non mirum, quod non ultra Scripturæ, vel libri hujus textus processit, quam ad illam rem gestam de interitu impii Nicanoris, qui templum illud extensa manu rursus contaminare juraverat et consecrare Libero patri, quia videlicet post interitum ejus, quamvis multa Judæ et fratrum ejus prælia fuerint, non tamen circa templum tale quid contigit, qualia et in principio, et in medio, et in fine continentur hujus libri.

CAPUT IX.

Quæ fuerit intentio ejusdem prologi.

De intentione jam dicendum est. Intentio Scripturæ hujus est, templum illud quod erat Hierosolymis sanctum ac legitimum asserere, ac Domino placitum. Et illum fuisse locum orationis solum, quem Deus elegit, in quo illi oporteret sacrificari. Causa postulabat tunc scribere illis, qui per Ægyptum erant Judæis cum intentione hujusmodi ; siquidem Onias, ut supra jam dictum est, fugiens in Ægyptum ad Ptolomæum Philometorem, volensque memoriam et gloriam æternam sui relinquere, petivit a Ptolomæo rege et regina Cleopatra licentiam, quatenus templum ædificaret in Ægypto simile Hierosolymorum, et hoc impetrato atque peracto, levitas atque sacerdotes de genere suo constitueret, confidens in prophetia Isaiæ, qui ante ducentos annos prædixerat, quod altare Domini deberet esse in terra Ægypti. De illo templo contingebat seditiones excitari inter Judæos, qui erant in regione Judæa, et eos qui per Ægyptum, et ante Oniam, et cum Onia discesserant, alii captivi, sicut jam supradictum est, abducti, alii sponte opulentia locorum et Ptolomæi munificentia invitati. Samaritæ quoque temporibus Alexandri Macedonis, templum super Garizim montem construxerant auctoribus Sanaballar satrapa, et genero ejus Manasse fratre Jaddi pontificis Hierosolymitani, sicut Josephus plenius scribit. Contingebat ergo, propter templa seditiones excitari, ita ut coram regibus quoque certarent, dicentibus Judæis de regione Judæa, secundum legem Moysi templum se construxisse in Hierosolymis, Samaritis in Garizim. Porro, hi qui per Ægyptum erant, suum defendebant, vel præferre contendebant templum quasi testimonio propheticæ auctoritatis, nimirum male intellecta verbi veritate, longeque facti a sensu vel sententia tantæ prophetiæ. Causa igitur, sicut jam dictum est, postulabat, ut scriberent Judæis, qui erant per Ægyptum, de his quæ circa templum in Hierosolymis manifesta Dei virtute facta sunt, hanc habentes intentionem, quatenus constaret templum illud sicut antiquum, ita et solum esse legitimum. Templa autem cætera sive in Garizim, sive in Ægypto per prævaricationem esse constructa, testante Danielis visione prophetica, qua dictum est : « Filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem, et corruant (*Dan.* XI). » Oniam quippe et qui cum eo fuerunt, significat quos idcirco filios prævaricatorum dicit, quia legem Domini reliquerunt, volentes in alio loco, præterquam jussum erat, Deo victimas immolare. Extollentur, ait, in superbiam et visionem, hoc est, propheticam veritatem se implere jactabunt.

CAPUT X.

Solum templum Hierosolymitanum legitimum fuisse propter promissiones Dei illic adimplendas.

In hujusmodi contentionibus utile fuit superare Judæos, qui erant in regione Judæa, et permanere sanctum illud templum, quod erat in Hierosolymis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones de adventu Christi Filii Dei, testificatas ex lege et prophetis, ut est illud : « Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* II). » Causa ista, causa finalis, et utilitas magna semper debet esse in oculis in conspectu cordis nostri, et tunc quæstione non indigebit. Quid profuerit, vel quid utilitatis plus habuerit, tunc temporis adorare Deum in Hierosolymis quam in monte Garizim ; in monte Sion, quam in Heliopoli ; in Judæa quam in Ægypto ; in templo posterorum David fidelis quam in templo Oniæ prævaricatoris ? Nondum erat ut diceretur : « Venit hora, quando neque in monte Garizim, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem, sed in spiritu et veritate (*Joan.* IV). » Quia nondum venerat salus, quæ ex Judæis est, et tandiu stare oportebat templum illud, donec salus ista veniret, donec ad illud templum suum Christus a suis parentibus deferretur, cum oblationibus hostiarum, quas præcepit lex. Juxta illud Malachiæ prophetæ : « Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis (*Malach.* III). »

CAPUT XI.

Qua ratione salutationis loco scriptum sit : « Adaperiat cor vestrum in lege sua. »

His animadversis simul appendere potes, qualis ista salutatio sit : « Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, quod ad Abraham, Isaac et Jacob locutus est servorum suorum fidelium, et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis voluntatem ejus in corde magno et animo volenti. Adaperiat **614** cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis, et faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in

tempore modo. Et nunc hic sumus orantes pro vobis. » Quomodo debuit fraterna charitas, ita salutavit, et imprecatus est fratribus suis Judæis, quorum utique cor non fuerat adapertum in lege et in præceptis Domini dicens : « Et nunc hic sumus orantes pro vobis. » Si enim cor adapertum habuissent in lege et in præceptis Domini, nequaquam fecissent quod erat contra legem et contra præceptum Domini, ut ædificarent templum, et in altare in terra Ægypti, clauso corde et auribus male adapertis ad illam Isaiæ prophetiam : « Et erit altare Domini in medio terræ Ægypti (*Isa.* XIX). » Hoc namque faciendo prævaricatores se constituerant legis et præceptorum Domini, secundum supra memoratam prophetiam Danielis, qua dictum fuerat : « Filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem, et corruant (*Dan.* XI). » Idcirco dicunt : « Et reconcilietur vobis, et nunc hic sumus orantes pro vobis, » subaudiendum est, quia prævaricatores vel filii prævaricatorum estis, faciendo vel habendo templum in terra Ægypti, quale Dominus per Isaiam non mandavit, nec in cor ejus ascendit. Super hac re reconcilietur, aiunt, vobis.

CAPUT XII.

Quænam fuerit illa tribulatio et impetus, qui venerat super Judæos.

Taliter præmisso exordio, quo manifeste benevolentia quærebatur fratrum, qui erant per Ægyptum, quatenus benevoli, attenti, et dociles fierent ad audiendum, sequitur narratio. Regnante Demetrio anno centesimo et sexagesimo nono. Nos Judæi scripsimus vobis in tribulatione et impetu, qui supervenit nobis in istis annis. Jam ante dictum est, quia ille annus centesimus sexagesimus nonus regni Græcorum, quo se scripsisse referunt fratres Judæi de Judæa, fratribus Judæis, qui erant per Ægyptum, quartus idemque ultimus erat annus principatus Jonathæ fratris Judæ, quando jam renovatum erat templum atque emundatum a contaminatione, qua illum contaminaverunt gentes, atque defensum ab impio Nicanore, qui rursus illud contaminare voluerat, jurans atque dicens : « Quia nisi mihi vinctum Judam tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, et altare effodiam, et templum hoc Libero patri consecrabo (*II Mach.* XIV). » Illo blasphemo Nicanore perempto, et Deo cœli collaudato, qui locum suum incontaminatum conservavit, habitoque communi consilio atque decreto, ut nullo modo dies illa absque annua celebritate pertranseat. Nos, inquiunt Judæi, scripsimus vobis, qui et ipsi debetis esse Judæi, non solum gente, sed fide Abrahæ atque fidelis David, ad quos repromissio facta et confirmata est in loco quem Deus elegit, hoc est Hierosolymis. Scripsimus, inquam, vobis in tribulatione et impetu quæ supervenit nobis in istis annis. « Quæ fuit illa tribulatio, vel quis fuit ille impetus ? » (*II Mach.* I) Ex quo recessit Jason a sancta terra et regno, portas succenderunt, et effuderunt sanguinem innocentem, sicut jam longe superius diximus. Hoc fuit initium dolorum, quod Jason, qui et Jesus dictus fuerat patrio nomine, frater Oniæ pontificis, quem Andronicus rogatu Menelai interfecit. Jason, inquam impius et non sacerdos, sed ab impio rege, fratri contra fas superpositus a sancta terra recessit. Quomodo recessit ? Primum mente volens, deinde etiam corpore invitus ac profugus. Cum enim illi rex ambienti, et pecunias promittenti annuisset, et obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit, ita incipiens, nimirum tota mente a terra sancta et regno recessit. Deinde cum in malis proficiens, multas civium strages dedisset, finem insidiarum suarum confusionem cœpit, et profugus abiit in Ammanitem regionem. « Ad ultimum in exitum omnibus odiosus, ut refuga legum, et exsecrabilis, ut patriæ et civium hostis, in Ægyptum extrusus, atque inde Lacedæmonas profectus, tandem abjectus est insepultus (*II Mach.* V). » Ex quo, inquiunt, talis ille recessit, portas succenderunt, et effuderunt sanguinem innocentem. Ante recessum autem vel apostasiam ejus sancta civitas in omni pace habitabatur, et ipsi reges et principes locum summo honore dignum dicebant, et templum maximis muneribus illustrabant.

CAPUT XIII.

Quare Judæam, terram sanctam appellarunt.

Memoriter tenendum illud quod jam supra diximus, totam libri vel Scripturæ hujus seriem spectare atque intendere ad Hierosolymæ civitatis venerationem, templique quod erat in ea, dignitatem et honorem singularem. Simulque causa scienda quam itidem supra diximus, quia movebant eos templa, contra legem facta, ubi esse non debebant, ad illius templi similitudinem. Templum illud sanctum, sacrificia illo in templo celebrata, sancta esse et legitima, civitatem Jerusalem sanctam esse, ubique Scriptura libri hujus tota intentione declamat, ut dignum est, videlicet, ad destruendam templorum adulterorum fiduciam, quorum alterum in monte Garizim, alterum in Ægypto fuerat ædificatum. Hac re animadversa, non miraberis, cum sanctam terram dicant, hoc modo, ex quo recessit Jason a sancta terra. Deinde cum subjungunt : « Et oravimus ad Dominum, exauditi sumus, et obtulimus sacrificium, similaginem, et accendimus lucernas, et proposuimus panes (*II Mach.* I). » Cuncta hæc dicta sic recte accipimus, tanquam firmissimas defensiones privilegii legitimi, pro templo jam dicto, quod erat Hierosolymis. Quod ipsorum, qui templo illi deserviebant, fuerit, vel esse debuerit sacrificia offerre, panes proponere, et hæc faciendo exaudiri illic, non in templo montis Garizim, non in templo Heliopoleos, quæ templa erant æmulationis.

CAPUT XIV.

Quomodo intelligendum sit: « Frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. »

Amplius autem huc spectat id quod sequitur : « Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Cas-

leu (*II Mach.* x). » Scenopegia festivitas tabernaculorum erat, et hæc celebrabatur ab illo populo mense septimo, quid apud illos Theseri, apud nos October dicitur. Considerandum ergo, quomodo dicant : « Frequentate dies scenopegiæ, » subjungentes « mensis Casleu, » qui apud illos est mensis nonus, videlicet ab Aprili, apud Romanos autem December dicitur, eo quod a Martio sit decimus. Aliam sine dubio scenopegiam illis inducunt præter illam quam, ex quo lex data est, celebrare consueverat, ut videlicet, dum ipsi in mense Casleu **615** Encænia faciunt in Hierosolymis, id est solemnia dedicationis vel purificationis templi. Celebrent etiam illi per Ægyptum purificationem eamdem, non sicut Encænia, quæ ad templum utique illorum non pertinent, sed sicut scenopegiam. Ponamus jam hujus rei de Scriptura ipsa documentum. « Qua die autem, inquit, templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri vicesimo et quinto mensis Casleu. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem solemnem tabernaculorum in montibus et speluncis more bestiarum egerant. Propter quod thyrsos et ramos virides et palmas præferebant ei, qui prosperavit mundare locum suum. Et decreverunt communi præcepto et decreto universæ genti Judæorum, omnibus annis agere dies istos (*II Mach.* x). » Manifeste dicit, quia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, causamque reddit cur non in modum priscæ dedicationis, quam fecit Salomon, sed in modum egerint tabernaculorum, quæ festivitas agebatur, ut jam dictum est, mense septimo propter aliam rationem. Quæ illa causa est ? Recordantes, ait, quod ante temporis diem solemnem tabernaculorum in montibus et speluncis more bestiarum egerint. Claret igitur quid dicant : « Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. » Idem enim est ac si dicant : In modum scenopegiæ, id est festivitatis tabernaculorum, quæ ex causa antiqua mense septimo celebrabantur, celebrate mense nono istam quoque festivitatem purificationis templi, quæ inde purificatio dicitur, quia contaminatum fuerat templum ab alienigenis. » Machabæus autem et qui cum illo erant, Domino se protegente, templum quidem et civitatem recepit, aras autem quas alienigenæ per plateas exstruxerant, itemque delubra demolitus est, et purgato templo, aliud altare fecerunt, et obtulerunt sacrificia, et incensum, et lucernas, et panes propositionis posuerunt (*II Mach.* x). »

CAPUT XV.

Quod semel et iterum eisdem de causis scripserint, et quod admonitio secundæ austerior quam prima sit.

Secundum commune præceptum et decretum, quod decreverat universæ genti Judæorum omnibus annis agere dies istos, scripserunt fratribus Judæis, qui erant per Ægyptum semel et iterum ; scilicet, primum anno centesimo sexagesimo nono, deinde A anno centesimo octogesimo octavo. Per hoc quod semel et iterum scripserunt annis decem et novem inter utrasque vices interjectis, illud datur intelligi quod ad primam vicem non obtemperaverint, utpote qui templum aliud habentes, quod, ut supra dictum est, secundum Isaiæ vaticinium, se construxisse jactabant, templum illud quod erat Hierosolymis, non ad se pertinere volebant, atque idcirco festivitatem dedicationis, vel purificationis illius suscipere detrectabant. Proinde notandum quod prima admonitione sequens aliquantulum acrior sit. Nam prima vice salutatio tam dulcis est, ut animadverti potest, per id quod dicunt, « Fratribus Judæis fratres Judæi, et benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, » et cætera. In secunda vero fraterni B nominis deest dulcedo, « diciturque populus qui est Hierosolymis et in Judæa, » adjecto quasi cum supercilio, « senatusque et Judas Aristobulo magistro Ptolomæi regis, qui est de genere christorum sacerdotum, et his qui in Ægypto sunt Judæis. » Nomen quippe senatus judicialis intentionis est signum. Porro quis ille Judas fuerit, non facile ex historiis potest agnosci, nisi forte ille sit Judas Essæus genere, qui sub illis temporibus exstitit ; qui, ut ait Josephus, nunquam in his quæ prædixit mentitus est. Similiter quis iste Aristobulus magister Ptolomæi fuerit, non facile reperitur ex historiis, nisi quod eum dicunt, « qui est de genere christorum sacerdotum, » quempiam significant fuisse de posteris vel cognatis Oniæ supra memorati, qui cum esset filius Simonis pontificis, quasi auctoritate pontificali cum patrocinio C prophetici præconii nimirum male intellecti, templum ædificaverat in terra Ægypti. Aristobulus iste aliquis erat ex illius Oniæ cognatis vel posteris, eratque magister Ptolomæi regis Philometoris. Nec mirum, hominem Judæum dici magistrum regis Ægyptii, quia videlicet, a diebus Ptolomæi Philadelphi, qui legem per septuaginta interpretes sibi fecit interpretari, magistros Judæos habere consueverant reges Ægypti.

CAPUT XVI.

Eadem ratione sanctam civitatem, qua terram sanctam esse appellatam.

De magnis, inquiunt, periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus. Ipse enim ebullire fecit D de Perside eos, qui pugnaverunt contra sanctam civitatem. Vide quomodo secundum intentionem, quam diximus, procedant dicta venerabilia, sanctam terram, sanctam civitatem pronuntiantia, qui videlicet, pulchri sermonis ornatus ab hujusmodi principio usque ad finem fere per omne libri corpus servatur, sine dubio contra æmulationes illorum, qui alibi contra legem volebant habere templum vel Sancta sanctorum, libenter accipimus fuisse sanctam terram, sanctam civitatem, sanctum locum. Nimirum propter eum, qui non aliunde, sed inde venturus erat, Sanctum sanctorum. Jam superius diximus, quis ille fuerit rex Antiochus, nec rursus

dicere piget, quia ipse fuit, de quo circa finem primi Machabæorum libri narratio cœpta, sed non consummata est, quomodo contra Simonem et contra Joannem Hircanum multa mala gesserit, qui, ut Josephus narrat, eumdem Hircanum in civitate inclusum sæpe cum aciebus circumdederit, eosque vehementer afflixerit. Qualiter iste interierit hic Scripturæ locus manifestius exprimit. Quia cum in Perside esset dux ipse, et cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneæ, consilio deceptus sacerdotis Naneæ. Per omnia, inquiunt, benedictus Deus qui tradidit impios. Ista quoque gratulatio de impiorum interitu ad commendationem spectat loci sancti, et ejus, cujus in Ægypto similitudinem fecerant, templi Dei, quod vere solum illud sanctum deberet haberi, in quo toties apparuerit manifesta quædam Dei virtus, vindictas exigens de his, quicunque inhonorassent illud; et, quamvis propter peccata inhabitantium interdum acciderit circa locum despectio, non tamen impune abirent quicunque despectui locum habuissent.

CAPUT XVII.

Eadem ratione ignem de cœlo datum commemorari.

Narratio de igne, qui datus est, inquiunt, quando Nehemias ædificato templo et altari obtulit sacrificia, satis manifesta est meliusque **616** placet, si lectoris memoriæ non desit causa vel intentio, quam diximus, scilicet, hæc omnia tendere ad defendendum privilegium, ad testificandam dignitatem singularem sanctæ civitatis et templi, cujus ad similitudinem factum fuerat, quod fieri non debuerat templum in terræ Ægypti. Ignis namque qui taliter datus est, magnum et memorabile illi templo legitimæ sanctitatis testimonium est. Et quidem narratio, sicut jam diximus, manifesta est, verumtamen propter simpliciores de ipso igne altaris aliquid dicendum est.

CAPUT XVIII.

Qualis ille ignis altaris fuerit.

« Ignis, inquit, Dominus ad Moysem, in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens mane ligna per singulos dies. Et imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari (*Levit.* VI). » Unde autem iste ignis tam diligenter nutriendus, non alterius, sed sacerdotis cura et diligentia ne deficeret custodiendus, fuerat datus sive acceptus? Ab ipso Domino nimirum magno et evidenti miraculo. Uncto namque tabernaculo, ritu quoque sacerdotii atque sacrificiorum juxta præceptum Domini ordinato: « Hodie, inquit Moyses, Dominus apparebit vobis. » Item: « Facite et apparebit vobis gloria ejus. » Subinde sequitur: « Ingressus autem Moyses et Aaron tabernaculum testimonii, et deinceps egressi benedixerunt populo, apparuitque gloria Domini omni multitudini, et ecce ignis egressus a Domino devoravit holocaustum et adipes, qui erant super altare. Hoc cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum ruentes in facies suas (*Levit.* IX). » Dignus igitur ignis quem sacerdos nutriret, quique de altari deficere nunquam deberet, et dignus locus, dignum templum sanctumque altare, quod tanti privilegii munus haberet, quale utique in illo templo æmulo Ægypti, nec fuit, nec esse debuit. Illud observari potuit, ut nunquam deficeret ignis in altari usque ad tempora Babylonicæ captivitatis, quia videlicet, quantæcunque tempestates et tenus exsurrexerint, non tantæ fuerunt, ut necessario exstinguerelur ille ignis. Nec enim ante Nabuchodonosor regem Babylonis ulla usquam Scriptura memorat, tale quidpiam evenisse, ut ignis ille nutriri vel custodiri non potuerit. Ubi autem et templum destructum, et civitas igne Chaldaico combusta fuit, quomodo vel in quo sacerdos curare posset, ne deficeret ignis in altari? Fecerunt igitur quod potuerunt, fidem et spem habentes ad Deum, secundum litteræ hujus sensum manifestum: « Cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus siccus, et in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus (*II Mach.* I). » Quid illorum fidei contemplatione pulchrius? ignem morientem qui nutriri non poterat, qui ubi nutriretur non habebat, illi resuscitandum commiserunt, in quo est species resurrectionis mortuorum. Nec eos fefellit spes. Quomodo?

CAPUT XIX.

Eadem ratione miraculum ignis, et Nehemiæ orationem commemorari.

« Cum præterissent multi anni ei placuit Deo, ut mitteretur Nehemias a rege Persidis, nepotes sacerdotum illorum qui absconderant misit ad requirendum ignem, et, sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam (*ibid*), » et cætera. Manifesta narratio, manifestum divinæ provisionis judicium, multumque pertinens ad causam sæpedictam, et semper memoria tenendam, quam et pulchre hæc littera recitavit, dicendo sic: « Et idem ignis qui datus est, quando Nehemias, ædificato templo et altari, obtulit sacrificia (*ibid.*). » Neque enim Nehemias templum et altare ædificavit. Jam quippe illud ædificaverat dux Zorobabel, et sacerdos Jesus filius Josedech, antequam mitteretur Nehemias a rege Persidis, sed muros civitatis istæ reædificavit. Cum igitur ita dicunt, « quando Nehemias, ædificato templo et altari, obtulit sacrificia, » subauditur pro murorum peracta reædificatione, procul dubio hæc interpositio, « ædificato templo et altari, » commendatio est templi sæpedicti, quod solum illud sanctum atque legitimum fuerit, cujus in altari et ante Babylonicam captivitatem ignis iste perpetuus exstitit, et post captivitatem tanto miraculo recuperatus est, quod vere inter cæteras auctoritatem testimoniorum, quibus templum illud fuisse constat illustratum, magnum atque præclarum fuit. Quale enim fuit, ligna et sacrificia superimposita, itemque lapides magnos aqua perfundi, magnumque de con-

trario elementa ignem accendit? Ad eamdem spectat intentionem quod dicunt, et Nehemiæ erant oratio hunc habens modum: « Domine, Deus omnium Creator (*II Mach.* I), » etc. » Inter quæ est illud notandum. Et congrega dispersionem nostram, et constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. Quomodo enim dixit Moyses? « Cum inquit, fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam per eamdem viam revertamini (*Deut.* XVII). » Nec illi in Ægyptum fuerant reversi. Item dixit Moyses: Non facietis in Domino Deo vestro, sed ad locum quem elegerit Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis et afferetis in illo loco holocausta et victimas vestras. Locus utique, quem elegerit Dominus (*Deut.* XII), » erat Jerusalem, sicut Scriptura narrat: « Cumque extendisset manum suam angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus, et ait angelo percutienti: Sufficit nunc, contine manum tuam. Erat autem angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi. Venit autem Gad ad David in die illa, et dixit ei: Ascende, constitue Domino altare in area Areuna Jebusæi (*II Reg.* XXIV). » At illi in Ægypto immolabant. Vide igitur, quam subtiliter, quam moderate conveniant illos, et arguant ut legis prævaricatores, ex illa oratione Nehemiæ dictum ita recensentes: « Constitue populum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. » Nimirum locum Dei sanctum Hierosolymis esse volentes, contra cujus electionem locus in Ægypto præsumptus sanctus utique esse non posset. Diem illum sive sacrificium illud appellavit Nehemias Nepthar, quod interpretatur *purificatio*, quæ alia vel alterius rationis erat, quam purificatio mensis Casleu, de qua supra diximus, quam appellabant purificationem templi. Istam vero diem ignis, qui videlicet dies, cujus mensis, quotus fuerit, non oportuit illis annuntiari, quia sciebant et olim celebraverant.

617 CAPUT XX.

Eadem ratione tabernaculi et arcæ commemorationem, atque excusationem factam.

Narrantibus tam veris, locum electum, templum sanctum atque legitum decertantes non potuisse illos habere in terra Ægypti, sed haberi in Hierosolymis, nonnihil sibi deesse sentiebant, quia videlicet, tabernaculum et arcam et altare incensi, quod fecit Moyses, non habebant. Profecto æmultis ipsorum scilicet, Judæis habentibus suum in Ægypto templum hoc videbatur, quod gloria magna translata fuisset a Hierosolymis, tanquam ratio nulla esset vel esse posset alia sufficiens ad commendandum vel præferendam dignitatem templi Hierosolymitani, quoniam non haberent illa insignia, tabernaculum, et arcam, et altare incensi. Super isto quasi gloriæ detrimento consolantur semetipsos, sic inferendo. Invenitur autem in descriptionibus Jeremiæ prophetæ, quod jussit accipere ignem eos qui transmigrabantur, ut significatum est. Erat autem in ipsa Scriptura, quomodo tabernaculum et arcam jussit propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, et vidit hæreditatem Dei, et veniens Jeremias invenit ibi locum speluncæ, et tabernaculum et arcam et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit, et dixit, quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat, et Dominus ostendit hæc, et apparebit majestas Domini, et nubes erit, sicut et manifestabatur Moysi, et sicut cum Salomon petiit, ut locus sanctificaretur magno Deo. Manifestabat hæc, et ut sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi, sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cœlo, et consumpsit holocaustum (*I Mach.* II).

CAPUT XXI.

Quomodo, quæ tabernaculo et arca dicta sunt, intelligi debeant.

Consolatio hæc opportuna tunc extitit, magnum pro Dei legitimo templo, quod erat Hierosolymis, superexaltans coronum spei, ne vel propter hoc, quo non habebat tabernaculum et arcam et altare incensi, videretur Ægyptio templo non posse præferri. Verumtamen quoniam in descriptionibus Jeremiæ prophetæ, quas nunc habemus dixerunt hæc inveniri. Si dignitatem vel majestatem consideres Spiritus sancti, qui loquebatur in prophetis, quorum de notissimis et præcipuis Jeremias unus exstitit. Magna quidem in littera sonat gloria illius templi manufacti, sed multo majorem in Spiritu prophetiæ præsentis homo quicunque spiritualis. Denique homo animalis Judæus, cujus circumcisio non in spiritu, sed in sola carne consistit, hoc putas Jeremiam dixisse quod Judæorum, qui in omnes gentes captivi ducti sunt, congregatio debeat fieri nescio quo tempore, templumque illud cum civitate restitui, cum tali nube apparente, qualis erat ubi Moyses legem accepit, et qualis ubi Salomon ædificatum templum magno Deo dedicavit. Nos autem post illud tempus, quo hæc scripta sunt, post victoriosa prælia Machabæorum nullam scimus populi Dei congregationem, præter illam quam idem Spiritus, qui loquebatur in prophetis, nobis in evangelista Joanne depromit (*Joan.* XI). Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Tunc utique apparuit gloria Dei, gloria Filii Dei cum resurrectione mortuorum effulgentis; et extunc est nubes; sicut manifestabatur Moysi; ut legem accepit, et sicut fuit nubes, ubi Salomon templum Domini ædificavit. Nubes, inquam, extunc et similiter, scilicet, cæcitas Judæorum, cujus in prodigium factæ sunt illæ nubes, usque ad illud tempus, ignotum erit, ait Jeremias, ubi sit tabernaculum et arca et altare incensi, id est non cognoscetur a populis vel

gentibus, quorum vel qualium exemplaria cœlestium illa fuerunt.

CAPUT XXII.

Quocunque sensu Jeremias illa scripserit, Judæos suo proposito adaptasse.

Dicet aliquis, putasne ipsi qui scripserunt vel etiam illi quibus scripserunt hunc prologum, ita ut tu nunc dicis, et sicut nunc Ecclesia Christi intelligit, prophetici Jeremiæ dicta intellexerunt? Ad hæc, inquam, putasne Judæi, qui de regione Judæa scripserunt, aut Judæi per Ægyptum, quibus scripserunt, prophetæ fuerunt, aut propheticum intellectum habuerunt? Si prophetæ fuerunt, aut intelligentiam prophetici spiritus habuerunt, nimirum ea quæ sub velamine legalis, aut propheticæ litteræ latebant, intellexerunt. Quid voluerit constructio vel ritus tabernaculi, quid significaverit altare incensi, quid arca, quid propitiatorium, quid duo Cherubin, quid prorsus vel quale fuerit illud quod intendens Dominus ad Moysen: « Inspice, ait, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstravi. » Sed non erant prophetæ in diebus illis fere ex quo reædificatum est templum post captivitatem Babylonicam. Et novissimus duodecim prophetarum Malachias, quem ipsum Esdram fuisse dicunt Hebræi, prophetavit. Hinc in primo libro Machabæorum scriptum est: « Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die qua non est propheta visus in Israel (*I Mach.* IX).» Igitur quomodocunque intellexerint illud quod inveniri dixerunt in descriptionibus Jeremiæ prophetæ, vel ipsum Jeremiam dixisse de populi congregatione de majestatis Domini apparitione, vel futura nube secundum similitudinem nubis, quæ in monte Sinai manifestata est Moysi, quæ, vel Salomoni in dedicatione templi; Nos in præsenti Scriptura scribentium teneamus intentionem, quia facta hæc vel dicta Jeremiæ fratribus, qui erant per Ægyptum, habentibus templum non legitimum, scripserunt ad suimet competentem consolationem, quod videlicet, loci vel templi dignitas, non idcirco minor videri deberet, quod eo tempore tabernaculum et arcam et altare incensi non haberent.

CAPUT XXIII.

Eadem ratione, qua superiora, orationem Moysi, et ignem de cœlo datum.

Quod tandem subjungitur: « Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cœlo, et consumpsit holocaustum. » Dixit Moyses: « Ego quod non sit mundatum, quod erat pro peccato, et consumptum est, » ad idem respicit, scilicet ad testimonium sanctitatis vel sanctificationis, quod templum illud jure sanctum habendum fuerit, in quo constabat peccata consumi igne, qui divinitus datus est, sicut et quando Moyses orabat. Neque **618** enim minus miraculi fuit in eo quod de aqua super sacrificium aspersa magnus accensus est ignis, quam in eo quod, Moyse orante, a Domino egressus est ignis, et holocaustum consumpsit. Cœlesti auctoritate defensum esse volunt, nihil minus sanctitatis vel dignitatis, illi templo, quam Moysi ascribendum fuisse tabernaculo. Quod aiunt: « Dicit Moyses, eo quod non sit mundatum quod erat pro peccato, et consumptum est, » idem est ac si dicant: Sacrificium quod erat pro peccato, cur non comedebatur, sed comburebatur, videlicet quia non erat mundatum, cum esset pro peccato, quia sicut immundum est peccatum, ita quod erat pro peccato sacrificium, non pertinebat ad esum sicut hostiæ pacificorum, congruumque erat totum illud cremari, sicut opus habemus peccatum nostrum sancti Spiritus igni comburi. Et hæc dictum a Moyse non otiose, secundum sæpe dictam intentionem suam, memorant, videlicet, ut constet templum factum esse, in quo peccatum consumitur, teste igne dato divinitus, sacrificium pro peccato. Finis tandem nobis jam sit hujuscemodi tractatus in littera prœmii, quod mihi explanandum imposuisti, quod si utiliter utcunque factum est, tu quoque gratiam benedictionis recipere debes ab omnibus, quibus hoc utile visum fuerit, quia monitor atque exactor fuisti.

CAPUT XXIV.

Quam multi hostes Verbi Dei velociter sicut umbra transierint.

Interea salvus atque intemeratus permanebat thesaurus patris Abrahæ, thesaurus David fidelis, scilicet verbum promissionis, quod sub juramento Deus verax super illos thesaurizavit. Stabat enim locus et gens unde oportebat illud adimpleri. Generatio præteribat, et generatio adveniebat: ipse autem cui veraciter dicitur: « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI), » in proposito suo permanebat. Anno illo, quo, ut jam dictum est, fratres qui erant Hierosolymis, et in regione Judæa scripserunt fratribus qui erant per Ægyptum, anno inquam 188. Joannes cognomento Hircanus locum et gentem regebat, et ille annus principatus ejus XI erat, ubi tunc erant, qui locum et gentem illam tantis odiis persequentes exterminare voluerant? Velociter sicut umbra transierant, alius post alium diversis cladibus morientes, quorum interius velocitatem si consideres, recte dicas, quia in generatione una nomen eorum deletum est. Una quippe generatio Machabæorum vix exacta fuerat, principatum agente suique principatus annum habente undecimum Hircano, cujus per patrem Simonem, patruosque Judam atque Jonatham, locum et gentem Deus reservaverat, et tam multi reges adversariorum successim decesserant infra annorum paulo plus quam quadraginta spatium. Denique post radicem peccatricem, scilicet Antiochum Epiphanem, qui sine manu contritus est, filius ejus Antiochus Eupator decessit, post Eupatorem patruelis ejus Demetrius filius Seleuci, post Demetrium Alexander filius Antiochi, post Alexandrum Demetrius filius Demetrii; deinde Triphon tyrannus regni, qui Jonatha et Antiocho adolescente filio Alexandri dolo interfectis, diadema sibi imposuit, deinde Antiochus,

filius Demetrii, qui in templo Naneæ cecidit. Septem fuerant, jamque non erant, nimirum cito deleti in una, ut jam dictum est, generatione Machabæorum, et benedicebatur Deus, atque laudabatur secundum Psalmistam dicentem : « Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient (*Psal.* xxxvi).

CAPUT XXV.

Quare Deus populo cætera regna subjicere noluerit.

Non poterat hic Deus terribilis, qui tam cito abstulit spiritum principum, et auxilio tam parvulo sublevavit gentem et locum, non poterat hoc facere Verbum Dei, Verbum Deus, ut gens sua, locus suus regnis omnibus imperaret ; quomodo regnum Græcorum paulo ante ab Alexandro Macedone dominabatur ? Non poterat istud efficere, ut regnorum mundi caput Hierosolymis haberetur, seu Machabæis vincentibus seu anterius regnante David, quem electione sua, secundum cor suum regem posuerat Deus ? Poterat plane, si voluisset de hujusmodi curare, plus quam exigebat propositum ipsius. At vero propositum ejus non erat, ut beati viri suæ benedictionis hæredes in ista valle lacrymarum, in isto loco, qui positus est eis ad flendum et esuriendum, et ad sanctæ paupertatis studium, jam subsilirent in equis et curribus, et in gentibus more regum gentium potestatem haberent aut dominarentur. Sed quid erat in proposito ejus ? nimirum sanctos ejus et electos omnes in hoc modo peregrinos esse vel exsules, et exspectare regnum ejus, cujus rex vel imperator ipse Deus et Dominus est. Bene igitur secundum hoc propositum suum contentus fuit Deus, tantillum suis præbere auxilium, quatenus inter gentes gens unica, et locus unicus conservaretur, donec ex ea Dei veritas, id est verbum promissionis adimpleretur. Ultra cautelam hanc vel providentiam, gentem exsulem, filios peregrinorum Abrahæ, Isaac et Jacob, cur exaltaret, causam non habuit rex humilium Deus, gentibus sive nationibus gentium, reges autem regum imperatores habentibus, satis fuit illi genti, loco illi providere reges aut principes, ut fuit David, ut fuerunt isti Machabæi, qualium præliis aut victoriis non quæreretur, ut nlla fieret pressura mundi, sed ut defenderetur gens unde esset ventura salus mundi. Regnum autem et imperium gentis illius super omnes gentes, quando vel quo tempore consurgeret, providebat, sedens in throno ille apud Danielem Antiquus dierum, qui venturo de illa gente Filio hominis jam porrigebat regnum, et potestatem, ut omnes populi, tribus, et linguæ serviant illi in æternum.

CAPUT XXVI.

Machabæos societatem cum Romanis inire non debuisse, et quare tam cita morte sublati fuerint.

Sub obscurum quiddam fratribus victoriosis in medio suæ claritatis accidit, Judæ, Jonathæ atque Simoni, quod videlicet victoriis clarificati, ultro miserunt societatem et amicitiam statuere cum Romanis potentibus et famosis, quamvis super hac re non culpet eos Scriptura, res gestas continens ipsorum, nihilominus tamen animadvertere promptum est non fuisse tutum coram Deo neque lege concessum Judæis, ut expeterent amicitias gentium, verumtamen sicut fuerunt in vita sua, ita et post mortem gloriosi sunt, quia si quid pulveris aut pulvere vanitatis taliter admiserunt, omnino deletum est cita subsequente morte singulorum. Denique Judas primus miserat **619** Romam, constituere cum illis amicitiam et societatem, et interea Demetrius rex post casum Nicanoris et exercitus ejus, apposuit Bachidem et Alchimum rursus mittere in Judæam et in illo prælio cecidit ille potens qui salvum faciebat populum Israel (*I Mach.* vii). Deinde Jonathas Romam miserat, statuere et renovare cum illis amicitiam, et postmodum a Triphone dolis circumventus atque occisus est. Similiter Simon miserat cum illis renovare amicitiam, nec multum post a genero suo Ptolomæo per insidias interfectus est Tales eventus singulorum fines obscurare videntur, quod videlicet, in eo sibi cœleste diminuerint auxilium, dum quærunt ab hominibus sæculi quasi pacis et securitatis firmamentum. Porro diligens animus causam aliam libentius arbitratur, scilicet, quod idcirco taliter in brevi decesserint, quia sicut de sanctis dicit Apostolus : « Quibus dignus non erat mundus (*Hebr.* xi) ; » ita et talibus ac tantis ducibus ut diu permanerent, tunc temporis dignus non erat ille populus, utpote jam quasi senex atque delirus pene totus, præter paucos justos, nimium refrigescens a divinæ religionis cultu. Inde post Hircanum, Simonis filium, ducem habere meruit Hircani filium Aristobulum, matris et fratris interfectorem, deinde fratrem ejusdem Aristobuli Alexandrum et ipsum parricidam, multæque plebis Judæorum homicidam, deinde filios ejusdem Alexandri Hircanum et Aristobulum, qui principatum dira contentione laceraverunt, multo post Herodem genere alienum, crudelitate præcipuum, totiusque homicidii domestici atque publici signiferum mortisque satellitem, sempiternæ perditioni destinatum. Beata igitur sors illorum qualemcunque habuerint mortis eventum. Nam « corpora eorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum (*Eccli.* xliv). »

LIBER UNDECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Verbum Domini per Isaiam : « Si non, ut putavi, ita erit, » quomodo sit intelligendum.

Scriptum est enim in Isaia : « Juravit Dominus, dicens : Si non, ut putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet ; » ac deinceps : « Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare ? Et manus ejus extenta, et quis avertet eam ? » (*Isa.* XIV.) Quid, quæso, putavit et quid mente tractavit Dominus? quid decrevit et ad quid manus ejus est extenta ? Nunquid hoc solum putavit, et hoc solum mente tractavit aut decrevit, ut contereret Assyrium illum carneum in terra sua, et in montibus suis conculcaret eum ? Imo hoc consilium, inquit, quod cogitavit super omnem terram, et hæc est manus extenta super omnes gentes, quarum utique diabolus princeps erat, qui per Assyrium designatus est. Super illum draconem antiquum hoc putavit, et hoc mente tractavit de electis suis Dominus, ut auferretur ab eis jugum ejus, et onus illius ab humero eorum tolleretur, et ut omnia capita ejus, septem capita ejus, de quibus vel contra quæ præsens opusculum contexitur, quorum sextum (quod fuit Romanum imperium) jam nunc aggredimur, invicem morderent, et ab invicem consumerentur, tandemque simul tota cum capitibus suis bestia nequam, ad comburendum igni traderetur.

CAPUT II.

Quomodo Deus aliquid putare proprie dicatur.

Quomodo illud, antequam esset, putavit Dominus esse ? Itane ut prophetæ solebant putare vel somniare ? Exempli gratia ut Joseph, qui ad fratres suos : « Audite, inquit, somnium meum quod vidi, putabam nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum (*Gen.* XXXVII).» Profecto longe melius putavit Dominus, multo, imo incomparabiliter differunt, putans homo, et putans Deus, multum,inquam,differunt,et procul distant hominis somnium et Dei verbum : prophetica cujusque gratia, et ipsa summæ sapientiæ substantia.« Homo putans vel somnians,interdum et persæpe nescit quid imagines somniorum suorum significaverint, ut Pharao, qui cum diceret, putabam me stare super ripam fluminis, et septem boves de amne consurgere (*Gen.* XLII), etc. Profecto nesciebat quid per illa significaretur, sed nec erat qui interpretaretur. Quomodo autem putavit Dominus? ni mirum sicut dicit Evangelista : « Quia quod factum est in ipso, vita erat, de omnibus antequam fierent, ita certus erat (*Joan.* I), » quod fieri deberent, sicut certus est nunc, postquam omnia facta sunt. Idcirco jurare potuit, dicens : « Si non, ut putavi, ita erit.» Quare ergo dixit, « putavi, » si certus fuit? Videlicet, quia nondum erant in re, licet certa essent in prædestinatione, idcirco putavi non improprie dixit, cum posset dicere, præscivi, licet minus significet putare quam præscire. Sed quid mirum in divinis sermonibus aliquando minus dici,et plus significari, qui modus locutionis **620** apud grammaticos dicitur *tapinosis*, id est humilitas dictionis,non assequente verbo quantitatem rei. Omnes modi vel tropi sive schemata,omnes omnino ornatus locutionis, de quibus quasi auctores gloriati sunt sæculares magistri, sparsim in divinis inveniuntur Scripturis, et prius erat quam hi, qui horum putantur adinventores, fuissent nati. Quod si quis hominum vel prophetarum, ut fuit Daniel, in somnis putando aliquid mirabiliter, nonnunquam potuit delectari,sic prope in imaginibus tanquam in veris rebus,quantum putas delectabatur Deus, dum adhuc illo suo modo putaret, antequam quidquam faceret, antequam terra fieret, vel aliud omnium, quæ facta sunt ? Idcirco ipsa Sapientia : « Antequam quidquam faceret, antequam illa vel illa fierent, ego eram cum eo cuncta componens, et delectabar per singulos dies,ludens coram eo omni tempore,ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII). »

CAPUT III.

Inter omnia, quæ Deus putavit, præcipuum fuisse Filium, quem draco devorare volebat, ad se et thronum suum rapiendum.

Inter omnia quæcunque putavit,quæcunque mente tractavit vel decrevit Deus, maximum atque pulcherrimum fuit in prædestinatione, et nunc est in re id quod habemus in manibus,quod scilicet sub Romano imperio impletum est, quod promiserat patribus, quod ad Abraham, et Isaac juraverat Deus, id est quod de virgine natus et passus resurrexit et in cœlum ascendit, et ad dexteram Dei Patris sedet Christus Dei Filius secundum sæpedictam revelationem, ubi « draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset filium ejus devoraret (*Apoc.* XII). » Et peperit filium masculum, ait Scriptura, qui recturus erit omnes gentes in virga ferrea (*Psal.* II), et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus. O ludum sapientiæ deliciosum, præscire atque prædestinare certum aliquem numerum angelorum et hominum, et in libro vitæ nomina conscribere singulorum.Putare quod de multitudine creaturarum vel spirituum creandorum haberet emergere quispiam, qui conaretur cassare propositum

tam bonum, unde et merito draco magnus, serpens antiquus, diabolus, et Satanas, et econtra mente tractare, qualiter illi foret illudendum per ipsum Verbum quod erat apud Deum, cum quo habebat consilium suum antiquum : et super draconem illum decernere, quod nullus infirmare posset æterni judicii decretum. Ibi jam ejusdem sapientiæ deliciæ cum filiis hominum, et cum angelis quidem, sed maxime cum filiis hominum, quia nusquam angelos, sed semen Abrahæ, id est humanam naturam apprehendere habebat, et nunc factum est. Unde et apostolica congaudet fides, dum dicit : « Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit (*Hebr.* II). » Inde nunc nobis in laudem, victricis veritatis Dei, sermo cœptus paragendus est.

CAPUT IV.

Invocat sapientiam, interim adaperiens quid sit : « Noli regibus dare vinum, sed his qui amaro sunt corde. »

Invocata adsit eadem Sapientia, quoniam susceptæ materiæ nunc instat pulcherrima pars. Invocata adsit, et inter eos me computet, quibus vel qualibus vinum ad bibendum dandum esse judicat. «Noli, inquit, regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum ; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis, da siceram mœrentibus et vinum his qui amaro sunt animo ; bibant, et oblisviscantur egestatis suæ, et doloris non recordentur amplius (*Pov.* XXXI). » Quale namque est vinum quod si detur ad bibendum regibus, facit eos oblivisci judiciorum, et mutare causam filiorum pauperis. Si autem detur mœrentibus, facit eos oblivisci egestatis suæ, et doloris non recordari amplius ? Profecto, quomodo parabola est, mystice juxta parabolarum leges intelligenda est. Vinum ergo istud, sermo sapientiæ vel sermo scientiæ est, quod si detur regibus, id est superbis, apud quos utique regnat ebrietas, id est, quos scientia inflat, obliviscuntur judiciorum et causam filiorum pauperis, id est, male examinant sensum Scripturarum, dum per contentionem sua defendunt, et nulli cædere volunt, et ab aliis bene dicta, qui sunt filii pauperis, id est humiles secundum Christum, amatores veritatis, vanæ gloriæ deputant et præsumptioni. O ergo Lamuel, quod interpretatur *in quo Deus* ; o Christe, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, noli talibus scientiæ tuæ dare vinum, sed da mœrentibus, id est humilibus, et his qui pro eo quod paupertatis et peccatorum humilem conscientiam habent, amaro sunt animo. Cum enim talibus datur vinum hoc, lætificat cor eorum, et quadam oblivione bona obliviscuntur egestatis suæ, confortati ab Apostolo dicente : « Quia quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* III). » Et nobis ergo si dederis vinum, nos quoque confortati totius egestatis nostræ obliti, nec ultra memores doloris vel tristitiæ sæculi, sapientes, fortes, et nobiles reges terræ, et principes qui astiterunt adversus Dominum, et adversum Christum eis, putantes se infirmare posse decretum Dei, posse avertere extentam manum Domini, stultos infirmos fuisse atque ignobiles declamabimus in laudem victoriæ Verbi Dei, prosequentes currum triumphalem tanti victoris.

CAPUT V.

Sextum caput draconis, cui simile fuerit dici non posse.

De singulis capitibus draconis, quales qualiumve ferarum similes habuerint facies, demonstrari potuit, cum sanctæ Scripturæ testimoniis. At vero de isto capite sexto valde ruto, qualis vel cui bestiæ similis in eo facies fuerit, demonstrari non potest, quia Scriptura non dixit, ubi Daniel visionem quatuor bestiarum vidit, de futuris hoc tantum ait : « Bestia terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans, dissimilis erat cæteris bestiis, quas videram antea (*Dan.* VII). » Dixit quod cæteris bestiis, quas viderat antea, ista erat dissimilis, scilicet leænæ, urso atque pardo, et non dixit similem fuisse alicui bestiarum, quæ præter illas multæ sunt. Terribilem ejus fortitudinem terribiliter expressit, dicendo : « Dentes ferreos habens magnos, » per quos nimirum intelligimus Romanæ potentiæ consules, sive imperatores bellicosos atque fortissimos, et exercitus in præliis severa districtione, districta severitate ordinatos. **621** Ut interim nunc taceam de gentibus cæteris, gentem Judæam bestia ista comedit atque comminuit, et reliqua pedibus suis conculcavit, quia locum destruxit, et gentem percussit in ore gladii, et eos qui reliqui fuerunt, in captivitatem vendidit atque dispersit. Non proinde Romanum imperium unum fuisse cognoscimus ex capitibus draconis rufi, quia justam fecit, quamvis nesciens, vindictam sanguinis Christi ; sed quia potestas ejusdem imperii Christum occidit, et martyres Christi, proinde magnum caput exstitit inter omnes impios qui tunc vivebant, et erant utique corpus vel membra diaboli.

CAPUT VI.

Quod Hebræi putant de sexto capite dictum : « Exterminavit eam aper de silva, » etc., ineptum esse.

Hebræi, quod in Daniele tacitum est, in psalmo dictum putant : « Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (*Psal.* LXXIX). » Quartam illam terribilem bestiam similitudinem apri vel singularis feri fuisse autumant. Huic opinioni illud repugnans esse videtur, quod illi bestiæ terribili cornua ascribuntur. « Habebat, inquit, cornua decem. Considerabam, et ecce cornu aliud parvum ortum est de medio eorum (*Dan.* VII), » etc. Hoc, inquam, repugnare videtur. Denique aper cornua non habet. Itaque bestiam illam existimare vel dicere fuisse aprum, sic arbitramur fuisse incon-

gnum, sicut delphinum silvis applingere, fluctibus aprum. Simul et hoc animadvertendum quia ad regnum Persarum et Medorum, quia in eadem visione significata sunt per ursum et pardum, in alia visione, quæ ostensa est de futuris regibus eorumdem regnorum, qui videlicet reges per cornua significari debuerunt, per aliorum facies animalium demonstrata sunt, scilicet arietis et hirci, quibus cornua naturæ dono constat attribui. Igitur quod Scriptura tacuit de nomine quartæ bestiæ, nobis quoque tacitum sit, ut quidquid ferocius in bestiis cogitaverimus, hoc Romanorum formidolosum imperium intelligamus.

CAPUT VII.

Quomodo bestia quarta de mari ascenderit, et sextum caput draconis in ordine constituerit.

Bestia hæc terribilis de mari quomodo venit? Quomodo de mari ascendit? quomodo ante mulierem, quæ erat paritura, in illa septem capitum draconis cruenta serie caput istud constitit? nimirum per magnas atque inenarrrabiles discordias, per bella civilia, bella plus quam civilia. Discordiæ spiritus, quem hæc bestia spiravit, mundum vexavit, gentes afflixit, civitates et regna cædibus cruentavit, terras fere omnes, Europam et Africam atque Asiam suo gentiumque fere omnium sanguine complevit. Sunt historiæ, legant qui volunt tragœdias generis humani, labores mundi, vere, ut ait Joannes, in maligno positi. Quod satis ab ejusmodi effectis claruit, et clarum est legenti atque intelligenti. Nos ad illam insaniæ partem summam tendimus, qua adversus sæpe dictam et sæpe dicendam mulierem in utero habentem sese erexit, dentesque suos ferreos præparavit caput istud, ut, cum peperisset, devoraret filium ejus.

CAPUT VIII.

Herodem patre Idumæo, matre vero Arabica natum, a senatu Romano regem Judææ decretum fuisse.

Imperante Augusto Cæsare, centesima et octogesima quarta Olympiade, consulibus Caio Demetrio, et Caio Asiano, Herodes a Romano senatu gratia Cæsaris Augusti, et favore Marci Antonii rex Judææ decernitur; non erat genere Judæus, imo patre Idumæo, et matre Arabica progenitus. Nicolaus tamen Damascenus, ut meminit Josephus, ait patrem hujus Herodis Antipatrem, genere nobilissimum Judæum fuisse, ex illis qui ad Judæam de Babylone reversi sunt. Hæc autem inquit, id est refert ad gratiam Herodis filii ejus, quem regem Judæorum contigit fieri, cum non esset regii, sed nec Judaici generis. Nam Antipater genere Idumæus exstitit, quique multas possidens pecunias, totius Judææ potestatem, et tuitionem a Cæsare accepit, amicus Hircano regi et sacerdotum principi. Sed cum tardum et segnem Hircanum vidisset, priorem filium suum Phaselum, ducem in Hierosolymis, secundum vero Herodem Galilææ tutorem ordinavit, qui postmodum, ut jam dictum est, ad regnum pervenit.

Prædixerat de illo quidam in concilio vir justus nomine Samæus, præsente Herode, cum pro crimine fuisset vocatus, staretque purpura circumdatus armisque stipatus: « Vos, inquit, vel regem accuso, qui tantam ei licentiam dedistis. Scitote quod is quem nunc propter Hircanum vultis absolvere quandoque nos et ipsum regem torquebit; » nihil autem hoc dicendo mentitus est. Nam Herodes cum regnum cœpisset, omnes in concilio tunc inventos cum ipso Hircano occidit.

CAPUT IX.

Discordias inter senatum et populum Judaicum, Herodi regnum peperisse.

Discordia summa, discordia cruenta, tam Romani senatus quam Judaicæ gentis regnum illi peperit. Denique cum Caius Cæsar, et magnus Pompeius totius orbis viribus confligunt, et in Judæa fratres Hircanus et Aristobulus de principatu atrociter contendunt, Antipater potens, et, ut jam dictum est, multas pecunias possidens, dum in Judæa favet Hircano justiori quidem, sed segniori, et in Romana republica multis obsequiis, pluribus impensis mercatur gratiam Cæsaris jam victoris, victumque Pompeium usque in Ægyptum persequentis, magnam sibimet Judææ potestatem promeruit, et apud victricem Romanorum partem Herodi filio viam ad regnum obtinendum magnis meritis aperuit. Sciendum quoque quod per illam Hircani atque Aristobuli discordiam, templum in Hierosolymis semel et iterum magna cum calamitate violatum fuit. Primo namque Pompeius Aristobulum victum habens, civitatem aggressus, contra socios Aristobuli, et per seditionem in civitate receptus, templum irrupit commota atque cadente maxima turre, per quam aperta parte templi hostes irruperunt, et omnia Judæorum cæde completa sunt. Quidam enim occidebantur a Romanis, alii vero semetipsos occidebant, et ita ceciderunt viginti duo millia Judæorum, Romanorum vero perpauci defuncti sunt. Nec vero parva in templo commissa sunt; dum ea quæ priori tempore invisibilia vel **622** inaccessibilia erant, adiisset Pompeius, et cum eo non pauci vidissent, quæ non liceret nisi sacerdotibus intueri. Deinde cum, ut jam dictum est, Herodes regnum cœpisset, et Antigonus, Aristobuli filius, civitatem teneret, idem civitas passa est, et in templo multi perempti sunt, Herodi adnitentibus Romanis. Et hæc passio Hierosolymorum civitati contigit, ait Josephus, Marco Agrippa et Callidio consulibus, centesima et octogesima quinta Olympiade, tertio mense in celebratione jejuniorum, tanquam reversa calamitate, quæ sub Pompeio Judæis illata est. Nam extunc eodem die captivitatis viginti et septem anni fuisse noscuntur, cum adhuc obsideretur civitas ab Herode et Sosio legato, persuasit Samæus supradictus populo, ut Herodem acciperet, dicens propter peccata eum non posse devitari.

CAPUT X.

Neque sceptrum, neque ducem de Juda auferendum, donec veniret Christus.

Cum igitur alienus Herodes per tantas tamque cruentas quas commemorare libuit, discordias, regnum cœpisset, tempus erat ut promissionis suæ verbum verax Deus adimpleret. Sic enim fuerat prædictum : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est (*Gen.* XLIX). » Qui mittendus erat ipse est qui venit Christus, « in » quo » semine tuo, » ait Deus ad Abraham, « benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXVI), » sicut ibidem a Jacob subjunctum est : » Et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX) . » Ecce autem veraciter ablatum erat sceptrum de Juda, et de femoribus ejus, quando Herodes alienigena regno B fuit intrusus, qui et occidit omnes qui regii generis videbantur esse, et ipsum Hircanum, cujus lenitate et mansuetudine fuerat provectus. Ut igitur justificaretur Deus in sermonibus suis, jam illud semen quod Abrahæ promissum fuerat, et cum juramento repromissum, quod itidem David juratum fuerat, venire oportebat, nec longius differri, quoniam sceptrum de Juda sic ablatum erat, et dux de femoribus ejus ita defecerat, ut contra legem Judæorum rex, imo tyrannus, sederet in regno homo alienigena, prædo, advena, extraneus, homicida.

CAPUT XI.

Præter Zachariam, Elisabeth, Simeonem et Annam prophetissam, multos fuisse qui adventum Christi exspectarint.

Qualis putas tunc mens habitis justis animabus C erat ? Quos autem ilius temporis justos esse dixerim, nisi illos qui fidem et spem sive exspectationem habebant promissionis ad Abraham, promissionis ad David, juramenti ad Abraham, juramenti ad David, qui videlicet David fidelis, Deum fortiter tenens, « miserere mei, » dixit, « ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris? « (*Psal.* L.) Talium unus vel notissimus de tempore illo Simeon nobis exstitit, qui in hac fide declamando et requirendo veritatem Dei, veritatem promissionis, in qua Deus major homine, sponte hominibus juravit, responsum accipere meruit non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini (*Luc.* II). Nunquid illo tempore solus promissionis ejusdem Simeon exspectator exstitit ? Erant utique et Zacharias et Elisabeth am- D bo justi, erat et Anna prophetissa, erant et Joseph et Maria (*ibid.*). Dicam adhuc : Nunquid quia solos istos notos nobis Evangelium fecit, nullus præter istos erat, qui exspectaret fidem et victoriam Dei, ut in sermonibus suis justificaretur, et vinceret cum judicaretur ? Utique, quamvis Herodianæ malitiæ nubes horrida cœlum obscuraret, non paucæ in cœlo erant stellæ, luminis ejusdem claritate fulgentes, ejusdem fidei pulchritudine lucentes et promissionis effectum suspirantes, clamabant animæ multæ quatenus in sermonibus suis verax et fidelis Deus appareret. Existimo quod mulier illa in utero habens, A ut sæpe dictum est, nullo unquam tempore magis parturiendo clamaverit, nunquam magis ut pareret, cruciata fuerit (*Apoc.* XII). Noli autem viventes in corpore fideles illius temporis homines solos debere intelligi corpus illius quam dicimus mulieris in utero habentis, imo universa dierum vel sæculorum Ecclesia, quando erit ab origine mundi progenita omnis multitudo animarum fidelium, tam in carne degentium quam deposito carnis onere apud inferos beatam spem exspectantium, hujuscemodi desiderii clamores emittebat, et hæc universitas propter unam eamdemque exspectationem, una mulier in utero habens existebat.

CAPUT XII.

Neque demonstrando, neque narrando, Christum pro dignitate indicari posse.

Quid jam dicendum, nisi quia mulier illa peperit filium masculum ? Hoc autem dicendo quomodo cupit animus immorari, et esse in contemplatione quasi magnæ, imo veraciter magnæ festivitatis, et triumphalis gaudii, pro eo quod Deus, qui promiserat hoc semen benedictionis, verax apparuit, et quo se impendet ? Quam in partem sermo noster sese aptabit, in demonstrationem aut in narrationem ? Si in demonstrationem se verterit, si partum illum, si filium vel masculum illum demonstrare voluerit, hoc tale est hodie ac si meridiano tempore cœlo sereno, sole clarissimo, fulgente in ascensu sui summo, digitum quis intendat oculos habenti et videnti, dicatque illi : Vide, ecce sol. Scriptum est enim : « In sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII). » Si autem vertat se in narrationem, veremur esse superflui, quoniam novi nihil dicturi sumus, quoniam non apud ignotos hæc dicta vel scripta deponimus, non ad ignaros vel cum ignaris ista conferimus. Vertat igitur se tota intentio sermonis ad jucunditatem, et aliquantulam cum jucunditate nitatur habere dignitatem, quatenus et ipse sermo plena fide, pleno fundatur ore, cum gratia humilitatis necessariæ, ut quisquis illa legere dignabitur, delectetur atque jucundetur propter laudem talis Filii, propter honorem tanti masculi, et propter gloriam Dei Patris, et honorem Spiritus sancti, de quo illa beata mulier concepit hunc et peperit. Ista sermonis jucunditas risum habebat illum, quem nomine suo Isaac significavit, beatæ senectutis et emeritæ fidei filius, qui typus filii vel masculi hujus exstitit, quem decrepita mater, scilicet antiqua Ecclesia pariens per uterum Mariæ Virginis, veraciter dicere potest, semperque dicit ac dicet : « Risum mihi fecit Deus (*Gen.* XXI), » quia talis Filius vere matri suæ risus est æternus. Dignitatem de prophetica sancti Spiritus facultate mutuabimur, de propheticæ gratiæ plenitudine sumemus, ubi vates eximius Isaias loquitur contra superbiam Assur.

623 CAPUT XIII.

Quod per Isaiam dictum est : « Egredietur virga de radice Jesse, » quomodo sit intelligendum.

« Et excelsi statura succidentur, et sublimes hu-

humiliabuntur, et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet (*Isa.* x). » — « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* xi). » Ecce qualis oppositio. Perspice condensa saltus, et libanum cum excelsis, inde virgam cum flore suo. Quantum est virga una florifera, comparatione saltuum condensorum, et montis Libani cum excelsis suis, quæ robore magno vel alta sunt, ut puta ligna cedrorum. Attamen quantum valent condensa saltus, et Libanus cum excelsis comparatione virgæ hujus, et ascendentis de illa floris? Siquidem condensa saltus, ferro subvertentur, et Libanus cum excelsis cadet : hæc autem virga et flos ejus totum suscepit, totum portat supernæ majestatis pondus, et non cadit, et non subvertitur. Dicamus manifestius, quamvis sub ista metaphora quales translatæ sint res, non ignoret mundus non taceat universus, qui in mundo est Ecclesiæ chorus. Perspice hinc gentium, quas per condensa saltus intelligimus, tyrannos ac duces, imperatores et consules: inde Judaicæ gentis quam per Libanum intelligi placet reges, et tetrarchas, atque summos sacerdotum principes, et inter istas altitudines sive magnitudines subortam humilem de domo David Mariam Virginem, Christum parturientem, Deum et hominem et magnam victoriæ Verbi Dei concipis admirationem, quod in hunc mundum ingrediens non quæsivit de altis vel sublimibus parentem habere quempiam, solum se sibi sufficere sciens absque opere humano contra illius Assur, id est diaboli, superbiam, ad obtinendum sibi regnum, ad possidendum David patris sui solium, imo Dei patris æternum imperium.

CAPUT XIV.

Tunc excelsa Libani cecidisse, cum Herodes alienigena regnaret, templumque subversum de novo ædificaret.

Ut taceam de gentium saltu, cujus condensa ferro tunc temporis Romani imperii passim subvertebantur, et subversa fuerant, ita ut totus jam sub illo imperio sileret mundns, quando flos iste de virga vel radice Jesse ascendit excelsa Libani, sive ipse Libanus. Quomodo ceciderunt circa hujus floris ascensum? Summum Libani verticem, ipsum intellige templum, quia scriptum est in Zacharia propheta : « Aperi, Libane, portas tuas, ut comedat ignis cedros tuos (*Zach.* xi). » Ipsas autem cedros vel excelsa Libani principes gentis, quorum gloriæ caput erat templum ipsum, quo augustius in mundo nullum fuit. Quomodo Libanus iste cum excelsis suis tunc cecidit, vel cadere cœpit? nimirum magni et irrecuperabilis casus ejus initium illud dicere non dubitaverim quod Herodes, quo regnante, ceciderat magnum excelsum regiæ dignitatis, ablatum quippe fuerat sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus. Herodes, inquam homicida multipliciter, imo et parricida, tyrannus, non rex, templum vetus quod reversi de Babylonia filii transmigrationis ædificaverunt, et victores Machabæi purificaverunt, post sexcentos annos deposuit, et aliud condidit. Unde illi hujusce operis præsumptio? Nunquid illud opus stare debuit aut placere Deo potuit? Si David fidelis de tribu Juda rex inventus et electus secundum cor Dei, domum Domino ædificare non debuit, dicente illi Domino : « Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et multum sanguinem fundens (*I Par.* xxviii), » quomodo iste non qualiscunque sanguinis effusor, verum etiam filiorum atque uxorum occisor, et domesticorum sive amicorum furialis interemptor, domum debuit ædificare Domino? Non igitur mirum quod ab impio factum de rapinis atque spoliis regionum ad tam miserabile tamque horribile pervenit excidium, quo post Christi passionem constat illud per Romanos irrecuperabiliter esse exterminatum. Hoc interim dictum sit quod tunc Libanus cadere cœpit, quando Herodes templum vetus deposuit, et aliud condidit, majus quidem, et duplo majus quam fecerant filii transmigrationis, sed hoc fecit, gloriam quærens suam, non Dei.

CAPUT XV.

Herodem, renovando templum, se Davidi et Salomoni impudenter comparari voluisse.

Bene, inquit, nostis quod istud maximo Deo templum nostri patres ædificaverunt, cum de Babylonia remeassent, et quia desunt ei ad magnitudinem in altum cubiti sexaginta, instar illius quod Salomon construxerat. Nemo negligentiam pietatis patrum nostrorum accusat. Non culpa illorum factum est brevius templum, sed Cyrus et Darius hujusmodi mensuram ædificationis fieri præceperunt. Nostri patres et parentum nostrorum dixit, quia videlicet Judaici cum non esset generis, se volebat haberi. Subsecutus, et hoc ait : Nunc autem quoniam nutu Dei principatui meo pax larga concessa est, divitiarum possessio, et multitudo reddit人uum, et quod maximum est, amicitia favorque Romanorum qui omnium rerum domini existunt, cur non studemus relictum necessitatis servitutis tempore opus corrigere et integrum Deo præbere pro beneficiis ejus meo regno collatis. Hæc dicens properavit, templumque in uno anno et mensibus quinque peractum est. Nonne homo ille, imo bestia sic loquens, et sic properanter faciens David fideli, et pacifico Salomoni regibus legitimis de tribu Juda regibus sese conferre, aut etiam præferre, contendit? At ille videlicet fidelis David nulli quidquam rapuit, nec de rapinis domum nomini Domini ædificare instituit, sed « Ecce, inquit, ergo in paupertate mea præparavi impensas domus Domini auri talenta centum millia, et argenti mille millia, æris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine, ligna et lapides præparavi ad universa impendia (*I Par.* xxii). » Hæc dicens, etiam dedit Salomoni filio suo descriptionem templi, et cujusque operis :

« Et hæc, inquit, omnia venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris (I *Par.* XXVIII). » Quod illum dicentem cum legimus vel audimus, nunquid non eum quoque, cum esset propheta, ejusmodi ostensionem vidisse arbitremur, ut diceretur ei, quomodo dictum est et Moysi de tabernaculo faciendo : « Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstravi (*Exod.* XXV). » Salomon quoque aurum et argentum non ex rapinis, sed ex Dei dono habuit. **624** Nunquid talibus ac tantis Herodes nebulo sese conferre debuit?

CAPUT XVI.

Quod populus super illius hominis opere nequaquam lætari, neque tanto peccatori debuisset adulari.

Super illius hominis opere populus omnis lætitia efferri, tantoque peccatori non debuit adulari, sed imprudens lætitia completus est, et primum quidem pro celeritate Deo gratias agebat, deinde de alacritate regis, quam in dedicatione habuit laudibus extollebat. Merito igitur risus eorum in fletum, et gaudium verti debuit in mœrorem. Verumtatem sciendum quia licet Herodes mutaverit parietes, et spectandos pro sua gloria magnos congesserit lapides, quos admirari poterant discipuli quoque Christi, dicentes : « Magister, aspice quales lapides et quales structuræ (*Marc.* XIII), » non tamen depositum vel mutatum fuerat altare. Quod si evenisset, multo amplius mirari possis homicidæ, imo parricidæ tantum licuisse, ut religionis caput, id est altare, ipse poneret, cui Christus, vel in quo Dei Filius homo factus, Deo Patri protinus cum bestiis legalibus præsentari deberet. Hæc breviter de templo sint, ut jam videat prudens laudator judiciorum Dei, quia præter causas alias, propter quas templum illud manere non debuit, ista quoque causa nocere potuit, ut non quomodocunque, sed nimis male, imo cum fragore, quem totus orbis audivit, caderet, quod ille fabricavit hominum hostis, inimicus Dei. Nunc ad susceptum sermo redeat propheticæ veritatis capitulum.

CAPUT XVII.

Quare Deus Herodem in regiam et sacerdotalem stirpem ita sævire permiserit, ut ne quidem filiis parceret.

« Et Libanus, inquit, cum excelsis cadet (*Isa.* X). » Jam diximus quia grande illius Libani excelsum ceciderat, in eo videlicet quod sceptrum de Juda et de femoribus ejus defecerat. Funestus Herodes regiam stirpem ferro exstirpabat, et exstirpare non cessabat. Undecunque regium quidpiam subintellexerat, quacunque ex domo vel etiam sua, imo maxime sua ex domo vel genitura regia quempiam æstimationis olfecerat, quamdam denique conjugem regiæ stirpis habuerat præter conplures alias, Mariamnem pontificis Hircani filiam, de qua et filios Alexandrum atque Aristobulum susceperat, omnino undecunque sive deforis sive deintus regale quidpiam sperare posse præsenserat, sæviebat, immanis bellua, simulque pontifices, et suo filios regales trucidabat, videlicet ne seipsum nimis cupide regnantem ulla posset inquietare persona per ullam ejusmodi suspicionem. Jam dubium quippe regia cum sacerdotali familia permista fuerat, et idcirco in utramque pariter ferebatur truculentus homicidia nulli sexui parcens, non ab uxoribus propriis, non a filiis occasione suborta ferrum differens, quoniam quidem ejus filii materno sanguine regiam contingebant progeniem. Unde ergo vinceres, Deus promissor fidelis, unde justificareris adimplendo quod promisisti et jurasti David, cujus spiritus clamare non desinebat in auribus tuis :« Miserere mei, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris? » (*Psal.* L.) Nimirum sciebas, et disposueras justificari et vincere ex loco humili, unde impurus Herodes, imo diabolus, cui serviebat Herodes, nihil posset suspicari, quod valere procedere ad celsitudinem throni. Hoc est quod continuo per prophetam subjunxisti : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ (*Isa.* XI), » et cætera.

CAPUT XVIII.

Virgam, Virginem Mariam, Christum vero florem esse, et cur de radice Jesse, non de radice David dictum sit.

Ubicunque Christiana vel catholica fides ipsa suis auribus audivit, et ipsa videt suis interioribus oculis, quod virga ista, virga gracilis et pulchra, virga humilis quidem, sed recta, est beata virgo Maria. Et flos qui de virga ista ascendit, fructus ventris ejus, est Christus Dei Filius, et Virginis filius est, in quo qui promisit Deus fidelis et verax inventus est, qui juravit Deus justus, et Deus sanctus comprobatus est. Quærendum vero hic est, cur placuerit Spiritui sancto dicere : « Egredietur virga de radice Jesse, » magis quam dicere de radice David sive Abrahæ, quibus promisit, quibus Deus juravit. Ad hæc inquam : Si dixisset, de radice David, victricem quidem pronuntiaret veritatem promissionis, sed ipsa dictio minus contineret sacramenti. Nunc autem plus habet mysterii, quia cum præconio veritatis tendentis in semen David, simul nos mittit in secretum paternæ domus ejus in rationem temporis vel dici, quo missus est propheta Samuel ad ungendum regem, quem projecto Saule providerat sibi Dominus in filiis Jesse, qui et Isai. Quomodo enim dictum, quomodo factum est :« Vitulum, inquit Dominus, de armento tolles in manu tua, et dices : Ad immolandum Deo veni. Timebat enim Samuel : Audiet, inquit, Saul et interficiet me. Et implevit cornu oleo juxta præceptum Domini, et ivit. Ad immolandum, ait, Domino veni : sanctificamini et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai, et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium. Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait : Num coram Domino est Christus ejus? Et dixit Dominus ad Samuelem : Ne respicias vultum ejus, nec altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem

intuetur cor. Vocavit Isai Aminadab, et adduxit Semmam, similiterque et alios filios suos, qui fuere septem numero, et non elegit Dominus ex istis. Ait Samuel ad Isai : Nunquid completus est numerus filiorum? Adhuc, inquit, Isai, parvulus reliquus est, et pascit oves. Jubente ergo Samuele, misit et adduxit eum. Qui cum venisset rufus et pulcher aspectu, decoraque facie : Surge, ait Dominus, et unge eum, ipse est enim (I *Reg.* XVI). »

CAPUT XIX.

Quid sacramenti fuerit in rebus gestis radicis Jesse, hoc est David, quod ad Christum pertineret.

Quidnam sacramenti latet in illis rebus gestis, nisi quod audivimus et subintelleximus in istis verbis propheticis : « Excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur, subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet (*Isa.* X). » — « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini (*Isa.* XI). » Denique cum iste sensus : Superbi et divites **625** relinquentur, et de puella humili sive paupercula promissio veritatis implebitur, simul per hoc dictum est de radice Jesse, vetus experimentum mentibus nostris adducitur, quod accidit Jesse reprobatis majoribus filiis ejus, et assumpto humili vel parvulo David qui erat minimus. Idem ergo est, ac si dicat : Quid miramini, quia dixi : « Excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur, » et humilitas exaltabitur? Similiter factum est in diebus Jesse. Vultuosus erat Heliab, et alta erat statura ejus, sed « abjeci illum, ait Dominus (I *Reg.* XVI). » Itemque ad reliquos magnos filios ejus secundum illorum similitudinem multi erunt, quando prophetia hæc implebitur, « excelsi statura et sublimes in gloria, » tam de regali quam de sacerdotali prosapia, potentes viribus, et valentes armatos producere exercitus. Sed nullum de illis elegit Dominus, nec ad implendum promissionis suæ verbum opus habebat sublimitate hominum, altitudine aulicorum in curribus et in equis exsultantium, qui in multiplici favore hominum, in multivago plausu popularium, et non in Domino confidunt, et tunc minimus filiorum Jesse, parvulus David complacuit, et postmodum humilis ancilla Domini præ cunctis hominibus emissa in spiritu humilitatis Altissimo complacebit, ut ex ipsa compleatur promissio nascente Christo, ac si de virga gracili spectabilis ascendat flos. Præterea sicut illic, prætenta immolationis festivitas et adductus de armento vitulus occurrentibus Samueli senioribus civitatis, et admirantibus adventum ejus, causam subtexit, ne audiret Saul : ita et hic desponsatio Virginis sive consueta nuptiarum solemnitas, et Joseph maritus puellæ nominatus, diabolum fefellit, et cunctos satellites ejus, ut erant Herodes et complices ejus, ut nescirent sacramentum, cujus sciendi nondum erat tempus.

A

CAPUT XX.

Laudabile Dei consilium esse, quod in humilitate diabolum atque Herodem fefellerit, et ars artem luserit.

Apud Maronem jocatur quispiam gloriabundus, et dicit :

Nil refert armis contingat palma dolisve (4).

Profecto sententia hæc ad hujus palmæ sive victoriæ rationem non valet. Multum quippe refert, multo melius et valde utilius est, Deum vel Dei Verbum sic vivisse, vel ad procedendum procedere, ut in toto prælii congressu ars artem falleret, quam si de nobilibus atque potentibus carne assumpta, materialibus armis eorum contra homines impios dimicaret, quomodo invisibilis, et nondum homo factus per B Machabæos, aliosque fortes atque fideles viros dimicavit, et armis paucorum sæpe multa millia peremit. Hoc itidem facere poterat, ut incarnatus de aliqua sive Hircani tunc temporis pontificis, sive alicujus cæterorum filia, bellica sibi ob defensionem veritatis adhiberet instrumenta, meliori proventu quam vel Machabæus vel ipse David unquam pugnaverat, ut, verbi gratia, persequeretur unus mille, et duo fugarent decem millia (*Deut.* XXXII). Multo melius, inquam, est, quod ars artem fefellit, quam si res acta fuisset armis ejusmodi : « Non, inquit, in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum (*Zach.* IV). » Hoc erat verbum Domini ad Zorobabel apud Zachariam prophetam, ubi septem oculos super lapidem unum, et septem lu- C cenas super unum candelabrum vidit, quæ non erant aliud quam septem spiritus Domini, requiescentes super hunc florem unum.

CAPUT XXI

Quam utile nobis fuerit, Christum e paupere Virgine matre nasci.

Nulla potest verbis lingua consequi, imo nec cujusquam cogitatu comprehendere mens hominis, quanta nobis commoda provenerunt ex eo quod humilitas divinitatis, humilitas Verbi Dei, non divitem, sed pauperem Virginem matrem sibi elegit, quod ancillam suam respexit, tanto apud se coram divitibus vel superbis humilem, quanto constat excelsis Libani cedris minorem esse virgam quamlibet, de radice D vetusta egredientem. Si enim parentes Christus divites elegisset, quis hodie pauperibus in Ecclesia Christi locus esset? Nunc autem et « potentes Deus non abjicit, cum et ipse sit potens (*Job* XXXVI), » et sæpius in hoc mundo pauperes elegit, cognoscendo illos in benedictionibus suis, id est præclara illis dona tribuendo Spiritus sui, qualia nimirum divitibus habentibus consolationem suam rarius concedit. « Videte, » inquit Apostolus, « vocationem vestram fratres quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapien-

(4) Forsan alludit auctor ad vers. 390 Æneid. lib. II : .... *dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*

tes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat A fortia ; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus (*I Cor.* I). » Ergo pauperibus et infirmis sæpius cœlestia vocationis suæ dona largitur Deus abundantius. Et ista consideratio pulcherrimam nobis effecit considerationem patris optimi, qui notum et verum habet testimonium, quod spiritu omnium justorum plenus fuerit. Qui minus indiget, inquit agat Deo gratias, et non murmuret. Quid vero plus indiget, tribuatur ei, et humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia. Nimirum, cum hæc dicit, hanc sentimus esse imitationem Dei qui spiritualia sua dare abundantius consuevit plus indigentibus, scilicet pauperibus infirmis ignobilibus, ut B secundum multitudinem dolorum in corde ipsorum, consolationibus hujusmodi lætificentur animæ ipsorum (*Psal.* XCIII).

CAPUT XXII.

Laudat incarnationem Verbi ex psalmo Davidis, « Eructavit cor meum verbum bonum. »

Qua voce, quibus vel quantis laudibus, floris hujus de virga ejusmodi ascendentis pulchritudinem prædicabimus, unde verba sumemus ?Nos pene muti, pene infantes ad tantæ dignitatem rei, ubi pulchritudo cum fortitudine, fortitudo cum pulchritudine floret ac viget, cujus ipse Spiritus sanctus laudator est, quid eloquemur ita ut secundum nostræ mentis intentionem ipsum audire delectetur ?Sumamus ali- C quid non de nostro quod nusquam est, sed de plenitudine ipsius, qui omnes sanctos adimplet, de thesauro boni cordis, thesauro jucunditatis et exsultationis, quem super prophetam, hujus Verbi sui, super prophetam, patriarcham, et regem thesaurizavit, dicentem in persona ipsius Dei Patris : « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, » statim ipse Propheta ex sua persona succinit : « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere **626** gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna, » etc. (*Psal.* XLIV.) Putet se anima paupercula nunc ad fontem sermonis venisse, D unde haurire possit quid loquatur ad gratiam floris hujus speciosi et pulchri pro bona intentione, magis delectandi quam docendi intentione, O tu, quicunque hæc legis vel audis, me existimato immorari, quia dulce est pulchrum et pium etiam nota replicare atque frequentare de forma speciosi, de specie et pulchritudine formosi atque potentissimi gladio suo super femur suum accincti, prospere procedentis atque regnantis, quem in veritate, in mansuetudine et justitia mirabiliter dextera sua deducit, cadentibus sub ipso populis in corde suo, quia crucifixi sunt sagittis suis acutis, sagittis dictorum ejus salutiferis, ut doleant quod olim fuerunt inimici regis, eumque adorant cadentes, cadant in facies suas eum adorantes.

CAPUT XXIII.

Quomodo verbum Davidis intelligendum sit : « Lingua mea calamus scribæ. »

Pariter assumptis utriusque testimoniis, et illo Isaiano, et isto Davidico, primum contemplari libet hoc dictum Dei Patris : « Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis (*Psal.* XLIV). » Lugni amDei Patris Spiritum sanctum promptum est intelligi, quia, sicut lingua carnis administrat verba homini, ita Spiritus sanctus animæ credulæ suggerit verba Dei. Unde et quando super apostolos Christi descendit, quos nimirum eatenus homines sine litteris et idiotas, et deinceps peritos et eloquentes facere veniebat, in linguis igneis apparuit (*Act.* II, IV), confestim cur ita apparere voluerit, sequens affectus indicavit. Facti sunt namque charitate et zelo bono fortes ac servi Dei, quod significaverat ignis. Facti sunt eloquentes variis linguis, et Scripturarum periti, quod linguarum dispartitio præsignavit. Cum igitur dicit in isto quidem. « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis : » Per illum autem : « Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI) : » manifestum est de Christo, quod vere Deus sit, et quod veraciter habitet in ipso plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II), quamvis in hoc tempore, cum fides Christiana sit firma, et hæc assertione non indigeat, cum fide necessaria delectabile et utile est etiam competentem habere scientiam. Natura humana de virgineæ carnis substantia sic est assumpta velut membranula munda et bene accurata, scriptorioque operi accomoda, et ipsa lingua Patris, id est Spiritus, sanctus, velociter percurrit, velociter tanquam calamus scribæ totam perscripsit, totam Verbi substantiam replevit, nihilque residui fuit, sed totum quod erat in corde Patris, illi animæ inscripsit, totamque sapientiam, totumque intellectum, totumque consilium, totamque fortitudinem Dei, totam scientiam, totamque pietatem Dei, et totum timorem Domini, ut nihil esset quod non sciret, nihil quod non posset ; nihil in Deo Patre quod non haberet humana pueri hujus natura, unde et Deus est.

CAPUT XXIV.

Quomodo intelligendum : « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. »

Hoc intelligimus esse quod ait ipsa persona Patris : « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi (*Psal.* XLIV) : » res magna, dictum autem non valde magnum rei comparatione. Quid enim hoc dictum « eructavit ? » quid magnificum est ? Inter nos, dico, eructat quisque nostrum, dum saturatus est, sed esuriens quispiam ructu alterius saturatus non est. Dicit aliquis opus suum, sed qui audit, non statim consequitur auditi operis effectum, ut faciat similiter quidquid ab illo factum est. At ille qui hæc

loquitur: « Eructavit cor meum verbum bonum, » qui ait, « dico ego opera mea regi, » bonum illud verbum, ipsam boni Verbi substantiam tota plenitudine edidit in uterum Virginis, et regi, id est homini, quem formabat de utero ejusdem Virginis, opera sua sic indidit, ut sit et ipse opifex sive artifex non dissimilis ; magna hæc et mira prædicantur per hæc duo verba exigua : « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego, » etc. Solent grammatici vocare tropum, quem dicunt tapinosin, qui modus locutionis humilitas est magnæ rei, velut si mare intendens dicat gurgitem, si vastum montem, dicat tumulum vel collem. Equidem non ausim in majesstate tantæ rei declamare nænias, istas, verumtamen nusquam reperiri existimo locutionem, in qua voces rebus quæ significantur tanto impares sint, ut sunt in locutione præsenti. Ut quid igitur taliter dictum est, imo quomodo diceretur taliter quam dictum est, ubi enim verba invenirentur ad rem sufficientia, quæ intelligitur ? Sit quidem in verbis defectus, sed eumdem defectum ipsam vocum minoritatem si rite perpendis, studiosa mens ædificat. In quo ? in eo videlicet ut animadvertat opus quidem grande, sed Deo non difficile. Quis enim homo plenus edulio fatigatur eructando ? Sic nimirum Deus Pater bono plenus verbo non laboravit, humanæ naturæ illud inserendo.

CAPUT XXV.

Quare Deus incarnari, et non potius per angelum genus humanum salvare voluerit.

Hoc opus bonum fecit Deus, summe potens, summe bonus, hoc est, quod promisit, quod juravit ad Abraham, juravit ad David. Tanquam summe bonus, sponte promisit, sponte juravit ; tanquam summe potens adimplevit. Denique sicut summæ bonitatis est quod hoc facere voluit, ita summæ potentiæ est quod hoc facere potuit. Diligenter animadvertendum, solent enim nonnulli dicere : Ut quid Deus, Dei Verbum, venit per semetipsum, et homo factus est, ad salvandum genus humanum, cum hoc idem fieri potuisset per alium ? cur non potius misit aliquem legatum ? cur non misit angelum sive archangelum? Ad hæc inquam, videlicet, quia nulli alii, nulli nisi soli naturæ divinitatis hoc fuit unquam possibile, assumere quod non erat, et manere quod erat. Et unde illi hoc possibile, videlicet quia natura vel substantia divinitatis tanto subtilior est anima rationali, ut eam penetrare possit. Fideliter hoc inter cætera Patres catholici sumpserunt et scripserunt pro argumento veritatis contra hæreticos, quod Spiritus sanctus æque ut Pater et Filius **627** Deus sit, quoniam et ipse humanæ animæ est capabilis, et capax ejusdem animæ rationalis. Nisi enim Deus esset, neque humano, neque angelico spiritui capabilis esset. Proinde notandum quod quamvis dicatur quis plenus dæmonio, non sic implet hominem ille spiritus, ut penetret animam ejus, sed cavernas corporis irrepere potuit, quo ebrietas sive febris, animamque deprehensam in suis sedibus exagitat atque affligit. Solus Deus, A unus Deus, Pater, et Filius et Spiritus sanctus, cum vult et prout vult, rationali animæ vel spiritui sese infundit et in eo mansionem facit. Frustra igitur dicit, vel quærit quis, cur non legatum vel angelum miserit, sed per semetipsum, ad salvandum genus humanum, venerit Deus, Verbum Dei, quia videlicet naturam induere humanam non potuit nisi sola natura Dei, unde sicut bonum, quia voluit, ita omnipotentem prædicamus, quia potuit.

CAPUT XXVI.

Christum salva Matris virginitate natum esse.

Quid de salva Matris virginitate dicemus ad laudem ipsius ? Contra naturam, Judæus inquit, virgo parere non potuit. Nos autem credimus, propter quod et loquimur, quia talem filium supra B naturam virgo parere potuit. Non dicimus contra naturam, quia non est naturæ injuria, sed dicimus supra naturam, quia naturæ est gloria. Quæ ratio est dicere quod non potuerit quidquam supra naturam, qui fecit naturam ? Per Verbum omnia facta sunt : si omnia, profecto et natura feminea. Ergone fortior esset natura, quam is per quem facta est natura ? Nimirum recte sapit homo rationalis, ut dicat, quia, qui omnia fecit, et ipsam naturam, consequenter omnia vincit, et ipsam naturam. Quod si Judæo vel Manichæo magnitudo miraculi ad incredulitatem provehit, quid, rogo, magis mirum, id quod assumptus vel formatus est homo de terra animata et sensibili, an quod homo plasmatus est de terra inanimata et insensibili ? Denique, terram C animatam, et sensibilem Mariam dixerim, quoniam de terra et ipsa et nos sumus facti. Porro terra, de qua primus homo plasmatus est, inanimata sine dubio fuit et insensibilis. Nonne ergo plasmatio primi Adam, plasmatione secundi mirabilior fuit ? Si quidem materia vivens, et sensibilis, id est femina, quamvis virgo vicinior est huic operi, quam fuit illa materia neque vivens, et sensibilis. Igitur illa quidem plasmatio mirabilior, sed ista venerabilior.

CAPUT XXVII.

Quid sit « speciosus forma præ filiis hominum, » et gladio super femur accinctus.

Ecce speciosus forma, ecce potentissimus gladio suo super femur accinctus (*Psal.* XLIV). Agnoscendus est, cujus victoriam prædicamus, cujus D triumphalem currum laudando subsequi optamus, olim Verbum, nunc et caro ; olim Deus, nunc et homo « speciosus, inquit, forma. » Quid est forma ? Divinitatem. Divininitas namque forma est, forma namque formatum, forma carens materia. Divina substantia, sicut ante nos dictum est sine materia forma est, atque ideo unum est, id quod est, repliqua non sunt id quod sunt. Unumquodque enim habet esse suum ex his ex quibus est, ut cum homo terrenus constet ex anima et corpore, corpus et anima est, non vel corpus vel anima in partem, igitur non est id quod est. Quod vero non est ex hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vere est id quod est, et

est pulcherrimum fortissimumque, quia nullo nititur : Igitur « speciosus forma, » id est speciosus secundum divinitatem. Istam ejus speciositatem, qua « speciosus » est « præ filiis hominum, » qui utique dii natura non sunt, soli amatores ejus vident, soli videbunt regem in decore suo, videbunt oculi ejus qui dilligunt eum. « Et ego, inquit, manifestabo ei meipsum (*Joan.* XIV). » Quid porro est gladius, quo accinctus est iste speciosus, iste potentissimus? nimirum unum idemque Verbum Dei, Verbum Deus, forma est speciosi, gladius est potentissimi. Nam unus est sermo Dei, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV) : igitur, ut jam dictum est, ecce speciosus, ecce potentissimus, speciosus ut flos, potentissimus ut gigas, cujus « a summo cœlo egressus et occursus ejus usque ad summum ejus (*Psal.* XVIII), » talis in hunc mundum ingredietur visibilis factus, visibiliter pugnaturus, qui prius invisibilis invisibiliter præliabatur, pugnaturus nova belli specie, scilicet non exercitus neque in robore, sed in spiritu suo (*Zach.* IV), dæmonia potens ejicere. Hunc florem speciosum, hunc regem potentissimum alibi sancta Scriptura prædicat, « Agnum habentem, inquit, cornua septem et oculos septem (*Apoc.* V), » scilicet septem spiritus, qui super florem requiescunt, sed de Agno, qui et vincens Leo, postmodum suo loco erit dicendum.

CAPUT XXVIII.

Sicut septiformis Spiritus super florem requieverit, ita septemplici laude psalmus hic Regem Christum canit.

Nunc delectat breviter intueri utrum, sicut spiritus isti omnes super florem requiescunt, ita secundum singulos eorum proprium quid in psalmo sive in cantico prælibato dicatur, ad regem speciosum, regem potentissimum. « Dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis (*Psal.* XLIV), » dicta hæc esse secundum spiritum sapientiæ et intellectus, non indiget assertione nostra, quia manifeste ubi Filio Regi Pater Deus sua dicit opera, ibi sapientia, et ibi lingua ejus operatur, ut scribæ calamus, ibi intellectus. « Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, » etc. « Et deducet te mirabiliter dextera tua (*ibid*), » hæc intelligimus decantari secundum spiritum consilii; et fortitudinis. Consilii namque fuit, quod videns Deus non posse nos ex nostris operibus justificari, et omnes sub peccato esse conclusos, diffudit gratiam, id est peccatorum remissionem gratuitam in labiis hujus speciosi, et propterea hunc benedixit in æternum, fecitque nasci sanctum, et ab omni peccato mundum, ut efficaciter in labiis ejus ista gratia diffunderetur, diceretque peccatrici, quæ erat una et universa Ecclesia : « Dimissa sunt ei peccata multa, » non quia operata est multum, sed « quia dilexit multum (*Luc.* VII). » Accingi gladio super femur, prospere procedere et regnare, et sua dextera deduci mirabiliter, sine dubio fortitudinis opus sive effectus est. « Sagittæ tuæ acutæ (*Psal.* XLIV), » quid est, nisi, Tibi in doctrina sive prædicatione semper Scripturarum paratæ sunt sententiæ, quibus confixa corda illorum, qui fuerant inimici, credunt, et acquiescunt veritati, et cadunt adorando te facti amici. Ergo pertinere hæc ad spiritum scientiæ, non dubium est. « Unxit te Deus, Deus tuus, **628** oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*ibid.*). » Oleum istud profecto spiritus pietatis est. Oleos Græce, *misericordia* latine. Nihilominus « et concupiscit rex decorem tuum (*ibid.*), » ad eumdem spectat pietatis spiritum. Nam Regis hujus concupiscentia non aliud est, nisi pietas. Hoc est oleum, quo unctus speciosus iste Rex, ut in multitudine misericordiæ benedictus adveniret, concupiscentiam habens animarum perditarum, per blandimenta misericordiæ convocare illas ad suum salutis æternæ triclinium. Spiritus timoris Domini in eo non est, ut timeat, sed ut timeatur, et ut circa ipsum religiosa sanctitas, sancta et timorata sit religiositas. Huc pertinet illud : « Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Adducentur Regi virgines, afferentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum Regis, et populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi (*ibid.*). »

CAPUT XXIX.

Quare non dictum sit, manebit, sed « requiescet super eum Spiritus Domini. »

Unum est adhuc ejusdem capituli verbum, in quo tenemur, ne jam processum regis prosequamur, ne jam partum beatæ mulieris qualiter devorare voluerit draco ille narremus. Quod est illud verbum? « Et requiescet, ait, super eum Spiritus Domini (*Isa.* XI). » Non dixit, et manebit, sed requiescet dicere maluit, nec dubium est, quin aliquid plus significet quam si dixisset, manebit. Attendamus quia sermo propheticus est. « Cui, inquit Petrus apostolus, benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris (II *Petr* II). » Ecce locus quidam occurrit caliginosus quidem, sed ita lucernæ hujus, id est prophetici sermonis flammula clarum illum nobis facit, et tanquam lucifer diem intelligentiæ adducit. In deserto loquente Domino ad Moysen, sacerdotio fungente Aaron, Chore, Dathan et Abiron, aliique proceres Synagogæ steterunt adversus Moysen et Aaron, stetit omnis globus eorum contra Dominum. Unde et propter exsecrabilis superbiæ malum, non consueta hominum morte interierunt, sed novam rem fecit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiret eos, descenderuntque viventes in infernum, quia blasphemarunt Dominum. Præterea, ignis egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta vivos, qui offerebant incensum (*Num.* XVI). Deinde : « loquere, ait Dominus, ad filios Israel, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum virgas duodecim, et uniuscu-

jusque nomen superscribes virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in tribu Levi : quem ex his elegero, germinabit virga ejus, et cohibebo a me querimonias filiorum Israel, » etc. (*Num.* XVII.) Factum illud in lege, quod germinavit virga Aaron, et turgentibus gemmis eruperunt flores, et cum foliis fructus, atque ita cessavit superbia de sacerdotio conflictantium (*ibid.*) : illud, inquam, factum in lege, confert cum isto vaticinio prophetæ, quia, dum invehitur contra superbiam Assur, « Excelsi, inquit, statura succidentur, et sublimes humiliabuntur, et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet (*Isa.* X), » et subaudire licet, sicut succisi vel humiliati sunt, sicut subversi sunt, et ceciderunt Chore, Dathan, Abiron, et complices eorum, statimque subjungit : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini (*Isa.* XI). » Nimirum et hic subaudiri decet, sicut ascendit flos de virga Aaron, et sicut requievit, id est ab ira sua cessavit, et placatus est Spiritus Domini, quem exacerbaverant murmuratores et superbi.

CAPUT XXX.

Præter Christum neminem fuisse super quem requievisse Spiritus Domini dici posset.

Igitur secundum illam similitudinem intelligendum est quod ait : « Et requiescet super eum Spiritus Domini (*Isa.* XI). » Nam ibi quidem aliquanta fuit similitudo. Hic autem res est multo amplior. Ibi virga insensibilis flores et folia supra naturæ usum producens, atque nuces, id est querelas paucorum rebellium cessare fecit. Hic virga sensibilis, virga, id est Virgo sive uterus virginalis, florem scilicet jam dictum speciosum Regem pariens, superbiam diaboli percussit, superbiæ culpam de toto genere humano correxit, et iram Dei, quæ proinde supervenerat, avertit, placatumque Deum nobis reddidit. Itaque super hunc florem requiescet, ait, Spiritus Domini, id est, propter Christum mitigabis omnem iram tuam, Domine, et avertes ab ira indignationis tuæ (*Psal.* LXXXIV). Nunquam enim te inquietabit flos iste ; mitis quippe est et humilis corde. Et Moyses quidem mitis erat super omnes homines

A qui morabantur in terra (*Num.* XII), sed non ut hic, non ita semper, non ita impassibiliter. Vexatus enim et exacerbatus distinxit in labiis suis (*Psal.* LV) ; distinxit, et Dominum non glorificavit. Ad quas contradictiones loquendo, non sicut mitis, et aliter quam voluisset audiret Spiritus Domini, quia locutus est verba incredulitatis. Propterea Dominus ad Moysen et Aaron : « Non introducetis, ait, populos istos in terram, pro qua, juravi patribus eorum (*Num.* XX). Iste nunquam distinxit in labiis suis, imo cum male tractaretur, non aperuit os suum, et sicut ovis, sicut agnus coram tondente se obmutuit (*Isa.* LIII). Dignus ergo qui populum introduceret in veram repromissionis terram.

CAPUT XXXI.

B *Sicut virga Aaron, ita et virga Jesse, superbi certaminis finem fecit.*

Multum est quod de Scripturis admota clarificat lucerna verbi hujus prophetici : « Et requiescet super eum Spiritus Domini (*Isa.* XI), » sed in ejusmodi diutius immorari præsentis non est propositi. Verumtamen, ut proposita similitudo decentius explicetur, hoc solum adhuc dicere libet, quia, sicut contigit superbis illis, contra quos in deserto, ut jam dictum est, virga floruit, ut nova et insolita perditione perirent, ita contigit excelsis et sublimibus illis, quorum temporibus egressa est virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit, ut dissimili casu caderent, et interitu suo dissimiles cæteris hominibus, quicumque bello interierunt, exi-
C sterent. Testatur hoc Josephus, qui miserabile illorum describens excidium, dicit de illis : « Singulatim quidem iniquitates eorum narrare non potero. Ut autem breviter dicam, neque aliam civitatem unquam talia perpessam esse puto, neque ullam nationem post hominum memoriam malitiæ ferociorem fuisse. » Et alibi : » Denique omnium post condita sæcula res adversas, si cum Judæorum calamitatibus conferantur, superatum iri non ambigo, et horum auctor nullus externus est. » Erant quippe isti maxime de patre Assur, id est diaboli, contra cujus altitudinem virga ista ascendit cum flore, id est Virgo humilis cum filio suo miti et humili.

LIBER DUODECIMUS

629 CAPUT PRIMUM.

Beatam Virginem Mariam mulieris in utero habentis, parturientis, et ut pariat clamantis, non minimam partem fuisse.

Dictum jam, et adhuc dicendum est quia « Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret (*Apoc.* XII). » Hic jam nomen mulieris duplicem sensum habet. Antequam esset beata Virgo Maria, ante, inquam, et longe
D prius erat mulier, quam in sacramento sentimus, id est Ecclesia, et utique prægnans mulier mente gravida, gerens Verbum promissionis, sicut jam sæpe dictum est. At vero propria et usitata significatione secundum sexum Maria mulier exstitit, quamvis virgo, dicente Apostolo : « Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege (*Gal.* IV). » Mulier hæc, sive hoc humani generis individuum, mulieris illius pars est, quam dicimus

Ecclesiam, id est credentium collectionem universam. Ubi ergo mulier ista, id est Virgo Maria, peperit, totam Ecclesiam peperisse quis nescit? Propterea dicimus universi : « Puer natus est nobis, et filius datus est nobis (*Isa.* IX). »

CAPUT II.

Draconem etiam Mariæ filium devorare voluisse.

Quid porro fuisset devorari filium ejus? Nimirum ita mori, vel occidi, ut periret nomen ejus. At illud sextum caput draconis, illa bestia terribiliis, non sicut dentibus magnis, dentibus suis ferreis, ea quæ circa corpus sunt bonorum sive malorum comedere sive comminuere atque conculcare potuit, ita etiam in causa ista, suimet agitatori diabolo satis facere prævaluit Herodes, cujus præcedenti libello mentio facta est, qualiter quæsierit puerum ad perdendum eum quis nescit, et quis non audivit? Plane impius ille Romani satelles imperii, nec impietatis crimine vacuus est Augustus ipse, qui ad suggestionem ejusdem Herodis tam pronus exstitit, ut concedere illi quoquo pacto regem perdere quem natum audierat, tanquam regna hominum rex ille tollere haberet, quod ita non erat. Crudelitati stultæ, crudeli ejus stultitiæ mulier sæpe dicta de incolumitate filii sui secura, jam dudum exprobravit et exprobrare non cessat :

Non, inquiens, *eripit mortalia*,
Qui regna dat cœlestia.

Crudelitas Herodis Romana potestate facti regis tam cito in Romanum imperium redundavit. Nec enim tot pueros impune occidere potuisset, nisi Romanæ potentiæ licentiam, vel consensum Augusti Cæsaris habuisset. Sicut, cum voluit, inde permissum accepit proprios trucidandi, ita prætento metu ne fideret subimet vel Augusto de mutatione regni, sive imperii, concessionem adeptus est tot pueros occidendi, quotquot in Bethlehem et in omnibus finibus ejus per duos annos fuerant nati. Futurum quidem erat, ut per manus Romanorum rex iste occideretur, sed nondum erat illius rei tempus, nec sic faciendum erat, ut devoraretur filius masculus, id est non ita mori habebat, ut periret nomen ejus.

CAPUT III.

Quare diabolus Christum Herodi prodere non potuerit.

Sic Herodes egit, et sic peragere voluit, ut vere unus vel præcipuus diaboli filius, de qualibus ait Filius, vel masculus iste : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere (*Joan.* VIII). » Quæ vel qualia desideria? « Quæritis, ait, me interficere (*ibid.*) : » hoc est desiderium patris vestri. Propter hoc desiderium « ille homicida erat ab initio (*ibid.*), » quia videlicet veritatem, id est meipsum, odit ab initio, quod odium nunc in me factum mortalem hominem, desiderat complere homicidio. Hoc erat desiderium illius, quod Herodes volebat tam cito facere desiderium patris sui, desiderium diaboli. Dicit aliquis : Si pater ejus diabolus hoc jamdudum desiderabat, cur non statim puerum prodebat? Cur eum a magis illudi permittebat? Nunquid nesciebat? Nunquid spiritus ille non confectus carne percipere non poterat natum esse hunc regem, nisi venissent homines de longe, et fecissent Herodi, omnique Hierosolymæ turbationem sive metum, dicendo : « Ubi est, qui natus est rex Judæorum? (*Matth.* II.) Ad hæc inquam : Plane sciebat, sed non sinebat eum loqui puer ipse, qui natus erat. Hoc aliunde facile potest probari. « Exibant, inquit evangelista, dæmonia a multis clamantia et dicentia : « Quia tu es Filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum (*Luc.* IV) : » et recte non sinebat ea loqui, quia profecto pro malo loquebantur, scilicet, ut invidiam facerent illi. Igitur et tunc natum illum esse diabolus sciebat, et filium suum Herodem hoc scire desiderabat, sed natus infans eum loqui non sinebat. Nam nisi prohiberetur eodem modo quo alibi dicit : « Scio, quis sis : Sanctus Dei (*Marc.* I), » scilicet per energumenum, dicere potuisset illi dolenti, quod esset illusus a magis : scio ubi sit Sanctus Dei, sive, scio ubi sit rex ille quem quæris.

630 CAPUT IV.

Christum a diabolo, non ut cognosceretur, sed ut corrumperetur tentatum fuisse.

Sed dicit aliquis : Si illum sciebat diabolus, ad quid instabat experimentum quærens, et dicens : « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant? (*Matth.* IV.) » Quemcunque res ista movet, scire debet quia fecit ut tentator vel ut corruptor. Nam ille est qui semper hac intentione tentat ut corrumpat: plane non quærebat ut cognosceret quasi incognitum, sed ut corrumperet cognitum. Quid autem est corrumpere, nisi similem vel conformem facere? Horrendum quidem auditu hoc est, sed adhuc in deterius processit, dicendo ad ultimum : « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me (*ibid.*). » An non dicit et Apostolus de illo : « Qui adversatur, et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur? (*II Thess.* II.) » Non expavescat pius ac fidelis animus perpendere quantus sit præsumptor diabolus, quia videlicet cognoscendus est ex hominibus, qui judicandus est ab hominibus. « An nescitis, » inquit idem apostolus, « quia et angelos judicabimus? (*II Cor.* VI.) » Cum igitur dicit ille, utpote tentator, id est corruptor : « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant, » perpende quia sibi conformare, sibi similem facere Deum intendebat ille Satan. Quomodo per hoc sibi conformem faceret dicentem ut lapides illi panes fierent? videlicet, quia et qui mendaciter dicit de seipso quod non est, et qui jactanter et pro vana gloria monstrat de seipso quod non est, similes sibi sunt, testante ipso Domino, qui reversis septuaginta duobus et cum gaudio dicentibus : « Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo (*Luc.* X), » (quod utique verum erat), statim tam fortiter quam suaviter tetigit eos, dicens : « Videbam Satanam sicut fulgur

de cœlo cadentem (*Luc.* iv), » quo videlicet dicto breviter innuit, quod multi ex ipsis secundum Satanæ similitudinem propter vanitatem casuri vel retro abituri essent. « Multi enim discipulorum ejus, ait Joannes, abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant (*Joan.* vi). » Porro diabolus mendaciter de semetipso, et in cœlo dixit, et in terra nunc usque contendit dicere, quod non est, scilicet quod sit Deus. Dominus autem Filius Dei erat, et est, sed, ut hoc illi miraculis demonstraret, nulla esset causa, nisi jactactia seu vana gloria. Nunquid enim diabolus adoraret, ut salvus fieret, si apud illum se Filium Dei esse taliter comprobaret? Igitur miranda diaboli præsumptio, qui non cententus dixisse olim : « Ero similis Altissimo (*Isa.* xiv), » similem sibi Altissimum nisus est facere tentando. De hoc quod in deterius proficiens præcipitium suasit, et deinde sibi quoque illum substernere tentando, suadendo, ut se adoraret, miretur qui potest et animadvertat quia vere magnum diaboli judicium est.

CAPUT V.

Qua de causa Christus non solum dæmoniis, verum etiam apostolis, ne se proderent prohibuerit.

Nunc ad id redeo quod cœperam, scilicet quia, increpans dæmonia, non sinebat ea loqui quod sciebant, videlicet ipsum esse Christum. Nunquid vero tantummodo dæmonia super hac re prohibebat vel increpabat, et loqui non sinebat? Imo et amicos homines super eadem re prohibebat. Exempli gratia. Cum interrogasset discipulos suos, dicens : « Quem dicunt homines esse Filium hominis? » itemque : « Vos autem quem me esse dicitis? » et ad hæc respondens Simon Petrus dixisset ei : « Tu es Christus Filius Dei vivi, » illum quidem beatificavit, dicens : « Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis, » etc. (*Matth.* xvi.) Sed « tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Christus (*ibid.*) » Quare? videlicet, quia futurum erat ut, postquam regium hoc nomen de ipso publice prædicaretur, nulla mora interficeretur, inimicis Judæis gaudentibus, utpote grandi ratione armatis, forti occasione suffultis, quod essent amici Cæsaris, interficiendo illum, qui se dicendo regem Christum, contradiceret Cæsari, quem, si non interfecissent, non essent amici Cæsaris. At ipse nolebat locum dare vel occasionem facere homicidis illis, priusquam omnia condidisset instrumenta benedictionis, quæ pervenire debebant ad nos gentes, juxta verbum promissionis ad Abrahem : « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* xxii). » Et idcirco morti, vel ministris mortis præcipiebat, ut exspectarent, exempli gratia, ut tetrarchæ Herodi. « Accesserunt ad eum die quadam Pharisæorum quidam dicentes : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis : Ite, dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor (*Luc.* xiii). » Quod erat dicere : Hoc anno et sequenti regnum Dei prædico, et anno tertio per passionem mortis summa gloria summo honore coronabor. Neque enim in potestate vulpis est, quando devoret leonem, non in potestate fradulenti humuncionis est, quando interimat vitæ et mortis Dominatorem. Igitur, tanquam sapiens, amicis seorsum indicabat, inimicis autem usque ad tempus abscondebat, quod ipse esset Christus, tanquam sapiens, imo et ipsa sapientia, quæ dicit : « Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles, ne forte insultet tibi cum audierit, et exprobrare non cesset (*Eccli.* xxv). » Item : « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo (*Prov.* xxv). »

CAPUT VI.

Quare Judæi an ipse Christus esset quæsierunt, et quare ipse ante passionem semper obscure responderit.

Si totam percurras evangelii seriem, nusquam reperies quod se in publico Christum nominaverit, nusquam invenies quod ante statutum passionis suæ tempus regem se esse dixerit, aut dici permiserit. Verumtamen quia veritati testimonium perhibere debebat (nam ad hoc natus erat, et ad hoc in mundum venerat), ita de hoc nomine tacebat, quod est Christus sive unctus, ut multo majus de semetipso testificaretur, quam concipere potuissent de nomine illo adversarii ejus. Exempli gratia : Aliquando circumdederunt eum Judæi, et dicebant ei : « Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* x). » Non dixit : Ecce palam dico vobis, Christus ego sum, videlicet, ne malæ illorum intentioni concurreret, utpote qui malitiose interrogabant, ut aut Christum se esse negaret, quod fieri non poterat. Nam ille, inquit Apostolus, fidelis permanet, negare seipsum non potest (II *Tim.* ii), aut, si profiteretur se Christum esse, profecto tunc optatum contra illum haberent magnæ accusationis capitulum, quod se regem dixerit adversus Romanorum imperium, Nam, si Christum, utique et regem se esse fateretur. Quid contra hoc egit ipsa sapientia? Nimirum et illorum cavillationem prudenter illusit, et plusquam **631** interrogatus esset de semeptiso fideliter prædicavit. Cœpit pastor loqui de ovibus suis, quæ videlicet nomina Romanæ legiones non multum timerent, aut curarent, in armis suis. « Loquor, inquit, vobis, et non creditis, quia non estis de ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt (*Joan.* x). » Ecce quanta in verbis humilitas, de quibus Romana tunc temporis altitudo non nisi ridebat : sed vide, in tanta humilitate verborum, quanta sit majestas rerum. « Et ego cognosco eas, inquit, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis (*ibid.*). » Quam profecto dare non est nisi Dei. Sic incipiens, et nomen quod malitiose quærebatur, subtegens, sic tandem est elocutus. « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* ix). » Hoc nimirum plus est quam illud, unde apud Romanos

accusari potuisset, si manifesto nomine Christum se esse respondisset.

CAPUT VII.

Christum, ubi tempus adfuit, non solum non prohibuisse, verum etiam se regem prædicari voluisse.

Ubi tempus adfuit, quod poposcerat opus, vel ordo nostræ salutis, tunc præeunte tuba magni miraculi, videlicet resuscitatione Lazari mortui jam quatriduani, jamque fetentis (*Joan.* XI), nomen istud admisit, nomen regium cum laudibus publice suscepit, videlicet occurrentibus turbis cum ramis palmarum, quæ sunt insignia victoris, clamantibus ac dicentibus : « Hosanna, benedictus qui venit » Rex « in nomine Domini! » benedictum quod venit regnum patris nostri David! « Hosanna in excelsis ! » (*Marc.* XI.) Sive secundum Lucam: « Pax in cœlo et gloria in excelsis! » (*Luc.* XIX.) Quo nimirum dicto pueri consonabant angelis, qui qua nocte natum illum secreta revelatione pastoribus annuntiaverunt, dicentes : « Quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David, » repente laudaverunt Deum, et dixerunt: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis! » (*Luc.* II.) Hoc eatenus publicæ laudi deerat, quod Christus vel regem se in publico non prædicabat, aut prædicari permittebat, sed pueri suppleverunt, pueri laudem perfecerunt, equidem injussi, sed divinitus inspirati, rationabiliter permissi, opportune admissi. Unde, cum indignarentur principes sacerdotum, et Scribæ, dicerentque ad eum : « Audis quid isti dicunt ? » ipse valde subtiliter respondit, dicens : « Utique nunquam legistis : Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? » (*Psal.* VIII; *Matth.* XXI). Idem enim ac est si diceret? Vos mihi hactenus importuni fuistis, ut si ego sum Christus, palam dicam vobis, ego vero pro tempore et re de laude mea nomen istud distuli. Ecce nunc isti, qui vestræ scientiæ comparatione infantes sunt, lactantes sunt, regium mihi nomen acclamando laudem perfecerunt, prophetiam impleverunt. Quia, quod propter vos amicos meos ego tacebam, ipsi prædicaverunt. Dicentibus autem quibusdam ex illis: « Magister, increpa discipulos tuos: Dico vobis, ait, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt (*Luc.* XIX), » subauditur, quod ego sum Rex, quod ego sum Christus, dum pro eo quod dicitis : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX), » non remanebit lapis super lapidem, qui non destruatur (*ibid.*)

CAPUT VIII.

Christum asello insidentem regnorum hujus mundi contemptum præ se tulisse.

Et quidem illi, audito a turbis acclamantibus Regis nomine, ipso non prohibente, gaudebant sibi occasionem quam optaverant oblatam esse, ut Romanæ potestati possent istud seditiosis vocibus impingere: « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse, » et: « si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari (*Luc.* XXIII). » At ille sapiens et

A providus, vere quidem Rex, sed non sicut Cæsares, accusationes illorum in ipsa turbarum acclamatione valde infirmabat, Cæsarique et cunctis regibus sæculi satisfaciebat, quod nullius eorum regnum cuperet, vel ambiret, nullosque omnino sæculi honores quales erant Romanorum fastus, magni penderet, nec arma ferrea, vel signa bellica unquam attractare intenderet. Sedebat enim non super phaleratum et spumantem equum, sed super exiguum ignobilemque asellum. Circa illum non gladii, non secures, sed rami palmarum, et olivarum frondes. Ramum olivæ constabat gentibus quoque signum pacis esse. Quid ergo turbis sive in pueris spiritus Christi Regis agebat, nisi Regem, quasi de invasione regni vel imperii Romani mendaciter accusatum,
B vel accusandum, factis melius quam verbis excusare properabat?

CAPUT IX.

Christi regnum non de hoc mundo esse, satis probatum esse, copiosius tamen probari potuisse.

Excusavit se verbis quoque Rex mitis et humilis corde, dum etiam Pilato, ubi ventilibatur accusatio de regio nomine, quasi crimine magno: « Regnum meum, ait, non est de hoc mundo; si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Nunc autem regnum meum non est hinc (*Joan.* XVIII). » Poterat eisdem gratiæ labiis dicere : Si de hoc mundo fuisset regnum meum, non asellus, super quem sedi nudiustertius, sed equus mihi vel currus fuisset adhibitus, et qui me regem
C acclamaverunt, non ramos olivarum, sed militarium prætulissent apparatum armorum. Et si minus illi sufficerent, rogassem Patrem meum, et exhibuisset mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum. Poterat quidem et illud dicere : Quando pavi de quinque panibus quinque millia hominum, et illi propter hoc rapere me, et super se regem facere voluerunt, non fugissem eos, nisi quia verum est quod regnum meum non est de hoc mundo. Hæc, inquam, et cætera hujusmodi multa innocentiæ suæ argumenta, qui nihil Cæsari volebat nocere, Pilato respondens demonstrare poterat, nisi quod ille auditum non habebat, et ipse per sapientem quemdam fuerat prælocutus : « Ne effundas sermonem, ubi non est auditus (*Eccli.* XXXII). » Nobis hæc scienda reservavit, et nostrum est inclamare adversariis
D ejus etiam defunctis, quia non diripit mortalia, quia regna dat cœlestia, et quia volentes eos falli, sua malitia fefellit, et mentitata est iniquitas sibi, dicendo : « Invenimus eum prohibentem tributa dari Cæsari (*Luc.* XXIII). » Non enim talem regem se fecit, neque ita contradixit Cæsari. Imo « reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXI). »

632 CAPUT X.

Diabolum insidiando vitæ Christi deceptum, Dei consilium non impedivisse, sed promovisse.

Quid multa? mori illum oportebat, et draco sæpe dictus in hoc stabat, in hoc inhabitabat, ut ille mo-

reretur, quod putabat esse devorationem ejus. Putabat, inquam, quod per mortem posset eum devorare, id est consilium vel propositum Dei annihilare, ut scilicet non fieret quod prædictum fuerat : « Et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX) ; » et : « In ipso benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » quod jam dudum timens, dicente illo Judæis : « Quæretis me, et non invenietis, et ubi sum ego, vos non potestis venire (*Joan.* VII). » Loquebatur per os illorum ad semetipsos dicentium : « Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum ? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes ? » (*Ibid.*) Verum cecinit Psalmista : « Draco iste quem formasti ad illudendum ei (*Psal.* CIII) ; » et ipse Dominus ab beatum Job de illo dicit : « Nunquid illudes ei quasi avi ? » (*Job.* XL.) Item : « Ecce spes ejus frustrabitur eum (*ibid*,). » Vere illusus est, frustrata est eum spes ejus quia nequaquam moriendo Christus devorandus erat, aut devoratus est, imo per mortem ejus effectum est, nec nisi per mortem illam fieri oportebat, ut iret in dispersionem gentium et doceret gentes. Consideremus sacramenta, per quæ in ipso secundum promissiones benedicendæ erant et benedicentur omnes gentes, et in draconem istum ad laudem Dei, qui eum ad illudendum formavit, mirari poterimus magnitudinem illusionis, quia dum adversari cupit, famulatur proposito Dei, dum devorare se putat talem beatæ mulieris filium, valde proficuum consilio ejus præstat obsequium.

CAPUT XI.

Per mortem Christi, sacramenta baptismatis, Eucharistiæ, et Spiritus sancti dona nos consecutos esse.

Quæ ergo et quot sunt præcipua nostræ salutis sacramenta? Sacrum baptisma, sancta corporis ejus et sanguinis eucharistia, geminum Spiritus sancti datum, videlicet alterum in remissionem peccatorum alterum in diversarum sive multiplicium divisiones gratiarum. Hæc tria sacramenta salutis nostræ necessaria sunt instrumenta ; at vero hæc, non nisi per mortem et resurrectionem ejus condenda erant, vel condita. Primo, de baptismi sacramento credimus, et scimus, quia de morte ejus manavit, cum putaretur esse devoratus, id est cum jam esset mortuus. « Ad Jesum enim, inquit evangelista, cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX). » Sanguine illo redempti, aqua illa sumus abluti, tam Judæi quam gentes. Et primo Judæi, deinde gentes, imo primo mortui, deinde vivi. Mortui namque quicunque fuerant fideles ab origine mundi, quique apud inferos exspectabant beatam spem, primi hujus salutis fructum perceperunt, et qui velut catechumeni nondum cœlesti communicaverunt altari, id est visioni Divinitatis nondum soluto pariete inimicitiarum : « Eramus enim, » aiunt, « et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II) ; » et : « Quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). » Tunc illo flumine abluti, et emundati intraverunt in sanctuarium Dei, in regnum Dei, quod totum sanctum est. Et quia tunc præteritorum omnium sæculorum tota simul Ecclesia baptizata est, positum est sacramentum hoc, quasi ad ejusdem Ecclesiæ fores, ut quicunque vult Ecclesiæ deinceps incorporari, baptizetur in sua persona, quia simul et universaliter in morte Christi baptizata est Ecclesia. Sumpta namque aqua, et dicto verbo crucis cum invocatione Spiritus sancti, præsens adest sacramentum mortis Christi. Unde Apostolus : « Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI), » etc. Diutina sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra consuetudinem Græcorum decertatio fuit, volentium debere die Epiphaniæ solemne baptismi celebrare sacramentum, pro eo quod illa die constat ipsum Dominum a Joanne aquis Jordanicis fuisse baptizatum. Romana Ecclesia, magnusque Leo scribens econtra demonstrat rationabiliter, Joannis baptisma non ad eamdem pertinuisse virtutem, quod non erat in remissionem peccatorum, sed in pœnitentiam. Baptismum Christi a morte ipsius assumpsisse initium ubi, sicut jam dictum est, latus ejus patefactum est lancea, et exivit sanguis et aqua, et proinde hoc sacramentum in morte et resurrectione ejus esse celebrandum.

CAPUT XII.

In quem usum sacramentum eucharistiæ nobis relictum sit.

De sacramento corporis et sanguinis Domini certum est, nec assertione nostra indiget, quin passionis vel mortis ejus propria quidem et singularis commemoratio sit, et quod a passione vel morte ejus initium sumpserit, vel sumere debuerit. Conditum autem est hoc sacramentum quantum potuit morti vicinius, scilicet cum jam esset ad mortem venditus, et qua nocte tradebatur. Nobis, qui vivimus, et qui residui sumus, reservatum est, et missum est sacramentum istud, in quo sub specie panis et vini latet utilitas mortis et resurrectionis ejus. Nam illis, qui mortui fuerant, fidelibus, miro modo in illa specie, qua pependit in cruce, factus, vel datus est cibus. Ita ut anima ejus ad animas illorum in infernum, et corpus ejus ad corpora illorum descenderet, essetque tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ, in eodem ventre terræ, quo recepta vel assumpta fuerant corpora illorum. De tanto hoc mysterio nunc diutius tractare non est propositum, verumtamen, ne omnino relictum sit intactum, dicere quidpiam libet de causa propter quam nobis sit necessarium. Causa hæc erat, quia primi homines Deo increduli, diabolo nimis male creduli fuerunt. Quia cum non viderent nisi pomum quantum libet suave, redolens et visu pulchrum, crediderunt in illo esse divinitatis effectum, crediderunt diabolo dicenti : « Nequaquam ita erit, ut Deus dixit : Si comederitis, morte moriemini ; sed erit quod dico ego : Si comederitis, eritis sicut dii (*Gen.* III). » Contra cibum illum, qui

cibus fuit mortis, dictante ratione, namque justitiæ dari oportebat cibum alium, qui esset cibus vitæ, et simili ordine, ut scilicet inesse illi mens crederet, quod oculus non videret, crederet esse cibum et potum veraciter communicandæ divinitatis esse effectivum carnem et sanguinem Christi. Quod sentire non possunt sensus carnis et sanguinis. Per hanc fidem sibi Deus ab homine satisfactum esse judicat, dum non minus sibi credit quam diabolo crediderat.

633 CAPUT XIII.

Spiritum sanctum primum in remissionem peccatorum, deinde in divisiones gratiarum, super nos effundi.

Datum Spiritus sancti, primum in remissionem peccatorum nos omnes credentes accipere, vel accepisse per mortem, vel sanguinem ejus, quis nescit? Idcirco qua die resurrexit a mortuis, cum esset sero, die illa stans in medio discipulorum, « insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum. » Statimque subjunxit : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* xx). » Porro secundum ejusdem Spiritus sancti datum in divisiones gratiarum, quarum Apostolus meminit, scribens ad Corinthios : « Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ (*I Cor.* xi), » et cætera, die quinquagesimo acceperunt, et ejusmodi, dona sunt, de quibus scriptum est : « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. » Quorum potiora sunt hæc quod ipse « posuit quosdam quidem apostolos, alios autem prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores (*Ephes.* iv). » Istæ sunt consolationes Paracleti, propter quas abire volens, dicebat illis : « Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum, sed ego veritatem dico vobis : Expedit vobis, ut ego vadam : si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* xvi). » Quod dicit, « si abiero, » recte quidem intelligitur ac si dicat, si in cœlum ascendero, si meam corporalem præsentiam vobis abstulero. Verumtamen, quia non de ascensu ejus tristari, imo gaudio magno gaudere habebant, sicut Lucas meminit, dicens : « Et ipsi adorantes, reversi sunt in Jerusalem cum gaudio magno (*Luc.* xxiv) ; » de passione vero tristes fuerunt. Nam quia « hæc locutus sum vobis, ait, tristitia implevit cor vestrum. » Nihilominus recte intelligitur illud abire de passione vel morte sua dixisse. Nam et evangelista ita vult, dicens : « Ante diem festum paschæ sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat de hoc mundo ad Patrem (*Joan.* xiii). » Non enim tunc primum ex hoc mundo transivit, imo jam tunc quando mortuus resurgens cum hominibus conversari, laboresque mundanos pati desiit.

CAPUT XIV.

Hæc sacramenta neque diabolum, neque impios homines cognovisse.

Hæc tria fieri oportebat, et propter hæc mors ejus gentibus erat necessaria, quia istæ sunt benedictiones quibus in isto semine, quod est Christus, erant benedicendæ omnes gentes. Hoc ille draco magnus nesciebat, qui filium vel masculum illum per mortem devorare se posse sperabat. Nesciebat, inquam, ille, nesciebant hi, quibus præsidebat ille, de quibus vel qualibus Sapientia dixit : « Hæc cogitaverunt, et erraverunt, excæcavit eos malitia ipsorum, et nescierunt sacramenta Dei (*Sap.* ii). » Et Apostolus ait (*I Cor.* ii) : « Si enim cognovissent (subauditur, sapientiam quæ ex Deo est, quam et loquimur inter perfectos, [*ibid.*]), nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. » Omnino verum est, quia si cognovisset Leviathan, sive cetus magnus, qui in mari est, hamum sub carne latuisse ferreum, nunquam carnem ipsam momordisset, qua tegebatur ferrum ; sciebat quidem ipsum esse Christum Filium Dei, et ob salutem venisse generis humani, sed nesciebat secretum a sæculis absconditum, sapientiæ Dei consilium, quod de morte unius renasci deberet vita omnium. Suum ipse sciebat consilium, sed sæculis omnibus sic erat absconditum, adeoque inopinabile mentibus hominum, ut ipsi apostoli, cum secrete loqueretur ad eos de his, nihil horum intelligerent, sicut sacra plerisque locis Evangelia perhibent, quia videlicet necdum erat tempus illis hæc intelligendi, priusquam glorificaretur ipse gloria resurrectionis (*Luc.* xviii).

CAPUT XV.

Draconem septies per impios homines contra Christum insurrexisse, et septimo comprehensum fuisse.

Quis porro intelligit ? quis intimo affectu sentit, qualis fuerit in mente habitus filii hujus masculi, ex quo sæpedicta mulier eum peperit, toties hiante illo dracone, ut eum posset devorare, id est, hominibus impiis carnem ejus occidentibus (*Matth.* ii), nomen ejus delere ? Nam si rite numere, septies ore patulo hiavit, septem rictus immanes aperuit, et in cæteris frustratus, septimo tandem rictu carnem comprehendit, sed malo suo, quia, sicut jam dictum est, ferrum in carne permolestum sentit. Primus namque draconis hujus hiatus fuit, ubi secundum Matthæum mox nati pueri animam, sicut jam superius dictum est, funestus Herodes quæsivit, et propter eum infantes occidit. Secundus fuit, ubi secundum Lucam, cum venisset Nazareth, ubi erat nutritus, et doceret in Synagoga, surrexerunt et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat (*Luc.* iv). Tertius fuit, ubi secundum Joannem fugit a facie Judæorum irridentium, cum diceret, « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam (*Joan.* vi). » Nam revera hæc dicendo fugit et abscondit se ab illis, secundum titulum tricesimi tertii psalmi, qui inscribitur sic : *Psalmus David cum commutavit*

vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit et timpanizabat ad ostia portæ civitatis, et defluebant salivæ in barbam, et ferebatur in manibus suis (*I Reg.* XXI). Abimelech ipse est, qui supra dicitur Achis. Interpretatur autem Abimelech *patris mei regnum*; Achis vero, *quomodo est*. Significat ergo Judæos quos recte Christus prius appellaverat Patris sui regnum, quod signat Abimelech. Nunc autem Achis, ex quo dixerunt, Quomodo esse potest? In quo coram istis « commutavit vultum suum? » In eo videlicet, quod veteris sacrificii ritum convertit in novum. In eo quoque « salivæ defluxerunt illi in barbam, » quod cum diceret: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem (*Joan.* VI), » et cætera, infantilia videbatur ei verba proferre. Infantium est enim salivam emittere. Tunc quoque timpanizabat ad portam civitatis, quando invitis et audire nolentibus mysterium prædicabat suæ passionis, futurum esse sciens quod credendo aperirent aliqui. « Ferebatur etiam in manibus suis, » videlicet cum tenens in manibus suis panem et vinum: « Accipite, inquit, et comedite, hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus Novi testamenti (*Matth.* XX), » et cætera. Attamen secundum Hebraicam veritatem nunc legimus, et collabebatur in manibus eorum. Quarta fuit persecutio, quando miserunt principes Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum; qui reversi cum diceretur eis: « Quare non adduxistis 634 eum? responderunt: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur (*Joan.* VII). » At illi in intentione persistentes adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, tentantes ut possent accusare eum (*Joan.* VIII). Quinta persecutio fuit, ubi cum dixisset: « Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum, tulerunt lapides ut jacerent in eum (*ibid.*). » Sexta, ubi cum dixisset: « Ego et Pater unum sumus, — sustulerunt lapides ut lapidarent eum (*Joan.* X). » Septima, quæ ultima, « ubi collegerunt adversus eum concilium, nec destiterunt donec crucifigerent eum (*Joan.* XI). »

CAPUT XVI.

Quare dictum sit: « Sustinui qui simul contristaretur et non fuit. »

Quis, inquam, in tam diutina colluctatione mortis spiritum ejus mitem et humilem intelligit? « Beatus, inquit Psalmista, qui intelligit super egenum et pauperem (*Psal.* XL), » quem juxta psalmi alterius versiculum, persequebatur in Juda, persequebatur in Judaico populo draco ille, « hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare (*Psal.* CVIII). » Nos pene indociles, aut nimium tardi ad discendum ab ipso dicente: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI), » super eum pauperem, super eum mitem et humilem, pro nobis dolentem, pro nobis vulneratum, longe minus intelligimus quam oportet intelligere. « Ecce, inquit propheta, quomodo moritur justus, et nemo percipit corde (*Isa.* XVII). » Ipse A quoque in Psalmo dicit: « Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit (*Psal.* LXVIII). » Sed nunquid vel beata Maria, cum staret juxta crucem ejus, videns quomodo moreretur, non percepit corde, et non simul contristata est? imo multum percepit corde, multum contristata est, et sicut prædixerat Simeon: « Gladius pertransivit animam ejus (*Luc.* II). » Discipulus quoque dilectus, non sine perceptione cordis, non sine tristitia vidit quando moreretur. Cæteri quoque discipuli, quamvis relicto eo omnes fugerint, non nihil fuere simul contristati, imo tristitia, cor eorum implevit. Ergo non secundum rationis judicium, sed secundum doloris vim, qui interdum rationem non admittit, dictum est, « et nemo percipit corde, » et « qui contristaretur non fuit. » Et competenter sic dictum B esse animadvertis, ubi ad tantam insultantium atque irridentium multitudinem, qui condoluerunt, præ paucitate nullius fuere quantitatis aut numeri. Verum, quia alibi dicit: « Circumspexi, et non erat auxiliator, quæsivi, et non fuit qui adjuvaret, et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi (*Isa.* LXIII), » non est conquæstio similis, sed demonstratio verissimæ rei, quia nullus omnino etiam si voluisset quis, potuit eum adjuvare, sive auxiliari in prælio, sive congressu ejusmodi, ubi veniebat princeps mundi, peccator antiquus, et præpositus mortis. Nec enim erat quisquam, qui de illo dicere posset, « et in me non habet quidquam ». Non erat præter eum quisquam, in quo cum innocentiæ humanæ esset etiam divinæ brachium et in- C dignatio, id est zelus vel fortitudo naturæ.

CAPUT XVII.

In Christo duas voluntates, divinam et humanam fuisse, quarum altera mortem voluerit, altera expaverit.

Quid ergo, nunquid auxiliatorem circumspiciendo, ita vel tali intentione quærebat, ut non moreretur, qui ad hoc ipsum venerat, ut moreretur? Utique sicut erat Deus et homo, sic et duas voluntates, alteram Divinitatis, et alteram humanitatis habebat, sub ipso passionis articulo. Humanitas quippe gustum mortis naturaliter pavebat et refugiebat, et naturali corporis amore anima tenebatur, et in carne manere volebat. Porro divinitas rationabili judicio aliud intendebat, scilicet quod ad sa- D lutem generis humani necessarium erat, et ejus naturæ voluntatem suæ voluntati humanitas præferebat, dum in oratione sua præmisso, « Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, » continuo subjunxit: « Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu (*Matth.* XXVI). » Sive ita: « Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat (*Luc.* XXII). » Itaque quidem secundum Divinitatis rationem circumspiciebat quærens auxiliantem, sed secundum naturalem sensum carnis volebat hoc ipsum, et quod sancti homines mallent, dicentes cum Apostolo: « Eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, et absorbeatur id quod mortale est a vita (*II Cor.* V). »

Nunquid vero solummodo circumspexit, et circumspiciens adjuvantem quæsivit, imo et voce magna clamavit : « Eli, Eli, lamasabacthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me ? » (*Matth.* XXVII.) Hoc nimirum ita recte intelligitur ac si diceret: O habitans in me omnis plenitudo Divinitatis corporaliter (*Coloss.* II), cur te intus contines, cur me moriente siles ? Paulo ante, ubi venerunt qui me comprehenderent, unam breviter emisisti vocem, dicendo : « Quem quæritis, ego sum, statimque abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram (*Joan.* XII). » Nuper quoque multitudinem ingentem radiando ex istis oculis, qui nunc in morte caligant, terruisti, et quod infinitus facere non potuisset exercitus, cum uno flagello facto de resticulis, de templo ejecisti, memorando illis hoc propheticum : » Domus mea domus orationis vocabitur ; vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Matth.* XXI). » Utquid tam potens, tam fortis divinitas Verbi, me tuam carnem dereliquisti, intus te continens tanquam gladius, qui de vagina sua nolit egredi ?

CAPUT XVIII.

Quare dictum sit : « Apud ipsum est sapientia et fortitudo. »

Hic jam opportune occurrit, quia scriptum est : « Apud ipsum est sapientia et fortitudo. » Item : « Apud ipsum est fortitudo et sapientia (*Job.* XII). » Dicamus ergo et illud, quia ipse est agnus, ipse est leo, et omnia tempus habent, sic et horum, scilicet agni et leonis significata, sua debuerunt habere tempora. Tempus fuit, quo ut sapiens patientiam teneret agni : tempus fuit, quo ut fortis emitteret rugitum leonis, dum se intus adhuc fortitudo contineret, non fuit omnino derelictus, nam sapientia quasi derelictum consolata est. Quid enim circa se ageretur, non ignorabat : propterea non solum discipulos suos reprimebat percutientes et dicentes ; « Domine, ecce gladii duo hic (*Luc.* XXII) ; » verum etiam occurrebat adversariis et dimittebat se comprehendi. Neque dedignatur Dominus angelorum ab angelo confortari in agonia **635** factus, et sudando guttas emittens sanguinis in terram decurrentis, et permittebat faciem suam a colaphizantibus velari, nec rejiciebat calamum sibi ab illudentibus, quasi pro sceptro in manu datum, neque chlamydem coccineam sibi circumdatam, neque coronam spineam suo capiti impositam, neque Romanos milites adversabatur sibi genua flectentes, et cum fellito risiu se regem Judæorum salutantes sive adorantes. Cuncta namque hæc ludicra crudelia, vertenda sibi esse sciebat in seria, jucunda atque dulcia.

CAPUT XIX.

Quare Christus gladium in vagina recondi jusserit.

Non possumus fastidium legentium vitantes, horum cæterorumque omnium et ipsius crucis, quam proposita sibi salute, ut ait Apostolus (*Hebr.* XII), sustinuit confusione contempta, præsenti loco compingere, sicut a sanctis Patribus expositæ sunt rationes ad

A comprobandum quod in omnibus his magna sit laus sapientiæ quæ apud ipsum est. Unum est quod licet jam loco alio breviter commemoratum sit, hic præterire non libet quam rationem habeat, quod Petro eximenti gladium suum et percutienti : « Converte, ait, gladium tuum in locum suum, » sive quod dicentibus, « Domine, ecce gladii duo hic : — Satis est, inquit (*Matth.* XXVII). » Et juxta alium evangelistam : « Sinite usque huc (*Luc.* XXII). » Multum enim ad nostri tenorem propositi pertinet scire vel dicere, quem sensum habeat, quod tali in tempore, tanta in re, duos solummodo gladios demonstrantibus. Satis est, inquit. Denique hoc non idem est ac si diceret : Hi duo gladii sufficiunt nobis, utamur illis ; repugnat valde quod unum ex illis eductum, in vaginam

B recondi jussit, et sinite usque huc, dixit. Profecto hæc duo dicta : « Converte gladium tuum in locum suum, » et « sinite usque huc, » secundum intentionem dicentis æquipollentia esse sentimus, et proinde nunc sufficere arbitramur, si causæ reddantur, cur vel quid respiciens, digne dicere debuerit. « Satis est, » et quid intendens aut volens dixerit: « Sinite usque huc. » Quid ergo erat duos gladios ad defensionem sui demonstrantibus dicere, satis est, nisi ac si diceret : Antequam ego venirem qui promissus fueram, gladio opus erat ad defendendam gentem, de qua sola me nasci oportebat, ne, gente illa deleta, sicut diabolus volebat, non fieret salus quæ nunc ex Judæis est, quia verbum promissionis impletum est. Satis est, satis laboraverunt, et gladiis usi sunt materialibus, diu ante vos existiterunt. Sinite jam,

C id est, convertite gladium in vaginam, usque huc, subauditur, gladius hujusmodi necessarius erat, ut militaret regno Dei, donec veniret : jam, quia venit, jam, quia verbum Dei intra vos est (*Luc.* XVII), gladii commutandi sunt. Ex hoc jam civibus vel militibus regni Dei gladius sit verbum Dei, quia de hujusmodi gladio dicebam vobis nunc, qui non habet, vendat tunicam suam et emat gladium (*Luc.* XXII), id est exuat se impedimentis et facultatibus sæculi, ut vacare possit ad verbum Dei discendum sive docendum.

CAPUT XX.

Quid dictum sit : « Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus. »

D Quid multis morer ? » Egredimini, » dicit Spiritus sanctus, « egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus (*Cant.* III). » Videte hunc regem sapientiæ, regem fortem, et experimento discite quam vera sit sententia quam supra memoravimus de illo: Quomodo « apud ipsum est sapientia et fortitudo (*Job.* II). » Conamur sapientiam prædicare in eo patiente et moriente, et deinde de fortitudine aliquid dicere, sed sermo deficit, res autem diligentius contemplanti animo magis ac magis supercrescit et effulgescit. Videte hunc regem coronatum, videte in manu ejus

sceptrum, videte vestem purpuream, videte salutantes, videte Romanos adorantes. Nolite hoc solum videre in corona ejus quod spinea sit. Videte in spinis illis illum cujus præparatoriæ spinæ sunt, corona gloriæ et honoris, sicut Psalmista cecinit : « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum (*Psal.* VIII). » Videte non solum calamum pro sceptro datum, sed videte rem veram, cujus illud est præsagium, scilicet summum cœli et terræ imperium, quia cum calamo illo propter calamum illum die ipsa « data est illi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Videte non solum purpuram illam manufactam irrisorie circumpositam, sed in purpura illa meditamini purpuream Ecclesiam sanguine illius emundatam, sanguinem suum pro illo fusuram. Et in illis Romanæ potestatis militibus cum risu genua flectentibus, cum risu vel joco adorantibus, videte quid portendatur, et illius tacentis cogitatus sonet in cordis vestri auribus, velut si dicat : Vivo ego, quia mihi incurvabitur Romani imperii genu, et confitebitur lingua Hebraica, lingua Græca, lingua Latina, me regem esse Judæorum, imo et Regem regum, et Dominum dominantium, nec erit irritum, quamvis cum ironia, quamvis cum hostili irrisione scripseritis, « Jesus Nazarenus rex Judæorum (*Joan.* XVIII), » id est, Salvator sanctus, Rex omnium Deo confitentium. Talem videntes regem Salomonem, scitote illum fuisse diem desponsationis illius, et diem lætitiæ cordis ejus. Desponsationis quidem ejus, quæ sibi Ecclesiam per suum sanguinem desponsavit : desponsationis multum differentis a desponsationibus carnis, sive hujus sæculi, quomodo illæ a voluptate incipiunt, et in dolore desinunt. Ista autem desponsatio incœpit a dolore, ut diceret, « Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me (*Matth.* XXVII), » et perficitur in æterna voluptate et lætitia cordis ejus, quia post dolorem inundantem dixit : « Consummatum est (*Joan.* XIX). »

CAPUT XXI.

Quid sanguineus sudor portenderit.

Quid porro videbitis in agone ejus, in sudore ejus, qui eo prolixius orante, factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram ? (*Luc.* XXII) Quid in tanto miraculo videbitis? Non enim tantum miraculi, quod de vulneribus ejus sanguis effluxit, quia solitum est, naturale est vulnerata carne sanguinem fluere. **636** Hoc insolitum est, supra naturam est, integra carne, sana cute, sanguinem pro sudore de toto corpore in terram decurrere. Miraculum rei magis attentos facere vos debet, ut videatis quidnam sit. Quid ergo est, nisi vehemens Judaicæ perfidiæ accusatio, nisi terribilis damnatio populi parricidæ. « Accessistis, inquit Apostolus, ad mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel (*Hebr.* XII). » — « Quid fecisti ? ait Dominus ad Cain, vox sanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, vagus et profugus eris super terram (*Gen.* IV). » Quod illi Cain pro illo Abel dixit, non diceret idem Deus Judæis pro Filio suo, videns ejus sanguinem agonizantis et in agonia prolixe orantis? sanguinem melius clamantem, melius loquentem quam Abel? sicut Apostolus dicit (*Hebr.* XII). Vere igitur tantum miraculum sudoris non otiosum fuit, quia contra infelices et impios homicidas Judæos in præsagium judicii terribilis in terram decucurrrit.

CAPUT XXII.

Quare dictum sit : « Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus. »

In omnibus his suum sapientia, quæ apud ipsum est, manifeste gessit officium, latente, et non tamen otiosa, et se continente intus fortitudine, quæ similiter apud ipsum est, sicut prædictum fuerat in Habacuc : « Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus (*Habac.* III). » Cornua quæ erant in manibus ejus, brachia crucis intelligimus, quibus confixerant manus ejus : Quomodo ibi erat absoondita fortitudo ejus ? videlicet ubi nulla putabatur esse fortitudo ejus. Denique hominis fortitudo maxime pollet in brachiis, et in manibus ejus, at ille confixus in cruce pendebat manibus. Videbatur ergo quod nulla esset fortitudo ejus, sed nonnulla erat, imo magna erat, jamque abscondite operabatur. Jam draconis eum devorare se putantis dentes invisibiles invisibiliter confringebantur, et gutturis ejus barathrum, quasi hamo ferreo strangulabatur. Operationis hujuscemodi signa quædam visibilia statim claruerunt, et nos Deum auribus nostris audivimus (*Psal.* XLIII). Nam illo emittente spiritum, ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum: et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes de monumentis, non quidem ante, sed post resurrectionem ejus venerunt in civitatem sanctam, et apparuerunt multis (*Matth.* XXVII) Verba deficiunt, cum de fortitudine Verbi loqui cupimus : de fortitudine Verbi, quod erat et est in illo spiritu sive anima, quam moriens emisit Christus Jesus. Cur autem verba deficiunt, nisi quia non sentimus, non sentire meremur, quam validum, quomodo validum sit illud Verbum ? Imo et si aliqui sanctorum Verbum illius in præcordiis suis senserе attractum, quibus verbis enarrare potuerunt ? Hoc igitur nunc tantum dictum sit, quia tunc pro re Verbum validum, Verbum Deus infremuit in spiritu vel anima egrediente de corpore Jesu, et infernus intremuit veniente spiritu illo Jesu, veniente cum Verbo sibi unito anima Jesu, cujus videlicet Verbi fortitudinem sustinere non potest, nisi qui ejus habet amorem. Nam hinc est quod Psalmista dicit : « Sicut cera fluit a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII). »

CAPUT XXIII.

Quare dictum sit : « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti. »

Fulciat super hac re sermonem nostrum, sermonem invalidum, propheticum patriarchæ Jacob præconium. « Catulus leonis Juda, inquit, ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna (*Gen.* XLIX). » Quis suscitabit eum ? Juda, quod interpretatur *confessio*, Christus Jesus est confessionis nostræ princeps, ortus de tribu Juda. Iste est catulus leonis, id est Filius Dei fortissimi. Agnus fuerat eatenus, et sicut ovis ad occisionem ductus, sed ubi consummatum est, quidquid secundum similitudinem agni aut ovis eum pati oportebat, statim infremuit idem catulus leonis. « Nam ad prædam, fili mi, ascendisti, » ad prædandum infernum invaluisti. Primum exspolium quod iste deprædator mortis inferno abstulit, latro ille fuit qui cum ad ipsas jam appropinquaret fauces inferni, una brevi confessione retentus ab illo audivit : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII), » quantam protinus ad prædam sic incipiendo ascendit ? Quis præter illum potuisset educere de inferno tot electorum millia, juxta illud Zachariæ prophetæ : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua ? » (*Zach.* IX). Desiderabilis prædo reddens vitæ, quos abstulit morti, reddens cœlo, quos eripuit inferno, hoc non in incerto sciens futurum : « Ego, inquit, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII). » Cum dicit omnia, subintelligimus electa sive omnem potestatem in cœlo et in terra. Nam propter passionem mortis, gloria et honore coronatus, propter patibulum crucis, judex vivorum et mortuorum est constitutus, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus. Et qui adhuc rebellant inimici ejus, sine dubio sentient actu, quod jam potestate sunt sub pedibus ejus. Unde Apostolus, cum posuisset hoc psalmi testimonium, futurum ait, de quo loquimur : « Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. »

CAPUT XXIV.

Quid dictum sit : « Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, » et quam necessarium fuerit ut mortuus non careret sepultura.

« Requiescens, inquit, accubuisti ut leo, et quasi leæna (*Gen.* XLV). » Consummato negotio, mox (ut dicto consummatum est) spiritum emisisti, requievisti a laboribus tuis, requievisti cum præda, quam cepisti ex inferis. Latronem quoque pie confessum habens tecum in deliciis paradisi. Ibi jam spiritu requiescente, caro quoque in sepulcro requievit. Num parva aut parvipendenda est pars requietionis, requies sepulcri, ista requies corporis sepulti ? Non utique parva, sed magna, multumque omni humano generi proficua. Oportebat namque per triduam defuncti hominis sepulturam placari Divinitatis Trinitatem, eatenus humano generi offensam, et per sepulturam unius justi, corporum quoque resurrectionem nobis omnibus comparari. Causam istam rite perpendenti, valde placere debet consilium Verbi Domini, Verbi quod taliter in lege præcucurrit per os Moysi : « Quando, inquit, peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo non permanebit cadaver **637** ejus in ligno, sed eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno, et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem (*Deut.* XXI). » Quænam est intentio legis, imo Spiritus sancti, tale per legem decretum decernentis ? nisi ut dum ex legis præcepto sepeliuntur omnes, quicunque fuissent in patibulo appensi, quantumcunque rei, quatumvis morte digni, consequenter istum quoque, cujus sepultura mundo erat necessaria, non liceret insepultum relinqui. Alioquin cur de lapidatis, sive alia quacunque vi propter scelera sua peremptis omnino taceret, et solis in patibulo appensis sepulturæ beneficia decerneret, simul considera quam sapienter hanc ipsam, ne impii viderent, intentionem abscondit, dicendo : « Quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno, et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. » Quid enim ? Nunquid terra quam hic intelligunt impii, magis insepulto quam sepulto, et in ventrem suum recepto corpore aliquo potest contaminari ? Ergo Joseph justo dictum existima : Sepelies eum, quod et fecit, et nequaquam contaminabis terram tuam, scilicet carnem Christi, carnem Deiferam, in possessionem resurrectionis, et vitæ tibi datam. Non contaminabis, inquam, id est, non relinques insepultam, ne contaminetur, aut indigne habeatur aliquo accessu indignatum ejusmodi, qualibet in sepultura corpora solent attrectari. Et illi quidem insipientes, et maligni nescientes sacramenta Dei, sepeliri illum, quod morientibus etiam sanctis optabile erat, æquanimiter tulerunt, contenti fecisse illum, quasi maledictum, lege dicente : « Quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno, » sed justificatur sapientia a filiis suis, quia bene consulta lex sapientiæ satisfecit, quod non propter pœnam, sed propter culpam quemadmodum sub maledicto constituit. Non enim hic solam pœnam in causam posuit, culpam præmisit. Præmisso namque « quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, » tunc demum subjunxit, « et adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo. » Sed et illud non leviter attendendum quod taliter dixit : « Quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno ; » quamvis Apostolus Græcis scribens et pro necessitate temporis translationem septuaginta Interpretum, quæ apud illos jam dudum accepta fuerat, sequens dixerit : « Maledictus omnis, qui pendet in ligno (*Galat.* III). »

CAPUT XXV.

Quare dictum sit: « Maledictus a Deo, qui pendet in ligno. »

Satis liquet quia translationis utriusque nonnulla

distantia est, sed quanta ex tribus litteræ diversitatibus conjici potest. Nam in Græco, omnis additur, quod in Hebraico non habetur; econtra, in Hebraico habemus a Deo, et substantivum verbum est, quæ in Græco non habentur: Itaque quid de maledicto senserint impii, volentes in illo destruere laudem quam ex ore infantium et lactentium audierant prædicatam versiculo psalmi centesimi decimi septimi. « Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini (*Psal*. CXVII; *Joan*. XII). » Nos quidem scimus quia sic senserunt quomodo sentire voluerunt, quos excæcavit malitia eorum, sed nihilominus in laudem suscipiamus quod dictum est: quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno, ut sit sensus (*Deut*. XXI); « omnis quidem qui peccavit, quod morte plectendum est, et adjudicatus morti, pendet in ligno, maledictus est, subauditur a peccato suo. Hic autem unus justus, qui adjudicatus quidem morti fuit, et in ligno pependit, sed quod morte plectendum esset, non peccavit, imo nullum unquam peccatum fecit, non a peccato suo maledictus, sed a Deo satis est afflictus tanquam maledictus, id est, tanquam peccator, et non quidem vere peccator, sed vere peccata portans omnium. « Quia, inquit Isaias (*cap*. LIII), posuit in eo iniquitates omnium nostrum. « Ad summum hoc dixerim, non facile in sanctis Scripturis posse reperiri quod signanter quisquam maledictus a Deo esse dicatur, præter hunc locum, ubi sic dictum est, « maledictus a Deo qui pendet in ligno. » Quod si illud objicit quis, quod ad Cain Deus idem dicat: Nunc igitur maledictus eris super terram, sive ad ipsum serpentem, quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ. Sciendum quia nusquam additum est a me, cauteque discernendum quod aliud sit maledicere atque aliud maledictum demonstrare. Solum namque peccatum maledictio est quod utique a Deo non est; igitur qui maledictus a Deo est, juxta hunc sensum unus est in quem, ut jam dictum est, posuit Deus omnium nostrum iniquitates, quæ veraciter sunt maledictiones, commutatione facta, commutatione gratiosa, ut nostras portans vel suscipiens super se maledictiones, suam benedictionem daret quod vere a Deo est.

CAPUT XXVI.

Quid dictum sit: « Mulier cum parit, tristitiam habet, » et quod Christus in sepulcro sabbatizaverit.

Interea devoratus esse putabatur Filius masculus, et super hoc tristitiam habebat sæpe dicta mulier, quæ illum perpererat, et contrisbatur peno inconsolabiliter in paucis illis qui adhuc in carne vivebant, quique illius beatæ mulieris pars magna, quamvis pauci numero, existebant. Quapropter ipse prædixerat illis tristitiam ipsorum bono fine consummandam, secundum similitudinem hanc: « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum (*Joan*. XVI). » Nam ad quid hoc dixerit, confestim exposuit. « Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*ibid*.). » Devoratus, inquam, esse putabatur, et illis tristitiam habentibus, homicidæ illi, membra utique draconis sæpe dicti, gaudebant, et fortassis sicut alibi de ejusmodi scriptum est: Gaudentes munera mittebant invicem, quoniam iste prophetarum maximus cruciavit eos, nam gravis erat illis etiam ad videndum. Nunc autem mortuus et sepultus sic jacebat, ut etiam lapide signato, lapide valde magno super eum posito, puteus sepulcri ejus esset clausus et obstructus ne resurgeret, ne vel illuc anima introire ad corpus, aut etiam si revixisset, posset inde prorepere corpus, adhibitis etiam custodibus propter discipulos ejus. At ille habitans in cœlis, irridebat eos, et subsannabat eos, sed interim sabbatizabat, id est, requiescebat ut leo et quasi leæna, securus de præda sua, quia mortuos eripuerat et mortem captivam tenebat. « Ut leo, inquit, et quasi leæna, » nimirum, quia Deus et homo in una eademque persona, secundum divinam naturam leo, de quo et alibi scriptum est: « Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis **638** non prophetabit? » (*Amos*. III). Porro secundum naturam humanam paulo ante ovis, dum duceretur ad immolandum, nunc autem ex quo dixit: « Consummatum est, » jam leæna erat, leæna fera quæ catulos suos, id est omnes electos, quos æternæ vitæ suo sanguine pepererat, in cubili suo componebat, in paradiso suo lactabat anima fortis et libera, statim post Sabbatum ad carnem suam reditura, eamque catulis suis reportatura, cujus de visione nimirum catulis illis copiosior manere habebat, et nunc manat vitalis lactis alimonia. Pulchrum erat interim, illud Sabbatum in illud respiciens, de quo in creatura mundi scriptum fuerat: « Et requievit Deus die septimo ab omni opere suo quod patrarat (*Gen*. II). » Qui tunc sex diebus creaturam mundi perfecit, et septimo requievit, ipse est qui prima Sabbati quam Dominicam diem dicimus, civitatem ingressus, et sexto die tandem mortuus ob regenerandam creaturam humanam, septima die in sepulcro secundum carnem requiescebat, in paradiso requiescente anima.

CAPUT XXVII.

« Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara, » de Christi resurrectione dictum esse.

Venit hora de qua dixerat ipse quodam loco Judæis: « Venit hora, ut clarificetur Filius hominis (*Joan*. XII). » Venit, inquam, illa hora cum præconio verbi ex ore Patris ita personantis in David: « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal*. LVI). » Quod erat illud psalterium, vel quæ cithara? Unum idemque corpus in sepulcro quiescens erat Psalterium, erat cithara. Erat cithara quam distentis charitatis fidibus personantem, dulcesque prædicationis sonos modulantem Judæi confregerant. At illa fractura citharæ illi causa fiebat augmenti,

causa successus optimi, ut surgeret Psalterium decachordum,id est psalterium dulcisonum,nunquam frangendum, semper confessionis in populis, et psalmi in gentibus vocem daturum, cujus chordas manus nulla ulterius rumpere posset, cujus ligni compages deinceps nulla vis frangere prævaleret. Juxta quod ait Apostolus : « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Hæc est gloria Dei Patris, quia videlicet in hoc opere suo, per magnam gloriatur abundantiam charitatis. « Exsurge igitur, inquit,o gloria mea,exsurge psalterium et cithara.» Hanc Patris vocem,hanc Verbi intentionem nunquid non audiebat,nunquid non sentiebat anima illa,sic eidem verbo velut sponsa sponso interminabili osculo conjuncta, irremissibili complexu connexa? Plane audiebat, plenarie sentiebat. Quippe quæ verbi ejusdem omnia plus quam matronali jure noverat, omnia capiebat. Respondebat itaque cum gaudio : « Exsurgam diluculo. » Quid ejusmodi responsione jucundius ? quid ita respondentis corde paratius? Non ergo causa nos lateat,cur principium ejusdem psalmi taliter in persona ejus intonuerat : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum (*Psal.* LVI). » O cor quam delectabiliter paratum, quam libenter arrectum ad suscipiendum divinitatis imperium,dulce imperium dicentis : « Exsurge.» Denique hoc est paratum habere cor,ita respondere, « exsurgam diluculo.» Nunquid vero ad hoc solum erat, vel fuerat paratum ejus cor ? Nimirum et ad obediendum, ut moreretur, fuerat paratum cor. Omnino fuerat paratum cor corpus suum dare percutientibus, et genas suas vellentibus,faciem suam non avertere ab increpantibus et conspuentibus, et omnia sustinere usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). « Ego autem, inquit, non contradico, retrorsum non abii. » Decebat itaque esse paratum cor illud ad respondendum,« exsurgam diluculo,» quod fuerat paratum ad obediendum Patri suo non parcenti ei propter nos.Non ergo, inquam, causa nos lateat cur ita intonuerat psalmi principium, « paratum cor meum, » et cur non contentus semel dixisse, dixerit et semel et iterum, « paratum cor meum, Deus, paratum cor meum (*Psal.* LVI, CVII). »

CAPUT XXVIII.

« Vir obediens loquitur victorias, » de Christo dictum esse.

Igitur vir iste, nunquid est ille, de quo Sapientia dicit : « Vir obediens loquitur victorias ? (*Prov.* XXI). » Denique et si sunt vel fuerunt viri multi obedientiæ filii,iste unus vir,unus et singularis,cui non fuit,nec est nec erit alius similis,aut obediens in re simili vel pari. Hic solus in eo vir obediens est,quod nullum omnino habens peccatum, humiliavit seipsum per voluntatem Patris propter peccata aliorum,et usque ad mortem se humiliavit, mortem autem crucis (*Philip.* II). Proinde decet eum jam obedientem virum loqui victorias, et ecce loquitur eas locutione A incessabili, locutione sempiterna. Cujusmodi est locutio illa, profecto valde clara, valde sonora,quia ipse est demonstratio plagarum suarum, quas in ipsa suscepit obedientia. Quinque plagæ ejus quas quinque linguæ sunt ; plagarum suarum cicatrices idcirco in corpore suo retinuit et reservavit, ut victorias suas semper loquatur illis quasi linguis. Cui loquitur ? Revera primum Deo Patri, deinde angelis et hominibus, sanctis omnibus, electis omnibus. Videt Pater Deus, et pulchris victoriarum testimoniis delectatur. Vident angeli,et ad laudem et gloriam excitantur. Vident homines redempti, et gratiarum actiones irremissibiliter extenduntur.

CAPUT XXIX.

B *Quinque vulnera Christi esse signacula justitiæ.*

Dicimus cum Apostolo, et dicentis Apostoli sensum intelligimus, quia pater Abraham accepit et posteris suis tradidit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. Crediderat enim,ut fidelis Deo dicenti : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » cum non haberet filium, jamque esset senex ipse, et uxor ejus anus et sterilis. Magnæ rei testimonium,magnum illa circumcisio erat fidei signaculum, et magnæ justitiæ palmam ipsi,et posteris ejus declamabat ante Deum, suæ promissionis commonefaciens eum, ne unquam offensus, undelibet subterfugeret dare semen,in quo « benedicerentur omnes gentes, » dum signaculum illius promissi commonitorium videret, fidelemque ac veracem ipsum esse diceret. Ecce autem plura hic signacula, C signacula justitiæ ac fidei, scilicet plagæ quinque, quas pro conditione salutis humanæ, iste vir obediens suscepit, vir justus et fidelis.Pro conditione, inquam, salutis humanæ, quia profecto talem conditionem propositam sibi propheta non nesciebat ipse : « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum,et voluntas Domini in manu ejus dirigetur,pro eo quod laboravit anima ejus,videbit et saturabitur.In scientia sua justificabit ipse justus servos meos multos,et iniquitates eorum ipse portabit (*Isa.* LIII).» Nonne igitur nobis posteris ejus **639** jure palmam justificationis et salutis sive salvationis justa divinitas concedit, cum videat non unum tantum signaculum aut signaculi justitiæ vulnus, ut fuit vulnus circomcisionis sed quinque D vulnera justi,vapulantis quidquid quinque sensibus suis nostra caro deliquit.Nam signacula hæc justitiæ vel fidei nos in baptismo suaviter suscepimus, quæ ipse pœnaliter suscepit, et sicut cum unius signaculi,id est,circumcisionis testimonio exspectabatur, ad redimendos homines venturus,ita nunc a nobis cum quinque plagarum,id est, crucis frontibus nostris impressæ signaculo, exspectatus,ad judicandum vivos et mortuos rediturus.

—

LIBER DECIMUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM

Quomodo raptus sit filius mulieris ad Deum et thronum ejus.

Ecce quomodo illusus est draco iste, qui per tot annos per tot generationes stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Illusus est quia quem paritura erat, mulier peperit, et raptus est filius ejus ad Deum et at thronum ejus. Quomodo raptus est? Quis eum rapuit? Raptus est solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Rapuit eum Deus, suscitans eum Deus, Dei Verbum rapuit eum ad Patrem Deum. Unde rapuit? De claustris inferni, de sub grandi lapide sepulcri. Subtus lapides misit Deus manum suam, intulit Deus verbum suum, et rapuit corpus illud, corpus redivivum, tam facile de clauso quam facile potuisset rapere de non clauso vel patente sepulcro. O stulti et cæci, qui dicebant se cognoscere Deum, et posuerant lapidem contra Deum. Si enim cognovissent Dominum Deum, nunquam unum lapidem nutui Dei resistere posse sperassent. Et, aiebat ille, « Pater meus, qui glorificat me, quem dicitis quia Deus noster est, et non cognovistis eum (*Joan.* VIII). » Sed redeamus ad rem.

CAPUT II.

Quid sit raptum esse ad Deum et ad thronum ejus, et quid sit illud: « Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum. »

Raptus est, inquit, ad Deum et ad thronum ejus. Duo dicta sunt et dici debuerunt, quia ad Deum raptus est, et ad thronum ejus raptus est. Nam et resurrexit, et in cœlum ascendit. Resurgendo ad Deum raptus est. » Denique resurgendo factus est carne, ut erat divinitate immortalis atque impassibilis; et confirmata est eidem carni habitans in ipsa plenitudo divinitatis tali firmamento, ut meminit Apostolus, « quia resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Proinde jam non solum secundum Verbi divinitatem, verum etiam secundum semetipsam assumpta humanitas prædicatur Deus, sicut ex eodem quoque Apostolo comprobatur, ita scribente Laodicensibus: « Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum. » Quid enim, si non per hominem, sed per Jesum Christum? nonne consequitur quod Jesum Christum, quo tempore vocavit eum vel fecit Apostolum, dicat cœpisse jam non esse hominem, sed esse Deum? Non tamen aiunt Patres orthodoxi hæc dicendo, hominis demit naturam, sed confitetur superabundantem humanæ A naturæ divinam gloriam. Nam ex quo resurrexit Jesus Christus, vere quidem est, ut erat homo natura, sed Deus est gloria. Porro quod astantibus discipulis, assumptus ab eis ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei, quid est, nisi raptum esse Filium ad thronum Dei?

CAPUT III.

Rapto illo ad Deum, et ad thronum ejus, nondum penitus impletam esse promissionem, « in semine tuo benedicentur omnes gentes. »

Igitur juxta fidelem atque humilem confitentis et pœnitentis David orationem, justificatus es, Deus, in omnibus sermonibus tuis, et vincis cum judicaris, quia sicut jurasti illi, veritatem fecisti, et non frustatus es eum, quoniam raptum est semen ejus ad te, et ad thronum tuum. Porro quod jurasti ad Abra- B ham, nondum usque ad consummationem perfeceras, promissionis namque, imo repromissionis, ad illum sermo hic erat: « Per memetipsum juravi quia fecisti rem hanc, et non pepercisti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ (*Gen.* XXII). » Equidem cuncta **640** hæc præter unum adimpleta erant. Jesu Christo semine Abrahæ suscepto in cœlum ad Dei thronum, quia revera in sanctis patriarchis ac prophetis multiplicatum fuerat semen Abrahæ, sicut stellæ cœli. Nam ipsi sunt stellæ, quas idem æternus sol Christus C elevatus in cœlum secum tulit, et possidebat illud semen portas inimicorum suorum, scilicet malignorum spirituum, quemadmodum dicit: « Et fuit mortuus, et ecce sum vivus, et habeo claves mortis et inferni (*Apoc.* I). » Verumtamen pars magna restabat, pars nobis optabilis et necessaria, quæ nobis gentibus tali enuntiatione semel et iterum reposita est: « Et benedicentur in semine tuo omnes gentes (*Gen.* XXII). Ad hanc partem perficiendam apostoli duodecim electi fuerant atque reservati, ipso dicente: « Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut adimpleretur sermo, inquit evangelista, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam (*Joan.* XVIII). » Ubinam hoc dixerat? In ipsa cœna, paulo ante ipsam horam, qua cum comprehenderetur, relicto eo, discipuli omnes fugerunt. D « Quos dedisti mihi, ait, custodivi, et nemo ex his periit, nisi filius perditionis; » statimque subjunxit: « Ut Scriptura impleatur (*Joan.* XVII). » Quod quamvis ita recte possit intelligi, idcirco vel ille unus periit, ut Scriptura impleatur, quæ non tacuit de perditione ejus. Attamen secundum præsentem inten-

tionem magis placet sic intelligi ac si dixerit: Idcirco istos custodivi, neque quispam periit ex eis, et sunt omnes incolumes, non solum secundum animam, verum etiam secundum corpus, ut sint per quos Scriptura impleatur, per quorum ministerium benedictio cunctis gentibus in semine Abrahæ promissa impendatur. Quibus ex sacramentis et unde sumptis ejusdem benedictionis opus peragendum esset, et nunc usque peragatur, jam superius dictum est. Nunc restat dicere, quam invito et reclutante dracone sæpedicto, in hac quoque operis vel propositi sui parte vicerit Verbi incarnati omnipotens divinitas, divina omnipotentia, deos gentium in Spiritu sancto ejiciens, qui omnes erant et sunt dæmonia.

CAPUT IV.

Quomodo mulier in solitudinem fugerit.

Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo, ut ipsi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. « Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael, et omnes angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus (*Apoc.* XII), » etc. Mulier postquam filius ejus masculus raptus est ad Deum et ad thronum ejus, fugit in solitudinem, id est, postquam Christus ascendit in cœlum, mater ejus, id est pars illa gentis ejus, ex qua ipse est secundum carnem, scilicet apostolica sive apostolicæ perfectionis Ecclesia, de Judæis collecta cuncta, sicut apostolici testantur actus, reliquit sæculi negotia, ita ut nihil suum quisquam esse diceret, sed erant illis omnia communia. Hoc namque est fugere in solitudinem, omnem præter victum et vestitum relinquere carnis curam vel sæculi sollicitudinem. Qui ejusmodi erant et sunt, opus habebant vel habent pasci de communi eleemosyna diebus mille ducentis sexaginta, Evangelii causa, sive ipsius Domini exemplo, qui tot diebus Evangelium prædicans cum discipulis suis, vixit de Evangelio. Tali initio cœptum est prælium hoc, de quo dicit: « Factum est prælium magnum in cœlo. Apostoli namque et quotquot erant apostolicæ participes gratiæ, pleni gratia et fortitudine, pleni fide et spiritu sapientiæ, contra draconem quasi in cœlo superbientem, magnum sumpsere prælium, euntes in mundum universum, et omni creaturæ prædicantes Evangelium. Hoc nimirum erat fieri prælium in cœlo, id est in illis qui ad hoc præordinati vel prædestinati fuerant, ut cœlum vel sedes fierent Deo Creatori suo. Nam cum in illis vel super illos regnaret draco diabolus, divinos ab illis honores exigens tanquam Deus, cum ab illis in templis vel simulacris coleretur, stultus putabat se esse in cœlo, similemque esse Altissimo. Et hoc agebatur, ut ipse depulsus ab aris, protractus ex delubris, primumque de hominum mentibus errore deceptis locum daret Deo, sicut olim factum est, quando propter superbiam de superiori atque invisibili projectus est cœlo.

CAPUT V.

Quomodo Michael et angeli ejus pugnaverunt contra draconem.

Gujusmodi prælium illud fuit, quales, vel quomodo acies contra invicem steterunt, qualibus armis dimicaverunt, attendamus grande magni hujus prælii miraculum: « Michael, inquit, et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus (*Apoc.* XII). » Quibus armis instructi præliabantur isti? pugnabant illi? Nimirum isti, scilicet Michael et angeli ejus, armis virtutum cœlestium; illi autem, legibus regum, decretis imperatorum, furore gentilium, sævis manibus carnificum. Talibus instrumentis draco pugnabat et angeli ejus. Isti autem, Michael et angeli ejus, ut sunt administratorii spiritus, administrabant Evangelii prædicatoribus omnimodam operationem virtutum, ut in nomine Christi dæmonia ejicerent, serpentes tollerent, super ægros manus imponerent et bene haberent, mortuos quoque suscitarent, cætera quoque signa facerent, quæcunque necessaria vel idonea viderentur ad sermonis confirmationem. Ilis itaque præliantibus draco pugnans et angeli ejus, non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Nullum quippe ex eis retinere potuerunt, qui ad vitam præordinati fuerant. Quamvis corpora illorum occiderent, persuasi ab illis reges et pontifices, reges impii, pontifices mortuorum mortui, quamvis pro dæmoniis, ne dicam suis diis æmulantes, pœnis innumerabilibus corpora disperderent, animas Christi lædere non potuerunt, draconemve et angelos ejus juvare, quin de isto quoque cœlo victi ruerent, id est, cultum quasi divinæ religionis amitterent. Inde est vox illa, vox laudis magna quam audivimus in cœlo, id est in Ecclesia: « Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem agni, et verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem (*Apoc.* XII). »

641 CAPUT VI.

Quomodo draco projectus in terram, miserit aquam de ore suo.

« Et postquam vidit draco quod projectus est in terram, persecutus est mulierem quæ peperit masculum. » Ac deinceps: « Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine (*Apoc.* XII). » Quando vel quomodo vidit draco projectum se esse in terram? Nimirum quando Romani imperatores, relicto veteris idololatriæ cultu profano, regno Dei nostri et potestati Christi ejus se subdiderunt, cæterique reges terrarum et principes cum subditis sibi populis Christiani effecti sunt, tunc vidit draco, tunc sensit diabolus projectum se esse in terram, id est non habere se vires ad defendendam sibi vanam affectatæ divinitatis gloriam. Mutavit ergo persecutionis mo-

dum, et aliter persequi cœpit quam eatenus perse- A cutus fuerat mulierem quæ peperit filium masculum, id est Ecclesiam, quæ juxta promissiones sæpedictas de carne sua protulit et hominem Christum, quamvis enim quodam respectu altera sit Ecclesia gentis unius Israeliticæ ante Christi adventum, et altera de gentibus post Christi adventum, una tamen et unica est secundum fidem eadem Ecclesia præcedentium atque subsequentium Judæorum atque gentium. Quomodo persecutus est eam? Misit aquam de ore suo tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. Hoc idem est ac si manifestius dicat, quia dogmata adinvenit hæretica, per quorum tergiversationes corrumperetur fides ecclesiastica. Ita esse, ut dicitur, non dubitat, quisquis ecclesiasticas aut novit aut legit historias, Arius hæresiarcha notissimus quid B nisi os serpentis exstitit, quo tempore ad fidem Christi confugerat filius Helenæ Constantinus. Per illud os suum misit serpens aquam tanquam flumen, id est pessimæ hæreseos dogma, tanquam sermonem vivum et efficacem, et de vivo Scripturarum fonte profluentem. Non ille primus aut solus tali modo serpentis, sed omnium per quos serpens ille abundantiam iniquitatis suæ profudit, teterrimus atque nocentissimus exstitit.

CAPUT VII.

Quomodo aqua ejusmodi primum occulte irrepens, deinde per incrementa vires capiens, per quatuor partes orbis sese extenderit.

Hoc malum hujus tam perversi dogmatis monstrum, primo occulte irrepsit, deinde per incrementa vires capiens, per quatuor partes orbis, orientem, C occidentem, septentrionem atque meridiem sese extendit Asiam, Europam atque Africam pene replevit, et contra fidem Catholicam gladiis quoque regum et imperatorum sese armavit, multumque sanguinem piorum bestialiter effudit. Hoc Scriptura innuere videtur, dum in ista causa diaboli patrem mendacii primo serpentem, deinde ut eatenus fecerat appellat draconem. Sic enim ait: « Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, » et deinde aperuit, inquit, « terra os suum, et absorbuit flumen, et iratus est draco in mulierem (*Apoc.* XII). » Primo namque hæretica perfidia, ut hæc Ariana, dogmatizans minorem Patre Filium, minorem esse Filio Spiritum sanctum, clanculo apud Alexandriam suborta, per discipulos vel complices D Arii, lubricis flexibus et sophisticis anfractibus sese commovit, deinde in publico ad auditum populi prolato capite sibilavit, et resistente nequitiæ illius Alexandro præsule, ad vicinas civitates, civitatumque præsules aquam doctrinæ nequam de ore suo profudit. Non vere flumen, sed tanquam flumen, id est eloquentiam quidem sive loquacitatem copiose redundantem habens, sed fontem veritatis nesciens, Scripturarum vocibus abutendo, ac per hoc simplicibus, fluminis, id est sanæ doctrinæ quamdam similitudinem demonstrando. Tandem ut jam dictum est, mendacii pater diabolus regum atque reginarum, imperatorum atque imperatricum favorem adeptus, insanire cœpit linguis, inde principum roboratus gladiis, atque ita suam aquam quam velut serpens de ore suo misit, tanquam draco, id est major factus fortius commovit, ut mulierem faceret trahi a flumine, id est ut Ecclesiam compelleret sibi consentire.

CAPUT VIII.

Quomodo adjuvit terra mulierem, et absorbuerit flumen.

« Sed adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen quod misit draco de ore suo. » Hoc ut dicitur, ita factum est. Tunc enim illud famosissimum in Nicæa concilium fervor principis Constantini excitavit, publicis asinis, atque mulis et currentibus equis episcopos et qui cum eis erant ad synodum venire præcipiens. Concilium illud, quod Catholicam roboravit fidem, recte terram intelligas, quæ adjuvit mulierem, quia videlicet de omni terra convenerunt, et quodammodo omnis terra suum mutavit locum, mittendo de cunctis partibus suis personas idoneas in locum constitutum. De cunctis Ecclesiis quæ totam Europam Lybiamque repleverant, et Asiam, simul erant ministrorum Dei congesta cacumina, unaque orationis domus tanquam a Deo delata intrinsecus ferebat omnes in idem, Syrios simul et Cilicos, Phœnices et Arabes atque Palæstinos, Ægyptos et Thebeos, Lybies, necnon et qui ex Mesopotamia oriuntur; Persa quoque venit, nec Scythia defuit, Pontus et Asia, Phrygia et Pamphilia viros probatissimos præbuerunt. Aderant Thraces et Macedones, et, ut breviter dicam, ex omni natione quæ sub cœlo est, collecti aderant viri religiosi, episcoporum multitudo erat trecenti decem et octo, sequentibus eos presbyteris et diaconibus, et acolythis, quorum numerus non poterat comprehendi. Quid ergo nisi terra, ut jam dictum est, « os suum aperuit, et flumen draconis absorbuit, » quando tot viri de omni terra convocati, sapientia, sermone, aliisque virtutibus ornati, ore consono in defensione veritatis aperto, impium dogma destruxerunt, concorditerque universi fidem et gloriam quæ hactenus in Ecclesia permanet, dictaverunt, et subscriptionibus roboraverunt.

642 CAPUT IX.

Septimum caput draconis plaga gladii occisum in mortem.

Igitur de sex capitibus draconis illud constat quia jamdudum in cunctis illis victus est, et Deus justus in sermonibus suis, victorque in judiciis palmam veritatis obtinuit, quia, sicut promisit, sicut juravit, semen David in æternum manet; sicut promisit, sicut juravit, « in semine Abrahæ benedicentur omnes gentes; » et ille neque per paganos neque per hæreticos sive Judæos benedictionem omnium gentium prohibere potuit aut potest. Sed quis diaboli pertinaciam, quis ardentis ejus invidiæ sufficiat mirari vesaniam? et iratus est, inquit Scriptura, draco in mulierem, et adjecit facere prælium cum reliquis

de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu. « Et stetit super arenam maris (*Apoc.* XII), » ait idem qui superiora viderat : « et vidi de mari, bestiam ascendentem, habentem capita septem et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ. Et bestia quam vidi similis erat pardo, et pedes ejus sicut ursi, et os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam. Et unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus sanata est (*Apoc.* XIII). » Bestia hæc septem capitum, ipse draco est, cujus de sex capitibus contra Verbum Dei bellando superatis, hactenus sermo habitus est, septimum caput hic mira locutionis gravitate designatur, cum dicitur : « Et unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus sanata est, et admirata est universa terra post bestiam (*ibid.*). »

CAPUT X.

Quomodo plaga mortis ejus sanata sit.

Caput istud sine dubio Antichristus erit, in quo excandescet illa est draconis ira novissima, de qua dictum est : « Et iratus est draco in mulierem, et adjecit facere prælium cum reliquis de semine ejus (*Apoc.* XII). » Quid porro est quod caput istud quasi occisum in morte dicitur : « et sanata est plaga mortis ejus ? » Itemque postmodum Scriptura dicit, « quia habet plagam gladii et vixit. Ubinam accepit plagam gladii, et quomodo sanata est plaga ejus, aut vixit ? » *Apoc.* XIII.) Nimirum cum alia possint convenienter dici, deficientibus tamen certis sacræ Scripturæ testimoniis, magis iste sensus placet, quia dudum in cœlo damnationis æternæ sententiam accepit. Et hæc est in capite isto plaga gladii et mortis. Ille namque homo peccati, filius perditionis non simpliciter homo, verum etiam diabolus erit, et adventus ejus operatio Satanæ, operatio erit erroris. Diabolus, inquam, sive Satanas, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Quando iste propter superbiam de cœlo cecidit, procul dubio plagam gladii, plagam mortis accepit. Sicut apud Ezechielem dicitur in eum sub nomine Assur sive Pharaonis : « Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam, in medio incircumcisorum dormies, cum his quis interfecti sunt gladio (*Ezech.* XXXI). » Quomodo autem sanata est plaga mortis ejus? Quomodo et plagam habet tanti gladii et vixit ? Falso nimirum sanata est plaga ejus, et falso vixit. Plagæ ejus curatio, culpæ est defensio, et in plaga gladii vivere, hoc illi in ipsa pœna superbire. Hoc quippe in isto dicto est admiratio et præsumptoris exsecratio, quod cum percussus sit et factus diabolus, extollitur et ostendit se tanquam sit Deus. Cum enim diabolus vult se ostendere Deum, quid nisi mortuus contendit se esse vivum? Exemplum miraculi hujus sumere licet de quolibet imitatore ejus. Cum enim quis pro culpa sua justo judicio de Ecclesia pellitur, et tunc in su-

A perbiam elatus et defendens opera sua, judices quoque criminatur quod illi injusti, ipse autem sit justus. Nimirum plaga ejus infeliciter sanata est, et mendaciter vivit, quia Dei judicis injustus, suo autem justus est.

CAPUT XI.

Caput illud Antichristum cui draco dederit vires suas, et potestatem magnam.

Verba non sufficiunt ad rem consequendam, maxime ubi audimus quia dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam. Quid enim hoc sibi vult? Quod tendit etiam in isto diabolus ? Num per hoc Altissimo similem se fore arbitratur ? « Altissimus namque Antiquus dierum, ubi, sicut apud Danielem legimus, thronis positis sedit, et ecce in nubibus B cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad ipsum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum (*Dan.* VI). » Num perversus imitator dando illi bestiæ sive homini peccati virtutem suam et potestatem magnam, dicit adhuc « similis ero Altissimo (*Isa.* XIV), » id est sicut fecit Deus, quod suum erat in Christo, faciam et ego, quod meum est in Antichristo. Ecce quis animadvertens non admiretur qualem usque in finem sive consummationem de genere humano processerit, hinc bonum propositum Dei, inde malum oppositum adversantis diaboli. De una eademque massa unus exsurrexit, qui Deus et homo est, et alius, qui diabolus et homo erit, venturus est. In isto bonitas prædicatur Dei, in illo perversitas agnoscitur diaboli. Isto namque nihil melius, illo nihil deterius. C Iste enim Deus super omnia benedictus, ille diabolus infra omnia maledictus. In isto sibi Deus complacuit, et in æternum complacebit ; in illo sibi diabolus complacens, postquam elevatus fuerit in sublime, stultus apparebit. Iste de cœlo descendit et de humilibus ascendit sicut virgultum, et sicut radix de terra sitienti. Ille de cœlo cecidit, et de cunctis superbiæ filiis ascendet tanquam bestia de mari.

CAPUT XII.

Quid sit illud Apostoli : « Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur suo tempore. » Et de sacramento mulieris bestiæ insidentis.

Non sua voluntate moratur diabolus aut venire tardat Antichristus, sed contra suum velle detinetur, cum sit in omne malum pronus ac festinus. « Et nunc D quid detineat scitis, » ait Apostolus. (*II Thess.* II.) Quid est illud ? Videlicet quia nondum venit tempus ejus. (*Ibid.*) Quia tempora non in istius sive cujuslibet alterius, sed in sua solius potestate posuit Deus. Hoc oportet subintelligere. Sequitur enim : « Ut reveletur in suo tempore (*ibid.*) » Quod idem est ac si dicat, quia superna potestas impatientem moræ, jamque volentem revelari detinet, ut non reveletur **643** nisi in suo tempore. Nam ut scias quam invitus detineatur, quam propere vellet revelari : « Jam, inquit, mysterium operatur iniquitatis (*ibid.*), » subauditur quantum potest, videlicet maxime per sævitiam Neronis, qui, quamvis fuerit

malignus, minus tunc in illo diabolus potuit quam in isto, poterit, « in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis (*II Thess.* II). » Et quantum differtur vel quod signum temporis ejus? « Tantum, ait, ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat (*ibid.*). » Cum Apostolus hæc scriberet Thessalonicensibus, qui tenebat, et quid tenebat? Nimirum Romanus rex sive Cæsar orbis imperium tenebat, non dicit de unius persona hominis, verbi gratia, Neronis, sed de cunctis regibus Romani imperii, qui, quamvis plures numero, unus tamen sunt imperio. Hic sensus non solum ratione, verum etiam constat auctoritate. Nam post aliqua eidem Joanni angelus dicit: « Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem et cornua decem. B Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedit, et reges septem sunt. Quinque ceciderunt, et unus est, et alius nondum venit, et cum venerit, oportet eum breve tempus manere (*Apoc.* XVII). » Bestia namque septem capitum, et hic ubi mulier, id est cupiditas sedet super bestiam, et illic ubi bestia de mari ascendebat, universitas est impiorum. Sicut jam superius sive hactenus in dracone septem capitum longo tractatu est demonstratum, septem capita septem regna, per quæ hæc bestia sive draco vim suam exigit contra promissionis verbum. Cum igitur dicit « septem capita, et septem reges sunt, quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit, » septem reges, cunctos eorumdem regnorum reges intelligi oportet, sive pro ipsis septem regnis scriptum esse, septem sunt reges, quorum C « quinque ceciderunt, » ait, scilicet Ægyptius, Israeliticus, Babylonicus, Persicus, Macedonicus. Et unus est, qui et sextus, videlicet Romanus, et alius nondum venit, ipse erit Antichristus.

CAPUT XIII.

Quare Apostolus tam obscure dixerit: « Tantum qui tenet, teneat, donec e medio fiat. »

Itaque et sapientibus satis dictum, tantum ut « qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat (*II Thess.* II), » et insipientibus data occasio non est, quam nancisci potuissent, si ita manifestius dixisset, Roma quæ nunc tenet, sive Romanum imperium, quod nunc tenet, sub se gentes teneat, donec de medio fiat, sive donec discessio fiat. Superbia namque hominum Romam volebat esse urbem æternam, et D æternum Romanorum imperium, ac proinde nusquam fore religiosus quis impatientius audiret blasphemiam in Deum, quam Romani principes sive milites finem Romani imperii per Christi prædicari Evangelium. Satis nimiumque offenderunt eos Evangelii prædicatores, etiam « nemini dantes ullam offensionem (*II Cor.* VI), » quanto magis si jam publice discessionem illam futuram prædicarent? Hæc pro difficultate apostolicæ locutionis breviter dicta sint poroo quandiu qui tenet, nunc tenere debeat, vel quam multos post annos de medio fieri, vel discessio venire debeat, maxime propter eamdem cautelam scribere

A non debuit, fortassis nec ipsis revelatum fuit quando vel hoc fieri, vel quod post annos ille iniquus debeat revelari, sicut nec Danieli, cui dicenti ad virum qui indutus erat lineis: « Usquequo finis horum mirabilium? (*Dan.* XII) » Itemque: « Domine mi, quid erit post hæc? » non fuit responsum quod quærebat, sed hoc audivit: « Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad tempus præfinitum (*ibid.*). » Ad discipulos quoque de temporibus quærentes, loquitur Salvator ipse: « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate (*Act.* I). »

CAPUT XIV.

Quantum iram draco excitaturus sit per Antichristum, et quod Dominus Jesus interfecturus sit ipsum spiritu oris sui.

Iram draconis, quam exercebit per illum hominem peccati, per illum filium perditionis, iratus in mulierem sæpedictam, et adjiciens bellum facere cum reliquis de semine ejus, frustra laborat quis sufficientibus declamare verbis. Major enim res erit sermone imo et cogitatu hominis, præsertim cum ipse Dominus ore proprio prædixerit: « Erit enim, inquiens, tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet, et nisi breviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi (*Matth.* XXIV). » Proinde, quoniam sermo quoque prolixior habitus jam ad finem tendit, et sollicitudo deesse non debet loquenti aut scribenti, ne forte nimietate fastidium generet legenti sive audienti, veniendum est ad id in quo est consummatio denarrati certaminis, consummatio victoriæ Verbi Dei. Quid est illud? profecto destructio illius iniqui, et judiciaria sedes sive sessio Filii hominis Jesu Christi, quemadmodum ipse post prænuntiationem illius magnæ tribulationis breviter innuit: « Et tunc, inquiens, videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate, cum virtute multa et gloria (*ibid.*). » Qualis ergo erit destructio illius iniqui? « Dominus Jesus, inquit Apostolus, interficiet eum spiritu oris sui (*II Thess.* II), » quoquo modo per prophetam fuerat prædictum: « Et spiritu labiorum suorum interficiet impium (*Isa.* XI). » Et quidem multos interfecisse legitur Dominus, sed de nulla persona nunc occurrit memoriæ sic esse dictum, quod interfecerit spiritu oris sui, sive spiritu labiorum suorum præter illum impium, iniquum. Num ergo propter singularem illius magnitudinem, nimiamque fortitudinem Spiritus sanctus, qui est Spiritus Domini Jesu, mittendus erit contra eum, nec aliter ille iniquus poterit interfici, nisi per semetipsum irruat super eum Spiritus Domini. At iste Spiritus sanctus, spiritus Domini Jesu, non ad mortificandum solet eniti, non nisi ad vivificandum consuevit immitti. Nec enim in ipso mors est, cum ipse potius vita sit. Aliter igitur intelligendum est hic de spiritu oris, sive labiorum Domini Jesu, et hoc fiet commodius, si illud quoque propheticum in præsens adducatur vox di-

centis : « Clama. Et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fenum, et flos cecidit, quia Spiritus Dei insufflavit in eo (*Isa.* XL). » Omnis homo vivens et quid, rogo, tibi est facilius quam sufflare, quid infirmius, rogo, coram te, quam illud quod sufflando potes dejicere? Igitur per tuimet exemplum animadvertere promptum est quam vere fortis sit Dominus Jesus, cujus nomen Verbum Dei, Verbum Deus, et quam vere universa vanitas erit etiam ille homo vivens (*Psal.* XXXVIII), totius generis **644** humani tyrannus maximus, tyrannus diabolicus, quia quam facile tibi est sufflando dissipare filum telarum araneæ, tam facile, imo facilius erit et illum iniquum interficere, multis conjecturis quæ hinc solent fieri. Per hunc sensum arbitror quempiam posse liberari.

CAPUT XV.

Interfecto Antichristo, consummatum esse victoriam Verbi Dei.

Interfecto Antichristo, paucis, id est quadraginta quinque diebus, ut ex Danielis visione conjicitur, interjectis, veniet in majestate sua Dominus, et « novissima omnium inimica destruetur mors (*I Cor.* XV). » Quomodo destruetur? « Ipse Dominus, ait Apostolus, in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (I *Thess.* IV) » Illa destructio mortis, consummatio erit victoriæ Verbi Dei, consummatio propositi Dei, cum hoc dicto Verbi Dei triumphantis : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.* XXV). » Quod dicit « a constitutione mundi ; hoc est, ab eo tempore vel die quo constituebatur mundus in creatione generis humani, quando creatis duobus primis : « Crescite, ait, et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I). » Cum enim duo tantum essent, dicendo illis, « crescite et multiplicamini, » illam attendebat multiplicitatem quæ stabit a dextris, et tunc parabat illis regnum præfinitum habens numerum, quantus deberet percipere regnum Dei. Nam qui super numerum illum multiplicati sunt, quippe stabunt a sinistris, non pertinent ad benedictionem Creatoris, neque fuissent nati, nisi intercessisset causa peccati, quo peracto : « Multiplicabo, inquit ad mulierem, ærumnas tuas et conspectus tuos (*Gen.* III). » Erit igitur opportuna commemoratio constitutionis mundi, et benedictionis, qua omnes suos electos benedixit, dicendo : Crescite et multiplicamini, » magnaque et ineffabilis erit materia laudis, et angelis, et hominibus sanctis in eodem dicto triumphatoris : « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi. » Tunc vere in Domino laudabitur omnis anima, et tunc audientes mansueti lætabuntur (*Psal.* XXXIII), et lætantes admirabuntur, quod illa benedictio prima inter tot maledictionum spinas, de quibus vel contra quas præsenti opusculo tractavimus, perire aut exinaniri non potuit, videntes nullum deesse ex omnibus electis Dei per curam atque providentiam ejus qui illos præscivit, atque prædestinavit, vocavit atque justificavit, et magnificavit per gratiam ejusdem Filii sui (*Rom.* VIII), per incarnationem, passionem et resurrectionem ejusdem Verbi sui, cujus imaginis conformes prædestinati sunt fieri (*ibid.*).

CAPUT XVI.

Quid sit quod ad beatum Job dictum est : « Ecce spes ejus frustrabitur eum. »

Tunc verum apparebit dictum illud ad beatum Job de dracone illo toties nominato : « Ecce spes ejus frustrabitur eum, et videntibus cunctis præcipitabitur (*Job.* XL), » simulque omnes impii præcipitabuntur cum eo, dicente triumphatore et judice his qui erunt a sinistris ejus : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Quomodo illos præcipitabit? Nimirum quod de uno homine peccati filio perditionis Antichristo Apostolus dixit : « Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui (II *Thess.* II), » hoc et de diabolo et angelis ejus et de cunctis impiis hominibus, et si verbis vel syllabis eisdem non dixit, vult nihilominus et oportet intelligi quia præcipitabit eos spiritu oris sui, id est tam facile, ut in sufflando exiguum quid pulveris, aut fumi in auram dispergis. Nam, sicut jam supra dictum est pro facilitate Omnipotentis, qui non laborat agendo quid, et Apostolus dixit, quod « illum iniquum Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, » et propheta dixerat, « spiritu labiorum suorum interficiet impium. » Quod si auctoritas quæritur de cunctorum impiorum damnatione quod præcipitandi sint eadem facilitate: Ecce et alius propheta dixit, quod jam supra commemoratum est : « Omnis caro fenum, exsiccatum est fenum, et cecidit flos, quia spiritus Dei sufflavit in eo (*Isa.* XL). » Et in Job scriptum est : « Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos (*Job.* IV). »

CAPUT XVII.

Quid sit spiritu oris Domini aliquid fieri.

Eadem quidem facilitate omnia bona quoque fecit, et facit omnipotens Verbum, et ipsam faciet resurrectionem mortuorum, sed in hujusmodi dictionem flandi, vel exsufflandi sanctus Scripturæ Spiritus proferre non consuevit. Contra superbiam solet taliter edicere, ut illic : « Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare (*Exod.* XV). » Quod si quis objiciat, et illud scriptum esse : « Flavit spiritus ejus, et fluent aquæ (*Psal.* CXLVII). » Cito respondetur non esse hoc dictum de spiritu iræ, sed de Spiritu gratiæ. Et quamvis facile sit Deo peccatoris cor compungere, non tam propter facilitatem ejusmodi dictum esse : « Flavit spiritus ejus, » quam propter insinuandam divini ignis dulcedinem, quod cum frigidum cor aspirando tetigerit, ita temperat et emol-

lit, sicut glaciem calidus auster solvit. Præmiserat A enim: « Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?» Statimque subjunxit: « Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flabit spiritus ejus et fluent aquæ (*Psal.* CXLVII). »

CAPUT XVIII.

Quam facile omnia possit Verbum Dei, exemplis probat.

Quid, tanquam de facilitate quisquam dubitet, plura loquimur? Judicandus sufficientia dedit argumenta, quam facile facturus sit quæ dicta sunt, veniens Judex in majestate sua. Primum de facilitate resurrectionis mortuorum, hoc argumentum est: Lazarus in sepulcro quatriduanus erat, et unam tantum vocem emisit: « Lazare, inquit, veni foras, et statim prodiit qui fuerat mortuus (*Joan.* XI). » B Quando vel quali habitu prodiit? « Ligatus pedes et manus institis, et facies ejus sudario ligata erat (*ibid.*). » Opportune evangelista hoc præscripsit, et ad hanc intentionem nostram nonnihil facit, quia videlicet consequitur in illius vocantis voce vim facillimam exstitisse, quæ illum pariter et vivificavit, et de monumento expulit, quia cum esset ligatus pedes et manus institis, neque pedibus neque manibus prorepere **645** potuit. Quod si de remissione quoque peccatorum, quæ prima resurrectio est, quæritur experimentum, quam facilis factu sit eidem Verbo, Filio Dei, Filio hominis Jesu Christo tam in præsenti quam in futuro sæculo: Ecce apparet in sorore ejusdem Lazari Maria Magdalene, quam itidem adhuc mortalis, adhuc judicandus mortuam in anima C jamque fetentem infamia, de sepulcro malæ conscientiæ produxit: nullam saltem vocem mittens, quali Lazarum de monumento vocavit, imo et corpore absens illi. Nisi enim de sepulcro quæ fuerat mortua prodiisset, ante præsentiam ejus illo miro modo non venisset. Et de illa ubi dixit ei: Fides tua te salvam fecit, vade in pace; » continuo dixit Evangelista, « quod dæmonia septem exissent de ea (*Luc.* VII). » Quomodo ergo pro facilitate operandæ salutis, et agendi judicii mentionem fecimus, cum suffragio sanctæ Scripturæ de verbo exsufflationis, nonne et hoc recte dixerim, quia septem illa dæmonia exsufflando, id est quam facillime de illa ejecit, cum adhuc esset judicandus homo passibilis et mortalis? Propter eamdem facilitatem delendi peccata totius Ecclesiæ, cujus illa typum gessit, arbitrari D licet quia resurgens ex mortuis, et stans in medio discipulorum insufflavit dicens continuo: « Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX). » Neque enim non sine insufflatione Spiritum sanctum dare poterat, sed opus erat omnipotentiæ suæ, verbum Deus studiose illo quoque modo significabat, semper et ubique intendens adimplere, et verum comprobare quidquid in Scripturis sanctis de ipso prædictum fuerat. Nonne et hoc in persona ejus apud Isaiam prædictum fuerat? « Servus meus es tu Israel, ne obliviscaris mei, delevi ut nubes iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua (*Isa.* XLIV). » Quomodo enim nubes aut nebula deletur, nisi facillime transcurrente serenioris auræ flatu? Non igitur otioso insufflavit dando Spiritum sanctum discipulis in potestatem remittendi peccata, nec inaniter discipuli vel ministri ejus baptizando insufflant, sicut habet consuetudo Ecclesiastica, sed operosum præbent illi ministerium, quatenus per hunc illorum actum quod prædixit, nunc quoque unicuique renascenti dicat: « Delevi ut nubem iniquitates tuas, et nebulam peccata tua. »

CAPUT XIX.

Quanta facilitate sinistros cum diabolo et angelis ejus præcipitaturus sit.

Porro, de præcipitatione qua sinistros, id est, impios præcipitabit cum diabolo et angelis ejus, de quo, ut jam dictum est, ait Dominus ad beatum Job: « Et videntibus cunctis præcipitabitur (*Job* XL), » quod factu tam facile ei sit, ut significat verbum insufflationis. Item, illud pro vero argumento est quod adhuc passibilis et mortalis, continuoque passurus et moriturus, cohortem præsidis armatam, pontificumque et Pharisæorum ministros solo intuitu dejecit. Ut enim dixit eis: « Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. Sed forte dicat quis, quia pauci erant. In resurrectione autem mortuorum, quando judicabit sæculum, infinitæ multitudines erunt. Num ergo tam facile cunctos tunc præcipitabit, quam facile paucos illos dejecit? Hujusmodi suggestio, si quem tangit, recte arguitur nimiæ vanitatis. Est autem utrumque rationi simile, si Dominus saltem manu injecte, cohortem illam dejecisset, vel tale quid faciendo, quale fuit illud, quod unus homo Samson in mandibula asini percussit ac dejecit mille viros armatos ac fortes. Nunc autem ubi dejecit eos, tantummodo dicendo: Ego sum, ratio consentit, totum mundum tantum valere contra illum, quantum cohortem illam, sive hominem unum. Quod si de diabolo quoque et angelis ejus quæritur, quale dederit experimentum adhuc mortalis et judicandus quod eos eadem qua et homines facilitate sit in infernum præcipitaturus: Ecce illa legio pro argumento satis est, quæ unum possidens hominem, rogabat eumdem Dominum ne ab ipso torqueretur, neve imperaret illis, ut in abyssum irent. Eadem nimirum facilitate super cunctas legiones dæmonum super diabolum et super angelos ejus peraget judicium, nec saltum regare vacabit eis, ne mittantur in abyssum, sive in infernum, quia constrictos velociter præcipitabit eos omnipotens Verbum.

CAPUT XX.

Quod sit quod dictum est apud Isaiam: « Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum. »

Quid post hæc erit, nisi sempiterna festivitas triumphi, et nunquam habitura finem lætitia Dei, lætantis in operibus suis? Qualis autem erit lætitia sive festivitas illius triumphi? Qualis triumphator, Deus Verbum, Deus et homo Jesus Christus in majestate sua sedebit? qualis circa illum procerum ejus,

militum ejus emeritorum confessus erit? quali splendore tota triumphalis ejus curia splendebit? quis nobis habitum illum nunc saltem ad modicum annuntiare possit, nisi seipsum revelans per prophetas Verbum Domini? Ecce quiddam de revelationibus ejus propheticis ad præsens occurrit, consonans cunctis præconiis illius æternæ beatitudinis, beatæ æternitatis, quæ succedit illi judicio magno et terribili, perpetua semper mansura regi illi Deo et homini, cunctisque angelis et hominibus per ipsum consociatis apud Isaiam præmisso : « Quia Deus judicii Dominus, beati omnes qui exspectant eum, » post pauca sic dictum est : « Et erit lux lunæ, sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum (*Isa.* xxx), » in die qua alligabit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit. Quid, rogo, est vulnus populi Domini, et quid percussura vel plaga ejus, nisi vulnus mortis animæ, id est peccati, et percussura vel plaga corporeæ mortis, qua de corpore anima recedit, illius mortis vulnus? Et hujus mortis plagam sive percussuram tunc Dominus ad perfectum sanabit, quando dicet : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.*

A xxv). » Tunc erit lux lunæ sicut lux solis ; luna Ecclesia, sol ipse Christus est. Nunc præsenti sæculo, non est lux lunæ sicut lux solis, id est, non est claritas Ecclesiæ, sicut claritas Christi, quia videlicet sol Christus, semper et indeficienter suo lumine fulget. Luna autem Ecclesia non proprium, sed a sole Christo lumen habens mutuatum, nunc incrementis gaudet, nunc defectum sustinet, tunc autem semper fulgebit, quia Christum in manifesta vissione semper habebit, **646** hoc erit esse lucem lunæ sicut est lux solis. « Scimus enim, inquit Joannes, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III) ; » quanta autem erit lux solis? Nam, ne parva videatur esse promissio lunæ, in eo quod dixit : « Lux ejus erit
B sicut lux solis. » Sciendum est quanta futura sit lux solis, dixit ergo : « Et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum (*Isa.* xxx) ; » qualis vel quanta est lux septem dierum? Omnia, inquit evangelista, per ipsum facta sunt ; omnia, inquam, bona valde, quæ septimo die completa sunt. Tanta nunc erit lux solis, quia nunc manifeste patebit quale sit Verbum, per quod Deus omnia sex diebus fecit et in septimo die requievit.

INDEX RERUM AC VERBORUM

QUÆ

IN HOC TERTIO OPERUM RUPERTI VOLUMINE CONTINENTUR.

Revocatur lector ad numeros crassiores textui insertos.

A

B

D

G

H

L

M

N

Q

R

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

RUPERTUS TUITIENSIS ABBAS.

LIBER SEPTIMUS

LIBER OCTAVUS.

LIBER QUARTUS.

LIBER QUINTUS.

LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.

LIBER OCTAVUS.

LIBER NONUS.

LIBER DECIMUS.

LIBER UNDECIMUS.

LIBER DUODECIMUS.

LIBER TERTIUS DECIMUS.

FINIS TOMI CENTESIMI SEXAGESIMI NONI.

Sancti-Amandi (Cher). — Ex typis Destenay.

atina vol. 169
2169

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
2169 a